1487

R/6083 BB.

R. P. M. THOMÆ

HVRTADO, TOLETANI,

Compuesto el Ab. Pedro de Montenegro

CLERICI REGVLARIS MINORVM:

SACRÆ THEOLOGIÆ ROMÆ, COMPLVTI, ET SALMANTICÆ Publico Professore, & in Vniuersitate Hispalensi primariæ Cathedræ proprietario Moderatore: eiusdemque Diœcesis Archiepiscopatu Examinatore Synodali, constituto per Em. Card. Spinola; supremique Senatus sanctæ Inquisitionis, & sancti Officij Hispalensis, ex munere Qualificatore:

RESOLVTIONVM MORALIVM

Del Col. de la Comp.ª de Jesus de Granada BB.ª

DE

RESIDENTIA SACRA,

TOMVS ALTER.

IN QVO CONTINENTVR SEX ALII LIBRI, circa Residentiam Regularium, tam Prælatorum, quàm subditorum.

Insuper, variæ resolutiones de Residentia Matrimoniali.



LVGDVNI,
Sumptibus IOAN. ANT. HVGVETAN, & MARCI-ANT. RAV[illegible]

M. DC. LXI.

CVM APPROBAT. & PERMISSV SVPERIORVM.

BIBLIOTECA PUBLICA GRANADA



EXCELLENTISSIMO ET ILLVSTRISS. DOMINO,

DON PETRO DE VRBINO,

OLIM ARCHIEPISCOPO VALENTINO, REGNI EIVSDEM PROREGI;

NVNC

ARCHIEPISC. HISPALENSI;

MEMET, HOCQVE LITERARIVM MVNVS, in perennaturam panegyrim, ac tesseram affectus, cultus, gratitudinis, & obsequij, Sacro, Offero, Dicóque.

IRABERIS (EXCELLENT. & ILLVSTRISS. PRINCEPS) Miraberis inconsiderantiam meam, quòd te publicis occupationibus irretitum, veteribus, nouis, ac crescentibus publicis curis, quibus tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extendit, Protectorem, & lectorem, ambio: Miraberis etiam audaciam in tuam modestiam, quâ ab incunabulis es imbutus, quam impetere volo panegyri iucunda satis Ecclesiæ: Sed cessabit admiratio, dum non commentitium, & suspectum appareat panegyricum: Non enim est per se Magistra solitudo innocentiæ, & virtutum tuarum; nec frugalitatem docent rura: non solùm tibi viuis, sed Ecclesiæ, & populis, quos regis Pastor vigilans. Quis, quam nulli ostendat, induit purpuram? Quis posuit secretam, in auro dapem? Quis sub alicuius frondosæ arboris proiectus vmbra, eius pompam solus explicuit, eius fructum sibi soli seruauit? Cùm nemo oculis suis lautus existat, nec paucorum quidem, & familiarium, sed apparatum Virtutum turbæ spectanti expandit. Igitur cum lux sis, quæ aliis lumen profert; iam modestia admirari cessabit: Mihi potius prauum, malignúmque esset non admirari hominem admiratione dignissimum, quem videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantùm, verùm etiam amare contingit, cùm enim lucidissimus sit oculus, quo Magister corporis Ecclesiæ existis, vt totum corpus lucidum sit, opus est Virtutum tuarum radij splendeant, in orbem diffundantur, & coruscent.

Nec me deterret ad dicandum opus meum Archiepiscopo & Pro-Regi Regni Valentiæ moles occupationum, quà premitur, nam & Augustinus Valerio Comiti conspicuo, summa dignitate Vice Regis, & Præfecti Africæ, *& actibus publicis, iisque militaribus occupato Libros de Vitiis, & Concupiscentiis sacrauit.* Quia (inquit S.Doctor) *& ego Excellentiæ tuæ, scio non esse oneri tibi si aliquid prolixius mitto, quod legendo diutiùs sis nobiscum: nam & hoc comperi, quod inter tuas multas, magnasque curas facilè, ac libenter legas, nostrisque opusculis, etiam quæ ad alios conscripsimus, si qua in manus tuas*

venire potuerunt, admodum delecteris; quantò magis, quod tibi dicatur, & aduertere dignaueris attentiùs, & accipere gratius, quare dignanter ignosce, & beneuolum erga te animum, ad ea, quæ dicuntur, attende. Sit ergo in fronte operis huius sacrum, & solemne panegyricum anathema, quod amori erga me, tuo, & beneficiis lubens publica deuotione suspendo, quod si negligerem magni me sceleris impia tum rea conscientia postulabit.

Incipio, vt à Ioue, à Nobilitate tuæ Domus, quæ radix fuit Vrbinorum, & Vrbanorum ciuium firma fidelis Petræ fundamine sita, incontaminata, & illæsa ab omni contagio, & labe detestandi impuri sanguinis perseuerans fidei integritatem gloriosæ conscientiæ inconcussum stabilimentum, imperturbatam conscientiam, inuiolatámque Religionem conseruauit, & sicut splendor in tetræ noctis obscuritate lúminis sui claritate fulgescit. Vox mundæ Originis, etiam in recessibus, quos ciuium turmas fugiens petiisti castaneorum nemoris Sylueſtris Domum Seraphicæ Recollectionis inhabitans semper auditur, nec occultari patitur fætura sublimis, etsi enim de splendore natalium conscientiæ iubar hauseris, tamen fulgorem stirpis morum radiis obumbrasti, vincens decorem sanguinis, ingenij claritate, dum coruscantem germinis tui lampadem actuum serenitate transcendisti, & factus Victor stemmatis tui superasti maiores, illis concilians maiorem honoris, & gloriæ cumulum, Antecessores tuos, insigniores faciens, & cum te tantus Virtutum Chorus concinnat, ex illustrissima radice oriens, illustrior appares.

Pulchrè Ennodius, quasi à longe te aspiciens, reddite vos studendo origini, reddite lectione naturæ lucem, iubar actionis ostentat multiplicatæ suffectu scientiæ parentum titulos, ornatè eruditione decora maiorum fului nobilitate metalli, nisi ad vnguem manus ducat artificis, materia penè hebetatur tenebris, & si non magistra politione venustatur, nihil ei prodest sublimitas, quam vena concessit. Adiuuatur quidem Doctrinis instantia dotibus sanguinis mundioris sed nisi limata non rutilant illa, quæ se erigunt prærogatiua nascendi. O quantum te reddidisti origine, studiis, & ex literarum exercitiis semper existens omnium horarum homo, quem. Feliciter iuuit fœlix ingenium, quod tibi à prima ætate clarum, sanum, & purum, vt posses super alios emergere, & ab humero, & sursum eleuari. O quantum te lectione reddidisti, tot annorum cumulis illi insudans in celeberrima totius Ecclesiæ Academia Complutensi: *pluribus collector fui*, & discipulatum tui Magisterij gloriabar in nostro D. Ioseph sacro Collegio, omnes in litterariis congressibus ab ore tuo pendebant, admirantes in te vno, quæ in pluribus partita admirationem generarent. Doctoris sublimis facilem intelligentiam introduxisti, cuius doctrina etsi sublimitatem à vena sua haberet, nisi tanti Magistri politione venustaretur ferè nihil ei prodesset sublimitas, atque quæ se erexit prærogatiua nascendi, nisi limata, & à re enucleata non ita rutilasset, sed difficultatum tenebris occulta maneret. Sunt Scoti plurimæ Sententiæ, veluti imagines, quæ in speciem, & prima fronte intractabiles, & veluti monstruosæ, & contemptibiles apparent, si clausæ aspiciantur; atsi apertæ, & enucleatæ, subitò numen ostendunt, & ingenij altitudinem manifestant.

Salue (tibi alloquitur Ennodius) *Nutritor profectuum:* Fax splendor (Seraphicæ Scholæ) *qui nobilia germina laboriosis purgando sarculis, in fructibus facis agnoscere.* Qui in cano flore tuæ familiæ quantum horreis paretur, ostendis, qui de ferarum cubiculis ad fora literaria, quod erat absconditum propalasti, vnde maiores, penè iam longa ætate discesserant. Tibi debentur hæc beneficia, tibi spes vnica honestæ professionis studiorum adscribenda; ita quod si D. subtilem præceptorem tuum, & Antesignanum diceres, illo melior censereris, etsi non melior, at tibi non applicanda sunt tui Magistri encomia; pulsat enim cœlum Magistri opinio, perfectione discipuli.

O quantum te reddidisti argumentis, & disputationibus seriis in Academia nostra: audeo de te dicere, quod Nazianzenus de Magno Basilio: Necessariis argumentis aduersarios ita comprimebas, vt nullo modo repugnare, aut contra niti possent, sed tui sermonis energia, & virtute propriis vocibus constringebantur; & quid de te magis mirandum fore dubitem: an Religio in verbis: an modestia in actionibus: an Vrbanitas in vultu: an efficacia in oratione: an grauitas in habitu? & cum hæc omnia in te vno omnes viderent; te vnum admiratione dignissimum acclamabant.

O quantum te reddidisti consultationibus, tum publicis, tum secretis? in quibus consultoris munus summa æquitate egisti, etiam in negotiis tuæ Seraphicæ Familiæ; sequens exemplar Chrysostomi aientis: Qui consultorem se profitetur, hoc solum suo arbitrio habet, vt quid sentiat, dicat: quod si sententia alia conducibilior appareat, quàm ea, quæ ab eo dicta est, hanc sequi non recuset, verùm animũ ab omni fastu eximentes, id spectemus, non vt ea solum, quæ ipsi decreuerimus stent, ac rata sint, sed vt ea sententia, quæ potior, conducibiliorque fuerit valeat, etiamsi à nobis minimè allata sit. O quot ingenij, sapientiæ, prudentiæ, atque candoris radios hoc exemplar inspiciens, & admussim exsequens consultor consultus emisisti: Testis sum ocularis illustratum luce tua, salubrius, quod securius amplexatus es deposito proprio dictamine, quod aliquando moderabaris audiens aliorum Patrum sententias, aliquoties mihi dixit quidam grauissimus vir, quod tua prudentia, sobrietate, & zelo, qui loquebatur in te, ipsum, in stuporem, & tui admirationem rapiebas, tibíque adaptabat versus Ennij.

Sermonesque suos, rerumque suarum
Comiter impertit, magna cum lapsa diei
Pars foret è summis rebus, paruisque gerendis
Concilio induforo, late, sanctoque Senatu.

Quid eloquar de tua prudentia? Quibus laudibus efferam nescio; cùm enim heroicam iunctam viribus animi semper monstrasti, & imperatorem agere nosti, & militem, coronam tuam ornasti Regulari, Oeconomica, Militari, Patronali: in omnibus effulsisti sicut stella matutina in medio nebulæ, & quasi sol refulgens in templo Dei: Regularem monstrans prudentiam, dum Prouincialem, & Generalem, Commissarium familiæ Cismontanæ egisti, circa quem corona Fratrum existebat, quasi plantatio cedrorum in monte Libano, & quasi rami palmæ omnes filij (Francisci) in Gloria tua; quia ministerium tuum ita implebas, tanta prudentia, pietate, & morum grauitate; vt in te, velut in radicem arboris omnes coïrent, & tibi omnes connecterentur, & vt dignum cedro acclamarent, vt Patrem semper colendum susciperent summâ lætitia, quanta vigilantia, & itinerum labore officium peregeris accinam versibus, quos Claudianus cecinit Honorio suo.

Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed noua per duros instruxit membra labores,
Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Æstiuum tolerare iubat, tranare sonoras
Torrentum furias, ascensu vincere montes.

Omnia hæc, & multo grauiora perpessus, vt Visitationem tuæ familiæ perficeres, vt emendares deffectus, Regularemque disciplinam conseruares: ô quantum eminuit, prudentia, & regimen tuum, dum cuidam sorori Burgensi tibi subiectæ singularis virtutis fœminæ, cui dignabatur Deus multa secreta reuelare, & singularibus fauoribus prosequi, inter quos ille fuit maximus, quod cuspide Seraphica latus eius perforans, inflixit vulnus, adusque interiora penetrans, quo miraculo à multis agnito, exiuit fama illius in vniuersam prouintiam, & turbatim vterque sexus ad illud inspiciendum currebat, videns quod per eos, qui illud laudare conabantur aliquid

diminutio illius magnitudinis fiebat, commodius, & ſolidius iudicauit ſilentio tegere miraculum; vnde ſorori præcepit illius Prouinciæ Superior (ô ſingulare dictamen!) Quod à Deo expoſceret, vt vulnus ſanaret, & recluderet (ô ſingularis, & admiranda obedientia!) occluſum eſt vulnus, cicatrice duntaxat remanente, obſequente Deo petitioni Sponſæ, & iſta præcepto quod Tu approbaſti & confirmaſti. O Diuinum ſecretum! vtente Deo prudentia humana, velut inſtrumento; & prius miraculum verum eſſe oſtendit, & aliud nouum creauit.

Quid de Oeconomia, dum infulis ornatus exiſteres, qua ſobrietate, qua temperantia in victu tam tui, quam tuæ familiæ procedas, qua mediocritate, prædicem in te omnibus Præſulibus, in exemplum proponam, prædicabo ſatis & prudenter cum Prudentio.

—— Licet requieſcere Sanctis.
Summa quies nil velle, ſuprà quàm poſtulat vſus
Debitus; vt ſimplex alimonia, veſtis & vna
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus.

Prudentia militaris, dum Proregis officio fungereris, & paſtorali vtens fundâ in ouibus regendis, & profligandis à grege lupis, & gladio in propugnando ab hoſtibus regno; O quantum eminuerunt abſque ſui confuſione, & ſine offenſione vtriuſque muneris! Palatium tuum, & Imperatoris erat, & Epiſcopalis domus: hæc ſemper mittens Seraphicum odorem, illud militare exercitium: illa pauperum Xenodochium, & egenorum contubernium, neque enim ex voluptate, quam è numeroſo ſatellitio capiebas, illos obliuiſcebaris, nec ab illorum cura deſiſtebas: iſtud plenum erat exercitiis militaribus, quo modo nulli offerendum, quo modo non rapina, non furto, ſed ſtipendiis militaribus viuendum; ſic enim militarem laborem, arma bellica, & ciuilis regiminis curam accurabas, vt nulli inferretur iniuria, ne prædationes, & incurſiones iniquæ aduerſos integros homines, & bonum commune fierent, inter milites, vt Religioſus Præſul viuebas, tranſigens vitam Deo placentem; vt eſſet rationabile obſequium militare: & cùm valdè arduum ſit duas, eaſque ſimul, ſummas capere poteſtates, arduitatem vicit duplex hæc prudentia tua impermixta, & inconfuſa, qua ſanè exæquas Ximenio, & Orontio, ex tuo Seraphico Ordine aſſumptis ad vtrunque regimen ouium, & militum. *Sed nolo* (cum Auſonio) *magnitudinem tuam aliorum collatione præcellere*, abundant in te ea bonitatis, *& virtutis exempla, quæ ſequi cupiat* ventura poſteritas, *& ſi rerum natura pateretur, adſcribi ſibi voluiſſet antiquitas.*

In te Nobiliſſima Vrbinitas, & affabiliſſima Vrbanitas non ſe excluſerunt (vt in aliis aſſolet) ſed deoſculatæ ſunt ſeſe, & complexæ. Vrbinitas fouebat Vrbanitatem, Vrbanitas Vrbinitatem formabat ad omnes, quibus dabat. Quid? faciles aditus. Quid? aures patientiſſimas. Quid? Benigna reſponſa. Quid? Vultum ipſum decoris grauitate, hilaritate permixta venerandum quiddam & amabile renidentem, quibus multitudinis animos, ad beneuolentiam alliciebat, & milites deliniebat. Affabilitas enim tua, & regnum, & poteſtatem conſeruauit, dum ciuili, & Vrbano inceſſu, non ſolùm publica templa, mœnia, & excubias luſtrabas, ſed priuatas quoque ædes diuinis veſtigiis conſecrabas. Benè de te (in ſuo Theodoſio Pacatus: *O Digna Nobilitas* (Vrbana Vrbinitas) quæ tanti faſtigij apicem non ſolum Sapientia, ſed decore etiam corporis potuit æquare: velut tua hæc forma venerabilis, quam fortunæ ſuæ par eſt! Quam longè, latéque diffuſa commendas, muniaque exerces, vt planè videatur ambiguum, vtrumne te magis noſtris mentibus virtus, an obtutibus vultus inſinuaret: Auguſtiſſima quæque ſpecies, plurimum creditur trahere de cœlo; ſiue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum priùs metatur hoſpitium, ſiue cum venerit, pro habitu ſuo fingit, habitaculum: ſiue alterum ex altero creſcit, & cùm ſe paria iunxerunt, vtraque ſunt maiora. Parcam arcanum cœleſte rimari, illud dicam talem eſſe debere, cui totâ Hiſpaniâ priuata, & publica vota redduntur, à quo petit nauigaturus ſerenum, peregrinus reditum, pugnaturus auſpicium. Virtus tua voluit infulas Pontificales, ſed virtuti addita forma ſuffragium: illa præſtitit, vt oporteret te Archiepiſcopum Hiſpalenſem fieri, hæc vt deceret. Igitur ſpecie tua, & pulchritudine tua intende, proſpera, procede, & regna: Ego verò dico opus meum Proregi, & Hiſpalenſi Archiflamini benigno fauore proſequere, foue, protege, & in æuum viue.

EXCELLENTIÆ TVÆ ILLVSTRISSIMÆ

Seruus & Capellanus obſequentiſſimus,
THOMAS HVRTADO.

Committitur

Committitur Censura Operis.

DOctor D. Didacus de Castrillo Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis Canonicus, & in Archiepiscopatu Prouisor, & Vicarius Generalis ab Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Fr. Petro de Tapia, Archiepiscopo Hispalensi, Domino meo, Catholicæ Majestatis à Consiliis. Hunc secundum Tomum *Resolutionum Moralium, de Residentia Sacra*, à R. P. Thoma Hurtado elaboratum, & continuatum, Committo perlegendum Doctori D. Dominico Guerrero, huius Almæ Ecclesiæ Hispalensis, Magistrali Canonico, & quidquid senserit pandat & subscribat. Hispali, die vigesima Iulij anno 1657.

D. D. DIDACVS DE CASTRILLO.

BART. FRANCISCVS DE BVSTO.

CENSVRA.

SApientissimi Doctoris D. Dominici Guerrero, olim Collegæ Illustriss. Collegij Salmantini Saluatoris, dicti de Ouiedo, Ecclesiæ Salmanticensis Canonici Magistralis, & hodie Hispalensis Ecclesiæ etiam Magistralis Canonici. Ex præscripto Domini Doctoris D. Didaci de Castrillo, Hispalensis Ecclesiæ Canonici, eiusdemque diœcesis Prouisoris & Generalis Vicarij, præclarum hoc opus cui inest titulus (*Resolutionum Moralium, de Sacra Residentia, Tomus secundus*) quodque Doctissimus & Reuerendissimus Pater Magister THOMAS HVRTADO, copiosa eruditione refertum edidit; sedula qua potui diligentia euolui, nihilque in eo quod fidei Catholicæ & almæ Matris Ecclesiæ sanctionibus contrarietur, sed potiùs omnia ipsis consona valdéque Theologis Scholasticis fructuosa reperi; est namque ibi non solùm constans & sacra Doctrina ab omni suspicione libera, verum etiam certa & irrefragabilis resolutio, qua eruditissimus Author & Magister ad inquirendam, imò & adquirendam veritatem viam aperit. Quapropter dignum censeo quod typis excusum longè latéque vulgetur. Hispali die 4. Augusti 1657.

Doctor D. Dominicus GVERRERO.

LICENTIA ORDINARII.

VIsa Censura de hoc Opere, commissa Doctori Dominico Guerrero, Canonico Magistrali, quantum ad potestatem Ordinariam spectat, facultatem concedo, vt prælo mandetur. Hispali, die decima septima Augusti, anno 1657.

Doctor D. DIDACVS DE CASTRILLO.

De mandato Domini Prouisoris.

BART. FRANCISC. DE BVSTO.

INDEX

INDEX

Resolutionum, Sectionum & Paragraphorum, quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER I.

De Residentia Prælatorum Pastorum Regularium. p. 1

RESOL. I. *VTRVM Prælati Regulares teneantur iure diuino ad personaliter residendum.* ibid.

II. *Vtrum Prælatus Regularis possit tuta conscientia percipere fructus, suæ Prælatiæ, sine obligatione restituendi si non resideat personaliter.* 2

III. *Vbi teneantur residere Prælati Regulares.* 3

IV. *Vtrum si Princeps sæcularis Superiorem electum à Regno eiecerit, ita vt non possit residere in suo Conuentu aut Prouincia, possit iterum eligi non transacta temporis intercapedine.* 6

V. *Vtrum Religiosus Capellanus teneatur residere personaliter in Ecclesia vbi est Capellania.* 7

VI. *Vtrum Regularis Parrochus possit eligi in Superiorem, siue Prouincialem, siue localem.* 9

VII. *Quæ sint causæ dispensandi cum Superiore Regulari in personali residentia.* 11

§. I.

Quid in istis operetur Christiana charitas. ibid.

2. *Quid vrgens necessitas.* 16

3. *Quid debita obedientia.* 17

4. *Quid euidens Ecclesia vtilitas.* 19

SVBRESOLVT. I.

AN *coadiutor factus inquisitor lucretur coadiuto.* ibid.

2. *An Prælatus Regularis factus Inquisitor possit retinere Prælaturam.* 21

RESOL. VIII. *Qui possint dispensare cum Prælatis Regularibus in residentia.* 22

RESOL. IX. *Qualiter debeant Prælati Regulares residere.* 25

LIBER II.

De Residentia Claustrali Religiosorum. 26.

RESOL. I. *QVo iure teneantur viri Religiosi in clausura viuere, suisque conuentibus personaliter residere.* 26

II. *Quale peccatum sit in viris Religiosis fractio clausuræ per egressum à domo.* 28

III. *Qualis licentia exigatur, vt sine fractione clausuræ Regularis domo egrediatur.* 31

§. I.

An requiratur causa, vt hæc licentia detur. ibid.

2. *De licentia tacita.* 33

3. *An consensus de futuro sufficiat ad licentiam tacitam.* 34

4. *Dubia quædam ex præiacto fundamento resoluuntur.* 37

SVBRESOLVT. I.

AN *sufficiat licentia tacita ex consensu de futuro, vt Religiosus domo egrediatur sine socio.* ibid.

2. *Vtrum in aliquibus Religionibus requiratur licentia expressa, & non sufficiat tacita.* 38

3. *An eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam teneatur adesse tacita.* 39

4. *Vtrum tacita licentia sufficiat in voto paupertatis.* 40

5. *An licentia tacita ex consensu futuro, sufficiat ad egressum, si ea vtatur quis ad malum.* 41

6. *An in custodibus nemorum, piscationum, sufficiat voluntas tacita Domini.* ibid.

7. *Vtrum dubius an Superior licentiam daret possit domo egredi.* 42

8. *An Superior localis teneatur petere licentiam à Prouinciali.* ibid.

9. *Vtrum dispensatio tacita sufficiat ad actus honestandos.* 43

10. *An si verisimile sit quod Princeps dispensaret, sufficiat ad dispensationem tacitam.* 44

11. *Ex quibus signis dignoscatur tacita Principis voluntas.* 46

RESOL. IV. *Quæ licentia sit requisita, vt subditus domo egrediatur, recurrens ad Superiorem altiorem.* 49

SVBRESOLVT. I.

VTrum in aliquo casu Religiosus grauatus possit recurrere ad Principem laicum. 51

RESOL. V. *An in carcere detentus Regularis possit fugere sine licentia, vt vadat ad altiorem Superiorem, vt releuet grauamen.* 53

SVBRESOLVT. I.

REligiosus incarceratus si prudenter timet mutilationem potest fugere. 56

2. *Vtrum possit frangere carcerem & vincula.* ibid.

3. *Si sit damnatus vt fame pereat, si offerantur cibi, tenetur comedere.* 57

4. *Additamenta posita à Cardinali de Lugo, examinantur.* 58

RESOL. VI. *Vtrum Prælatus Regularis possit dare licentiam, vt Religiosus professus maneat extra Monasterium.* 59

§. I.

Discutitur Resolutio de mansione extra Conuentum habitu retento. 60

SVBRESOLVT. I.

EXplicatur Decretum Trid. sess. 14. c. 11. de reformatione. ibid.

2. *Qui possit dare licentiam viuendi extra claustra.* 61

3. *Vtrum licentia hæc data sine causa, sit valida.* 62.

4. *Quæ sit causa legitima ad hanc licentiam impertiendam.* 64

5. *Monacho etiam Carthusio sufficiens causa est curare ab infirmitate graui & contagiosa.* 65

6. *An sit sufficiens causa quod Religiosus iustè fuerit damnatus ad triremes.* 66

7. *Vtrum hæc licentia possit esse perpetua.* 67

8. *Vtrum possit Papa concedere Religioso professo licentiam irreuocabilem manendi extra claustra.* 68

9. *An Religiosus vnius Religionis qui fit alterius Superior, finito tempore teneatur ad suum Conuentum redire.* ibid.

11. *Vtrum Religiosus indigeat licentia ad acceptandum Summum Pontificatum.* ibid.

12. *Vtrum Præpositus nostræ Religionis possit dare licentiam alicui ex nostris vt Parrochiam extra Religionem accipiat.* 70

13. *Quid de fratre laico Religionis nostræ.* 71

14. *Quid de iure speciali sentiendum.* ibid.

§. II.

Expenditur Resolutio de mansione extra claustra habitu non retento. 72

Subres. 15. *Quid intelligatur nomine habitus Regularis.* 73

16. *Vtrum Regularis factus Episcopus, possit tuta conscientia habitum suæ religionis dimittere.* 74.

17. *Vtrum Episcopus Regularis si non portat habitum suæ Religionis incidat in excommunicationem.* 75

18. *Vtrum Religiosi professi Societatis Iesu si dimittant habitum incurrant præfatam excommunicationem.* 77

19. *Vtrùm Religiosi militares hanc excommunicationem incurrant.* 78

20. *Vtrum clerici militares incurrant, si Rochetum dimittant.* 79

21. *An sit temeraria habitus dimissio, si habitans extra claustrum licite, illum dimittat, aut occultet?* 80

22. *Vtrum talis Regularis possit habitum occultum portare.* ibid.

RESOL. VII. *Vtrum solemniter professus possit reclamare vt non resideat in Religione.* 81

RESOL. VIII. *Quinquennium à Tridentino concessum post professionem ad reclamandum de nullitate enodatur.* 86

SVBRESOLVT. I.

DE conditionibus requisitis à Tridentino ad reclamandum. ibid.

2. *Religio non potest reclamare ad probandam nullitatem professionis alicuius Religiosi.* 88

3. *Scholares Societatis non possunt vti decreto Tridentino.* ibid.

4. *Vtrum decretum hoc obliget in conscientia.* 89

5. *Quando incipiat hoc quinquennium?* 100

6. *In quo casu non possit Pontifex concedere restitutionem post quinquennium.* 105

7. *Decretum Tridentinum non comprehendit eos qui perpetuo sunt inhabiles.* 106

8. *Qui fingit consensum non est audiendus vllo tempore.* ibid.

9. *Vt quis confirmet suam professionem non requiritur annus alter Nouitiatus.* 108

10. *An requiratur nouus consensus ex parte Religionis.* 109

11. *Inhabilis perpetuo, nec in articulo mortis potest valde profiteri.* 111

7. *Qualiter transiens ad aliam religionem debeat facere nouitiatum.* ibid.

LIBER III.

De residentia Matrimoniali qualiter commutari possit in residentiam Monachalem. 112

RESOL. I. *QValis debeat esse licentia coniugis, vt quis licitè possit cum alio non residere, sed Religionem ingredi, & profiteri.* 113

§. 1. *De*

§. I.

De licentia ad Nouiatus ingressum. ibid.

SVBRESOLVT. I.

VTrum licentia coniugis sit necessaria vt valide fiat nouitiatus. ibid.

2. *Vtrum coniux qui debet licentiam ad nouitiatum, possit illam reuocare.* 115

3. *Vtrum si coniux de licentia alterius voueat castitatem possit votum hoc irritare.* 116

§. 2. *De licentia requisita, vt coniux absens sit à residentia Maritali per solemnem professionem.* 118

4. *Vtrum hæc professio sine licentia coniugis sit irrita ex natura rei.* ibid.

5. *Votum Castitatis factum in professione ista, nullum est & irritum ex natura rei.* 119

6. *Votum continentiæ votum factum sine licentia coniugis validum est.* 120

7. *Vtrum qui sine licentia coniugis professionem emisit possit à Religione fugere.* 121

8. *Quid dicendum quando coniux sine aliqua licentia est professus, si qui mansit in sæculo adulterium commisit.* 125

§. 3. *Quæ requirantur, vt licentia coniugis, ad non residendum cum alio per professionem, sit licita & iuridica.* 128

9. *Vtrum ad professionem coniugis requiratur etiam licentia Ordinarij.* ibid.

10. *Vtrum votum continentiæ eius coniugis qui manet in sæculo, solemnizetur professione alterius.* 129

11. *Vtrum si coniux senex manens in sæculo, si est suspectus de incontinentia, debeat ingredi religionem.* 131

12. *An si coniux manens in sæculo ratificet professionem emissam sine eius licentia sufficiat, quod voueat castitatem.* 132

13. *Quæ ætas in vtroque coniuge sit sufficiens, vt iudicetur non esse periculum proximum incontinentiæ.* ibid.

14. *Quid requiratur ad validam professionem, quando præcessit iuridicum diuortium.* 133.

15. *Vtrum facto diuortio, innocens possit ingredi religionem altero repugnante.* 135

16. *Diuortiatus reus nequit professionem emittere sine consensu Innocentis.* 136

17. *Si innocens monitus multoties, nolit reconciliare nocentem, iste potest ingredi religionem.* ibid.

18. *Singularis explicatio cuiusdam legis Hispanæ circa adulteros.* 138

19. *Innocens non tenetur dimittere adulterium, sed potest cum illo residere.* ibid.

20. *Innocens quando dubitat de sua incontinentia, an teneatur dimittere adulteram.* 139.

21. *Vir tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ dimittere vxorem adulteram.* 140

22. *Vtrum Innocens possit propria authoritate diuertere ab adultera.* 141

23. *Vtrum iudex Ecclesiasticus cogat innocentem excommunicatione teneatur reddere.* 142

24. *Vtrum si adulterium sit occultum & improbabile possit innocens dimittere vxorem.* 144

25. *Vtrùm si adultera de consensu Innocentis votum castitatis emiserit, possit etiam quoad vsum matrimonij reconciliari.* 147

vlt. *Reducuntur ad Synonymiam duo textus iuris Canonici, qui antynomia laborant.* 148

RESOL. II. *An coniux professus, ex licentia spontanea alterius manentis in sæculo, restituendus, isto in iudicio repetente illum, ad residentiam & cohabitandum.* 149

SVBRESOLVT. I.

AN si professione valida existente, si coniux restituatur, possit petere & reddere. 153

2. *Qua ratione possit coniux repetere.* 154

3. *Qualiter cogendus coniux qui licentiam dedit vt professionem emittat.* ibid.

4. *Coniux qui potest reuocari, nequit propria authoritate à monasterio egredi.* 155

5. *Cur coniux reuocatus possit reddere, ast non petere.* ibid.

6. *Si coniux non est professus, aut non valide qui fecit votum continentiæ, hoc non adstringitur.* 156.

7. *Vir sine licentia professus si reducatur, nequit exigere, sed solum petere.* ibid.

8. *Vtrum restitutus mortua vxore possit cum alia contrahere.* ibid.

9. *De eo qui sine licentia alterius coniugis reuocatus est, quid sentiendum.* 159

10. *Vtrum coniux in sæculo relictus altero profitente sine eius licentia, possit eo inuito ad religionem transire.* 160

RESOL. III. *Qualiter vxoratus licite & valide possit non residere, & cohabitare cum vxore per susceptionem Sacrorum ordinum.* 160.

§. I.

Ponitur Regula generalis. ibid.

2. *Ampliationes Regulæ.* ibid.

SVBRESOLVT. I.

VIr vt initietur ordine sacro, debet licentiam vxoris habere. 161

2. *Vtrum adulterante vxore possit vir ea inuita sacros ordines suscipere.* ibid.

3. *Non licet viro sacros ordines adsumere etiam ante consummationem matrimonij.* 163

4. *Vir vxoratus, nec primam tonsuram, potest recipere.* 164

5. *Etiamsi vir sit assumptus ad summum Pontificatum potest reuocari.* 165

§.3. *Residentiam mutuam, & commanentiam vtriusque coniugis esse de iure diuino & naturali, ex scriptura & Patribus probatur.* 165
6. *Vindicatur Dominus Caietanus.* 168
7. *Ob adulterium vxor nequit criminaliter accusare virum, benè tamen è contra.* 169
8. *Ratio genuina, cur stuprum sit species luxuriæ ab aliis distincta, ex vtroque.* ibid.
9. *Virgo etiamsi sit omnino sola, stuprum patitur.* 174
10. *Nullus potest renuntiare iuri ad custodiendam virginitatem.* ibid.
11. *Idē est si virgo consentiat, & quādo sit raptus.* ib.
12. *Virgo etiamsi consentiens defloretur tenetur id exprimere in confessione.* 175
RESOL. IV. *De septem exceptionibus quas ponit Diu. Th. ad licentiam Christi de dimittenda vxore propter fornicationem.* 175

§. I.

Examinatur prima exceptio. ibid.
2. *Enucleatur secunda exceptio si vir vxorem prostituerit ad luxuriandum.* 177

SVBRESOLVT. I.

VIr si non prohibet vxoris adulterium cum possit, leno est. 178
2. *Si vir iniuste vxorem domo expellat, hac fornicante potest eam ciuiliter, & criminaliter accusare.* 179
3. *Si vir iniuste debitum coniugale denegat nequit vxorem accusare.* ibid.
4. *Vir adulter si vxorem accusat criminaliter peccat mortaliter.* 180
5. *Vir innocens nequit in conscientia occidere vxorem adulteram sibi traditam à iudice.* 182
§.4. *Explicatur tertia exceptio si mulier probabiliter credens primum maritum obiisse, alteri nubat?* 184
§.5. *Trutinatur quarta exceptio, si latenter cognita est ab alio sub specie viri lectum subintrante.* 185
6. *Examinatur, de subintrante homine simili proprio marito.* ibid.
7. *Perpenditur de Dæmone incubo.* 186
§.6. *Expenditur quinta exceptio, si fuerit vi oppressa ab aliquo.* 189
§.7. *Extricatur sexta exceptio, si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cogonscens.* 190
8. *Vt adultera non possit accusari requiritur, quod innocens externo signo remittat iniuriam.* 191.
9. *Si exterius remittatur iniuria, etiam sine animo tenet remissum.* ibid.
10. *Idem iudicium fertur si innocens habeat copulam cum adultero.* 192
11. *Qui sint actus, quos si faciat innocens censetur remittere iniuriam.* 194
§.8. *Declaratur septima exceptio, si matrimonio in infidelitate vtriusque contracto, vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si vtrique conuertantur, tenetur eam vir recipere.* 195
RESOL. V. *Quæ causæ sint iusti diuortij, excusantes à residentia matrimoniali?* 196

§. I.

De fornicatione spirituali quæ est Apostasia à fide Catholica. ibid.

SVBRESOLVT. I.

DIscrimen inter fornicationem spiritualem & corporalem. 200
2. *Vtrum innocens possit in sæculo manere.* 202
3. *Vtrum in adulterio spirituali detur compensatio.* 204
§.2. *De inductione ad peccandum.* 208
§.3. *De sæuitia coniugis.* 210
3. *Sufficit ad diuortium, quod mulier sit venefica aut strix.* 211
4. *Sæuitia parentum estne causa diuortij.* ibid.
5. *Lata sententia ob sæuitiam, innocens non potest ad religionem, aut Sacros Ordines transire.* ibid.
§.4. *De coniugis amentia, aut furia.* 213
6. *Ob amentiam superuenientem, non licet sano amentem relinquere.* ibid.
7. *Vtrum coniugi leproso, aut gallico morbo infecto teneatur sanus reddere debitum.* 214
§.5. *De coniugis absentia.* 217
7. *Vtrum contractui sponsalium possit conditio apponi, quod vir tenetur in hac ciuitate, aut domo habitare?* ibid.
8. *Quando maritus abest negotationis causa, cum intentione redeundi.* 219
9. *Princeps pro defensione boni communis potest cogere vxoratum ire ad bellum.* 221
10. *Nequit hoc Princeps, si non adest necessitas tuendi bonum commune.* 222
RESOL. VI. *Vtrum Papa possit dispensare in residentia matrimoniali inter infideles ad fidem conuersos?* 223

§. I.

Expenditur primus sensus. ibid.
2. *Enucleatur sensus secundus.* 228
3. *Varia corolloria ad praxim vtilia.* 236

SVBRESOLVT. I.

QVa ratione in partibus Indiarum doctrina tradita practicetur. ibid
2. *Quid de Æthiopibus, Mauris, & Turcis captiuis.* ibid.
3. *Matrimonium consummatum in infidelitate non dirimitur ingressu religionis.* 237
4. *Quando*

4. *Quando dissoluatur matrimonium infidelis conuersi ad fidem.* 239
5. *Vtrùm infidelis licitè possit contrahere secundas nuptias, si conuersus alium statum accipiat.* 242.
6. *An coniux conuersus qui aliam duxit, si ista moriatur, & prior conuertatur, teneatur istam admittere.* 244
7. *Si fidelis conuersus filios generet ante matrimonium non sint adulterini.* 245
RESOL. VII. *Vtrùm possit quis tuto habere residentiam matrimonialem sine ordine ad copulam carnalem.* 246

§. I.

Sententia nouissima Basilij Legionensis suis vallata fundamentis adducitur. ibid.
2. *Libamina pro tuenda vera S. Thom. sententia.* 248.
3. *Residentia Matrimonialis non subsistit sine consensu implicito in copulam carnalem, Auctorum intelligentia probatur.* 250
4. *Ostensiue roboratur sententia Angelici Doctoris, authoritatibus Aristotelis, S. Augustini, & aliorum Patrum.* 252
5, *Rationibus firmatur eadem sententia adductis ex S. Aug. & D. Th.* 255
6. *Occurritur fundamentis adductis in oppositum.* 256.
7. *De residentia matrimoniali inter sanctissimam Virginem Mariam, & eius purissimum sponsum Iosephum.* 257
8. *Extricatur qualis matrimonialis ista B. V. cum S. Ioseph residentia compatiatur cum voto Virginitatis ante matrimonium emisso.* 259
9. *Quæ munia residentiæ Matrimonialis exercuerit S. Ioseph in puerum Iesum, & eius Sanctissimam coniugem.* 268

DIGGRESSIO I.

VIndicatur triplex Christi excellentia, quod non habuerit Angelum custodem, quod fuerit plenus gratia, quod sibi gratiæ habitualis, non promeruerit augmentum. 274.

SECTIO I.

BEatam Virginem Angelum custodem habuisse designatum. 275
2. *In Beata Virgine non fuisse eandem gratiæ habitualis plenitudinem, quæ fuit in Christo.* 279.
3. *B. Virginem sibi promeruisse suis operibus gratiæ habitualis augmentum.* 286
RESOL. VIII. *Vtrum Eunuchi vtroque testiculo carentes possint habere matrimonialem residentiam.* 291

§. I.

Supponuntur aliqua. ibid.
2. *Sententia Basilij Legionensis & aliorum adducitur, enucleatur, probatur.* 298
3. *Iudicium, sapientoribus remissum & Ecclesiæ determinationi subiectum circa Eunuchorum matrimonium in ordine ad coitum, an iure naturæ sit validum.* 301
4. *Auctoris primum assertum. Impotentium matrimoniale vinculum, ipso iure potest ab Ecclesia dissolui, non tamen soluitur, nisi post iudicis sententiam.* 303
5. *Assertum secundum. Valdè probabile est, quod aliquorum Eunuchorum coniugium sit iure naturæ validum, etsi non omni ex parte perfectum.* 305
6. *Assertum tertium. Matrimonium contractum à fœmina sciente virum esse impotentem propter frigiditatem, est validum iure naturæ.* 307.
7. *Satisfit Christopolitano, & Legionensi.* 314
8. *Varia deducuntur Corollaria ad praxim valdè vtilia.* 315

SVBRESOLVT. I.

VTrùm si se gerant, vt soror & frater coniuges teneantur ad simul residere. ibid.
2. *Vtrum fœmina Eunucha validè contrahat.* 16.
3. *Vtrùm defectus veri seminis obstet valori Matrimonij.* 317
4. *Quid sentiendum de eo qui membrum virile habet radicitus abscissum.* 319
5. *Quid si vir ingrediatur religionem declarato nullo matrimonio, si post inueniatur sententiæ error.* ibid.
6. *Vtrùm Sponsus teneatur totum legale bimestre residere cum Sponsa, quam de præsenti duxit.* 321.
7. *Vtrum fœmina coacta ad consummandum teneatur residere cum viro cogente.* 323
8. *Quando mortaliter peccet vir cogens coniugem.* 324.
9. *Vtrum sponsa vi oppressa possit semen viri expellere.* 325
10. *Si transacto bimestre coniux cogatur consummare nequit ad Religionem manere.* 326
11. *Si coniuges annis pubertatis completis si adhuc non sunt apti, tenentur residere simulque cohabitare.* 328
12. *A quo tempore computandum sit triennium.* ibid.
13. *Si coniux propria authoritate non resideat ob impotentiam alterius, restituendus est.* 329
RESOL. IX. *Quali obligatione teneatur ad residentiam matrimonialem veneficiatus, & maleficiatus.* 331

APPENDIX AD LIBRVM TERTIVM,

In qua ponitur triplex Diggressio,non iniucundæ lecturæ. 334

DIGGRES.I. *VTrum liceat, à malefico exposito petere,vt maleficium, maleficio euertat.* ibid.

II. *Vtrùm liceat tollere signa maleficij à malefico fabricata.* 343

SECTIO I.

SEntentia Delrij, Suarez, Sanchez, Lessij & plurium Doctorum Societatis enucleata. ibid.

2. *Antiquorum,statera Religiosa,ponderatur Auctoritas.* 344

3. *Sententia Ætij Sylui, Guagerici Hispani, & aliorum Doctorum Vniuersitatis Duacensis,vt vera defenditur authoritate Augustini,& D. Thomæ.* 349

4. *Rationibus,Sylnij & Guagerici Hispani, eadem vera comprobatur sententia.* 351

5. *Aliis argumentis eadem veritas fulcitur & confirmatur.* 354

6. *Non licere alia ponere signa per quæ præcedentia signa posita, vim suam amittant, contra Suarez, & Fagundez ostenditur.* 355

7. *Soluuntur argumenta opposita sententiæ Delrij, & aliorum.* 359

8. *Vtrùm sententia opposita nostræ sit aliqua graui censura digna.* 361

DIG.III. *Vtrùm cicuratio Tauri in die S.Marci libera sit à superstitione.* 362

SECTIO I.

OPinio Reuerendissimi Magistri, Ioannis, à S.Thom.confirmata adducitur. 363

2. *Praxis Hispana de Cicuratione Tauri S.Marci in eius peruigilio, & Festo propugnata, adducitur.* 366

3. *Eadem Hispana praxis confirmatur ex solutione rationum in oppositum.* 369

4. *Proprium Auctoris iudicium,& sententia.* 372

LIBER IV.

De alia specie Residentiæ Regularis, quæ dicitur filiatio. 373

RESOL.I. *VTrùm in Religione approbata à sede Apostolica detur propria filiatio spiritualis.* 374

II. *Vtrùm sit perfecta filiatio Religiosa, vbi non est votum solemnitas.* 376

III. *Qualiter stabilitas sit de ratione filiationis Religiosæ, & Residentiæ species.* 380

§. I.

Primum libamen,quid stabilitas Religiosa. 380

2. *Quotuplex sit stabilitas Religiosa.* 386

3. *Filiatio Religiosa perfecta non subsistit, sine stabilitate in Religione.* 388

4. *Filium Religionis strictioris posse de legitima licentia, filiari in Religione laxiori ostenditur.* 390.

SVBRESOLVT. I.

AN translatio ista filiationis possit esse in Ordinibus militaribus. 392

2. *Vtrùm eiectus à Religione possit se filium facere laxioris Religionis.* ibid.

3. *Vtrum qui sæpius fugit à religione, animo consequendi licentiam transitus ad laxiorem, si transit non est tutus in conscientia.* 393

4. *Vtrum ad hunc transitum ad laxiorem requiratur causæ cognitio.* 395

5. *Vt Generalis det licentiam ad huiusmodi transitum, non indiget consensu Capituli.* 396

RESOL. IV. *Variæ difficultates circa iura filiationis Religiosæ, tam in communi,quàm in speciali enodantur, & enucleantur.* 399.

DIFFICVLT. I.

VTrum possit Religiosus solemniter professus dignitate extra Religionem assumpta,exfiliari sins Religionis Prælati consensu 400.

2. *An requiratur consensus Prælati Regularis, vt quis acceptet electionem de se factam in Summum Pontificem Romanum.* 402

3. *Vtrum Superior Regularis possit cogere sibi subditum, illi imponens formale obedientiæ præceptum,vt dignitatem extra Religionem acceptet,& sic exfilietur.* 405

4. *Vtrùm Episcopus Regularis exfilietur à Religione sua.* 413

5. *De filiatione qua quis adstringitur ex voto solemni aut simplici.* 419

6. *Vtrum Conuersi laici, Donati,& Oblati sint vere filij Religionis, an Serui dumtaxat veluti adscriptitij.* 422

7. *An filius Religionis,qui voto solemni se adstrinxit acceptandi extra Religionem Episcopatum, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, hæc obedientia debeat esse sub formali præcepto.* 424

8. *Quæ obedientia sit necessaria, vt à nobis acceptetur dignitas extra Religionem.* 429.

10.*An*

9.*An votum hoc comprehendat sæculares dignitates.* 430

10. *An comprehendat votum non ambiendi officium Inquisitoris.* 431

11. *Vtrùm materia huius voti comprehendat Æthiopicos, & Indicos Episcopatus.* ibid.

12.*Vtrum Inramentum Bernabitarum comprehendatur in Bulla Vrbana.* 436

13. *Quis,& à quo possit cogi,vt dignitatem extra Religionem accipiat.* 437

14. *Vtrum si Pontifex sine causa vni ex nostris præcipiat, quod acceptet extra Religionem, aliquam dignitatem, teneatur,vel possit,eam acceptare.* 440

LIBER V.

Variarum Resolutionum casuum particularium circa iura filiationis Regularis, & exfiliatione ab ordine per eiectionem,

Post decretum Vrbani VIII. 442

RESOL.I. *QVi acquirant Religiosi professi, iure filiationis regularis.* 442

II. *Quis possit iura filiationis alterare.* 444

III. *Potestne Capitulum generale, iura filiationis immutare.* 445

IV. *De Apostatis & fugitiuis.* ibid.

V. *Duæ Bullæ, vna Pij V.altera Gregor.XIII. enodantur.* ibid.

VI. *Plurium consultationum, circa iura filiationis Regularis.* 450

SVBRESOLVT. I.

DE translatione filiationis ab vno in alium Conuentum. ibid.

2. *An quis filius alicuius Conuentus possit admitti in aliquo alio, vt hospes perpetuus exhibita dote conuentui pro hospitio huiusmodi.* 451

3. *De religioso Missionario apud Mauros cui acquirat,an Monasterio,an Cameræ Apostolicæ, si ibi moriatur.* 452

4. *De religioso, qui adfiliatur alteri Monasterio, quæ secum portare possit? an libros quos ad impressionem habet paratos; an quantitatem pecuniæ.* 453

5. *De religioso, qui ex plura ex ludo prohibito à iure Canonico,& arte similiter prohibita Sacris Canonibus,acquisiuit? an debeantur Cameræ Apost.* 454

6.*Cui debeat restitui furtum factum de re lucrata à religioso per negotiationem, & contra Sacros Canones.* 456

7. *De religioso negotiatore per alium, & de illo qui vnica tantum vice negotiauit.* ibid.

8. *De religioso eiecto à religione iuridice, negotiatore.* 459

DIGGRESSIO.

CIrca hunc casum. Vtrùm non obstante decreto Vrbano, circa formam eijciendi religiosum professum à religione, possit Prælatus Regularis propter delictum atrox, non seruata forma, ad triremes per decennium damnare. 461

SECTIO I.

PArs negatiua argumentis & auctoritate firmatur. ibid.

2. *Opinio affirmatiua pluribus adstruitur argumentis.* 463

3. *Quod ad expulsionem non sufficit quacunque incorrigibilitas, nisi oriatur ex contumacia.* 465.

4. *Quid eiectio à Religione? quid damnatio ad triremes? quid traditio curiæ sæculari?* 468

5. *Duplex degradatio enucleatur, & quæ requiratur,vt quis damnetur ad triremes.* 472

6. *Damnatus ad triremes non est formaliter, & iuridice eiectus à Religione.* 473

7. *Proprium auctoris dictamen ex Decreto Vrbano manifestum.* 475

8. *Fundamina sententiæ negantis euertuntur,eneruantur & demoliuntur.* 477

vlt. *Pro praxi damnationis ad triremes inter Regulares, quæ sint delicta quæ digna sunt hac pœna.* 478

Diggr.2.*De pœnis quæ imponi solent, pro delictis Regularium.* 478

SECTIO I.

DE pœnis iam exoletis etiam apud Regulares ibid.

§.2. *De homicidio doloso,& proditorio.* 485

3. *De Sodomiæ crimine.* 489

4. *De monasterio falso,vbi aliqua de monetæ vsu & institutione, adducitur in fine opusculum, de hac materia Nicolaij Oresmij.* 492

SVBDIGGRES. I.

VTrùm in numismate debeat esse valor intrinsecus. 493

2. *Qua ratione lucrum quod Princeps habet ex monetæ alteratione sit turpe, aut honestum.* 495.

3. *Vtrùm ad mutationem monetæ, sufficiat opinio probabilis.* 498

4. *Vtrum Princeps possit materiam numismatis pluris æstimare, quam in se æstimatur.* 500.

5. *Nullus nisi Princeps potest, resigillare monetam.* 501.

6. *Iuste est lata pœna mortis, etiam Regularibus cudentibus falsam monetam.* 502

RESOL.VII.

RESOL. VII. *Aliquæ Regulæ statuuntur pro damnatione fratrum ad triremes, non obstante decreto Vrbano, de non eijciendis.* 503

SVBRESOLVT. I.

Expediens est hodie aliquos Regulares ob delicta ad triremes damnare. 503
2. *Damnatus ad triremes finito tempore pœnæ tenetur ad Religionem redire.* 505
3. *Ob delictum valdè atrox potest Regularis ad perpetuum triremium damnari, etiam post decretum Vrbani VIII.* 506
4. *Hodie nullus Generalis etiam Societatis potest expellere professum, non seruata forma Vrbana.* ibid.

DIGR. III. *Explicantur circumstantiæ requisitæ ad eiectionem in forma Vrbana.* 507

SECTIO I.

Quis intelligatur legitime professus. 508
2. *De incorrigibilitate.* 512
3. *Qualiter annus carceris sit computandus.* 517
4. *Qualis carcer debet esse.* 519
Subsect. 1. *Carceris Ethymon, notio, multiplex significatum, & acceptio.* ibid.

SVBDIGGRESSIO I.

Carcer ex vi nominis plures habet notiones. 521.
2. *Ille est carceri mancipandus, qui est de fuga suspectus.* 522
3. *Quod delictum requiratur, vt aliquis incarceretur.* 523
4. *Incarceratus manet priuatus actibus legitimis.* 524.
5. *Vtrum incarcerans indebite incurrat excommunicationem.* 527
6. *Vtrum Regulari mancipato auferendus sit habitus.* 527
7. *Hæc habitus regularis ablatio non fit in incarcerato ad solam custodiam.* 528
8. *Incarceratis ad pœnam ordinariam non est denegandæ confessio Sacramentalis.* ibid.
9. *Vtrùm concedenda Eucharistia.* 529
10. *Vtrùm damnatus ad carcerem possit fugere.* 531
Subsect. 2. *Qualis fuerit olim inclusorum ordo & institutum.* 532
Subsect. 3. *Quæ fuerit antiquitus pœna reclusionis in Monasterium.* 537

RESOL. VIII. *Vtrum D. Thom. recte comparauerit expulsionem à Religione excommunicationi maiori.* 554

RESOL. vlt. *Vtrum Regulares possint tradi curiæ sæculari à suis superioribus ob enormia delicta.* 565

LIBER VI.

Bullarum Apostolicarum, & Decisionum Sacræ Rotæ Romanæ. 569

Bullæ Apostolicæ. 570
Decisiones S. Rotæ Romanæ. 595

DE

LIBER PRIMVS, DE RESIDENTIA Prælatorum Pastorum Regularium.

PROOEMIVM.

REGVLARES aut sunt Prælati, aut subditi, si Prælati, aut Generales, Prouinciales, aut Locales: Rursus, aut Abbates Monachorum, aut Superiores Mendicantium, si subditi, aut habent aliquod Officium, vt Diffinitorum, aut Assistentium, qui simul cum Superioribus attendunt in animarum regularium regimine, aut sunt purè subditi, & de his omnibus tractandum sigillatim: est enim non paruus abusus inter Regulares introductus circa Prælatorum Residentiam; & valde interest, vt extirpetur.

RESOLVT. I.

Vtrum Prælati Regulares teneantur iure diuino ad personaliter residendum.

1. *An Prælati Regulares iure diuino ad personaliter residendum teneantur, qui sentiant.*
2. *An occurrẽte iusta causa possint prælati cum minori scrupulo abesse ad aliquod tempus.*
3. *Pelizarij sententia affertur.*
4. *Omnes Patriarchæ, Primates &c. obligantur ad personalem in Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ex S. Synodo & n. 5.*
6. *An Prælati Regulares qui possident beneficium animarũ curã habẽs obligentur ad residẽtiã.*
7. *An strictiori vinculo ligentur Prælati Regulares ad residẽdũ personaliter, quã alij Pastores.*
8. *Quid restauret monasticã disciplinã & regularẽ.*
9. *An personalis residentia consistat in industria personæ, quæ ex iure diuino requiritur ex vi officij pastoris ordinarij.*
10. *Omnes quibus animarum cura commissa est debent esse diuinorum præceptorum memores.*
11. *An residentia personalis pastorum sit de iure diuino.*

FRANCISCVS Pellizarius † *tom. 2. sui Regularium Manualis, tract. 9. c. 5. quæst. 14. num. 14.* (nescio prorsus qua luce) relatis Concilij *sess. 2. cap. 1. de reformat. verbis* (*ex quibus verbis*, ait, *putant aliqui euinci residentiam curati esse de iure diuino*) *quam non idem Prælatus Regularis dici possit teneri residere eo rigore quo tenetur Parrochus, cum non sit ita certum residentiam Parrochi esse de iure diuino, & decretum Trident. superius adductum, non loquatur expresse nisi de Episcopis, & aliis habentibus beneficium Parrochiale (quales vtique non sunt Prælati Regulares) vnde † occurrente iusta causa cum minori scrupulo ij poterunt abesse ad aliquod tempus, à proprio monasterio, præsertim cum loco ipsorum, semper maneat alius, qui vices ipsorum gerat, eorumque obligationibus æquè bene satisfaciat.* Hactenus ille. 2

Sed Pelizzarius † se opposuit, omnibus fere scriptoribus; imo & manifeste, ipsi Concilio contradicit *loc. cit.* vbi tradit generalem decisionem his verbis. *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus quibus animarum cura cõmissa, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, & in cætera munia pastoralia incumbrre quæ omnia nequaquã ab his præstari, & impleri possunt qui gregi suo non inuigilant neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt.* Ex quo principio colligit 3
Sancta Synodus, primo quod † omnes Patriarchæ, Primates, Metropolitani ac Cathedralib. 4
Ecclesiis, quibuscũque, quocunque nomine & titulo præfecti obligãtur ad personalẽ in Ecclesia vel Diœcesi residẽtiã, vbi iniũcto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis & modis infra scriptis, colligit & determinat. 2. quod † eadẽ omnino etiam quoad culpam omissionẽ fructuũ & pœnas de curatis inferioribus, *& aliis quibuscumque qui beneficiũ aliquod Ecclesiasticũ curã animarũ habẽs, obtinẽt; sacrosancta Synodus declarat & determinat.* Vbi manifestũ est † hoc decreto & iure diuino æque 5
obligari Prælatos Regulares, qui possidẽt beneficiũ animarũ curã habẽs cõprehẽdi cõfirmat, tertio ea quæ sãcte & vtiliter sancita fuerãt de 6

residẽtia personali Pastorũ *sess.6.c.1 & 2.de refor.* celebrata sub Felic.rec. Pauli III. *c.* enim 2. statuitur quod Ordinarij eorũ qui habẽt quæ-uis beneficia personalem residentiam exigentia possunt eos cogere, ad residendum vtpote iure diuino ad id obligatos.

Præterquã quod rationibus quibus vtitur Cõciliũ, & sacræ scripturæ testimoniis eodẽ, imo
8 † strictiori vinculo ligentur Prælati Regulares ad residẽdũ personaliter, quã alij Pastores sæculares, vt regãt, pascãt, & gubernẽt ouile suũ, cuius oues exquisitius pabulũ, & alimẽtũ suauius exigãt, vtpote obligatæ ad progrediẽdũ in
9 perfectionis augmẽtũ, & ita exquisitior & diligẽtior debet esse ars & officiũ Pastoris: & sic rigidius à Pastoribus Regularium ouium exquirendus est earum sanguis à supremo iudice.

10 Amplius † nihil magis restaurat disciplinã monasticham, & regularem collapsã & confirmat persistẽtẽ, & auget, quã personalis existẽtia Superiorũ Regulariũ in suis cõuẽtibus, & assistẽtia in exercitiis, quibus incũbit communitas, & sic vigilẽt, in omnibus laborẽt, & ministerium suũ impleãt, quod implere non possunt si Religiosos sibi cõmissos deserãt, etsi enim vicarium suas vices habẽtẽ relinquãt, cæterũ hic nõ est Pastor ordinarius, & habẽs obligationẽ residẽdi personaliter nõ releuatur vicarij assistẽtia, vt certũ est in Parrocho, & in Episcopo personalis
11 enim † residẽtia cõsistit in industria personæ, quæ ex iure diuino requiritur ex viofficij Pastoris ordinarij, nisi dicas Præpositos, & alios Superiores Regulares nõ esse ordinarios Pastores habẽtes Iurisdictionẽ ordinariã, quod dici nullatenus potest. Cõciliũ autẽ *locũ citatũ.* loquitur de omnibus Pastoribus ordinariis siue sint sæculares siue Regulares, dũmodo oues illis sint
12 cõmissæ ex vi officij, omnes autẽ † quibus animarũ cura cõmissa est debẽt esse diuinorũ præceptorum memores, vt facti forma gregis in iudicio & veritate pascant, & regant.

Quæ omnia (quæ sũt anazephaleosis doctrinæ Tridẽt.) manifeste cõprehẽdere Prælatos ordinarios Regulariũ vel cæcus videt, quare de hoc nõ potest esse dubiũ inter Catholicos recte sẽtiẽtes, quod † residẽtia personalis Pastorũ sit de iure diuino, est enim omnino eadẽ ratio, quãtũ ad hoc de Prælatis sæcularibus, & regularibus, & ea quæ supra adduximus ad hoc probãdum de sæcularibus, probãt vt dixi de Regularibus, quare eo rigore tenẽtur Prælati Regulares ad residendum, quos sæculares quia ius diuinum quantum ad obligationem peccati æque omnes respicit, & ligat. Quare omnino reiiciendus est Pelizzarius.

RESOLVT. II.

Vtrum Prælatus Regularis possit tuta conscientia percipere fructus suæ Prælatiæ, sine obligatione restituendi si non resideat personaliter?

SVMMARIVM.

1. *Quandonam ex statuto aut constitutione Prælato regulari applicentur certæ collectæ.*
2. *Generalis absque iusta causa in qua personali residẽtia Prælatorũ dispẽsare nõ possit, n.3.*
4. *An Prælati regulares præter mortalis peccati reatum quem incurrunt, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant.*
5. *Quid nomine Episcopi in Conc. intelligatur.*
6. *An sub nominibus Episcopi & Parrochi, aut habentis beneficium cum cura animarum in pœnalibus non veniant regulares.*
7. *An Prælati regulares non videãtur cõprehensi sub pœnis latis contra non residẽtes à Conc.*
8. *Regulares Prælatos in administratione & cura suorum subditorum reliquit S. Cong. propriis statutis.*
9. *Qui possint se componere per Bullam.*
10. *An in fauorabilibus cõprehẽdãtur religiosi Prælati, qui habẽt quasi Episcopalẽ iurisdictionẽ.*

ETsi Prælatus Regularis nihil habeat, aut habere possit propriũ ratione paupertatis quã solẽniter vouit, tamẽ † ex statuto, aut con- 1
stitutione illi applicãtur certæ collectæ, vel in domo si fuerit localis, in Prouincia si fuerit Prouincialis, vel in tota Religione si generalis, idque est in vsu in multis Religionibus Monachalibus & etiam Mẽdicãtibus, & dãtur titulo vestuarij, sũt, & alij fructus vt pro velo Monialiũ, pro Magisteriis & multi Patroni institutores patronatuũ non paruã propinã relinquunt Superioribus, vt rite & recte distribuant dotationes, & memorias quas fundarunt. Igitur dubiũ est si Prælat. Regularis absq; legitima causa, & licẽtia nõ resideat personaliter vltra tempus à Concilio pro Episcopis, & Parrochis decreuit, an possit tuta cõsciẽtia hos fructus percipere & retinere absque onere restituendi?

Pater Miranda *tom.2. Manualis, q.9. art.5. conc.* 2
vnica sic fatur. *Vnde † Generalis absque iusta & legitima causa in hac personali Residentia Prælatorum dispensare non potest ipsique Prælati non residentes intra oues suas, & intra proprias Diœceses sine legitima causa mortaliter peccant, etsi sunt tales, qui temporales habeant fructus, aliqua sibi ratione deputatos illos, ipso facto, & absque vlla determinatione amittunt, neque aliqua ratione eos faciunt suos. Hoc dixerim propter aliarum Religionum Prælatos, qui aliquos habent redditus annuos, quod ex decreto præfati Conciliij verum habet in omnibus Ecclesiæ Prælatis generaliter.*

Quæ doctrina videtur clare determinata in 3
Trident, *sess.23. c.1. de reform. vers. si quis autem & vers. eadem. eadem omnino etiam quoad culpam amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus & aliis, quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent sacrosancta Synodus declarat & decernit*, cum ergo superiores Regulares beneficium regulare habeant cũ animarum cura, quatũ sunt Pastores Ordinarij, vt vidimus clare videtur inferri,

4 ferri, quod † præter mortalis peccati reatum, quẽ incurrũt, *eos pro rata tẽporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia alia declaratione non secuta, illos sibi retinere posse, prohibita quacunque conuentione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totũ, aut pro parte eis remitterentur, non obstantibus quibuscunque priuilegiis cuicunque collegio, aut fabricæ concessis*, vt ait Concil. *versic. si quis autem.*

5 Confirmatur, quia † nomine Episcopi in Conc. *sess.24. c.6.* intelligũtur Prælati, & Abbates Regulares, vt multis citatis tenet Dian. *p.7. tr.2. resol.4. & 5.* ergo multo magis *in hoc cap.1.* nomine Parrochi, intelligitur Prælatus Regularis, qui Pastor est sicut ille Ordinarius suarum ouium.

Fateor sententiã hanc valdè esse conformẽ Concilio, & quidem, quantũ ad peccati mortalis reatũ, quem incurrunt mihi indubiam; cum sint Prælati isti nõ residentes trãsgressores diuini præcepti, quod grauissimum est vti materia, quã respicit; cæterum quantũ ad pœnas propter hãc transgressionẽ impositas mi-
6 hi nõ ita certũ, quia † sub nominibus Episcopi, & Parrochi, aut habentis beneficiũ cũ cura animarũ in pœnalibus nõ veniũt Regulares nisi exprimãtur, vel cõmunis intelligẽtia legis pœnalis eos cõprehendat, vt est certum apud DD. in præsenti autem *c.1.* Conc. etsi in principio doctrina sit generalis de omnibus Pastoribus, qui personaliter debent residere, ex iure diuino; tamen dum Conciliũ pœnas taxat & imponit transgressoribus, solũ loquitur de Episcopis, & aliis Beneficiatis curã animarũ habentibus, nõ exprimẽs Prælatos Re-
7 gulares, isti ergo † non videtur comprehẽsi, sub pœnis latis contra non residentes à Concil. ita tenent expressè Less. *lib.2. c.34. n.* 161. Tamb. *de iure Abbat. to.1. disp.14. q.7. n.3.* dicẽs *hos Prælatos Regulares hisce pœnis non arctari, nisi habeant curam animarũ sæcularium, per ipsos administrandam, quia de huiusmodi cura loqui-*
8 *tur Concil. vt respondit S. Congr. Ad † Regulares Prælatos in administratione, & cura suorũ subditorum reliquit propriis statutis, & suorũ superiorum ordinationibus, quas omnes profectò determinatis pœnis Abbates, & Prælatos non residentes credibile est afficere*, hæc ille & benè, an vero teneantur restituere iure naturæ, vtpotè non implentes ministerium propter quod illi fructus assignantur. dixi *supr. lib.5. resol.....: n.....* dum agerem de non recitantibus officiũ.
9 diuinũ, possunt tamẽ † se cõponere per Bullam, quia hoc illis non est prohibitum à Concilio, sed solum sæcularibus.

Ex quibus constat ad fundamentum oppositũ: ad confirmationẽ, Resp.1. quod doctrina illa nõ est vniuersaliter recepta cũ multi grauissimi DD. huius tẽporis magna probabili-
10 tate & securitate contrariũ sentiant. Resp.2. quod † in fauorabilibus comprehendũntur Religiosi Prælati, qui habẽt quasi Episcopalem iurisdictionem, & illud caput Concilij fauorabile est, & sic extenditur ad Superiores Regulares.

RESOLVT. III.

Vbi teneantur residere Prælati Regulares.

SVMMARIVM.

1. *Quandonam Prælati regulares satisfaciant præcepto diuino de residẽtia personali.*
2. *Authoris iudicium, & n.3. & 26.*
4. *Ad quid cõsultatio Generalis habeat potestatẽ*
5. *An superiores locales qui quotidie cursitant per loca suorum districtuum relictis suis conuentibus non sint in bono statu.*
6. *Quid nihil sit perniciosus religiosæ communitati, & n.7.*
8. *Nazianzeni sententia adducitur.*
9. *Nõ colit Deũ qui officio Pastoris nõ satisfacit.*
10. *Superiores circumquaque vagantes pastores sunt mercenarij.*
11. *Chrysostomi sensus affertur, nec non Bordoni, & n.16.17.18.19. & 20.*
12. *Superior continuo cursitans non potest afflictos consolari.*
13. *An si non resideat Prouincialis aut generalis in ea domo cuius accessus facilior & cõmodior est ad regimẽ prouinciæ, non videatur satisfacere perfectè præcepto diuino de residentia personali.*
14. *Trident. opinio adducitur.*
15. *Aliqua dubia veniunt resoluenda.*
21. *Quodnã officiũ sit incõpatibile cũ Prælatura.*
22. *An superior existens orator in Concilio eligi nequeat in Priorem.*
23. *An si impedimentum ante electionem ad residendum non erat dependens à voluntate superioris, sed à voluntate alterius, electio teneat; & n 24.*
25. *In quo casu teneatur superior electus auferre impedimentum.*
27. *Quandonam teneatur superior manifestare suam electionem Papæ, aut Generali.*

PRAELATI isti † satisfaciunt præcepto 1
diuino de residentia personali, & fugiunt pœnas non residentibus impositas, si personaliter assistãt in quolibet loco vbi possunt exercere suam iurisdictionem sibique subiecto. Ita omnes, qui de hac materia scripsere. Vnde Generalis in qualibet domo totius Religionis, Prouincialis suæ Prouinciæ; superior localis in sua domo; ratio est, quia residẽtia personalis Pastorum exigitur à iure diuino, vt possit pastum necessarium ouibus præbere ne pereant luporum rabie, cũque Generalis in tota Religione, nec Prouincialis in tota Prouincia personaliter possint

assistere & ius diuinum non determinet talem locum possunt, quem voluerint, & quãdo voluerint eligere, sicut Episcopus potest ex vi iuris diuini eligere, quemlibet suæ diœcesis locum, vt ibi resideat.

2 Dixi † satisfacere præcepto diuino de residentia, nam si in aliqua Religione sit constitutio approbata à Pontifice, quod Generalis resideat Romæ, sicut Soc. Iesu & nostra habet, vel vt resideat alibi, vt habent multi ordines Monachales, non possunt alibi per multum tempus vltra tres menses sedẽ residentiæ figere, nisi vel Capitulũ generale aliter disponat, vel Nuntius Apostolicus, aut Sum. Pont. dispenset; existimo enim hãc cõstitutionem frangere esse graue peccatum

3 propter incommodũ, quod resultat regimini Religionis, quod respexit constitutio, dũ domum residentiæ Generali assignauit, vnde neque ad visitandum potest exire, nisi visitatio finiatur spatio trimestri, in quo potest abesse, nisi ex causa approbata à Põtifice, sicut in nostra Religione approbauit Gregor. XV. speciali breui ann. 1621. vt P. Generalis ab Vrbe discederet, per sex & amplius mẽ-

4 ses, neque enim † consultatio Generalis ad hoc habet potestatem. Prouincialis etiã nequit exire à domo suæ residentiæ nisi tẽpore visitationis, quod si domum hanc assignatam non habeat in qualibet suæ prouinciæ, potest residere ex vi suæ regulæ.

De superiore locali audi Doctissimũ Laurent. de Peyrinis *tom. 2. de Præl. q. 1. c. 7 n. 29.*

5 sic fantẽ, *ex quibus collige quod † superiores locales, qui quotidie cursitant per ciuitates, & loca suorum districtuum relictis suis conuentibus, non sunt in bono statu, etiam abstrahendo à cõstitutionibus regularibus tenentur enim suis curis personaliter assistere, & illa cõtinua superioris absentia fratres relaxat, & conuentum perdit, vnde à quodã seniore nostri ordinis, qui cũ esset superior nunquã egrediebatur de conuẽtu, audiui, quod interrogatus quare nunquam exiret, respondit per exitum superioris è domo conuentus multũ perdit; & dæmon multũ lucratur.*

Quæ doctrina vere est regularis disciplinæ in domibus neruus, & contrariam Diabolus lupus rapax introduxit, vt mactet, &

6 dissipet oues; nihil enim † ita perniciosũ est cõmunitati Religiosæ, quã quod superiores quotidie domo exeant, & per ciuitatẽ vagentur; suo enim malo exemplo subditos solicitant ad similes exitus, etsi ad illos licentia denegetur, quot murmurationes, quot discordiæ, quot tumultus, & machinamẽta nõ excitantur, & sic tota domus ardet, & sub-

7 diti dum vidẽt superiorẽ quotidie exeuntẽ, nec timent cellarũ ingressus, ludos prohibitos, iocos indecentes, cõfabulationes, diuersiones ab studiis, & mille alia inconuenientia quæ magistra experientia lamẽtabiliter videtur relaxata & penè ad nihilũ redacta disciplina regularis; & quæ ad religionẽ attinẽt frigidè fiunt, & vltra septa transiliũt omnes suũ imitantes Pastorẽ, qui claustra vix noctu inhabitat, vt enim ait Nazianz. *orat. 1.* 8 *neque indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum aut suauẽ odorem res admotæ, ita facile trahunt, vel exitialis quidã vapor tam facile in aërem diffunditur, ac per aerem animantia occupat (quod quidẽ pestis & est & appellatur) quam subditi Antistitis improbitate celerrime impleri solent, & quidem multo facilius, quam virtute.*

Nec prætextus necessitatis, & visitãdi benefactores hos superiores excusant: credant mihi quod si ipsi suæ obligationi satisfaciant Deus prouidebit de necessariis, qui dixit: *quærite primum regnum Dei & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, verè enim dixit S. Th. *sic nos tu visita sicut te colimus*; nõ enim

9 † colit Deũ, qui officio Pastoris nõ satisfacit, nec implet ministeriũ suũ, quod est pascere oues, non cursitare, aut visitare benefactores & benefactrices, quorum consortiũ & communicatio quanto rarior, nisi in necessitatibus, tanto æstimabilior, & dubio procul à lõgè securius venerantur superiores, habent enim sæculares oculos linceos ad videndum Religiosorum superiorum defectus, & imperfectiones, & quanto magis communicãtur plus acuunt aciem, & parui penduntur.

Et quidem ad praue iudicandum parua satis est occasio, quam libenter accipiũt sæ-

10 culares, vt † superiores extra domũ vagãtes & circũquaque cursitantes, quotidie iudicẽt esse pastores mercenarios, qui sua oblectamenta quærũt, non ouiũ, super quas summa vigilantia intendere debent. Audi Chrysost. *hom. 29. ad Rom. Perpendamus* (ait) *& ouiũ Pastores illos qui in Cappadocum regione sunt qualia & quanta pro pecorum suorum custodia, patiantur illi sæpe numero vniuersũ triduum niue obruti perdurant.* 11 † *Dicuntur etiam & qui in Lybia sunt non minora malæ ferre, dum integros menses difficilẽ illam solitudinem pessimarũ bestiarũ plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt pastores illi, quam quæso excusationẽ habebimus quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundũ hoc somnum dormimus? Respirare quidem omnino oportebat; quiescere autem omnino, & non circunquaque percurrere.*

Si enim † superior continuo domo exit, 12 quaratione afflictos consolabitur, qualiter tentatos pacabit, qualiter inobseruantes arguet, qualiter exequetur, ea quæ S. Gregor. Nazianz. *orat. 7. circa finem, qualiter dicet, quæ pascua petentes, qui põtes adeundi, ac rursus quæ pascua vitãda, qui latices, qui baculo regẽdi, qui fistula? quo tempore ad pascua ducendus grex, & quo rursus à pascuis reuocãdus, quomodo bellũ lupis inferẽdũ, quomodo nõ lacessẽdi pastores hoc præser*

præsertim tẽpore in quo pastores stultè se gerunt (vt eadem, quæ sanctissimi Prophetæ verbis deplorem) quomodo quod infirmum est roborabo, quod lapsum est erigam, quod aberrat in viam reducã, quo inquam modo hæc addiscam, vt rectè Pastoralis artis vestraque ratio postulat, custodiam, ac non quod scelerati pastoris est lac comedam, lana induar, & pingatissima quæque iugulem, aut vendam, reliqua autem bestiis & præcipitiis relinquam, me ipsum pascens non gregem, &c. Nota verba religiose Pastor, qui artem pastoritiam exerces in oues religiosas, qromodo satisfacies artis documentis, & præceptis, quæ hãc graphicè sunt descripta, si quotidie vagaris extra claustra.

Rursus dixi *satisfacere præcepto diuino de*

13 *residentia*, nam si † non resideat Prouincialis, aut Generalis in ea domo cuius accessus facilior, & commodior est ad regimen Prouinciæ, aut totius Religionis, non videtur satisfacere iuri naturæ, nec perfectè præcepto diuino de residentia personali; vtrumque probo, quia si hi superiores (nisi quum visitant Religionem, aut Prouinciam) non resideant in ea domo, quæ attentis omnibus circunstantiis, commodior est expeditioni negotiorum totius Religionis, aut Prouinciæ, & commoditati subditorum, vt recursum habeant, non attenderent subditorũ cõmoditatibus, & ipsorũ recto regimini, ad quod tenẽtur iure naturæ, & præceptum de personali residẽtia ad hoc

14 ordinatur, vt videre est in Trid. *quod † Christiani sumus propter nos est, quod autẽ Præpositi sumus propter vos est*, aiebat Aug. *lib. de Past. c. 1.* & repetit Greg. *lib. 5. in 1. Reg. c. 20.* idque lumine naturæ esse certum ostendit latè D. Thom. *lib. 1. de Regim. Princip. cap. 1. & lib. 3. cap. 3.* ex Ac. *lib. 8. ethic. cap. 10.* Rex subditorum vtilitatem spectat, Tyrãnus autem suã. Pastor ergo regularis iure naturæ tenetur eam domum suæ residentiæ eligere, quæ attentis circunstantiis omnibus commodior sit ad respiciendam ouium vtilitatem, easque facilius pascere verbo, exemplo, monitis & consiliis, ad quod tenetur iure diuino, vt vidimus.

15 Ex qua doctrina † aliqua dubia resoluuntur valdè practicabilia. Primum est, an si superior electus alicuius conuentus, aut Prouincialis alicuius Prouinciæ, qui cũ absentes, essent, extra conuentũ, & prouinciam, & ex superueniente impedimento in toto triennio, nõ potuit accedere ad residentiã personaliter, an talis electio sit ipso iure nulla? Pellizar. *tom. 1. tract. 9. c. 1. n. 20.* sentit nullã esse, ex quo colligit quod si in eo ordine est constitutio, quod intercedere debeat annus inter vnam & alteram eiusdem personæ promotionẽ, iste talis sine hac intercapedine po-

16 test eligi, id quod etiã tenet † Bordon. *res. 26. n. 68.* qui supponentes electionẽ esse nullã, illationẽ probant ex *reg. iuris 52. de reg. iuris, non præstat impedimentum quod de iure nõ sortitur effectũ*, & sic cũ electio ista non sit sortita effectum administrationis non præstat impedimentum, vt iterum immediatè eligatur, qui nunquam resedit.

Sed ego aliter discurro in hoc pũcto, quia 17 vel impedimentũ hoc erat ante electionẽ, & notũ electoribus, & fuit amobile, ex volũtate electi, aut non pendebat ex eius voluntate, vel impedimentũ hoc superuenit electioni iam factæ, & hoc tolli pẽdebat ex voluntate electi, aut ex illa erat independens. Si dicatur primũ, & impedimentum erat dependens à voluntate electi, & talis electio valida fuit absque dubio, quia electus tenebatur impedimentum tollere, quod si non tollat ipse & citatus per edictum etiam non personaliter contumax fuerit, liberum erit Ordina- 18 rio per censuras Ecclesiasticas aliqua iuris remedia etiam vsque ad priuationem compellere, vt ait Trident. *cap. 1. sess. 23 versic. quod si per edictum*, vnde manifestum est, quod in hoc casu electio non fuit irrita, sed electus est priuandus officio.

Addit Concilium, quod si iste talis excu- 19 setur non esse admittendam excusationem etiã munitã quolibet priuilegio, licentia, facultate, exẽptione etiã ratione cuiuscunque beneficij, pactione, statuto etiam confirmato, aut quacũque authoritate cõfirmato, cõsuetudine etiam immemoriali, quæ potius corruptela cẽsenda est siue appellatione, aut inhibitione etiam in Rom. Curia, vel vigore Eugenianæ cõstitutionis suspẽdi posse. Vnde 20 fit quod Magister Regularis, qui Salmanticæ Cathedrã in proprietate regit si eligatur superior Ordinarius extra ciuitatẽ, aut Cathedrã debet dimittere, aut substitutum in illã ponere, aut renunciare prælaturã, quæ incõpatibilis est, cũ lectura quotidiana cathedræ, nisi prælatura sit in cõuentu eiusdẽ ciuitatis.

Idem dicendũ est si sit confessor alicuius Principis, etiã Regis, cui continuo assistit in consiliis, & regimine, hoc etiã † officium est 21 incompatibile cũ prælatura extra ciuitatẽ in qua Princeps degit; idẽ iudiciũ esto de officio Oratoris, apud alios Principes, quod dimittere nequit; imo etiãsi sit Orator Regius in Concilio generali, quãuis si superior existẽs Orator eligatur, possit retinere prælaturã, quia est absens propter vniuersalẽ vtilitatẽ totius Ecclesiæ (maximè si nõ sit alius qui ita congruè officiũ Oratoris exerceat) tamẽ † existẽs Orator in Concilio eligi nequit in 22 Priorẽ, aut Præpositũ localem, nisi relinquat officiũ Oratoris, quia nequit acceptare prioratum si nequit residere personaliter, maximè cum non habeat votum decisiuum in Concilio sicut habent Episcopi.

23 Si autem † impedimentum ante electionē ad residendū nō erat depēdens à sua volūtate, sed à voluntate alterius superioris, electio etiam tenet, etsi superior sit talis, quod possit dispensare in residentia illi esta periēda dlectio an velit dispensare quod si nolit non potest electus acceptare electionem, quia habet incompatibilitatem in dispensatam; si dispenset acceptabit valide, & reti-
24 nebit prælaturam, quamuis non resideat, quam administrabit per substitutum, vnde iterum eligi nequit immediate sed tempus requisitum à constitutione elabi debet.

Ast si impedimentum superuenit electioni iam factæ si ipsum tolli dependet à voluntate electi, aut acceptauit electionem, aut
25 non † & in vtroque casu tenetur impedimentum auferre vel si non aufert tenetur non acceptare vel si acceptauit renuntiare, quia ius diuinum obligat ad residēdum personaliter, aut tolli impedimentum non pēdet ab eius voluntate vt continua infirmitas, aut Papæ imperium, vt vadat ad legationem, vel aliud quid faciat incompossibile cum residentia si sit infirmas prolongata, ipsum excusat, nam adest causa iusta quæ
26 est vrgens necessitas: existimo tamen quod si sit nimis prolixa & speretur quod toto triennio ab ea non liberabitur Sanctissime renuntiabit præposituræ imo videtur ad hoc tenerī cum præceptum de residentia vrgentissimum sit ni si à Superiore dispensetur.

Aut impedimentum dimanat à voluntate Papæ, aut Generalis & tunc † debet illis
27 manifestare suam electionem, etsi impedimentum sit, quia occupatur in negotio aut Ecclesiæ aut totius Religionis, & sic aut debent dispensare ex hac causa iusta, aut electus tenetur renuntiare: hæc autem dispensatio expressa debet esse in scriptis, vt determinauit Vrbanus VIII. in *Bulla edita anno* 1634. cuius supra feci mentionem.

RESOLVTIO IV.

Vtrum si Princeps sæcularis Superiorem electum à Regno eiecerit, ita vt non possit residere in suo conuentu aut Prouincia, possit iterum eligi non transacta temporis intercapedine?

SVMMARIVM.

1. *An Rex iuste lege politica ductus possit expellere à regno Episcopos, ob instam politicè causam.*
2. *Multorum Doctorum sensus adducitur.*
3. *Difficultas venit enodanda, & n.4.*
5. *An Prior qui modico tempore sui primi anni non potuit residere, qui coactus à principe recessit, sit manu tenendus in suo prioratu constituto vicario, qui conuentum regat.*
6. *Episcopo ægrotanti datur coadiutor.*
7. *Authoris mens affertur.*
8. *Exilium est quædam ciuilis mors & num.9. & 10.*
11. *Quandonam Prælatura regularis ipso iure vacet.*

DE hoc casu consultus fui in hac ciuitate Hispalensi *anno* 1646. & mea responsio quam subiungo multis placuit. Non disputo † an Rex iuste lege politica ductus 1
possit expellere à Regno Episcopos, Cardinales & alias personas Ecclesiasticas ob iustam politicè causam, quia videlicet Regi non obediunt, & ob crimina quorum punitio ob scandalum quod intulerunt differri nequit. Multi enim † Doctores Regnicolæ 2
nostri existimant id licere Principibus absolutis, titulo & iure defensionis naturalis, ne corpus politicum cuius sunt partes personæ Ecclesiasticæ, etiam Regulares corrumpatur, & pereat, non secus ac quis vt seipsum defendat potest occidere clericum inuasorem, absque eo quod incurrat excommunicationē canonis *si quis suadēte* ita si Remp. inuadat, ipsum scandalizando & Regi publice non obediendo, potest à Regno expelli absque incursione excommunicationis latæ *in bulla Cœnæ*, & sicut in gubernatione Oeconomica domus, etsi Papa mihi assignet clericum, vt pedagogum filiorum meorum si ipsos scandalizat, & mihi non obedit in eorum directione, inconsulto Papa possum ipsum à domo mea repellere. Ita docent innumeri scriptores aliarum nationum, sed Hispanæ in qua mos iste viget tuentur Zeuall. *tract. de vi tollenda. quæst.* 77. Solorzanus *tom.* 2. *de iure indiarum lib.* 3. *cap.* 27. *à num.* 45. Salgado *de Regia protectio. p.* 1. *cap.* 2. *à n.* 227. Barb. *ad leg. quicunque.* 14. *Codic. de Episcop. & cleric.* Amaya *leg.* 60. *à num.* 40. *&* 41. *C. de Decurio. lib.* 10. Cened. *quæst.* 45. *num.* 61. Sesse *de inhibitio. cap.* 8. §. 3. *num.* 202. Piguera *in praxi cap.* 42. *colum. vlt.* Pereyra *de manu Regia p.* 2. *cap.* 64. Calistus Ramirez *de lege Regia* §. 27. *nu.* 11. Auendanno *de exequend.* 2. *p. cap.* 6. *n.* 10. Bellerga *in specul. Princip. rubr.* 18. Garzia *de nobilit. gloss.* 9. *num.* 31. Bobadilla *lib.* 2. *c.* 13. qui omnes DD. Hispani & Galli etsi in expurgatorio Generalis inquisitionis Romanæ expurgentur tamen Rex supplicauit de Decreto & in Hispania leguntur, sequuntur, & defenduntur impunè. Sed ego hanc expulsionem Ecclesiasticorum semper fum abominatus

minatus & late ministraui *tom.* 11. meorum operum, qui est Apologeticus contra ignominiam nouitatis & iam sudat præla.

3 Et quidquid sit † an hoc liceat ex immemoriali consuetudine vel alio iusto titulo aut indulto à Summis Pontificibus concesso saltem ex tacito consensu ipsorum, tamen defendi (ni fallor) nequit ex iure defensionis, & moderamine inculpatæ tutelæ, & si enim possim occidere aggressorem iniustum absque contrauentione legis naturalis de nō occidendo, quum aliter non possum meam vitam tueri, & in columem conseruare, si enim possum me defendere per alium, & aggressoris petulantiam cohibere, sine illius occisione, nullus cordatus & Catholicus di-
4 cet quod possim illum impune & sine peccato occidere, si ergo Rex per iudicem Ecclesiasticum, & competentem potest defendere Regnum & purgare ab scandalo, & cohibere inobedientes Ecclesiasticos, & Regulares certe non video quomodo seruata immunitate Ecclesiastica, possit tituln defensionis eos à Regno excludere, & temporalitates auferre, sed quidquid sit de hoc.

Circa præsens punctum Pellizarius *vbi supra*, secutus Bordonum *Resolut.* 61. *n.* 14.
5 dicit quod † Prior qui modico tempore sui primi anni non potuit residere quia coactus à Principe recessit est manutenendus in suo prioratu constituto vicario, qui conuentum regat, qui in omnibus dependeat à Priore, quia afflictis non est addenda afflictio, *c. cum percussio.* 7. *q.* 1. *cap. ex parte de cler. ægrot.* & sic
6 † Episcopo ægrotanti datur coadiutor, & ab officio non deponitur, ergo & isti Priori, qui coactus non residet, non voluntarius, & sic cum per alium suum conuentum gubernarit, eligi immediatè non potest, nisi transacto tempore constituto.

Quod si fuerit à Mauris in captiuitatem ductus, sine spe redeūdi ad postliminium sui conuentus, intra tempus sui regiminis, exi-
7 stimo ego † quod tāquam mortuus ciuiliter, quantum ad suum regimen debet vacari Prioratus à Superiore, & alius eligi, qui oues vt Pastor ordinarius regat & idem dico si coactus à Principe extra Regnum religetur, ne spe iterum intra tempus redeundi, exi-
8 lium enim † est quædam ciuilis mors, cum sit violenta separatio à Patria. Vnde Plutarcus *in Apophteg*, ex Themistocle, dixit, *perire videtur, qui cogitur exulare.* Hinc Alexander ab Alexand. *lib.* 3. *cap.* 5. apud aliquas gēte etiam propter maxima & enormia delictanullum morte afficiebant iudices, sed exio, quod vt dixit Euripides in Medea.

Laborum non aliud supra
Quam terra patriaque priuari.

9 Vnde mors est quædam ciuilis exilium, & sic si non sit probabilis spes, quod cito rediturus sit exclusus à Regno (sicut ordinariè sic exclusi Regia benignitate ad suum redeunt postliminium, vt in Hispania experientia constat) vacari debet Prioratus.

Neque hoc est addere afflictionē afflicto, 10
sed primo est prospicere pro bono oūium, & cōuentuum, qui malè reguntur & gubernātur nisi resideat Pastor ordinarius, tum etiā est ipsum releuare ab onere Pastoris, quod si cum quis residet est formidabile, multo magis si est absens, nec est simile de Episcopo infirmo qui etsi talis residere personaliter potest quamuis exercitia per alium exequatur.

Quod si Superior ad aliam transeat Religionem, etsi alia beneficia non vacent etsi sint cum cura animarum, vt alibi dixi, sed debet expectari professio, tamen † Prælatura 11
regularis ipso iure vacat, imo, & quodlibet aliud officium in N. Religione, quia eo ipso est priuatus voce actiua, & passiua, etsi iterū redeat, est inhabilis ad officia, ex vi constitutionum, in aliis autem Religionibus, si non adest similis constitutio Prouincialis, aut Generalis potest officium Pastoris vacare, & alteri dare, quia non est æquum quod qui Religionem dereliquit beneficia Religionis obtineat.

RESOLVTIO V.

Vtrum Religiosus Capellanus teneatur residere personaliter in Ecclesia vbi est Capellania?

SVMMARIVM.

1. *An Capellanus religiosus personaliter residere teneatur, in Ecclesia vbi est Capellania.*
2. *An si Capellanus non resideat possit Capellania priuari.*
3. *An si semel Capellaniam regularis accepit cum residentia eam teneatur adimplere.*
4. *An cum Capellania nequeat Regularis habere aliud beneficium.*
5. *Fundator Capellaniæ ad quam vocat regularem possit apponere conditionem, vt resideat in loco vbi sita est Capellania.*
6. *Quid veniat obiiciendum.*
7. *Multorum DD. sensus, & n.* 8,
9. *An conditio residentiæ apposita fundationi Capellaniæ non opponatur libertati absolutè, & num.* 10.
11. *An si Capellania requirat residentiam in loco vbi non est conuentus, nequeat Generalis licentiam concedere alicui.*
12. *Quæ residentia personalis Capellani ex iure*

humano descendat.

QVIMVR de Capellania ad quam
1 † vocatus est aliquis, etiamsi sit Regularis professus, & ad quã fundator apposuit conditionem residentiæ in Ecclesia vbi posita est talis Capella, quam conditionem iuridicam & licitam esse egregie probat Perez de Lara *lib. 2. de Capell. & anniuers. cap. 8. à*
2 *num. 1.* taliter quod † si Capellanus non resideat, potest ea priuari, qui enim recusat onus, quod testator reliquit à commodo debet repelli *leg. Nessenius Apollinaris. D. de accusat. tuto.* quod etiam tenet verum in Capellania requirens residentiam, sit etiã parui redditus, semel enim admissa tenetur residere *cap. qui autem de præbend. cap. fin. de cleric. non resid.* vbi omnes Canonistæ & esse omnium testatur Lara *vbi supra num. 9.* Ecclesia enim diligenda est propter Ecclesiam non propter lucrum *cap. sunt in Ecclesia 8. quæst. 1.* temporalia enim commoda sectantes lucris inhiantes quisquis talis est, mercenarius est.

3 Si enim semel accepit † Regularis Capellaniam cum residentia eam tenetur adimplere cum propter ipsam detur beneficium cuius est officium residere *cap. singula 89. dist. leg. generaliter. 40. C. de Episcopis & cleric. ibi eos autem clericos, & Monachos huiusmodi habere beneficium sancimusque apud sacrosanctas Ecclesias vel monasteria permanent, non diuagantes, nec circa diuina mysteria desides cum non propter hoc ipsum beneficiũ eis indulgemus,*
4 *&c.* Vnde fit quod † cum hac Capellania, nequit habere aliud beneficium residentiã exigens incompossibilem cum alia cum non possit vtrique simul personaliter inseruire, & qui non seruit beneficio, illud amittit, nam cessante labore propter quem aliquid conceditur, cessat concessio. *leg. Geometræ. leg. idem Vlpianus D. de excusat. tuto* & latè ostendit Barbosa *leg. 1. à p. 7. num. 61. D. solut. matrim.*

5 Vnde nequit in dubium verti, quod † fundator Capellaniæ ad quam vocat Regularẽ potest apponere conditionem, vt resideat in loco vbi sita est Capellania, quare si ex licentia superiorum in illam est ingressus, tenetur ibi residere, aut illam relinquere, neque Superior, poterit licentiam reuocare ad libitum, nisi ob graue motiuum ad mores Capellani pertinens, vel ob ea motiua ob quæ potest in residentia dispensare, de quibus *infra Resolut. 8.*

6 Sed contra hoc † est difficilis obiectio sũpta *ex leg. Titio centum D. de condit. & demõstr. §. Titio centum el. 2.* vbi sic habetur. *Titio centum relicta sunt, ita vt à monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat, potest dici non esse locum cautioni per quam ius libertatis infringitur.* vbi Gotthifredus dicit *iniquas institutiones, quibus parentes certi loci incolatum, aut Domicilium liberis iniungunt* & Iurisconsultus *leg. 2. D. de lib. hom. exhib. Nihil enim multum differunt à specie seruientium, quibus non datur facultas recedendi*, & Bartholus ibi Salustius *leg. antiquitas. C. de vsufruct.* Ioannes Garzia *de nobilitat. gloss. 6. num. 31.* Quesada *diuers. quæstion. cap. 7. num. 1.*
dicunt † quod omne quod aliquomodo offẽ- 7
dit libertatem, tanquam turpis conditio reiiciatur, quod confirmat Felinus *consil. 22. num. 2.* & maxime vrget in præsenti; quia vnus Superior nequit coarctare potestatem Superioris sequẽtis, vt libere possit religiosũ
immutare, imo quidquid Fundator disponat 8
quod opponatur voto obedientiæ turpe est sicut si opponatur paupertati.

Respondet hanc doctrinam veram esse absolutè loquendo, quatenus dicit quod conditio, quæ absolutè opponitur libertati est turpis & abiicienda, *c. fin. de condit. appos.*
tamen † conditio residentiæ apposita funda- 9
tioni Capellaniæ non opponitur libertati absolutè, cum possit quis non acceptare Capellaniam, tamen supposito, quod liberè eam acceptauit tenetur residere, sicut potest quis non acceptare, tamen ex suppositione, quod acceptauit tenetur residere, nec præceptum diuinum de residentia opponitur absolutè libertati, neque Superior concedens subdito
licentiam, vt acceptet Capellaniam cum 10
onere residendi in certo loco coarctat potestatem successoris, qui semper, ex rationabili causa maximè si scandalo sit potest mutare Religiosum, etsi amittat Capellaniam, quam amittet si non resideat, neque eius redditus potest percipere nisi Pontifex dispenset in conditione residentiæ, quod potest facere sicut & commutare ex causa vltimas voluntates, quod † si Capellania re- 11
quirat residentiam in loco vbi non est conuentus, in quo habitet Religiosus, sed debeat esse extra ordinem habitu non retento nequit etiam Generalis licentiam concedere vt eam acceptet, sed solum Pontifex, aut legatus à latere, qua autem ratione sit intelligenda lex Titio centum, latè tradunt Mieres *de Maioratu. 1. p. quæst. 57. n. 3.* Garzia *de nobilit. vbi suprà n. 21.* Ant. Gom. *tom. 2. c. 10. n. 24.* conditio enim residentiæ respiit commodum defuncti. cuius interest, quid Capellanus resideat, vt missæ celebrentur & cultus qui Deo debetur absque intermisione exhibeatur maiori assistentia & reuerentia, quam exhiberetur à mercenario.

Cæterum cum, vt dixi hæc † residentia 12
personalis Capellani ex iure humano descendat, vtpote ex voluntate testatoris sic disponentis; potest derogari ex consuetudine præscripta in contrarium, & tunc potest per

per substituterum deseruiri; etenim de iure communi omne beneficium etiam simplex requirit personalem residentiam, si datur institutum, quia eo ipso assignatur Beneficiarius seruitio Ecclesiæ titularis, & sic residere debet, *cap. ad hæc de præbend. cap. quia non vlli de Cleric. non resident.* & Gigas *de pensio. quæst. 31.* dicit teneri omnes, & consuetudo introduxit, quod beneficium simplex non obliget ad residendum.

RESOLVT. VI.

Vtrum Regularis Parrochus possit eligi in Superiorem, siue Prouinciclem, siue localem?

SVMMARIVM.

1. *An Parrochus regularis in superiorem siue Prouincialem, siue localem possit eligit.*
2. *Simul posse retineri duo beneficia personalem residentiam requirentia expressè prohibet Conc. Trid.*
3. *An qui Parrochialem habet Ecclesiam non per Vicarium, sed per se ipsum debeat deseruire.*
4. *An si Prioratus esset perpetuus incompatibilis esset cum beneficio curato.*
5. *Card. Bellarmini mens adducitur.*
6. *An tota cura Sacramentalis & quoad forum interius penes quem sit.*
7. *Qui Prioratus non dicantur perpetui.*
8. *An Beneficia regularia non conferantur in titulum beneficij perpetui.*
9. *An temporales administrationes non sint beneficia.*
10. *Cuius prioratus temporanei non sit facienda mentio ad consecutionem alterius beneficij etiam inrati.*
11. *An Prior sit dignitas curata habens iurisdictionem fori exterioris.*
12. *An officia quæ alterius vice geruntur & exercentur non inducant incompatibilitatem.*
13. *Rotæ sententia affertur.*
14. *Quid veniat colligendum, n. 15. & 16.*
17. *An in Vicaria perpetua non possit poni Vicarius perpetuus sine Apostolica dispensatione.*
18. *Authoris iudicium.*

VEl Parrochia est, † sita in eodem con-
1 uentu cuius eligitur Superior, vel est alibi, vel intra vel extra ciuitatem, & quidẽ dubium graue est maximè, quia inter Ordines Militares Religiosi Sacerdotes qui *Freiles*, dicuntur etiamsi sint Parrochi Ordinarij extra Conuentum degentes curam habentes animarum eliguntur Priores Conuentuum retinentes beneficium curatum, quod qua ratione fiat videndum est. Cum Concilium Trident. *sess. 24. c. 17. de reform*, expressè prohibet † simul posse retineri duo
beneficia personalem residentiam requirẽ- 2
tia, quod decretum comprehendit non modo Ecclesias Cathedrales, sed etiam omnia alia beneficia tam sæcularia quam regularia quæcumque, etiam commendata, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant. Cum autem Parrochus debeat residere personaliter, sicut & Superior localis, ista duo incompatibilia sunt, & sic simul retineri non possunt, sed vnũ debet dimitti, etsi eligitur Superior tenetur renuntiare Parrochiæ, etsi Superior eligitur Parrochus tenetur Prioratui renuntiare quare, ita tenet Peyrinis, *t. 2. de Prælato q. 1. c. 7. n. 30.* Probatur primò, *ex c. extirpandæ. §. qui vero de præbend.* ibi, *qui* † *Parrochialem habet Ecclesiam non per Vicarium, sed per*
seipsum illi deseruiat. qui 3
textus ad minus intelligitur ad longum tempus, quale est vltra bimestre assignatum Trid. *sess. 23. ca. 1. de reform.* quod si vltra prolongetur absentia ab Episcopo debet assignari Vicarius. Secundò idem Concilium *sess. 7. cap. 3. de reformat.* dicit, quod inferiora beneficia curam animarũ habentia conferantur personis, quæ in loco residere ac per se ipsos curam exercere valeant, alias collatio omnino irriterur, ergo qui Prior est nequit Parrochus prouideri, aut qui Parrochum in Priorem eligi cum vtrobique nequeat curam per se ipsos exercere.

Et quidem † si Prioratus esset perpetuus 4
omnino incompatibilis est cum beneficio curato, aut Parrochiali, siue sit Regularis, siue sæcularis, ob rationem dictam, quia vtrũque requirit personalem residentiam de iure diuino & Parrochiale nequit perpetuo per substitutum inseruiri *cap. extirpandæ citato* & Trident. *locis adductis*, etsi enim Prioratus regularis non sit proprie beneficium curatum in rigore iuris, vt bene † Cardinalis 5
Bellarmin. *ad cap. 17. sess. 24. littera 3. in obseruatio. doctri.* Sed tantum curet familiam Monasterij sui non habens populum cui administret sacramenta. Cæterum cum vere & proprie sint Pastores animarum regularium ad illarum regimen iure diuino tenentur in suis monasteriis residere; cum respectu illarum non solum iurisdictionalem; sed sacramentalem curam habeant, etsi enim solum haberent (vt sunt Priores & Abbates commendatarij) iurisdictionalem, non haberent obligationem residendi, quia † tota cu- 6
ra sacramentalis, & quoad forum interius sit penes Priorem, aut Vicarium constitutum, vel à Generali vel Capitulo Generali, vnde Commendatarij solum habentes curã iurisdi

iurisdictionalem ex nullo loco Concilij tenentur residere personaliter, vt decidit Rota apud Farinacium *in nouiss. decis.* 112. *n.* 10. & Garzia 3. *p. de Benefic. cap.* 2. *à num.* 82. Barbosa *de potest. Episcopi allegat.* 53. *num.* 112. dicunt decisum esse à Sacra Congregatione Trid.

7 Cæterum cum † Prioratus præfati conuentuum ordinum militarium perpetui non sint, sed temporales non sunt incompatibiles cum beneficio curato Parrochiali, aut alio beneficio requirente residentiam ita decisum est *cap. de multa de præbendis*, vbi notant Innocentius *num.* 6. Ancharr. *n.* 15. Imola *num.* 136. Abbas *num.* 22. & 23. Gambar. *de officio legati lib.* 5. *tit. an possit legatus vni plura benef. conferre num.* 23. Doctissimus Hojeda *de incompatib. d.* 2. *c.* 10. *n.* 13. & 14. & 1. *p. c.* 13. *num.* 52.

8 Secundò, quia quum † beneficia regularia, vt est Prioratus de quo loquimur non conferuntur in titulum beneficij perpetui, sed ad certum tempus non causant incompatibilitatem, vt tenent Imola *clement. si principalis num.* 22. & *ibi* Barbat. *de rescript.* ex quo non sunt proprie beneficia, sed potius temporales administrationes, vt dicit ibi Vitali. *num.* 4. allegans Hostiens. *in cap. de multa citato*, vbi quærit qualis debeat esse dignitas & beneficium in casu dicti *cap.* respondit debere esse perpetuum. Propterea

9 quod † temporales administrationes nõ sunt beneficia, neque inducunt incompatibilitatem, vnde non cadunt sub regula reseruatoria. Calderinus *consil.* 26. *de præbend.* Falconius *tract. reseruat. p.* 3. *num.* 15. Achilles *decis.* 2. *de reseruat.* Etenim de ratione beneficij Ecclesiastici est, quod eius titulus saltem aptitudine, sit perpetuus. Oldradus *consil.* 81. Ancharranus *in clement. per litteras notabili* 3. *de præbend.*

10 Tertiò, quia † Prioratus iste temporaneus ex sua institutione, & fundatione cum conferatur ad determinatum tempus, non est facienda de eo mentio ad consecutionem alterius beneficij, etiam curati, Felinus *cap. in nostra colum.* 6. *num.* 18. *de rescriptis.* Vnde manifestum est, quod non causat incompatibilitatem cum alio beneficio requirente personalem residentiam, alias ad vitandam subreptionem deberet fieri illius mentio.

11 Quartò, quia † licet Prior sit dignitas curata habens iurisdictionem fori exterioris suspendendi, excommunicandi, absoluendi &c. tamen hæc cura non est perpetua, sed ad tempus determinatum, & non quidem iure proprio, sed vice Magistri magni. Vnde

12 Puteus *decis.* 117. *lib.* 2. affirmat quod † officia quæ alterius vice geruntur, & exercentur, non inducunt incompatibilitatem; neque habent fructus aliquos, neque mensam distinctam à conuentu, sed solum alimenta, prout Prior claustralis, *cap.* 2. & *cap. ad monasterium de Regularibus* & tenetur de illis reddere rationem.

Hæc sunt efficacissima fundamenta quibus Domini Auditores Rotæ † vnanimi con- 13
sensu determinarunt *in vna Siguntina Thesauriariæ die* 29. *Aprilis* 1636. *coram Orano*, Prioratum Militiæ S. Iacobi Monasterij Regularis S. Marci Legionensis ad triennium in gubernium seu administrationem concedi solitum non esse incompatibilem cum Thesauriariæ Ecclesiæ Seguntinæ, quæ non vacauit, per assecutionem dicti Prioratus etiamsi, Thesaurearia residentiam exigeret.

Ex quibus etiam constat, quod etiamsi
† beneficium curatum regulare horum or- 14
dinum residentiam exigat, non est incompatibile cum Prioratu Triennali eorumdem Ordinum, vnde consuetudine introduci potest, quod qui habet beneficium curatum, eligatur Prior & toto triennio ipsum deseruiat per substitutum cõstitutum à Magistro Magno Ordinis, vel à consilio supremo Ordinum. Hæc autem consuetudo rationabilis valdè est, & ob vtilitatem communem Religionis introducta, cum enim beneficia ista 15
regularia communiter habeant personæ digniores, & maiori experientia ornati, & antiquiores in habitu satis consonum est rationi, quod cum non sint exemptæ ab obediẽtia ordinis, & Magni Magistris, & maximè conducere possent ad regularem disciplinã tuendam, & conseruandam Priores temporales efficiantur, etiamsi beneficium curatum per Vicarium inseruiant, ad tempus sui
Prioratus. Hæc autem consuetudo cum cõ- 16
seruata sit etiam post Trident. à Concilio supremo, in quo sunt viri Doctissimi & timoratæ conscientiæ videntes & approbantes Magno Magistro, & Capitulis generalibus, manifeste securas reddit conscientias Dominorum Priorum etiamsi curati sint.

Neque fundamenta opposita firma sunt; 17
ad primum respondetur, quod loquitur textus † de Vicaria perpetua, & de Parrochialibus sæcularibus, in quibus sine dispensatione Apostolica non potest poni Vicarius perpetuus, non tamen de Parrochialibus Regularibus in quibus ex consuetudine potest poni Vicarius temporalis iuxta tempus consuetudinis & pari modo respõdetur ad secũdũ.

Si tamen Parrochia sita sit in eodem conuentu, in quo, quis præficitur Prior, aut Præ-
positus existimo etiam non esse incompati- 18
bilia, quia etsi pluribus intentus minor sit ad singula, tamen tanta potest esse capacitas electi in Priorem ad tempus determinatum, quod vtrique bene satisfaciat fateor conuenientius fore, ne Parrochus in Priorem eligatur, & ne Prior Parrochus designetur; sic

sic enim attentius, & diligentius suo muneri satisfaciet.

RESOLVTIO VII.

Quæ sint causæ dispensandi cum Superiore Regulari in personali residentia?

SVMMARIVM.

1. *Causæ dispensandi cum superiore regulari in personali residentia afferuntur remissiuè.*

1 SVPRA *tom.* 1. *lib.* 2. & 3. per varias resolutiones enucleaui causas † quas ponit Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. quæ sufficientes sunt, vt cum Episcopis, & Curatis & aliis sæcularibus Ecclesiæ Ministris; modo tamen cursim ea, quæ ibi latè discussi Superioribus Regularibus sunt applicanda. Causæ autem Conciliares sunt, *Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reip. vtilitas*, decernẽs eadem Sacrosancta Synodus has legitimæ absentiæ causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reip. officium Episcopatibus adiunctum; cuius, quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit.

§. I.

Quid in istis operetur Christiana charitas?

SVMMARIVM.

1. *Quæ in Prælatis regularibus sit sufficiens causa, vt dispensetur in residentia personali, & n.* 2.
3. *Antiquitus ex tacito Pontificis consensu Reges mittebant Episcopos Legatos suos extra suam diœcesim.*
4. *An sine expressa Pontificis licentia non possint Episcopi abesse à suis Ecclesiis.*
5. *An Bulla Vrbana non extendatur ad Prælatos regulares.*
6. *An possit Rex alicui Prælato regulari alicuius regularis familiæ mittere ad Capitula alterius Religionis, vt ibi nomine regio assistat, & n.* 7.
8. *An si Regularis Prælatus fuerit Ecclesiasticus poterit præsidere & habere vocem actiuam in capitulo ex delegatione nuntij Apostolici, & n.* 9.
10. *Authoris iudicium, & n.* 38.
11. *Quæ assistentia licentiarij Regij vim habeat inuaminis brachij sæcularis.*
12. *Quæ iurisdictio regia politica duntaxat & regularis sit.*
13. *An fuerint Principes qui vel per se immediatè, vel per suos ministros astiterint Ecclesiasticorum electionibus.*
14. *Bzouij sententia adducitur, & n.* 15.
16. *Canonistarum assertum.*
17. *An Rex indirecte se immisceat rebus Ecclesiæ, & n.* 18.
19. *Aliquas consuetudines contra libertatem & communitatem Ecclesiasticam admittunt Salas & alij multi.*
20. *An Principum personalis vel per suos ministros assistentia in Ecclesiasticorum electionibus non sit ablatiua alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ.*
21. *Quod nullus Princeps sæcularis Conciliis, aut electionibus Clericorum assisteret, prohibitum fuit in Synodo Romana.*
22. *An laicorum Principum assistentia in Clericorum electionibus per abusum sit introducta.*
23. *Imperatores non iure, sed facto & forsan ex Pontificio priuilegio Pontificum & Episcoporum electiones approbabant.*
24. *An non sit fas vt sine necessitate laici fiant spectatores rerum, quæ sacerdotibus Dei contingunt.*
25. *Reges Hispani cum assistunt Clericorum electionibus vel per ministros suos, hoc habent duplici titulo, & n.* 26. 27. & 31. & 32.
28. *Antonij Cuchi opinio adducitur, & numero* 29. & 30.
33. *Præsentia principis aut ministri suo nomine omnem repellit metum contra inquietos.*
34. *An Præsidentia politica in electionibus regularium non sit contra sacros Canones.*
35. *Inter politicam regiam præsidentiam in Capitulis, & retentionem Bullarum Apostolicarum discrimen.*
36. *Quandonam potestas politica regia suos limites transiliat, & n.* 37.
39. *An possit introduci consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi quotannis legatur Bulla Cœnæ; & num.* 40. 41. 42. 43. & 44.
45. *Multorum DD. opiniones afferuntur, & n.* 46. & 48.
47. *An consuetudo orta ex tolerantia & scientia Pontificis licita sit.*
49. *Reges Hispani suis Proregibus Indiarum ordinant; vt Capitulis & electionibus Regularium assistant, & n.* 50.

I Igitur in Prælatis Regularibus Christiana charitas † tunc est sufficiens causa, ad 1
hoc quod dispensetur in personali residen-
tia

tia; quum est grauis proximorum vtilitas, vel in docendo vtilitatem, prædicando contra hæresim, vel in vitando damnum, quod imminet exhortando Principes Catholicos ad pacem, & concordiam, vel dissuadendo ne bellum inferãt, ad sedandum schisma, ad componendos tumultus, ad pacandas inimicitias inter ciues alicuius Regni, ad tra-
2 ctanda matrimonia inter Magnates Principes, & quamuis secuturum sit aliquod damnum in propria Ecclesia, ex Prælati absentia, si tamen magis ponderat vtilitas, quæ ex absentia resultat, non est contra ordinem charitatis, quod dispensetur in residentia.

3 Ex quo constat quod quamuis † antiquitus satis erat ordinarium, & præuium ex tacito Pontificis consensu *cap. cum parati de appellatio* quod Reges, & Principes absoluti mitterẽt Episcopos legatos suos, extra suam Diœcesim ad diuersas mundi regiones, vt pacem componerent, & negotia grauissima cum aliis Principibus tractarent, vt multis exemplis ex variis Historiis comprobat Salzedo *de legat. politi. lib. 2. cap. 12. à num. 69.* tamen hodie post Bullam Vrbani VIII. quam supra dedi sine expressa licentia Sum. Pon-
4 tificis expedita speciali Breui † non possint Episcopi, etiam Cardinales abesse à suis Ecclesiis, & sic non possint Principes Episcopos mittere in legationem ad alium, qui non sit Summus Pontifex, si legatio duratura est vltra trimestre, quod Concilium pro absen-
5 tia concedit Episcopis. Cæterum cum † Bulla Vrbana solum loquatur de Episcopis, etiamsi sint Cardinales non est extendenda ad Prælatos Regulares, cum quibus ad Regis petitionem potest eorum superior dispensare in residentia personali (vltra tempus à Concilio determinatum, quod iterum confirmat Vrbanus) vt negotia à Principe commissa tractet extra suam diœcesim, aut domum residentiæ.

Dubium Graue.

6 Sed est in hoc puncto difficultas † an possit Rex aliquẽ Prælatũ Regularẽ alicuius Regularis familiæ mittere ad Capitulũ alicuius alterius Religionis, vt ibi nomine Regio assistat, ad scandala, & rixas, & contẽtiones, quæ inter Regulares in electionibus Prouincialis & generalis oriri solent, vitet, & ad concordiam, & vnitatem reducat & sic electio pacifica, & sine scandalis, quæ timentur, iuxta suas constitutiones, Regulas & constitutiones Apostolicas fiat; vel ad hoc idem possit absque violatione immunitatis Ecclesiasticæ mittere Regium Cõsiliarium, vel præcipere Proregibus Regnorum, vt
7 præfatis Regularium Capitulis intersint, ne seditiones oriantur, etsi isti de facto assistant aliquid contra immunitatem, & exemptionem Religionum operentur.

Hoc autem dupliciter fieri potest, primo de consensu Nuntij Apostolici, & hoc modum certum est posse, vt testatur Manuel Rodrig. *tom. 2. quæst. 52. art. 12.* etsi fuerit Ec- 8
clesiasticus, poterit præsidere, & habere vocem actiuam in Capitulo ex delegatione Nuntij Apostolici sicut factum est Vallisoleti *anno* 1641. in Capitulo Generali Benedictinorũ, cuius Præses fuit Episcopus Vallisoletanus per Illustrissimum Nuntiũ Apostolicum, ad instantiam N. Regis; sed Præses non poterit aliquid, quod sit contra ius Canonicum, aut Regulare perficere, vt priuare aliquos voce passiua, non citatos, & inauditos, & similia alio modo id potest facere Rex sine consensu Apostolici Nuntij, sed solum tanquam Religionum protector, de- 9
fensor, & conseruator pacis publicæ, tenetur enim ex vi regiminis Regij, & Dominij absoluti omnes eas occasiones præscindere ex quibus in sua politica gubernatione possent probabiliter oriri scandala, tumultus, & perturbationes inter Regulares, indeque scandala laicorum suboriri, & sic pax publica perturbari.

Ego quidem † vt verum fatear (saluo ta- 10
men Ecclesiæ & Summi pastoris dictamine) non video cur id non possit facere Rex, imo existimo id valdè conueniens esse; Regularium enim tumultus, rixæ, & dissensiones valdè coërcet Regium nomen interpositũ, silentiariusque Regis minister sua præsentia silentium loquacibus, & inquietis imponit, non quidem iuridica vtens authoritate, quam nullam habet in exemptos, nec coercet ius ipsos dirigens, itavt si aliter faciant puniri possit, sed consiliis, monitionibus, suasionibus, & persuasionibus, vt iuxta suas regulas, statuta & priuilegia Apostolica electores perficiant & cum pace celebrent, quare hæc † assistentia silentiarij Regij vim habet 11
iuuaminis brachij sæcularis, quod exhibet Princeps ad conseruandam pacem, & disciplinam regularem, quæ valdè turbaretur, & scandala generaret in populis, nisi hæc Regia assistentia interueniret, qua efficacissimè cohibetur insolentia ambitionis. Hæc enim
† iurisdictio Regia politica dumtaxat est, & 12
Regalis ex vi officij Regis, sicut inest in patre œconomia dum inter filios Clericos, etiamsi exempti sint à Patria potestate, ex vi clericatus pacem, concilia, tumultus, excitatos, & rixas, quæ timentur, sedat neque in hoc contra filiorum exemptionem aliquid facit.

Quare ob hanc eandem rationem plenæ sunt Historiæ Ecclesiasticæ exemplis Principum † qui vel per se immediatè, vel per 13
suos ministros astiterunt electionibus Ecclesiasti

clesiasticorum, Conciliis, & Capitulis, ad rixas & tumultus sedandos, & vitanda scandala populorum, quæ probabiliter timebantur. Sic fecit Martianus Imperator, vt constat ex *orat. 1. relata actio. 1. Concilij Calcedonensis.* Sic etiam teste Baronio *ex Tripartit. lib. 7. cap. 8.* astitit & tumultus impediuit Ambrosius in electione Præsulis Mediolanensis, & dum illius ciuitatis esset laicalis Præses, electus, populi & cleri consensu est Episcopus; legendi sunt Nicephorus *lib. 8. cap. 16. & 17.* Eusebius *lib. 3 de vi-*
14 *ta Constantin.* Bzouius † *lib. de Roman. Pontif. cap. 9.* qui loquens de Constantino Magno *itaque satis habuit Constantinus in illo cœtu* (Nicæno) *attente audire, paci studere, veritati fauere, fouere concordiam, tumultus comprimere, ac discrepantes à veritate reuocare, non autem suffragium ferre, vel causæ sententiam diffinire, vel quampiam legem ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentem præscribere*, quibus verbis pius & doctus vir, & constituit actus ob quos salua immunitate Ecclesiastica & sine illius in aliquo offensione, aut lesione potestas Regia potest
15 interesse cœtibus, & electionibus Ecclesiasticis, & eos inuexit quos ibi nullatenus valent, exercere, vt suffragium ferre, sententiam diffinire, aut legem Ecclesiasticam ferre, quam doctrinam si morali Theologo liceret, lato calamo possem comprobare ex actis ferè omnium œcumenicorum Conciliorum apud Græcos & multorum apud Latinos Patres, actis quorum plura adducit ipse Bzouius. Vnde S. Lucifer Primas Calaritanus *lib. 1. ad Constant. Augustum*, ipsum precatur, vt electioni Constantinopolitani Patriarchiæ assistat, quam etsi non faciat Imperator, sed Synodus & conuentus electorum, Imperator tamen ministrat ne tumultus oriantur, & vt pax inter electores conseruetur.

16 Hinc est quod ‖ Canonistæ libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ defensores, hoc idem asserunt Archidiaconus, *cap. laici numero 16. distinct.* Præpositus *ibidem num. 1. & ad cap. missam de electio.* Abbas *numer. 3.* Baldus, qui ex Anania rationem dedit, *quod licet laici non possint interesse ad eligendum, possunt tamen adesse ad protegendum Canonicos, & armata manu.* Antonius de Butrio *num. 3.* Ioannes Andreas *num. 4.* Innocentius *cap. nobis de iure Patron.* & eleganter Petrus Biax. *in decreto electio. p. 1. cap. 12. numero 2.* qui omnes citatos adducit & eorum confirmat doctrinam.

Hæc omnia satis vrgenter confirmo ex doctrina Dianæ acerrimi defensoris immunitatis Ecclesiasticæ, qui *part. 1. tractatu 2. resolut. 5.* etsi enim Rex per se, vel per suos Ministros assistit cœtibus, & electionibus Ecclesiasticis ad sedandos tumultus, & pacandas discordias, quæ inter electores oriri possent, & ordinariè solent contingere † videatur se saltem indirectè 17
rebus Ecclesiæ immiscere, & extra sphæram suam diuagare, tamen iam hoc consuetudo antiquissima, ex tacito consensu Papæ obtinuit, quæ actionem regiam iustificat, ex præfato tacito Pontificio consensu, qui prudenter in præsentiarum id esse iudicatur, cum illam consuetudinem sciat, & toleret; ergo non est verum dicere absolutè (ait Diana) quod per publicationem 18
Bullæ tollitur omnis consensus Pontificis, sed dicendum est quod stante publicatione Bullæ, quum adest talis consensus Pontificis tacitus & approbatiuus, qui colligendus est prudenter attentis omnibus circunstantiis; vnde † aliquas consuetudines con- 19
tra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam admittunt Salas *de legib. tractat 14. sect. 11. num. 121.* Vasquez *de restit. cap. 6. §. 1. num. 33.* Molina *tract. 2. disp. 207. num. 5.* Turrianus *2. 2. tom. 12. disputat. 14. dub. 4. numero 12.* Malderus *tractatu 5. cap. 6. dub. 8.*

In præsenti autem casu adesse consensum approbatiuum Papæ, & non puram toleranciam mihi indubium est, cum hæc 20
† Principum personalis, vel per ministros suos assistentia, non sit ablatiua alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ, aut illius impeditiua, imo potius iuuat, vt disciplina Regularis, & leges Ecclesiasticæ obseruentur, & pax introducatur, & tumultus vitentur, quare potius Pontifex gratificare, quam impedire debet huiusmodi assistentias.

Quamuis enim prohibitum sit *in Synodo Romana sub Nicolao I. anno* 858. & constitum sit, quod † nullus Princeps sæcularis 21
etiam Imperator Conciliis, aut electionibus Clericorum assisteret, quod etiam fuit sanctum in Concilio *Constantinopol. 8. cap. Adrianus 63. distinct.* cuius rationem habemus *Canon. 7. Concilij Constant. IV. sub Adriano II. & Basilio Imperatore, quia fas non est sæculares Principes spectatores fieri rerum, quæ sacerdotibus Dei nonnunquam euenit.* Vnde hanc † laicorum Principum 22
assistentiam per abusum introductam notat Glossa *caput quisquis, verbo abusum de electio.* Ex *cap. cum terra cap. sicut eodem*, & contra libertatem Ecclesiasticam esse, ibi dicitur.

Quamuis inquam, hæc ipsa decernat ius Ecclesiæ, tamen ex antecedentibus, & consequẽtibus cõstat, quod manifestè est sermo de assistẽtia laica in Cõciliis, & electionibus

Clericorum auctoritatiua, electiua, approbatiua, rerum quæ fiunt in Conciliis, & electionum, ad quas aliquando populus vel concurrebat, vel approbabat, Imperatores enim † non iure, sed facto, & forsan
23 ex Pontificio priuilegio Pontificum, & Episcoporum electiones approbabant, sine quorum approbatione possessio dignitatis non adsumebatur, & hoc factum glossa rectè dicit *abusum*, & quidem intolerabilem, non tamen damnant iura assistentiam Principum laicorum, præseruatiuam tumultuum, rixarum, & scandalorum, quamuis si hæc prudenter, & probabiliter non timeantur satius est, quod laici Principes eiusue Consiliarij non assistant,
24 quia † fas non est, vt sine necessitate laici *fiant spectatores rerum, quæ sacerdotibus Dei contingunt* & maximè Regularibus, quorum actiones quanto secretiores, tanto sacratiores.

25 Sed † quum Reges nostri per se, aut per suos ministros assistunt, hoc habent duplici titulo, & defensiuo sui Regni politici, & protectiuo Religionum suæ Monarchiæ. Primum titulum explicuit Martinus Imperator *orat. citat.* dicens *nos ad confirmandam fidem non ad ostendendam virtutem exemplo Imperatoris Constantini adesse Synodo excogitauimus*; vnde in omnibus ferè Conciliis Toletanis Reges Hispani inter-
26 fuerunt, vel personaliter, vel per proceres & Magistros suos, vt latè ostendit Illustrissimus Loaysa *in suis valdè eruditis notis*, & ex ipso Franciscus Padilla *tom. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Hispanæ cap.* 57. agens de *Concilio* 12. *Tolet.* tempore Enugij Regis *anno* 681. *die* 9. *Ianuarij* (in quo quindecim viri laici Proceres subscripsere, titulo quidem honoris à Patribus illis concesso, non titulo alicuius iurisdictionis, quam haberent in Concilio) hinc est quod etiam
27 Reges ipsi primi in Conciliis Toletanis subscriptionem nominis sui supponebant; sic in Concilio Toletano I II. & IV. & V. & X I. & innumeris aliis, Reges enim nostri vti fidei Protectores ex tacito Pontificis consensu, imo aliquando expressa consultatione, etsi de ea non fiat in Historiis expressa mentio, Concilia Toletana, & Hispana alia conuocabant, ibique assistebant, ad pacem tuendam, & rixas vitandas, quod Principibus, & Regibus competit, id quod satis cordate dixit Antonius Cuchus *lib. 2. institut. ma-*
28 *iorat. titul.* 3. *numer.* 36. *erunt* † ait *hæ Principum sæcularium partes præcipuæ, vt Concilij quietem & tranquillitatem authoritate, ac si opus fuerit armis tueantur, foueant, & tegant, turbatores longè summoueant, cum si pax, & disciplina Ecclesiæ soluantur, ille à Principibus rationem sit exacturus, qui eorum potestati suam Ecclesiam commendauit.*

Quæ doctrina solidè & Catholicè confirmo ex Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 20. *de reform.* vbi sequentia dicit. Primum, quod vt disciplina Ecclesiastica sarta, tectáque à quibuscumque impedimentis conseruetur. Præterea, quæ de Ecclesiasticis personis constituit sæculares quoque Principes *officij sui admonendos esse censuit, confidens eos,* 29
vt Catholicos quos Deus Sanctæque fidei Ecclesiæ Protectores esse voluit ius suum Ecclesiæ restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parrochos, & Superiores Ordines reuerentiam reuocaturos, nec permissuros, vt officiales, aut inferiores Magistratus Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticorum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent, sed vna cum ipsis Principibus debitam iuris Summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus obseruantiam præstent. Se- 30
cundum, *sed seuerè in eos qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt animaduertant, quibus etiam ipsimet exemplo, ad pietatem, Religionem, Ecclesiarum protectionem existant, imitantes anteriores optimos, religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ sua imprimis authoritate & munificentiis auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoque in ea re quisque officium suum sedulo præstet, quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in residentiis & officiis suis, quieti, & sine impedimentis cum fructu, & ædificatione populi permanere valeant.*

Ex quibus † duo præfati tituli assistendi 31
Conciliis, & electionibus Regularium, quum timentur rixæ, contentiones, & turbatio pacis inter electores, qui nostris & aliis Regibus & Principibus absolutis competunt, colliguntur clare ne electores cupiditatis studio & ambitionis turbent electiones, & pacem eliminent regularem, debent Principes assistere saltem per ministrum prudentem, vt obseruatis constitutionibus propriis, & Apostolicis dignior, & aptior ad regimen eligatur, ne scandala ex opposito sequantur, & debita sacris Canonibus obseruantia præstetur, qui titulus competit Regi ratione œconomicæ potestatis, & paternæ Regiæ potestatis, à qua non eximuntur regulares, vt benè Abulensis *q.* 32
10. *ad cap.* 3. *lib.* 4. *Reg.* & colligitur ex Agapito Papa *epistol. ad Leonem Imperator.* quæ habetur *tom.* 2. *Concil. in vita huius Pontificis.* Vnde Theodosius Iunior Impera-

Imperator, vt assisteret Concilio Ephesino, vt constat *ex actis eiusdem cap.* 32. misit Candidum Comitem, non vt Consultationibus Episcoporum sese immisceret, sed ex more vt omnia ibidem summa tranquillitate agerentur curaret, ad hoc enim tenetur Rex cum timetur rixa, aut tumultus ratione potestatis politicæ quam habet, præsentia enim † Principis, aut ministri suo nomine omnem repellit metum cõtra inquietos,
33 *leg. non est verisimile. D. quod metus causa* & ibi Baldus *leg. metum. C. eodem.* & ibi Cynus, & idem potest in quantum protector est omnium Ecclesiarum, ratione cuius protectionis, eas ab iniuriis vindicent, tollantque impedimenta quæ timentur, vt electores quieti eligant, quem vident aptiorem ad regimen.

Igitur † præsidentia ista Politica in electionibus Regularium, & Ecclesiasticorum
34 tantum abest, quod sit contra sacros canones, & Concilia œcumenica, quod imo est illis valde conformis, non tamen est ita necessaria, vt falso quidam autumauit; nisi in casu in quo electores non manerent liberi ad eligendum ob metum cadentem in constantem virum, quem excluderet Regis præsentia, aut eius ministri suo nomine, qui reprimeret incutientem talem metum.

Vnde constat † manifestum discrimen in-
35 ter hanc politicam Regiam præsidentiam in capitulis, & cœtibus Ecclesiasticis, & retentionem Bullarum Apostolicarum, & tribunal violentiæ, quod dicitur *de las fuerzas*, quia præsidentia politica etsi sit respectu personarum Ecclesiasticarum, tamen non egreditur spheram suam, sed intra limites suos continetur neque est impedimẽto, imo est iuuamen iurisdictioni Ecclesiasticæ vt exerat actionem sibi competentem, & cum pace & tranquillitate omnia agantur, cuius præsidentiæ hic est adæquatus finis à quo si diuertatur efficitur iniqua, & contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam. Ast Bullarum Pontificum retentio, & tribunal
36 præfatum *de las fuerzas* † potestas politica Regia suos limites transilit cum impediat iurisdictionem Ecclesiæ ipsamque detineat, ne ad effectum perducat suam sententiam sub prætextu, quod iudex Ecclesiasticus vim infert, & violentiam in reum operatur, quare Rex cum teneatur suum vassallum tueri, ne scandalum oriatur ex iniustitia iudicis Ecclesiastici, ipsum detinet ne vlterius in illo articulo procedatur. Bullæ etiam interci-
37 piuntur & detinentur sub aliis prætextibus de quibus late Salgado *tom.* 1. *de retentio. Bullarum* & Ceuallos *tomo de cognitio. per viam violentiæ.* Vtroque enim modo præcluditur via iurisdictioni Ecclesiasticæ, ne vlterius in suo tribunali procedat, quare non licet nisi indultum & priuilegium Apostolicum intercedat, vt late dixi *tom.* 2. *Moral.*

Verum enim vero pro solatio iudicum sæcularium Hispanorum, qui iudicant de violentia illata in causa Ecclesiastica, & de ipsa causa nullum ius dicunt, sed solum declarant vim inferri à iudice Ecclesiastico, dico quod † cum sequantur consuetudinem 38
immemorialem Hispanam & non teneantur inuestigare ex quo origine dimanet talis consuetudo, possunt securi in conscientia iuxta præfatam consuetudinem operari, quæ cum sit immemorialis præsumitur introducta cum consensu Pontificio, vt enim supra ex Diana & aliis grauissimis Doctoribus notabam, † potest introduci consuetudo contra 39
libertatem Ecclesiasticam etiamsi quotannis legatur *Bulla cœnæ*, etsi enim Suarez *l.* 4. *contra Reg. Angl. cap.* 32. *n.* 23. dicat has consuetudines aliquorum Regnorum iuxta quas sine scrupulo operantur ministri & Magistratus ad facta hominum pertinere quorum rationem dare non tenemur. Tamen si consuetudines istæ rationi, & æquitati natu- 40
rali valdè vrgenti non niterentur, non à tot sæculis, & retro temporibus conseruarentur inter Reges Piissimos, & Catholicos à ministris Doctissimis, & valdè timoratæ cõscientiæ obseruarentur (non enim omnium quæ à maioribus statuta & introducta sunt rationem reddere possumus, *leg. non omnium.* 20. *D. de legib.*

Quarum obseruantia etsi in facto consi- 41
stat, & non in iure, (quod nullum habent sine indulto Apostolico) tamen cum factum hoc ita sit tractu longissimi temporis custoditum à Magistratibus, immune est ab omni censura & peccato in foro interno, & in externo quousque à Summo Pontifice speciali Bulla ad hanc consuetudinem euertendam directa id declaret non censentur ministri censuram aliquam incurrere. Et-
enim factum, quod est prohibitum, quia 42
malum, cum sit tale ex natura rei nulla temporis intercapedo, consuetudo, aut vsus ipsum immune facit & liberum à malitia, est factum, quod est malum, quia prohibitum, ipsius facti ab immemoriali continuum exercitium, videntes, & tolerante legislatore, qui ipsum etiam sub censura prohibuit
liberat à malitia, & consequenter à pœna, 43
hæc enim tolerantia facit, vt de facto factum ipsum nõ sit malum, nam proclamatio iuris humani ex ipsa legislatoris tolerantia elanguit, ne vires suas ius ipsum exerat, etsi enim simplex Principis tolerantia parui temporis in quo non potest commodè de obseruantia legis prouideri, non excusat factum ipsum, neque à culpa neque à pœna, tamen, quum tolerantia est longissimi temporis, in quo muti ex-

titere legislatores, dubio procul factum ipsum liberat, à culpa, & à pœna à qua ipsum exercentes immunes fiunt, argumento *ex leg. sed & ea 25. ff. de l. Sed & ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata veluti tacita ciuium conuentio non minus quam ea quæ scripta sunt iura seruantur*, ait Iurisconsultus Hermogenianus.

Hinc est quod cum anno præterito indicis Eminentissimorum Cardinalium præside eminentissimo Cardinali Spada decretum fuerit factum, in quo prohibiti declarantur multi libri Auctorum Hispanorum, qui tractant de hoc tribunali *de las fuenzas*, ipsum vt licitum defendentes, & tutantes:
45 vt † Solorzano *tom. 2. de iure Indiarum*. Larrea, Salgado, & similes supplicatum est sanctissimo Innocentio X. de hoc decreto, vt impunè, & securo pede possent huiusmodi libri currere in totũ Regnũ, & annuit Sanctissimus supplicationi Regiæ, & suspensum est decretum, hodiéque libri currunt non obstante quod decretum fuit publicatum Matriti ab Illustrissimo Nuntio & in aliis Diœcesibus Hispaniæ, & libri qui iam à possessoribus erant ablati, illis sunt restituti, leguntur que absque vllo scrupulo quod magnum est indicium, vt iudicemus hanc non esse simplicem Pontificis tolerantiam, sed conniuentiam, & approbationem videns
46 enim Summus Pater, quod Reges Catholici, & eorum Piissimi ministri in hoc insistere, tanquam sit valde conducens regimini politico non est credendum, quin piè indulgeat, & iuri suo cedat: vt enim dicit Modestinus Iurisconsultus *leg. nulla 25. ff. de leg. Nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt, quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur ea nos duriore interpretatione cõtra ipsorum commodum producamus ad seueritatem*; quare consuetudo hæc Hispana, non est vsquequaque damnanda cum in contradictorio iudicio sit introducta tolerante Papa *leg. cum consuetudine 32. D. eod.*

Confirmatur totum hoc ex doctrina sin-
47 gulari Canonistarum asserẽtium, quod † cõsuetudo orta ex tollerantia, & scientia Pontificis, quod quis in absentia lucretur distributiones quotidianas licita est; & in conscientia possunt retineri non obstante quod ius Canonicum contrarium toties reclamet & prohibeat & Concilium Trid. confirmet *sess. 24. cap. 12.* Ita † Panormitanus, Antonius de Butrio, Andreas ab Exea, Duenas, Felinus Emanuel Suarez *in Thesauro*, quos citat & sequitur Doctissimus Hojeda *de incompatibilit. p. 1. cap. 17. num. 13.* & probat Couarr. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 5.* & *lib. 4. de sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 15.* ergo tolerantia, &
48 dissimulatio Papæ positiua, sufficit etiam in præsenti casu de Tribunali Hispano violentiæ, dummodo illo non abutãtur iudices, sed obseruent finem, ob quem est introductum.

Ex dictis in hoc dubio constat quam † sancto zelo Reges nostri Catholici ordi- 49
nent suis proregibus Indiarum Peruanis, & Mexicanis variis schedulis, vt Capitulis, & electionibus Regularium illarũ Regionum assistant, & sub nomine præsidentia politica ad vitandas rixas, tumultus, & seditiones, & violentiam à magis potentibus faciendam, quod etsi vbique valde necessarium est inibi necessariissimum iudico propter maius & minus remediabile damnum, quod ex præfatis oriri timetur. Vnde prudentissime eos Proreges instruunt, sic *ca. 11.* eis alloquitur *Porque la discordia de sus yo* 50
es tan dañosa se hecha bien de ver quanto mas losera en las Religiones y los inconuenientes, que se pueden seguir si esto pasa adelante, os en cara que os in formeis muy en particular del estado en que estubiere che encada vna de las ordenes, paraque si hallaredes las dichas differẽcias, ò cosa semelante, que tenga necessidad, de remedio tratando de ello con sus Prelados y Superiores Procureis concordar los monstradoles sus proprio daño y el que oueden hacer en lugar de probecho que se espera de se doctrina que es en lo que se detran ocupar de landose de essas passiones domesticas de tan poco fructos y tan procurandas por el damono. O para que yo demi parte procure el remedio en lo que conuiniere ponerle, &c. hæc enim omnia tenetur Rex facere, vt in pace, & concordia Regulares, & Regnum conseruet maximè in illis partibus ita dissitis à Romani Pontificis influxu & directione.

§. II.

Quid vrgens necessitas?

SVMMARIVM.

1. *Quæ vrgens necessitas dispensandi cum Prælatis regularibus in residentia personali dicatur.*
2. *An propter aëris insalubritatem vrgens sit necessitas ad dispensandum, & num. 3.*
4. *An si Prælatus regularis de licentia Prouincialis, aut Generalis faciat votum adeundi terram Sanctam, sit vrgens necessitas ad dispensandum in residentia.*
5. *Authoris iudicium.*
6. *An si Prælatus Regularis fecit votum cum Prælati licentia, si possit differri teneatur differre.*

VRgens † necessitas dispensandi cum 1
Prælatis Regularibus in residentia personali, intelligitur impedimentum personale, quo quis detinetur, ne personaliter præsens fiat suis ouibus, assistensque sit earum regimini spirituali, quod impedimentum iustum, & rationabile debet esse vt infirmitas corporis, periculum probabile mortis, vel ratione inimicitiæ, vel latronum, quibus abundant itinera maris & terræ; ita vt etiam volens ire ad suam residentiam sine tali periculo nequeat, siue in vita siue in bonis fortunæ, siue, quia capietur in captiuitatem ab infidelibus, cuius redemptio magni æstimabitur.

2 Similiter † si iam residens sit, vrgens erit necessitas ad dispensandum, si aer sit illi insalubris tempore æstatis, si necessarium sit adire balnea de Medicorum consilio, si Pater, aut Mater valde indigeant eius consolatione, adiutorio, dexteritate ad victoriam litis, vel diuitiarum, vel honoris, quod si ob aeris intemperiem sibi insalubrem, vel quia impedimentum inimicitiarum ipsum detinent, ne residere vnquam possit tenetur
3 renuntiare, & maior Superior tenetur renuntiationem admittere, & ipsum ab officio Pastorali absoluere, quia ipsum nullatenus adimplet, etenim Superior electus eo ipso quod recipiat officium pastoris virtualiter promittit pastoriciam curam exercere, quæ exerceri vt oportet nequit sine personali residentia, & assistentia cum suis ouibus, quarum vultum agnoscat & dirigat tanquam rationem de eis redditurus.

4 Sed nunquid † si Prælatus Regularis de licentia Prouincialis, & Generalis, & iste de licentia Summi Pontificis votum faciat adeundi terram Sanctam, aut Compostellam, ita vt peregrinatio sit duratura vltra duos, vel tres menses, sit ita vrgens necessitas ad dispensandum in residentia, vel eo ipso quod detur licentia ad vouendum sit dispensatus in residentia: respondetur, quod de simili voto facto ab Episcopo latè disserui
5 *lib. 1. n.*... existimo enim quod † si votum fuit emissum ante electionem, non potest illam quis acceptare, nisi in illo dispensetur, quia voti impletioni apponit voluntarium impedimentum, si tamen in ipsa prælatura votum emisit, si hoc fecit sine licentia est irritum, quia est de materia sibi incompossibili cum materia regiminis personalis, *cap. ex litteris, de iureiurand. cap. magnæ, de voto, & voti redempt.* sequuntur Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensat. n. 50.* Hojeda *de incompatib. p. 1. c. 17. n. 29. vers. vndecimus casus.* Si tamen
6 † fecit cum licentia Prælati, si potest differri votum tenetur differre, si non potest, & hoc cõstat Prælato danti licentiam tenetur eam non dare, quia magis interest residentia personalis, si tamen ipse viderit quia sine vrgenti necessitate dispensat in præcepto diuino & naturali residentiæ, nulla est enim talis dispensatio, & subditus Prælatus tenetur ea non vti, sed residere, quia votum hoc hûc & nunc non est de meliori bono imo impedit maius bonum.

§. III.

Quid debita obedientia?

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur debita obedientia.*
2. *Barbosæ & Mirandæ sententiæ adducuntur.*
3. *Duplex dubium venit enodandum, n. 4. & 6.*
5. *An superior laicalis sit Parrochus sui monasterij & suorum subditorum.*
7. *An sine præcepto non sit vis coactiua.*
8. *An vt Clericus minor licitè accepet dignitatem extra Religionem, non sit necessarium præceptum formale Papæ, & num. 9.*
10. *Quid per ly* obedientia *intelligatur.*
11. *Authoris mens affertur.*
12. *Quid sufficiat ad veram & propriam obedientiam exercendam, & num. 13. 14.*

ESt † mandatum & præceptum Superio- 1
ris altioris præcipientis quod Prælatus Regularis alio diuertat, & vadat ad negotia ardua pertractanda, ad quæ vrget Christiana charitas, si enim Prælatus Superior sciens inferiorem esse Prælatum, & sic habens obligationem residendi, illi præcipiat, vt omissis propriis ouibus aliò vadat, censetur dispensare in præcepto residẽdi personaliter, & posito substitutus tenetur obedire, si eius absentia necessaria iudicatur, etiamsi per alium qui non sit Superior, possit ea negotia expedire commodè, sed non ita commodè sicut per istum, ita † tenent Barbos. *de potest.* 2
Episc. allegat. 53. n. 10. Mirand. *de resid. cap. 12. vers. quintò.* sed absolutè non assentior, nisi maior illa vtilitas, & dexteritas in negotiis pertractandis, magis præponderet, quam damnum quod ex absentia Pastoris, oues possunt incurrere.

Sed hic est duplex dubium † primum, si 3
Papa præcipiat alicui superiori Regulari quod sibi assistat à confessionibus cum eius prælatura sit extra vrbem, vel vt assistat alicui Cardinali Episcopo in sua Diœcesi pro Theologo, & Confessario; possit retenta prælatura obedire, respõdetur, quod de hoc casu fui consultus *anno 1636.* & respondi quod nisi expresse Papa dispenset in residẽtia, vel sciens esse Prælatum ordinarium ex certa scientia, & de plenitudine potestatis hoc onus Confessarij imponat; vacat prælatura, quæ exigit residentiam, & est incompatibilis cũ tali onere & ipse confessarius tenetur in cõscietia illã renũtiare, ita vt si quod habet emolumenti illud nõ faciat suum, neq; titulo Prælaturæ habebit vocẽ in capitulo in 4
quo tuto suffragium ferre nequit argumen-

to *can. singula officia de præbend. in 6.* singula enim horum officiorum singulas exigunt personas, & sic simul in eadem incompatibilia sunt, nisi ex certa scientia & motu proprio eadem vni conferat Papæ, esset enim monstruosum duobus Dominis, quorum seruitium requirit personalem residentiam simul inseruire *cap.1.21.quæst.2.* legantur Rebuffus *in præxi beneficio.tit.de dispensat.factâ cum Regulari, à num.8.* Panormitanus *in lectura de præbend. cap.extirpandæ, §. qui vero.* vbi ferè omnes Canonistæ. Superior enim
5 † laicalis est Parrochus sui Monasterij, & & suorum subditorum, & sic residere personaliter, *cap. licet Canon, de elect. in 6.* nec contra hoc potest præualere aliqua consuetudo, quæ abusus & corruptela est.

6 Secundum dubium † ex occasione est: diximus enim in Superiori dubio quod si Papa sciens aliquem esse Prælatum regularem actu, & illi iniungat onus Confessarij censetur dispensare in Residentiæ obligatione (præterquam quod si Cardinalis Episcopus sit, quia ad hoc requiritur speciale Breue dispensatorium expeditum, vt dixit Vrbanus VIII. in sua Bulla) videtur quod cum nos clerici Minores votum solemne emittamus, nunquam curaturos, vel prætensuros extra Religionem Prælationem aliquam, vel dignitatem, nec consensuros in nostri electionem, nisi coacti obedientia Summi Pontificis videtur (inquam) quod si Summus Pontifex alicui ex nostris Episcopatum det, & extra Religionem Prælationem aliquam vel dignitatem, si illi expresse non præcipiat, quod acceptet eam acce-
7 ptare nequit, ex vi voti solemnis emissi, quia † sine præcepto non est vis coactiua, & sine ista non est coactio atqui vouemus non consensuros, nisi fuerimus obedientia Summi Pontificis coacti, obedientia enim hic propriè accipitur, & obedientia propria non est nisi adsit Superioris præceptum teste D.Thom.2.2.*quæst.*104.*artic.*2. *in corp. & ad* 1. quem sequitur ibi D.Caietan. quem contra Lorcam 3. *part. disput.*40. sequuntur ferè omnes: Dum dicunt Christum habuisse præceptum proprium moriendi, & sic mortuus est ex vera, & propria obedientia, quia factus est obediens vsque ad mortem: ergo dum Clericus Minor vouet non consensurum in sui electionem ad Episcopatum, nisi coactus obedientia Summi Pontificis intelligitur votum de coactione illa, quæ fieri potest per Superiorem, hæc autem non est sine præcepto formali tacito, vel expresso: ergo.

P.Francisc.Pelizzar.*tom.*1.*manual.Regular.*
8 *tr.*4.*c.*5.*sect.*7.*q.*8.*n.*392.dicit quod † vt Clericus minor licite acceptet dignitatem extra Religionem, non esse necessarium præceptum formale Papæ, quia iussio Papæ æquiualet præcepto formali, cum sciens Clericum minorem esse legatum tali voto, illi iubeat acceptare Episcopatum, quare ipsa iussione cogitur & sic non acceptat, nisi coactus.

Sed quod requiratur formale præceptum arrisit N.P.Raphaëlis, cui coassistens ego fui in consultatione Generali per septem annos & ambo collectores fuimus in Collegio S. Agnetis in agone, & mihi semper veneran- 9
dus, tum ob singularem sapientiam, rigidam obseruantiã, & morum placidam suauitatem. Igitur tantus P. in posita ratione dubitandi se potuit fundare: cui addo, quia votum hoc quartũ solemne nostræ professionis non est absolutum, sed sub conditione, nisi interueniat coactio ab obedientia Pontificis: ergo † per ly *obedientia*, non in- 10
telligitur simplex iussio, sicut alter Religiosus, qui non habet tale votum fit Episcopus, etiam iubente Papa alias nullum esset discrimen inter fratrem Dominicanum, quẽ Papa fecit Episcopum, & Clericũ minorem qui adstringitur voto non acceptandi, nisi coactus obligatio Summi Pontificis, quod dici nequit, elanguescet enim magna ex parte energia nostri voti solemnis.

Igitur † ergo aliter discurro quod vt cle- 11
ricus minor consentiat in sui electionem, & acceptet Episcopatum aut aliã prælationem extra Religionem debet propriè cogi præcepto formali obedientiæ Summi Pontificis solius (nec sufficiet Legati à Latere etiam plenitudine potestatis, nisi hoc expressis verbis ei concedatur) non tamen requiritur quod hoc formale præceptum sit intimatum expressum, sed sat est quod sit tacitum, & implicitum, quia † hoc sufficit 12
ad veram & propriam obedientiam exercendam, vt expressit S.Doctor *vbi supra, in corp. artic.* tunc autem censetur interuenire hoc tacitum formale præceptum, quam Papa ex proprio motu, atque certa scientia iubet alicui, ex nostris, quod acceptet præfatam dignitatem, tali enim iussione cogit Pontifex, & tacitè præcipit, cum sciat bene materiam præfati voti; quod si Papa aliquem ex nostris eligat in Episcopum ad petitionem alicuius, quacunque dignitate fulgentis, etiamsi sit Rex, simplex electio & 13
concessio Papæ annuentis precibus, & præsentationi Principum non est implicitum præceptum, sed permissio, quæ nostris non sufficit, quare in isto casu expressè debet præcipere alias nequimus acceptare tali enim expresso mandato & præcepto dat intelligi Papa moueri rationibus vrgentibus à Principe sibi oblatis, quas examinare tenetur, ne in re tam graui ostium Religioni, valde perniciosum aperiatur.

§.IV.

§. IV.

Quid euidens Ecclesiæ vtilitas?

SVMMARIVM.

1. *Que euidens Ecclesiæ vtilitas.*
2. *Rebuffi & Hypolit.opiniones afferuntur.*
3. *An sit euidens vtilitas quod Prælatus vadat ad Capitulum prouinciale aut generale, vt suffragium ferat in regimine Religionis, & num.*4.

1 TAlis est † quum Prælatus abest ob negotia gerenda suæ domus, aut Prouinciæ, aut totius Religionis, quæ non ita commodè, & expedite peragentur per alium, tunc enim iusta est causa vt dispensetur in Residentia *cap.ex parte el segundo de cleric. non resid.cap.de cætero eodem.*& tenent omnes etiamsi iuramentum fecerit de residendo, quod tunc acciperet iuramẽtum legitimam
2 interpretationem vt ex multis probant † Rebuffus *vbi supra*, Hyppolit.*leg.*1. §. *cum quis D.de quæst.* Si tamen æque bene alius potest negotia expedire, & iuramentum ligat, & præceptum de residendo obligat, quia non est euidens vtilitas quod iste sit absens, quũ non est vrgens necessitas suæ personæ, siquidem vtilitas Ecclesiæ per alium potest consequi.

3 Similiter † est euidens vtilitas, quod Prælatus vadat ad capitulum Prouinciale, aut generale, vt suffragiũ ferat in regimine Religionis, & electionibus superiorum, similiter si vocatur ad Synodum ab Episcopo, aut ad Concilium siue generale siue Prouinciale in quo erit magno adiumento sua diligen-
4 tia, aut litteris, aut suæ Religioni magnum decus inferent si vocentur, aut mittantur, similiter si qui Abbates, aut Generales habent votum saltem consultiuum, in Conciliis, in quibus interesse iurabant *cap. ego, ff. de iureiurand.* etiamsi in loco in quo celebratur Concilium non sit sui ordinis Monasterium possunt illud adire, ex vi officij sui relicto Vicario Generali, aut Prouinciali, quia in præsentia Concilij attenditur vniuersalis Ecclesiæ vtilitas.

SVBRESOLVT. I.

An coadiutor factus inquisitor lucretur coadiuto?

SVMMARIVM.

1. *Vtrum Coadiutor creatus inquisitor coadiuto lucretur.*
2. *An si coadiutor non resideat sit in damnum tertij.*
3. *Coadiutor factus inquisitor lucratur fructus beneficij ac si esset præsens non sibi sed coadiuto.*
4. *An coadiutore ægrotante lucretur coadiutus.*
5. *An coadiutus infirmus possit lucrari fructus quos sanus lucrabatur.*
6. *An cum coadiutus sit sanus corpore & mente tunc coadiutore legitimo impedimento detento, Ecclesiæ sit deseruiendum per coadiutum.*
7. *An si coadiutus efficiatur inquisitor sit legitimè impeditus, & lucretur omnia ac si præsens esset.*
8. *DD.multorum sensus.*
9. *Interpretum responsum affertur.*
10. *Coadiutor factus inquisitior vere est impeditus.*
11. *An Procuratores generales Ecclesiarum sint legitime impediti & lucrentur.*
12. *Cenedi mens adducitur.*
13. *Respectu cuius personæ dentur simul duæ fictiones iuris.*
14. *An coadiutor factus procurator Ecclesiarum duas iuris habeat fictiones.*
15. *Vbi nam sit fictio præsentiæ, vt coadiutor lucretur fructus coadiuto.*
16. *Coadiuto cui datur coadiutor liberum est residere.*
17. *An coadiutus necessario occupatus sit occupatione legali.*
18. *An à coadiutoria releuet iustum impedimentum.*
19. *Coadiutor non potest renunciare priuilegio facto DD.inquisitoribus.*
20. *Cuinam priuilegio cedere quis nequeat in particulari.*

SEd † hîc insurgunt aliqua dubia, primum 1
an si Regularis aliquis solemniter professus, siue sit Ordinum Militarium, qui dicuntur *Freiles*, siue Mendicantium siue Monachalium de licentia Papæ, & speciali indulto factus sit coadiutor cum futura successione, in aliquo Canonicatu, aut dignitate alicuius Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ insignis, in qua est stricta personalis residentia; à qua est liber Canonicus adiutus, cum coadiutor resideat, & satisfaciat seruitio chori, an inquam si iste coadiutor fiat Inquisitor fidei in aliquo Tribunali; coadiutus teneatur residere, cum coadiutor liber sit ab obligatione residendi sicut quilibet alius Inquisitor, vt *supra lib.*3.*resol.* latè probaui ex indultis Apostolicis de hoc casu posito in sæculari coadiutore; paucis ab hinc diebus fui consultus in hac ciuitate Hispalensi, quia tamen occurrere potest, placuit hîc meam ponere sententiam.

Quidam enim inter quos est Garzia *de beneficiis in noua impressione* existimant quod tunc coaductor non lucratur, nec coadiutus nisi iste resideat; coadiutor enim † non sibi 2

lucratur,sed coadiuto;quare si non resideat est in damnum tertij,quod non supplet priuilegium Apostolicum concessum Inquisitoribus,loquitur enim quum isti sibi lucrãtur, non tamen quum alij & coadiutoriam cum hoc onere acceperunt à quo non releuantur per præfatum indultum,quod non euertit ius quod habet adiutus,vt ipsum releuet ab onere residendi , ita taliter quod fructus sint sui,& non coadiutoris,vnde capitulum cogere potest adiutum , quod resideat ad hoc enim habet ius,vt coadiutus per se aut per alium ex indulto Apostolico sit personaliter præsens,& cum adiutus non sit Inquisitor,sed coadiutor,ille potest cogi ad residendum,vt lucretur,eo ipso quod coadiutor factus Inquisitor non residet.

Ast mihi contrarium omnino est dicendum (nisi in aliqua Ecclesia Cathedrali sit priuilegium in contrarium derogans ius Inquisitorum concessum post Breue Vrba-
3 num infrà adducendum) quod † coadiutor factus Inquisitor , aut fiscalis sancti Officij lucratur fructus beneficij , ac si esset præsens , non sibi sed coadiuto. Ratio quæ me mouit est , quia coadiutor legitimè impeditus non residens , lucratur , atqui factus Inquisitor,aut Fiscalis est legitimè impeditus; ergo lucratur,maiorem huius discursus partẽ docuit Rota *in vna Salm.coadiutor.* 20.*Iunij.an.*1594. *coram D. Pegna* ibi Domini res-
4 pondentes affirmatiuè pronunciarũt † coadiutore ægrotante vel alias legitimè impedito , lucrari coadiutum cui coadiutor datus est tam in spiritualibus , quam in temporalibus,cum plena, libera & omnimoda potestate,vt possit coadiutor,quæ poterat coadiutus,*cap.is cui de electio. in* 6.notanda verba Rotæ,*vel alias legitimè impeditus* , quæ non determinat genus impedimenti , sed quodcumque illud sit,dummodo *legitimum* iudicetur,quam phrasim imitati sunt Gonzalez *reg.*8.*gloss.*5.§.9.*n.*15.Gratianus *in disceptatio.cap.*166.*num.*12. Barbos.*de iure Ecclesiast.*
5 *lib.*3.*cap.* 10. *num.* 86. sed † coadiutus infirmus vel corporaliter impeditus poterat lucrari fructus,quos sanus & impeditus lucrabatur,*cap.vnic.de Cleric.non resid.in* 6. igitur idem ita tuendum est respectu coadiutoris, qui ex forma coadiutoriæ in omnibus , & per omnia coadiutum repræsentat , cum in eius locum fuisset subrogatus *leg.si cum* §.*iniuriarum D. si quis cautioni.* Neque prædictis
6 refragatur , quod † cum coadiutus sit sanus corpore, & mente tunc coadiutore legitimo impedimento detento Ecclesiæ sit deseruiendum per coadiutum. Quia forma coadiutoriæ , tollit difficultatem cum Papa , det coadiutorem coadiuto non potenti , seu inseruire nolenti , & sic iste inseruire non tenetur coadiutore legitimè impedito.

Quod autem si efficiatur Inquisitor , aut Fiscalis sancti Officij sit legitimè impeditus coadiutor manifestum est ; quia † si coadiu- 7
tus efficiatur talis minister est legitimè impeditus,& lucratur omnia ac si præsens esset , vt ostendi latè *lib.* 3.*resolut.... n.....*ergo coadiutor antecedens in dubium verti non potest cum constet ex indultis , & declarationibus Apostolicis , de quibus Garzia *de benef.p.*3. *cap.* 2.*num.* 356. Cæsar Carena *de officio sanctæ Inquisitionis* 1.*p.tit.*5.§.13.*n.*95. (quamuis ibi de distributionibus quotidianis ex quadam declaratione Concilij & Generalis Romanæ Inquisitionis contrarium sentiat , sed contrarium determinat Vrbanus VIII. in quodam Breui *de anno* 1636. *die* 8. *Ianuarij* , vt retuli *loco citato*) Sanctarell.*variar.resol.lib.*1.*q.*11. Barbosa *de Canonicis cap.*24.*num.*2.Scobar *de nobilit. & purit.probanda p.*1.*quæst.*4.*num.* 91.*in praxi for. Ecclesiast.cap.*13.*à n.*23.

Secundo probatur eadem mea resolutio, quæ viris doctis ita placuit vt dixerint, † nõ 8
posse hoc in dubium verti,quia Sacra Congregatio Concilij *die* 9.*Nouemb.*1630.*in vna Barbastrens.*in qua dubitatum fuit, an coadiutus impedito , seu infirmo coadiutore teneatur inseruire , si habilis sit ad effectum lucrandi distributiones ? Eminentissimi Interpretes responderunt † *si ex forma litterarum Apostolicarum coadiuti nunquam teneantur horis Canonicis interesse coadiutores quandiu aliqua ex tribus causis expressis in cap.vnic. de Cleric.non resid.in* 6. *verè fuerint impediti, distributiones quotidianas lucrari perinde,ac si diuinis interessent.* 9

Quæ declaratio manifestè conuincit veram esse resolutionem nostram,nam † coad- 10
iutor factus Inquisitor , vere est impeditus residere ob vtilitatem non solum Ecclesiæ vniuersalis , vt per se manifestum est , sed etiam suæ Ecclesiæ, cui adscriptus est , cum illi etiam intersit , quod fides nostra augeatur & peccata contra fidem debitis pœnis coërceantur. Vnde † Procuratores Genera- 11
les Ecclesiarum,qui sunt Romæ, vel in Curia Regia,vel mittuntur ad comitia sunt legitimè impediti, & lucrantur ac si essent præsentes etiamsi sint coadiutores in quibus casibus coadiuti non tenentur residere, legendi sunt Cenedo *in Canon.quæst.*1.*n.* 23. *versic.aliter & n.*57. Moneta *de distrib.* 2.*p. q.*11.*n.* 91. Bernard. Diaz *in additio. in praxi ad cap.*52.*littera C.versic.*4.*casus.*

Rationem huius benè proposuit Cenedo *num.*70. his verbis † *cum vero in prædictis cu-* 12
riis,& officiis frequenter agatur de conseruandis priuilegiis, & libertatibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum , & in vectigalibus , & aliis oneribus,vel legibus vexentur Ecclesiæ, quibus ipsi adscripti sunt & ad hoc impediendum assistant nomine Ecclesiarum aliqui Canonici , & Prælati regni merito dicendum est pro vtilitate omnium regni Ecclesiarum eos interesse lucrari qui distributiones quotidianas iuxta dispositionem textus in cap.vnico de Cleric. non resid. in 6. quæ doctrina æquiori iure verificatur in coadiutoribus , qui actu sunt Inquisitores.

Tertio probatur , quia non est inconue-
13 niens , quod † respectu eiusdem personæ dentur simul duæ fictiones iuris, quando id cedit in fidei fauorem & bonum Religionis etsi iure ciuili communi sint prohibitæ, vt multi Iurisperiti ciuiles tenent , quia hoc est exorbitans & non præsumitur , & vt dixi ob fidei fauorem ea , quæ sunt iure prohibita iure etiam admittuntur , vt testes inhabiles,alias examinantur in sancto Officio,
14 similiter † coadiutor , qui efficitur procurator Ecclesiarum,in Curia Romana, aut Regia duas fictiones habet vnam, quia reputatur præsens , alteram quia lucratur fructus coadiutus ; ergo idem si fiat Inquisitor altiori titulo , quanto est altior titulus Religionis,& fidei , quam tuetur , & conseruat,
15 tum maximè,quia in rigore non est nisi vna fictio , quia vbi est vnum propter aliud ibi est vnum tantum,hic autem est fictio præsentiæ , vt coadiutor lucretur fructus coadiuto,& sic lucrari fructus , ac si essent coadiutoris,non est noua fictio ,sed effectus necessario consecutus ex fictione præsentiæ.

Vnde omnino falsum est , & sine fundamento aliquo dictum , quod autumat Garzia dicens,quod priuilegium DD.Inquisitorum solum est, vt lucrentur fructus beneficiorum suorum , vt videbimus in solutione fundamenti positi in ratione dubitandi,quæ nullius est ponderis. Eamque soluit Rota
16 *verbis citatis*,quia † coadiuto cui datur coadiutor liberum est residere, quare si iste sine culpa adiuti est legitimè impeditus,per sanctum Inquisitionis officium, idem est , ac si esset infirmus,ac iniustè in carcere detentus aut apud infideles captiuus aut alio impedimento detentus , non enim posset Capitulum obligare coadiutum , ad residendum à quo onere priuilegio Apostolico est eleua-
17 tus,est enim † coadiutus necessario occupatus occupatione legali,quæ in maiorem vtilitatem Ecclesiæ resultat , quam residentia in choro , vt benè ponderauit Sacra Congregatio Concilij dicens *priuilegia de non residendo in choro eo firmius esse custodienda , quo præstantius & vtilius est Christianæ Reip. Inquisitorum officium ad conseruationem Orthodoxæ fidei constitutum* , sic responsum Card. Toleto , *die* 6.*Iunij* 1594.

Quod enim coadiutor coadiutoriam ac-
ceperit cum onere lucrandi fructus coadiu-
18 to , nihil obest , quia † ab hoc onere releuat iustum impedimentum *cap. ad hæc de offic. Archidiaco. cap. quoniam de officio Ordinarij* , nec enim maius onus suscipit coadiutor, quam habebat coadiutus , quem repræsentat , & in cuius locum substituitur, iste autẽ lucratur in absentia factus Inquisitor ; ergo coadiutor quod enim iste pro altero lucretur non obstat , quia si quis accipiat Canonicatum cum onere , vt det omnes fructus pro pensione , potest nihilominus fieri Inquisitor , & lucrabitur fructus pensionario, quam doctrinam adeo veram existimo , quod † coadiutor non possit renunciare pri- 19
uilegio facto DD.Inquisitoribus, vt lucrentur fructus præbendæ Canonicatus sui,dum munus Inquisitoris exercent, quia hoc priuilegium indultum est boni communis fidei propagandæ & conseruandæ † cui pri- 20
uilegio cedere nequit quis in particulari , *cap.si diligenti,de foro competenti* , etsi possit quis libere renunciare Canonicatum,aut dignitatem. Vnde statutum factum in aliqua Ecclesia,quod quis siue coadiutus,siue coadiutor factus Inquisitor non possit curari fructus , in absentia iniustum est & contra indulta Apostolica.

SVBRESOLVT. II.

An Prælatus Regularis factus Inquisitor possit retinere Prælaturam?

SVMMARIVM.

1. *An Prælatus regularis factus Inquisitor possit cum officio retinere prælaturam.*
2. *Duo officia requirentia personalem residentiam sunt incompatibilia.*
3. *Prælati regulares quanta vigilantia debeant residere,ex Caiet.& n.*4.*&* 5.
6. *Prælati regulares ex vi officij quod acceptarunt salutem animarum sibi commissarum debent procurare.*
7. *Quæ sit præcipua radix relaxationis Religionum.*
8. *Origenis Adamantij mens.*

DVbium secundũ est,an † Prælatus Re- 1
gularis factus Inquisitor in Hispania possit cum officio retinere prælaturam. Respondetur non posse ex Breui Vrbani VIII. *citato* vbi expressè non facit præsentes , vt possint lucrari fructus eos,qui habent beneficia curam animarum habentia . qualis est Prælatura Regularis , & sic nisi in ea ciuitate in qua est situm sacrum Tribunal,incompossibilis est cum officio Inquisitoris , & sic vnum vel alterum tenetur in conscientia relinquere nisi sit indulgentia Illustrissimi Inquisitoris Generalis , vt non assistat Tribunali, vt resideat in sua Prælatia. Quando enim

enim † sunt duo officia, quæ requirunt personalem residentiam, & exigunt industriam personæ incompatibilia sunt in eadem, & quum aduenit secundum, vacat primum; legendus est omnino Ojeda *de incompatibilitate p.1.cap.8.per totum.*

3 Sed † vt aduertant Prælati Regulares, quanta vigilantia debeant residere audiant D.Caietanum *in summa verb.beneficium n.6. si beneficium sit curatum non residere absque rationabili causa peccatum communiter mortale est pro quanto damnum infert animarum, nisi propter imperfectionem actus excusetur à mortali, infert enim contrarium naturali iustitiæ, qua tenetur ipsemet ex suscepto officio gerere onium Christi curam, quæ regulariter sine residentia non potest haberi, vt debet, cum enim præsentes & solicitè studentes, circa animas vix*
4 *regant, vt tenentur. Iniustitia enim ex suo genere mortale peccatum est, quamuis propter imperfectionem actus sit quoque venialis, est etiam contra debitam charitatem Christo; nam amor eius non est apud eum, qui parui pendet maxi-*
5 *ma sunt Christi salutem scilicet animarum sibi commissarum; etenim experientia testatur quæ malè se habent in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ Christianæ propter absentiam Pastorum. Antiquum prouerbium est, quod tam oculus Domini impinguat equum quam optimum firmum vestigia Domini.*

6 Cum ergo † Prælati Regulares ex vi officij, quod acceptarunt salutem animarum sibi commissarum non minori cura, vigilantia & diligentia imo maiori (vtpotè cum maiori & potiori iure animæ Religiosæ sint maxima Christi) debeant procurare ex naturali iustitia ratione officij suscepti, si eas parui pendunt, relicta residentiæ suæ cathedra facti Procuratores rerum sæcularium, diuagantes per alienas domos, & Prouincias aucupantes nundinas, forum litium ob quæstuosam negotiationem, vt habeant sibi aurum & argentum, & supellectilem, superabundanter, cum præfatas causas, quas enucleauimus, non habeant, contra iustitiam & debitam Christo charitatem operantur.

7 Existimo enim † esse præcipuam radicem relaxationis Religionum, quod Prælati in conuentibus non resideant, sed vagantes vix dum dormiunt illis assistant, hinc multi subditi, euadunt infirmi & imbecilles, & dormiunt multi in itinere perfectionis, quod perambulant, & imitatores facti suorum Præsulum nunquam quiescant & scandalizati pereunt, vnde Superior Regularis non residens absque rationabili motiuo & sui & aliorum rationem reddet. Væ istis Pastoribus, qui se ipsos pascunt, non oues, & istis relictis & spretis quærunt, quæ sibi placita sunt, non quæ ouibus conueniunt dum eas oculis suis videntes & dirigentes non impinguant, exemplo vitæ † Audiant 8 Origenem Adamantinum *Homil.7.in Iosue, Tu, qui Ecclesiæ præsides corporis Christi oculus es, propterea vtique & omnia circumspicias, omnia circumlustres, etiam ventura præuideas. Pastor es vides ouiculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, neque occurris? non reuocas? non saltem voce cohibes? & correptionis clamore detines?* & quomodo hæc præstabunt si sine rationabili causa non resident.

RESOLVT. VIII.

Qui possint dispensare cum Prælatis Regularibus in residentia?

SVMMARIVM.

1. *Quid nomine Prælatorum veniat intelligendum.*
2. *An hodie regulares immediatè subiecti sint Summo Pontifici, & num.3.*
4. *Qui verè, propriè & strictè sint Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in subditos.*
5. *Quæ iurisdictio conueniat prælatis ex vi electionis confirmatæ ad officium quod exercent.*
6. *An nomine Prælatorum intelligantur Vicarij, siue Generales, siue Prouinciales.*
7. *Quid notandum circa iurisdictionem fori contentiosi, & num.8.& 9.*
10. *Tamburinij mens adducitur, & n.13.*
11. *An motiua quæ Episcopos & Parrochos coarctant ad residentiam personalem, pariter adstringant regulares.*
12. *An Generales possint dispensare cum Prouincialibus.*
14. *An obligatio residendi imponatur inferioribus Prælatis à Superioribus, & n.15.*
16. *An Prælati Regulares etiamsi habeant causam iustam non residendi, debeant habere licentiam sui Superioris ad non residendum, n.17.*
18. *Tridentini Conc.mens.& n.21.*
19. *An Superiores locales possint per bimestre ex iusta causa non residere.*
20. *An Superiores locales in multis communitatibus nequeant ex suis constitutionibus sine licentia Prouincialis abesse à suis conuentibus.*
22. *Quid ex doctrina tradita sequantur.*
23. *Quæ causæ non exigant tempus determinatum.*
24. *An superior localis possit abesse vltra bimestre & Prouincialis vltra trimestre ex sola licentia tacita sui superioris, & n.25.*

NOMINE

1 NOMINE Prælatorum † in præsenti vtimur propriè & strictè, quatenus Prælatus est, qui habet potestatem, & iurisdictionem spiritualem, & ordinariam fori contentioni, & vim coactiuam ad regendum sibi subditos, isti enim in Hierarchia Ecclesiastica multiplices sunt Patriarchæ siue Primates, qui pluribus præsunt Prouinciis, siue Archiepiscopatibus. Archiepiscopi, qui pluribus præsunt Diœcesibus, & Episcopatibus, Episcopi qui solum suæ Diœcesi præsunt, & isti dicuntur Prælati maiores, alij sunt Prælati inferiores, vt Archidiaconi, Decani, Archipresbyteri, qui omnes limitatiorem habent iurisdictionem, quam præfati Prælati maiores, vt videre est in Suarez *tom.4.de Relig. tract.1. lib.2.cap.2.* Sebast. Cæs. *de Ecclesiast. Hyerarch. quæst.2. proœmi.à num.3.* Barbos. *de potest.Episcopi p.1. tit.1.cap.6.à num.6.* Summistis verb. *Prælatus* Sylueſtro *q.2.* Armilla *n.1.* Rodriguez *tom.1. quæst.12. art.6.* Miranda *tom.2.Manual.q.19. art.1.* Azor *p.2.lib.3.cap.20.q.2.*

2 Cum vero † Regulares iam hodie sint exempti à iurisdictione horum Prælatorum sæcularium, & immediate subiecti summo Pontifici in eorum regimine Regulari similis inuenitur Monarchia Ecclesiastica Regularis, quorum Prælatorum iurisdictio ordinaria à iure diuino descendit; vtpote cum status Regularis à Christo Domino sit institutus & si immediate dimanet à Summo Pontifice, non secus ac iurisdictio ordinaria Episcoporum, etsi sit de iure diuino, tamen proxime & immediate illis communicatur, tanquam à primo fonte iurisdictionis Ecclesiasticæ, à Papa, cui competit pascere oues Christi, & assumit Episcopos & alios Prælatos in partem solicitudinis; sibi commissæ, quæ assumptio intimata est illi à Christo Domino, qui diuersa officia, & mu-
3 nia Ecclesiæ instituit. Vnde hyerarchia Ecclesiastica Regulari eo ipso quod eam Papa sibi immediate subiecit, & exemit, ab hyerarchia Ecclesiast. sæculari; Instituit Primates qui sunt Generales; qui totam familiam Religionis gubernant; & Prouinciales, qui plures domus regunt, & Superiores locales qui vnam dumtaxat domum & sunt veluti Episcopi, quamuis in ordine minorum sint custodes, quibus aliquæ domus subsunt, & in ordine minimorum vigiles; qui similem habent iurisdictionem, quamuis isti iam exoleuerint, & illi solum habeant iurisdictionem in habitu, & conseruatur officium, vt votum habeat in Capitulo Generali, de quo Miranda *vbi supra q.18.art.1. conclus.1.*

4 Igitur † hi omnes vere, proprie & stricte sunt Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in suos subditos; gaudentque priuilegiis Prælatorum (nisi in aliquibus Religionibus talis potestas, & iurisdictio limitetur à regula vel constitutionibus aut Bullis Apostolicis) ita tenet communis certaque sententia, quam tuentur Nauarrus *in Manuali cap.27.num.5.* Auila *de censuris p.2.c.2. disp.1. dub.1.* Fagundez *in 2.præcep.Eccles. lib.8.c.4. num.5.* Henriquez *lib.13. cap.24. n.3.* Sayrus *lib.1.de censur.cap.6.num.13.* Suarez *vbi supra num.8.* Miranda *quæst.19. art.4.concl.2.* Sotus *in 4.dist.22.quæst.2. art.1.* & ratio est, quia hæc † iurisdictio conuenit his Prælatis 5
ex vi electionis confirmatæ ad officium quod exercent, hæc autem est ordinaria *cap.de cernimus. de iudicis.* vbi Glossa *verb. Ecclesiarum, cap.fin. de pœnitent. & remissio.* vbi etiam Glossa, *& in Clement.1.de electio. verb.Prælatum & cap.cum Ecclesiarum de officio ordinar.verb.Ecclesiastica* vbi Innocentius *num.1.* & innumeri alij.

Nomine etiam † Prælatorum intelligun- 6
tur Vicarij, siue Generales, siue Prouinciales, qui absentia, aut morte Proprietarij regunt, siue sint Vicarij locales in similibus gubernantes in absentia, secus vero dum hoc officium exercent præsentibus proprietariis: De quibus legendus est Peyrinis *tom. 2.de Prælato, quæst.1.cap.4.num.74.* Solum aduerto † circa iurisdictionem fori contentio- 7
si, quia possunt Prælati subditos excommunicare, quod etsi in aliquibus Religionibus, vt in nostra non possint Prælati sine Capitulo excommunicationem ferre; imo nec præceptum obligans totam communitatem absque Capituli consensu; nihilominus hoc non obstat, quod sint verè & propriè Prælati; quia in cæteris per alia media habent vim coactiuam, vt coërceant subditos, & cuilibet in particulari possunt imponere præceptum formale obedientiæ obligari sub mortali; & in foro conscientiæ habent plenam iurisdictionem, suntque electi à Capitulo Prouinciali, aut Generali, 8
aut constitutione. Vnde sunt vere Prælati, & si quantum ad forum contentiosum, sit limitata à regula potestas excommunicandi, nisi Capitulum, aut Consultatio Pro- 9
uincialis eam imponat, tum etiam quia etsi requiratur consensus Capituli, tamen qui excommunicat est Prælatus, non Capitulum.

Circa præsentem Resolutionem, sic fa- 10
tur Tamburinius † *de iure Abbatum, tom.1. disput.14.quæst.3.* postquam retulit Concilij Trident. verba: *Quamuis hic habeatur sermo de Episcopis & Prouincialibus, & de omnibus Presbyteris curam animarum gerentibus, tamen dubio procul idem erit intelligendum de Abbatibus, ac quibuscunque Religionum Prælatis similem curam habentibus, quorum recursus non ad Metropolitanum à quo per priuilegia Pontificia exempti sunt, sed ad Generales, Prouinciales,*

Prouinciales, Superioresque, Abbates, iuxta Constitutiones singularum Congregationum à Sede Apostolica approbatas fieri debet.

Quæ doctrina seruatis seruandis certa videtur cum decretum Conciliare ex rationibus, quibus moti sunt Patres clare comprehendat omnes Prælatos qui Pastores sunt actu ouium sibi commissarum, quare † 11 motiua, quæ Episcopos, & Parrochos coarctant ad residentiam personalem, pariter adstringunt Regulares, & quæ liberant illos eximunt ab obligatione istos, & Superiores qui possunt dare licentiam Pastoribus sæcularibus, similes possunt dare Pastoribus Regularibus, etenim *cap. licet Canon, §. fin.* tribuitur ordinario facultas dispensandi super residendo, vbi glossa per ordinarium intelligit Prælatum Episcopo inferiorem, dummodo sit Superior ordinarius dispensati. Vnde † Generales possunt dispensare 12 cum Prouincialibus, isti cum Superioribus localibus, isti cum confessariis monialium sibi subiectarum, cum Generali verò solus Papa, vt de Generali Minorum docet Miranda si vadat ad eam regionem in qua non est conuentus sui ordinis.

Sed non placet fundamentum quod huius Resolutionis adducit Tamburinius † *vbi supra num.* 3. quod is facultatem non residendi indulgere valet, qui residendi obligationem imponit eius est enim soluere cuius est 13 ligare *leg. si puellæ D. de sponsal. leg.* 4. *D. de re iudicata* Rebuffus *in praxi benefi. tit. de dispensatio. non residendi num.* 75. sed Abbatibus localibus inponitur obligatio residendi ab Abbatibus Generalibus, ergo isti possunt illos ab ea obligatione absoluere ex iusta causa, & ad modicum tempus, hæc ratio futilis est & implicat in dictis, nam si obligatio residendi imponitur à Generalibus, est de iure humano, vnde valida erit dispensatio etiam sine iusta causa, & tutus erit dispensatus etiam si per longum tempus non resideat. Secundò, falsissimum est quod suppo- 14 nit, quod † obligatio residendi imponatur inferioribus Prælatis à Superioribus, imo à *iure diuino & naturali* ex vi officij Pastoralis dimanat obligatio istæc; quare ista semper stat firma, nisi adsit vna ex præfatis causis, aut similis, & tandiu præceptum diuinum residendi exerit vires suas, quandiu Superior non declarauerit, hic & nunc adesse causam iustam, qua cessante, illico præceptum obligat, nec dispensatio sortitur effectum, sed euanescit vt contingit in aliis dis- 15 pensationibus iuris naturalis quæ non tam proprie sunt dispensationes quam declarationes, quod hic & nunc ius istud non obligat.

16 Prælati Regulares † etiamsi habeant causam iustam non residendi, debent habere licentiam sui Superioris ad non residendum vtrumque enim requirit Concilium, quod quamuis loquatur, de Episcopis, & Parrochis videtur etiam extendendum ad Præla- 17 tos Regulares, quamuis hoc non ita mihi certum sit, quia est dispositio iuris humani, & odiosa & ita non videtur extendenda, nisi ad illos de quibus exprimit Concilium, quare si reipsa adest causa iusta, non residendi, videtur quod Prælatus regularis, securus sit in conscientia non residens, nisi valdè præponderet damnum, quod ouibus & regulari obseruantiæ accrescit, ex sua absentia. Hoc tamen certum est, quod † cum 18 Prouinciales assimilentur Episcopis, & isti sine vlla licentia possint per tres menses vnius anni abesse à sua Diœcesi, † vt ait Trid. *vbi suprà*, ita & Prouinciales in sua Prouincia sine licentia Generalis (nisi obstet specialis constitutio) debent habere rationem, vt id æqua ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento, *quod an ita sit abscedentium conscientiæ relinquit, quem sperat religiosam & timoratam fore, cum Deo corda peteant cuius opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur.* Hactenus Sacrosancta Synodus.

De Superioribus localibus, † qui quan- 19 tum ad hoc Parrochis assimilantur possunt per bimestre ex iusta causa non residere. Sed an quantum ad primum bimestre requiratur in Parrochis, quod iusta causa non residendi sit cognita & approbata ab Episcopo, qui in scriptis det licentiam, negant Sanch. *de Matrim. disp.* 31. *n.* 11. Azor *p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 9. Emanuel Rodriguez *tom.* 2. *Summ. cap.* 36. *n. vltim.* sed affirmant Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 159. Garzia *p.* 3. *cap.* 2. *n.* 23. Posseuin. *de offic. curat. cap.* 5. *nu.* 11. Sanctarell. *Variar. Resolut. quæst.* 4. *num.* 12. & ego *lib.* 3. *quid sentiam explicui*, & quidquid sit de Curatis, † de Superioribus localibus in mul- 20 tis communitatibus nequeunt ex suis constitutionibus sine licentia Prouincialis abesse à suis conuentibus, quod si in aliis possunt Concilium Trident. illis non obstat, quia solum loquitur de Parrochis & non debet extendi ad Prælatos locales, qui habent designatum Vicarium aut Superiorem, qui illo tempore regimini assistat, bimestre enim pro Parrochis, & trimestre ad summum pro Episcopis Concilium declarat esse paruum tempus, vt non resideant extra præfatas causas, sed ex aliis licitis, sic enim ait Concilium. † *Quoniam autem qui aliquamdiu per* 21 *tantum absunt ex veterum Canonum scientia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt Sacro-Sancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis siue continuum, siue interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.*

Vnde fit, quod † si quis Episcopus vltra 22 tres

tres menses & Parrochus vltra duos, ex cau- sis quas assignat Concilium de licentia potentis illam dare non resideat, si postea redeat ad suam residentiam, poterit ex aliis iustis causis abesse Episcopus per tres menses, & Parrochus per duos continuos, vel interruptos, quia istud tempus assignat Concilium declarans esse paruam moram absentiæ, ex aliis causis quam illis quæ ipsa 23 sancta Synodus assignauit, istæ enim † non exigunt tempus determinatum, sed ex illis potest quis non residere toto tempore, quo durent illæ causæ, quare priuilegium absentiæ per bimestre, aut trimestre non extinguitur per absentiam ex causis assignatis à Concilio, & approbatis à Beatissimo Papa, vel à Metropolitano.

24 Sed dubitabis, an vt † superior localis possit abesse vltra præfatum bimestre, & Prouincialis vltra trimestre ex sola licentia tacita sui superioris. Si loquamur de Episcopis & Parrochis non sufficit tacita, sed requiritur expressa, & in scriptis gratis concessa, vt ait Trident. *cap.* 1. *sess.* 23. quod ius cum sit humana dispositio extra ius 25 commune non debet extendi ad Pastores, & Prælatos Regulares; quare si causa grauis est, & attentis omnibus circunstantiis prudenter iudicatur, quod superior concederet, tutus talis Prælatus non residet, & facit fructus & obuentiones suas tempore absentiæ, qua durat causa illa.

RESOLVT. IX.

Qualiter debeant Prælati Regulares residere?

SVMMARIVM.

1. *Quomodo regulares Prælati debeãt residere.*
2. *Præceptum de residendo non est de residentia materiali solum, sed etiam de formali, ex Trid.*
3. *Quantum prosit Pastoris corporalis præsentia.*
4. *Nazianzeni sententia affertur.*
5. *Pastorale animarum officium an industriam personæ per se exposcat.*
6. *An Prælatus regularis si vel infirmitate impeditus, non possit exercitiis laboriosis, possit hæc vicario suo committere.*
7. *An sint plura quæ non expediat committere vicario.*
8. *Qui vituperandi sint prælati.*
9. *Doctissimi Oleastri sententia.*

1 IN modo residendi valdè deficiunt, † & peccant multi Regulares Prælati maximè locales iudicantes suo muneri & officio satisfacere, si domi resideant totam omnino curam ouium suarum relinquentes vicario, aut superiori suo, aut si sit Abbas suo Priori, in quo valdè seducuntur. Hoc enim non est esse Pastorem reipsa, sed nomine tenus, & titulo officij sine re, & officium illis est res de solo titulo, refugientes laborem, & regimen animarũ, quas Dominus est requisiturus ab eis, & ipsi reddituri sunt de illis rationẽ. Quare etsi agnoscat Abbas Priorem & Præpositum Vicarium æque benè ac ipsos imo melius gubernaturos oues, neque sine mortali contra præceptum diuinum de residendo abiiciens se omnem omnino curã, & solum materialiter, & corporaliter residere domi. Præceptum enim † de residendo, vt constat ex Tridentino & Patribus non est de residentia materiali solum, sed etiam de formali, vt Pastor agnoscat vultus pecoris sui, & gubernet in spiritualibus pascat, & nutriat, & præleuet à luporum rabie.

Quantũ enim obsecro † prodest Pastoris 3 corporalis præsentia, si hæc verbo & exẽplo non dirigat in spiritualibus, imo potius valdè obesse potest Prælatus corporaliter duntaxat residens; *Non enim* (ait Nazianz. orat. 1.) *idem est gregi aut armento præesse, & hominum animas gubernare*, quid sit primum ibi eleganter describit.

Quid vero secundũ *orat.* 7. dicẽs † *charita-* 4 *tẽ tuã erga gregẽ nos doce, industriam tuã fingut & solertiã, curam tuã animique attentionẽ, vigilias, illũ coloris istius florẽ gregis commodis insudãtis, illã lenitatẽ, temperatam acrimoniã, illam in rebus gerendis serenitatẽ, bella illa pro gregis salute suscepta. Dic quæ pascua petenda, qui fontes adeũdi, ac rursus quæ pascua vitãda, qui latices, qui baculo regẽdi, qui fistula: quo tẽpore ad pascua ducendus grex, & quo rursus à pascuis reuocandus? quomodo lupis bellũ inferendum, quomodo nõ lacessẽdi Pastores, hac præsertim tẽpestate, qua Pastores stulte sese gerũt, atq; oues pascua dispersũt (vt eadẽ quæ SS. Prophetæ iisdẽ verbis deplorẽ) quomodo quod infirmũ est roborabo, quod lapsum est erigã, quod aberrat in viam deducam, quod periit conquiram, quod integrum viribus est cõseruabo: quo inquam modo hæc addiscam, atque ita vt recta Pastoris ars postulat custodiam, ac non quod scelerati Pastoris est, lac comedam, & lana induar, & pinguissima quæque iugulem, aut vendam, &c.*

Quæ S. D. doctrina, etsi omnibus Pastoribus aptè conueniat permaximè tamẽ quadrat Pastoribus Regularibus, eosque instruit qua ratione formaliter residere debent cum enim † Pastorale animarum officium 5 industriam personæ per se exposcat ea, quæ Naziãzenus ponit *vt recta* Pastoris ars exequatur, non faciat, & solum præsentia corporali

porali assistat nihil per se curans de ouium salute, vt enim egregie lumine naturæ ductus Virgilius cecinit in Culice

——Omnes
Dirigit huc sensus hæc cura est subditu cordi.

Vt scilicet viam perfectionis oues sibi commissæ securo pede perambulent, non mercenario commissæ, sed suæ diligentiæ, cuius sunt oues propriæ.

6 Fateor, quod † Prælatus regularis, si vel infirmitate impeditus, vel grauibus occupationibus detentus, non potest exercitiis laboriosis assistere, potest hæc Vicario suo cõmittere, quem coadiutorem habet in officio, cui etiam potest demandare curam sustentationis domus, in quo est expertus, at illi imponere pondus diei, & æstus, & omnem omnino gubernationem committere absque grauissimo peccato nequit, sunt enim
7 † plura quæ non expedit committere Vicario ob bonum subditorum, & rectum eorum regimen, plura enim Superior maior indixit, exequenda Prælato locali, quæ eius requirunt personalem industriam, & prudentia petit quod per ipsum & non per alium executioni mandentur.

Quare † vituperandi & exulandi sunt 8
Prælati illi locales, qui vt sese ipsos pascant, & cursandi per vicos & plateas sit locus omnes licentias impertiendas committunt Vicariis suis, qui vt in plurimum magis curant subditis complacere, quam mederi animæ infirmitatibus, quæ gladio seueritatis erant curandæ. De istis enim verè intelligitur Isaias *cap. 56. n. 11. speculatores cæci omnes nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, ipsi Pastores intelligẽtiam, &c.* In quæ verba sic † Doctissimus Oleaster, *dicit ergo de* 9
eis tria videlicet, esse cæcos, & non videre, esse mutos, & non latrare, & dormientes ac diligentes somnum, quæ omnia pessima sunt in Rectore, qui debet mala quæ fiunt agnoscere, & videre, deinde vocibus arguere cum aliter ea non potest castigare. Hæc autem dicit quare populus est traditus bestiis agri & siluæ. Quare timeant Prælati Regulares si formaliter non resideãt suis inconuenientibus, omnem ouium curam alienis humeris imponentes.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS,

De Residentia Claustrali Religiosorum.

HVCVSQVE actum est de residentia personali ratione officij Pastoris, & Prælati, deinceps agendum de residentia propter clausuram (quæ est permanentia, in loco materiali conuentus) etsi enim Residentia, non sit clausura, omnis tamen clausura, species quædam residentiæ est, tam in viris quam in fœminis, in istis tamen strictior, & de vtraque diligenter pertractandum.

RESOLVT. I.

Quo iure teneantur viri Religiosi in clausura viuere, suisque conuentibus personaliter residere?

SVMMARIVM.

1. *An Religiosi professi sint obligati præcepto iuris ad clausuram, & permanentiam in suo conuentu.*
2. *Quæ obligatio ad permanentiam & clausuram Monasterij non dimanet ex simplici ordinatione Regulæ.*
3. *An nulla sit Regula monastica in qua non exprimatur quod Regulares clausuram obseruent.*
4. *Regula S. Pachomio ab Angelo data affertur.*
5. *Suscipiendus in oratione coram omnibus promittat de stabilitate sua, ex S. Benedicto, & n. 6.*
7. *Nauarri sensus adducitur.*
8. *An Clausura sit præceptum Ecclesiasticum Pontificium & Conciliare.*
9. *Sit Monachus claustro suo contentus, ex Eugenio II.*
10. *An clausura sit præceptum obligans in conscientia iuris Pontificij.*
11. *An clausuræ præceptum sit ortum ex præcepto naturali & diuino, & n. 12.*
13. *An subditus dum inscio superiore, vel sciente sine licentia domi clausuram frangit, liberum se constituat à subiectione.*
14. *An non solum peccet subditus contra votum obedientiæ dum refugit obedire superiori actu imperanti, sed etiam dum se occultat.*
15. *Quid ex doctrina dicta sequatur, & numero 16.*

1 RELIGIOSOS omnes professos, † siue tribus votis solemnibus siue simplicibus obligatos esse præcepto iuris ad clausuram & permanentiam in suo conuentu, à quo egredi non valent immunes à culpa, nisi adsit licentia superioris omnino est indubitatum. Hoc punctum primus quam ego viderim disputauit doctissimus pariter & Religiosissimus Senex Martinus Nauarrus *commentar. 4. de Regular. à numero 29. in meis*; hinc inde rationes proponens quibus rem dubiam, & ancipitem posuit, & tandem resoluit solum iure humano introductam esse Regularium clausuram, & permanentiam in monasterio, non enim extat ius aliquod naturale, aut diuinum in sacra pagina, quo hæc clausura Regularibus intimetur, aut præcipiatur;
2 hæc tamen † obligatio ad permanentiam & clausuram monasterij non dimanat ex simplici ordinatione Regulæ, quæ ad pœnam & non ad culpam obligat, sed ex ordinatione rigorosi præcepti, & legis Ecclesiasticæ, hoc autem pullulat ex iure diuino naturali.

Singula enodemus breuiter, & quidem contra Suarez *tom. 4. de Religione*, existimo
3 quod † nulla est Regula monastica in qua non exprimatur, quod Regulares clausuram obseruent, & domo non egrediatur quis sine licentia superioris, vnde adminus est consuetudo obligans in conscientia, & declarans præcepta posita in iure Canonico: & quidem in Regula S. Pachomio ab
4 Angelo data *artic.* 47 sic habetur † *nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterij procedendi habeat facultatem; nisi interrogauerit præpositum, & ille concesserit, & artic.* 72. *nemo exeat foras nemo loquatur (foras) nemo remaneat (foris) excepto maioris imperio*, quam Regulam obseruari apud Thebaidam tradunt Ruffinus *lib. 2. de vitis Patrum cap.* 17. & latè Palládius *cap.* 71. & Sozomenus *lib. 6. hist. cap.* 28. Basilius etiam *in regulis breuior. interrogatio.* 120. *Nunquid aliquid discendum sit non petita ab Antistite venia? Respondet negatiuè, & hoc esse magnæ electionis & præsumptionis indicium Augustinus etiam cap.* 10. *Regulæ, ille qui habeat aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus iusserit ire debebit.* In quæ verba sic fatur Hugo, *vt à Prælato prouideatur securitas personæ & subdito seruetur virtus obedientiæ.* S. Benedictus *cap.* 58. *Regu-*
5 *læ* † *suscipiendus in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua sciens lege constitutum, quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de iugo Regulæ*, in quæ verba sic Turriscremata *per stabilitatem adstringi intelligitur Monachus, quod nullomodo deserat Monachatum, nec sine necessitate & superioris authoritate exeat monasterium*, & hanc esse mentem Sanctissimi Patriarchæ constat ex Alexandro II. relato *cap. iuxta* 11. 16. *q.* 1. *iuxta Calcedonensis tenorem optimi Concilij, Monachis quamuis Religiosis ad normam S. Benedicti morari præcipimus vicos, Castella, ciuitates peragrare prohibemus.*

Horum Patriarcharũ regulas & constitu- 6
tiones imitati sunt cæteri omnes Religionũ Fundatores, quorum instituta confirmauit Sedes Apostolica. Vnde Clemens VIII. in salubribus decretis, quæ refert Peyrinis *tom.* 3. *priuileg.* & confirmauit Sacra Congregatio iussu Vrbani VIII. anno 1626. ordinat sic *nullus à conuentu egredi valeat nisi ex causa & cum socio licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius; licentiæ vero generales exeundi nulli omnino concedantur.* Hactenus decretũ, quod maiori ex parte est in viridi obseruantia, vbi hæc viget; vnde Nauarr. *vbi supr.* sic fatur † *hanc clausuram* 7
communem & iure communi statutam, & cõfirmatam etiam à Patribus illis quatuor regularũ principalium aliarũque institutoribus, deinceps receptã, approbatã, & propriis institutis & sãctionibus stabilitam in omnibus Religion mordinibus permansisse, non tamen apud omnes æqualem, sed in aliquibus arctiorem.

Et quidẽ quod † huius clausuræ sit præce- 8
ptum Ecclesiasticũ Pontificiũ, & Conciliare à quo dimanat hæc obseruantia in Regularibus constat ex *cap. iuxta citat. cap. placuit* 8. *eadẽ caus.* ex Eugenio II. qui sic loquitur *placuit nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de monasterio exire ausu nefãdissimo præsumat.* Et infra † *sit Monachus claustro* 9
suo cõtentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita ita sine monasterio Monachus, sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, & Deo viuit, quem locũ etiã refert Ansel. *lib.* 5. *sui decreti c.* 75. *& lib.* 6. *c.* 213. quo testimonio etsi Pont. expressè prohibeat exitũ à conuẽtu pro lucro terreno, tamẽ hæc dicit ausum nefandissimũ, quia alias nequit de monasterio exire, & hoc illi prohibitum est, vnde pro lucro tẽporali exire ausus nefandissimus, tũ quia suo monasterio debet esse cõtentus, tũ quia mundo mortuus est & Deo viuit. Hinc est, quod Concil. Moguntiacum *cap.* 20. ait *quod monasteriũ ita debet cõstitui, vt omnia necessaria intra monasteriũ exercẽtur, vt non sit necessitas Monachis vagãdi foris, quia omnino*

non expedit animabus eorum. idem statuitur in Concilio Aquisgranens. cuius verba refert Corollianus, *de casibus reseruatis p. 2. casu. 3.*
10 *n.* 10. Vnde dubitari nequit † esse præceptum obligans in conscientia iuris Pontificij, consuetudine totius Ecclesiæ & Regularis disciplinæ confirmatum, quod nullus Religiosus domo exeat sine sui Superioris licentia.

11 Hoc autem præceptum ortum dicit ex præcepto naturali, & diuino, imo illud est huius quædam modificatio, & determinatio. Hoc constat ex ratione Eugenij Papæ, quia Religiosus professus *mundo mortuus est & Deo viuit.* Vnde non habet proprium velle, aut nolle, totam enim voluntatem totaliter subiecit voluntati sui Superioris, vnde ex vi huius subiectionis debet esse paratus corrigi, dirigi, & imperari à Superiore, & duci quò ipse subditus non vult, hoc enim habet Religiosus professus ex vi voti obedientiæ, quo totum suum velle, & suum nol-
12 le totaliter subiecit suo Superiori, ergo isto inscio, & nullo modo volente non potest è domo egredi, quia tali egressu fugit à subiectione quam vouit per obedientiam, & ista absentia priuat Superiorem iure, quo semper, & ad suum beneplacitum potest ipsum
13 dirigere, gubernare, imperare, & † ipse subditus dum inscio Superiore, vel ipso sciente sine licentia domi clausuram frangit liberum se constituit à subiectione, & non viuit totaliter Deo, nec mundo totaliter est mortuus, non secus ac ille, qui est proprietarius, qui accepit rem inuito Superiore, & se liberum constituit ab abdicatione, quam fecit per votum solemne paupertatis, sicut enim proprietarius priuat Superiorem iure, quod habet ad disponendum de rebus. Ita qui domo sine licentia egreditur priuat Superiorem iure, quod habet ad semper disponendum de persona subditi, qui ex vi huius subiectionis mortuus est totaliter mundo & Deo totaliter viuit, & huc spectat propriissima similitudo qua vtitur Pontifex & vsurpauit S. Bernardus, *serm. 1. de S. Andrea,* quod monasteria sunt veluti stagna à quibus si exeant pisces vitam non habent, ita si Regularis sine licentia vlla domo egrediatur, vitam qua Deo viuit, non habet, cum priuet Superiorem iure suo, non secus ac proprietarius, & sicut iste non solum peccat contra votum paupertatis, dum actu expendit, sine vlla Superioris licentia, sed etiam
14 dũ se occultat. Ita † non solum peccat contra votum obedientiæ, dum refugit obedire superiori actu imperante, sed etiam dum se occultat, per recessum à domo, quia refugit proximam subiectionem, vt imperari possit à Superiore, qui ad hoc habet ius ex vi voti obedientiæ. Ita Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. n. 8.* quem ad verbum ferè transcripsit Pellizarius *2. 1. tract. 5. cap. 6. n. 2.*

Ex hoc itaque discursu quem mihi obtulit ratio Eugenij Papæ, qui satis conformis 15
est iuri naturali quo adstringitur subditus ex vi totalis subiectionis ad Superiorem, qua tenetur esse expeditus, & absque impedimento voluntario, vt possit imperari à Superiore, ortum duxit & originem traditio & consuetudo, atqui præceptum humanum ne quis Religiosus sine licentia sui Prælati domo egrediatur, tali enim egressu ex natura rei subditus occultatur Superiori, & pro tempore quo durat egressus voluntariè impeditur Superioris facultas ad imperandum, gubernandum, dirigendum atque custodiẽdum subditum, à qua custodia inuito iuridico custode fugit, & ille, qui ex natura rei subditus est actu subiectionem refugit 16
actualem, quare sine licentia exire domum etiam cum animo reuertendi contra ius naturale est, non secus ac si exit cum animo non reuertendi, quia animus non reuertendi solum addit, quod sit semper mortalis egressus, non tamen facit quod egressus sine licentia etiam animo redeundi, non sit malus cum priuet Superiorem iure suo, quod valdè notandum. In huius obligationis confirmationem plura inculcat Gibalinus *de clausura Regulari. disquisitio. 2. Cano. cap. 1. §. 1.* quæ necessaria non sunt ad præsens.

RESOLVTIO II.

Quale peccatum sit in viris Religiosis fractio clausuræ per egressum à domo?

SVMMARIVM.

1. *An Prælatus ex vi ordinariæ potestatis possit licentiam impertiri subdito vt domo egrediatur.*
2. *An si quis sine licentia aliqua exeat domo, & clausurã frangat, sit peccatũ ordinariè.*
3. *Pereant mortaliter qui egrediuntur foras sine licentia aut benedictione, ex Peyrinis.*
4. *Quandonam egredieus possit puniri vt fugitiuus.*
5. *An graue sit impedimentum quum quis egreditur è conuentu animo extra illum per multum tempus permanendi.*
6. *Authoris iudicium, & n. 7. 8. & 13.*
9. *An sine licentia Prælati exire non sit mortale peccatum, & n. 10.*
11. *Quandonam ius superioris grauiter lædatur.*

12. *An exitus à clausura in viris etiam repugnante superiore sit aliquando honestus.*
14. *An exitus à clausura sit aliquando obligatorius.*
15. *Duplex difficultas venit enodanda & numero 21.*
16. *An obseruantiarum transgressio si non sit contemptus illius non sit mortalis & numero 17.*
18. *Caietani sententia adducitur.*
19. *An clausura regularium sit præcepta à iure Ecclesiastico, & n. 20.*
22. *An si quis se occultes intendens quod superior non possit ipsum corrigere peccet mortaliter, & n. 23.*

NON loquimur de Apostatis & fugitiuis, isti enim cum iugum Religionis à se excludant sprето claustro, & regulari disciplina, dubio procul mortaliter peccant, sed loquimur de Religiosis, qui animo reuertendi sine superioris facultate domo egrediuntur. Et quidem mihi videtur certum (quod nisi exter specialis aliqua constitutio alicuius Religionis, vt mox dicam)
1 quod † Prælatus ex vi ordinariæ potestatis potest licentiam impertiri subdito, vt domo egrediatur siue ad vtilitatem conuentus, siue proximi, siue propriam, tum quia consuetudo, praxis, & præceptum ita receptum est, & regulæ Sanctorum fundatorum hoc exprimunt, vnde hic interuenit propriè dispensatio ex licentia superioris, quam requirit subditus, ex vi voti obedientiæ, sicut requirit ad expendendum ex vi voti paupertatis, vt *infra* enucleo.

2 Igitur † si quis sine licentia aliqua exeat domum, & clausuram frangat, ordinariè peccatum est; & si materia egressus grauis sit erit mortale, vt in omnibus legibus naturalibus, diuinis, & humanis certum est, in quarum multis est paruitas materiæ, quæ à mortali excusat, etsi materia sit grauis sub mortali obligant, existimo tamen quod sicut proprietas ex genere suo mortalis est, ita egressus à domo sine licentia, quia vt vidimus talis egressus prohibitus est, ex iure naturali, quo tenetur subditus non ponere voluntarium impedimentum sibi imperandi. Legendus est Peyrinis *in Regulam Minimorum cap. 5. §. 19. quæst. 4.*
3 *num. 6.* vbi dicit quod † peccant mortaliter, qui egrediuntur foras sine licentia, & benedictione, tum quia grauis pœna huic egressui ponitur, tum quia in Religionibus reformatis hoc graue malum cẽsetur, & res grauissima. Vnde quatuor Summi Pontifices de quibus infra pœnam carceris imponunt, quod arguit culpam esse mortalem iuxta doctrinam D. Thomæ, *quodlibeto 1. art. 20. ad 1.* & D. Caiet. *2. 2. q. 186. art. 9.* quam

doctrinam Peyrinis ego intelligo qui egres-
sus sit sine vlla licentia, tunc enim † egre- 4
diens potest puniri, vt fugitiuus secus vero si habet tacitam, quamuis in aliquibus Religionibus requiratur expressa, vt dicam *infra resolut. 3. §. 4.* sed videndum restat quum apponere præfatum impedimentum graue sit ita vt sit mortale, & quum leue ita vt sit veniale.

Et quidem † tunc est graue impedimen- 5
tum quum egreditur conuentum animo extra illud per multum tempus permanendi, animo tamen reuertendi; hic, etsi non sit fugitiuus propriè, aut Apostata; tamen mortaliter peccat contra clausuram regularem, quia per multum temporis refugit subiectionem, & priuat superiorem iure suo ipso inuito; sed quantum temporis sparium debeat esse, existimo † quod no- 6
cturnus egressus vnius noctis, hic enim est casus reseruatus à Clemente VIII. *casu 3. nocturna ac furtiua à monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta*; non autem reseruatur nisi peccatum mortale, vnde talis egressio ex obiecto suo mortalis est, secluso quocunque fine male extrinseco, quia per se loquendo talis nocturnus & fugitiuus egressus contrarius est iuri superioris, quod habet ad custodiendum Religiosum, per seque infert scandalum, & infamiam, quamuis per accidens sit occultus, & nulli notus, damnosissimus est talis egressus.

Imo existimo † esse mortale, etiamsi cre- 7
pusculis diei & noctis egrediatur animo permanendi per noctem & diem extra conuentum, etsi sit in crepusculis noctis esse casum reseruatum si nocte extra perseueret; imo etiamsi aliqui eam viderint nocturna fuga mortalis est, & credo quod sit casus reseruatus, quia *furtiua*, ibi non dicitur, quia omnibus occulta, sed quia furtiua fit, hoc est clam & occultè, à Prælato facta, imo etiamsi sit egressio à mane vsque ad vesperam, & per diem integrum si fiat furtiue, & clam puto materiam es- 8
se grauem, nec facile excusarem à mortali maxime in Religionibus in quibus viget Regularis disciplina & datur sufficiens congrua Religiosis, in aliquibus enim contrarius abusus in disciplina regulari est introductus, in quibus non facilè damnarem ad mortale egressus à mane vsque ad vesperam.

Sed impedimentum tunc erit leue, ita- 9
vt † exire sine licentia Prælati clausuram non sit mortale, quum verbi gratia duo Religiosi, vel vnus per communem ianuam exeant foras paulo post reuersuri, hæc enim materia leuis est secluſis præceptis specialibus alicuius Religionis, secluso

etiam scandalo, & fine extrinseco mortali exitus à domo, hic enim, non est moralis grauis subtractio iuris Superioris, & subiectionis Regularis, neque est fuga in rigore, vnde non continet grauem moralem deordinationem, & sic ob leuitatem materiæ
10 erit solum culpa venialis, nisi is vigeat regularis disciplinæ rigor quoad clausuram, vt in Carthusianis, Carmelitis excalceatis, & similibus, quòd graue quid in genere moris in sua Communitate reputetur: quia ex vi regulæ mos iste rigidè obseruatur sicut votum paupertatis in vna Religione rigidius obligat, quam in alia, vel ex consuetudine, vel ex regula & constitutionibus, aut ex indultis Apostolicis, quare si Carthusianus vel excalceatus, sine licentia tacita, vel expressa generali, vel speciali per aliquod temporis spatium clausuram omnem egrediatur mortaliter peccat, quia
11 † ius sui Superioris grauiter lædit, quod ius Superioris ita intactum obseruatur in talibus religionibus, & in similibus, in quibus declaratur, quod taliter debeat obseruari clausura in qua grauitas materiæ desumitur in ordine ad finem, quem religio declarat, & habet in clausura sicut grauitas materiæ paupertatis illa quæ in vna Religione leuis est, in alia grauis iudicatur, vt latè dixi *tom.6.de congrua in digressio.Paupertatis Carthusianæ.*

12 Rursus adnoto quod † exitus iste, & egressus à clausura in viris etiam Superiore repugnãte aliquando est honestus, imo aliquando obligatorius maximè si sit, pro paruo tempore, vt benè Suarez *vbi supra, num.* 11. est honestus si Religiosus indigeat exire ob licitam recreationem, vel ad inuisendum parentes existentes in graui infirmitate, aut incarcerati, tunc enim Superior irrationabiliter est inuitus negans licentiam; quare est licentia tacita legis, vt possit exire; maximè si ex consuetudine, & intelligentia Regulæ, & legis contrarium
13 non sit in vsu, vt existimo † esse inter Carthusianos, & Camandulenses qui strictissime clausuram obseruant, & quamuis Superior localis possit huiusmodi licentiam concedere in præfatis casibus, ex ratihabitione Generalis; tamen nisi illa expressè concedatur existimo hos Monachos non posse licitè ob præfatos fines clausuram exire, in aliis vero, non ita acerbe
14 iudico. Est etiam † aliquando obligatorius, vt quando interuenit necessitas proximè spiritualis proximi, quæ differri nequit, tunc enim sicut obligatur Superior ad dandam licentiam si Superior ex falsa informatione, aut præsumptione, aut paruo affectu nolit eam concedere tenetur subditus exire ad illam necessitatem proximi succurendam, si tamen res dubia sit, tenetur obedire Prælato, & eius opinionem sequi, si præcipiat.

Sed aduersus dicta † est difficultas duplex 15
non parua, primò, quia videtur consequenter dicendum quod quilibet Religiosus teneatur in conscientia & sub obligatione peccati mortalis vel venialis ad obseruandum ea quæ in suis constitutionibus traduntur, etiamsi expresse dicatur non obligare ad culpam, sed solum ad pœnam, consequens autem est contra S.Tho.2.2.*quæ.*186. *art.9.in corpo.* & expressius *in solutio.ad* 1. & D.Caiet. ibidem: sequela probatur, quia eo ipso, quod, quis transgrediatur, & non obseruet v. g. legem silentij, aut ingressionis in cubicula se subtrahit ab obedientia Superioris, & legis, eumque priuat iure suo, respondetur, quod † obseruantiarum (quæ 16
non sunt in præcepto vel iuris communis, vel regulæ, vel Superioris qui expresso præcepto aliquam obseruantiam præcipit (trãsgressio, si absit contempus illius non est mortalis, vt bene D.Tho. quia sunt ordinationes factæ in ordine ad obseruantiam votorum substantialium, vnde ex vi regulæ non obligant, nisi ad pœnam (quamuis ad sustinendam pœnam obligetur regularis professus in conscientia, non enim leges istæ & constitutiones veræ essent leges nisi haberent vim coactiuam, nec distinguerentur à consilio quod nullo modo cogit, sed liberum relinquit, operantem ad illud exequendum quod non habet lex & cõstitutio Regularis, legendus est omnino Doctissimus Nazarius *opusculo de statu & obligatione Religiosorum dub.5.pag.mihi* 205.*de voto obedientiæ.*)

Ast quum, id quod † statuitur in regula 17
est alias præceptum lege Ecclesiastica aut naturali, illius transgressio obligat immediate in conscientia siue venialiter, siue mortaliter pro materia leui, vel graui, vnde ex duplici titulo tenetur, & obligatur, & quia est præceptum, & quia est statutum Regulæ sicut (inquit Caiet. *vbi supra §.ad hoc dicitur*) *si in regula indicuntur inter alia ieiunia etiam illa ieiunia, quæ sunt ab Ecclesia instituta, tenetur Religiosus illa ieiunare non solum ex Ecclesiæ statuto, sed ex suæ regulæ mandato.* 18
Non enim inconuenit præceptum à iure iterum præcipi ab alio iure vel iudice vt patet. Nec propterea iudices me dicere, quod omnia præcepta diuina contenta in regula cadant etiam sub præcepto regulæ quia stat quod cadant sub simplici statuto regulæ, ita quod ex regula non haberent vim præcepti, si cessaret vinculum diuini aut Ecclesiastici præcepti. Hactenus Card.

Cum ergo † clausura Regularium sit præ- 19
cepta à iure Ecclesiastico, quod modificauit ius diuinum de subiectione ex vi obedientiæ, & hoc nõ interueniat in aliis obseruãtiis clausura

clausura obligat ex vi præcepti & obligat ad
19 pœnam sustinendam ex vi regulæ, aliæ vero solum ad pœnam. Vnde dum quis frangit silentium indictum à regula illam transgreditur, & facto se subtrahit ab obedientia legislatoris, si tamen sit paratus subire pœnam nullam culpam committit, si tamen paratus non sit culpam committit, quia ex cõtemptu operatur regulæ. Vnde subtrahit se ab obedientia Superioris potentis punire, & hoc facit qui clausuram frangit, & se absentat inuito & inscio Superiore, & transgreditur præceptum humanum, etiamsi sit para-
20 tus subire pœnam, transgreditur etiam ius diuinum, & naturale quod habet Superior, vt subditus sit in potentia proxima, vt possit dirigi, corrigi, imperari, & custodiri, quam potentiam à se abiicit, qui clausuram frangit ex vi cuius redditur incapax ex natura rei, vt hos actus exerceat circa ipsum Superior: legatur omnino Nauarrus *comment.*4. *cit.n.*35.

21 Secunda difficultas est, quia † etiam videretur mortaliter peccare subditus, qui intra clausuram conuentus, ita se includeret, & occluderet occultando, quod nullus eum possit inuenire, nec vocatus comparere coram Superiore, iste enim subditus ex vi talis occultationis incapax redderetur, vt possit dirigi, corrigi & imperari à Superiore, quare ab eo auffert subiectionem & proximam potentiam ad illi obediendum, non secus ac ille qui frangit clausuram. Respondet, quod
22 † si iste se occultat expressè intendens, quod Superior non possit ipsum corrigere, &c. dubio procul mortaliter peccat, quia refugit subiectionem, quam ex vi voti obedientiæ professus est, (nisi id faciat ex aliqua passione, aut timore) si tamen se occultet non expresse hoc intendens, sed solum ad fugiendas aliquas pœnalitates, aut ex alio motiuo, vt ad ludendum, vel quid simile cum non frangat præceptum clausuræ, sed intra illius septa contineatur, peccabit quidem ex alio
23 capite, non tamen ex hoc, cum Superior intra suum monasterium liberum habeat ingressum, & non admodum difficulter occultus possit inueniri, iste non redditur incapax ex vi occultationis intra monasterium, vt possit corrigi, & imperari sicut redditur ex vi fractionis clausuræ.

RESOLVT. III.

Qualis licentia exigatur, vt sine fractione clausuræ Regularis domo egrediatur.

LICENTIA Superioris duplex est, aut explicita, & expressa, aut implicita, & & tacita de aliis portionibus licentiæ §.4.dicam quod explicita sufficiat nulli dubium.

§. I.

An requiratur causa, vt hæc licentia detur.

SVMMARIVM.

1. *An requiratur causa vt licentia concedatur.*
2. *An dispensatio facta à Papa sine iusta causa sit valida.*
3. *An licentia Prælati inferioris Papæ non sit dispensatio iuris communis, & n.*4.
5. *An finis præcepti de Clausura in viris sit magis ne religiosus discedat à Prælato, quam vt non discedat à loco.*
6. *Nauarri mens affertur. & n.*7. *necnon authoris iudicium, & n.*8.*&* 9.*&* 18.
10. *Subditus non debet diuagari nec se à Prælato subtrahere.*
11. *Licentia debet esse ex causa iusta, remissiuè & num.*12.
13. *An Superior licitè non possit dare licentiam sine iusta causa.*
14. *Non exeundi sine licentia quanta sit grauitas materiæ affertur, & a.*15.
16. *Vrbani VIII. decretum, & n.*17.
19. *Non potest iusta reformatio cuiuscumque monasterij ab obseruantia lapsi fieri, nisi prius constructa domo, ex Nauarro.*

SEd † an requiratur causa dubium est, 1
Nauarrus *comment.*4. *de Regular. num.*36. sentit, quod etiam Papa det licentiam egressus à domo, & sit immunis ab omni culpa dispensans in sua lege, debet, habere iustam causam, vt docent Doctores vtriusque iuris & Theologi cum vtroque Thoma 1.2.*q.*96. *art.*5.*ad* 3. Legislator enim etsi non ligetur legibus suis, quoad vim coactiuam, bene tamen quoad directiuam, vnde † dispensa- 2
tio facta à Papa sine iusta causa, valida est, etsi peccaminosa, quod *infra Resolut.* eodo de aliis vero inferioribus Papæ Superioribus si dant licentiam egressus à domo sine iusta causa, an peccent eam dando, & subditus egrediendo cum tali licentia sine causa concessa? Pellizarius *vbi suprà n.*5. dicit, quod subditus iste non peccat, si secludatur scandalum, & malus finis egressus, sequitur in hoc Suarez *cap.6.citat.num.*12. addens *n.*13. quod nec venialiter peccat, etiamsi egressus sit ad aliquod iter agendum.

Probant Pellizarius & Suarez suam sen- 3
tentiam. Primò, quia † licentia Prælati inferioris Papæ, non est dispensatio iuris communis, sed est conditio requisita ex vi præcepti clausuræ, quod non exigit, vt pruden-

ter licentia detur, nec quod subditus id exquirat, non enim constat ex lege, aut consuetudine; cum præceptum clausuræ solum sit, vt non sit egressus sine licentia, siue detur cum causa iusta, siue sine illa, sicut qui habet præceptum non comedendi sine licentia, & ista sine causa detur, non peccat contra præceptum, etsi, sine necessita-
4 te comedat peccet contra temperantiam; verbi gr. si Superior imponat præceptum, quod non bibatur chocolate in die ieiunij sine licentia, & ita detur sine causa, non peccabit contra præceptum, etsi possit peccare contra temperantiam, quia sine necessitate bibit, & delectationis causa. Secun-
5 dò, quia † finis præcepti de clausura in viris est magis, ne Religiosus discedat à Prælato, quam vt non discedat à loco quotiescunque enim descedit sub voluntate Prælati non discedit à Prælato, etiamsi talis Prælatus voluntatem immerito habeat, & imprudenter licentiam impertiat. Ex quibus infert, & quidem consequenter Pellizarius, quod Superior exiens à Conuentu sine iusta causa, non peccat contra præceptum clausuræ, sicut nec subditus cum licentia, quæ aliis sufficiens est ad egressum
6 Prælatus sibi assumeret.

Sed contrarium † tenet Nauarrus *comment. de Regular.* dicens *n.* 36. *in meis quamuis peccet qui dat licentiam sine iusta causa & etiam, qui vtitur illa sciens non esse iustam non*
7 *tamẽ arbitror incidere ipsum in pœnas exeuntis sine licentia argumento, eorum quæ diximus in comm. 2. de Regular. num. 22. de habente peculium de licentia Prælati absque iusta causa, quæ vero cuiuscunque exitus iusta causa fuerit, arbitror superioris boni viri ac prudentis pro varietate circunstantiarum, personæ, loci, &c. diffiniri debet argumento leg. 1. D. de iure delib. & c. de causis de officio delegati.* Hæc Nauarr. qui perdocte solum eximit à pœna non à culpa.

8 Quæ sententia vtpote conformior iuri communi, & rationi mihi † summopere arridet probatur primò, quia, etsi licentia Prælati inferioris non esset dispensatio, sed conditio requisita, vt præceptum de clausura obseruetur, sicut consilium medici vt licite comedantur carnes in quadragesima ex vi Bullæ Cruciatæ, & tamen quia ad non comedendum carnes in quadragesima ius Canonicum obligat, si licentia detur ad comedendum carnes in quadragesima, sine iusta causa, peccant, qui dant licentiam & qui ea vtuntur: ergo, etiam Superior dans licentiam, sine rationabili causa, vt subditus domo egrediatur.

9 Idem etiam constat clarè in præcepto quod habent Moniales, de clausura seruanda, si enim re ipsa non subsistat causa aliqua ex assignatis à summis Pontificibus non potest Episcopus licite licentiam concedere vt egrediatur, nec monialis tuto egreditur, quia causa debet esse iuridice, & prudenter cognita, ergo cum præceptum clausuræ impositum viris; ne sine licentia egrediantur domum, licentia ista ex iusta causa procedere debet, etsi non procedat frangitur, præceptum, verum est quod subditus non tenetur disquirere an Superior habeat causam, vel non, sed semper debet præsumẽre causam habuisse, etsi subditus eam ignoret, nisi expresse prohibeatur in constitutionibus, quod Superior aliquis in aliquibus casibus licentiam egrediendi non concedat.

Ratio à priori sumitur ex fine præcepti 10
ne † subditus diuagetur, & non subtrahat se à Prælato, qui illum custodire tenetur, & corrigere, cui iuri nequit Prælatus sine causa iusta renuntiare, cum sit contra bonum commune ipsius Religionis, quare voluntas Superioris, vt subditus foras egrediatur debet esse ratione regulata, & per consequens ex causa iusta.

Ad fundamenta opposita facilis est solu- 11
tio ad primũ respondetur, quod ex fine legis constat, quod † licentia debet esse ex causa iusta, vt vidimus, similiter ille qui habet præceptum, non comedendi sine licentia, si ista datur sine causa & hoc illi constat cõtra præceptum sibi impositum peccat, si licentia debet dari ab alio quam ab imponente præceptum ad exemplum quod adducitur de præcepto non bibendi potum chocolaticum sine licentia in die ieiunij iam sæ-
pius dixi, & ter typis mandaui, quod po- 12
tus iste non frangit ieiunium, & si illius meritum adimat, vel diminuat, & multis, & efficacissimis rationibus comprobaui *tom. 2. Moralium, tract.... per tot. & in Appendice*, quas hucusque solutas non vidi, & si aliqui id tentarint tamen sine fructu, si tamen imponatur præceptum, quod sine licentia non bibatur, alius Superior inferior præcipiente, nequit dare licentiam, sine iusta causa sine qua si detur bibens contra præceptum impositum peccat.

Ad secundum respondetur, concedendo 13
illum esse finem huius præcepti, tamen negamus, quod Superior licitè possit licentiam dare sine causa iusta ad egressum à domo, nec subditus si id sibi cõstet licitè potest ea vti, vt in exemplis adductis constat. Verum est quod iuxta consuetudinem religionis, & aliis circumstantiis consideratis, & iuxta statuta ordinis consideranda est iustitia, & honestas causæ, quæ enim in vna Religione est sufficiens, in alia in qua strictior est regularis disciplina non sufficiet.

Vt autem conspiciatur † quanta sit gra- 14
uitas huius materiæ non exeundi sine licentia, & quod ista sit ex causa rationabili, & cum socio designato à Superiore, aduerto quod vnum potissimum ex mediis, quod reformatores Religionum ponunt est istud, & S. August. *in sua Regula, cap.* 10. de signauit & cæteri Fundatores S. Pachom. *art.* 36. *&* 47. & S. Basilius *in regulis fusius disputatis.* Clemens VIII. & Vrbanus VIII. *in Decreto de reformandis Religionibus de an.* 1601. *die* 20. *Martij*, §. 35. *&* 36. *Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur conuentus clausura perpetuo ac diligenter seruetur, &c.*

16 infra † *nullus conuentu egredi valeat nisi ex causa & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione acceptà à superiore qui non aliter eam concedat nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu sed arbitrio suo neque eumdem sæpius, licentia vero generales exeundi nulli omnino concedantur.* Hæc ibi.

Quæ confirmauit Vrbanus VIII. *anno* 1626. *in quo die* 30. *Iulij*, pro Regnis Hispaniæ addit Bullam *ex motu proprio, & ex certa*
17 *scientia*, in qua reuocauit priuilegia, prærogatiuas, immunitates, & exemptiones quorumdam Regularium, inter quas vna erat; *Vt cum socius sibi bene visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur*, &c. quam Bullam ad verbũ refert Peyr. *t.* 1. *priuileg. in paruis, p. mihi* 354. & ibi explicat, sed latius Portell. *p.* 2. *casu* 31. qui etsi dicat non esse receptam, sed ab ea conclamatum maximásque inuexisse inquietudines, tamen tam ex Bulla hac, quàm ex Decreto inducto constat sic declarantibus Pontificibus, quod causa exeundi debet esse rationabilis, cum debeat esse probata. Et quidem vt verum fatear existimo quod hæc probatio licentiæ egressus è domo est ita necessaria, quod ex illa maxime pendeat conseruatio Regularis disciplinæ si vero sine delectu licentia concedatur est ostium magnum aperire relaxationi, dissolutioni, scan-
18 dalis, & mille aliis inconuenientibus, vnde Nauarrus *vbi supra, vers.* 5. dixit † non posse iustam reformationem cuiuscumque Monasterij ab obseruantia lapsi fieri, nisi prius constructa domo in qua omnes monachi possint simul habitare, cui esset porta, & Ianitor continuus, qui aperiret illam, & clauderet opportunè: quoniam alioquin non posset seruari pars illa regulæ de seruanda clausura confirmata per Concilia, & Summos Pontifices.

§. II.

De licentia tacita.

SVMMARIVM.

1. *Iure communi omnis regularis potest iuste exire de licentia Superioris ex Nauarro.*
2. *An parem vim habeat tacitũ & expressum.*
3. *An licentia prudens tacita, habeatur pro expressa, & n.* 4. *&* 5.
6. *An taciturnitas superioris sit prudens motiuum licentiæ tacitæ & n.* 7.
8. *Patris Sanchez sensus adducitur.*
9. *An si taciturnitas superioris non sit pura permissio sed sit approbatio, sit tacita licentia.*
10. *Authoris iudicium, & n.* 11.

DE licentia tacita, quod sufficiat est communis sententia de qua sic Nauarrus *versic. duodecimo num.* 34. † *iure communi* 1
omnis Regularis potest iuste exire de licentia Superioris, non solum Generalis, & Prouincialis, sed etiam inferioris immediati non tantum expressa, sed etiam tacita, & non tantum specialiter, & in indiuidio, sed etiam generaliter data, modo ea detur iusta de causa. Dixi iure communi quia iure speciali, quorundam plus requiritur &c. Et in sequentibus explicat singula quæ dixit. Et quidem quod quum iure communi requiritur absolute licentia sufficiat tacita certum est, quia † parem vim ha- 2
bet tacitum, & expressum *leg. cum quid. D. de reb. cred. cap.* 2. *de rescript.* & licentia ad expendendum ne fiat contra votum paupertatis, quod strictius obligat, tenent omnes fere scriptores D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. D. Bonauent. *tom.* 7. *in speculo discep. ad nouit. p.* 1. *cap.* 4. D. Antoninus 3. *p. tit.* 16. *c.* 1. §. 11. *notab.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 8. expositores D. Thom. ad præfatum *art.* 8. Bannez, Aragon, Arauio, Lorca, Malderus, Suarez, Valentia, & alij quos refert & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 7. *summ. cap.* 19. *num.* 4. cum enim prudenter præsumatur id velle superiorem non fit sine eius licentia, & consensu, vt enim bene Iurisperiti in iure certa regula est quod † licentia pru- 3
dens tacita habetur pro expressa. Sed quando colligi prudenter quis possit Prælatum tacitè consentire latè Nazar. *vbi sup. de voto pauper. pag.* 106. *concl.* 8. aut colligitur ex consuetudine, & vsu communi timoratorũ, aut ex blãda Superioris & affabili cõditione, aut quia subditus diligitur, aut valde æstimatur à Prælato, vel ob consanguinitatem, necessitudinem, aut insignia merita, ancianitatem, & similia, aut quia egressus valde vtilis fuit, 4
vel ipsi Religioso, aut Conuentui, aut proximo, vel quia vocatur à Principe, aut persona magnæ authoritatis, & differri nequit egressus. Aduerte tamen quod rationabilior causa requiritur ad egressum ex licentia implicita, quam ex licentia explicita, vrgentius enim motiuum necessarium est, vt prudenter iudicem superiorem velle me egredi.

Sed

6 Sed est non parua difficultas † an taciturnitas Superioris videntis, tacentis & non impedientis Religiosum domo egredientē sine sua expressa licentia, sit sufficiens, & prudens motiuum licentiæ tacitæ, & ratihabitionis de præsenti, quod talis subditus domo egrediatur, ex vna parte videtur quod sic iuxta *Regulam 43. iuris de regulis iuris in 6. qui tacet consentire videtur.* & ius ciuile idem pro regula tradit *leg. qui tacet D. de regulis iuris leg. 2. §. voluntatem. D. soluto matrim.* & late explicat Barbosa *axioma. 227.* & ad præfatam Regulam iur. canon. *cap. consentire 83. dist.* dicitur, *consentire peccato videtur, qui cum possit resistere tacet.* Ex altera
7 parte videtur quod non sufficiat taciturnitas, cum ex variis motiuis possit Superior tacere, absque eo quod consentiat, & sic ex taciturnitate non colligitur licentia tacita & consensus Prælati, vnde *leg. 3. C. si res aliena leg. filiusfamilias. 8. ff. de procurat.* & aliis iuribus citatis à glossa canonica *cap. nonne de præsumptio.* & glossa ciuilis *ad l. qui tacet cit.* ex taciturnitate non colligitur consensus.

8 P. Sanchez † *lib. 7. summ. cap. 19. num. 12.* hæc duo extrema opposita concordat, & conciliat dicens, quod prima sententia loquitur de taciturnitate purè permissiua, hæc enim non arguit consensum Prælati tacitum ad egressum, taciturnitas enim diuina, qua sine flagello actuali permittit aliquem in plura incidere peccata, non arguit vllatenus consensum in peccatum, sed tolerantiam permissiuam, quæ non excusat à pec-
9 cato. At † si taciturnitas non sit pura permissio, sed sit approbatio quædam ita est tacita licentia, & consensus excusans à transgressione, quæ taciturnitas dicitur *ratihabitio de præsenti*, tunc autem taciturnitas est approbatiua, quum potens impedire non impedit, ex libera voluntate, & beneplacito, secus vero si ex verecundia & timore, quia tunc est pura permissio, & tolerantia.

Hæc doctrina etsi communis, sit satis plausibilis mihi ingerit summam difficulta-
10 tem, † quia si verecundia aut timor non cadit in constantem virum, sed est leuis, & non prouenit à causa extrinseca, quæ facilè vinci potest, non aufert libertatem consensus, nec infert voluntarium mixtum, & sic tacens consentire videtur, & est taciturnitas approbatiua, quamuis enim quæ extorquentur ab extrinseco incusso metu leui in foro conscientiæ sint restituenda, vtpote cum incutiens metum iniuriam faciat, sic dans, renitens dat ob metum sibi ab intrinseco incussum; at quum quis tacet non ob metum incussum leuem ab extrinseco,
11 sed quia ob verecundiam, vel ob timorem à causa intrinseca proueniens, timens ne odiosus fiat, ne damnum ei inferatur, & hic timor leuis est, & non cadēs in constantem virum, sed facile vinci potest, non video cur taciturnitas ista non sit approbatiua prouenit enim hic timor à causa intrinseca, quæ illum potest vincere, vnde si non vincit, cum possit approbat; quod secus est si sit timor reuerentialis, hic enim dimanat à causa intrinseca, scilicet ab illa persona, quæ timetur timore reuerentiali, vt benè Thom. Sanchez *lib. 4. de matr. disp. 9. n. 12.*

§. III.

An consensus de futuro sufficiat ad licentiam tacitam.

SVMMARIVM.

1. *An sit licentia tacita excusans subditum in transgressione voti paupertatis.*
2. *Nazarij mens adducitur.*
3. *An ex morali certitudine consensus futuri colligatur actualis consensus tacitus & virtualis.*
4. *Multorum DD. sensus, & num. 5. & numero 18.*
6. *An cum licentia requiratur ad valorem actus licentia debeat præcedere.*
7. *An vinculum legis non soluatur ex ratihabitione.*
8. *An dum requiritur licentia superioris ad aliquid licitè faciendum, ista licentia ponatur vt conditio actus.*
9. *Patris Sanchez opinio, & num. 10. & 11. necnon authoris iudicium, & num. 12. & 13. & 15. & Vlpiani mens adducitur, & num. 14.*
16. *An licentia dependens ex consensu futuro non præcedat.*
17. *An sufficiat licentia tacita ex ratihabitione consensus Superioris.*
19. *An ad valorem actus requiratur licentia tacita ex ratihabitione consensus, & n. 20. & 21. 22.*
23. *An habilitas ad exercendum actum validum sit requisita de iure diuino.*
24. *Ratio difficultatis affertur.*
25. *An omnia gesta per Episcopum aut Pontificem, qui vere non est talis sint invalida.*

SEd antequam hinc digrediar non possum non disputare grauissimam difficultatem circa hanc licentiam tacitam, quæ est principium morale ad plures difficultates deseruiens, † an sit licentia tacita excusans 1
subditum in transgressione voti paupertatis & præcepti de clausura, dum operatur credens fore, quod Superior licentiam daret, sic operandi, quamuis modus operandi sine licentia expressa dumtaxat displiceret, late disputat & erudite vt assolet P. Thomas Sanchez

chez *vbi supra, num. 13.* quem sequitur Nazarius *vbi supra de voto paupert. dub. 8. conc. 3. & 4.* & quod sufficiat probatur *leg. inter omnes 16. §. recte D. de furtis.* ibi † *Recte dictum est qui putauit se Domini voluntate rem attingere non esse furem. Quid enim dolo facit, qui putat Dominum consensurum fuisse? siue falso siue vero putet, is ergo solus fur est qui adtrectauit quod inuito Domino se facere sciuit.* Hactenus Vlpianus. Hoc autem ideo est, quia adtrectat rem alterius ex tacito consensu, & tamen consensus est in futurum, cum putet Dominum consensurum fuisse.

Vnde † ex morali certitudine consensus
3 futuri colligitur actualis consensus tacitus & virtualis, & quasi quadam iuris fictione censetur quis tacite, & virtualiter consentiens, ex eo quod recto moraliter iudicio consensurum, ita colligo ex D. Thom. *in 4 dist. 15. q. 2. art. 5. q. 4. in corpo.* quod repetit *2. 2. q. 32. art. 8. ad 1.* quamuis in priori loco agens de eleemosyna elargienda à monacho dicat sub spe ratihabitionis Abbatis eam posse facere, & in secundo dicat id posse facere de licentia Abbatis vel expresse habita vel probabiliter præsumpta, quæ videntur in idem reincidere, nam probabiliter præsumitur licentia quum iudico Abbatem ratihabiturū,
4 & consensurum. Vnde † Tabiena, Sylvester, Rosella, Angelus verbo *furtum* ex præfata doctrina colligunt, non esse furti reum, qui accipit alienum absque Domini licentia, quando prudenter credit Dominum petita licentia concessurum, & in hoc conueniunt
5 omnes quos citat Sanchez quamuis aliqui dicant requiri certitudinem moralem futuri consensus, alij quod sufficiat cognitio probabilis orta ex iusta credendi causa, quæ cognitio est moralis quædam practica certitudo cum sit iudicium prudētiæ quod est euidens & certum, sine quo est improbabilis & temeraria cognitio practica.

Ex alia vero parte videtur quod ratihabitio de futuro consensu, etiamsi certa moraliter sit non sufficiat ad excusandum à
6 transgressione, primò, quia † cum licentia requiritur ad valorem actus licentia debet præcedere, vnde est constans, & certa sententia, quod ad valorem sacramenti pœnitentiæ, & matrimonij non sufficit ratihabitio præfata de licentia, & consensu futuro, vt late probat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 35. à num. 7.* secutus Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 72. sect. 3. vers. hinc sequitur.*

7 Secundò, quia † vinculum legis non soluitur ex ratihabitione, quod legislator dispensaret si peteretur ab eo licentia, quia futura dispensatio nō soluit vinculum, quod actu ligat, alias mille absurda in dispensationibus matrimonialibus, & aliarum inhabilitatum iuris, introducerentur, non enim sufficit quod Superior solitus sit dispensare, vt sine venia & dispensatione actuali contra legem obligantem operetur, ex hoc enim ostium magnum aperiretur ad relaxationem & euersionem disciplinæ Ecclesiasticæ, & regularis.

Tertiò, quia dum † requiritur licentia 8
& consensus Superioris ad aliquid licitè faciendum ista licentia ponitur, vt conditio actus: ergo vt iste licitè, & validè fiat illa debet præcedere, & actus adesse, alias actus impunè fieri nequit, cum vinculum legis non soluatur, nisi illa adsit, sicut ait D. Thomas *2. 2. quæst. 122. art. 1.* quem sequitur *ibi.* D. Caiet. ad hoc quod cessit obligatio legis, ex vi epycheiæ, & æquitatis necessum est quod iudicetur, quod mens legislatoris est, quod in hoc particulari deficit lex contraria ab eius intentione. Vnde debet esse ratihabitio de præsenti voluntate, nec sufficit de futura.

P. Thomas Sanchez *n. 15.* † dicit requiri 9
voluntatem Superioris quasi actualem, & ratihabitionem illius quasi de præsenti, taciamque licentiam; quæ colligitur ex experientia, qua compertum est libenter solitū esse Superiorem licentiam eam concepere, nec notabiliter ægre ferre, vt non petatur: vnde vt iudicetur esse licentia tacita, debet iudicari de præsenti adesse actus in voluntate saltem virtuali, aut habituali Superioris, quæ velit id à subdito fieri, quāuis aliquantulum sit inuitus, quoad modum, nollet enim id fieri nisi petita licentia, secus si esset notabiliter inuitus quoad modum. Itaque requiritur credi probabiliter Supe- 10
riorem per voluntatem virtualem actu velle, etsi mallet licentiam peti; at non est notabiliter; sed aliquantulum inuitus eo quod non petatur, tunc enim erit solum culpa venialis, carebitque omni culpa, si nec quoad modum creditur eos nō fore inuitos, hæc fere Sanchez qui addit vt soluat funda- 11
menta partis negantis quod in materia sacramentorum est maior rigor, vt enim ista valide exerceantur, requiritur ratihabitio de præsenti, ita vt iudicetur prudenter Superiorem actu virtuali consentire; & non repugnare dum actu videt, aut scit.

Ego quidē in re valde difficili & ad praxim valde necessaria; existimo primò, † quod 12
quando requiritur licentia vt aliquid licite fiat & absque peccato sufficit licentia tacita quæ colligitur ex ratihabitione consensus futuri non quod iste sufficiat, quia cum sit futurus & nondum existens non potest influere in operationem, sed quod ex isto, qui moraliter certe iudicatur futurus præsumitur adesse actu voluntas Superioris saltem virtualis moraliter (neque enim purē habitualis sufficit, sicut neque ad meritum,

aut

aut demeritum) qua iudicatur & præsumitur prudenter velle dare licentiam ad actum exercendum , ad quem requiritur licentia Superioris , hoc manifestè probat. *lex inter omnes citata* , & doctrina adducta pro parte
13 affirmatiua, quæ optimam reddit rationem, cur ille non sit fur, quia *putauit se domini voluntate rem attingere.* & explicat ibi eleganter Gotifredus. *Litter. G.* animum enim affectumque furandi non habet , dum putat se Domini voluntate rem attingere. Sed vnde
14 † colligit Vlpianus,quod iste Domini voluntate rem attigit, quia *putat Dominum consensurum fuisse.* & sic ex consensu futuro putato prudenter, colligit manifestè actuali virtuali voluntate tacita Domini rem attingere & eam aufert , non inuito Domino & sic fur non est. Quare clarum est,quod ex consensu futuro prudenter iudicato colligitur tacita voluntas Domini,aut Superioris.

15 Existimo secundò , dum agitur de actus validitate,tam in foro fori,quam in foro poli,& ad illam requiritur licentia , ista debet esse , vel expressa , vel tacita quæ colligatur ex ratihabitione consensus de præsenti , & non sufficit de futuro consensu etiamsi certo iudicetur futurus, hæc conclusio mihi indubitata est. Probatur primò , quia quoties ad actus valorem requiritur licentia ista debet præcedere, vt causa simpliciter requisita. *Authent. licentia. C.de Episcopis & Cleric. leg.si quis militi.§.iussum D.de acquirend. hæredit.* & cum multis tenent Tiraquellus *ad leges connub.glossa.6.num.7.* Matienzo *leg.5.recopilat. tit.3.lib.5.& tit.7.leg.3.glossa.1* .An-
16 tonius Gomez *leg.42. Tauri à n.1.* atqui † licentia dependens ex consensu futuro , non præcedit sicut nec iste , vnde semper est in pendulo, vt actus approbetur, vel reprobetur , vnde cum sit necessaria ad valorem actus debet influere motum quum actus est , vt ab illa valorem accipiat non autem potest influere nisi de præsenti sit quum est actus.

17 Quod vero † sufficiat licentia tacita ex ratihabitione consensus Superioris de præsenti etiam mihi est certum, ex doctrina, *c. omnis vtriusque de pænit. & remiss.* vbi requiritur licentia proprij sacerdotis , vt alienus possit validè absoluere à peccatis mortalibus, & tamen sufficit tacita ex ratihabitione de præsenti, quia vidente,sciente, & tacente Ordinario, & proprio sacerdote alienus absoluit,illa enim scientia & patientia habetur pro legitima licentia requisita ad actus valorem, vt latè probant † Lupus *rubric.de dona-*
18 *tio.* §.68. *num.* 27. Corsetus *in singularibus Litt. L. verb.licentia* , quos refert & multos alios hoc idem tenentes Thomas Sanchez *lib.3. de Matrim.disp.35.num.17.18.& 20.* quos vidi sunt D.Caiet. *in Summ.verbo absolutio ex parte absolutionis versic. licentia.* Roselas *verb. confessio.3.n.31.* Angelus *n.3.* Syluester *verb.confessor.1.quæst.6. & quæst.15.* & omnes Summistæ , *verb. absolutio , aut verb. confessor,aut confessio*,nec est necessarium eos referre , quia hodie indubitatum est apud Auctores,dum agunt de Sacramento pœnitentiæ & matrimonij.

Verum obiicit aliquis,si quando † ad va- 19
lorem actus requiritur licentia tacita ex ratihabitione consensus de præsenti,ergo etiam sufficiet licentia tacita cum ratihabitione consensus de futuro quem certo futurum prudenter iudicamus , vt enim dicebamus *conclusio.1.* ex tali certa existimatione colligitur in Superiore esse actu voluntatem virtualem moraliter , à qua dimanat licentia, quæ sicut sufficit ad honestandum actum, ita erit sufficiens ad dandum valorem ipsi actui.

Respondetur esse longe diuersam ratio- 20
nem , quia † cum licentia ad valorem actus requisita sit à iure , vt actus valide exerceatur in foro externo , quod primo & per se attendit , requiritur , quod hæc licentia dimanet à consensu expresso, qui præsumitur actu adesse , vt licentia illa , etsi non sit expressis verbis data, sed tacita sit,tamen signo aliquo externo præsumpta propter consensum actualem præsumptum Superioris , & non sufficit virtualis, illa voluntas moraliter existens ; cum qua compatitur dissensus 21
actualis præsumptus cum quo non compatitur valor actus, ad quem requiritur licentia , quæ non subsistit cum tali dissensu , ast ad honestatem actus sufficit , quod quis habeat prudens iudicium,quod Superior habiturus sit consensum,quamuis alias non consentiat,sed dissentiat,cum eius dissensus futurus non euertat,voluntatem illam virtualem moraliter, quæ præsumitur , quæ sat est ad honestatem actus.

Ex quo fit manifestum id quod bene ad- 22
uertit Thom.Sanchez *lib.3.de matrimo. disp. 22.n.64.* contra Petrum de Ledesma *de matrim. quæst.45. art.5.punct.3. dub.4.fol.192. vol.2.in fine*,quod sacerdos,qui audit confessiones ex licentia Episcopi ficte illi concessa, vel ex ratihabitione de præsenti cõsensu,cũ tamen Episcopus interius dissentiat actu valide absoluit,& idem iudicium esto de assistentia ad matrimonium celebrandum. Ratio est , quia nullitas talis licentiæ occulta est nullo signo externo manifestata , neque antecedenter,neque in ipso actu. Vnde adest communis error quod adsit talis licentia requisita ex iure humano, & est titulus præsumptus datus à Superiore. Vnde Ecclesia supplet illum defectum , & concedit iurisdictionem , vt actus illi validi sint.

Quod

23 Quod secus esset † si habilitas ad exercendum actum validum esset requisita de iure diuino , tunc enim Ecclesia illam supplere nequit , etiamsi adsit communis error de tali habilitate , vt si aliquis communi errore iudicetur , & teneatur pro vero sacerdote , cum non sit , nequit valide absoluere à peccatis , qui ad hoc requiritur iure diuino , quod sit Sacerdos , nec Ecclesia potest quod non Sacerdos absoluat à peccatis omnia hæc expressit *leg. Barbarius.ff.de officio Prætoris* , vbi Iurisconsultus dans rationem
24 † cur valida sint gesta à seruo existimato vero iudice, cum non esset talis ob impedimentum occultum seruitutis , sic loquitur. *Verum puto nihil eorum reprobari cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem.* Ex quibus clare constat. Primum , quod Ecclesia supplet impedimentum defectus iurisdictionis , & licentiæ. Secundum quod non potest supplere impedimentum defectus ordinis, quia hoc est iuris diuini,& illud est iuris humani.

25 An vero † omnia gesta per Episcopum aut Pontificem , qui vero non est talis inualida sint , de Pontifice alibi disputo, de Episcopo existimo , quod si re ipsa non est Episcopus , quia non baptizatus , vel non ordinatus , quod ea quæ dependent ex potestate ordinis Sacerdotalis , aut Episcopalis vt alios absoluere à peccatis ordinare consecrare , &c. non sunt valida , secus vero,quæ dependent à iurisdictione Ecclesiastica , vt excommunicare , dare licentiam viris Sacerdotibus ad absoluendum à peccatis, sententiam in litibus pronuntiare , &c.

§. IV.

Dubia quædam ex præiacto fundamento resoluuntur.

SVMMARIVM.

1. *Authoris iudicium assertur.*
2. *An expressum non dicatur quod specifice exprimitur . & n.2.*
4. *An possit esse licentia specialis tacita.*

VAlde vniuersale est principium indultum , ne tamen in sua vniuersalitate occultum maneat casibus specialibus applicandum , quod scriptoribus moralibus valde conuenit maxime his temporibus, repe-
1 tere enim † duntaxat principia alicuius scientiæ, est *eamdem canere cantilenam* quod tædium adfert , præter quam quod multi caligant in lumine principiorum , non valentes sufferre radios solis , & sic illis lumen pro tenebris est & noctem in illis circum ferentes oculis , nisi lumen illorum accommodetur capacitati, vt si Docti ex principiis colligiunt conclusiones, si indocti ex conclusionibus venerentur principia, ego vero debitor sum sapientibus , & insipientibus, omnibus enim scribo.

Prius tamen quam dubia & resolutiones inducam , noto ex Thoma Sanchez *lib. 3. de matrim. disput.45.num.2 & 4.* quod † ex- 2
pressum non solum dicitur, quod specifice exprimitur , sed etiam , quod generalibus verbis , & sub eorum significatione comprehenditur Glossa *leg.* Lucius *verb. non ad matrim. de vulg. substit.* Tiraquel. *vbi supra glossa 7. num.* 86. Molina *de primog. lib. 1. cap.* 17. *&* 18. Rursus licentia specialis aut est contra distincta à generali , & tunc est quæ datur ad actionem specificam exer- 3
cendam , semel vel pluries , aut sumitur specialis prout idem est , quod expressa & tunc licet non exprimatur aliqua actio in specie comprehenditur , tamen hæc actio sub generali verborum significatione vt si detur alicui licentia ad exercendum omnia munia ad animarum curam pertinentia est expressa, specialis licentia ad audiendas confessiones , assistendum matrimonio, &c. Ita Stephanus *clement. 1. de priuileg.* vbi Anchar. *quæst.3.* Bonifacius *num.17.* vbi dum dicit textus *de licentia speciali* explicant *expressa* & Sanchez pro eodem alios citat , sed ego existimo quod † potest esse licentia spe- 4
cialis tacita, vt si Episcopus videat & consentiat aliquem administrare munia Parrochi, & cum possit impedire tacet, & sic est, ratihabitio de præsenti , rursus quamuis licentia specialis sit expressa , non tamen omnis expressa est specialis; cum possit esse generalis.

SVBRESOLVT. I.

An sufficiat licentia tacita ex consensu de futuro, vt Religiosus domo egrediatur sine socio?

SVMMARIVM.

1. *An sufficiat licentia tacita ex ratihabitione de futuro ,vt quis Religiosus solus sine socio domo egrediatur.*
2. *Punctum de non exeundo solo sine socio mansit in vi constitutionis cuiuscumque religionis.*
3. *Religiosum solum procedentem , diabolum solitarium vocabat D.Thomas, & n.5.*
4. *Thomæ Cantiprat sententia adducitur.*
6. *Non quælibet licentia tacita de futuro consensu superioris sufficit , vt quis sine socio solus domo egrediatur.*
7. *An magis sit necessarium quod quis cum socio foras egrediatur, quam quod non egrediatur sine licentia.*

8. *An extet præceptum Ecclesiasticum quod Regulares soli domo non egrediantur.*
9. *Iustiniani Imperatoris mens.*

1 IGitur ex præfato principio resoluitur primum dubium, † an sufficiat licentia tacita ex ratihabitione de futuro, vt quis Religiosus solus sine socio domo egrediatur in his Religionibus in quibus in hac parte viget regularis obseruantia. Imprimis aliquis posset dicere, quod non est præceptum Ecclesiasticum, quod Religiosus non exeat solus non enim est ius aliquod quo id determinatiuè. Sed solum quod non exeat sine licentia Abbatis, aut Superioris, quare hæc solum prohibetur ex regula, aut constitutionibus aliquarum religionum, & *in Decreto pro reformandis Regularibus edito* à quatuor Summis Pontificibus Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. & confirmato ab Vrbano VIII. de quo decreto supra feci mentionem, & dixi non esse receptum in Hispania, & *cap. Monach. de stat. Monach.* solum loquitur, & prohibet ne Monachi soli ponantur in quascumque parrochiales Ecclesias, vt ibi soli permaneant, sed quid ego sentiam infra ponam.

2 Quare † punctum hoc de non exeundo solo sine socio mansit in vi constitutionum cuiuscunque Religionis in omnibus ferè id cautum est ab Antiquis, & Modernis Fundationibus qui Christum imitantes, Lucæ 10. *num.* 1. *& cap.* 14. *num.* 2. mittentem binos discipulos ad prædicandum: & ipsi statuerunt, vt soli Regulares domo non egrederentur, sed quod egressurus accipiat comitem egressionis suæ, vt dicit S. Pachomius *in Regula, artic.* 30. *&* 34. & ex multis aliis probant Abbas Ananias *in concordant. c.* 72. §. 2. Nigronius *in Regulam Societ. Reg.* 43. *à n.* 16. vbi ex patribus id grauiter commentatur, & ornat, & videri possunt Cornelius à Lapide *ad cap.* 1. *Luc. n.* 1. §. 2. vbi aliter Salmeron *tom.* 6. *tract.* 47. Garreus *ad Regul. S.*
4 *Pachom. art.* 34. refert † quod D. Thom. Religiosum, qui solus procedebat vocabat *diabolum solitarium.* & S. Greg. Magnus *lib.* 10. *Registr. in dicto.* 5. *epist.* 22. *ad Ioannem Subdiaconum Rauen.* quendam contrariũ, quem sibi Monachi Abbatem eligere solebant S. Pontifex id prohibuit, *Cognoui* (inquit) *quia ad Monasterium quod in Piceni Prouincia situm est solus pergere, sine aliquo fratrum suorum præsumpsit. Ex quæ eius actione cognoscimus, quia qui sine teste ambulat rectè non viuat. At quomodo aliis regulam teneat, quam sibimetipsi tenere nescit?* Vnde Thom. Cantiprat. *lib.* 2. *apum, cap.* 11. §. 2. ait † *Credo solis, id est, sine socio foris ambulantibus mille infortunia, & plura quam credi potest sæpius incurrisse in quibus necopere, nec saltem animo offendissent si custos fratris socius adfuisset.*

Hoc vt certum suppono, & quod nisi adsit vrgens necessitas, vtilitas proximi, aut Religionis grauiter peccaret Superior qui solum sine socio foras emittit religiosum qui ex regula comitatus debet exire, ô, Beata Religio in qua hoc est, in rigorosa obseruantia? existimo enim verissimum, quod † qui solus ambulat sit *Diabolus soli-* 5
tarius, qui cum sine teste ambulat rectè non viuit, imo ferè certum si iuuenis sit, aut non singularis virtutis quod incidet in mille pericula, raro enim scandala veniunt, nisi à Diabolo isto solitario, & religioso insociato, & sic *Væ soli*, & væ illi per quem scandalum venit, vnde puto quod † non 6
quælibet licentia tacita de futuro consensu Superioris sufficit, vt quis sine socio solus domo egrediatur, magis enim † necessarium iudico, quod cum socio quis foras 7
egrediatur, quam quod non egrediatur sine licentia, & sic multo grauior decet esse causa, & vrgentius motiuum, vt ex tacita licẽtia honestè egrediatur sine socio, quam quod egrediatur, sine expressa licentia.

Quare mihi certum videtur quod † ex- 8
tet præceptum Ecclesiasticum quod Regulares soli domo non egrediantur, ex textu *in quo Monachi cit.* vbi Concil. Lateranens. sub Alexandro III. post verba citat. dicit: *Nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent Salomone dicente, soli, quia cum ceciderit non est qui subleuet eum cap.* 4. *Ecclesiastes*, quod consuetudo in religionibus in quibus viget rigor moderatus regularis disciplinæ sic intelligitur, vt medium valde necessarium ad custodiam castitatis, & aliorum præceptorum, vnde † Iustinianus Imperator *in Nouella de Monach.* 6. *collat.* 1. adhuc in Monasterio vult *esse Mona-* 9
chos associatos. Vt testes alterutri sint honestatis, & castitatis, quæ ratio multo magis vrget dum domo egrediuntur? quare hoc præceptum modificatio est, vt non egrediatur sine licentia, parum enim istud proficiet si licentia data, vt solus insociatus, quis domo egrediatur. Verum est, quod ad hoc possunt esse causæ honestæ, vt Superior sine socio foris aliquem mittat, quæ vrgentiores debẽt esse, quã vt concedat egressum cum socio.

SVBRESOLVT. II.

Vtrum in aliquibus Religionibus requiratur licentia expressa, & non sufficiat tacita?

SVMMARIVM.

1. *An præceptum clausuræ regularibus impositum à iure canonico, magis vel minus exerat vires suas ad obligandum iuxta varias regulas religionum.*
2. *Non omnes regulares sunt ad æqualem clausuram obligati, ex Nauarro.*
3. *Authoris iudicium, & n.* 4.
5. *Quid ex doctrina tradita veniat colligendum, & num.* 6.
7. *An omnes Religiosi solemniter professi æqualiter obedientia solemni adstringantur.*
8. *An licentiæ generales nisi in viris Apostolicis sint omnino reprobandæ.*

DVbium secundum, cum semper sit requisita licentia saltem tacita an in omnibus Religionibus sufficiat ad egressum, sed requiratur in aliquibus expressa, respondetur, quod † præceptum clausuræ Regularibus impositum à iure canonico, magis vel minus exerit vires suas, ad obligandum iuxta varias regulas, & constitutiones diuersarum religionum, & iuxta consuetudinem legitimè præscriptam, quæ valde est attendenda vt conspiciatur vis obligationis, & an sit ad mortale vel ad veniale, magna est enim vis consuetudinis vt vim præcepti aut eneruet, aut augeat, & explicet, sicut constat in obseruantia voti paupertatis, quo adstringimur ad non recipiẽdum, retinendum & expendendum sine licentia, quæ laxior, aut strictior est iuxta varias Religionum regulas, consuetudines, & statuta, in aliquibus enim nihil notabile potest Religiosus professus expendere sine expressa licentia Superioris, sic ait Doctissimus Nauarrus *n.* 33.
2 † *Non omnes Regulares sunt ad æqualem clausuram obligati. Alij sunt obligati ad totam & solam clausuram iure communi præceptam, alij ad maiorem suis statutis, constitutionibus aut consuetudinibus præscriptu auctam & longe strictiorem factam, vt Carthusiani, & alij ad minorem ex priuilegio Apostolico vel consuetudine rationabili præscripta diminutam & relaxatam*, &c. Vnde consuetudo, constitutio aut statutum mitigans, aut restringens præceptum clausuræ mitigabit aut restringet malitiam
3 egressus à domo, vnde existimo quod † Monachus Carthusius & si qui sunt alij, qui simile habeant statutum, aut consuetudinem si egrediatur foras sine licentia Generalis exceptis causis in eorum statutis exceptis mortaliter peccat contra præceptum Ecclesiasticum in materia graui, vt talis reputata in sua Republica & communitate, quare iudico quod licentia tacita etiam de præsenti in his
4 Religiosis non sufficiat, nisi forsan prior ita expedire iudicauerit in aliqua circũstantia, in qua potest vti Epicheia, quia ex obseruantia legis præfatæ sequitur aliquod graue inconueniens aut damnum iuxta doctrinam vtriusque Thomæ 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 1. vbi id

solide enucleatur.

Ex qua Doctrina colligitur quod Apostoli, & discipuli Domini etiamsi fuerint vere 5
Religiosi, & emiserint tria substantialia vota; tamen habuerunt licentiam generalissimam à Christo Domino eundi in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ, & ex vi Apostolatus, & discipulatus habent quod possint, quocunque adire, sicut & Episcopi Regulares, etsi ex vi dignitatis absoluantur ab obedientia Prælati Regularis, & sic non indigeant eius licentia tamen non absoluuntur ab obedientia Summi Pontificis, qui sicut dat illis administrationem generalem circa temporalia quæ compatitur cum voto solemni paupertatis, ita dat licentiam generalem egrediendi foras to- 6
ties quoties iudicauerint expedire; similem licentiam habent Religiosi militares à magno magistro etiamsi in propriis domibus habitent, hæc enim requiritur ex vi voti obedientiæ, vt explicatum relinquimus, quamuis tamen votum solemne obedientiæ sicut & votum solemne paupertatis æqualem habent naturalem obligationem, & sic † omnes Religiosi solemniter professi æqualiter 7
sunt pauperes, & æqualiter obedientia solemni adstringantur, tamen sicut in Religionibus est inæqualis materia paupertatis, quia in vna est laxior licentia ad expendendum, quam in alia ita inæqualis clausura, quia in vna est laxior interpretatio licentiæ egressus, quam in alia.

Colligitur secundò, † licentias generales 8
nisi in viris Apostolicis, & singularis virtutis, & exempli omnino esse reprobandas, nisi ad negotium aliquod particulare, vt limitem prosequendam, proximum defendendum, & ad tempus determinarum, quo finito expiret licentia. Quatuor enim illi Põtifites in decreto de reformandis Religionibus has licentias penitus excluserunt vti Regulari disciplinæ valde perniciosas in Regularibus obseruantiã profitentibus licentia tamen ista generalis concessa non est tacita, vt putat Pellizarius sed est expressa etsi non specialis, sed generalis vt dicebamus supra ex Thoma Sanchez.

SVBRESOLVT. III.

An eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam teneatur adesse tacita?

SVMMARIVM.

1. *An eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam ad egressum è domo censeatur iam adesse licentia tacita.*
2. *Nazarij mens adducitur. & n.* 3.

4. *Dives tenetur ad subleuãdam miseriam pauperis in graui necessitate existentis.*
5. *An sit statutum aut sit constitutio, quòd in aliquibus casibus Superior immediatus det licentiam ad egressum.*

1 DVbium tertium, an † eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam ad egressum è domo censeatur iam adesse licentia tacita, etiamsi Superior deneget expressè; & quidem quando Superior denegat licentiam ad obseruantiam aliquod naturale præceptum, vt succurrere proximo in n aliqua extrema, aut vrgentissima necessitate existente, cum tunc non obliget præceptum obedientiæ, *arg. ex doctrina D. Tho. 2.2. quæst. 32. artic. 8. ad 1.* quare si Superior deneget licentiã egrediendi subditus egredi valet tuta conscientia: quare solum loquimur de licentia requisita ad egressum ob aliam causam, & operationem faciendam, quam non facere non est contra rectam rationem: tenetur tamen Superior licentiam dare, ita vt si neget irrationabilis, & imprudens sit negatio tamen subditus obediendo Prælato, & non egrediendo nihil inordinatum facit. † Magister Ioannes
2 Paulus Nazarius *opusc. de tract. Religio. dubit. 8. de voto paupert. conc. 5.* negatiue respondet tum quia cito rueret obseruantia clausuræ, facile enim subditus diceret prælatum irrationabiliter negare, sibi licentiam egressus, & sic quod secundum rationem tenebatur eam concedere, & sic tacitam habere se licentiam diceret, quod omnino ab-
3 sonum est, quando enim requiritur licentia ad aliquid agendum quod non agere non est peccatum, nec à professione alienum, si licentia expresse denegetur tacita colligi nequit à subdito, sed tenetur Prælato obedire, & si iste irrationabiliter deneget, voluntas, & licentia debita non est voluntas, aut licentia, quando opposita actualiter perseuerat.

4 Secundò, quia certum est, † diuitem teneri ad subleuandam miseriam pauperis in graui necessitate existentis, & tamen ex hac obligatione non acquirit ius aliquod pauper, neque colligitur tacita voluntas diuitis, vt potest pauper capere à diuite, id quod sufficit ad subleuandum suam miseriam, quia cum diues expresse deneget, est actualiter inuitus (etsi irrationabiliter) & sic pauper furtum committit: ergo similiter in casu.

5 Hæc sententia valde probabilis est, quam ego sequor sub distinctione, aut enim est † statutum aut constitutio, quod in talibus casibus Superior immediatus det licentiam ad egressum, & sic si iste deneget potest subditus egredi tuta conscientia, quia Superior denegat contra legem, & statutum, nisi occurrat aliqua grauis circumstantia propter quam non expediat legem implere, tunc enim tenetur subditus obedire, & non egredi: si tamen non adsit lex, aut constitutio ista. Sententia Nazarij vera est, & bene probant argumenta adducta.

SVBRESOLVT. IV.

Vtrum tacita licentia sufficiat in voto paupertatis.

SVMMARIVM.

1. *Duplex licentia tacita admittitur.*
2. *An receptio, & retentio eo ipso quod fiant cum iudicio Prælati non dissentientis, imo consentientis honestentur.*
3. *Quæ dominij translatio vt valida sit requirat voluntatem actualem tacitam saltem Superioris.*
4. *Quod licentiam expressam inter & tacitam discrimen intercedat, & n. 5.*

DVbium quartum, an eadem tacita licentia sufficiat in voto paupertatis ad recipiendum, retinendum, & expendendum, *supra §. 3.* diximus † duplicem esse 1
licentiam tacitam vnam ex consensu futuro, quam certum futurum existimamus, & quod hæc sufficit ad honestatem actus, alterum ex consensu de præsenti ratihabitione; & hæc requiritur ad validitatem actus. Vnde ad dubium præpositum respondetur, quod ad recipiendum, & retinendum absque peccato proprietatis sufficit licentia tacita ex consensu Superioris futuro, at vero ad expendendum sufficit & requiritur licentia tacita ex ratihabitione de præsenti. Ratio prioris partis est, quia † receptio, & retentio eo ipso quod fiant 2
cum iudicio, quod Prælatus non dissentiet imo potius quod consentiet honestantur, quia non fiunt animo proprietario. Sed cum subiectione ad Superiorem. Ratio posterioris partis est, quia expendere est transferre dominium rei in alium, siue donando, siue emendo, vendendo, & alio modo, hæc autem † dominij translatio, vt 3
valida sit, requirit voluntatem actualem de præsenti tacitam saltem Superioris siquidem ad actus valorem exigitur ratihabitio de præsenti. Vtrumque probaui *loc. cit.*

Sed priusquam ad alia dubia procedamus auertendum † discrimen inter licen- 4
tiam expressam, & tacitam; quod licentia expressa generalis data semper perseuerat quousque reuocetur, vt tenent Nauarrus *consil. 4. de Cleric. non resident.* Sylvester *verb.*

verb. delegatus, quæst. 15. Sanchez *lib. 8. de matrim. disputat. 28. num. 83.* vbi alios citat quibus adiungo alios qui idem tenent, vt Portel. *in respons. moral. p. 3. casu 34.* & Glossa *cap. si super gratia, n. 2.* ego ipse *tom. 2. moral. tract. 12. n. 817.* etiam si addatur in licentia *ad beneplacitum*, vt ibidem probaui & est communis sententia ex qua plura colligit Sanchez quem imitatur Portel. *vbi supra &*
3 *tom. 2. Respons. moral. casu 71. n. 5.* Ast † licentia tacita orta siue ex ratihabitione de præsenti siue de futuro, solum durat pro illa vice, qua habetur talis ratihabitio, cum hæc semper non perseueret nec sit signum eius perseuerantiæ, quare clericus qui ex rati-
habitione de præsenti vel audit confessio- 4
nes, vel assistit matrimonio solum pro illa vice, qua est talis ratihabitio id potest facere valide, quæ doctrina valde est notanda.

SVBRESOLVT. V.

An licentia tacita ex consensu futuro, sufficiat ad egressum, si ea vtatur quis ad malum?

SVMMARIVM.

1. *An tacita licentia quam quis habet ad egressum à domo, sit sufficiens ad excusandum egressum, si ea vtatur ad malum. & n. 2.*
3. *Authoris iudicium asseritur & n. 4. & 5.*
6. *An si religiosus haberet licentiam tacitam ad egressum à domo, etiamsi hunc faciat ex malo fine, non frangat clausuram.*
7. *An religiosus qui clam accipit ea quæ ad solum vsum sunt necessaria, nequeat ea diuendere.*

1 DVbium quintum, an tacita licentia, quam, quis habet ad egressum à domo quia iudicat prudenter Superiorem consensurum in egressum, quia amicus, & sibi beneuolus est; si ea ipse vtatur ad malum sit sufficiens ad excusandum egressum, P. Tho. Sanchez *in summa lib. 7. cap. 19. num. 13. vers. explicant autem*, in alio simili negat dicens, quod licentia, & consensus tacitus Domini vt seruus aliquid esculentum, & poculentum vel quid simile accipiat ad comedendum vel bibendum etiamsi sit inuitus quoad modum non est inuitus quoad substantiam & sic seruus non committit furtum
2 mortale, etiamsi quantitas quæ alias ad illud sat esset, secus vero si ad eum vsum nullatenus concederetur talis licentia vt ad vendendum, vel donandum, tunc enim Dominus non esset solum inuitus quoad modum, sed etiam quoad substantiam, & sic esset furtum, quia nulla adest licentia tacita, sic si Religiosus domo egrediatur malo fine ad quem si Superior sciret nullatenus licentiam daret, frangit clausuram, quia non adest licentia tacita, etiam ratihabitione de futuro.

Sed ego contrarium probabilius iudico 3
† existimo enim quod finis operantis cum sit omnino occultus non facit, quod non adsit consensus, siue de futuro, siue de præsenti sufficiens ad honestatem specificam actus, eiusve valorem, quod enim quis confessiones audiat vidente, & consentiente Episcopo vt immaculate post soliciter aliquam fœminam ad venerea quo fine operantis existente Episcopus nullatenus con-
sensum haberet, vt ille confessiones audi- 4
ret, & nihilominus valide absoluit; quia habet licentiam tacitam de præsenti, similiter in exemplo de seruo si accipiat aliquid comestibile, aut potabile, & ad hoc si est ad comedendum & bibendum est consensus Domini & tacita licentia, si seruus vult se abstinere & illud vendere, aut donare non est absolute contra voluntatem Domini & si valde displiceat, illi modus qui accidit ex voluntate operantis quæ non mutat obiectum volentatis & licentiæ tacitæ Domini, 5
qui tacite vult illius rei Dominium amittere quæ voluntas substantialiter immutata manet, siue res vendatur, siue donetur aliove modo distrahatur, quamuis in istum modum nullatenus consentiret, nec circa illud sit voluntas, aut consensus idem dico de filio qui res aufert à Patre ad expendendas in finem malum, & de aliis similibus vnde
† si alias Religiosus habet licentiam tacitam ad egressum à domo, etiamsi hunc fa- 6
ciat ex malo fine, & ad male operandum, non frangit clausuram, etsi vitietur egressus ex malo fine extrinseco, & ipsius operantis. Legantur Rebellus *de obligatione iustit. p. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 3. num. 14.* & egomet *tom. 2. moral. tract. 12. Resol. 20.*

Verum est † quod Religiosus, qui clam 7
accipit ea quæ ad solum vsum sunt necessaria nequit ea diuendere, aut distrahere nisi hoc sibi sit necessarium, vt alia quæ sibi conuentus tenetur dare acquirat, quia ita votum paupertatis exigit.

SVBRESOLVT. VI.

An in custodibus nemorum, piscationum sufficiat voluntas tacita Domini?

SVMMARIVM.

1. *An custodibus nemorum, &c. tacita Domini voluntas sit sufficiens.*
2. *Metinæ sententia adducitur.*
3. *Qua supposita licentia non committatur furtum.*

1 DVbium sextum, † an Custodes nemorum, piscationum, viarum ad exactiones vectigalium possint permittere venationem, piscationem, aut transitum siue exactione; quia firmiter iudicant Dominos cõsensuros, & concessuros licenti am, aut li-
2 bertatem si ea expeteretur. Metina † *C. de restit. quæst.* 12. 13. & 14. latè & doctè disputat de hac materia, & videndus est, asserit enim hunc consensum de futuro non sufficere, vt excusetur actio à furto, & obligatione restituendi nisi in certis casibus, quos ibi ponit, *q.* 12. sequuntur Nauarr. *in summa Hisp. c.* 17. *n.* 122. & 123. Corduba *in summa, quæst.* 66. Nauar. *lib.* 3. *de restit. c.* 1. *p.* 3. *n.* 180. Sed quod hæc tacita licentia ex ratihabitione consensus de futuro, quem certo moraliter futurum iudicant huiusmodi Custodes & exactorès sufficiat, mihi probabilius *ex l. inter omnes, §. rectè, ff. de furtis*, cum his
3 quæ accumulaui *supra* §. 3. quia † supposita tali licentia, non committitur furtum, tum etiam non operantur contra fidelitatem officij sui, cum prudenter iudicent sic consensurum Dominum: quod valde notandum pro exactoribus & Custodibus viarum, ne sine solutione gabellarum, & vectigalium res introducantur.

SVBRESOLVT. VII.

Vtrum dubius an Superior licentiam daret possit domo egredi?

SVMMARIVM.

1. *An quum dubium est vtrum Superior licentiam concedat, possit subditus egredi.*
2. *In dubiis tenetur subditus stare præcipientis determinationi.*

1 DVbium septimum, an † quum est dubium si Superior licentiam concederet possit subditus egredi. Respondetur, quod si dubium deponi practicè nequit, obligat præceptum de clausura seruanda, cuius obligatio certa est, & sic voluntas Superioris, qui imposuit præceptum exequendi, *cap. quid culpatur.* 23. *quæst.* 21. in dubiis enim
2 † tenetur subditus stare præcipientis determinationi, qui enim contrarium agit trãsgressor est obedientiæ, & ius certum Superioris frangit per dubiam licentiam. Ita tenent ferè omnes: hic enim subditus non possidet aliquam libertatem cum ligatus sit præcepto iuris communis, non egrediendi sine licentia, quæ non præsumitur in dubiis, nam eo ipso, quod sit dubia non potest quis formare prudens iudicium, quod Superior consentiet.

SVBRESOLVT. VIII.

An Superior localis teneatur petere licentiam à Prouinciali?

SVMMARIVM.

1. *An Superior localis dum in sua domo adest Prouincialis teneatur ab illo petere licentiam, & benedictionem.*
2. *An ex iure communi Superiores, & Abbates sicut possunt aliis licentiam concedere, eam possint sibi assumere.*
3. *Ad quid deseruit Prælati Regularis benedictio. & n.* 4.
5. *An Episcopi, Abbates, ante consecrationem nequeant benedicere.*

1 DVbium octauum, an † Superior localis, dum in sua domo adest Prouincialis teneatur ab illo petere licentiam & benedictionem. Peyrinis *ad cap.* 5. §. 19. *suæ Regulæ, q.* 3. *n.* 10. & 11. dicit quod tenetur petere licentiam saltem per alium, sed per seipsum benedictionem: quam benedictionem tenentur petere Collegæ Prouinciales à Rectore. Sunt enim in hac sacra Religione Prouinciales, ac in nostra Assistẽtes Prouinciales, sed quamuis de iure speciali suæ Religionis id esset verum, at de nostro iure,
2 quod est conformius iuri communi non tenentur, ex iure enim communi Superiores, & Abbates, sicut possunt aliis licentiam cõcedere, eam possunt sibi assumere, nec benedictionem ab alio Superiori maiori petere tenentur, eo enim ipso, quod ex iure alicuius Religionis quis eximitur à iurisdictione actuali alicuius Superioris non tenetur ab eo licentiam & benedictionẽ petere, benedictio enim non solum ad ius reuerentiale pertinet, sed ad ius etiam iurisdictionale, nisi quis ab alio petat benedici ex motiuo humilitatis, aut ex speciali sanctitate, quam in eo veneratur, & benedictio regularis ad Superioritatem attinet; tenentur tamen Collegæ, & Assistentes nostri iure communi Socium à Superiore exposcere, ex suis subditis, quia nullus est istis potest foras exire sine licentia sui Superioris, etiã si ab aliquo exempto assumatur.

Sed † quid deseruit benedictio Prælati 3
Regularis, quam impertitur subdito egressuro, & regrediente ad Conuentum, Peyrinis *vbi suprà*, dicit quod remittit peccata venialia, est enim vnum ex Sacramentalibus, ab Ecclesia institutis ad delendum venialia, & enumerat D. Thom. 3. *part. q.* 87. *art.* 3. *ad* 1. citat Peyrinis pro sua sententia, Aluar. *de vita spirit. to.* 2. *lib.* 1. *p.* 1. *c.* 14. Ioannem Friburgum *in summa confessorum lib.* 3. *tit.* 34. *quæst.* 158. Sed fallitur Peyrinis, quia

4 quia vt probaui *tom.* 2. *Moral. tract. vlt. num.* 442. Sacramentalia cum sint ab Ecclesia instituta ad remissionem venialium eam causant ex opere operato, ad hoc enim relicta est Ecclesiæ potestas summi Sacerdotij vnde ea sola quæ ab Ecclesia ad hunc effectum sunt instituta illa illum dumtaxat causabunt, ex institutione sua non autem alia, etsi excitent motum pœnitentiæ ex opere operantis, atqui Ecclesia solum instituit sacramentale, benedictionem personæ consecratæ, qualis est Episcopus & Abbas, vn-
5 de † isti ante consecrationem nequeunt publice benedicere, & sic non quælibet benedictio superioris est sacramentale, sicut non quælibet oratio in qualibet Ecclesia non consecrata est sacramentale alias benedictio cuiuscunque, quem iudicem iustum esse, esset sacramentale, & multa alia possent introduci vltra ea quæ Ecclesia, & Patres agnoscunt. Lege me ipsum *in illa Resol.* 9. Et inuenies plura non vulgaria, deseruit ergo benedictio superioris, vt Dominus custodiat benedicens egressum & introitum nostrum, iuxta illud psal. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.*

SVBRESOLVT. IX.

Vtrum dispensatio tacita sufficiat ad actus honestandos?

SVMMARIVM.

1. *An dispensatio tacita in aliqua lege Ecclesiastica sufficiens sit ad actus honestatem.*
2. *An ex dispensatione tacita superioris actus honestè & validè fiat, & n.* 3.
4. *Vlpiani sententia affertur.*
5. *Vt tacita dispensatio præsumatur ex ratihabitione de præsenti, quid sit necessum.*
6. *Authoris iudicium.*
7. *An clausula, ex certa scientia, etsi nihil operetur quoad extrinseca rescripti, operetur quoad intrinseca.*
8. *Sanchez opinio affertur.*

1 DVbium nonum, an † dispensatio tacita in aliqua lege Ecclesiastica sufficiens sit ad actus honestatem, & valorem, sed notandum quod aliud est legis dispensatio, aliud concessio requisita conditione, qua posita coneditur aliquid fieri, dispensatio enim est quum stante lege legislator concedit absolute quod aliquid fiat, at concessio ex licentia posita conditione potius est legis obseruatio quam contra ipsam operatio, v. g. Rex prohibet vt sine eius licentia non extrahantur merces sui Regni, si concedat licentiam vt quis extrahat non dispensat in lege sua, sed ponit conditionem quam lex egit. Sic Basilius Pontius *lib.* 8. *de Matrim. c.* 1. *num.* 5. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 13. & *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 45 & alij, hucusque egimus de licentia tacita, in hoc dubio de dispensatione tacita.

Et quidem quod † ex dispensatione tacita 2
superioris actus & honeste & valide fiat indubitatum est apud omnes tam Theologos quam vtriusque iuris peritos ex *leg. Barbarius. ff. de officio Præt. cap. veniens de filiis presb.* & aliis iuribus; ad dispensandum enim nullum verbum nullumve factum à iure est positum; sed quodcunque siue verbum siue factum exprimens voluntatem superioris sufficiens est, ad dispensationem; qua quis non obstante lege licite, & valide potest operari, aut facere actum vetitum, vnde si Pontifex sciens, aliquem admittat, qui irregu- 3
laris est, ad ordines, & beneficia, aut qui inhabilis est ad matrimonium ob impedimenta iuris canonici & ipso vidente, & sciẽte contrahit, tacite dispensat & valide contrahit & retinet beneficium, vt enim valide supremus Princeps dispenset, non exigitur causæ cognitio, sed solum voluntas dispensandi quæ tacite præsumitur, ex facto, & permissione Principis videntis & non repugnantis cum possit, est casus, *legis Barbarius citatæ*, vt bene aduertit Aymon. *consil* 98. *num.* 10. *lib.* 5. idem determinatur. *leg. quidam consulebat* 57. *in fine. D. de re iudicata.* vbi Vlpianus sic fatur † *si minor prætor* 4
si consul ius dixerit sententiamve protulerit, valebit. Princeps enim qui ei magistratum dedit omnia gerere decreuit. vt bene notat ibi Glossa in casus formatione *versic. datus fui.* Hæc tamen tacita dispensatio colligi potest vel ex ratihabitione de futuro consensu, vel ex ratihabitione de præsenti consensu, sicut supra dicebamus §. 3. *de licentia.*

Vt autem hæc † tacita dispensatio præ- 5
sumatur ex ratihabitione de præsenti si loquamur pro foro externo necessarium est, quod Princeps sit conscius impedimenti, quod dispensatur, si enim non adsit scientia de præsenti, nequit adesse voluntas de præsenti voluntas enim sequitur cognitionem, *cum nil volitum quin præcognitum*; inhabili tamen incumbit onus probandi talem scientiam habuisse principem, & de hoc late Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 4. *à num.* 3. existimo tamen & mihi est certum sufficere quod † Princeps supremus ponat in rescri- 6
pto clausulam *ex certa scientia* contra quam testes induci non possunt, tamen si Princeps ipse fateatur id ignorasse, clausula enim *ex certa scientia* dum ponitur in rescripto omnem defectum supplet, quantum ad effectum rescripti, & hoc præsumitur non ignorasse Principem, ly enim *certa*, ignorantiæ negationẽ includit; sicut ly ex *motu pro*

prio includit negationem, quod nullus super id supplicauit Pontifici clausula enim
7 † *ex certa scientia*. etsi nihil operetur quoad extrinseca rescripti, attamẽ operatur, quod intrinseca, vt non vitietur rescriptum ex aliquo impedimento opposito dispensationi rescripti, facit enim, quod ei contraria censeantur sublata, etsi non ponatur clausula *non obstante*. Ita Baldus *consil.* 253. *n.* 4. *lib.* 1. & multis citatis Tuschus *t.* 1. *Litt. C. concl.* 340. *num.* 1.

8 Addit bene Sanchez *num.* 7. † quod si loquamur in foro interno, cum hoc nitatur veritati nullum aliud probationis genus desideratur, quocumque modo constet de veritate, scilicet quod Princeps conscius fuisset impedimenti, & hoc non obstante promouit inhabilem, & ipso vidente, quis cũ consanguinea contraxit per verba de præsenti cum iam constet de voluntate Pontificis dispensantis, quæ voluntas est actualis, tacita & sic est dispensatio.

SVBRESOLVT. X.

An si verisimile sit quod Princeps dispensaret, sufficiat ad dispensationem tacitam?

SVMMARIVM.

1. *An si Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem censeatur dispensare cum illo, si verisimile est futurum, vt si sciret impedimentum ipsum admitteret.*
2. *Romani sententia, necnon Patris Sanchez, & num.* 3.
4. *An quando error non est solius principis, sed est error communis, tunc promotio inhabilis sit dispensatio tacita impedimenti, & num.* 5.
6. *Cum est ignorantia inuincibilis principis & error communis non est dispensatio nedum tacita impedimenti, & n.* 7.
8. *Quid ex tradita doctrina sequatur.*
9. *An ignorantia inuincibilis principis non inducat tacitam dispensationem.*
10. *Authoris iudicium affertur, & multorum aliorum, & n.* 11.
12. *Cuius iudicio excommunicati gesta sint valida, & n.* 13.
14. *Libertas non consistit in apprehensione & vulgi errore.*
15. *An si quis communi errore putaretur non excommunicatus, medio tempore erit absolutus ab excommunicatione.*
16. *An non solum probitas promoti, sit causa motiua promotionis.*
17. *Vlpiani ratio adfertur, & n.* 18.
19. *An tacita dispensatio non oriatur ex consensu Principis de futuro, sed ex præsumpta voluntate ratihabita de præsenti.*

SEd difficultas non parua insurgit, an † si 1
Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem censeatur dispensare cum illo si verisimile est futurum vt, si sciret impedimentum ipsum admitteret? Quidam affirmatiuè respondent, tum quia probitas promoti est causa promotionis, *l. vni. versic. crediderit. D. de offic. præfecti præto.* Vnde satis verisimile est, quod stante probitate, Princeps dispensaret impedimentum, quia cõcessum censetur, id, quod verisimiliter Princeps interrogatus responderet, Glossa *leg. Barbarius cit. verb. effecisset.* quam sequuntur Barthol. *leg. 2. n. 2. C. si seruus aut libert. lib.* 10. & dicit esse communem sententiam Romanus *consil.* 226. *n.* 7. tum secundò valdè efficaciter 2
ex ratione legis Barbarius, quam dat Iuris-Consultus, cur ille seruus etsi incapax dignitatis factus ignoranter prætor, gesta tamen ab ipso valerent, quia ait, *etsi populus Romanus sciisset seruum esse liberum effecisset*, ergo ex ratihabitione de futuro colligitur tacita Principis dispensatio, si sciret promotum impeditum esse.

Sed P. Thom. Sanchez *vbi suprà disp.* 4. *cit. n.* 11. † dicit sibi nullatenus placere hanc do- 3
ctrinam & tenendum est, inquit nullo modo censeri Principem per eam promotionem dispensare, dum impedimentum ignorat, ratio est aperta (ait) quia ignorantia tollit consensum, at dispensatio vim sortiri non potest nisi ex principis volentis dispensare consensu. Nec sufficit fore, vt vellet si sciret, quia hic & nunc defuit voluntas dispensandi, non ergo vim habere potest tacita dispensatio.

Sed non video quomodo hæc doctrina cohæreat cum ea quam immediate suppo- 4
nit dicens, quod † quando error non est solius Principis, sed est error communis tunc promotio inhabilis, est dispensatio tacita impedimenti, id quod docuerunt Antonius *cap. veniens n.* 7. & Abbas *ibi num.* 7. *de filiis Presb.* contra hanc enim doctrinam multò magis militat ratio facta, quia error & ignorantia tollit consensum & dispensatio non subsistit sine Principis volũtate, error enim
5 communis non addit aliquam scientiam Principi, imo quod communiter sit ignorantia maior incapacitas resultat, vt impedimentum veniat in notitiam dispensantis.

Vnde ego aliter existimo, quod † quum 6
est ignorantia inuincibilis Principis, & error communis non est dispensatio nedum tacita impedimenti, sed promotus re ipsa manet impedimẽto ligatus, & in ipsũ sex vires suas exerit, quantũ ad ipsũ reddendum inhabilẽ, ita vt quotiescunque innotescat impedimentũ inhabilitatis exercetur, & est necessaria Principis dispensatio, si enim dispensatus

tus esset tacite, non esset necessaria, hoc manifeste colligo ex *ipsa leg. Barbarius*, vbi Vlpianus dicit, *videamus si seruus quãdiu latuit in dignitate prætoria functus sit quid dicemus, quæ edixit, quæ decreuit nullius fore momẽti, an propter vtilitatem publicam, &c.* vbi Gothi-
7 fredus egregie *est igitur prætura functus non tamen fuit liber.* ergo in illo mansit impedimẽtum seruitutis, etsi illud latuerit ad communem errorem, quo putabatur liber cum re ipsa non esset, sed seruus. Vnde non approbo sententiam glossæ, ibi asserẽtis, quod Barbarius iste tempore, quo vsus est prætura fuit liber, hoc inquam opponitur torrenti DD. asserentium quod hîc interuenit communis error, quod ille erat liber, & sic reipsa non fuit talis, sed semper mansit seruus, quia non obstante validè fuit prætura functus, nec tenebatur se ipsum prodere, vt modo dicam.

8 Vnde fit, † quod si quis ignorante Pontifice, quod sit filius illegitimus & sic communis error, quod sit legitimus & promoueatur ad Episcopatum, aut Parrochum verè sunt valida eius acta & absolutiones à peccatis & excommunicationis latæ, etsi nõ fuerit expressè nedum tacitè in impedimẽto illegitimationis dispensatum, quod ipse ignorans non expressit & ita quamdiu manet in hæc ignorantia facit fructus suos, etsi quamdiu est error communis, quod sit legitimus, quæ edixit, quæ decreuit valida
9 sunt. Vnde manifestum est, quod † ignorantia inuincibilis Principis & error communis non inducit tacitam dispensationem, quia quod Princeps dispensasset si sciuisset non est *dispensatio, sed esset dispensatio*, si autem non est dispensatio instat legis obligatio, & sic semper manet inhabilitas orta ex impedimento.

10 Quare existimo, quod † Barbarius ille Philippus potius habuit vsum potestatis prætoriæ, quam quod fuerit verus prætor ad eundem modum quo D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 4. dicit, quod Abbatissa non habet Iurisdictionis spiritualis clauem, sed aliquem eius vsum, quod bene ex-
11 plicant † Sylueſter, *verb. abbatissa n.* 3. Panormit. *in cap. dilecta de maiorit. & obed. gloss. ibi.* Vnde etsi possit habere ius conferendi & instituendi beneficiatæ, quod est spirituale, non tamen dimanat ex potestate Ordinaria & claui iurisdictionis, sed ex vsu clauis sibi delegato, est enim incapax iurisdictionis ordinariæ, similiter iudex Ecclesiasticus qui nominatim est excommunicatus & alicubi existat, vbi hoc est occultum, & sit publicus error, quod non sit excommunicatus re ipsa, non habet ipse iurisdictionem ad excommunicandum, quia ex iure Ecclesiastico excommunicatus caret proxima potestate ad excommunicandum, hic enim est effectus, qui sequitur necessario ad excommunicationem maiorem, huius enim
† iudicis excommunicati gesta valida 12
sunt, vt tenet communis certáque sententia, vt videre est apud Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 8. & 9. & non est ablatum impedimentum excommunicationis, nec illi est restituta iurisdictio Ecclesiastica, sed Ecclesia illi concedit vsum Iurisdictionis in vtilitatem fidelium, non ipsius excommunicati, vnde cum nõ habeat Iurisdictionem Ordinariam, aut delegatam iudex non est, sed habet ex interpretatione Ecclesiæ exercitium, & vsum iudicis argumento, *ex leg. Herennius Modestinus* 10. *D. de Decurio.* vbi valent gesta à Decurione putato ex solutione salarij. Gothifredus *ibi.* & tamen nõ fuit creatus Decurio, ergo etiam 13
si Barbarius Philippus prætor non fuerit, acta eius valebant neque ad hoc requiritur, quod verè fuerit prætor, talis enim fuit medio tempore qualis inuentus est & deprehensus *leg. moueor in fin. C. si seruus export.* dicere autem, quod medio tempore fuit liber, vt vult glossa nullatenus assentior, quia † li- 14
bertas non consistit in aprehensione, & vulgi errore, sed re ipsa est, qualis non est deprehensa, sed seruitus alias si medio tempore fuit liber nulla erat difficultas, an acta eius valerent est etiam contra textum ibi *si seruus quandiu latuit, &c.* ergo seruitus latebat & ita reipsa non erat libertas, sed libertatis vsus, quem habebat ex communi errore, qui facit ius, *leg.* 3. *in fine D. de suppellect. legat.* alias si quis communi errore putaretur legitimus medio tempore talis erit & capax hæreditatis relictæ legitimis, & † si 15
quis communi errore putaretur nõ excommunicatus medio tempore erit absolutus ab excommunicatione, & sic medio tempore ipse sine peccato poterit Iurisdictionẽ exercere, rursus nullum effectum causabit in illo excommunicatio quod dici nequit.

Ex dictis corruunt fundamenta opposita, ad primum respondetur, quod † non solum 16
probitas promoti ex causa motiua promotionis, nisi promotus sit capax qualis nõ est, quum habet impedimentum dispensandum à Principe cuius voluntas dispẽsandi actualiter debet præsumi, vt impedimentum euanescat, ad primum respondetur, quod † illa 17
ratio Vlpiani non tendit, vt decidat, quod Barbarius Philippus effectus sit liber & ablatum impedimentum seruitutis, quod non ablatum, sed occultum erat, sed eo tendit, vt ostendit gesta ab illo fuisse valida, quæ fuit responsio, ad hoc enim, vt essent valida est egregia demonstratio, nam si populus Romanus sciuisset Barbarium esse seruum liberum, effecisset ne si acta illa essent

essent irrita vtilitas communis pateretur damnum, quare hæc ratio non respicit dispensationē impedimenti seruitutis, sed dispensationem, vt gesta essent valida ob com-
18 munem vtilitatem, hanc enim semper actu virtualiter vult populus Romanus & volunt Principes absoluti, qui tales sunt propter communem vtilitatem. Vnde est dispensatio ad gestorum valorem quæ præsumitur semper esse in Principe, quam interuenit communis vtilitas, & damni communis ex communi errore damnantis vitiato. Vnde
19 † tacita dispensatio non oritur ex consensu Principis de futuro, sed ex præsumpta voluntate ratihabita de præsenti. Vnde in Principe non est ignorantia vtilitatis communis, sed scientia virtualis, ex vi sui regiminis, & sic est actualis virtualis illius consensus, & voluntas, qualem scientiam, & voluntatem non habet impedimenti seruitutis conditionalis, quod sciuisset dispensasset, nihil ponit in esse dispensationes, & hoc bene probat fundamentum Thomæ Sanchez.

SVBRESOLVT. XI.

Ex quibus signis dignoscatur tacita Principis voluntas.

SVMMARIVM.

1. *Vnde dignosci possit prudenter tacita Principis voluntas.*
2. *An ex taciturnitate præsumatur consensus de præsenti, remissiuè.*
3. *An si dispensatio Principis sit litteris expedita, sit tacita dispensatio, & n.4.*
5. *D.Thomæ sententia, & n.6.*
7. *An sit dispensatio tacita legis requirentis, quod litteræ expeditæ perueniant ad dispensatum.*
8. *An si aliquis Episcopus ordinet non suum ex ratihabitione, quod proprius Episcopus consentit, non incurrat aliquam pœnam.*
9. *Multorum DD. sensus, & n.22.*
10. *An si Episcopus cum ratihabitione de futuro licitè ordinet alienos subditos, multò melius id faciet cum ratihabitione de præsenti.*
11. *An ratihabitio de futuro non conferat iurisdictionem ad absoluendum à peccatis alienum subditum, & n.12.*
13. *Quid ex doctrina tradita possit inferri, & n.14. & 20.*
15. *An Episcopus sine litteris Apostolicis ad Ecclesiam suam accedere, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non possit.*
16. *D.Ioannis de Solorz. sententia affertur, & num. 17. & 18. necnon Oldradi, & numer.19.*
22. *An ex Pontificia dispensatione vrgente necessitate possit Episcopus ab vno solo consecrari, & n.23.*
24. *Bullæ quæ pro consecrandis nouis Episcopis Indiarum expediuntur, quam habeant clausulam, & n.25.*
26. *An non minus sit efficax verbum ad dispensationem celebrandam quam scriptura.*

Sed inquires † ex quibus signis dignosci 1
prudenter potest, quod in Principe est actualis virtualis voluntas & consensus de præsenti, vt præsumatur tacita dispensatio sufficiens tam ad honestatem actus quam ad eius valorem, respondetur, quod ex multis, primum ex taciturnitate Principis scientis impedimentum & videntis impeditum exercere actum sibi prohibitum à iure, vt si Pontifex, & Episcopus potens dispensare videat irregularem celebrare, aut consanguineum cum consanguinea inire matrimonium, ita multis citat. Sanch. *n.26.* ex hac enim † taciturnitate, vt supra vidimus præ- 2
sumitur consensus de præsenti, vt quis habeat iurisdictionem ad actum alias inualidum, tum quia præsumeretur Pontifex peccare cum teneatur ex vi officij peccata impedire, nisi præsumeretur dispensare, & in aliis ibi relatis si sciat sacerdotem hac irregularitate irretitum & videat celebrare, tacitè dispensat, nec est necessaria noua dispensatio, & idem dic de Prælato Regulari, qui ex ptiuilegio similia potest cum suis subditis.

Secundò, † si dispensatio Principis est 3
litteris expedita ad aliquem actum ritè, & rectè faciēdum, requiraturque ex lege alia, quod litteræ dispensatoriæ sint præsentes, vt talis actus fiat ritè & rectè, sciaturque certo moraliter, quod litteræ dispensatoriæ sunt expeditæ, sed vel propter longitudinē itineris, vel ex alio impedimento non peruenerunt ad manus dispensati, est tacita dispensatio Principis, vt talis actus fiat absque eo quod litteræ dispensatoriæ adsint, si ex dilatione actus sequitur graue aliquod incommodum, vel dispensato, vel aliis. Hoc ex duplici capite deduco primo, quia hîc interuenit *Epicheia*; quæ tunc maximè exer- 4
cetur, quum deficit lex contraria, quod tunc contingit, quum euenit casus in quo non solum cessat ratio legis, sed inique ageretur seruādo legem, tunc enim *Epicheia* & æquitas est directio legis, ne ad obliqua lex deducat, quod est contra legis & legislatoris intentionem. Vnde † D.Thom. *in 3. dist.37.* 5
quæst.1.art.4.in corp. sic fatur, *si in aliquibus casibus lex posita ab intentione legislatoris discedit*

cedit, quia non potuit legislator ad omnes casus intendere legem statuens, sed ad ea quæ pluries accidunt tunc licitum est legē positā præterire & intentionem legislatoris sequi sicut patet in eo qui non reddit depositum impugnanti fidem vel patriam & ad hoc perficit quædam virtus quæ à Philos. 5. ethic. cap. 15. vocatur Epicheia per quam homo prætermissa lege legislatoris intentionem sequitur. Hæc ibi S.D. qui eadem
6 repetit *2.2.quæst.120.art.1. & in sol. ad 1.* adducit verba Imperatoris *leg. non dubium C. de legibus. asserentis contra legem committere eum qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem.* Cum ergo ex expectatione litterarum Apostolicarum quæ iam expeditam esse prudenter iudicetur ex particulari notitia damnum sequatur notabile, vt suppono licitum erit legem positam præterire & legislatoris intentionem sequi, qui non attendit ad hunc casum legem statuens, & semper intendit nociuum impedire, hoc autem non est proprie tacita dispensatio, sed est obseruatio æquitatis.

7 Secundò, est etiam † ex alio capite dispensatio tacita legis requirentis quod litteræ expeditæ perueniant ad dispensatum & legantur publice, iudicatur enim prudenter quod semel expeditus litteris si ob aliquod impedimentum nō peruenerunt, Principem velle quod fiat actus ad quem expeditæ sunt litteræ, vnde ex ratihabitione colligitur voluntas Pontificis, quod sine litteris præsentibus fiat actus qui ex eo quod fiat nullum suum adfert pœnam aut censuram
8 incurrit illum exercens. Probatur quia † si aliquis Episcopus ordinet non suum ex ratihabitione, quod proprius Episcopus tacite consentit non incurrit aliquam pœnam, etiamsi Ordinatus non portet dimissorias, quia talis ratihabitio æquiparatur dimissoriis, cum ex illa constet de voluntate proprij Episcopi; & tum maxime quum dimissoriæ sint expeditæ; quod constat ex litteris particularibus, vel alio modo; sunt tamen deperditæ, vel non venerunt ad manus Episcopi ordinantis, & Clerici ordinandi: tunc enim est ratihabitio de præsenti sufficiens ad excusandum à pœna & acquirendam iurisdictionem vt validè & rite actus
9 fiat. Ita Mandosius † *regula 4. cancell. quæst.4.* Cherubin. *ad constit. 40. clement. 8. schol: 2.* Suarez *de censuris disp.31. sect.1. num.17.* Diana *p.3. tract.4. Resol. 191.* Fornarius *de ordine* (habetur ad finem summæ Toleti) *cap.5. num.4.* Thuscus *verb. ordo conclus.188. num.41.* Maiolus *de irregular. lib.4. cap.2. num.7.* Raymundus *in summa tit. de form. consecrationis,* & alij quos refert & sequitur post factum Marchin. *de ordin. tract.1. p.4. cap.12.* qui loquuntur de ratihabitione de futuro, quod satis insinuat factum Epiphanij qui in Diœcesi S. Ioannis Chrysost. absque eius expressa licentia ordinauit S. Doctoris subditos & factum approbatur *cap. vlt. 9. quæst.1.* si enim † cum ratihabitione de futuro licite ordinat Episcopus alienos subditos, multo melius id faciet cum ratihabitione de præsenti quod mihi ita est indubitatum, vt contrarium non iudicem probabile, quamuis etiam iuxta Doctrinam positam §. 3. existimem 10
certum non euadere pœnas, qui cum sola ratihabitione de futuro alienos subditos ordinat; cum hæc non conferat iurisdictionē, quare ita sentiunt Turrianus *de censuris l.5. disp.46. dub.1.* Quaranta *verb. ordo versic. amplia hanc extrauag* Barb. *de potest. Episco. alleg. 8. n.4.* Bonacin. *de sacrament. disp.8. q. vnica. punct.4. n.28.* nec enim video cur ratihabitio de futuro non conferat iurisdictionem ad absoluendum à peccatis alienum subditum & tribuit ad ordinandum, & cur si tribuit ratihabitio de præsenti iurisdictionem ad absoluendum non tribuat ad ordinandum, ergo cum Bullæ confirmationis Episcopi sint expeditæ, & hoc sciatur ex litteris missiuis 11
sintque veluti dimissoriæ Pontificis vt Episcopus consecretur, si vel ob impedimenta & longitudinem itineris non peruenerint ad manus ordinandi, & sequatur inconueniens aliquod quod differatur consecratio dubio procul absque incursione alicuius pœ- 12
næ ex tacita dispansatione Papæ, ordinans potest conferre, & consecratus recipere consecrationem, & ordines.

Ex qua doctrina infertur † bene me res- 13
pondisse consultum circa consecrationem quam fecit Episcopus Tucamanensis in persona Reuerendissimi D. Fr. Bernardini de Cardenas Episcopi de Paraguay, quem consecrauit ante aduentum litterarum Apostolicarum, illis tamen iam expeditis se propter distantiam loci & Regionis diu procrastinatæ ad manus ordinandi, aut ordinantis nondum accesserant, erat tamen notum per 14
litteras missiuas quod erant expeditæ & à Regio Indiarum consilio registrate & recognitæ multo tempore ante consecrationem, quare cum in illo Episcopatu sedes vacauerit per annos septem valde quæ indigeret ministris Ecclesia, & oues cum non paruo damno spirituali sine Pastore degerent, tunc per Epicheiam, tum per tacitam dispensationem ex ratihabitione de præsenti potuit Episcopus Tucamanensis consecrare, & Paraguasensis conseruari absque aliqua censura & pœna incursa.

Quamuis enim *in Extrauaganti iniunctæ. de elect.* statur, quod † Episcopus sine lite- 15
ris Apostolicis ad Ecclesiam suam accedere, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non possit taliter quod, quidquid in contrariū fiat sit irritum, & Capitulares

pitulares ipsum recipientes sine prædictis literis sint suspensi à suis beneficiis. Vnde literæ debent esse expeditæ, & ostensæ Ca-
16 pitulo, vt notant Azor. *p.1.lib.3.cap.29.q.9.* Gratianus *in disceptat.Forens.cap.27.* Petrus Barbos. *leg.diuortio, part.2. num. 50. ff. solut. matrim.* Rota apud Farinac. *tom.1.decis.475. n.13.* Hoc enim non obstat propter multa quæ congerit satis doctè Diuus Ioannes de Solorz. *tom. 2. de iure Indiarum, in Politica Indiarum, lib. 4. cap. 5.* agens de hoc speciali casu Episcopi Del Paraguay: tum quia extrauagans adducta non loquitur de consecratione Episcopi, sed de administratione Ecclesiæ, & de obedientia quam illi
17 Canonici præstant; tum quia respectu Ecclesiarum Indiarum non habet locum, quia Episcopi nominati à Rege, & præsentati Pontifici, vt confirmet ante confirmationem, & consecrationem ex ordinatione Regia, & indulgentia Pontificia confirmata consuetudine à multis annis præscripta, vt notat idem Solorzano *tom.2.lib.3. de iur. Indiar. cap.4. à num.33.* habent administrationem, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, quam habet Capitulum Sede vacante, quod eam in nominatum transfert, & à se abdicat, ita vt capitulũ non admini-
18 stret, sed nominatus: qui quamuis ante aduentũ literrarum non sit Superior Capitulo, nec istud teneatur obedire illi, tamen si alias constet de literarũ expeditione potest consecrari, & administrare sicut ante administrabat, ex translatione iurisdictionis Capitulis in *Sede vacante*, & hoc est, valde notandum; post aduentum tamen literum, & ostensionem illarum Capitularibus, incipit iurisdictionem exercere ex vi suæ di-
19 gnitatis, & expirat iurisdictio ex translatione Capituli, quod egregiè in nostris terminis aduertit Oldradus *consil.9. num. 4.* ibi † *Sic electi post consensum præstitum ante confirmationem obtentam administrant & administrare consueuerunt, & res Ecclesiæ per se, & per alios spiritualia, & temporalia:* quod ego intelligo facere ex tacita dispensatione
20 Pontificia.

Infertur secundò, † bene fecisse Episcopum Tucamanensem dum ipse solus sine aliis duobus Episcopis, sed cum duabus dignitatibus, aut Canonicis, qui vices Episcoporum ex dispensatione Apostolica gerebant consecrauit Episcopum Paraguasensem: etsi enim si de iure diuino quod tres Episcopi consecrent alium Episcopum, vt latè ostendunt duo Cardinales. Baronius *tom.10. anno Christi 34. num.291.* Bellarmin. *lib.4. de notis rer. Eccles. §. quantum*, ad ordinationem; quod clarè determinant duo Summi Pontifices. Anicetus *epist. ad Episco-*
21 *pos Galliæ, cap.1.* Damasus *epist.4. contra Cor-Episcopos.* Cæterum † ex Pontificia dispensatione vrgente necessitate potest Episcopus ab vno solo consecrari, vt est constans fere omnium sententia de iure etiam diuino solus Episcopus est minister Ordinarius Confirmationis & Ordinis, & tamen ex dispensatione Papali simplex Sacerdos potest esse minister horum Sacramentorũ. Vnde Apostoli in multis ciuitatibus saltem ex tacita Christi dispensatione, aut ipsius Vicarij per se ipsos solos Episcopos ordinabant: tum etiam quia valde probabile est, quod
† dicunt Sylvester *verb.consecratio.1.n.1.* Armilla *num.2.* Azor. *part.2. lib.3. cap.30. q.2.* Valentia 3 *part.1. disp.9. quæst.3. punct.2.* Coninch. *de Sacram. disp.20. dub.9. concl.5.* Layman. *lib.5. tract.9. cap.5. num.1.* Barbos. *in collect. ad Concil. sess.23. cap.2. de reform. num.8.* vnde in hoc sæpe dispensatum est à Gregorio I. pro Anglis à Gregorio XIII. cum Pa-
23 triarcha Æthiopiæ, sacra Ritum Congregatio, *anno 1601. 2. Octob.* cum electo Episcopo Vssulensi in Sardinia, vt à duobus tantam Episcopis consecraretur, & ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis dispensauit Pontifex, vt Episcopi Indiarum consecrari possint ab vno dumtaxat Episcopo Catholico, cuius Breuis originale, quod expeditum est *anno 1562. die 11. Augusti*, adseruatur in Archiuio Eccles. Metropol. Limensis. Vnde Solorzano, *vbi supr. cap.6. num.36.* dicit † Bullæ quæ pro conse-
24 crandis nouis Episcopis Indiarum expediuntur semper illam clausulam habent, vt à quocunque maluerint Catholico Antistite S.R.E. communionem habente consecrari possint, quod non solum ipsorum gratia conceditur, sed etiam suarum ouium ne multum differatur habere consecratum Pastorem.

Ex quo manifestè iustificatur actio Epis-
25 copi Tucamanensis & liberatur ab omni culpæ labe, cum enim sibi alias per litteras priuatas constaret (quod sufficere supra dixi ex Rota & late probat Nicolaus Genoa *l. 3. de scriptura priuata quæst.29.*) sciretque Bullas ad consecrandos Episcopos Indiarum, hanc habere clausulam, & ex Breui supra relato generaliter fit, dispensatum, vt possint consecrari ab vno Catholico Antistite, dubio procul eius consecratio, & valida fuit & immunis ab omni peccato, imo id posset licite facere (aliqui) quibus non assentior) dixere) si sibi constaret dispensationem factam à Pontifice etiam si litteræ non essent expeditæ, quia dispensatio verbo vel scripto præficitur necessario exigitur scriptura *clem. dudum de sepult. extrauag. etsi do-*
minici de pœnit. & remiss. non enim † est mi-
26 nus efficax verbum ad dispensationem celebrandam quam scriptura, imo ista ad illud manifestandum instituitur nisi gratia sit, qua datur iurisdictio iudicibus qui per eas deputantur, tunc enim necessario requiritur, quod litteræ sint expeditæ & præsentatæ antequam iudicium inchoetur, & non sufficit, quod supplicatio sit concessa, etsi enim ex hac Pontificis voluntate oriatur iurisdictio, tamen pro foro externo in quo dumtaxat perficiendum est iudicium partibus per litteras expeditas debet constare iurisdictio concessa, ita habetur in Regulis Cancellariæ, vnde in hoc ex iure positiuo requiritur scriptura, quia agitur dumtaxat de foro externo.

RESOLVT. IV.

Quæ licentia sit requisita, vt subditus domo egrediatur, recurrens ad Superiorem altiorem?

SVMMARIVM.

1. *Non licet regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, ex Conc. Trid.*
2. *An subditus qui grauatur à Superiore immediato possit sine licentia ipsius domo exire, vt adeat Superiorem qui à grauamine releuet.*
3. *An subdito licitus sit egressus à domo & recessus à conuentu, vt recurrat ad superiorem qui illum releuet à grauamine, & n.4.5. & 6.*
7. *Suarez opinio adducitur.*
8. *An petitio licentiæ de rigore iuris in foro conscientiæ non sit necessaria, & n.9.*
10. *An ex petitione licentiæ nullum damnum timeatur, sit petenda, & numer. 11. & 12.*
13. *An titulo appellationis à grauamine iniustæ sententiæ nunquam liceat prætextu adeundi superiorem recedere à conuentu, & num.14.*
15. *An tempore Concilij esset relaxatio adeundi superiorem ob grauamen iniustè illatum, & num.16.*
17. *Nullus Regularis prætextu recurrendi ad Summum Pontificem Romanam curiam ingrediatur sine licentia sub pœna incarcerationis, ex Sacra Cong.*
18. *Regulares qui transeunt de vna Prouincia in aliam si non deferant licentias suorum superiorum non possint recipi hospitio, ex Sixto quinto, & numero 19. & numer.20.*
21. *Multorum Doctorum opiniones afferuntur, & num.22. & 23.*

CONCILIVM Trident. *sess. 25. de Regular. cap.4.* sic fatur. † *Nec liceat* 1
Regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit ab Ordinario locorum tanquam desertor sui instituti puniatur, quod decretum extendit Sixtus V. *in Bulla contra illegitimos.* Incipit *ad Romanum spectat. §.19. & 20. & est, n.71. tom.2. Bullarij.* inter Bullas huius Pontificis ad eos Religiosos, *qui ad sæcularia hospitia diuertunt quos Ordinarij, punire possunt nisi litteras patentes ostendant sine quibus, nec Prælati possunt eos in hospitium recipere.*

Sed est graue dubium circa præfatam determinationem Conciliarem, & Pontificiam, † an subditus, qui grauatur à Supe-
2 riore immediato, possit sine licentia illius domo exire, vt adeat Superiorem, qui à grauamine releuet? quod dubium versari potest de subdito respectu Superioris conuentus in quo residet, vel respectu Superioris Regularis, Prouincialis, aut Generalis, vt possit adire Summum Pontificem, vel de subdito grauato iniuste, & contra consuetudinem & vsum tractandi alios eiusdem conuentus alumnos, vel de subdito grauato iuste detento in carcere, vel aliam pœnam sustinente, ob sententiam iuridicè latam.

His decretis non obstantibus † subdito li-
3 citus est egressus à domo, & recessus à conuentu, vt adeat, & recurrat ad Superiorem, qui ipsum releuet à grauamine, à quo alias releuari nequit. Hoc assertum, vt regulam certam ponunt Bonacina *de clausura quæst. 2. punct. 11. §.1. numer. 9.* Fagundez *præcept. 2. Ecclesiast. lib.8. cap.5. numer.12.* Peyrinis *de subdito quæst.1. capite 20. à versic. nec obstat.* Sayrus *in claui lib. 12. cap.17. num.40.* Coriolanus *de casibus reseruatis part.2. casu. 3. à num.19. & casu.5. §.10. num. 27.* Manuel Rodriguez *tom.1. quæst. 30. artic.3. & 4. & quæst.53. artic. 10.* Hieronym. Rodrigue *Resol.10. num.3. & Resol.28. numer. 8.* & suus auunculus testatur sic declarasse sacram Congreg. Concilij. Nauarr. *comment.2. de Regul. num.61. & comment.3. num.51.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.8. num.102.* Azor *part.1. lib.12. cap. 11. quæst.7. & 8.* Suarez *tom.4. de Regul. tractat. 1. lib.3. cap.1. à numer.4.* Pellizarius *tom.1. tractat.6. capit.7. à num. 48.* Castro Palao *t.3. tr.16. disp.4. punct.15.* vbi sic satis prudenter *n.10.* † loquitur, *quia in hoc casu* 4
permissa est verbalis appellatio & ita permitti debet

debet realis appellatio quæ facto ipso fit iuxta textum. cap. dilecti. 2. de appellatio. *Neque Concilium sess. 25. cap. 4. de Regul. credendum est hunc processum interdixisse quia interdicere defensionem naturæ debitam, neque enim præsumi potest voluisse te restringere ad petendam*
5 *licentiam à grauante, quum moraliter certus es petitam non fore concessurum sed potius times ob id esse magis grauandum. Neque obstat nihil nouum prohibere concilium sufficit si prohibitionem antiquam, & non satis cognitam renouet. Præterquam quod eo decreto aliquid nouum inducit scilicet, ne recedant Regulares à suis conuentibus etiam prætextu accedendi ad Superiores, nisi ab eis missi, vel vocati in scriptis sint, alioquin puniendi sunt, tanquam desertores instituti, quod certe antiquo iure cautum non erat. Item ne accedant nisi ad propulsandam iniuriam grauem & manifestam, quæque alia via commode reparari non potest. Neque item recedant*
6 *si scandalum & Religionis perturbatio quæ ex fuga præsumuntur, prouentura præponderent Religioni detrimento. His conditionibus positis non peccas iter arripiendo ad Superiorem, quia non voluntate sed necessitate coactus à monasterio recedis, & ad Superiorem pergis. Neque ordinarius te punire potest, si sufficienter ex hac legitima occasione fugisse probes. Ita Nauarrus, &c.*

A præfata Doctrina quæ vt dixi regula
7 communis est, non recedit Suarez, † qui non est sibi contrarius vt existimauit Castro Palao *vbi modo*; quum enim Suarez *tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 11. num. 15.* loquitur in foro externo, & strictius loquitur in foro interno, quam in *lib. 3. cap. 1. num. 7.* vbi sic loquitur vt ex eo sumpserit Castro Palao, dicit enim duo, primum.
8 *Quod † petitio licentiæ de rigore iuris in foro conscientiæ non est necessaria, si enim subditus timeat Prælatum immediatum non solum non esse concessurum facultatem, sed etiam omnino impediturum recursum ad Superiorem, vel negotiationibus effecturum vt Superior Prælatus falsis informationibus præueniatur vel alio modo noceat suæ defensioni, tunc excusari poterit*
9 *subditus à petenda licentia. Quod si forsan ob eam rem in itinere capiatur, vel alias pœnas sustinere cogatur, non est argumentum sufficiens culpæ, in conscientia, sed præsumptionis eius in foro exteriori, in quo si de veritate constiterit, cessabit sine dubio afflictio, & dabitur Religioso testimonium quo possit secure ad Superiorem peruenire.*

Subdit tamen, per quod enucleat, id,
10 quod priori loco dixerat, *si † ex petitione licentiæ nullum damnum timetur, petendam esse censeo, & in primis si est aliqua spes obtinendi illam vel etiam si nulla est sufficiens ratio desperandi, omnino necessarium iudico illam petere quia tenetur Religiosus, per se loquendo non ire sine licentia, ergo tenetur etiam prius procurare illam, nec habet iustam causam, hoc omittendi, quum non habet rationem probabilem* 11 *desperandi nec timet aliquid incommodi. Imo licet non habeat spem obtinendi licentiam debet illam petere. 1. ex quadam vrbanitate. 2. vt causam suam iustiorem faciat. Denique necessarium est vt tanta sit necessitas quæ non det, locum petendi prius licentiam à Superiore Prælato, & expectandi illam, nisi res sit talis vt necessaria sit præsentia, nec speretur per solas litteras aliquod remedium, vel licentiam posse obtineri. Est tamen raro, & difficile, hæc omnia* 12 *simul concurrere, difficilius tamen est subdito in huiusmodi casu prudens iudicium ferre in sua causa, & ideo nunquam hoc facere debet sine prudentum consilio, qui raro vt existimo id suadebunt, aut permittent.* Quæ doctrina & valde prudens est, & satis conformis illi, quam dederat *cap. 11. lib. 2.* vbi id remittit prudentum arbitrio, qui iudicabunt, [an sit vltima necessitas fugiendi, & vitandi damnum notabile, & grauamen illatum, à Superiore, addens quod † titulo appella- 13 tionis à grauamine iniustæ sententiæ, nunquam licet prætextu adeundi Superiorem recedere à conuentu. Quia (ait,) raro esse potest grauamen tam notabile, tamque irreparabile, vt propter solam dilationem accedendi ad Superiorem ordinato modo, tam graue debeat existimari, præsertim quia maior infamia maiusque nocumentum etiam spirituale sequi solet, ex huius- 14 modi perturbato discessu, minus enim commodum existimat Concilium, vt Religiosus interdum patiatur aliquod grauamen iniustum, quam vt totum corpus Religionis illo prætextu magnum dispendium patiatur. Tempore enim † Concilij ma- 15 gna erat in hoc relaxatio, & prætextu adeundi Superiorem, ob grauamen iniuste illatum, quasi liberat erat vagandi occasio, & recedendi à suis conuentibus cum magno dispendio Regularis disciplinæ & obedientiæ debitæ Superioribus immediatis, ex huiusmodi licentioso ad altiorem Superiorem recursus prætextu, quod incommodum magis videtur præponderare, quam quod subditus aliquod grauamen pro aliquo temporis spatio patiatur, nisi alias prudenter iudicetur ex consilio Sapientum, nisi per recessum à conuentu recurrendo ad Superiorem non posse liberum ire à tali grauamine. Hæc dixerim 16 in gratiam Sapientissimi viri qui satis Religiosè, & prudenter loquitur & intelligit communem doctrinam, ne detur ansa vagandi Religiosis viris, & fugiendi obedientiæ vinculum, & regularem disciplinam

plinam: Vnde sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium decretum edidit, vt
17 † nullus Regularis prætextu recurrendi ad Summum Pontificem Romanam Curiam ingrediatur sine licentia ipsius Congregationis sub pœna incarcerationis: vt referunt Ioannes Anton. Nouarius *in summa Bullar. tit. de Religiosis recurrent. ad Curiam Rom.* Sperellus *in Decisio. fori Eccles. decis. 8. num. 25.* Campanil. *in diuersor. Rubr. 12. cap. 13. num. 31.* & ex ipsis Barbosa *in Collect. Apost. decis. Collect. 632. num. 12.* Vnde Sixtus V. *in const. edita anno 1587.* incipit. *Cum de omni-*
18 *bus Ecclesiasticis.* determinat, quod † regulares qui transeunt de vna Prouincia in aliâ si non deferant licentias suorum Superiorum non possint recipi hospicio, & possint ab Ordinario locorum capi, & incarcerari, vt sui instituti desertores, sed quod possunt hospicio recipi etiam si in scriptis non deferant litteras patentes dummodo non agnoscantur esse Religiosos, tenet Corolarius *de casibus reseruatis casu 3. p. 2. n. 23. de quo* (inquit) *consului Procuratorem Generalem* (sui Or-
19 dinis) *& ita respondit.*

Sed quamuis hæc doctrina tutior sit, & Regulari disciplinæ conformior, vtpote conseruans neruum Regularis disciplinæ, non est tamen omnino occludenda via, vt subditi grauiter grauati à suis Superioribus
20 immediatis à quorum grauamine se tueri non possunt humilitate, subiectione, patientia, & tolerantia pro aliquo temporis spatio, neque alio modo se defendere nequeunt: si enim aliter possunt nequeunt sine licentia discedere, sicut si quis potest alio modo se defendere non potest occidere inuasorem) eorum quæ Superior immediatus, vel passione, odio, inimicitia, aut zelo indiscreto contra ipsos operatur, meditatur ferè tyrannica gubernatione, quia altior Superior, qui immediatum cohibere, & reprimere potest, nimis distans est, habeant remedium suæ naturalis defensionis, in aliquibus casibus licitus est recessus à domo sine licentia Superioris immediati grauantis eos iniustè, vt adeant Superiorem, qui auditis partibus à grauamine liberet, etiam si necessarium fuerit
21 carcerem frangere, vt à Superiore grauante aufugiat. Ita † Abbas *cap. ad nostram de appellat.* ex textu *leg. Dominorum, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris.* Baldus *ad præfatum cap. ad nostrum*, probat ex *leg. contra pupillum, §. is qui, ff. de re iudicat.* Nauarr. *cap. non dicatis, de Regular.* quia hoc non est fugere, sed facto appellare, *cap. cum diuiti de appellat.* legatur Sanchez *lib. 6. summ. cap. 8. n. 17.*

22 Primus est si modum omnino excedat in visitatione, & correctione regulari, quem moderari nequit exhortationibus, & admonitionibus prudentum, & vltra pœnas ordinariè positas, alias excedentes imponit: vltra vires personæ maximè si publica sit, & alias scandalum non generat sæcularibus, vita sua, & moribus; tunc enim iniustè grauatur, & remedium recursus personalis ad eum qui moderare queit non est auferendum; quia iuris naturalis est, cui Religiosus non renunciauit, & forsan nequit renunciare.

Secundus si Superior peruersè informa- 23 tus ab alio Superiore, v. g. si Prouincialis à Præposito vel Generalis à Prouinciali ordinem mittat, vt aliquis domo vnquam exeat, vel in aliquo loco detinetur ne vadat ad locum suæ residentiæ, in qua, vel officium habet, vel designationem filiationis, si talis Superior per litteras certioratus de veritate, & quod informatio facta veritati non nititur non desistit à mandato, potest ad Superiorem illum personaliter accedere, etiam si non petat licentiam ab immediato, si certo scit istum non daturum.

SVBRESOLVT. I.

Vtrum in aliquo casu Religiosus grauatus possit recurrere ad Principem laicum?

SVMMARIVM.

1. *An Religiosus grauatus possit recurrere ad Principem secularem.*
2. *An recursus forma præscribatur à priore ad Prouincialem, &c. & n. 3.*
4. *Portel sententia affertur.*
5. *Quandonam Religiosus recurrens ad Principem secularem nullam censuram possit incurrere.*
6. *An ciuium nomine quum de fauore defensionis agitur, clericus sit censendus.*
7. *Doctissimi Malderi opinio adducitur, & n. 8. necnon authoris mens, & n. 9.*
10. *Priores, Guardiani nunquam possunt trahi ad suprema prætoria per viam violentiæ, ex Salgado.*
11. *An lex Regia non tantum se fundet in prohibitione appellatio. sed & in conseruatione status Religiosi, & n. 12.*
13. *An Princeps supremus tuta conscientia non possit lege sua stabilire, quod causæ regularium ad tribunalia secularia deducantur.*
14. *Vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur restat vt religio naufragetur ex Clemente II.*

SEd inquires si superior iste ad quē recedit nimis distet à grauato & iste non habeat modum quo illuc accedat vel ratione
1 expensarum aut infirmitatis. Poteritne † recurrere ad Principem sæcularem aut eius supremum consilium, non vt iuridice cohibeat grauantem, qui exemptus est à sua iurisdictione, sed vt auctoritate sua ipsum aduertens moderetur excessus in correctione, & suspendatur mandatum. Respondetur affirmatiuè, quia ius naturalis defensionis illi hoc concedit, etsi enim recursus ad tribunalia sæcularia, & ad Principes laicos prohibitus sit Regularibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, lata à Clemente VIII. *in constit.* 5. Incipit. *Quoniam*
2 *subditi.* 23. *Nouemb.* 1605. vbi † recursus forma præscribitur à Priore ad Prouincialem, Generalem, ad Protectorem, & ad Sanctam sedem, subintelligitur Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium. Hoc tamen intelligitur, quum grauamen graue potest sub hac forma repelli, ast quum ob difficultates itineris & expensarum, infirmitatem grauati & similia non potest ius
3 naturalis defensionis habere, licet ad Principem & supremum Tribunal recurrere, non in forma iudicij, sed per modum supplicationis, vt auctoritate sua grauantem iniustè cohibeant. Ita tenent Malderus 12. *quæst.* 96. *artic.* 5. §. *quod attinet ad iustam defensionem versic.* 1. *& versic.* 4. Sousa *in Bullam cœnæ cap.* 15. *disput.* 78. *à num.* 2. Portel. *in additionibus ad dubia regul. verb. appellare*
4 *num.* 3. ibi, † *si Superior ad quem posset recurrere longe distet ita vt non possit* illum adire instante grauamine, vel etiam cœpto & sic iniuste illato arbitrio boni viri, tunc credo posse Religiosum, aut Clericum recurrere ad Principem sæcularem, qualis est Rex, non tanquam ad iudicem competentem, vt sibi succurrat in illo grauamine iniusto tollendo vim sibi factam modo quo licitè potest imperando scilicet, vel suadendo, Prælato, vt vel abstineat à vi iniusta, & grauamen, quod patitur Religiosus releuet, & per
5 hoc † Religiosus recurrens ad Principem sæcularem cum prædictis circumstantiis nullam censuram cœnæ, aut alterius Bullæ incurret, *cap. Regium* 23. *quæst.* 5. vbi habetur. *Regium est per vim oppressos à manibus violentorum & calumnantium liberare. ac iniurias repellere.* quod locum habet in Religiosis ac viris Ecclesiasticis, qui enim habent ius naturalis defensionis ex vi ipsius iuris, habent etiam illa sine quibus defensio haberi non potest. Vt enim egregiè dicit Episcopus Antherpiensis Ioannes Malderus, vbi suprà, *id videtur suadere ratio naturalis & ius defensionis, quod habet Princeps contra omnem vim ciuibus suis illatam, ciuium autem* † *no-* 6
mine, quum de fauore defensionis & Patrocinij Regij agitur etiam clericus, (adde tu & Religionis,) *censendus est.* Hæc ille, quibus conformantur plures & graues Theologi.

Sed procedit sapienter valdè idem qui 7
supra doctissimus Malderus. † *Vti verum non est non posse vnquam occurrere casum iustæ defensionis in hac materia pro iudice laico, ita verum quoque non videri tam facile occurrere, vt quidam Iurisconsulti volunt; videtur enim remedium istud esse acerbius, quam vt facile admitti debeat, parit enim contemptum Ecclesiasticæ iurisdictionis, quum nimis facile adhibetur & viam sternit multis abusibus, eoque sensu potest sustineri, quod iste modus defendendi plerumque extra casum, valde magnæ necessitatis excedat moderamen inculpatæ tutelæ, & quod excedat Medicina modum & malagma sit ipso vulnere acerbius.*

Verissima quidem sententia paucis ex- 8
pressa verbis, quæ rigidius exequenda est in Regularibus qui mundo mortui mundanis remediis vti non debent ad suam naturalem defensionem, & ad propalandum grauamen sibi illatum, quod acerbius debet esse illud pati, quum est perniciosum regularem turbare disciplicam, & modum regiminis, quod cum sit bonum commune magis diligi debet, quam visitatio damni proprij non grauis valdè quod patienter sustinere debet quam vulnera Religionis propalare Principibus, qui malum ex illis percipiunt odorem. Vnde iudicibus supremis obsecro † in visceribus Iesu Chri- 9
sti, quod huiusmodi recursus refugiant, & Religiosos recurrentes ad suos Prælatos remittant, & legis peritis peto sub eadem obtestatione ne patrocinentur huiusmodi causas, sed prudenter, suauiter, ipsis intiment obligationem suam; nisi manifestissimum, & grauissimum sit grauamen. Legant attentè Salgado *de protectio. Regia part.* 1. *cap.* 2. *prælud.* 5. *à num.* 10. *qui num.* 21. sic fatur. *Sed tu ne forte decipiaris scias causas Religiosorum quæ fiunt & geruntur per eorum Superiores,* † *Prio-* 10
res, Guardianos, Rectores, Generales, Prouinciales & similes, quia siue directe, siue indirecte semper tendunt ad correctionem, & Regimen Religiosorum nullo modo possunt trahi ad suprema Prætoria, per viam violentiæ, nec hactenus visum, nec auditum fuit inter practicos, & expertos Tribunalium, Aduocatos & Senatores huiusmodi personarum causas ad illa exportari per hanc viam imo neque in

in grauaminibus & excessibus super electionibus, nec super aliis rebus quæ vt dixi geruntur inter Religiosos per eorum superiores trahi vnquam permissum est, & sic non video quomodo ipse Ceuallos deuiari ausus est à tam frequenti, & omnibus Tribunalium etiam minimis officialibus notoria & vsitata praxi.

11 *Et quia* † *dicta Lex Regia* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recopilat. non tantum se fundat in prohibitione appellatio. sed in pace, quiete, & conseruatione status Religiosi cum illius neruus, atque Deus consistat in eo, vt ne facile causæ suæ extra Religionis ambitum deducantur, ex quo non leuia iurgia ac perturbationes orirentur in grauissimum Religionis detrimentum prout conside-*
12 *rant* Soto *lib.* 5. *de iustitia quæst.* 3. *artic.* 3. Couarr. *in practicis cap.* 23. *num.* 6. *versic.* 8. *quum circa hoc dicta lex pateretur aliquam difficultatem, vniuersalis perpetua & firmissima iustissimaque ab vsu & praxi recepta consuetudo sufficiens fuit illam legem intelligere, interpretari & declarare quia actus vbi determinatio non apparet abusu & consuetudine informatur, & regulatur vt latissime Mieres de maiorat.* 1. *p. quæst.* 48. *à num.* 71. *vsque ad* 77. *sess. decis.* 113. *à num.* 183. *tom.* 2. Parlado *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 1. §. 11. *num.* 4 Cenedo 9. *cano.* 45. *num.* 29. Hactenus doctus vir qui etsi accerrimus sit defensor Regiæ protectionis in Ecclesiasti. ast eam non tuetur in Regularibus respectu suorum Regularium intra Religionem Superioris propter lamentabiles casus quos experientia docuit, ex non obseruantia huius seuerissimæ doctrinæ.

Quæ adeo mihi certa videtur, vt existi-
13 mem † Principem supremum tutæ conscientiæ non posse lege sua stabilire, quod causæ Regularium intra claustra degentium, quæ aguntur coram suis Superioribus Regularibus intra Religionem possint per viam violentiæ ad Tribunalia sæcularia deduci, esset enim talis lex contraria paci, quieti & Regimini Regularium & euersiua disciplinæ Religiosæ, ansamque præberet vagandi Religionis, perturbaretur obedientia debita Superioribus, vt enim, ait Cle-
14 mens II. *cap.* 1. *de stat. Monach.* † *vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur restat, vt Religio naufragetur.* Verum est quod; quum scandalum timetur turbatio, aut inquietudo pacis Regularis Rex, aut Consilium supremum secreto non in publico consistorio ordinat, aut disponit; quid faciendum ei detinet aliquando ne Generalis, aut visitator Generalis (maximè si naturalis huius Regni non sit) ingrediatur ad visitandum conuentus ex qua visitatione magna iurgia & seditiones oriri solent.

RESOLVT. V.

An in Carcere detentus Regularis possit fugere sine licentia, vt vadat ad altiorem Superiorem, vt releuet grauamen.

SVMMARIVM.

1. *Carcer est viuorum sepulchrum ex Salgado.*
2. *Duplex incarceratio admittitur.*
3. *Apud quos incarceratio sit iusta.*
4. *Quid item de incarceratione iniusta.*
5. *Variorum DD. opiniones, & n.* 28.
6. *An sit licitum Religioso iustè incarcerato fugere à carcere vt vadat ad superiorem qui eum releuet à pœna, & n.* 7.
8. *D. Thomæ ratio affertur, & n.* 9.
10. *An non insit maior obligatio Religiosis obediendi sententiæ latæ de carcere quam sæcularibus.*
11. *An si quis esset damnatus ad perendum fame si illi esset oblatus cibus posset concedere.*
12. *An superior possit præcipere vt maneat Religiosus in loco quem designauerit & iustè iudicarit.*
13. *An non liceat Religioso fugere à carcere in quo iustè positus est, & n.* 14. *&* 15.
16. *Pœnæ sunt in duplici differentia ex Caiet. & n.* 17. *&* 18.
19. *An damnatus ad carcerem perpetuum vel ad tempus siue regularis siue laicus non potest fugere ante completum tempus.*
20. *Quæ sententia iusta intelligatur.*
21. *Carcer perpetuus imbibit exclusionem à fuga, & num.* 22.
23. *Nauarri mens adducitur.*
24. *In triremibus miserrimus quisque reus quotidie moritur.*
25. *Viualdi placitum, necnon authoris iudicium, & n.* 26.
27. *Triremes sunt veluti quædam perpetua mors.*
29. *Quid contra statum religiosum videatur, & num.* 30.
31. *An si Religiosus à Triremi fugiens non teneatur ad Triremes redire, possit iterum capi à religione.*

BENE Salgado *de Protectio. Regia p.* 2. *cap.* 4. *n.* 1. dicit quod † *carcer est viuorum sepulchrum, qui in omnibus mortui videntur, consummatio viuorum, consolatio inimicorum, & experiētia amicorū, species tortura, mortis similitudo, mala mansio, purgatorium huius vitæ locus* 1
horribilis

horribilis, tum propter priuationem conuersationis, tum propter squallorem & immunditiam, quæ in carceribus reperitur, &c.

2 Cæterum, † aut incarceratio iusta est, quia debitis solemnitatibus iuris, competente iudice facta, aut in pœnam propter delictum irrogatam sententia iusta seruato iuris ordine, aut est iniusta ex defectu iurisdictionis, aut ratione personæ, aut temporis, aut loci, aut quia non est seruatus iuris ordo, aut ratione causæ, de quibus omnibus Salg. *vbi supr. per ducentos & amplius num.* eruditæ, vt assolet discurrit, & quia potius pertinent ad iudices sæculares, quam ad Regu-
3 lares ibi videri possunt, apud hos enim † iusta incarceratio est, quum datur in pœnam delicti, aut quum inter locutoriè detinetur Religiosus in carcere custoditus, vt causa eius discutiatur, & ne fugiat, vnde etiam si ab hac detentione appellet appellatio non habet effectum suspensiuum, sed deuolutiuum dumtaxat, vnde reus in carcere detinetur, donec iudex appellationis, aliud iusserit, vt declarauit Congregatio Concilij, *ad cap.* 20. *sess.* 24. *die* 16. *Octob.* 1600. vt referunt Sellius. *in selectis cap.* 30. *num.* 13. Barb. *in collect. Apost. decis. collect.* 37. *num.* 19.

4 Igitur † non procedit dubium de incarceratione iniusta, ab hoc enim grauamine iniusto cum graue nimis sit, & valdè pœnale maxime in Religionibus si aliter quis liberari nequit, nisi per fugam & non petita licentia, vt vadat ad Superiorem, qui ipsum releuet, licitum est, si recludatur scandalum, aut alia perturbatio, quæ magis ponderat, quam quod quis ad tempus detineatur, & iniustè incarceratus, quare procedit de carcere iusto, qui vel per sententiam datur ad tempus longum, vel in perpetuum, (quod dari in pœnam delicti posse
5 à iudicibus Ecclesiasticis docent † Innocentius, *cap. qualiter el segundo de accusat. column. penult.* Bernardus Diaz. *cap.* 137. *verb. ac in perpetuum carcerem.* Bobadilla. *lib.* 3. *Polit. cap.* 15. *num.* 8. Azeuedo. *lib.* 8. *leg.* 15. *tit.* 6. *num.* 11. *&* 13. & praxis sancti officij, & Religionum confirmat) vel infligitur ad causæ decisionem, & ne reus fugiat rursus, aut reipsa delictum commisit, aut cum reipsa innocens est secundum allegata & approbata tanquam nocens damnatur.

6 Prima sententia absolutè docet † licitum esse Religioso iuste in carcerato fugere à carcere, vt vadat ad Superiorem altiorem, qui ipsum releuet à pœna. Ita Bannez 2.2. *quæst.* 69. *artic.* 4. *pag. miki* 456. vbi sic fatur. *Notandum, quod Religiosis non est licitum fugere de carcere, quia illi sponte sua se abdicarunt libertate vagandi, quare non debent esse melioris conditionis quantum ad hoc, qui sunt in carcere, quam alij Religiosi, sed isti non possunt fugere, ergo nec illi. Hinc* 7 *excipiunt aliqui nisi fortè ageretur de periculo vitæ ipsius Religiosi, tunc enim licitum esset illi fugere*, & hoc probat ratio † D. Thom. 8 *in solut. ad* 2. *Possumus autem ponere aliam exceptionem quum Religiosus est condemnatus ad perpetuum carcerem, vel ad durissimam pœnam, tunc enim fugere licebit non ad vagandum neque ad relinquendum habitum, sed ad quærendum remedium à Superiore Prælato, vel à Summo Pontifice. Ratio huius exceptionis est, quia videtur nimis asperum & inhumanum priuare religiosos recursu ad Supremum Prælatum in tanta angustia constitutos, satis enim* 9 *erit in fauorem Religionis, & voti solemnis, quod non concedamus illi licentiam vagandi, sed quod teneantur repræsentare se Superiori Prælato, aut Summo Pontifici, vt dictum est.* Hæc ille.

In hanc sententiam fatetur Castro Palao, *vbi supra punct.* 14. *num.* 10. se habere animum propensum, in quam inclinat Suarez *tom.* 4. *de Religio. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. tum
10 quia † non videtur inesse maior obligatio Religiosis obediendi sententiæ latæ de carcere, quam sæcularibus, simili pœna damnatis, at isti possunt fugere, quia inhumanum esset obligare, vt quis quum possit fugere pœnam illam in se exequi, vt ait D.
11 Thom. *vbi suprà.* † si quis esset damnatus ad pereundum fame, si illi esset oblatus cibus posset comedere, quia alias si non sumet, esset se ipsum occidere. Neque enim votum in religioso maius & strictius vinculum inducit, quam præceptum iudicis, quare Superior etsi possit præcipere, vt non resistam sententiæ, sed illam patiar, at non
12 potest præcipere, non fugiam si possum absque resistentia. Vnde potest quidem † Superior præcipere, vt maneam in loco quem ipse designauerit & iuste iudicauerit argumento, *textus in cap. quorundam. & cap. si Religiosus de electio. in* 6. at non iuste iudicat si ferat sententiam me debere absque fugæ potestate, in carcere & triremibus manere, quia lex humana, nisi, id exprimat non aufert hanc potestatem, sicut non obligat cum manifesto mortis discrimine, nisi exprimat.

Secunda sententia huic ex diametro opposita tenet † non licere Religioso fugere à 13
carcere, in quo iuste positus est, etiam prætextu recurrendi ad Superiorem altiorem, si carcer sit impositus ex sententia diffinitiua iusta. Ita tenet communis sententia Suarez *vbi supra cap.* 10. *num.* 10. Sayrus *in claui l.* 12. *cap.* 18. *num.* 9. Nauarrus *comm.* 4. *de Regul. num.* 63. Rodriguez *tom.* 2. *q.* 22. *art.* 6. Sanchez *lib.* 6. *summ. cap.* 8. *num.* 12. *&*

16. Castro Palao *vbi supra.* Fundamentum est, quia licet ex præcepto, & lege humana absolute obligari non possit, ad non fugien-
14 dum carcerem at ex voto obedientiæ obligari potest, quia ita vouisti obediendi ad sustinendum, quod Superior secundum Regulam, & ius commune canonicum præcipit, & ita præcipere præsumitur quando carcer, aut triremium in pœnam delicti iusta sententia imponitur nisi carcer ita durus &
15 inhumanus sit, vt suum adferat vitæ periculum, quia locus aut nimis humidus, aut nimis frigidus, aut nimis calidus est, carcer enim perpetuus has qualitates non requirit, si tamen re ipsa est innocens, quamuis nocens secundum allegata & approbata semper fugere potest.

Sed Dominus Caiet. 2.2. *quæst.* 69. *artic.* 3. *&* 4. Huius verissimæ doctrinæ altum iecit fundamentum §. *ad cuius euidentiam sci-*
16 *to* (inquit) *quod † pœnæ sunt in duplici differentia quædam sunt ad quam non aliter quis damnatur nisi vt patiatur illata, vt patet de morte, mutilatione, flagellis, tortura, & huiusmodi non enim damnatur aliquis vt se occidat, mutilet, torqueat &c. sed vt patiatur, hæc sibi illata & de his omnibus eadem est ratio, quæ de morte vt scilicet damnatus, aut damnandus ad aliquid horum possit licite fuge-*
17 *re, quia non tenetur nisi ad pati. Quædam vero sunt ad quas sic subeundas aliquis damnatur vt ipse cooperetur ad eas vt patet de exilio, & circumscriptione, & pœna pecuniaria, damnatur siquidem aliquis, vt eat in exilij locum & ibi infra præfixos sibi terminos maneat & soluat, &c. & ab harum executione non licet se substrahere post sententiam, quia damnatus est ad faciendum, ante vero sententiam potest licite fugere, quia scilicet non tenetur facere hoc est manere in loco vnde sequeretur suum pati, hoc est damnari, si ex sua absentia damnatio vitaretur, alioquin omnino teneretur in foro conscientiæ subire latam post sententiam. Religiosi*
18 *tamen qui à libertate sui motus processui extra claustra se priuarunt suppouentes se per tria vota Prælatis suis, iuste detinentur non possunt licite extra præfixos sibi terminos fugiendo exire, cum exire non possint non detenti claustrum sine licentia Prælati.* Hactenus Cardinalis qui valde formaliter ad propositum loquitur.

Ex quibus colligitur ratio petissima cur
19 † damnatus ad carcerem perpetuum vel ad tempus siue Regularis sit, siue laicus non potest fugere, ante completum tempus, quia carcer datus in pœnam ex sententia iusta non est præcise ad pati sed etiam ad facere sine resistentia, sicut est exilium aut pœna pecuniaria, eo autem quod quis post sententiam latam carceris fugiat resistit sententiæ iustæ, quod non licet, sententiam autem † iustam intelligo eam quæ transiit 20
in rem iudicatam, quare Regulari qui in illam consensit nullatenus licet à carcere fugere, vt vadat ad Superiorem qui ipsum releuet à pœna, cum ista non sit grauamen iniustum; nisi in modo, & loco pœnæ iniuriam patiatur, sed iusta pœna illata pro delicto, quam cum teneatur pati, nequit eam fugere, quod secus est de damnato ad mortem, qui potest fugere, quia solum damnatus est ad pati mortem, at damnatus iuste ad carcerem perpetuum est sicut damnatus ad exilium, qui extra terminos sibi præ-
fixos nequit transilire, & † carcer perpe- 21
tuus imbibit exclusionem, à fuga & potestatem fugiendi coercet & reprimit, & sic damnatus in sententiam iustam incarceratus fugere nequit sine relaxatione sententiæ, aut ex tacita, & præsumpta licentia superioris, vt recurrat ad eum, qui ea potest relaxare, quod vrgentius currit in Religioso qui ex vi sui status tenetur obedire quum illi præcipitur secundum regulam, & non sit illi grauamen; vnde cum absolute non possit domo egredi sine licentia multo minus à carcere dato ob iustam sententiam 22
ex vi cuius ablata est potentia egrediendi ab inclusione carceris, multo strictiori vinculo detentus, quam quod non egrediatur à domo & claustro sine licentia.

Verum enim vero cum pœna triremium si exequenda est, vt sonat, & exercetur noua sit, non à multis abhinc annis inter regulares introducta consuetudine, & priuilegio, sitque à iure communi exorbitans, vt notat † Nauarrus *commentario* 3. *de regu-* 23
lar. vnde non debet imponi nisi quum aliter Regularis puniri nequit ad æqualitatem iuridicam pro delictis commissis; est enim in hac vita abbreuiatus inferius, terra tenebrarum, & operta mortis caligine, terra miseriæ, & tenebrarum vbi vmbra mortis, & in moribus nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. † In triremibus miserri- 24
mus quisque reus quotidie moritur, & nunquam finitur, infinita fere discit peccata, quæ postea vix deserit. Quotidie flagellatur, & sæpe sine culpa, habitat cum turcis, & infidelibus aliisque pessimis hominibus inter quos ordinaria est blasphemia, periurium, latrocinium eorumque possunt. Non satiatur pane & aqua semper pluuiis ventis, insanisque expositus procellis, catena ligatus, pedibusque suspensus, inter vndas absque sacramentis, aliaque consolatione desperatus perit atque tanquam lapis in infer-
num descendit, vnde † iure optimo vole- 25
bat Viualdus *tract. de depositio. & de gradatio, num.* 38. *pag.* 84. quod si aliquis sibi notus aut coniunctus ad triremes esset condemnandus, vt morte potius puniretur

quacunque subita naturali quam illa ciuili, quod etiam adfirmat Bernardus Diaz. *in sua practica cap.* 146. *num.* 3.

Cum ergo pœna ista adeo horribilis est & aspera & sit quoddam genus mortis conti-
26 nuum existimo, quod † Regularis iusta sententia ad illam damnatus, cum sit à Religione expulsus ex vi huius sententiæ, (vt vidimus alibi & docent Rodriguez *tom.* 2. *q.* 25. *art.* 2. Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 27. *conclus.* 2. quamuis post decretum Vrbanum aliter sit dicendum infra) potest tuta conscientia fugere. Hæc videtur fuisse mens Doctissimi Magistri Bannez *vbi supra*, est tamen contra Sanchez *lib.* 6. *summæ cap.* 8. *n.* 16. qui quamuis galeotis sæcularibus id licere concedatur, negat tamen id licere Religiosis, sed de vtrisque eadem concludit ratio,
27 quia † hoc genus pœnæ est veluti quædam perpetua mors, & quidem acerbissima & paulatinum martyrium omnino inuoluntarium *leg. penult. ff. de regul. iuris*, vnde non damnantur vt ibi voluntarie maneant, sed vt patienter ferant ibi detineri sicut, dum
28 quis verberibus damnatur, vt tenent † Corduba, Ludouicus Lopez, Salon, Petrus de Ledesma, Lessius, quos ibi citat Sanchez loquentes de sæcularibus, in quos sententia dum fertur hoc modo intelligitur, ergo dum sententia fertur in Regulares ab eorum Superioribus, nisi exprimatur quod à triremibus non discedant, & hoc illis præcipiatur sub præcepto formali obedientiæ, cum respectu regularium pœna triremium sit exorbitans à iure intelligenda est iuxta communem intelligentiam in sæcularibus, atque ita sicut isti ex vi sententiæ possunt fugere, ita & Regulares.

29 His adde valde durum esse & † videtur contra statum Religiosum, quem solemniter professi sunt eos obligare sub mortali vt sint in continuo periculo peccandi, vt sunt huiusmodi homines, rursus esse obligatos ad tot violentas actiones exercendas, contra eram salutem, & supra naturales vires quod secus est de carcere & inclusione perpetua intra claustra, vel in cubiculo, quia vita est
30 etsi misera non ita implicita ærumnis corporis & animæ periculis, quare in hac inclusione ita patitur quod solum teneatur agere continuationem passionis & incarcerationis, sicut qui mittitur in exilium solum tenetur agere progressiuum motum est qui decapitatur ponere se vt recte fiat supplicium.

31 Verum etiam † si Religiosus à triremibus fungies non teneatur ad triremes redire (sicut tenetur redire ad carcerem perpetuum, qui ab illo aufugit (quod secus est in sæculari) potest tamen iterum à Religione capi, vt pœnam adimpleat, quod nisi capiatur non tenetur ad religionem redire, si prudenter iudicat ipsum non recipiendum, vt communiter fit, quare potest extra Religionem viuere tanquam expulsus, habens tamen animum præparatum ad redeundum semper, quod recipiatur & admittatur iuxta ea quæ dicam alibi & infra.

SVBRESOLVT. I.

Religiosus incarceratus si prudenter timet mutilationem potest fugere.

SVMMARIVM.

1. *An Religiosus incarceratus si prudenter timeat damnandum ad mortem, sententia non lata, possit fugere.*

Colligitur secundò, ex Doctrina D. Caiet. quod † religiosus incarceratus si 1
prudenter timet damnandum ad mortem, mutilationem, aut tiremium antequam sententia feratur potest fugere & adire Superiorem qui mitius cum eo agat, vel si timet mortem aut mutilationem potest aufugere à carcere, quia non tenetur facere id est in esse in loco vbi est quæritur suum patibulum, aut mutilatio, quia desiderium conseruandi vitam, & membra sua illæsa ita naturale est, vt nullum votum etiam solemne ipsum excludat, etsi possit, quis renuntiare huic iuri, & permanere in loco vbi ex sententia iusta sequatur suum pati, & mutilatio.

SVBRESOLVT. II.

Vtrum possit frangere carcerem & vincula?

SVMMARIVM.

1. *Quum licitum sit Religioso fugere à carcere, an sit licitum vincula frangere.*
2. *D. Caietani sententia adducitur.*

Colligitur tertiò, quod † quum licitum 1
est Religioso fugere à carcere licitum etiam est fugam defendere, ita contra Henricum de Gandano. *quodl.* 9. *art.* 71. docuit D. Caiet. *vbi supra* §. *ad* 3. vbi sic acutissime loquitur. *Si quis diligenter distinguat inter fugam, vel defensionem, ac inter vim inferre rationabilibus, vel irrationabilibus declinabit in partem oppositam cum enim inter iudicem & damnatum iuste sit ex parte iudicis bellum iustum, constans est quod damnatus non potest se defendere, non resistere pugnando contra eum, sed sicut fugere non est resistere, pugnare aut defendere, sed non tenere se ipsum in hoc loco ita frangere*

2 *frangere vincula & carceres, sed absoluere se ipsum à continentia vinculorum & carceris multum quoque refert vim irrationabilium vel rationabilium repellere. Nam illata vis rebus irrationabilibus precise non redundat in auctorem eorum: cuius signum est quod si quis vinculis sibi ab Ecclesiastico iudice impositis violentiam inferat infringendo, non est excommunicatus, & si quis damnatus vt deuoretur à Leone, pugnet cum leone, & leone superato fugiat nulli iniuriam facit. Hæc enim attestari*
3 *videntur quod si fugere volens vim inferat custodibus, quod iniustè facit, sed si absentibus vel dormientibus eis frangat vincula vel carceres, Iudici vel officialibus imputandum est quod tam debiliter ostia firmata vel sera fabricata sunt vt potuerint à detento frangi.* & infra. *Hic autem non est quæstio de damno pretij vinculorum, aut seratum carceris, facile enim dici potest quod effractor soluere tantummodo est paratus, sed est quæstio an iste actus effractionis reducatur ad fugam, an ad pugnam, nam si se tenet ex parte fugæ licitus est, si sapit pugnam illicitus est.* Hæc ibi, quæ expresse docuit D. Tho. *art.* 4. *ad* 2.

SVBRESOLVT. III.

Si sit damnatus vt fame pereat, si offerantur cibi, tenetur comedere?

SVMMARIVM.

1. *An si Religiosus damnatus sit ad hoc quod inedia & fame pereat, si illi cibi offerantur, teneatur sub mortali comedere.*
2. *Cardinalis de Lugo sententia & n.* 7.
3. *Nolle vti alimento habito est occidere se ipsum ex Caiet.*
4. *An sententia quod quis fame pereat, vt iusta sit, respiciat solum quod illi alimenta omnia illi subtrahantur, non à quibuscumque sed à custodibus.*
5. *An etiamsi iudex præcipiat quod nullus condemnato cibos præbeat, si tamen præbet aliquis, etsi iste peccet, teneatur reus comedere, & n.* 6.
8. *An eo ipso quod quis tenetur præcepto naturali ad conseruandam vitam, adhibere medium teneatur.*
9. *Difficultatis ratio enodatur.*
10. *An se conformando se sententiæ iustæ ob delictum reipsa patratum possit reus non fugere si velit, & n.* 11.

1 Colligitur quartò, quod † si Religiosus damnatus sit ad hoc quod inedia, & fame moriatur, si illi cibi offerantur tenetur sub mortali comedere, colligitur ex D. Tho. vbi modo & tenet D. Caiet. §. *ad octauam*, imo si potest fugere cum per fugam consequatur cibum quo viuat tenetur fugere. Prima pars huius corollarij est contra Lessium *lib.* 2. *de iustitia cap.* 19. *num.* 29. Sotum, Victoriam, & alios, quos citat & sequitur Petrus Nauarra *de restit. lib.* 2. *à numer.* 180. vbi latissime rem discutit, sed Corollarium defendunt cum Caiet. Cardinalis de Lugo † *de iustit. & iure disp.* 10. *à num.* 27. 2
etsi dicat quod si semel aut iterum cibus offeratur potest licite respui, addit hoc esse verum non solum si quis sit damnatus per sententiam iustam, sed etiam si per violentiam iniustam. Vtrumque additamentum falsum monstrabo infra subresolutione
4. Probatur tamen Corollarij prima pars ratione D. Caiet. quia † nolle vti alimento 3
habito est occidere se ipsum non minus quam gladio se ipsum transuerberare, nulla autem sententia quæ iusta sit potest damnare vt quis seipsum occidat, est enim contra insitam naturæ inclinationem ad se ipsam conseruandam, quare sicut si quis non comederet taliter quod ex inedia moreretur vere seipsum occideret, & peccaret contra quintum Decalogi præceptum; ergo cum sententia, quod quis seipsum occidat sit iniusta ex motiuo se conformandi sententiæ, quod fame quis pereat non potest respuere cibum oblatum, quia esset idem
quod se ipsum fame occidere, quare † sen- 4
tentia, quod quis fame pereat vt iusta sit respicit solum quod illi alimenta omnia illi subtrahantur, non à quibuscunque sed à custodibus, non tamen vt se occidat non comedendo cibos sibi oblatos, quia tenetur eos comedere, imo addo quod † etiamsi 5
iudex præcipiat, vt nullus tali condemnato cibos præbeat, si tamen præbet aliquis, etsi iste peccet tenetur tamen reus comedere, quia vtitur peccato alterius, ad sui conseruationem ad quam iure naturali obligatur, addo secundo, quod quamuis nullus teneatur tali damnato ministrare alimenta, tan- 6
quam in extrema necessitate constituto, quia secundum iustitiæ ordinem in illa constituitur necessitate, & tunc præstantius est se tenere ex parte iustitiæ, quia non obligat præceptum charitatis, vt expresse tenet D. 7
Tho. 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 2. *ad* 3. quod egregie enucleat D. Caiet. *vbi supra* §. *ad nonam quæstionem*, plura enucleat Eminentissimus Lugo in huius Corollarij partem confirmationem † quamuis non approbem distinctio- 8
nem, quam adfert intersumere venenum gladio se transfigere, & non edere cibos sibi oblatos, nam vtrius est eadem moralis actio æqualiter prohibita *in quinto præcepto* quamuis physice vna sit actio, & altera ommissio, sed vtraque est actio moralis habens malitiam homicidij.

Secunda pars corollarij satis colligitur ex dictis

dictis,quia † eo ipso,quod quis tenetur præcepto naturali ad conseruandam vitam tenetur adhibere medium, quod hic & nunc iudicatur vnicum ad illam conseruandam, quale est in præsenti casu fuga, ex qua potest sequi consecutio sibi, vt ignis famelicus extinguatur, qui enim potest de facili extinguere ignem sibi applicatum, vt comburatur, vel illum fugere, vel leonem ad se venientem declinare tenetur id facere.

2 Quæ doctrina verissima est in duobus casibus, primo si per violentiam iniustam detineatur à iudice Catholico,(& non,in odium fidei,vt Martyres detinebantur à Tyranno,) secundo quum, quis re ipsa est innocens, quamuis secundum allegata,probatus sit nocens, tunc enim tenetur fugere ne inedia pereat, quia si potest, & non fugit seipsum occidit permanendo in loco, sicut si nõ comedat oblato cibo ad sustentationem suffi-
10 cientem, verum est, quod † conformando se sententiæ iustæ ob delictum reipsa patratum potest non fugere si vult, at non potest non comedere si cibus offeratur,quia in hoc vult seipsum occidere,at non fugiendo non seipsum occidit, sed permanet in loco sibi designato ad pati mortem per abstractionem cibi, & sic non infert sibi mortem, sed patitur in quo se conformat iustæ sententiæ latæ ob verum delictum commissum,di-
12 xi veram esse doctrinam in his duobus casibus extra quos probabile est,quod non teneatur fugere, sed possit si velit permanere in carcere in quo est fame periturus, quia potest se conformare sententiæ iustæ latæ in perseuerantia carceris.

SVBRESOLVT. IV.

Additamenta posita à Cardinali de Lugo, examinantur.

SVMMARIVM.

1. *An quis damnatus ad mortem per inediam si semel & iterum afferatur cibus possit illum respuere.*
2. *Vitam sibi auferre etiam pro paruo tempore, ita est intrinsece malum, quod nullo fine honestari possit, & n.3.4.& 5.*

EX quibus iudicium fero de additamentis factis ab Eminentissimo Cardinali de
1 Lugo. Primum erat, quod † iste talis damnatus ad mortem per inediam si semel, aut iterum offeratur cibus potest illum respuere, quia cum semper non possit sustentari, sed tandem occidi debent ablatis imposterum cibis, dum respuit cibum semel oblatum, aut iterum, non se occidit per talem abstinentiam, sed debiliorem se reddit, vt postea igne famelico superueniente facilius & breuius absumatur, quod non est intrinsecè malum, sicut qui strangulandus est potest per aliquod tempus abstinere, vt factus debilior facilius à carnifice suffocetur, & mors illi non sit ita onerosa. Hæc doctrina mihi nullatenus arridet, quia † vi- 2
tam sibi auferre, etiam pro paruo tempore, ita est intrinsicè malum, quod nullo fine honestari possit,præceptum enim negatiuũ non se occidendi semper & pro semper obligat,etiam pro vnico instanti taliter, quod si Deus mihi reuelaret post vnum quadrantem moriturum, non possem à cibo necessario ad vitam illius quadrantis abstinere,quia me ipsum occiderem, & priuarem vita pro illo paruo tempore, quam teneor pro illo 3
conseruare, quare aliud est me non sumere cibũ semel,& iterum oblatum, vt me debiliorem reddam abstinentia illa ex fine aliquo honesto,vel vt caro mortificaretur,vel vt me conformem regulæ, quam sum professus,vel vt mors secutura non sit ita acerbior & mortis angustiæ corpore debilitato non ita torqueant corpus,vt spiritus liberior sit in actibus virtutum quos validè impediũt corporales dolores, qui ex cibi abstinentia 4
moderantur,& sub hoc motiuo,aut alio honesto nullus dubitat, quod damnatus,vt fame pereat potest repudiare cibum semel, vel iterum oblatum, & in hoc nihil noui dicit Cardinalis, qui bene addit, quod si iste possit clam semper habere cibos non posset illos repudiare, quia se ipsũ occideret, aliud si cibus semel, aut iterum oblatus sit suffi- 5
ciens ne moriatur & viuat aliquo tempore ita vt si non sumat,vita,fame,consumptus, discedat & hîc est punctum difficultatis,in qua dubio procul sinon sumat cibum semel oblatum, sed necessarium ne moriatur, si non sumat,& moriatur se ipsum occidit, & priuat vita,morte secuta.

SVBRESOLVT. V.

Vtrum Superior possit præcipere ne religiosus à carcere fugiat?

SVMMARIVM.

1. *An Religioso qui commisit delictum possit Superior præcipere ne fugiat.*
2. *Quid iudex non possit præcipere.*
3. *D.Caiet. sententia, necnon authoris iudicium, & num.5.*
4. *An de facto iuris ordo non habeat quod damnatus ad mortem cogatur sententia quod maneat in carcere, & n.6. & 7.*
8. *An in sententia sit inhibitum fugæ præceptum.*

Colligitur

COlligitur quintò, quid dicendum sit
1 ad illam grauem difficultatem † an Religiosus qui commisit delictum dignum morte de qua lata est sententia, siue à Tribunali S.Officij, siue à Pontifice, siue à suis Superioribus intra Religionem possit illi præcipi ne fugiat à carcere taliter,quod sententia feratur qua condemnetur ad mortem & ad carcerem donec inferatur mors, negant Soto *lib.5.de iustit.quæst.6.art.4.* Ludouicus Turrianus *disp.51. n.5.* quod satis videtur insinuare D.Thom. *2.2.quæst.69. art. 4. ad 2.* ibi. *nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed mortem patiatur & ideo non tenetur facere, id vnde mors sequatur, quod est manere in loco vnde ducatur ad mortem.Tenetur tamen non resistere agenti quin patiatur, quod iustum est.* Ex hoc loco recte
2 deducitur, quod † iudex non possit id præcipere, quia insolitum est hoc præceptum, & contra consuetudinem ferendi sententiam mortis, qua non præcipitur nisi quod quis mortem debitam patiatur, non vero quod permaneat in carcere,huiusmodi enim permanentia custodibus & ministris carceris committitur; esset enim inhumanum quod quis teneatur permanere in loco vnde ducendus est ad patibulum, quum possit fugere & vitam tueri, est hæc sententia probabilis.

Sed probabilior est quam sequuntur alij, posse hoc præceptum imponi, vt condemnatus ad mortem non possit fugere à carce-
3 re. ita expresse tenet D. Caiet. † *vbi supra §. ad secundam dubitationem* ibi. *Falsum est quod detentus damnatus ad mortem sit implicite damnatus ad carcerem.Neque enim ante sententiam, neque in sententia facta est talis condemnatio,sed solum custoditur,vt damnandus,vel damnatus ad futuram pœnam.* & infra. *Propter, quod si iuris ordo haberet, quod damnatus ad mortem damnaretur interim quoque ad carcerem non possit licitè iste fugere, quia ex damnatione ad carcerem tenetur iste ibi manere, sicut tenetur aliis iustis sententiis parere. Neque hoc est damnare eum ad mortem sibi inferendam, sed ad manendum intra terminos loci illius.*

4 Ex quo liquido constat, quod † de facto iuris ordo non habet, quod damnatus ad mortem cogatur sententia quod maneat in carcere,vnde iudex qui sit Principe absoluto inferior nequit hoc præceptum,ne damnatus fugiat à carcere, imponere, quia faceret contra iuris ordinem & hoc solum intendebat S.Thom. loco citat.& probat fundamentum oppositæ sententiæ, & intendit
5 D.Caiet.Cæterũ existimo, † quod Princeps supremus & absolutus potest sua sententia damnare aliquem ad mortem, & simul imponere præceptum, quod non fugiat à carcere, si enormitas delicti hoc exposcat, vt si sit crimen læsæ Maiestatis diuinæ, aut humanæ,quia Princeps supremus non tenetur seruare ordinem hunc iuris, cum sit supra ius, sicut potest condere legem quæ obliget in conscientia, etiam cum periculo vitæ, vt est communis certaque sententia quamuis communiter leges humanæ cum hoc periculo non obligant, ita † potest Princeps su- 6
premus præcipere damnato ad mortem, ne fugiat à carcere, quousque mors illi inferatur, quia ita expedire iudicat pro criminis grauitate, ita similiter potest præcipere, & legem ferre, quæ obliget in conscientia, quod damnatus ad triremes non fugiat, & Papa simile præceptum & legem potest facere, ne Religiosus fugiat à triremibus,quãuis id non possit præcipere Generalis nedũ Capitulum generale,sicut non potest præcipere,quod Religiosus damnatus ad mortem 7
non fugiat, quia hoc non habet iuris ordo, & sic intelligenda sunt ea quæ dixi *tom. 2. Moral.tract.vlt. Resolut.1.num.15.* tum præcipue,quia locutus sum de Galeotis sæcularibus in quos acquisiuit ius Rex,vt illi inseruiant,quo iure non potest Rex expoliari sicut nec pœna pecuniaria applicata fisco post sententiam latam, vnde in sententia inhibi- 8
tum præceptum ne fugiant, de Religiosis ibi non loquebar,nondum enim rem mature expenderam sicut modo expendi, quare potius affirmarem Galeotes sæculares posse fugere quam hoc negando, negare quod Religiosi non possint fugere, si hoc exigit consequentia doctrinæ.

RESOLVT. VI.

Vtrum Prælatus Regularis possit dare licentiam, vt Religiosus professus maneat extra Monasterium?

PLVRA sunt discutienda sub hoc titulo Resolutionis præsentis,nam aut Religiosus maneret extra Monasterium habitu religionis retento, aut eo dimisso, vel vt inseruiat alicui beneficio regulari, aut sæculari, & quidem si necessitas sit, quæ hoc hoc exposcit in parentibus, qui necessitate graui anguntur,iam latè hoc punctum discussi *t.de congrua p.1.* agens de congrua Monachorum, nec aliquid alicuius momenti occurrit dicendum, hæc enim sufficiens est causa siue necessitas ista vrgens antecedat, aut sequatur professionem, an vero sit sufficiens necessitas sororum & nepotum ex fratre, aut sorore infrà §.1.*dub.1.* discutiam.

§. I.

§. I.

Discutitur Resolutio de mansione extra Conuentum habitu retento.

SVMMARIVM.

1. *Nauarri sensus adfertur.*
2. *An possit Regularis solemniter professus degere extra Conuentum de licentia Superioris toto tempore quo durat causa.*
3. *An potestas supra Religiosum sit penes suum Prælatum.*
4. *An Religiosi propter vrgentes necessitates possint extra Conuentum degere.*
5. *An nullus Religiosus possit se conferre extra claustra sine Superioris licentia studiorum causa.*

ET quidem certissimum id posse iure communi antiquo, vt † late probat Nauarrus *comment.2.de Regular.num.16.& 40. & comm.4. num.14.* & in Manuali *cap.14.* & in consiliis *lib.3. tit. de Regular. consil.70.72. & 74.* vbi varia consilia dat circa varios casus de quibus fuit consultus, & in omnibus concludit,quod ex causa vrgenti,id possunt Prælati Regulares maximè Prouincialis,aut Generalis: nam quod Papa id possit etiamnum retento habitu apud omnes est in confesso (si subsit causa iusta, & rationabilis nam sine illa nec Papa potest, *vt suprà Resolut.13.* & tenet expressè Peyrin. *tom.de subdito,quæst.1.cap.23.concl.3.vers.dixi iusta existente causa*, Marcellus Rodriguez *tom.1. quæst.43.art.3.*Hieron.Rodriguez *resol.123.*
2 *num.89.*) & quidem hac existente, † posse Regulare solemniter professum degere extra Conuentum de licentia Superioris toto spatio temporis, quo durat præfata causa, aut alia superuenit, illa finita, siue duret toto tempore vitæ, siue determinato tẽpore, tenent Rodriguez vterque *vbi supra* Miranda *tom.1. Manualis quæst.32.art.3. & 4.* Sa emendatus *verb. Religio. num.53.* Nauarrus *vbi supra* Vega *p.2. cap.86. casu 14.* Suarez *tom.4. de Religio.tract.8. lib.3.cap.7.à num.3.* Bellarmin. *in obseruatio. doctrinæ ad cap.11. de reformat. sess.14.* vbi Barb. *in collect.n.2.&*
3 *3.* constat *ex cap.insinuante. qui cleri. vel vouent.cap.nullum.18.quæst.2.cap.cum Pastoris.2. quæst.7. cap.placuit el 1.y el 2. cap. Monachi el 1.y el.2.16.quæst.1.* in quibus iuribus duo continentur. Primum, quod potestas supra Religiosum est penes suum Prælatum, quia de illo potest disponere rationabiliter. Secundum, quod Monachus ausu nefandissimo, id est sine imperio aut licentia Abbatis non possit, extra claustrum morari, sed tenetur intra claustrum viuere,vnde *cap. insinuante*, dicitur, *quod quis potest aliquam regulam profiteri manens in domo sua, de licentia Prælati*, vnde in Concilio Chalced.quod refert & confirmat Alexander II. *cap. iuxta 16. quæst. 1.* expresse additur. *Quod † Reli-* 4
giosi propter vrgentes necessitates possunt de licentia Episcopi extra claustra degere, quod autem tunc poterant Episcopi, quibus tunc temporis erant subditi Regulares hodie (cum isti ab illis sint exempti) possunt sui Prælati; vnde *cap.2.ne cleric.vel Monach. in 6.* dicitur, *quod † nullus Religiosus se conferat* 5
ad studia litterarum extra claustra sine licentia Prælati & consensu maioris partis Capituli. Qui consensus ibi exigitur ad hoc vt vadat ad studia, quare est specialis conditio ad hunc finem, quod si ob alios fines honestos detur licentia, talis consensus capituli non postulatur iure communi.

SVBRESOLVT. I.

Explicatur Decretum Trid. sess.14.c.11. de reformatione.

SVMMARIVM.

1. *Concilij Trident.mens, & num 9.*
2. *Qui Religiosi professi possint transferri de vna religione in aliam strictiorem, aut laxiorem legitima licentia obtenta. n.3. 4.*
4. *Rodriguez sententia adducitur.*
6. *Authoris mens adducitur, & n.7. & 8.*
10. *An debeat tam recipiens Prælatus, quàm receptus subditus habere intentionem virtualem antecedentem, quod perpetuo profitens perpetuo maneat in claustro.*
11. *Suarez sententia adducitur. & n.12.*

SEd circa hanc certam & indubitatam 1
doctrinam sunt aliqua dubia discutienda. Primum, quomodo intelligatur Decretum Trident, *sess. 14. cap. 11. de reform.* sequentis tenoris. *Quia vero Regulares de vno ad alium ordinem translati facile à suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi & apostatandi causa tribuitur. Nemo cuiuscumque ordinis Prælatus, vel superior vigore cuiuscumque facultatis aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi in ordine ipso ad quem transfertur sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò maneat.* Et imprimis hoc decretum supponit, † religiosos hos professos in vna Reli- 2
gione transferri ad aliam siue strictiorem, siue laxiorem legitima licentia obtenta, vt enim notant Nauarrus *comm. 4. de Regulari, n. 11. & 12.* quem omnino sequitur Thom. Sanchez *lib. 6. in summ. cap. 7. num. 8.* Et vtrumque Barbos. *vbi supra num. 1. & 2.* Azor *p. 1. lib. 12. cap. 14. quæst. 12. versic. in Concilio*, ante Concilium Trident. inuenta fuit quædam fraus discolis, & inquietis religiosis

ligiosis satis vsitata illis temporibus ad fugiendam clausuram, & residentiam in con-
3 uentu, in quo primam professionem emiserunt, & sic possent libere vagare extra claustra, petebant enim licentiam transeundi ad aliam Religionem, qua acquisita Prælatus ipsum admittebat ad professionem, eo animo & intentione, vt professione emissa licentiam daret, habitandi extra claustra, ibique sibi victum & vestitum quæreret, ne molestus esset monasterio se-
4 cundo, & sic liberabatur à primo, & in claustra secundi nunquam residens vagabatur extra claustra, & hunc abusum Concilium abstulit, non tamen quod Prælatus Regularis posset hunc religiosum translatum mittere extra claustra ad tempus, vel in perpetuum sicut cæteros alios Religiosos ob causas, ob quas dare potest aliis licentiam habitu retento, quare Concilium non introduxit ius nouum; sed coercuit abusum, & fraudem in clausuram exterminauit. Ita citati Authores quibus adiungo vtrumque
5 Rodriguez † *tom. 1. quæst. 53. art. 4. & resolut. 123. num. 88.* qui addit quod non obstante hoc decreto Conciliari, quod si tanta est alicuius Religiosi vrgens necessitas ob persecutiones molestas, dissensiones, & inimicitias, quas patitur in sua Religione, & non inueniat monasterium, quod velit eum perpetuo alendum in claustro recipere & talis de eo adsit confidentia, quod tali facultate viuendi extra monasterium bene vteretur non ampla, sed arctata & limitata ad certum locum, vbi facilis possit esse notitia de eius vita, & moribus, adhiberique correctio, tunc enim Prælatus regularis, potest hac intentione mittendi extra claustra Religiosum translatum ad professionem admittere. Neque enim ait Sanchez Religiosis omne salutis medium occludendum est.

6 Sed ego † huic doctrinæ non vsquequaque assentior, etsi enim Prælatus post professionem possit Religiosum translatum ex causa mittere extra claustra, vt ibi degat sua industria, vel ad negotia Religionis, aut Reip. aut Principis, amicive valde coniuncti, tamen ipsum admittere ea intentione (vt non existente alia causa, nisi ne ipsum in monasterio retineat & congrue sustentet,) vt statim extra claustrum degendi ei licen-
7 tiam det, etiam addita limitatione Hieronymi Rodriguez nullatenus licitum est, & id est quod prohibet Tridentinum, & in hoc introduxit ius nouum prohibens ne quis recipiatur in Religione cum animo & voluntate non manendi perpetuo intra claustra nisi superior ex causa superueniente
8 dispensauerit, non secus ac non licet religiosum non translatum mittere in perpetuum, aut ad multos annos extra claustra non subsistente causa rationabili, alias enim latum ostium aperiretur, quod Prælati mitterent extra claustra Religiosos sub prætextu, quod ipsos non possunt congrue sustentare, & hoc ostium omnino obturat, & claudit, nouo decreto Tridentinum, ne vagandi arripiatur occasio. Quare † Tri- 9
dentinum exclusit in Prælato recipiente & in translato recepto intentionem non retinendi in claustro in vno, & intentionem non manendi ibi in altero, nisi ex iusta causa à Papa, vel à suo Superiore dispensetur ad manendum extra, ait Bellarmin. *vbi supra.* Itaque hanc intentionem non permanendi in claustro, & translatum mittendi extra habitam antecedenter ad professionem, ita illicita est, vt ex nullo motiuo possit honestari nisi adsit iusta causa post pro-
fessionem superueniens, debet enim † tam 10
recipiens Prælatus, quam receptus subditus habere intentionem virtualem antecedentem, quod perpetuo profitens, perpetuo maneat in claustro, cum qua virtuali non compatitur expressa intentio, quod maneat extra claustra non superueniente causa, quæ doctrina adeo mihi certa est, vt existimem, ab eo non posse tuta conscientia discedi, non enim illa occluditur salutis remedium religiosis, sed præcluditur via ad malitiam, & occasionem vagandi extra claustra, quod intendit Trident.

Casus etiam quem ponit Nauarrus prorsus est metaphysicus & abstractus, qui non debet eneruare vigorem legis conciliaris, nam
vt benè † Suarez *c.7. cit. n.6.* vbi egregiam 11
tradit & valde prudentem doctrinam, separatio enim Religiosi à suo choro & aliis communitatis exercitiis, & priuatus extra claustra viuendi modus dissonat vitæ Religiosæ, & perfectæ vnioni cum reliquo corpore, malum inducit sæcularibus exemplum & nõ confert ædificationem, plenus est periculis quæ vitare intẽdit ex vi professionis, vnde licitus non est nisi grauibus, & manifestis causis, & fere necessariis honestetur, quæ omnia simul coincidere fere impossibile est in praxi coadunari, & sic licita non est
admissio Religiosi ad professionem cum in- 12
tentione, vt viuat extra claustra, nisi superueniente causa honesta, & rationabili. Vnde Concilium huiusmodi translatum, etiam si sit Canonicus Regularis incapacem facit habendi beneficia sæcularia, etiam curata, ad quæ alias erat capax, vt dicit Caputaquens *p.1. decis. 85.*

SVBRESOLVT. II.

Qui possit dare licentiam viuendi extra claustra.

SVMMARIVM.

1. *Quis possit Religiosis solemniter professis facultatem dare habitandi ad multos annos extra claustra, & n.2.*
3. *An possit Papa dare hanc licentiam.*
4. *Nauarri mens affertur, necnon Authoris iudicium, & n.5.*
6. *An non concedatur quod quis possit transire ad Religionem laxiorem.*
7. *Clemens VIII. decretum, & n.8.9. & 10.*
11. *Decretum Clementinum & Vrbanum vbi non sit receptum.*
12. *An si quis superior præfatam licentiam concederet mortaliter peccaret.*

1 DVbium secundũ, † quis possit Religiosis solemniter professis facultatem dare habitandi, siue in vita siue ad multos annos extra claustra, & conuentum: & quidem attendenda sunt statuta, & constitutiones particularium Religionum, quibus Superiores, aut limitantur, aut datur potestas ad hoc
2 de mea Sancta Religione hoc scio, quod † Superior localis nõ habet potestatem, vt licentiam concedat, ad vel semel pernoctandũ, nisi in casu necessitatis, vel proximi moribundi, quem deserere non expedit, vel alterius negotij in vtilitatem conuentus, & nõ est tempus, vt à Prouinciali expostuletur licentia, quæ ad pernoctandum est illi priuatiue reseruata respectu Præpositorium localium. Igitur dubium procedit, quis possit iure communi hanc facere facultatem habitandi extra conuentum habitu retento ob iustam, & rationabilem causam. Quod possit Papa est indubitabile, sicut & quod Prouin-
3 cialis, Generalis, Capitulum Prouinciale, aut Generale in quibus residet regendi subditos potestas. Ita Nauarrus *consil.72. de Regularibus.* de Congregationibus Illustrissim. & Eminentiss. Cardinalium dubitat ibi idem Nauarrus *num.4.* † de Congregat.
4 Concilij quod non constat, quod possit dare hanc licentiam, nec iure communi, nec particulari, quia solum instituta est ad dubia Concil. Trid. declaranda non ad dispensandum contra Concilia, & Canones imo, ait, quod etsi haberet facultatem, vt ex causa possit dare licentiam hanc retento habitu, non tamen eo dimisso, idem tenent vterque Rodriguez *vbi supra Resol.123.* & quidem de Congreg. Concilj placet sententia hæc, quod non possit dare licentiam manendi extra claustra nisi necessarius sit Religiosus ipsi Congregationi ad negotiorum sibi commissorum expeditionem, de Congregatione super negotia Regularium existimo, quod † possit dare hanc licentiam
5 manendi extra claustra habitu retento sicut potest Generalis, aut Prouincialis non tamen sine habita nisi speciali consultatione facta cum sanctissimo, habitum enim suæ professionis dimittere nec Episcopis, nec Cardinalibus permittitur sine speciali Papæ facultate, est enim huius grauissimæ Congregationis limitata in multis casibus potestas, vt constat ex Bulla Sixti V. *de an.1588. die 23. Martij.* quam refert Quaranta in
6 Summa Bullar. *verb. Congregationes.* vbi † non conceditur, quod possit concedere licentiam transeundi ad Religionem laxiorẽ, sed solum ad arctiorem, de superioribus localibus existimo iure communi non posse dare hanc licentiam, nisi ex ratihabitione Generalis, aut Prouincialis, est enim res grauissima & multa examinatione digna, & toti Prouinciæ conueniens eius honori, & decori, quare eius arbitrium ad Prouincialem, aut Generalem attinet saltem ex consuetudine introducta.

Sed quamuis, vt dixi hæc ita se habeant iure communi, extant duo decreta Pontificia in contrarium. Primum est † Clementis
7 VIII. *in decretis Reformatio. Regularium editis, die 20. Martij 1601. §.49. Inuatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur nec de cætero nisi ex grauissima causa à sede Apostolica probanda huiusmodi facultates concedi possint,* quod Decretum sicut & alia clementina pro reformandis regularibus confirmauit Vrbanus VIII. Secundum est factum à Paulo V. *anno 1617. die 23. Decemb.* pro fratribus Minimis, quod notificauit zeloso illius Religionis, id est Procuratori Generali Secretarius Congreg. Regularium. R. D. Vulpius Archiepiscopus, & zelosus toti suo Ordini *die 4. Febr. 1618. ne sub quocumque pratextu detur licentia extra Monasteria domus, Conuentus, vel Collegia suæ Religionis permanendi.*

Fateor huiusmodi Pontificia decreta esse
8 magnæ auctoritatis, & ponderis, illis enim egregiè declaratur quantam perniciem inducant Religioni, imo & sæcularibus scandalum huiusmodi extra claustra & domus permissiones habitationis, & residentiæ, vnde in multis diœcesibus de Toletana & Hispalensi mihi constat summo animarum zelo & vt vitentur scandala Illustrissimi Præsules suis Vicariis, Parrochis, & Collectoribus, ne subsidium eleemosynarum pro
9 missis, aut locum sacrificandi in suis Ecclesiis, præstent, huiusmodi Regularibus extra conuentum degentibus, & sic multos coercuerunt, vt ad postliminium claustri redirent, ibique inhabitarent, nam extra veluti captiui, extra natiuum locum posthabita regulari disciplina à Diabolo forsan detinebantur, vt lamentabilis experientia

experientia demonstrauit, his præsulibus satis nota, titulo enim quæritandi, & colligendi eleemosynas suis conuentibus toto anno, & multis annis veluti rapaces milui vagantur
10 fugientes conuentus habitationem, etsi aliquando veniunt vix summa violentia detinentur etsi aliquantisper ibi morantur, ita sunt malis moribus assueti, vt eos veluti pestiferum contagium fratribus communicãt, inquietant, subleuãt & ab obseruãtia diuertunt, quare sanctissime determinat Paul. V. vt sub nullo prætextu huiusmodi licentiæ concedantur, nisi à Summo Pontifice causa examinata.

11 Sed quamuis hoc ita sit (& vtinam Præsules præfatos, omnes alij in Hispania imitentur) existimo † decretum Clementinum, & Vrbanum non esse in his Regnis receptũ, quare ius commune manet incorrectum, & Regulares cum eadem potestate, sicut antea, decretum etiam Pauli V. non extenditur vltra Minimos, quibus solis est intimatum: forsam, quia in illis erat maior excessus in huiusmodi licentiis concedendis, vnde stante
12 hoc Paulino decreto, † si quis superior etiam Prouincialis licentiam huiusmodi, ad lõgum tempus concederet & mortaliter peccaret, & puniri poterit à superiore maiore, pœna arbitraria iuxta tempus scientiæ, subditus tamen etsi aliquis dicat, quod erit tutus in conscientia, ego existimo contrarium, tum quia est sine dispensatione legis in re graui, tum quia in decreto Clem. & Vrbano auferitur potestas concedendi huiusmodi licentias.

SVBRESOLVT. III.

Vtrum licentia hæc data sine causa, sit valida?

SVMMARIVM.

1. *An si superior facultatem manendi extra claustra concedat sine causa valida, sit.*
2. *An Religiosus non possit esse extra claustra sine superioris licentia.*
3. *An iam superior regularis dispenset in lege.*
4. *Authoris iudicium, & n.5.*
6. *Quid ex doctrina tradita sequatur.*
7. *An quando militi dubia est belli iustitia possit & debeat obedire Regi præcipienti, vt ad bellum vadat.*
8. *P. Suarez sententia, & n.9.10. & 13.*
11. *Ratio difficultatis, & n.12.*
14. *An si quis sic extra claustra de licentia sine caussa concessa, non incurrat pœnas Apostasiæ aut fugitiui.*

1 DVbium tertiũ est, † an si superior huiusmodi facultatẽ manendi extra claustra & inter sæculares habitandi cõcedat sine causa valida sit licentia & dispensatio, D. Suarez *t.4. de Religio. tr.8. l.3. c.7. n.9. & 10.* dicit, quod si Prælatus Regularis hanc licentiam concedit sine causa dispensatio, & licentia nulla est, quia ait & bene, quod inferior non potest dispensare validè in lege Superioris, si non adsit causa rationabilis, sine qua nulla est dispensatio, at quia est lex iuris communis, & consuetudo introducta in statu Religioso, & nunc est in viridi obseruãtia in omnibus Religionibus, vt supra monstratum † est quod Religiosus non sit extra
2 claustra sine licentia Superioris, in quo iure & lege dispensatur à Superiore regulari, qui est inferior legislatore illius legis, ergo si ad hoc non est causa legitima, nulla est dispensatio: addit *n.11.* quod si talis dispensatio fiat à Summo Põt. si fiat sine causa peccauit quidem Pont. at dispensatio valida erit, & subditus ea vtendo tutus erit in conscientia, quia relaxata est illi obligatio iuris communis. Vnde fit, quod velit nolit Suarez † iam su-
3 perior regularis dispensat in lege semper, quod dat licentiam ad egressum à domo, & ista datur per modum dispensationis, cuius contrarium cõtra Nauarrum dixerat *l.1.c.6. n.12. eiusdem tr.8.t.4.* nam quod egressus sit ad breuem regressum ad claustra, vel ad lõgum, & ad diuturnum & permanentem mansionem non alterat, aut imminuit obligationem legis superioris, quod Religiosus non egrediatur domo sine licentia, etsi immutet materiæ grauitatem, quare iure optimo amplexatus sum supra Nauarri sententiã.

Igitur ego iuxta principia in superioribus à me posita quæ solidiora sunt, & magis ra-
4 tioni vitæ regularis conformia, † existimo quod de egressu à claustro & extra illud permanenti habitatione dispensante superiore etiam Summo Pont. philosophandum est ac de peculio, quia sicut egressus à domo pertinet ad obedientiam, ita peculium ad paupertatem, vnde sicut subditus non est tutus in conscientia si superior etiam Papa cõcedat sine causa facultatem, ad expẽdendũ, ita non est tutus in conscientia si sine causa faciat potestatem habitandi extra claustra, vtrumque enim est contra statum regularẽ
5 & disciplinam religiosam: quæ nõ est solum de iure humano sed oritur ex vi professionis solemnis viuendi in paupertate & obedientia in claustro, verum est, quod causa ista nõ semper se debet tenere ex parte subditi, sed eam potest habere superior, etsi subdito sit ignota, & sic intelligenda sunt ea quæ dixi *tom.2. Morali. tract.8. digressi. de peculio sect. 10. n.847. & seqq.*

Vnde fit, quod † si Prælatus Regularis,
6 aut Summus Pontifex præcipiat alicui Religioso quod habeat peculium, aut quod habitet extra claustra, quamuis ipse in se non agnoscat

agnoscat causam, si certo non sciat illam non habere Superiorem, tenetur illi obedire; quia in dubiis semper est obediendum Prælato præcipienti, vt in materia de bello tradunt cum D.Thom.& Caiet.omnes expositores 2.2.*quæst.... art....* quia semper stat indubia Prælati, & Superioris potestas, & in dubiis melior est conditio possidentis; vn-
7 de † quando militi dubia est iustitia belli potest, & debet obedire Regi præcipienti, vt ad bellum vadat; quod si non sit mandatum, aut præceptum Superioris, & subdito constet nullam interuenire causam iustam, sed solum vt liberius viuat, & extra claustri rigorem petit à Prælato licentiam fingendo causam & decipiendo Superiorem; dubio procul non est tutus in conscientia, sed mortaliter peccat tam Superior etiam Papa concedens, quam subditus vtens, vnde iste tenetur ad claustrum regredi, & Superior etiam Papa retractare licẽtiam; quare actus
8 remorsu veritatis † Pater Suarez *n.15.in fin.* postquam dixit quod est valida licentia data à Pontifice sine aliqua omnino causa, subdit: *Non est autem ita valida quin teneatur semper Pontifex illam reuocare, quia eiusdem rationis & malitiæ esse videtur eam conseruare cuius fuit condere, & in virtute illius quasi continue contra legem fiat.* & postquam *num.16.*
9 postquam dixit quod quandiu non reuocatur talis licentia tutus manet in conscientia Religiosus. Iterum remorsus cõscientia veritatis subdit: *Sed licet ex directa obligatione illius legis ita esse videatur, iuxta communem doctrinam non excusatur quis ab aliquà culpa vtendo tali facultate, quia turpis est pars quæ sine causa legitima discordat à toto, quæ culpa in aliis legibus humanis reputari solet venialis. Vereor tamen ne in præsenti ratione materiæ sit*
10 *mortalis, quia separatio à toto corpore in re tam graui sine causa legitima, videtur notabilis deformitas, cuius signum est, quia regulariter scandalum generat, & nonnullam etiam infamiam creat Religioni, præter alia pericula quæ magis extrinseca sunt.* Hactenus illi, quæ Doctrina veneranda est pro conseruatione, & reformatione status Religiosi.

11 Ratio à priori est, quia † licet non sit materia voti esse extra claustra & expendere; nisi vtrumque fiat sine licentia Superioris, tamen cum hæc licentia eximat ob obligatione voti (cuius signum manifestum est, quia si quis dicat, quod non expendit, nisi nomine Superioris, si tamen sine licentia requisita expendat frangit votum) quæ est de iure diuino, nisi Superior causam rationabilem habeat causam ad dandã licentiam voti obligatio semper subsistit; neque ab illa eximitur vouens, idem enim est quod Superior non habeat causam ad dandam licentiam, & quod subditus sine licentia expendat, aut extra claustrum habitet, quan- 12
tum attinet ad forum conscientiæ in vororum relaxatione, votum enim semper obliget quousque dispensetur, si autem dispensatio fiat sine causa nulla est, & irrita ita obligat ad non expendendum sine licentia, & ad non habitandum extra claustrum reluctante Superiore, quod si iste sine causa non reluctet, & licentiam det dubio procul votum exerit vires suas in foro animæ. Vnde
egregiè P.Suar.*n.14.* cum Nauar. dicit præ- 13
ceptum (de non habitando extra claustra) postulare licentiam, & voluntatem Prælati; sed etiam iustã causam, & ex secunda parte semper fieri contra præceptum. Secundo dicit ipsum præceptum postulare licẽtiam, vel voluntatem Prælati, non quamcumque sed validam, seu efficacem ad tollendã præcepti obligationem; quia verba legis intelliguntur secundum ius, & quia ipsa ratio, & iustitia legis hoc postulat, nam hæc licentia nõ postulatur solum vt seruetur debita subordinatio inter subditum, & prælatum, sed maximè vt religiosa clausura, iuxta exigentiam religiosi status illæsæ seruetur, ad hoc autem necessarium est vt non quæcunque voluntas prælati sufficiat, sed illa quæ valida & efficax est.

Dixi in foro conscientiæ, quia † si quis sit 14
extra claustra de licentia sine causa concessa & sic inualida, non incurrit pœnas apostatæ, aut fugitiui, quia non recedit à subiectione debita prælati in quo recessu Apostasia, & fuga criminosa completur, iste autem, qui cum dispensatione inualida habitat extra claustra suo prælato subiectus de facto illum recognoscens Superiorem, qui potest illum reuocare ad claustrum, quum voluerit, quod non potest respectu apostatæ, & fugitiui qui excluserunt iugum subiectionis, dicentes *non seruiemus.*

SVBRESOLVT. IV.

Quæ sit causa legitima ad hanc licentiam impertiendam?

SVMMARIVM.

1. *Quæ sit causa legitima vt concedatur religioso professo licentia habitandi extra claustra. & n.2.*
3. *An maior causa requiratur vt quis monachismum profitetur sit extra claustra, quàm vt mendicans religiosus.*

DVbium quartũ quæ sit causa legitima 1
vt concedatur religioso professo licentia, vt cũ eo dispẽsetur vt ad lõgũ tẽpus siue ad vitã habitet extra claustra? in hoc dubio hæc regula assignatur à Doctoribus Nauar-

ro & Suarez, *vbi suprà num.* 17. licet huiusmodi causæ sint relictæ prudentis arbitrio, argumento *cap.de causis. §.illis.de offic. deleg. & leg.1.ff. de iure deliberan.* Cæterum quilibet prudenter arbitrabitur esse causam sufficientem, quandocumque interuenit vtilitas Monasterij directa, siue indirecta argumento *cap.Monachi.16. quæst.1.* vt si est vti-
2 litas Patroni Monasterij, aut amici valde ipsius Monasterij, aut Prouinciæ, & Religionis, aut Principis affecti, aut Domini terræ, vbi est situs Conuentus, aut Episcopi ciuitatis, vt illi inseruiat in Officio Visitatoris, Camerarij, & in Ecclesia cantoris, aut Magistri cantus, in vniuersitate, vt aliquam scientiam doceat, vel vt discat litteras Religioso decentes, vt gradus Doctoris, vel Magistri si est in vsu in Religione accipiat, vt matrem, patrem, sorores, nepotes, aut neptes in graui necessitate existentes alat, & sustentet. Ita Nauarrus *consil.72.& 74. n.3. de Regularibus.* Suarez *qui n.9.* bene addit & prudenter, quod licet in omnibus religionibus requiratur causa, vt Religiosus extra claustra habitet ad longum, vel longissimum
3 tempus, vel ad vitam, tamen † maior causa requiritur, vt qui monachismum proprium profitetur sit extra claustra, quam vt mendians Religiosus qui non ita arctam clausurã profitetur: & causa quæ est sufficiens, vt iste sit extra Conuentum, potest non esse satis, vt proprie monachus sit, sed nihilominus etiam in mendicantibus grauissima causa necessaria est (ait) & regulariter vrgens necessitas, aut tanta vtilitas, vel propriæ Religionis, aut alterius boni communis, vt prudenter censeatur incommoda talis facultas compensari.

SVBRESOLVT. V.

Monacho etiam Carthusio sufficiens causa est curare ab infirmitate graui & contagiosa?

SVMMARIVM.

1. *An Monacho Carthusiano sit causa sufficiens vt ad aliquod tempus sit extra conuentum, vt curetur à morbo.*
2. *Gratiani sententia adducitur, necnon multorum DD. & n.3.*
4. *An causa recuperandæ sanitatis, etiamsi ea eam securam fore adfirment medici non possit extra claustrum esse.*
5. *An nullus nisi Papa possit dare licentiam vt quis extra Claustrum moretur, sanitatis recuperandæ causa.*
6. *Authoris iudicium, & n.7.& 8.*
9. *Qua ratione superiores permittant tuta conscientia vt religiosus habitualiter, infirmus sit per totam vitam extra claustra.*

EX hac regula communiter recepta & sic enucleata colligitur. Primum, quod
† etiam Monacho Carthusiano est causa suf- 1
ficiens, vt ad aliquod tempus sit extra Conuentum & claustrum, vt curetur à graui & contagiosa infirmitate à qua intra claustra curari nequit de consilio prudentis Medici, imo si moraliter certum sit, quod extra conuentum recuperabit sanitatem tenetur superior de consilio discretorum licentiam hanc impertiri. Ita consultus Nauarrus respondit *cons.70.de Regular.* quod late ibi probat *à n.4.* etenim quis iuret non discedere ab aliquo loco non tenetur seruare iuramẽtum, cuius obseruantia impediret recuperationem sanitatis, vt † expressit Gratianus, §. 2
fina.verb.quisquis 22.q.4. ergo idem in nostro casu verũ est, quod si sit Carthusius etiamsi sit extra conuentum recuperandæ sanitatis causa, tenetur abstinere à carnibus, quas comedere illi non licet etiam in grauissima infirmitate. Secũdò, probatur eadem decisio, quia strictiorem clausuram habent Moniales, quam Carthusiani, & tamen si Monialis patiatur infirmitatem sibi soli nociuã, à qua si certo speretur sanatura extra conuentum alias moritura intra, potest exire Monasteriũ non obstantibus Cõcil.Trid.& Bulla *Pij V.de clausura Monialium.* vt tenet † idem Nauar. 3
comm.4.de Regul.n.49. Suar.*t.4.de Relig.tr.8. l.1.c.9.n.9.* & esse probabile tenet & probat Castr. Pal.*t.3. tr.115.disp.4.punct.9.n.15.*

Sed ego non assentior, nec huic sententiæ de Monialibus, vt dicam dum de earum residentia strictissima in claustro, nec sententiæ de Carthusiano assentior: existimo enim quod † causæ recuperandæ sanitatis etiamsi 4
eam securam fore adfirment Medici nõ potest extra claustrum esse per aliquod tempus ibique curari, non enim minore rigore obseruant constitutionem de clausura quã de obseruantia à carnibus, tum quia nulla commoditas considerabilis in ordine ad sanitatẽ recuperandam habet Monachus Carthusianus extra quã nõn habeat intra Conuentum, vnde † nullus nisi Papa potest licentiã 5
dare, vt extra Conuẽtum moretur causa sanitatis recuperandæ, quare etsi iuramẽtum non discedẽdi à loco absolutè facto non obliget, quãdo impediret recuperationem sanitatis hoc ideo est, quia dũ fecit iuramẽtum non intendit se ad hoc obligare, sicut intẽdit Monachus Carthusianus dum vouet obedientiã iuxta quã obligatur ad clausurã, iuxta suas constitutiones, sicut intendit se obligare ad non comedendas carnes, etiã in vltima infirmitate, quare sicut renuntiat iuri ad recuperandam sanitatem mediis carnibus eius, ita renuntiat iuri quod habet ad eandem sanitatem recuperandam, medio egressu & habitatione extra claustra.

In aliis vero Religionibus, siue Monachalibus, siue Mendicantibus, in quibus ita stricta clausura, & residentia in claustro non
6 profitetur: existimo † esse sufficientem causam, quod medicus prudens, doctus, & timoratæ conscientiæ dicat expedire, quod causa recuperandæ sanitatis Religiosus exeat per aliquod tempus, inhabitet in domibus sæcularium vadátque ad natiuum aërẽ, inter cognatos, & parentes, quod in aliquibus communitatibus plusquam par est con-
7 conceditur, vt fugiant Superiores expensas erga infirmos: de quibus ferè nulla habetur cura intra conuẽtum de qua inhumanitate strictissimam reddent rationem. In aliis vero nimius est rigor qui conformior est regulari disciplinæ; sed ne quid nimis medium *tenuere Beati*, *medium tenuere felices*,
8 vnde existimo quod in Religionibus in quibus obseruantiæ vigor viget si medicus dicat esse necessarium quod extra claustra Religiosus curetur, vt sanitatem recuperet, tenetur Superior licentiam dare, quia huic iuri non renuntiauit, secus vero quum solum attẽditur ad maiorem commoditatem in curatione, vel vt maiori diligentia inseruiatur huic enim renuntiauit ex vi status religiosi, sicut renuntiauit aliis commoditatibus, dum est sanus. Quare capere non pos-
9 sum, † qua ratione Superiores permittant tuta conscientia, vt Religiosus habitualiter infirmus sit per totam vitam extra claustra in sua domo; vt diligentius ibi curetur, cum satius esset, quod paucis vitæ annis priuantur intra claustra, quam, quod per multo viuat extra, renuntiauit enim longiori vitæ extra claustra ex vi status Religiosi.

SVBRESOLVT. VI.

An sit sufficiens causa quod Religiosus iustè fuerit damnatus ad triremes?

SVMMARIVM.

1. *An sit sufficiens causa, vt Superior det licentiam habitandi extra claustra retento habitu etiam per totam vitam religioso criminoso.*
2. *Nauarri & aliorum sensus adfertur, n. 3.*
4. *Sixti V. constitutio. & n. 5.*
6. *An si eiecti sint damnati ad triremes, nullatenus sint admittendi sint expressa licentia Summi Pontificis.*
7. *An Generalis, aut Prouincialis possit ad consortium regulare admittere religiosum ad triremes damnatum.*

1 COlligitur secundùm, quod † est sufficiẽs causa, vt Superior det licentiam habitandi extra claustra habitu retento, etiam per totam vitam Religioso criminoso, qui ob sua delicta damnatus ad triremium si impleta pœna petit licentiam, vt in aliquo hospitali, vt eremitorio possit degere, & agere vitam solitariam, vel vt inseruiat infirmis, vel artem honestam in domo paterna exerceat, timens prudenter quod si inter confratres in Monasterio inhabitet contumeliis & improperiis afficiatur, & sic con-
2 turbetur pax communitatis. Ita † ex Nauar. *cons. 64. de Regular.* sentiunt Peyrinis *tom. 2. de subdito, q. 1. art. 23. vers. ait.* Rodrig. *tom. 3. q. 53.* alter Rodrig. *resol. 123. n. 89.* quæ doctrina intelligenda est, si iste talis sit damnatus ad triremes à S. Officio Inquisitionis, nam si Religio ipsum ad triremiũ damnet, cum sit ex vi sententiæ exclusus à Religione, & habitu regulari in perpetuũ spoliatus iste illi restitui nec ad Religionem, & consortium regulare admitti nequit sine expressa licentia Papæ, vt tenent Portel. *verb. eijcere ab ordine, n. 6. & 7.* Rodrig. *tom. 1. q. 23. art. 5. & q. 30. art. 2.* Miranda *in manuali, q. vlt. art. 7.* & satis doctè *tom. 2. q. 7. art. 7. conclus. 2.* est enim restitutio habitus post sententiam diffinitiuam ritè, & rectè latam reseruata Summo Pontifici. Gloss. *cap. ideo et 1. 2. q. 6.* vnde Sixtus V. constit. speciali *edita 16. August. 1585.* incipit: *Cum primum instituit disputationem trium Eminentiss. Cardin. quos constituit, Iulius priuatiuè ad omnes alios etiam ad Congregat. regular.* & ad Legatum à
3 latere, qui cognoscerent de causis eiectorũ à Religione, quasi horum restitutio ad habitum sibi reseruant. Hæc autem deputatio mortuo Sixto V. & ipsa expirauit, manet ta-
4 men eius potestas in sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium priuatiuè ad omnes alios. Quod si in aliquibus religionibus non petita expressè licẽtia eiectos emẽdato, admittunt Superiores, hoc est, ex consuetudine immemoriali fundata in obligatione qua tenentur eiectos Apostatas, & fu-
5 gitiuos inquirere, vt illi si humiliati, correcti, & ad bonam frugum redacti sint recipiant, quod forsan faciunt ex aliquo viuæ vocis oraculo alicui Superiori facto, quamuis hodie eius authenticum testimoniũ scriptum non extet: & valde vrget, *cap. vlt. de Regular.* vbi statuitur hos eiectos compelli posse, vt iterum redeant ad ordinem, quam certum, etsi Miranda explicet non de eiectione per sententiam definitiuam, sed de eiectione verbali, tamen cum textus non distinguat nihil cogit nos ad admittẽdã hãc distinctionem. Sed quamuis in simpliciter eiectis ob delicta hoc ita sit, tamen contra-
6 rium iudico odseruandum † si eiecti sint damnati sine expressa licentia Summi Pontificis, aut S. Congreg. Ita Hieron. Rodrig. *vbi sup. n. 14. vers. quod intellige.* quod secus est, vt dixi si damnatus est ad triremes ex sent. S. Officij cuius Sanctissimum Tribunal, etsi ob delicta possit damnare Regularem ad triremium, non ipsum per sententiam
7 definitiuam expellit ab ordine, quare † Generalis, aut Prouincialis potest ipsum ad consortium regulare admittere. Hæc Doctrina tradita in hac subresolutione moderanda est & intelligenda iuxta decretum Vrbani VIII. de eiectis & eiiciendis, quod infra late explico.

SVBRESOLVT. VII.

Vtrum hæc licentia possit esse perpetua?

SVMMARIVM.

1. *An licentia habitandi extra claustra possit esse perpetua & irreuocabilis, & numero 2.*
3. *Quid debeant aduertere Prælati regulares.*
4. *An irreuocabilitas ad duos superiores possit comparari, & n. 5.*
6. *Quid de licentia habitandi extra claustra veniat dicendum.*
7. *An omnes Prælati regulares sint subditi Legati & Nuntij Apostolici in terris suæ legationis & nuntiaturæ.*
8. *Nullus Prælatus regularis potest reuocare facultatem habitandi extra claustra, ex Portel.*
9. *Sanchez & Nauarri opiniones adducuntur.*
10. *Quid veniat notandum, & n. 11.*

1 DVbium quintum, vtrum licentia habitandi extra claustra possit esse perpetua, & irreuocabilis; de perpetuitate certum est quod si subest causa potest dari ad beneplacitum Superioris, ita vt duret per totam vitam, & toto tempore quo durat causa, quæ meo iudicio non est sufficiens ad hanc prolongatam licentiam, quod quis habeat infirmitatem habitualem & pœnosam vt pulmoniam, respirationis defectum, venam fractam in pectore, & similes, hoc enim esset aperire ostium conuentus, & occasionem præbere vt regulares extra claustra habitarent, Religiosi enim ex vi status renuntiarunt iuri prolongandi vitam per habitationem extra Religionis stagnum, extra quod sicut moritur piscis naturaliter ita re-
2 ligiosus ordinarie spiritualiter, quare † Prælati regulares valde hoc debent aduertere vt nisi cum persona valde benemerita de Religione hanc licentiam non concedant ad vitam Religiosi. Dixi Prælati Regulares, quia Summus Pontifex, Legatus à latere, &
3 Nuntius Apostolicus cum præter has causas habeant alia superiora motiua, vt intercessionem Principum, aliquod seruitium particulare factum Ecclesiæ, poterunt hanc licentiam concedere.

De irreuocabilitate maius dubium est, 4
hæc autem ad duos superiores potest comparari ad altiorem simpliciter, & ad Superiores in aliqua Prouincia, & quidem nullus horum potest reuocare licentiam, quam alter Superior concessit, nec ipsi possunt licentiam dare, quam ille non possit reuocare, vtrumque patet ex ratione superioritatis ab omni alio independentis, qualis in hac vita solus est Pontifex Summus, cui cæteri alij superiores Regulares subordinati, & subiecti sunt, quare nullus istorum potest reuocare licentiam Pontificiam & Pontifex quamcumque ab istis datam potest annullare, & proportionali modo est philosophandum de Generali respectu Prouincialis, & 5
istius respectu Prælatorum localium.

Idem dicendum est, de licentia habitandi extra claustra data à Legato à latere, vel Nũtio Apostolico, quam solus Pontifex potest reuocare, & nullus alius etiam Generalis, vt benè consultus respondit Portel *p. 3. respons. casu 34. num. 3.* omnes enim † Prælati Regulares sunt subditi Legati & Nũtij Apostolici in terris suæ legationis, & Nuntiaturæ, 7
in quibus habent Ordinariam iurisdictionem, & quamuis Generalis extra præfatas terras habitet, & nõ sic subditus Legati Papæ, aut Nuntij, tamen cum iste sit independẽs à Generali, quod facit vt Legatus Papæ, cui subditur Generalis, iste nequit euertere argumento *ex Clement. ne Roma. de elect.*

Si vero Generalis, aut Prouincialis hanc facultatem concedat & ista confirmetur à Nuntio, aut Collectore, aut Legato à latere dicit Portel; quod nullus Prælatus Regula- 8
ris potest reuocare, quia ex confirmatione Apostolica firmitatem accepit immutabilẽ, & extrahitur licentia à potestate, & iurisdictione regulari; quare cum præfata confirmatio dimanet à iurisdictione Pontificia quæ semper durat non est necessaria noua confirmatio à Nuntio, aut Collectore de nouo adueniente, argumento ex his quæ tradit Sanchez † *lib. 8. de Matrim. disp. 28. n. 83.* 9
vnde Nauarrus *consil. 4. de Cleric. non resid. ex cap. super gratia. de offic. deleg. in 6.* dicit quod licentia semel data durat etiam post mortem concedentis, de quo ego latè *tract. de examinat. Synodal.*

Verum valde notandum est, † id quod 10
nõ enucleauit Portel videlicet, quod si Papa aut Legatus à latere, vel Nũtius, Apostolicus licentiam istam concessam à Generali, Prouinciali, aut Ordinis Protectore confirmant dumtaxat non apponentes pœnas eis, qui contraueniunt etiamsi confirmatio sit ex motu proprio, tamen Superiores Ordinis possunt licentiam præfatam reuocare, prout

viderint expedire, quia licet motus proprius tollat vitium subreptionis at non supplet defectum intentionis, quæ in dubio est nolle licentiæ illius naturam variare, quæ talis est vt ad nutum Superioris illam dantis, aut eius Superioris possit reuocari, argumento, ex his quæ docent Felinus *cap. constitutus de rescript. num.* 10. Imola *num.* 11. vnde nisi in
11 confirmatione licentiæ, Papa mandet, quod nullus talem licentiam possit reuocare, aut ram ex certa scientia confirmet semper manet reuocabilis à concedente, & idem est si confirmet Legatus à latere, protector, aut Nuntius Apostolicus.

SVBRESOLVT. VIII.

Vtrum possit Papa concedere Religioso professo licentiam irreuocabilem manendi extra claustra?

SVMMARIVM.

1. *An poterit Summus Pontifex concedere religioso solemniter professo licentiam irreuocabilem, vt habitet extra claustra.*
2. *Quæ licentia detur ex causa, & non per modum remunerationis.*
3. *Quæ licentia sit irreuocabilis.*
4. *An si Religiosus abutatur licentia per se irreuocabili malè viuendo possit Pontifex ipsum reducere ad claustra.*

1 SEd inquires † poterit ne summus Pontifex concedere Religioso solemniter professo qui Religiosus perseueret licentiam irreuocabilem etiam ab ipso summo Papa vt habitet extra claustra, ita vt nõ possit ipsum cogere ad claustra redire. Suar. *t.4.de Relig. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 18. secutus Nauarrum *comm.2. de Regular. num.* 16. negat quia non potest Pontifex eximere subditum ab obedientia sui Prælati, saltem ipsiusmet Pontificis, si autem licentia est irreuocabilis manet Religiosus exemptus ab obedientia Prælati, quod facere nequit Pontifex sicut nec quod habeat Dominium aut proprietatem alicuius rei *cap. cum ad monasterium de statu Monachorum.*

Sed ego aliter dicendum existimo, quia
2 † aut hæc licentia datur ex causa, & non per modum remunerationis, & sic semper manet reuocabilis à Pontifice ad quod non requiritur aliud nisi quod sic velit, aut quod cessauerit causa propter quam licentia data est, aut hæc licentia conceditur à Papa per modum priuilegij remuneratorij ob seruitia, quæ Religiosus exhibuit Ecclesiæ, & S. Sedi Apostolicæ quæ exprimit Pontifex,
3 & tunc existimo quod † licentia est irreuocabilis etiam à Papa taliter, quod sine causa, quæ respiciat bonum commune reuocari, non possit hoc enim est de natura priuilegij remuneratorij, vt communis & certa sententia *ad cap. nouit. de iudiciis*, vbi Felinus *num.* 12. Abbas *concl.* 3. *lib.* 2. Barthol. *leg. qui semel. ff. de decret. ab ord. faci.* & multi alij, quos citant & sequuntur Tiraquel *leg. si vnquam verb. donatione num.* 13. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 6. Tho. Delbene *de Parlamentis*, & sic priuilegium remuneratorium per se irreuocabile est quia ipsa ratio remunerationis hoc includit nisi remuneratio sit ex causa supra merita, & seruitia quæ remunerantur, vt bene notat Suarez. Cæterum † si Religiosus abutatur tali licentia 4
per se irreuocabili male & scandalosè viuẽdo, potest Pontifex ipsum reducere ad claustra, imo si nimis distet à Papa poterit Episcopus ipsum reducere ad claustra ibique custoditum retinere, donec certiorem faciat Pontificem. Imo & Superior Regularis vtens epicheia id ipsum poterit, vnde talis Religiosus etsi habeat licentiam per se irreuocabilem, non manet simpliciter exemptus ab obedientia, quam professus est.

SVBRESOLVT. IX.

An Religiosus vnius Religionis qui fit alterius Superior, finito tempore teneatur ad suum Conuentum redire?

SVMMARIVM.

1. *An Regularis qui de vna Religione egreditur de licentia valida, vt in alia sit Superior, finita Prælatura maneat Religiosus posterioris Conuentus.*
2. *Omnis Abbas est Monachus illius Monasterij cuius est Abbas.*
3. *Nauarri sententia. & num.* 4. *&* 5.

DVbium sexum † an Regularis vtriusque sexus qui de vna Religione egreditur de licentia valida, vt in alia sit Superior aut Prouincialis, aut localis finita prælatura maneat Religiosus posterioris conuentus an debeat redire ad suum à quo egressus est. Hoc punctum tractat Nauarrus *consil.* 64. *de Regular.* & responde, absolute, quod manet Religiosus posterioris conuentus. Tum quia trãslatus legitime perdit omnia iura prioris conuentus *cap. si quis iam translatus* 21. *q.* 2. *cap. ne pro cuiuslibet.* 16. *quæst.* 1. Tum quia
† omnis Abbas est monachus illius mona- 2
sterij, cuius est Abbas *cap. final. de Simon.* vnde tacitè, vel expresse eam Religionem profitetur, quia beneficia illius Religionis, aut monasterij confessi nequeunt nisi monachis eiusdem *cap. cum singula* §. *final. de præb. in* 6. quam doctrinam sequuntur Thomas Sanchez *lib.* 7. *summæ cap.* 29. *num.* 30. Ludouicus Gomez. *tract. expectiuarum n.* 69. & alij.

3 Cæterum † Nauarri sententiam, ego sic intelligo vt vera sit, & praxi conformis, aut ergo Papa dat facultatem alicui Religiosæ personæ, vt retento habitu suæ primæ Religionis vadat ad conuentum, aut prouinciã, alterius, ibique sit Prouincialis, aut Prior & sic finita prælatura non manet Religiosus talis Prouinciæ, sed eius in quo primo professionem emisit, quia habitus retentio
4 est argumento, quod in prima vocatione persistat, eo ipso quod cum habitu suæ professionis vult, quod sit Superior alterius Religionis dispensat, quod habeat beneficium regulare illius, quo finito habitus ipsius retentio deducit & reducit ad priorem residentiam, nec tacite dicitur professus in alia: vnde quidquid acquirit est suo primo conuentui, argumento ex his quæ docet Rota apud Farinac. *tom.2. decis.* 420. vnde Monia-
5 lis multoties intuitu reformationis transfertur ad aliud monasterium, vt ibi sit Abbatissa, aut Priorissa, & finita Prælatura ad postliminium sui cõuentus reuertitur, cuius habitum semper retinuit, quod secus esset si habitum mutasset, tunc enim ex vi officij, & beneficij, quod habet efficitur conuentus, ad quem transfertur nec ad antiquum potest reuerti, sine speciali licentia.

SVBRESOLVT. X.

Vtrum Superior Regularis possit facultatem dare Religioso professo vt sit Parrochus?

SVMMARIVM.

1. *An non possit Superior regularis facultatem concedere vt Religiosus solemniter professus extra claustra habitet, vt habeat beneficium curatum.*
2. *Multorum DD. sensus deferuntur.*
3. *Religiosus an non habeat velle aut nollè.*
4. *An licentia habitandi extra claustra, vt Religiosus inseruiat beneficio curato, illudque accepiet debeat esse specialis.*
5. *An non sufficiat licentia specialis concessa regulari vt acceptet prouisionem faciendam de beneficio curato vacante.*

1 DVbium septimum, an † possit Superior Regularis facultatem concedere, vt religiosus solemniter professus extra claustra habitet vt habeat beneficium curatum, & quidem si loquamur de iure communi, siue sit Religiosus Monachus siue mendicans capax est beneficij curati, in quo actu seruiat animarum saluti in ministeriis propriis Parrochorum, etsi incapax sit concionandi cũ in aliis possit doctrinam docere, instruere, sacramenta, administrare, quibus animarum sibi commissarum curam habeat, ita multis citatis † tenent Thomas Sanchez *l.* 7. 2
summ. cap. 29. *à num.* 35. Couarr. *cap.* 2. *de test. num.* 3. Nauarrus *de statu Monacho. consil.* 14. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 19. *quæst.* 13. Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 13. *art.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 91. constat *ex cap. quod Dei timorem. de statu Monacho.* quod optime premunt auctores citati, quare etsi Regulares sint beneficiorum incapaces, si curam non habeant animarum, secus vero si eam habeant, ob animarum salutem, in quam incumbunt, vnde Abbas & Superior localis (nisi alias sint prohibiti specialibus constitutionibus suarum Religionum) possunt licentiam concedere, vt extra claustra sint inseruientes beneficio curato, expresse habetur *cap. Religiosi. de electio. in* 6. cuius rationem dat Pontifex, quia † Religiosus 3
non habet velle, aut nolle, vnde ad quodcunque Parrochiale beneficium acceptandum aut impetrandum, ab alio inferiore Pontifice licentia præfata exigitur, & sufficit, potestque Superior eam concedere etiam sine consensu conuentus, vt dicitur in textu. Cæterum † hæc licentia habitan- 4
di extra claustra, vt inseruiat beneficio curato illudque acceptet debet esse specialis, postquam prouisio facta est, nam licentia generalis concessa vt quis consentiat quandocunque prouisus, aut electus fuerit ad tale beneficium nõ sufficit, ambitionis, enim vitio viam parat & sic nullius est roboris, & firmitatis, ita expresse *in clementi. fin. de electio* vbi Glossa *verb. prouisioni.* Cardinal. *ibi quæst.* 7. *num.* 11. Imola *num.* 10. Bonifacius *num.* 26. quos sequens Thomas Sanchez *n.* 6.
dicit, quod † non sufficit licentia specialis 5
concessa Regulari, vt acceptet prouisionem faciendam de tali beneficio curato vacante, quia (inquit) subest eadem ambitionis ratio, sed in hoc fallitur quia non subest, vt constat; vnde Clemens solum exclusit licentiam generalem ad acceptandum prouisionem, de quocunque beneficio curato de se faciendam, vnde extendenda non est lex ad licentiam specialem de beneficio speciali vacante.

SVBRESOLVT. XI.

Vtrum Religiosus indigeat licentia ad acceptandum Summum Pontificatum?

SVMMARIVM.

1. *An contra Pontificem canonicè & legitimè electum nulla exceptio poni possit.*

2. *Vnde*

2. *Vnde Religiosus solemniter professus non habeat proprium velle aut nolle.*
3. *Authoris mens.*
4. *An si eligibilis esset Religiosus non exemptus ab obedientia Prælati regularis, requireretur licentia Prælati.*
5. *An nulla exceptio nisi hæresis poni possit contra summum Pontificem electum à duobus partibus Cardinalium.*
6. *Quem consensum nequeat habere Religiosus professus.*
7. *An non sit ex iuris fictione quod Religiosus non possit acceptare summam dignitatem sine consensu & licentia saltem tacita sui Prælati.*

1 SEd † nunquid Religiosus indigeat licentia ad acceptandum Summum Pontificatum, adfirmat communis Canonistarum sententia secuta Glossam *cap. quam sit. verbo ad ordinandum* 18. *quæst.* 2. Ita Rodriguez *vbi supra art.* 5. Sa emendatus *verb. Religio n.* 63. Gregorius Lopez *leg.* 22. *Eglessias tit.* 7. *p.* 1. Sylvester *verb. Religio.* 7. *quæst.* 9. & multi alij quos citat & sequitur Thomas Sanch. *n.* 58. vbi ipse contrarium sequitur, quia † contra Pontificem canonice & legitime electum nulla exceptio poni potest, nisi hæresis, tum quia Summi Pontificis electio est ipsius cõfirmatio, & sic ipso facto eximitur à iugo monasticæ professionis, & tandem, quia,
2 quod † Religiosus solemniter professus non habeat proprium velle, aut nolle est ex iuris fictione, consensum enim naturalem habet, qui ad hoc est sufficiens cum reliqua iuris impedimenta sint sublata.
3 Ego vero existimo, quod † licet stante modo electionis Summi Pontificis, quem hodie obseruat Ecclesia, quod non eligatur nisi ex collegio Eminentissimorũ Cardinalium cum Regulares ea dignitate fulgentes sint exempti à iugo monasticæ professionis, non indigent licentia Superioris vt acceptent, & consentiant in sui electionem ad
4 summum Pontificatum, si tamen † eligibilis esset Religiosus non exemptus ab obedientia Prælati regularis, puto quod requiratur talis licentia, quam dare tenetur Prælatus, nam quod requiratur non est fictio iuris, vt falsò putat Sanchez, sed dimanat ex voto obedientiæ, à quo eximi nequit nisi consentiente Prælato suo, qui priuari non potest iure, quod acquisiuit ex vi talis voti, vt possit imperare, regere, & gubernare talem religiosum, à quo iure eximitur factus summus Pontifex, vnde nequit habere consensum canonicum sine tali licentia, sicut neque si esset vxoratus, nequiret ingredi Religionem sine consensu & licentia vxoris.

Neque fundamenta opposita firma sunt non primum, quia etsi *cap. licet de electio. in* 6. dicatur quod † nulla exceptio nisi hæ- 5
resis possit poni contra summum Pontificem electum, à duabus partibus Cardinalium, est sermo de Pontifice, qui poterat canonice consentire in sui electionem, consensus enim canonicus est substantialiter requisitus sine quo electio ipso facto euacuatur *cap. Religiosi de electio. in* 6. hunc autem 6
† consensum nequit habere Religiosus professus, ad secundum respondetur, quod etsi electio Pontificis sit ipsius confirmatio, hoc autem intelligitur cum electio est acceptata ab electo, qui eam acceptare nequit, sine sui Prælati consensu ex vi voti obedientiæ, vnde constat ad tertium, quod † non 7
est ex iuris fictione quod Religiosus non possit acceptare summam dignitatem sine consensu, & licentia saltem tacita sui Prælati, sed hoc habet ex vi voti solemnis obedientiæ, à quo absolui non potest. Verum est quod si quis habeat licentiam à Summo Pontifice ad acceptandam quamcunque dignitatem cum hæc licentia non expiret mortuo Pontifice hæc sufficit, sed addit & bene Sylvester, quod si Abbas nolit consentire, & necessitas, vel vtilitas suggerit, compelli potest ad cõsentiendum à Collegio scilicet Cardinalium, quod habet plenam potestatem ad constituendum caput visibile Ecclesiæ, vel à Concilio Generali in casu schismatis.

SVBRESOLVT. XII.

Vtrum Præpositus nostræ Religionis possit dare licentiam alicui ex nostris vt Parrochiam extra Religionem accipiat?

SVMMARIVM.

1. *Parrochiale beneficium, an non sit propriè prælatio, aut dignitas.*
2. *Ratio ad vitandam Religiosorum ambitionem non æque procedit in Parrochialibus ac in prælaturis, ex Thoma Sanchez.*
3. *Authoris iudicium, & n.* 4.

SEd inquires, an Generalis, aut Prouincialis nostræ Religionis possit concedere licentiam, vt Religiosus clericus (qui votum solemne emittit non acceptandi extra Religionem prælationem aliquam nisi coactus obedientia Summi Pontificis) possit acceptare beneficium curatum cui inseruiens habitet extra Religionem, respondetur, quod alicui videri possit, quod sic, quia † Parrochia- 1
le beneficium non est proprie Prælatio, aut dignitas, quia Prælati proprie dicuntur, qui iurisdictionem ordinariam in vtroque foro habent, vt docent Abbas, *cap. cum Ecclesiarum*

rum num. 2. *de offic. ordina.* Angel. Sylvester Tabiena, Armilla *verb. Prælatus n.* 1. *ex c.* 2. *de iudiciis. iuncta glossa fina. Clement. dudum verbo ab olim. de sepultur.* Vnde Innocentius & Hostiens. *cap. cum Ecclesiar. num.* 1. dicunt Parrochos esse large & improprie Prælatos.
2 Quare † ratio *cap. quorumdam de electio.* ad vitandam Religiosorum ambitionem obuiandumque liuibus, vt bene aduertit Thomas Sanchez *num.* 56. *in fine*, non æque procedit in Parrochialibus ac in Prælaturis, in quibus est maior ambitio, eo quod multo amplior est iurisdictio, grauioresque lites in illis acquirendis nascuntur, vnde cum votum solemne sit stricti iuris, de prælaturis, quæ proprie sunt tales intelligi debet.

Sed verius est oppositum, quia votum istud sanctissimum & vitæ regulari valde conforme fiat à nostris ad præcludendam omnem viam ambitioni cuius est capax beneficium Parrochiale extra Religionem,
3 existimo quod † Generalis, nedum Prouintialis potest licentiam concedere, quod Religiosus clericus ex nostris extra Religionem beneficium habeat ad vitam extra Religionem, vnde notanter dicitur in forma vo-
4 uendi *prælationem aliquam*, vt etiam impropriam si sit extra Religionem comprehendat. Vult enim Religio nostra suos clericos liberos esse ab omni ambitione extra Religionem, ad quod adstringit eos voto solemni, & intra Religionem iuramento circumsepit.

SVBRESOLVT. XIII.

Quid de fratre laico Religionis nostræ?

SVMMARIVM.

1. *An Generalis poterit aut capitulum generale licentiam facere vt laicus nostræ Religionis obtineat & retineat beneficium Parrochiale.*
2. *Frater laicus an nequeat transire ad clericatum nisi ex dispensatione capituli generalis, & n.* 3.

SEd nunquid si sit aliquis ex numero fratrum laicorum, qui peritus sit lingua latina & aliis necessariis ad beneficium Parrochiale rite & recte obeundum, cum iste in sua professione non emittat præfatum votũ solemne de non ambiendo, sicut emittunt
1 clerici † poteritne Generalis, aut capitulum Generale licentiam facere, vt obtineat & retineat beneficium Parrochiale, respondetur, quod ex nostris constitutioni-
2 bus 4. *p.* † Frater laicus nequit transire ad clericatum nisi ex dispensatione capituli generalis solius, & præter hoc nulla est potestas in Religione ad id faciendum, eo autem
3 ipso quod laicus ad clericatus ordinem euehatur debet emittere quartum votum solemne sicut omnes clerici emittunt, vnde nequeunt nisi ex dispensatione Apostolica beneficium curatum extra Religionem obtinere vti dixi verius esse. Verum est quod si frater iste laicus antequam inter nos clericus fiat transeat ad aliam Religionem ex mendicantibus, ibique Sacerdos fiat poterit beneficium Parrochiale nedum Episcopale obtinere, & retinere, quia non adstringitur quarto voto de non acceptando, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, quo adstringuntur nostri clerici, etiamsi ad aliam transeant Religionem vt alibi monstraui contra Pasqualigum *ex speciali Bulla Vrban. VIII. id declarantis.*

SVBRESOLVT. XIV.

Quid de iure speciali sentiendum.

SVMMARIVM.

1. *An nullus Regularis sit hodie capax beneficij curati sæcularis absque Pontificis dispensatione.*
2. *Mandosij sententia.*
3. *Regulares sunt incapaces beneficij simplicis etiamsi essent canonici regulares, non autem beneficij curati, ex Conc. & numero* 4.
5. *Sententia Mirandæ non admittenda.*

DIxi in decisione Resolutionis si loquamur de iure communi, quia hodie (ait 1
Thomas Sanchez *num.* 71.) nullus † Regularis est capax beneficij curati sæcularis absque Pontificis dispensatione, quod probat ex declaratione congregationis Concil. Trident. vbi refertur decretum Gregorij XIII. quod non liceat canonicis regularibus, etiã de licentia sui Generalis assumere curam animarum etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus absque permissu Summi Pontificis, sed hoc decretum non vrget pro omnibus Regularibus, sed solum pro canonicis Regularibus illis, pro quibus editum est, cum enim sit exorbitans à iure communi, stricte est intelligendum, nec debet extendi ad alios, quam ad illos de quibus specifice, & nominatim loquitur scilicet ad canonicos regulares congregationis Lateranensis, in quibus inuenit Pontifex specialem rationem, quare mihi placet hoc ideo hodie non posse Regulares, quia praxis est in contrariũ, & vt † Mãdosius 2
ait *in praxi signaturæ Gratiæ. tit. de dispensationibus Monacho. pro obtinen. benef.* hodie non dispensatur cum Regularibus vt obtineant

neant beneficium curatum, siue in titulum siue in commendam; quamuis vt ad tempus curam animarum teneant de licentia Prælati sui, possit illis Ordinarius concedere, quod hodie in Hispania obseruatur.

Totum hoc comprehendit declaratio Concilij *ad cap.* 10. *sess.* 14. quæ sic habet.
3 † *Regulares sunt incapaces beneficij simplicis etiamsi essent canonici Regulares, non autem beneficij curati, iuxta dispositionem capitis quod Dei timorem de statu Monachorum. Licet non hodie cum obstet Concilium Lateranense ad concordata*, ita declaratio, & alia ad *cap.* 18. *sess.* 24. dicitur. *Necessariam esse hodie dispensationem contra communem opinionem antiquorum Doctorum, quod ita de stylo obseruari con-*
4 *sueuit.* Vnde fit quod hodie non potest regularis admitti ad communem, etiamsi habeat licentiam sui Prælati, vnde Sacra Congregatio circa Episcoporum & Regularium negotia, *in vna Cremonens. die* 1. *Septembris* 1603. determinat in hæc verba. *Canonici Regulares, non obstante cap. quod Dei timorem non admittuntur ad curam Parrochialium Ecclesiarum absque Sedis Apostolicæ dispositione.* Quam decisionem stylus & praxis ad omnes cuiuscumque ordinis religiosos profes-
5 sos extendit, quare † non admitto sententiam Mirandæ *tom.* 1. *Manualis q.* 32. *artic.* 5. dicens quod Monachus, aut Regularis de licentia sui Superioris potest manere extra claustra vt inseruiat Parrochiali, hoc enim de iure communi verum est vt vidimus, non tamen hodie & Doctissimus Sylvester verb. *Religio.* 7. *quæst.* 3. *&* 6. loquitur secundum ius commune, & antiquum.

§. II.

Expenditur Resolutio de mansione extra claustra habitu non retento.

SVMMARIVM.

1. *An Prælatus regularis possit dimittere habitum suæ religionis, vt subueniat parentibus.*
2. *Innocentij III. mens affertur, & n.* 3. *&* 4.
5. *Quod quis non possit sine licentia Papæ habitum dimittere vnde oriatur.*
6. *Ad quid detur Religiosus habitus.*
7. *An dimittere habitum sit virtualis quædam defectio ab obligatione.*
8. *Quid sit obligatio deferendi habitum regularem suæ professionis.*
9. *Quid per Ly* temere *intelligant Doctores.*
10. *Nunquam habitus à Religioso professo dimittitur sine rationabili causa, quin peccet, ex Sylvestro & n.* 11.

CErtissimum est apud DD. tam Canonistas, quam Theologos, quod † Prælatus Regularis etsi Generalis sit, quamuis
1 possit ex causa dare licentiam quod subditus moretur extra claustra, inxta exigentiam causæ etiam ad longum tempus, vti vidimus §. 1. non tamen potest dare facultatem, vt etiam pro sustentandis parentibus habitum suæ Religionis dimittat, aut omnino occultum ita vt nullatenus appareat, deferat. Ita Canonistæ ad *cap. Deus qui, & cap. clerici de vita & honestat. cleric.* vbi de clericis tractant, quod debeant deferre habitum clericalem proprium suo statui, & Innocentius III. *cap. Deus qui.* determinat
2 † quod Religiosi diuersi habitus missi ad prædicandum ne populi de nouo conuersi scãdalizentur debent accipere communem & honestum habitum, vt sint conformes id quod etiam concedit Vrbanus VIII. in Bulla data ad petitionem Regis Catholici quam ad verbum dat *tom.* 2. *de iure indiar. lib.* 4. *cap.* 10. Quare supponunt esse obligationem canonicam legalem, quod Regularis deferat habitum suæ professionis in qua ob-
3 ligatione, vtpote cum dimanet à lege Superioris summi legislatoris nullus inferior potest liberare, quamuis enim Prælatus regularis habeat potestatem dispensandi cum suis subditis in iure communi canonico, tamen hæc potestas solum extenditur, ad ea quæ ordinarie, & frequenter accidunt, vnde solum continet eas dispensationes, quæ
4 necessariæ sunt ad ordinarium modum gubernandi subditos, qualis non est dimissio proprij habitus, quia rarissime contingit, quod sit necessaria habitus dimissio inter Catholicos, & quod causa quæ sufficit ad hoc quod maneat extra claustra (quod ordinarium est) exigit habitus dimissionem, aut occultationem, quare hoc disquirere supremæ est Pontificiæ potestatis.

Vnde quod † quis non possit sine licen-
5 tia Papæ habitum dimittere, aut occultare non oritur præcisè ex vi alicuius regulæ particularis, sed est ius quoddam commune status Religiosi, communi sensu & traditione omnium Religionum receptum, quod confirmarunt sacri canones, & Concilia Carthaginen. 4. *cap.* 11. *& Tolet.* 10. Rationem huius veritatis egregie tradit Pater Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. Quia † habitus religiosus non solum datur
6 ad humanum vsum, sed tanquam insigne & tessera propriæ professionis, eo autem ipso, quod, quis assumit aliquod munus vel statum cum perpetua obligatione sustinendi illud consequenter obligatur ad non deponendum proprium signum, publice institutum & datum ad talem professionẽ significandam, nam hoc † dimittere est virtua-
7 lis quædam defectio ab illa obligatione, quã ex vi status assumpsit. Quæ ratio me quidem

dem iudice adeo efficax est, vt manifeste probet, quod sola diuturna, & ad multum temporis habitus Religiosi extra claustra dimissio sine dispensatione, etiamsi quis velit substantialia status Religiosi seruare, sit omnino prohibita, nisi in casibus, in quibus ad occultandum se & aliis de quibus infra, nam tũc per Epichyam se liberet ab obligatione, vnde Pellizarius *in Manuali t.* 1. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 1.
8 dicit, quod † obligatio deferendi habitũ regularem suæ professionis est quasi de iure naturali, ex suppositione, quod quis talem Religionis institutionem solẽniter est professus, quare Pontifex sine vrgenti causa nequit dispensare, vt Religiosus professus solemniter habitum suæ professionis dimittat, aut occultet, assumens habitum clericalem sæcularem, vnde *cap. vt periculosa. ne cler. vel Monach. in* 6. *districtius inhibetur, Religiosis tacite, vel expresse professis temere habitum Re-*
9 *ligionis dimittant.* & Ly *temere.* Doctores ibi explicant sine causa iusta, vt si transiturus esset per loca infidelium, aut infecta hæresi, aut ne agnoscatur ab inimico & capiatur, vt occidatur, aut iniuste incarceretur, aut expolietur bonis, aut non habeat legitimam dispensationem à Pontifice qui solus eam concedere valet, vnde egregie Sylvester *verb. excommunicatio.* 9. *n.* 52. *q.* 24. *vers.* 2. *no-*
10 *ta.* dicit, *quod † nunquam habitus à Religioso professo dimittitur sine rationabili causa, quin peccet, quia adeo est annexa ossibus Monachorum, quod in quocunque loco consistentes, siue in lecto quiescentes constanter eo vti debent*, vt dicitur, *cap. vidua* 21. *q.* 1. *& cap. Sanctimonialis* 23. *dist.* & c. id autem, quod etiam in lecto quiescẽtes dicit, intelligi debet iuxta suæ professionis institutum, in aliquibus enim ita rigorosè intelliguntur Concilia & Canones, quod nec in infirmitate etiam
11 mortali illum deserant, vt PP. Capucini & alij habent etiam dormientes habitum integrum alij scapularium paruum, sed Religiones clericorum in lecto dormientes; aut infirmi habitum deponunt.

SVBRESOLVT. XV.

Quid intelligatur nomine habitus Regularis?

SVMMARIVM.

1. *Quid nomine habitus Regularis veniat intelligendum, & n.* 2.
3. *An materia habitus de rudi in minus rudem vel econtra mutari possit pro consuetudine regionis, & n.* 4.
5. *An possit Capitulum generale statuere, vt omnes religiosi sint vniformes, & n.* 6.

CVm hæc, vt dixi indubia sint apud DD. quos ob eam rationem non refero, sunt tamen aliqua non iniucunda expedienda. Primum est, † quod intelligatur no-
1 mine habitus quem retinere debet Religiosus, tacite, vel expresse professus, siue intra, siue extra claustra inhabitet, & quem deponere non potest sine dispensatione Summi Pontificis, & dico, quod intelligitur habitus ille, quem in forma, colore, materia, & cingulo, quem habet sua Prouincia, aut Religio designatum professis forma, & cingulus variari nequit, vt si est forma clericalis, aut Monachalis, aut diuersi coloris in cappa,
2 & veste; color enim notabiliter mutari nequit, etiamsi obseruetur forma, vt albus in nigrum, & è contra, & cingulum si est coriaceum in laneum, aut sericum, etsi est sericus aut laneus in coriaceum (exceptis Episcopis vt mox dicam) materia autem de rudi in minus rudem, & è contra mutari potest pro cõsuetudine regionis, & obseruantiæ, aut relaxatione permissa, regulæ, & pro tẽperamẽto Prouinciæ aut penuriæ, quare si in aliqua
3 Religione, (vt contigit in nostra) in sui primordio vsus fuit, quod habitus conficeretur materia rudi, & panno vili, si in omnibus domibus, aut Prouinciis talis pannus non inuenitur, & fere in omnibus inuenitur alia materia etsi delicatior sit (quæ vulgo dicitur *Saya de Gubio* & Hispane, *estamena de* 4
Toledo siue *de Maillo*, vbi inuenitur inquam conuersa est materia antiqua Hispane. *Sayal* & pro Regno Neapoli. *Segrino*) hic enim erat pannus vilis quo induebamur à principio, vt referunt Barbosa *Apost. decis. collect.* 170. *n.* 6. Aldana *in compend. Cano. Resol. lib.* 1. *tit.* 19. *n.*
45. † potest capitulum generale statuere, vt 5
omnes Religiosi vniformes sint; quantum fieri possit, quod habitus sub eadem tamen omnino forma conficiantur, sic disposuit capitulum generale nostrum *ann.* 1618. pro Italis; & Hispanis; vnde fit quod si quis, ex nostris sit de licentia superioris extra 6
claustra, & mutet formam habitus nostri, etsi retineat materiam vere mutat, & dimittit habitum v. g. habet pallium, & vestem ex materia qua omnes alij nostri, mutat tamen manicarum apertionem in forma rotunda, & eas facit sicut clericus sæcularis similiter cingulum ex corio, mutat in laneum, aut sericum, dubio procul non retinet habitum, excõmunicationem *c vt periculosa cit.* incurrit, & præsumitur hanc mutationem facere animo vagandi & occultandi se Ordinario & aliis iudicibus suis, cum sic vestitus vti sæcularis, in forma vix dignosceretur Regularis, de diuersitate habitus diuersarum Religionum plura inuenies in Barbosa *vbi suprà in indice verb. habitus.*

SVBRESOLVT. XVI.

Vtrum Regularis factus Episcopus, possit tuta conscientia habitum suæ religionis dimittere?

SVMMARIVM.

1. *An Religiosus professus factus Episcopus possit Episcopatum tota conscientia retinere dimisso habitu.*
2. *Soto opinio addecitur, & n.* 3.
4. *Necnon D. Thomæ & Caiet. & numero* 6.
5. *Clementis VIII. concessio Episcopis regularibus, & n.*8.*&* 9.
7. *An Canonici Regulares creati Episcopi possint dimittere proprium habitum & vti habitu clericali.*
10. *An Summus Pontifex teneatur deferre saltem colorem sui habitus quem Religiosus gestabat.*
11. *An cum summus Pontifex manet obligatus ad continentiam & paupertatem, maneat obligatus ad ferendum habitum suæ religionis, & n.*12.

1 DVbium secundum, † an Religiosus professus factus Episcopus possit Episcopatum tuta conscientia retinere dimisso habitu suæ Religionis, sed teneatur illum conseruare communis & certa sententia est tam Antiquorum quam Modernorũ, quod sic. Ita Sanchez *lib.*6.*Summ.cap.*6.*n.*22. vbi sic fatur. *de habitu regulari illum gestare tenetur debito legali, religiosus creatus Episcopus, nec potest super illum vestibus Episcopalibus indui, quia hæc obligatio non ex Regulæ præscripto, sed iure Canonico & consuetudine communiter recepta oritur. Neque hoc eius officio obstat & est veluti quoddam signum obligationis ad vota regularia, quibus adstrictus est, constat ex cap. penult. de vit. & honest. cleric. vbi cum de vestibus Episcopalibus quas induere debet Episcopus* sic dicitur, *nisi monachi fuerint, quos oportet ferre vestem monachalem* pro qua sententia refert plurimos ex Canonistis & Theologis, etsi Soto *lib.vlti.de Iustit. quæst. vlt.artic.vlti. concl.*5. dicat *apud Italos id non*
2 *seruari*, ait enim. † *Cum talis Episcopus* (Religiosus) *habitum Religionis ex iure non debeat nisi Summus sit Pontifex adeo huiusmodi monachales cæremoniæ ipsum non didicent, vt eius*
3 *habitum decorent in Italia quidem vbi monachi ad quemcumque pauperem Episcopatum assumuntur habitum, vel prorsus abiiciunt, vel alia figura incrustant, omnes monasticas cæremonias cum eo deponunt, quia Itali non dignantur in habitu monachali videre: quæ*
4 *quidem pestis ad alias iam nationes irrepsit, & ita de Caiet. iudicium sumpsit, tametsi non pro se qui etiam Cardinalis cum habitu monachali semper religiosissimè vixit.* Hactenus Soto.

Hinc fit, quod † Summus Pontifex Cle- 5
mens VIII. *in Rituali Romano reformato* de eius ordine concessit Episcopis Regularibus, vt retento colore habitus suæ Religionis possint se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma seu figura illius, & ita seruatur modo in praxi, non tamen cogit Pontifex, vt hæc mutatio fiat, alias male facerent Religiosissimi Episcopi, & Archiepiscopi ex Religionibus assumpti, portantes habitum in forma & colore regularem, quod valde temerarie diceretur, quare Pontifex solum dat facultatem, vt mutent formam non tamen inducit obligationem, tenentur tamen seruare colorem habitus regularis, qui in signum obligationis ad tria vota quibus manent adstricti, vt expresse ait † D.Thom. 2.2.*quæst.*185. *art.*8. 6
in corp. Caiet. vero ibi nihil dicit de habitu, sed de aliis cæremoniis, vt bibere sedendo, & cum duabus manibus, habere socium &c. Hæc obligatio portandi habitum suæ Religionis comprehendit etiam Eminentissimos Cardinales, vt statuit Gregorius XIV. *constit.*9. incipit *Sanctissimus* 26. *Aprilis* 1591. qui illis concessit, vt birretum rubrum in signum Cardinalitiæ dignitatis deferant.

Verum est, quod † Canonici Regulares 7
creati Episcopi possunt dimittere proprium habitum, & vti habitu clericali, vt illis concessit *Leo X. constit.* 34. in ordine huius Pontificis & etiam Religiosi clerici, vt Theatini, Iesuitæ & nostri dum assumuntur ad Episcopalem, aut Cardinalitiam dignitatem induunt habitum ordinarium Episcoporum, & Cardinalium etiam quoad colorem, nam *cap. penult. de vita & honestat. Cleric.* & Clemens VIII. *in Rituali* 8
loquuntur de Regularibus cuculatis. Clerici enim cum habitum clericalem deferant cum aliquali differentia in forma & in materia magis vili, quæ non deceat Episcopos, & Cardinales, ideo illis permittitur habitu Episcopali, & Cardinalitio vti etiam in colore, non tamen tenentur ipso vti, sed possunt suo regulari vti, etsi ex pretiosiori materia, vti decet: birretum tamen ru- 9
brum tenentur portare Cardinales in signum dignitatis Cardinalitiæ, & galerum cum serico viridi circumfibrato si sit Episcopus, habitum clericalem regularem non tenentur ex tacita dispensatione Pontificis.

Sed numquid † Summus Pont. teneatur 10
deferre saltem colorem sui habitus quem Religiosus gestabat, negat vt vidimus Soto, ast D.Thom. contrarium docet ex principio indubitato, quod statuit *in artic.*5. *cit.* quod si quæ sunt in regularibus obseruantiis quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam sicut est continentia, paupertas & alia huiusmodi, ad hæc remanet religiosus etiam factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est
11 obligationis signum. Quare † cum Summus Pontifex manet obligatus ad continentiam & paupertatem, per consequens obligatus manet ad portandum habitum suæ religionis, qui est obiigationis signum nisi secum ex causa dispenset sicut dispensare potest cum aliis, & eo ipso, quod non portet censetur dispensare ex causa, quod autem possit habitum regularem ordinarie portare mihi indubium est, imo erit signum speciaIis virtutis, & humilitatis quæ bene compa-
12 titur cum Summo Pontificatu sicut compatiebatur cum persona Christi composita Deus & homo, qui humiliauit semetipsum *habitu inuentus, vt homo cum alias esset in forma Dei.*

SVBRESOLVT. XVII.

Vtrum Episcopus Regularis si non portat habitum suæ Religionis incidat in excommunicationem?

SVMMARIVM.

1. *An Episcopus qui ex monachismo assumptus est ad Episcopalem & Cardinalitiam dignitatem qui saltem colorem sui habitus non portat, incidat in excommunicationẽ.*
2. *Bonifacij sententia.*
3. *Vnde Regularis factus Episcopus teneatur deferre habitum.*
4. *Multorum DD.opiniones adducuntur, n.*5.
6. *Episcopus Regularis qui sine Pontificia dispensatione saltem tacita signum religiositatis suæ, siue consistat in forma siue in colore, incurrit excommunicationẽ, & n.*7
8. *An Episcopus sit obligatus ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum.*
9. *Vnde secundò excommunicationem incurrat Episcopus, & n.*10.
11. *Imolæ opinio affertur.*
12. *An Religiosus professus tacitè vel expressè dimittendo, aut omnino occultando temerè habitum religiosum, sit apostata.*
13. *An Episcopus Regularis etsi sit absolutus ab obedientia Prælatorum regularium, religionis, non sit exemptus ab obedientia summi Prælati regularis, & n.*14.
15. *Ad difficultatem responsum, & n.*16.
17. *An si quis dimisso proprio habitu religionis in qua est professus, alterius religionis habitum assumeret incideret in excommunicationem, & n.*18.
19. *Sanchez, & D. Antonin. sententiæ adducuntur.*
20. *An dimissio proprij habitus in Episcopis regularibus sit aliqua causa viuendi licentiosius.*

DVbium tertium, † an Episcopus qui ex 1
monachismo assumptus est ad Episcopalem & Cardinalitiam dignitatem qui saltem colorem sui habitus non portat, incidat in excommunicationem, *cap. vt periculosa ne Cleric. vel Monachi in* 6. latam contra Religiosos professos habitum dimittentes. Negant recentiores communiter Pellizarius *vbi suprà n.*36. 37. Gordonus *l.*6.*q.*5.*n.*141. Sanctarellus *de Apostasia cap.*1.*n.*15. Bonaci. *tom.*3.*de cens. disp.*2.*q.*8.*punct.*6. Sanchez *l.*6. *Sum. cap.*6.*n.*23. Manuel Rodriguez *tom.*2. *q.*38.*art.*3. alter Rodriguez *Resol.*60.*num.*4. Azor *p.*1.*lib.*12.*cap.*7. *quæst.*4. & primus inter modernos, qui eam inuexit, fuit Couarr. *cap.*1.*n.*18.*de testam.* qui non audet eam intrepide docere; sed oppositam dubiam esse dicit, & ex antiquis Bonifacius † *Clement.*1. 2
§ *rursus n.*33. *&* 34.*de stat. Mona.* fuit primus qui sententiam hanc docuit, fundantur, quia *cap. periculosa cit.* solum loquitur de Monachis sub obedientia Abbatis existentibus, à qua liberi sunt Episcopi Regulares, vnde textus dat rationem *ne detur monachis occasio vagandi dimisso habitu, eo quod à nemine cognoscerentur*, quæ ratio non currit in Episcopo regulari, vtpote qui induens Episcopalem habitum minus aptus erit ad vagandum. Secundò, quia, vt arguit Pellizarius, quod † Regularis factus Episcopus teneatur 3
deferre habitum est, *ex cap. penult. de vit. & honest. cleric.* in quo nulla fulminatur censura, sicut fit *in cap. vt periculosa* in quo non est sermo de Episcopis, sed de puris monachis sub obedientia Abbatis & multiplicari non debent censuræ, sine vrgenti fundamento non est improbabilis hæc sententia.

Sed opposita mihi videtur omnino tenenda, quam docuerunt omnes antiqui (vno excepto Bonifacio) qui hoc punctum tetigere. † Imola. *Clem.*1.*cit. de stat. Monach.* 4
*n.*17. vbi Cardinalis *quæst.*9. Surdus *de aliment. tit.*8.*priuileg.*79.*n.*10. Riminal. *cons.*6. *n.*7.*vol.*1. Pacianus *consil.*132.*n.*42. *volum.*2. Maiolus *l.*2.*de Irregular. c.*1.*n* 13. Cucus *l.*3. *inst. tit.*1.*n.*157. Iason citatus à Sanch. Syluester *verb. Relig.*7.*n.*11.*q.*11. & Azor *vbi suprà* dicit *non esse ab hanc opinione recedendum eo quod sit cõmunis, ne noua adhæreatur*, (vt refert idem Sanch. sed ego in loco quẽ citat nõ inueni,) vnde egregie Henriq. *l.*10.*de Sacram. Ordin. c.*23. *in fi.* dixit hanc habitus dimissionem esse apostasiam, quod verissimum di- 5

ctum iam enucleo.

6 Igitur existimo † Episcopum Regularem, qui sine Pontificia dispensatione saltem tacita signum Religiositatis suæ, siue consistat informa, siue in colore, incurrere excommunicationem duplici ex capite latam *in cap. vt periculosa*, contra temere dimittentes habitum suæ professionis, temere autem dimittit qui mortaliter peccat dimittendo, atqui Religiosus professus factus Episcopus, qui sine priuilegio, & dispensatione saltem colorem sui habitus non portat mortaliter peccat, vt tenent Pellizarius, & alij contrariæ sententiæ, ergo incurrit excommunicationem, consequentia probatur, quia *cap. vt*
7 *periculosa* etsi loquatur de Monachis qui ordinariè sunt sub obedientia Prælati, vt auferatur eis occasio vagandi, tamen hæc non fuit adæquata ratio decisionis, sed ne quis auferat signum protestatiuum obligationis status religiosi, quam Religiosus professus habet, vnde D. Thom. *vbi suprà*, ex eo quod quis emisit votum continentiæ, paupertatis &c. ad quā manet etiamsi sit Episcopus obli-
8 gatus colligit dicens † *& per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum*, quare hæc absque dubio est adæquata & motiua ratio decisionis, quæ cum currat etiam in Episcopo, manifestum videtur, quod si dimittat signum obligationis suæ sine dispensatione Papæ incurrit præfatam excommunicationem latam, *cap. vt periculosa*.

9 Secundo † excommunicationem incurrit Episcopus qui sine dispensatione saltem tacita dimittit signum sibi destinatum à Papa, vt est illius Superior latam contra apostatas, non quidem à Religione solum à qua est assumptus sub cuius obedientia iam non existit, sed apostata à statu Religioso, cuius signum protestatiuum & habitum temerarie, quia propria authoritate, (vt ait Glossa *ad cap. vt periculosa in casus formatione.*) di-
10 mittit. Probatur, quia qui etsi portet habitum Religiosum ita tamen celatum & occultum, vt à nullo iudicetur esse Religiosus, est apostata & incurrit excommunicationem ipso facto latam contra apostatas, vt multis probat Sanchez *lib. 6. Summ. c. 8. n. 6*; & adducit triginta grauissimos Doctores ex
11 Canonistis & Theologis, vnde † Imola *Clem. 2. n. 31. de vit. & honest. Cleric.* dicit sic determinatum Bononiæ Mandosius etiam *de signatura gratiæ verb. licentia vero.* licentia non obtenta dicit sic decisum à Sacra Rota, & tenet D. Caiet. *in Summ. verb. excomm. cap. 61.* ergo multo magis qui habitum dimittit, sicut si esset signum destinatum, quod portent Hebræi, vel Mauri morātes Catholicos sub pœnis grauibus, qui illud signum omittit, aut occultat, ita vt nullatenus videatur, pœnas latas incurrit.

Declaratur amplius quia, quod † Religio- 12
sus professus tacite, vel expresse dimittendo, aut omnino occultando temere habitum religiosum sit apostata & vt talis iudicetur, non prouenit ex iure aliquo particulari alicuius Religionis, sed ex iure communi Canonico, vt est omnino certum & supra probauimus, quare ideo est apostata, quia temerarie dimittit habitum ex qua temeraria dimissione, aut occultatione in praxi protestatur se nolle subiici obligationi status religiosi, quam protestatur per habitum, quam protestationem debet facere ex iure Canonico, & imperio Pontificio, Episcopus enim † Regularis etsi sit absolu- 13
tus ab obedientia Prælatorum regularium religionis, tamen non est exemptus ab obedientia Summi Prælati Regularis, Papæ, cui ex vi voti solemnis emissi in professione tenetur obedire quatenus Religiosus, & non solum quatenus Episcopus, & fidelis, per dimissionem autem habitus temerariam, id est propria authoritate factam protestatur se nolle subiici Papæ, vt supremo superiori 14
Regulari, & sic vere est apostata, sicut ille qui temerarie dimittit habitum existens sub obedientia Abbatis in omnium sententia, apostata iudicatur, quæ ratio apud me magnas habet vires, & ex ea eneruata manent fundamina contraria.

Ad primum respondetur, quod *cap. vt pe-* 15
riculosa loquitur † de omnibus religiosis tacite, vel expresse professis existentibus sub obedientia quam solemniter sunt professi, inter quos continentur Episcopi Regulares, qui continentur sub obedientia regulari Summi Pontificis, qui vel non peccant mortaliter per temerariam habitus dimissionem, vel si mortaliter peccant excommunicationem apostatarum incurrunt, prius nullus negat, & ita omnes debent fateri, secundum, sicut etsi Pontifex Bonifacius lo- 16
quatur de habitus dimissione non solum incurrit, qui temerarie dimittit, sed qui temerarie occultat, vt vidimus, & quamuis legislator det rationem ne *detur occasio vagandi Religiosis habitu dimisso eo quod à nemine cognoscerentur, & sic liberius diuagarent*, tamen hæc, vt dixi non est ratio motiua huius decisionis, sed quæ consequitur ad rationem motiuam, quæ fuit ne dimittatur habitus, quæ est protestatio obligationis status religiosi, si enim † quis dimisso proprio habitu 17
religionis in qua est professus alium habitū religiosum alterius Religionis, vt se occultaret assumeret, dubio procul incideret in excommunicationem huius capitis, & tamen non haberet liberam vagandi facultatem, vnde euidens est, quod ratio motiua non est ne detur occasio vagandi, etsi ordinarie hoc sequatur ad rationem motiuam quam intulimus.

18 Vtrumque manifeste constat in Religioso professo, qui est extra claustra inseruiens beneficio curato, quod nullatenus subiicitur Prælatis Religionis qui eximitur ab obedientia suorum Prælatorū *c. in Parrochia 16. q. 1.* sed manet subiectus Episcopo qui de cætero erit suus Abbas, vt est cōmunis certáque sententia, & tamen si deponat habitum temere suæ Religionis incurrit excom-
19 municationem, *cap. vt periculosa*, vt † tenet ipse Sanchez *lib. 6. Summæ. cap. 6. num. 36.* ex D. Antoni. 3. *p. tit. 16. cap. 5.* & est indubitatum quamuis toto tempore, quo est Parrochus in nullo sit sub obedientia Prælati, idem etiam dico si Religiosus fiat Abbas, aut Prior habens propriam Diœcesim nulli Episcopo subiectam, sed in ea gaudens plena iurisdictione, quasi Episcopali iste enim etsi non sit sub obedientia suorum Prælatorum, si habitum suæ Religionis dimittat dubio procul incidet in præfatam excommunicationem & tamen ex hoc non datur illi proxima occasio vagandi.

20 Præterquam, quod † dimissio proprij habitus in Episcopis Regularibus est aliqua causa viuendi licentiosius, ex quo constat, ad secundum, quod est Pellizarij, quod quamuis, *in cap. penult. de vit. & honest. cler.* solum præcipiatur, quod Monachus factus Episcopus deferat proprium habitum, ibique non imponatur censura aliqua; tamen declaratur obligatio declarationis habitus Religiosi, vt non incurratur pœna Apostasiæ, quam imponit *cap. vt periculosa* contra temere dimittentes signum protestationem suæ obligationis.

SVBRESOLVT. XVIII.

Vtrum Religiosi professi Societatis Iesu si dimittant habitum incurrant præfatam excommunicationem?

SVMMARIVM.

1. *An Religiosi professi Societatis dimittendo habitum incurrant excommunicationem.*
2. *Lex pœnalis quomodo sit extendenda.*
3. *Ratio difficultatis affertur, & n. 4. & 5.*
6. *Professus Societatis mortaliter peccat temerè dimittens habitum.*
7. *An S. P. Ignatius suos professos nudos habitu religioso non liquerit.*
8. *Patres Theatini in Italia similes Patribus Societatis, & in quo ab iis distinguantur.*
9. *An si scholares Societatis qui solum emittunt tria vota simplicia post biennium temere dimittant habitū incurrant excommunicationem latam* in cap. 22. periculosa.

DVbium quartū est, † an Religiosi pro- 1
fessi Societatis Iesu incurrant excommunicationem latam in præfato *cap. vt periculosa*, contra temere dimittentes Religionem, negant Thomas Sanchez *c. 7. cit. n. 70.* Pellizarius *vbi suprà n. 8.* quod sequuntur ait alij viri docti eiusdem Societatis. Fundamētum est, quia Bonifacius VIII. loquitur de Religiosis, qui habent proprium habitum, qualem non habet Societas Iesu, sed vtitur habitu cōmuni accommodato vsui patriæ, in qua degunt eius alumni, vt habetur *p. 6. constit. cap. 2. §. 15.* vnde cum † lex pœnalis 2
non sit extendenda, neque ob identitatem, nec ob maioritatem rationis, sed debeat explicari iuxta verborum proprietatem, quibus exprimitur, eam non extendendo à casu expresso ad nō expressum, cumque præfata excommunicatio sit lata contra temere dimittentes habitum suæ Religionis, sequitur non extendi ad Religiosos Societatis, vtpote non habentes peculiarem habitum, quod dici possit, suæ Religionis.

Cæterum hæc sententia singularis mihi videtur, & nulla pollens probabilitate practica. Ratio est euidens, † quia licet profes- 3
si Societatis non habeant habitum regularem, determinatæ formæ, aut materiæ pro omnibus Prouinciis in quas late diffusa est religio, sed vtantur habitu accommodato Religionibus, & Regnis, quas inhabitant, cæterum in qualibet Regione Regno, aut Prouincia habent aliquod signum protestatiuum suæ vocationis, & status religiosi quem profitentur per quod distinguantur ab aliis Regularibus, & à clericis sæcularibus 4
illius Prouinciæ, aut Regni, quod experientia constat & ipsimet dicunt, neque enim par est vt à clericis sæcularibus in habitu siue aliquali forma, aut materia non discernantur, vt de facto discreti sunt, & cognoscuntur; ergo si hoc signum discretiuum, quale quale ipsum fuerit aliquis professus Societatis temere, aut omnino occultet, aut dimittat, induens se ac si esset clericus sæcularis illius Religionis, aut Prouinciæ, ita vt omnes ipsum sæcularem agnoscant, dubio procul incidit in præfatam excommunicationem non secus, ac alij religiosi cum ex talis habitus occultatione, aut dimissione adsit occasio *libere vagandi* non minus ipsis quam aliis.

Tum etiam, † quia licet S. Ignatius 5
non determinauerit specialem formam, aut materiam habitus suorum professorum, sed dicat quod vtantur habitu communi accommodato vsui patriæ, in qua degunt, tamen habitus iste communis debet esse accommodatus vsui religioso in illa regione, aut Prouincia, vt fiat habitus religiosus discretus à sæculari, vt

vt significatiuus vocationis suæ; quis enim cordatus dicet quod Patres Societatis professi, possint absque excommunicationis incursu latæ in præfato, *cap.* vagari dimisso eo habitu quo vtuntur in aliqua Prouincia, & quod alij Regulares eam incurrant, numquid est illis minus periculosa occasio vagandi quam aliis?

Tertiò, quia vt ipse Pellizarius dicit *n.*10.
6 & bene † Professus Societatis temere dimittens habitum mortaliter peccat, quia facit contra ius quasi naturale, & ius generale status Religiosi, vt persistant in sua vocatione & consequenter in habitu suæ vocationis, ergo habent habitum suæ vocationis, ergo hunc dimittentes incurrunt præfatam censuram, hæc vltima consequentia euidens est, quia Pontifex ideo excommunicat temere dimittentes habitum suæ vocationis, & Religionis (hic enim idem sunt habitus vocationis & Religionis;) nec habitu dimisso, sit occasio vagandi & se occultandi ad licentiosius viuendum.

Fundamenta etiam opposita futilia sunt,
7 & nullius efficaciæ. Neque enim † S. P. Ignatius suos professos nudos habitu religioso reliquit, etsi ad certam formam eos non coarctarit, vnde qui habitu, & veste religiosa sibi à fundatore relicta, qualis qualis illa fuerit se temere spoliaret distincte continetur in lege pœnali lata *in cap. vt periculosa*, & contrarium dicere prorsus caret fundamento nisi quis dicat S. Fundatorem suis filiis reliquisse vestes omnino indistinctas, & non discretas à vestibus clericorum sæcularium, quod nullus adfirmauit, vnde fit
8 quod cum † Patres Theatini in Italia in forma & materia habitus non distinguantur à Patribus Societatis, nisi quod illi portant calligas albas, eas omittere est omittere suum proprium habitum, quare si temerariè eas dimittant incidunt in præfatam excommunicationem.

Maius dubium est, † an si scholares Societatis, qui solum emittunt tria vota simplicia post biennium temere dimittant habitum incurrant excommunicationem latam *in cap. vt periculosa citat.* Respondetur; quod non, quia etsi sint ex indulto Apostolico verè Religiosi tamen non sunt verè professi tacite, vel expresse, & Pontifex loquitur de Religiosis *quamcumque Religionem tacite vel expresse professis*, quare sine tacita vel expressa professione non incurritur hæc excommunicatio, nisi sit speciale priuilegium quo comprehendantur, qui vota dumtaxat simplicia emittunt sine professione tacita, vel expressa.

SVBRESOLVT. XIX.

Vtrùm Religiosi militares hanc excommunicationem incurrant?

SVMMARIVM.

1. *Duplex genus Religiosorum ordinum militarium admittitur, & n.*2.
3. *An equites militares etsi sint verè personæ Ecclesiasticæ, non sint verè & propriè religiosi.*
4. *Equites S. Ioannis verè & propriè sunt religiosi.*
5. *Qui equites non sint propriè religiosi, & num.*6.
7. *Qui equites habeant aliam vestem ablam ex lino intra claustra, & n.*8.

DVbium quintum, de Religiosis ordi- 1
num militarium quorum est duplex genus, alterum equitum qui suis propriis domibus habitant, alterum clericorum qui dicuntur Freiles & cõuentualiter viuunt: & quidem de equitibus cum *ex Bulla Sixti V. edita ann.*1588. incipit. *cum Sacro sanctam Dei Ecclesiam.* sit concessum & declaratum quod possint ordinariè vti vestibus sæcularibus communibus, quibus affixa sit crux in sui statuti forma, & habeant numisma in 2
quo sit eadem crux sculpta, si eam portent excommunicationem huius capitis euadunt, quod nisi crucem vesti affixam, aut numisma eiusdem crucis pendens portent, cum hic sit proprius habitus suæ Religionis sibi designatus, à Pontifice, excommunicationem huius capitis incurrent, si tacite vel expressè sint professi, ita Manuel Rodriguez *tom.*2.*quæst.*76.*art.*2. quem sequitur Pellizarius *n.*11. ait enim quod sunt veri Religiosi habentes proprium habitum, quare non est ratio cur eximantur à pœna lata contra Religiosos temere non deferentes habitum suæ Religionis.

Sed ego existimo iuxta dicta *tom. de congrua p.*1. *lib.*2. *Resolut.*.... quod † equites Mi- 3
litares, etsi sint verè personæ Ecclesiasticæ non sunt verè & propriè Religiosi, quod senserunt multi & graues doctores secuti vtrumque Thomam, vnde non incurrunt hanc excommunicationem temere dimittentes habitum suum, quia Bonifac. VIII. loquitur de veris & propriis Religiosis, *tacite vel expresse professis* & equites isti etsi emittant solemnem professionem, qua constituitur persona pertinens ad Ecclesiam militantem, tamen non constituitur verus & proprius Religiosus, excipio equites S. Ioannis, isti enim † verè & propriè Religiosi 4
cum tria vota solemnia absoluta emittant castitatis absolutæ, paupertatis, & obedientiæ,

tiæ, quare si crucem albam vesti affixam, aut numisma eiusdem crucis non portent excommunicationem istam incurrunt, vtpote temere dimittentes habitum sibi desi-
5 gnatum. Addo quod † alij equites, qui iuxta meum vtriusque Thomæ placitum, non sunt proprie religiosi; si crucem affixam aut numisma eiusdem temere dimittant & non portent aut omnino occultent, ita vt nullatenus possit dignosci grauiter peccant quia non deferunt tesseram & insigne protestatiuum suæ professionis, vocationis, & designationis ad militiam suam, non secus ac clericus qui temere dimittit habitum clericalem.

6 De altero genere Religiosorum militarium, qui intra claustra inhabitant, à quibus non diuertunt sine licentia habentes clericales vestes, quibus affixa est crux suæ vocationis, nec portant eiusdem numisma quod equitibus solum conceditur, certum est quod si dimittant temere, aut omnino occultent præfatam crucem etiam si sint extra claustra inseruientes beneficio, aut legitime occupati aut de suorum Superiorum licentia ex causa iusta, incurrunt excommunicationem istam, quia crux ista est signum distinctum, & protestatium suæ Religionis & huius proprium habitum, & sic communiter dicitur *habito de Santiago. habito de Alcantara*, &c.

7 Intra claustra tamen † habent aliam vestem albam ex lino, quæ dicitur *Tiraldete*, & est propria residentiæ claustrali, quam vestem siue in choro, siue extra in refectorio portant, sunt enim canonici Regulares, quorum habitum proprium assignant Gauantus *in Manuali Episcoporum verbo canonici Regulares num.* 1. Ioannes Maria Nouar. *in Lucerna eodem verb.* dicentes sic declarasse Sacram Rituum Congreg. *die* 28. *Augu-*
8 *sti* 1628. Rochetum quem clerici militares minus amplum ex materia magis rudi, quã alij canonici Regulares, Lateranenses enim ex bysso tenuissima Rochetum portant vbique, vt notat Tapia *in authentic. ingressi verb. Monasteria cap.*2.*n.*5.*C. de sacros. Eccles.*

SVBRESOLVT. XX.

Vtrum clerici militares incurrant, si Rochetum dimittant?

SVMMARIVM.

1. *An si clerici militares intra claustra, & in communitate viuentes, si temerè dimittant rochetum excommunicationem incurrant, & n.*2.
3. *Authoris iudicium, nec Sanchez sententia affertur, & n.*4.*&* 5.
6. *An Rochetus non sit habitus immutabilis.*

SEd modo est dubium singulare † an si 1
clerici militares intra claustra claustraliter & in communitate viuentes si temere dimittant Rochetum *Tiraldete*, excommunicationem hanc incurrant latam contra temere habitum dimittentes? & quidem quod canonici Regulares, qui semper & vbique siue intra intra siue extra claustra Rochetum album portant tanquam suæ vocationis tesseram, & signum protestatiuum, si illum temere dimittant intra claustra se sæ- 2
cularibus visendos, præbentes in omnium sententia excommunicationem istam incurrunt, si tamen non se præbeant visendos sæcularibus communiter, sed solum temere habitum dimittant, etsi aliqui dicant non incurrere hanc excommunicationem, quia si intra claustra maneat non est occasio vagandi, quam sententiam probabilem iudicat Pellizarius *num.*20. Secutus aliquos quos citat Sanctarellus *de Apostasia cap.*1. *num.*18. sequitur Sayrus *de censuris lib.*3. *c.*33. *n.*14. ego vero † contrarium sentio, quia *cap. vt pe-* 3
riculosa fertur excommunicatio contra temere dimittentes habitum, & etiamsi sit intra claustra hæc temeraria habitus dimissio affert potestatem vagandi, quam præ- 4
cludit Põtifex sub censura, quod bene † probat Sanchez *lib.*6. *summ. cap.*8. *n.*61. quamuis ego contra ipsum existimem quod Religiosus carcere inclusus, ita vt nõ habeat proximam occasionem vagandi, & se oculis extraneorum videndum præbendi, etiamsi habitum dimittat, & sæcularem induat ad solatium suæ incarcerationis non incurrere hanc excommunicationem contra temere dimittentes, quia hæc dimissio etsi non vacet culpa, at non ita temeraria est vt mereatur tam grauem pœnam, & afflictio non est addenda tam grauis afflictio, qualem indu- 5
cit excommunicatio maior, dixi ad solatium aut aliud motiuum releuans à pœnalitate carceris, quia si dimittat in odium religionis, aut in contemptum habitus incurret absque dubio, etsi non habeat proximam occasionem vagandi, quia stricte in carcere includitur.

Cæterum quamuis hoc verum sit loquẽdo de dimissione temeraria Rocheti, quem semper & vbique portant canonici Regulares tamen aliter iudico de *Tiraldete* & Rocheto clericorum militarium, existimo enim quod si quis illum dimittat intra claustra non incurrit hanc excommunicationem latam contra temere dimittentes habitum, quamuis si scandalum possit generare, peccet dimittens. Ratio meæ Resolutionis est, quia hic † Rochetus non est habitus immu- 6

tabilis, & infixus ossibus & sic non est signum immutabile suæ vocationis, & Religionis, sed solum residentiæ claustralis, quare eius dimissio non est de qua loquitur Pōtifex & cum simus in materia odiosa & pœnali, stricte loquendum & interpretandum de habitu, quod semper est vbi portandum saltem quoad colorem, vt dixi mus de Episcopis regularibus.

SVBRESOLVT. XXI.

An sit temeraria habitus dimissio, si habitans extra claustrum licite, illum dimittat, aut occultet?

SVMMARIVM.

1. *An habitus dimissio sit temeraria si religiosus professus exiens ad seruiendum beneficio, habitum dimittat aut occultet de licentia sui Prælati, & num. 2.*
2. *Variorum DD. opiniones, & numer. 3. & 4. & 5.*
6. *Quid nomine testamenti ab vsurario intelligatur.*
7. *An si non subsit causa rationabilis vt habitus ad tempus occultus deferatur nequeat superior dare licentiam.*
8. *Authoris iudicium, & n. 9. & 10.*
11. *Quæ non sit temeraria habitus dimissio.*
12. *Quid de missionariis veniat notandum, & num. 13.*
14. *An si aliquis Religiosus professus habita licentia à suo Prælato adeundi Indiam vel aliò si habitum dimittit, incurrat excommunicationem.*

1 DVbium sextum, † an sit temeraria habitus dimissio si Religiosus professus exiens ad seruiendum beneficio aut ad succurrendum parētibus habitum dimittat aut occultet (ita vt cognosci non valeat Religiosus) de licentia sui Prælati Prouincialis, aut Generalis. Pellizarius *vbi supra num. 39.* affirmat secutus Sanchez *lib. 6. summ. cap. 6. num. 36.* Ratio est quia etiamsi beneficium sit pleno iure subiectum Episcopo, tamen Religiosus non absoluitur, aut eximitur ab obseruantiis suæ regulæ, & ab obligationibus quas omnibus Religiosis imponit ius commune, nisi in his, quæ non compatiuntur cum exercitio officij beneficij, & sustentatione parentum, cum his autem bene compatitur habitus suæ Religionis portatio, er-
2 go quantum ad hoc eodē modo est discurrendum de Religioso manente extra, ac intra claustra etiam de licentia Superioris: cum in vtroque æque currant rationes legis canonicæ, qua manet ligatus regularis Beneficiarius, aut extra claustra degens ad leuamen parentū (nisi dispensetur à Papa quod sit habitu non retento, etenim finita parentum necessitate, & renuntiato beneficio, tenetur ad Religionem se reducere & ad viuendum intra claustra, nisi adsit Pontificia indulgentia.

SVBRESOLVT. XXII.

Vtrum talis Regularis possit habitum occultum portare.

SVMMARIVM.

1. *An religiosus exiens ad seruiendum beneficio possit de licentia prælati habitum suæ occultum portare.*
2. *Variorum DD. opiniones, & numer. 3. & 4. & 5.*
6. *Quid nomine testamenti ab vsurario intelligatur.*
7. *An si non subsit causa rationabilis vt habitus ad tempus occultus deferatur nequeat superior dare licentiam.*
8. *Authoris iudicium, & n. 9. & 10.*
11. *Quæ non sit temeraria habitus dimissio.*
12. *Quid de missionariis veniat notandum, & num. 13.*
14. *An si aliquis Religiosus professus habita licentia à suo Prælato adeundi Indiam vel aliò si habitum dimittit, incurrat excommunicationem.*

1 DVbium septimum est an iste de quo in immediata subresolutione sumus locuti possit de licentia sui prælati habitum suæ Religionis occultum portare ita vt, etsi interius habitum portet exterius tamen à nullo iudicetur Religiosus; de hoc dubio nullum vidi in terminis terminantibus disputantem, duo solum asserunt Doctores. Primum, quod solus Papa potest dispensare in *cap. vt periculosa cit.* Secundum, quod est dubium inter ipsos an Religiosus, qui retinens proprium habitum interius, occultat ita vt à nullo possit Religiosus iudicari, incurrat præfatam excommunicationem latam contra dimittentes habitum, quidam dicunt quod non incurrit, quia non est idem occultare habitum & illud temere dimittere & lex pœnalis in toto verborum rigore est
2 accipienda, ita probabile iudicant † Sayrus *lib. 3. de cens. cap. 33. n. 9. & 10.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib 1. cap. 5. num. 12.* alij probabilius dicunt incurrere. Ita Domin. Caiet. *in summ. verbo excommunicatio cap. 61.* vbi rem egregie sic perstringit. *Si absconditus portetur habitus varia est DD. opinio, mihi tamen videtur consideranda qualitas occultationis & distinguendum inter habitum sic occultatum vt reputetur communiter à conseruatiuis cum eo;*
3 *qui cum aliter non nouerunt, non religiosus, & sic incurret hunc canonem, quia licet non dimittat materialiter vestem, quæ est habitus, dimittit tamen formaliter habitum suæ Religionis, quia dimittit ipsum vt habitum quo discerni possit vt Religiosus talis Religionis, & confirmatur hoc ex textu; tum quia occultatus omnino habitus non subtrahit materiam vagandi ex quo sic incedit superius vt non Religiosus, & infra num. 3. vel habitum sic occultatum vt tamen à conuersantibus quamuis non ab omnibus prætereuntibus videatur, quod Religiosus sit talis Religionis, & sic non incurrit hunc canonem*
4 *quia nec materialiter nec formaliter suæ Religionis habitum dimittit ex toto, quamuis secundum*

dum quid aliqualiter dimittere dici potest.

5 Quæ Caiet. doctrina vera est & conformis textui *cap. vt periculosa*, cuius medulla est, quod quis non dimittat habitum vt vitetur occasio vagandi, ac si non esset Religiosus, quæ non vitatur si quis exterius Religiosus non appareat siue dimittatur habitus, siue occultetur, & quamuis textus solum exprimat habitus dimissionem, intelligitur de dimissione externa, quæ videtur, & qua quis externe iudicatur à videntibus religiosus talis religionis, arg. *ex cap. quam de*
6 *vsuris in 6.* vbi † nomine testamenti facti ab vsurario intelligitur codicillus, & donatio causa mortis, vt certa sententia docet, quia in his currit, adæquate ratio motiua legis, quæ facile eludi possit nisi ad ea etiam extenderetur.

Ex quibus liquet dubij propositi decisio,
7 nam † si non subsit causa rationabilis vt habitus ad tempus occultus deferatur, nequit Superior regularis licentiam præstare suo subdito ad habitum occultandum, quia ius commune contrarium vt vidimus, decernit, dixi ad tempus, quia per totam vitam nullus nisi Papa potest id concedere, sicut solus ipse potest dare licentiam, quod, quis sit extra claustra ob beneficium, aut parentum sustentationem habitu non retento, ita vt non iudicetur à videntibus religiosus.

Quod si quis retento interius habitu religionis suæ, alterius religionis externum
8 habitum induat, mihi † videtur non incurrere excommunicationem huius canonis, quia omnino non dimittit habitum religionis suæ cum interius illum conseruet, & alias religiosus iudicatur à videntibus, & prætereuntibus, & sic vitatur occasio vagandi, cum non euadat manus iudicis, qui videns ipsum religiosum, etsi probet non es-
9 se professum illius religionis, cuius habitum externum defert, tamen ex habitu interno quem videbit ad suum proprium ordinem tenetur remittere, non solum quod deponat habitum assumptum. Dominus autem Caiet. loquitur quando assumpto habitu alterius religionis, suæ habitum etiam interius dimittit.

10 Dixi † *nisi subsit causa rationabilis*, vt si quis fiat missionarius ad Turcas, Synas, Iapponios, aliosve infideles inter quos tuto nisi dimisso habitu Christianorum, nedum religioso seminatio Euangelij, tuto fieri nequit, tunc eo ipso quod missionarius fiat à Sacra Congreg. *de propaganda fide* (quæ sibi reseruauit ad huiusmodi infideles mittere operarios in Euangelicam messem) potest mutare habitum, & religiosum dimittere suæ religionis, & alium alterius ordinis non ita inuisi illis gentibus assumere, absque incur-
11 sione huius canonis, quia † non est temeraria habitus dimissio, sed potius prudens executa Pontificis voluntate, quod etiam licebit, si quis vadat ad hæreticos de licentia sui Superioris, & eos reducat ad ouile Petri & Ecclesiam Catholicam Romanam. Addo primū id quod velim notatum à mis-
12 sionariis, † quod si sine notabili incommodo, aut persecutionis periculo interius occultum habitum religionis quam sunt professi portent, est enim caracteristica proprietas, qua signatus est ex vi professionis solemnis, quam à se reiicere irreligiosum est, cum caracteristicus habitus sit memoriale præsens obligationis suæ regulæ, Portatio
13 enim habitus suæ religionis eo modo quo non sit impeditiuum maioris boni fundatur in natura professionis solemnis huius religionis, prout distinctæ ab alia, quare professio huius Religionis semper exigit portare habitum sibi proprium publicum, vel occultum prout ratio & occurrentia exposcit.

Addo secundum, quod si aliquis religio-
14 sus professus habita licentia à suo Prælato adeūdi ad Indiam vel aliò, si habitum dimittat, temere dimittit & incurrit excommunicationem *cap. vt periculosa*, quia licet non vagetur cum de licentia sui prælati non resideat in claustro, sed recto tramite adit quo ire est licentiatus, tamen eo ipso quod temere habitum dimittit ita vt religiosus à circunstantibus & prætereuntibus extra suū conuentum degens non iudicetur, est temerarius habitus desertor, & ex vi huius desertionis materiam proximam vagandi & non residendi assumit, & sic reus est huius canonis, qui præcipit residentiam & clausuram regularem ratione habitus religiosi, ratione cuius residere in sua religione tenetur.

RESOLVT. VII.

Vtrum solemniter professus possit reclamare vt non resideat in Religione?

SVMMARIVM.

1. *An qui inualidè est professus solemniter in aliqua religione possit dum reclamat de nullitate professionis à monasterio discedere, & num. 2. & 3.*
4. *Ratio difficultatis affertur. & n. 5.*
6. *An Prælatus Regularis possit dimittere reum quem scit nulliter professum.*
7. *An non teneatur superior fidem dare dicenti ficte professionem emisisse, & n. 8. & 9.*
10. *Authoris*

10. *Authoris mens adfertur, & n. 11. & 12. & n. 17.*
13. *An liceat superior ficte professum dimittere & num. 14.*
15. *An Superior dimittens dicentem se nulliter esse professum, procedat tanquam iudex, & n. 16.*
17. *Quæ reuelationes à Pontifice sint approbandæ tanquam suspectæ, & numero 18. & 19.*
20. *An si Religiosus anceps an professione vere vel ficte emiserit, Superior possit illum occultè dimittere.*
21. *An item possit religiosus dubius de professione vera vel ficta fugere, & numero 22. & 23.*
24. *Quæcumque actio exterior deliberata secundum natura sua affert agendi intentionem, ex Dom. de Soto, & n. 25. & 26.*
27. *Sanchez opinio admittitur, & n. 34.*
28. *An religiosus sciens professionem esse nullam possit fugere.*
29. *D. Caietani sensus adducitur, & num. 30. 31. & 32.*
33. *An data sententia ab Ecclesia quod quis est professus & cogitur in religione residere, nequeat tuta conscientia aufugere.*
35. *Quid veniat colligendum ex doctrina tradita, & n. 36.*
37. *Gibellini exemplum affertur.*
38. *Quid bonum commune exigat.*
39. *An teneatur religiosus nulliter professus obedire iudici præcipienti vt redeat.*

1 SENSVS est an † qui inualide est professus solemniter in aliqua religione, possit dum reclamat de nullitate professionis à monasterio discedere, & habitum suæ religionis dimittere, hoc dubium multipliciter potest intelligi & est valde necessarium ad praxim, primò, si quis sciat certo se non esse religiosum, quia non habuit voluntatem profitendi. Secundò, quia habuit sed coactam timore cadente in constantem virum. Tertiò, multis aliis modis potest esse inualida professio, vel absolute, vel in aliqua religione ob speciale statutum irritans si non habeat tale vel tale requisitum quod statutum sit confirmatum à Sede Apostolica absolute, tamen est nulla professio, ex defectu integri nouitiatus legitimæ ætatis, legitimi sexus, legitimi Prælati admittentis professionem & aliis modis. Quartò, aut potest id probare testibus aut protestatione prius facta aut non potest. Quintò, aut reclamat, ante quinquennium & ante ipsum habitum remittit, & fugam arripit, aut transacto quinquennio.

2 In hoc grauissimo dubio, duo sunt certa & indubitata inter omnes scribentes, & Catholicos DD. Primum, quoad forum poli & conscientiæ. Secundum, quoad forum fori & iudicij externi. Igitur si quis certo sciat & euidenter agnoscat suam professionem in rei veritate nullam esse ex defectu alicuius requisiti essentialiter, siue ob aliquod impedimentum irritans, ex speciali statuto suæ religionis confirmato à Sede Apostolica idque non possit probare, vel ob infamiam quæ toti familiæ, & agnationi suæ superueniat, vt si sit ex sanguine infecto 3 oriundus, non expediat, imo peccet id probando, iste talis certus de nullitate suæ professionis & impotens eam in iudicio probare, potest tuta conscientia secluso scandalo habitum dimittere, & à religione aufugere, etsi alicubi securus sit quod non capiatur à Religione, poterit in aliam proficisci, vel in sæculo manere ordine sacro insigniri & valide matrimonium contrahere, tuerique se vi, & vi armata se defendendo non capiatur à sua religione quæ præsumit esse vere professum, si secludamus scandalum aut sententiam Ecclesiæ. Ratio est perspicua, quia 4 cum iste non sit vere professus nullis votis solemnibus adstrictus liber est ab omni iugo religionis, quare licite se defendit, quia tuetur suam libertatem, quamuis Religio secundum allegata & probata ius etiam habeat illum capiendi, & sic per accidens datur bellum iustum ex vtraque parte, quia religio tuetur ius quod rationabiliter præsumit habere & professus libertatem suam, quam reipsa scit habere, non secus ac seruus qui sine titulo bona fide possidetur à Domino potest fugere vt libertatem, si coram iudice nequit eam consequi, similiter, & qui matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, sed sine consensu requisito potest vxorem relinquere, & alibi alium sibi conuenientem statum adsumere, legendi sunt de hoc puncto Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7. & 8.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 7. lib. 7. cap. 3. à num. 2.* Sanchez *lib. 7. de Matrimon. 5 disp. 37. à n. 3.* Gibelinus *de clausura disquisit. 2. cap. 2. à num. 54.* secuti Nauar. *comm. 4. de regular. num. 77.* idem docent Azor. *p. 1. l. 12. cap. 4. quæst. vltim.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 41. num. 63.* Villalobos *2. p. summ. tract. 35. diffic. 25. num. 7. & 8.* Portel. *in dubiis verb. professionis nullæ reclamatio num. 44.* Spino *in speculo testam gloss. 12. à num. 62.* Beja *lib. 4. Responsio. casu. 18.* Rodriguez *tom. 3. quæst. 17. art. 15. 16. & 17.* & multi alij quos citat Barbosa *in remiss. ad sess. 25. Trid. cap. 19. de Regular.*

Addit Pellizarius † *in suo Manuali tracta-* 6 *tu 3. cap. 5. sect. 2. num. 54.* Quod † Prælatus Regularis potest occulte dimittere eum quē scit nulliter professum fuisse & non ratificasse, non secus ac Soto *lib. 5. de iustit q. 4. art. 2.* dicit quod iudex conscius de innocentia

tia eius, qui secundum allegata & probata potest ei occulte facere copiam fugiendi à carcere, vt fugiat, quia si superior scit talem nulliter professum nulli facit iniuriam, si occulte dimittat, habitu regulari deposito, cuius depositio in hoc casu temeraria non est, sed conformis iuri, quo possidet libertatem, nec adstrictus est ad residendum in claustro cum non ligetur obedientiæ voto. Ita etiam Thomas Sanchez *vbi supra*
7 *num. 13.* addens *num. 14.* quod † non tenetur superior fidem dare dicenti ficte professionem emisisse, quia non est maior ratio cur potius tunc credendum sit ei, quam antea dum se promittere simulabat, quod verum est etiamsi iuret se ficte professionem emisisse vt bene D. Caiet. 2. 2. *quæst. 88. art. 1. ante finem*, vbi Aragon. *fol. mihi 96. §.*
8 *conc. 1.* Valentia. *disp. 6. quæst. 6. punct. 1. §. ad probationem*, vnde etiam non tenetur superior credere dicenti se intra quinquennium non ratificasse professionem suam vnde cōcludit Sanchez id quidem pro foro externo in vroque casu est verissimum, & regulariter loquendo, idem est secundum ne liceat superiori hunc in foro conscientiæ dimittere. *At si reuera attentis circunstantiis pruden-*
9 *tissimus quisque, morali certitudine coniiceret illum veritatem asserere, dicendo se ficte professum, aut non ratificasse professionem, posset vtique superior illi credere, ac dicto remedio vti eiiciendo illum clam cessante omni scandalo, quia in his rebus metaphysica certitudo est impossibilis.* Hæc ille.

10 Sed ego † hanc additionem sale condiendam esse iudico, maxime quando agitur de regressu à statu religioso ad statum sæcularem omnino liberum in quo & matrimonio iungi quis potest, quamuis enim dum quis certo scit libere non consensisse, aut ætatem requisitam à iure non habuisse, aut habere aliquod impedimentum irritans, & sic certo & indubitabiliter professionem esse nullam ante quinquennium possit aufugere, & alibi sæcularē vitam agere & statutum matrimonij assumere, vt dicebam cum communi & certa sententia. Ast superior nequit tuta conscientia illum, qui ficte adseuerat, se professionem emisisse, & sic non esse pro-
11 fessum illum eiicere, aut licite licentiam dare, vt habitum dimittat, & sæcularem agat vitam possitque statum quem maluerit eligere, quantumuis superior immediatus prudentissimus sit, & expertissimus (imo existimo quod nec Papa id præstare quit) Ratio est manifesta, quia licet dum præcedit protestatio coram testibus, superiori constare possit talem non habuisse consensum, aut ex alio capite sibi certo constat habere impedimentum irritans, vt quia defectum puritatis sanguinis requisiti ex statuto confirmato à Papa; at quum nihil horum adest sed solum attestatio etiam cum iuramento & quibuscunque aliis probantibus, non adfuisse consensum in professione neque illum professionem aliquando fecisse, aut ratificasse, dubio procul nequit superior illum occulte dimittere, tanquam liberum ab obligatione votorum, quamuis reipsa liber sit, quia id sibi certo moraliter non constat (sicut potest constare iudici quod accusatus de homicidio & secundum allegata est pro- 12
batus reus, sit reipsa innocens, quia potest euidenter scire esse innocentem, vel quia dum factum est homicidium iudex vidit occisorem esse alium, vel quia secum erat qui probatus est reus) cum sit actus mere internus, & tenetur superior præsumere consensisse nisi exterius probetur contrarium, aut euidenter constet non consensisse ex circūstantiis quod implicat ita certo mo-
raliter constare, quod † liceat superiori tali- 13
ter professum liberum dimittere, cum teneatur in sua gubernatione tueri iura religionis, dū sibi euidenter nō constat ea iura reipsa non habere Religionem, alias si huic dicēti ficte professionem emisisse dummodo id non probet testibus aut scriptura authentica, & protestatione licitum est fidem adhibere ostiū valde pernitiosum aperitur vt multi dicant ficte professionem emisisse, & sic multis adhibitis circunstantiis, quas 14
Dæmon suggeret, & adducet in probationem, quod non consensit, quod vtique dicere omnis prudens formidabit, cum multa sequantur inconuenientia contra bonos mores & praxim Ecclesiæ, quam nobis sancte propinarunt sacri canones & Concilia.

Vrgetur quia † Superior iste dimittens 15
hunc qui nulliter se professionem emisisse dicit, aut procedit tanquam iudex, & hoc esse nequit, quia non habet iuridicas probationes, sed solum scientiam particularem & iudex procedit secundum allegata & probata, aut procedit tāquam particularis persona, & neque hoc affirmare quit, quia si 16
bi nequit certo moraliter constare ficte istū professionem emisisse, aut eam non ratificasse, imo semper præsumitur maxime post quinquennium ratificasse, tum etiam sibi certo moraliter constat professionem emisisse ex prolatione verborum, & scriptura publica, ex qua certum acquisiuit ius religio quæ possessionem habet talis religiosi quare nisi sibi certo moraliter constet præsumptionem esse falsam, nequit religionem expoliare sua possessione, & iure, quia nulla certitudo moralis potest esse tanta quæ magis præponderet, quam certa & euidens possessio, quam ex vi professionis externæ habet religio.

Quam doctrinam adeo veram existimo 17
&

& vt talem practicandam ad occlusionem huius ostij pernitiosi religiosis vtriusque sexus, quod etiamsi religiosus adserat se reuelationem habuisse, quod professio sua nulla fuit, aut similiter Superior, etiamsi Sanctissimus sit, & virtutis insignis similiter adseueret similem reuelationem habuis-
18 se, tales reuelationes nisi à Pontifice † approbentur tanquam suspectas & dæmoniacas esse reiiciendas, reprobandas, explodendas, non secus ac si dicat se habuisse reuelationes quod Deus sibi dispensat quod matrimonium contrahat non obstante voto solemni castitatis vt iam olim contra quosdam sanctum & determinatum est à sancto Officio; si enim reuelatio ista semper præsumitur diabolica & illi nitens, nullus solemniter professus potest matrimonium inire nec superior potest ad hoc ipsum dimittere quamuis similis reuelatio illi facta sit vt det præfatam licentiam; quamuis talis reuelatio talibus circunstantiis vestiatur à dæmone transfigurato in Angelum lucis, quod videatur moraliter certa diuina, quia semper habet imbibitum venenum quod sit contra legem vniuersalem Ecclesiæ, & sic tali reuelationi vt suspectæ est renitendum, ita reuelationi factæ quod iste non sit professus,
19 quod si reuelationi factæ de nullitate professionis non est præbendus assensus; quamuis taliter sit facta, quod moraliter certa videatur nisi à supremo Magistro Ecclesiæ approbetur, nec illi nitens potest superior dimittere liberum Religiosum, multo minus potest esse illi moraliter certum, quod talis religiosus, ficte promissionẽ emisit, aut quod eam non ratificauerit ablata fictione, & sic nullo modo potest occulte ipsum liberum dimittere, sic respondi consultus ab Eminentissimo Dard. D. Domino meo Pimentel. ann. 1641. in casu de quadam moniali, & placuit multis viris doctis & piis, totum hoc confirmatur egregia doctrina D. Caiet. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 1. §. *scito secundo vers. in tertio autem modo*, quam infra adducam.

20 Addo ego quod † si religiosus anceps & dubius est pro vtraque parte an vere vel ficte professionem emiserit, nec superior potest ipsum occulte dimittere liberũ, quia vt bene Sanchez *num.* 13. *in fine*, iniuriosus esset religioni spolians eam in dubio possessione sua quia iuxta regulam iuris *in dubiis melior est conditio possidentis*, & in hoc dubio religio bona fide ab initio possidet, quare in possessorio semper stat ius pro ipsa à quo
21 eam denudare iniustum est, sed † an religiosus ipse qui dubius & anceps est an ficte professionem emiserit, possit fugam capere, & liberum se iudicare à votis solemnibus, & sic à residentia in Religione, non tractant in speciali authores, & ratio dubij est quia communis sententia asserit dubius an emiserit votum de recitando officium B. V. aut ieiunandi feria sexta, non ligatur vo- 22
to, quia melior est conditio possidentis suã libertatem, ergo qui dubius est an habuerit intentionem ad vouendum tria vota solemnia liber erit ab eorum nexibus, & sic vt liber poterit aufugere, & alium statum sibi conuenientem adsumere.

Sed hoc non obstante mihi certissimum, 23
quod † dubius an ficte promissionem emiserit à religione fugere & libere assumere alium statum nisi expresse dũ vouit & professionem emisit habuerit voluntatem non vouendi aut promittendi interius quod exterius profitetur. Ita Dominicus de Soto *l.* 8. *de iustit. & iur. quæst.* 1. *art.* 7. §. *contra hæc duo.* cuius rationem egregiam reddit his verbis, quia † *quæcunque actio exterior deliberata secũ* 24
natura sua affert agendi intentionem, & ideo nisi per formalem negationem mentis excludatur semper intelligitur vna concurrere cum actione. Intentio vouendi semper in externa professione includitur dummodo & aduertenter fiat, & qui vouit non illam peculiariter & expresse mente remoueat. Hæc ille. Ergo dubius an habuerit intentionem profitendi vere profes- 25
sus est ex vi professionis externæ, cui ex natura rei est connexa intentio vouendi; quare si sibi non constat hanc intentionem expresse reuocasse semper ista censenda est interfuisse, & quidem si dubium circa intentionẽ profitendi sufficeret vt quis possideret suam libertatem, & in foro interno non esse professus mille absurda sequerentur & scandala, neque enim propter hoc dubium religio quæ possidet etiam occulte spoliari potest, sicut nec coniux dubitans an habuerit 26
voluntatem contrahendi cum alio potest ipsum deserere, & aleri coniungi, aut religionẽ profiteri, sed tenetur deponere dubium, & stare contractui inito, & qui dubitat an res quam alius possidet sit sua, nequit occulte eam rapere aut vti occultà recompensatione. Legendus est † omnino Sanchez *l.* 7. 27
de Matrim. disp. 37. *num.* 12. & quidem si dubium hoc sufficeret vt quis liberaretur ab statu religiosi & matrimonij quotidie matrimonia dissoluerentur, Sacerdotes fierent laici, & contractus omnes in conscientia rescindi possent; & breuiter vniuersa non solum Ecclesiastica, sed humana conuersatio destrueretur vt alicubi ad simile propositum dicit D. Caiet. quare non est par ratio de illo qui est dubius an emiserit votum interius, iste enim possidet libertatem, quia nullam actionem fecit ex qua ex natura rei esset obligatus, ad seruandum votum, & possidet libertatem, & exemptus est à voti obligatione, quia dubius est de illa.

Dixi superius quod † ille qui certo scit suã 28
professionem

professionem esse nullam posse si aliter nequit probare nullitatem fugere & fungi sua libertate, quia in rei veritate nullam habet in foro animæ obligationem nisi interueniat, aut scandalum, aut sententia Ecclesiæ, quia si hæc intersint etsi non teneatur quis perseuerare ratione voti, quia hoc nullum est, tenetur tamen aliis titulis. Hæc est, sententia Dom. Caiet. 2.2.
29 *quæst.* 88. *artic.* 1. §. *scito.* † vbi eam egregie his verbis confirmat. *versic. in tertio autem modo. Cum quis profitetur, aut vouet sola voce sine animo promittendi ratio & vinculum voti secundum veritatem non inuenitur, vnde non est ibi votum, sed voti fictio. Quia tamen homo videt quæ foris sunt, & secundum ea quæ foris aguntur Ecclesiæ iudicium est, & debet esse coram Ecclesia, est*
30 *ibi votum, sicut cum aliquis suscipit ordinem Sacerdotij ab Episcopo secundum Ecclesiæ ritum, quamuis suscipiens non intendat suscipere, sed simulare se suscipere apud Ecclesiam est sacerdos & habendus & tractandus, vt sacerdos, licet in veritate non sit sacerdos. Vnde Ecclesia cogit omnes huiusmodi ad reddendum vota sua quæ distinxerunt labia sua. Et licet sic vouens non teneatur ad obseruandum promissum ratione voti, tenetur tamen ratione Ecclesiæ & scandali, Ecclesiæ quidem, quia fraus & dolus nulli debet patrocinari in in præiudicium vnius personæ multo minus in*
31 *præiudicium Ecclesiæ. Constat autem, quod si quis promittit alicui coram testibus vtile aliquid, quod siue habuerit animum promittendi, siue non cogitur à iudice humano obseruare. Si quis igitur profitetur ministris Ecclesiæ, aut vouet coram aliis, siue habuerit animum, siue non cogendus est implere, quod dixit: alioquin nullus posset cogi ad seruanda promissa, quia semper ignoramus animum promittentis, etsi ipse non credendum est quum promisit, quomodo ei credendum erit dicendo se non verè promisisse, quare tunc magis mendax quam nunc? & ex his patet, quod non est credendum ab Ecclesia iuranti, se non esse professum animo profitendi, nisi ostendat sufficientia indicia, violentiæ,*
32 *aut huiusmodi, sicut non est credendum alteri coniugum iuranti, quod non animo coniugij, coniugium subiit.* Hactenus ibi, & plura alia egregie quæ subdit.

Ex qua doctrina Eminentissima, & quæ nucleum veritatis aperuit, colligitur primò, quod data sententia ab Ecclesia, quod
33 † quis est professus & cogitur in religione residere nequit tuta conscientia aufugere & habitum dimittere, aliumve statum adsumere, sed tenetur residere in claustro & Religione, & ad hoc cogi debet, nec Superior potest ipsum occulte liberum dimittere, quia sententia iusta est, & quilibet tenetur in conscientia iustæ sententiæ parere, maxime quando ex eius obedientiæ executione non sequitur peccatum. (Legatur Sanchez † *lib.* 7. *de Matrimon.* 34
disput. 100. vbi de sententia nullitatis matrimonij carnalis, à quo valet argumentum ad spirituale per professionem solemnem) etiamsi fundetur in præsumptione, donec probationibus positis in contrarium, sententia euanescat, quia sic petit bonum commune ad vitanda inconuenientia, vnde si Religiosus professus ficte, aut sacerdos ficte suscipiens sacerdotium in foro externo probatus est sacerdos, aut Religiosus etsi matrimonium ducat tanquam suspectus in fide puniendus est, iuxta Pontificum decreta, nec potest allegare, quod ficte professus est, aut sacerdotium suscepit.

Colligitur secundò, † quod si iste qui 35
ficte professus est aufugiens interminata excommunicatione à iudice competenti, vt compareat ad reddendum facti sui rationem, & vt in religione resideat, quousque constet iuridice nullitas suæ professionis, & ligatur censura, & tenetur sub mortali obedire iudici, est contra Gibellinum, *vbi suprà numer.* 58. & 59. Ratio est perspicua, quia licet ante præceptum liber sit huiusmodi nulliter professus, nec 36
teneatur ad Religionem redire, quia securus, quod professio irrita est, tamen cum alter contrahentium scilicet religio iuste possideat, & bona fide iuste in fauorem illius præcipit iudex, quod præceptum non fundatur proxime in præsumptione, vt falsò putat Gibellinus, sed in possessione bonæ fidei, quam habet religio, quæ spoliari non debet iure possessorio suo, sed illi restitui debet religiosus, qui attentate aufugit; vnde præceptum, vt seipsum restituat, iustissimum est, & sic illi obedire tenetur, sicut † in exemplo, 37
quod adducit Gibellinus, si ego rem meam, quam alius bona fide possedit ab eo accipiam iste alius à iudice allegans possessionem bonæ fidei, petat rei possessæ restitutionem sibi faciendam, & iudex præcipiat restitui, ego teneor sub mortali iudici obedire, & rem meam possessori bonæ fidei reddere, etsi interminetur excommunicatio illa ligor non solum in foro externo, sed interno, quia non obedio præcepto iusto, quod proxime fit de restitutione in possessionem, quæ reipsa est bona fide concepta; hoc enim † exigit bonum 38
commune, & pax publica tam Ecclesiastica, quam ciuilis, iuxta quam iure ipso diuino & naturali melior est conditio possiden

possidentis, quæ semper est ponenda, maxime, quum non fouetur peccatum, quod si non possum probare rem esse meam etsi possim occulta compensatione vti quanti valet res, tamen teneor rem possessori restituere, quia iustum est præceptum & sententia de restitutione, nec possum illi in conscientia non parere, & sic
38 † tenetur religiosus nulliter professus obedire iudici præcipienti, vt redeat, nec absolui potest si non redeat, sicut si non restituat rem suam ab altero bona fide possessam si iudex id præcipiat, quamuis Religiosus iste non teneatur obedire Superiori præcipienti, vt redeat, quia votum obedientiæ reipsa non est, sicut si habeat causas nullitatis, quas facile probare potest, non tenetur obedire Superiori suo, præcipienti, vt adueniat, & eas in iudicio producat, bene tamen si ad petitionem Religionis, id iudex præcipiat.

Decretum hoc sanctissimum, vtilissimum & bonum commune totius religiosi status, illius qui quietam & pacificam gubernationem respiciens ab omnibus Catholicis iudicatur, vtpote à Patribus in Spiritu Sancto legitime congregatis digestum, & perfectum illud enucleant & variis obseruationibus exornant ferè omnes Doctores, qui de statu Religiosi vtriusque sexus, varios edidere tractatus, ego vero illud extricabo variis adnotationibus partim ex ipsis, partim iuxta nostra principia moralia deductis, maiore breuitate qua potuero, & res grauissima & valdè necessaria ad cogendos nunc Regulares, vt in suis Religionibus quas semel verbis deliberatis, coram hominibus, & Angelis elegerunt, resideant, & claustraliter viuant, ne sub prætensa professionis fictione, vagi sint, & regularem rigorem fugiant, & euagandi licentiam sibi assumant, vt † ait 3
Concilium Remense (sub Carolo Magno Vulfano Archiepiscopo Præsidente *anno* 813.) *cap.* 25. *Monachi pleniter consilium habeant, qualiter Deo militare animasque eorum melius valeant custodire, ne occasionem quærant vagandi & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur Diabolo*, & Concilium Maldense *cap.*57. strictissime iubet Monachis in claustris residentiam, quam confirmauit Trident. *sess.*25. *cap.* 4. *de Regularib.* quam vt fugiant varia moliuntur machinamenta, & eo deuenit, vt fingant se finxisse professionem suam, vt licentiam vagandi & alium statum assumendi nanciscantur, quam sanctissime & vtilissime hoc decreto præstringit Tridentinum maximo cum emolumento animarum, & Religionum pacifico regimine.

RESOLVT. VIII.

Quinquennium à Tridentino concessum post professionem ad reclamandum de nullitate enodatur.

SVMMARIVM.

1. *Concilij Tridentini decretum, de quinquennio concesso ad reclamandum post professionem de nullitate, & numero* 2. *necnon Concilij Rhemensis, & numero* 3.

1 CERTVM est, apud DD. † quoad forum fori & externum, id quod determinauit Trident. *sess.*25. *cap.*19. *de Regular.* vbi sic decernitur. *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas quas prætenderit deduxerit coram Superiore & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur, interim vero nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* Hactenus sacrum Concilium.

SVBRESOLVT. I.

De conditionibus requisitis à Tridentino ad reclamandum.

SVMMARIVM.

1. *Concilium Tridentinum tres conditiones posuit vt quis religiosus professus solemniter, siue professione expressa siue tacita possit reclamare, etiam intra quinquennium, & numero tertio & quarto.*
2. *Quæ habitus dimissio non sit temeraria.*
5. *An iniudicatus debeat manere religiosus nullitatem suæ Professionis intendens probare, & num.*6.
7. *Si Religiosus intra quinquennium habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quacumque ex causa admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, ex Conc. Trid. & numer.*8. *&* 9.
10. *Quæ leges non fundentur in præsumptione, sed sint dispositiuæ obligantes in conscientia post sententiam iudicis.*

1 IGitur noto primum † Concilium tres conditiones posuisse, vt quis Religiosus professus solemniter siue professione expressa, siue tacita (neque enim tacitam exclusit Sancta Synodus si fiat post annum nouitiatus & impleto anno decimo sexto, vt est certa sententia, & notat Sanchez infra adducendus) possit reclamare, etiam infra quinquennium. Prima, ne ante reclamationem habitum dimittat, aut deponat, quam conditionem ego vt iacet intelligo, vt dum causas nullitatis inducit coram Ordinario, aut alio Superiore nullo modo audiatur nisi habitu retento, quod si ante causarum iuridicam inductionem coram iudice competente, quem si adire nequit nisi habitum dimittat, ad se occultandum, & itinerandum, vt compareat, quod impedit Superior immediatus, potest habitum di-
2 mittere, quia † hæc habitus dimissio non est temeraria quam solum excludit Concilium, cum iste vtatur iure suo, cæterum in litis prosecutione coram Ordinario necessario debet habitum reassumere, at aliter non est audiendus, quia Monasterio restituendus est, & non restituitur nisi habitu reassumpto.

3 Secunda conditio est, † vt causas nullitatis inducat in Tribunali Ordinarij in quo simul debet esse Superior religiosi, & vterque tanquam iudex, ita vt vnus sine alio nequeat sententiam ferre, quia vtrique delegata est causa à Concilio, imo primo loco nominat Superiorem quàm Ordinarium vtpote cum sit exempta ab Ordinario & adhuc subiecta suo Prælato regulari, atque ita necessaria horum coniunctio, quod si vnus repugnet & nolit assistere iudicio sententia non valet, ita habetur, *cap. cau-*
4 *sam. cap. prudentiam.* §. *adiicimus de offic. deleg.* quod si ab vtroque simul inceptum est iudicium de nullitate & aliter irrationabiliter nequeat interesse, potest vnus sententiam ferre ne iudicium irritum sit cum damno partis, *cap.*7. *de iudiciis, leg. vbi acceptum est, ff. de iudiciis*, & decisum esse à Sacra Congregatione Concilij tenet ex Amandariz Bordonus *Resolut.* 27. quod si vnus istorum etiam iuridice citatus nolit insistere inceptioni iudicij de nullitate quid
5 faciendum, neque enim † iniudicatus debet manere Religiosus nullitatem suæ professionis probare intendens, existimo, quod ille qui nolit potest subdelegare alteri, quia est delegatio facta à Principe, quæ admittit subdelegationem, vt tenet communis sententia vtriusque iurisperitorum, quod si nolit subdelegare & absque fundamento resistat assistere iudicio, & puniendus est 6
& arguendus & vnus solus potest. Ita Barbosa *ad cap. prudentiam.* §. *adiecimus.* 10. ex multis quos citat in principio textus, quod si discordent, causa deferenda est ad Superiorem illorum.

Tertia conditio requisita à Tridentino, vt reclamatio fiat intra spatium quinquennij à die professionis, & addit Concilium, quod † *etiam intra quinquennium si habitum* 7
dimiserit nullatenus ad allegandum, quacunque ex causa admittatur, sed ad monasterium redire cogatur & tanquam Apostata puniatur, quæ conditio duas habet limitationes. Primam, quod hæc habitus dimissio sit temeraria, & absque iure & ratione facta, hæc enim talem pœnam meretur, sed secundam limitationem magis enucleat primam, quod quamuis temeraria habitus dimissio mereatur Apostatæ pœnam, cæterum ex æquo & bono non meretur, quod non audiatur habitu reassumpto, quia crudele est,
& inhumanum propter habitus temera- 8
riam dimissionem aliquem priuare iure, quod habet, ad reclamandum, quamuis enim id possit Ecclesia statuere, tamen si id non exprimit, non statuit, maxime, quia Concilium ita rigide loquitur consulens spolio temerarie facto Religioni, & iura omnia clamant non esse audiendum in 9
principali, donec ad pristinam possessionem spoliatus restituatur, etiam si vnus obolus restituendus supersit. Ita DD. *ad cap.* 1. *&* 2. *de restit. spoliatorum.* legendi sunt Gutierrez *lib.*1. *Canon. qq. cap.*34. Nauarrus *tom.* 1. *cons. tit. de restit. spoliatorum.* Salgado *de Protect. Reg. lib.*3. *cap.*14. *numer.*125. Perez. *lib.*4. *nouæ Recopil. tit.*13. *leg.*3. *&* 4. & alij quos isti citant, leges enim † istæ, vt 10
supra dicebam non fundantur in præsumptione, sed sunt dispositiuæ obligantes in conscientia post sententiam iudicis etiamsi restitui mandetur res propria, quàm alius bona fide possidet, vt possidet Religio religiosum professum, iste autem restituto per reassumptionem habitus, æquitas dictat, vt de principali & iure, quod habet nullitatis professionis suæ audiatur.

SVBRESOLVT. II.

Religio non potest reclamare ad probandam nullitatem professionis alicuius Religiosi.

SVMMARIVM.

1. *An Religio non possit, imo teneatur non reclamare coram Ordinario ad probationem nullitatis professionis alicuius religiosi.*
2. *Sanchez sententia adfertur.*
3. *Reclamatio ad declarandum professionem irritam coram quibus debeat fieri.*
4. *Nullitas professionis à quonam declaranda veniat.*
5. *Ratio difficultatis adfertur, & n.6.*
7. *Qua ratione Religio non habeat ius reclamandi coram Ordinario.*

NOto secundum contra Pellizarium *tract.3.cap.5.num.51.* secutum Bordo-
1 num *Resol.22.num.6.8. & 10.* quod † Religio non potest, imo tenetur non reclamare coram Ordinario ad reiiciendum religiosum professum nulliter ob speciale impedimentum irritans, quod est in Religione ex speciali statuto confirmato à Papa, vt quod sit sanguinis impuri, vel infirmitatem specialem incurabilem, vel propter delicta de quibus est in sæculo diffamatus, & hoc siue ante elapsum, siue post elapsum quinquennium, sed reclamatio debet fieri coram Generali, aut Prouinciali ad quos priuatiuè, quantum ad Ordinarium pertinet, dimissio. Ita tenent Nauarrus *lib.3. consil. tit. de Regular. consil.26. num.13. & cons.87. num.3.* Rodrig. *tom.3. quæst.17. art.9.* Miranda *tom.1.quæst.52. artic.2.* Zacharias Giraldus *in quadam informatione facta anno* 1610. quam vt ait Peyrinis *de subdito quæst. 1. artic.25. §.3.* confirmauit Rota Romana.
2 † Sanchez *lib.7. de Matrimonio disput.37. num.32.* & quidem quantum ad diffamatos de criminibus, etiamsi non sint accusati, sed solum iuridicè notati, & inquisiti, speciali priuilegio, (quod refert Rodriguez *vbi suprà*) id concessit Leo *ann.1516.die 15.Martij* & incipit. *cum sicut nobis*, Fratribus, Mi-
3 noribus, quo, & nos gaudemus, quare † reclamatio ad declarandam irritam hanc professionem, siue reclamat ipse professus, siue aliquis alius debet fieri coram præfatis Superioribus, & nullatenus coram Ordinario nec Prælatus potest cogi, vt causam nullitatis determinet coram ipso Ordinario, aut eius Vicario. Ratio est, quia cum Concilium nouum ius in hoc decreto statuat solum intelligitur de reclamatione nullitatis professionis in personis habilibus, non vero de alias inhabilibus, ex speciali statuto confirmato à Papa † nullitas professionis horum 4
declaranda venit à Superiore præfato, qui etiam transactis multis quinquenniis, potest id declarare & à religione dimittere, vtpote inhabilem ad profitendum in ea sicut & ipse professus, etiam transactis his quinquenniis potest, & debet coram eodem solo Superiore reclamare.

Si vero nullitas professionis oriatur ex aliis causis, quas certo scit Religio & eas probare potest, vt quia non fuit ætas sufficiens, aut quia professus protestationem fecit se non habere animum profitendi, † 5
difficultas est, an Religio ipsa possit reclamare coram Ordinario, vt declaretur nullitas huius professionis, vel quia professus discolus est & pessimæ vitæ, aut quia inhabilis est Religioni, adfirmant Pellizarius & Bordonus, quia *in correlatiuis est eadem dispositio in vtroque, nisi lex aliter disponat in vno ac in altero leg.fin.D.de accept.* nec enim debet esse peior conditio Religionis ac est Religiosi; sed hæc doctrina inaudita est in iure, & vsque ad Bordonum nullus eam docuit. Concilium enim solum statuit re- 6
clamationem in Religioso non in Religione, quare etsi ista possit dimittere, quem iuridice sibi constat, non esse professum, etsi iste probet verè professum esse non est ius Religioni ad ipsum dimittendum, potest enim dicere professionem ratificasse, & id adfirmare iuramento cui fides omnino est adhibenda, cum sit in profectum animæ suæ, & sic † Religio non ha- 7
bet ius reclamandi coram Ordinario, à quo est omnino exempta, nec potest, se in hoc iudicio illi subdi, quis enim æquo animo ferat, quod Pia Mater Religio eum, quem filium suum se profitetur, reclamet, vt abiiciatur ab vberibus suis, certè quidem æquitas naturalis id abhorret.

SVBRESOLVT. III.

Scholares Societatis non possunt vti decreto Tridentino.

SVMMARIVM.

1. *An scholares Societatis qui post biennium tria solùm emittunt vota simplicia, non possint vti decreto Tridentini.*
2. *Ratio difficultatis affertur, necnon Authoris iudicium, & n.3.*

NOto tertium contra eundem Pellizarium *num.34.* † scholares Societatis, 1
qui post biennium tria dumtaxat emittunt vota simplicia, non posse vti decreto Tridentini

dentini nec in illis currere quinquennium statutum, ad reclamandum, sed posse etiam post ipsum reclamare, non quidem coram Ordinario, & Superiore, sed solum coram Superiore. Ratio est perspicua, quia Concilium
2 loquitur de vere Regularibus verè professis, scholares autem isti etsi sint verè Regulares & Religiosi vti sæpius dictum est à me, at non sunt verè professi, sed ex causa liberi dimittuntur à Patre Generali ad sæculum à quo exierunt, ergo euidens est, quod illos non comprehendit decretum, nisi illis datum sit aliquod indultum,
3 à S.Apostol. quod ignoro, † existimo tamen decretum comprehendere Religiosos Ordinum Mattarium, vtriusque sexus, qui etsi non sint aliqui eorum in toto rigore Religiosi, tamen verè professionem solemnem emittunt, moniales verò horum ordinum cum castitatem absolutam voueant, in rigore sunt Religiosæ, sicut & Equites Hierosolymitani.

SVBRESOLVT. IV.

Vtrum decretum hoc obliget in conscientia?

SVMMARIVM.

1. *Decretum Trid. de reclamando de nullitate professionis dupliciter venit intelligendum.*
2. *An solum sit fundamentum in præsumptione, quod transacto quinquennio professio liberè sit ratificata.*
3. *Ratio difficultatis affertur.*
4. *Patris Thomæ Sanchez sententia adfertur.*
5. *Iuuenis vi profitens anno transacto nequit resilire, sed in clericatu permaneat.*
6. *An sit durissimum cogere liberum hominem nec religioni verè obligatum, vt transacto quinquennio maneat perpetuo in religione.*
7. *Conc.ex silentio per quinquennium solum præsumit ratificationem prioris professionis.*
8. *Authoris mens adfertur, n.15.16.36.56.57. 58.& 59.*
9. *Quid professio solemnis includat.*
10. *An votum simplex non dirimat matrimonium.*
11. *An Prælatus regularis possit irritare vota sui subditi.*
12. *An Episcopus etiamsi sit Summus Pontifex, non habeat potestatem dominatiuam ad irritandum vota fidelium; in quos habet iurisdictionem.*
13. *Vnde immobilitas residentiæ regularis in religione dimanet, ex Basil. Legionens.*
14. *Quæ donatio sit adæquata ratio immobilis residentiæ in religione.*
17. *D. Thomæ opinio affertur, & numer. 18. & 19.*
20. *Duplex donatio admittitur, & n.21.*
22. *An scholaris Societatis etsi emissione trium votorum simplicium sui faciant corporis & animæ donationem Prælato, possit Generalis donationem dimittere.*
23. *An nullitas professionis possit ex multiplici capite dimanere.*
24. *An qui fictè contraxit & professionem solemnem emisit iure naturæ teneatur etiam ante quinquennium vere profiteri.*
25. *Suarez opinio admittitur, n.26. & 27. necnon Legionens. & n.28.*
29. *An dum fictè profitens dicit vouere &c. teneatur naturali iure ea vera facere ex vi verborum diluciдè & serio prolatorum, & n.30.*
31. *In quo decreto Conc. Trident. non fundetur in præsumptione iuris & à iure, & n.32. & 33.*
34. *An etsi nullum sit votum factum sed fictum, qui fictè contraxit teneatur in conscientia fictionem amouere, & n.35.*
37. *Quid de illo qui prætendit se per vim & metum aut ante ætatem debitam professionem emisisse.*
38. *An ille qui liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, non requirat quinquennium ad ratificandum virtualiter suam professionem.*
39. *Quæ protestatio sit quædam reclamatio.*
40. *An in professione solemni sit vera traditio & donatio verbis externis expressè facta religioni, & n.41.*
42. *Monachum aut paterna deuotio aut propria professio facit ex Conc. Tolet. IV.*
43. *Gregor. XI. sententia.*
44. *Quæ leges non fundentur in præsumptione.*
45. *An ab oblatione expressè facta à parentibus & acceptata iuridicè à religione nequeat retrocedi, & n.46.*
47. *An Concilium assignauit quinquennium quò præscribatur ius ad resiliendum in profitente.*
48. *Couarruuiæ sententia adducitur.*
49. *An lex de præscribendo intra certum tempus à legislatore præfixum teneat non solum in foro externo, sed & in interno, & n.50.& 51.*
52. *In quo fundetur decretum quinquennij, quod post illud non possit quis reclamare, & n.53.*
54. *Lex non fundatur in præsumptione nisi legislator id exprimat verbis vel ratione data in lege, & n.55.*

60. *An qui conctè & sine ætate sufficienti expressam professionem fecit si oblata coactione reclamandi, non reclamet ficta maneat profeßio, & n.61.*
62. *An nulla humana potestas possit statuere, quod transacto quinquennio quis sit verè professus sine suo consensu, & numer.63. & 64.*
65. *An maior libertas non requiratur ad profitendum in Religione quam ad contrahendum matrimonium.*
66. *Quæ lex vtrumque forum respiciat.*
67. *Aliud est quod lex præsumat aliquem adimplere obligationem suam & non peccare contra eam.*
68. *An si quis liber extiterit ad reclamandum intra quinquennium si hoc transacto quinquennio non reclamet, debeat manere in monachatu, n.69. & 70.*
71. *Difficultas diluitur, n.72. & 73.*
74. *Patris Thomæ Sanchez opinio adfertur.*
75. *An obligatio perseuerandi in religione ita sit ardua, vt potestatem legis humanæ excedat, n.76. & 77.*
78. *An non sit magis ardua obligatio seruitij diuini quam humani.*
79. *D. Ioannis de Solorzano sententia adducitur.*
80. *Quid de seruis adscriptitiis veniat notandum.*
81. *Augustini mens adfertur.*
82. *Quid item de filiis impuberibus oblatis à parentibus monasterio veniat dicendum, num.83.*
84. *An quis possit voluntate Principis & Concilij, cum id expedit bono communi religionis obligari in conscientia, vt non recedat à religione, n.85.*
86. *In donatione filij non adiunguntur tria vota substantialia etiam implicitè, ex Suarez, n.87.*
88. *In Ecclesia fuisse consuetudinem, vt qui impuberes offerebantur à parentibus, perpetuò manerent diuino seruitio mancipati, negat idem Suarez.*
89. *Petri Cardinalis Damiani sententia, n.99. & 100.*
90. *Concilij Vuormacensis mens.*
91. *An sola parentum voluntate qua filios impuberes offerebant, ipsa formalis oblatio ex Ecclesiæ approbatione, erat virtualis solemnis professio religionis.*
92. *An virtute legis Ecclesiasticæ non possit quis obligari quod religio præscribat ius in personam, quæ professione expressa se diuino cultui dicauit, n.93.*
94. *An vita religiosa & perfectionis schola sit aspera, n.95.*
96. *D. Thomæ mens adducitur, n.97. 98.*
101. *Concilium annum integrum probationis requirit.*
102. *An quinquennio transacto, nec vis, nec deceptio, nec metus cadens in constantem virum, defectusve ætatis consensum inficiant.*
103. *Professio religiosa est de Concilio dumtaxat ex Suarez.*
104. *Nullus actus perfectionis cadens sub consilio est qui in aliquo euentu non cadat sub præcepto quasi de necessitate salutis, ex August.*
105. *Concilij decretum.*
106. *An transacto quinquennio tam sit quis ligatus præcepto perseuerandi in religione.*
107. *An Concilium possit præcipere, quod transacto quinquennio, quis teneatur professionem emittere, & numero 108. & 109.*

NOto quartum, quod † decretum hoc 1
Sanctissimum Tridentini, partim est dispositiuum obligãs in conscientia, partim vult Sanchez *infrà* citandus, quod fundetur in præsumptione iuris, & à iure, quod intra hoc quinquennium ratificata est professio, quæ inualida, & irrita fuit à principio. Igitur in præfato decreto plura statuuntur. Primum, quod si iste, qui reclamare vult habitum dimiserit nullatenus audiatur, nisi re assumpto habitu, secundum quod ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, & interim nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Tertium, quod non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis. Quartũ, quod causas, quas prætenderit coram Superiore suo & Ordinario deducat, & coram vtroque libellum offerat. Igitur de tertio est præsens dubium, an illo Concilium disposuerit, an † solum sit 2
fundamentum in præsumptione, quod transacto quinquennio professio libere sit ratificata, nam aliis tribus Concilium disponere, mihi omnino certum est, ita quod iudex nequeat istum audire nisi restituto habitu, Religio possideat, sicut antea similiter tenetur ad monasterium redire, ipsum cogere licet dum lis agitur cum suo habitu possit alibi constituere, similiter obligatur Religiosus causam agere coram Ordinario, & Superiore suo aliter in conscientia tutus non erit si aliter feratur sententia. Quare † difficultas est, 3
an si intra quinquennium non reclamarit isto transacto, si liber est ad reclamandum possit tuta conscientia reclamare; quia Concilium se fundauit in præsumptione iuris & à iure, quod transacto quinquennio professionem suam ratificauerit, an vero Concilium disposuerit, quod transacto quinquennio ipsam ratificet velit nolit, vt dicitur *cap. vidua, de Regularibus*, quæ se sponte actibus professarum inseruit.

Pater

4 Pater Thomas Sanchez † apud me venerandæ authoritatis scriptor satis probabiliter tuetur decretum Concilij, quantum ad hoc punctum fundari in præsumptione ac proinde si inualide professus non ratificauit professionem, nunquam quocunque tempore transacto est verus in foro conscientiæ religiosus, sed solum in foro externo præsumptus, citat Nauarrum *lib. 3. consilior. consil. 22. num. 5. & consil. 89. num. 6. & 7. & comm. 4. de Regular. n. penult.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 6. n. fin. & cap. 9. n. 8. in comm. litter. S.* Emanuel Sa. *verb. Religio. num. 71.* Suarez *infra citandus* probat primò, quia nullum est verbum in Triden. decreto, quod forum conscientiæ respiciat solum dicit, *quod non audiatur neque ad allegandum causam admittatur nisi intra quinquennium.* Se-
5 cundò, quia *cap. 2.* dicitur † quod inuenis vi profitens anno transacto nequit resilire, sed in clericatu id est monachatu permaneat, & tamen ibi inducitur professionis ratificatio ex mora annua, præsumpta quidem, & sic caput hoc in præsumptione fũdatur, vt tradunt ibi canonistæ. Tertiò,
6 quia † res durissima est cogere liberum hominem, nec religioni vere obligatum, & id quidem aliquando absque sua culpa, vt transacto quinquennio maneat perpetuo in religione omni prorsus audientia ac defensione denegata contra leges vetantes perpetuam liberi hominis obligationem ad manendum alicubi, vel ad subeundum onus nimis libertati aduersum, & cõtra rationem naturalem cui illæ leges nituntur *leg. Titio. §. Titio centum D. de cond. & demonstr. leg. 1. §. quæ onerandæ, & leg. 2. fine. D. quarum rerum actio.*
7 Quare † Concil. ex illo silentio per quinquennium solum præsumit ratificationem prioris professionis *cap. nõ id de sponsal. cap. is qui fidem. eod.*

Sed quamuis hæc sententia satis probabi-
8 lis sit, at † ego probabiliorem & securiorem oppositam iudico, quod Concilium in hoc puncto non præsumptiue, sed dispositiue loquatur, obligans in conscientia illum qui cum libere posset reclamare intra quinquẽnium non reclamauit, & transacto quinquennio nullatenus possit reclamare sed eo ipso, quod quinquennium transiit, tenetur ratificare professionem, ex quacunque causa intra quinquennium nouerit irritam esse. Vt hoc recte percipiatur & intentum Concilij hoc esse appareat; suppono primum, quod in professione solemni non solum est votorum promissio facta Deo, sed etiam donatio sui religioni facta: itaque † professio solemnis vtrumque includit; & donationem personæ factam externa voce religioni, ex qua donatione nascitur potestas donatiua & iurisdictio in religiosum; & promissionem votorum, quæ Deo fit principaliter actibus voluntatis. Hæc est expressa sententia D. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 7.* & Domini Caiet. *ibi. §. quantum vero. versiculo. oportet. & versic. patet secundo*, quod antea dixeret S. Doctor *in 4. dist. 38. quæst. 1. artic. 3. questiunc. 2. & 3.* estque apud omnes scholasticos antiquos certum axioma, quod † votum sim- 10
plex non dirimit matrimonium, quia in illo non fit traditio personæ, neque traditur in alterius possessionem, & dominium, secus vero votum solemne, quia isto persona traditur alteri tanquam Domino, & possessori veluti Dominus est respectu mãcipij, ita D. Thom. *questiunc. cit. & quodlib. 3. art. 8.* & plures quos ad iacitatem refert Doctissimus Basilius Legion. *lib. 7. de Matrim. cap. 5. 6. & 7.* Henriquez *lib. 2. de matrim. cap. 3. & 4.* Valentia. *2. 2. disp. 5. quæst. 6. punct. 5.* Azor *p. 1. lib. 12. cap. 6. quæst. 6.* Salas *de legibus disp. 8. sect. 17. num. 18.*

Idque manifesta ratione confirmatur, quia vt est omnium concors, & vnanimis sententia † Prælatus regularis potest irrita- 11
re vota sui subditi, at vt quis irritare ea possit debet in omnibus actionibus liberis habere potestatem dominatiuam, ex qua dimanat potestas irritandi, ideo enim Episcopus nõ potest irritare vota suorum clericorum, in quos etsi habeat iurisdictionem non tamen potestatem dominatiuam, ideo autem † Episcopus etiamsi sit summus Ponti- 12
fex non habet hanc potestatem dominatiuam ad irritandum vota fidelium in quos habet iurisdictionem, quia illi non faciunt specialem promissionẽ in religione illi obediẽdi, ergo votum obedientiæ religiosæ solemne præter rationem voti obedientiæ, quod sit simplex extra Religionem factum, habet specialem donationem sui, quam facit prælato, qui est loco Dei, & eam acceptat, ex eaque Prælatus, accipit potestatem dominatiuam in subditos.

Verum enim vero antequam hinc discedam nõ possum non carpere præfatum Doctissimum Basilium Legionensem qui *lib. 7. cit. cap. 6.* in ea est sententia † quod immobi- 13
litas residentiæ Regularis in Religione non dimanat, ex votis solemnibus emissis in professione, sed ex præfata donatione, quam, quis facit sui religioni, hæc enim † donatio 14
est adæquata ratio immobilis residentiæ in religione non promissio votorum solemniũ quæ solum fit Deo, non homini sicut donatio fit homini non Deo, non homini enim solum ex vi huius donationis & traditionis confertur denuo potestas dominatiua & non Deo qui incapax est noui & aduentitij dominij. Sed miror † hominem vere sa- 15
pientem vsque ad miraculum ita turpiter errasse in re omnibus scholasticis antiquis

quos

quos ipse adducit notissima etsi enim propria donatio & collatio dominij denua & ius seruitutis, quod de nouo confertur non fiat Deo, sed homini, quod donatio simul cum tradione rei donatæ immobilis est, tamen ex hoc præcisè non habet irreuocabilem immobilitatem, cum possit donatarius rem donatam etiam postquam acceptauit donationem, & rem in suo dominio tenens;
16 iterum eam reddere donanti, & dominium illius abiicere, vt est lumine naturæ notum, si enim quis mihi donauit seruum cuius possessionem habeo, possum iterum donanti illum reddere.

Quare vt donatio, quæ fit homini in religiosa professione omnino immobilis perseueret, vt de facto perseuerat in religione, religiosi solemniter professi alia radix inue-
17 stiganda & assignanda est quam † assignauit D. Thom. *quæst.* 88. *artic.* 7. & 11. quia scilicet hæc donatio sit in professione solemni, cuius solemnitas attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est secundum spiritualem consecrationem quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ ex qua doctrina colligit *art.* 11. *in corpore*, vbi sic ait.
18 *Sicut supra dictum est & habetur Leuit. cap. vltim. illud quod semel sanctificatum est Domino non potest in alios vsus commutari. Non enim potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus vt id quod est sanctificatum sanctificationem amittat etiam in rebus inanimatis puta, quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Vnde multo minus potest hoc facere Prælatus vt homo Deo consecratus cum diu viuit,*
19 *consecratus esse desistat; solemnitas enim voti consistit in quadam consecratione vt dictum est art. 7. & ideo non potest fieri per aliquem Prælatum Ecclesiæ, vt ille, qui votum solemne emisit desistat ab eo, ad quod est consecratus, & sic Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem non sit religiosus, licet quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicant.* Hæc ibi.

Ex quo fit, quod cum donatio quam sui facit, qui professionem emittit qua transfert dominium sui in Prælatũ non sit conse-
20 cratio, quia † hæc respicit Deum, & illâ hominẽ sui subiicitur ex donatione præcise non est immobilis status religiosi omnimoda immobilitate, sed ex consecratione, qua quis ex votis solemnibus, quibus ex Apostolorum institutione homo mancipatur consecratiue in Religione Deo, qui immobilis est ab intrinseco, & ex tali consecratione oritur quod nullus Prælatus etiam Papa, possit donationem sibi factam, ab illo
21 qui solemniter profitetur dissoluere, sicut solemnitas matrimonij carnalis consummati non potest aliquis etiam Papa dissoluere, vt bene P. Thom. *artic.* 7. imo vt ego existimo idem est iudicium de matrimonio rato non consummato, quia solemnitas ista non adhibetur, nisi quum aliquis mancipatur totaliter alicui rei: & totalis mancipatio consistit in hac consecratione Deo facta, qua existente regredi est impossibile: quare
† Scholares Societatis, etsi emissione trium 22
votorum simplicium sui faciant corporis & animæ donationem Prælato, quia tamen hæc donatio non est consecratione & solemnitate firmata, potest Generalis donationem dimittere, & religiosum liberum à votis emissis excludere à Religione, quod nequit facere in illis, qui solemniter sunt professi.

Suppono secundum, quod † nullitas pro- 23
fessionis ex multiplici capite potest dimanare. Primò, quia, quis etiamsi verba professionis proferat, tamen animo ficto, & non habens intentionem profitendi. Secundò, si vi & violentia coactus sit ad profitẽdum, quare etsi habuerit consensum, tamen coactum aut vi, aut metu cadente in constantem virum. Tertiò, quia non habent ætatem taxatam à iure ad valide profitendum, & nihilominus professionem emisit, aut sciens ætatis sufficientis defectum, aut eam ignorans inuincibiliter. Igitur † qui fictè 25
contraxit, & professionem solemnem emisit iure naturæ tenetur etiam ante quinquennium verè profiteri, quod adeo mihi certum est, vt iudicem cum Legionensi, *lib. 2. de matrim. c. 5. num. 5.* oppositum omni probabilitate carere: quia vt ait Petrus de Ledesma *quæst. 45. de matr. art. 4. dub. 1. § in hac difficultate* est omnino indubitatum, & quamuis isti loquantur de matrimonio carnali, at est omnino eadem ratio in professione, quæ est matrimonium spirituale de quo dicere, quod ficte professionem emittens non tenetur vere profiteri, est omnino falsum; vt bene idem Legionens. *num.* 11.
† sequutus Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. de voto* 26
cap. 3. num. 25. vbi sic loquitur. Satis ad nostrum propositum de intelligentia Trident. Decreti. *Potest Ecclesia cum huiusmodi votum ad eius votum deducitur obligare ad votum seruandum, & vouens tenebitur parere non quidem ratione voti, sed ob iustum Ecclesiæ præceptum. Quod si aliter non potest bene & licitè implere, quod præcipitur nisi mutando animum, & nouo vere promittendo ad id poterit consequenter obligari; quod non est inconueniens quia licet voti emissio per se loquendo tãtum sit sub consilio nihilominus per accidens potest quis ad illud obligari propter vitandam no-* 27
uam culpam, præsertim supposita priori culpa, & fictione, addo etiam secluso præcepto Superioris, & Ecclesiæ posse oriri obligationem ad implendum aliquid ficte promissum ob iniuriam ea occasione illatam.

Rationem

Rationem huius verissimæ doctrinæ nobis obtulit Legionensis, *vbi suprà*, ex Soto
28 *lib. 7. de Iustitia, loco cit.* ex naturali obligatione, qua quis tenetur efficiendi verba assertiua de præsenti vera sicut tenetur facere vera promissione de futuro, neque enim potest quis efficere, quod non sit indecens, & turpis coram Deo cordis duplicitas, verbis aliquid de præsenti affirmando, & aliud in corde retinendo hoc enim manifestè mendacium est, & valde perniciosum alteri contrahenti scilicet Religioni,
29 quare † dum fictè profitens dicit vouere, &c. tenetur naturali iure ea vera facere, ex vi verborum, dilucidè, & serio prolatorum, profert enim verbáque ex sua institutione non ad simulandum, sed ad exprimendum conceptus internos sunt destinata; quare in professione cum sit contractus publicus, nullatenus licita est mentalis restrictio, aut æquiuocatio, amphybologiáve, vt latè monstraui *tom. de vero Martyrio fidei, tract. vltim. & tom. 2. Moral. tract. de hac materia speciali,*
30 contra Raynaudum, & Lessium mentales restrictiones. Quare fictè profitens tenetur & virtute veracitatis, & fidelitatis, & iustitiæ veram facere professionem suam abiiciendo fictionem, & ponendo verum consensum, sicut dicit Pater Suarez *vbi suprà*, est omnino certum. Clericus voluntariè suscipiens sacrum ordinem sine animo vouendi continentiam, nihilominus obligatur ex præcepto Ecclesiæ, & ratione iniuriæ illatæ Clero, & sacro ordini supposito statu, & consuetudine Ecclesiæ tenetur mutare voluntatem & votum castitatis emittere, ergo cum ficte profitens, & statui religioso, & religioni in qua ficte profitetur iniuriam inferat, tenetur fictionem abiicere, & vere profiteri.

31 His suppositis valde vrgenter probatur † sacrum Concilium Trident, in Decreto Sanctissimo relato non fundari in præsumptione iuris, & à iure, sed verè deposuisse quod si intra quinquennium, si professus liber steterit ad reclamandum de nullitate suæ professionis, ex quacumque causa fuerit nulla non reclamet, vlterius non audiatur, sed manere in Religione cogatur, in qua tenetur professionem suam ratificare.
32 Probatur, quia in Concilio non est verbum ex quo efficaciter colligatur tale Decretum fundari in præsumptione, quando autem ita fundatur lex id innuitur à Legislatore *cap. is qui, & cap ad id de sponsalib.* ly enim *non audiatur*, & ly *ad allegandum quamcunque causam non admittatur*, non denotant fundari in præsumptione, imo potius clarè denotant dispositionem, quod in vtroque foro
33 tenetur in Religione, manere, & obligationem, qua iste tenetur ratificare professionem, à qua nullatenus absolui vult Concilium transacto quinquennio, eo ipso, quod cum liber extiterit intra quinquennium ad reclamandum, si non reclamauit virtualiter consensit professioni expressæ, quam emisit.

Hoc autem ita esse ex multis capitibus comprobatur: Primò, de illo qui fictè dolo
& fraude professus est † etsi, vt aiebat D. 34
Caiet. *vbi suprà*, nullum sit votum factum sed fictum, at *vt suprà* posui in secunda suppositione qui ficte contraxit tenetur in cõscientia fictionem amouere, & verum consensum ponere vt dicebam, de Clerico, qui ordinem sacrum accepit ficte sine animo se obligandi, & vouendi castitatem, quam tenetur vouere ex vi ordinis. Similiter, qui ficte contraxit cum aliqua tenetur
fictionem amouere & vere contrahere, vt 35
esse indubitatum & cõtrarium carere probabilitate supra dicebam, si enim non est obligatio iustitiæ ad hoc faciendum, & opposita sententia probabilis est latissima aperitur via hominibus sceleratis ad accipiendas sæpe fœminas, si semel sibi persuaserint non teneri ad vere contrahendum, & Religiosis discolis ad decipiendas Religiones si non tenentur ad vere profitendum; & abiiciendam fictionem, dolo & fraude factam, sed posse libere aufugere, à Religione, & statum sibi conuenientem, etiam si sit matrimonium adsumere, quod cedit in magnam iniuriam & detrimentum status Religiosi, quem expressè professus est; & dilucidè protestatus coram testibus, vnde de isto, qui professus est ficte, dolo &
fraude † mihi indubium est, quod Conci- 36
lium non loquitur, sed vt certum supponit teneri ab vere profitendum siue ante, siue post quinquennium nec aliquis potest eum absoluere, nisi id faciat.

Quare Concilium loquitur de illo † qui 37
prætendit se per vim & metum, aut ante ætatem debitam professionem emisisse, iste enim si intra quinquennium liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, sed libere prosecutus est in religione actus & exercitia professorum exercens, dubio procul iste non solum præsumitur ratificasse professionem expressam quam emisit, sed reipsa eam confirmauit & ratificauit donationem quam sui fecit religioni, & sic residere in ea tenetur tanquam vere professus; quod declarat Tridentinum ita esse seruandum & vere esse professum, & in conscientia obligatum ad statum religiosum; quare nullatenus audiendus de nullitate, transacto quinquennio; quamuis enim † ille qui 38
liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit non requirat quinquenniũ ad ratificandum virtualiter suam professionem,

nem, sed illico ac liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, & actibus professorum se immiscuit (non præcedente protestatione iuridica, de nullitate)
39 quæ † protestatio quædam reclamatio est (vt ait Rota *in quadam decisione infra adducenda*) iam vere professus euasit & velit nolit habitum regularem debet habere *cap. vidua de Regular.* & per consequens residere in religione, tamẽ Concilium quinquenniũ assignauit, ad iustificandam suam dispositionem, qua obligatur quis in vtroque foro perseuerare in religione, qui licet aliqua ex his causis nullam emiserit professionem si liber extitit ad reclamandum non reclamauit voluntarie & non impeditus virtualiter eam ratificauit, & nequit in vtroque foro à religione resilire.

Hæc ratio me conuincit, quia tamen opinio contraria valde inualuit, vlterius nostra solidanda est & confirmanda. Primò, quia
40 vt supra suppositione prima vidimus † in professione solemni, est vera traditio, & donatio verbis externis expresse facta religioni, quam Prælatus acceptauit, nomine Dei, & suæ religionis, quare donatarius bona fide processit, si autem donans non habuit liberam voluntatem donandi, nec habuit ætatem sufficientem requisitam à iure,
41 eo ipso, quod liber extitit & ætatem consecutus est, & non reclamat, nec resistit habet virtualem consensum donandi & donatio ipsa consolidatur, & in foro conscientiæ rescindi nequit, in hoc principio fundatur prisca illa patrum, & Antiquorum iurium sententia, quæ statuit vt si quis puer à parentibus fuerit oblatus Monasterio, ex vi huius oblationis tenetur perpetuo in monachatu persistere, nec ab eo statu posit resi-
42 lire. Ita Concil. Tolet. IV. *c.* 49. ibi. † *Monachum aut paterna deuotio aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit allegatum tenebit proinde ad mundum reuerti intercludimus, & omnem ad sæculum interdicimus regressum.* Similia habentur in *Concil. Tolet. X. canon. 6. & in Vuormacensi ann.* 868. *sub Adriano II. cano.* 22. & 23. vnde Greg. XI. *epist.* 14. *ad Bonifacium*, Germaniæ Apostolum qui sub his
43 verbis Pontifici difficultatem proposuit. † *Si Pater vel mater filium vel filiam intra septa Monasterij in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplinâ. Vtrum liceat eis postquam pubertatis annos impleuerint egredi & matrimonio copulari? cui respondet Pontifex, hoc omnino deuitamus, quia nefas est vt oblatis Deo à parentibus filiis voluptatis frena laxentur.*

Idem statuit Alexander III. *in Appendice Concil. Lateranens.* sub ipso celebrati (obiit autem Pontifex *ann.* 1185. in quo hæc consuetudo erat in Ecclesia, sed abrogata à Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 17. & 18. vt Deo liberius præstetur obsequium) *part.* 5. *cap.* 10. atqui † huiusmodi leges non fundan- 44
tur in præsumptione, sed sunt dispositiuæ obligantes filium oblatum in infantiæ annis ad perseuerandum in religione, & ratam habendi voluntatem parentum ipsum offerentium, vt bene colligit Legionensis *lib.* 7. *de matrim. cap.* 5. *num.* 14. ex Concilio Aquisgranens. sub Paschali. I. *ann.* 817. *cano.* 36. quæ obligatio non ex alio capite iustificatur, & ligat nisi quia ante annos pubertatis voluntas expressa parentum censetur voluntas virtualis filiorum, vnde, quod parentes de ipsis volunt expresse disponere ipsi virtualiter consentire dicuntur, vnde ab ob- 45
latione expresse facta à parentibus, & acceptata iuridice à Religione nequeunt ipsi retrocedere, & sic in conscientia tenebantur in religione perseuerare, etiam dum veniunt ad annos pubertatis (sicut & pupilli tenentur stare donationibus factis iuridice, à suis tutoribus, nec possunt retrocedere, dum ad annos pubertatis accedunt) ergo pari modo religiosus, qui coacte vel ob de- 46
fectum ætatis requisitæ nulliter est professus, si ætate completa, & coactione oblata liber est ad reclamandum, & intra quinquennium non reclamat, nec antea iuridice protestatus est suam nullitatem virtualiter consentit professioni expressæ, quam emisit, nec transacto quinquennio potest in vtroque foro resilire, & hoc est quod dubio procul statuit Trident. in suo decreto; quare vere disponit non præsumit declarans hunc virtualem consensum esse. ratificatiuum religiosæ solemnis professionis, respiciens pacem, communitatem, & bonum spirituale professi, ad vitanda scandala, lites & dissensiones.

Secundò, probatur † Concilium assigna- 47
uit hoc quinquennium, quo præscribatur ius ad resiliendum à professione in profitente, & religio acquirat ius in professum, vt teneatur in religione permanere, quod ius fundetur in virtuali voluntate eius, qui intra tale tempus non reclamat, in hac enim voluntate virtuali proprij dominij fundatur lex præscriptionis, qua possessor bonæ fidei in vtroque foro rem præscriptam sibi retinet, adeo quod eius proprius Dominus transacto tempore ad præscribendum præfixo, nequeat rem propriam, etiam occulta recompensatione vsurpare, vt contra Medinam *C. de restit.* tenent omnes fere scribentes quod manifestissime docuit vir ille Doctissimus Couarru. *tom.* 1. *in relect. ad Regulam possessor. p.* 3. *num.* 1. ibi. † *Lex iusta quæ* 48
vsucapioni vim dedit eam quæ induxerit consensum habet tacitum omnium subditorum, qui quidem consensus tacitus sufficiens est, vt virtute legis iustæ dominium ab vno in alterum absque

que consensu expresso transferatur. Hoc ille, quo nihil illustrius ad præsens.

Ex quo colligit plura valde vtilia ad alias materias *in illa* 3 *part. Resolutionis.* Vt quod
49 † lex de præscribendo intra certum tempus à Legislatore præfixum teneat non solum in foro externo, sed in interno; ita latissimè §. 2. *n.* 2. etsi enim Legislator in hoc respiciat fines externos, & vitationem litium, pacem Reip. & vt sint certa rerum dominia, & punitionem negligentiæ prioris Domini; quæ omnia finem politicum, & ex-
50 ternum concernunt, & si ea parte qua negligentia prioris Domini, punitur lex ista fundetur in præsumptione quod fuerit negligens, tamen ea parte qua respicit pacem publicam, & ad vitandas lites lex dispositiua est, obligans in conscientia subditos, etiamsi diligentissimi sint: quia etsi in aliquibus casibus, & in aliquo tempore rationes istæ, & motiua legislatoris deficiant, nisi in vniuersum deficiant: Ratio legis & motiuum legislatoris cum vniuersale sit in finem vniuersalem tendens legem ipsam ac per consequens eius obligationem in conscientia omnino inuiolatam & incolumen conseruat, vt vniuersos liget, etiamsi
51 per accidens in aliquo particulari deficiat, hoc enim principium mihi manifestum est in omni lege tam humana, quàm diuina, quod non currit in lege quæ fundatur à legislatore in præsumptione, hæc enim lex etsi iusta sit, tamen ratione materiæ de qua fertur non est intentio legislatoris, quod in foro animæ, & interiori liget, quum veritas excludit præsumptionem in qua lex funda-
52 tur. Ast † decretum quinquennij, quod post illud non possit quis reclamare contra possessionem, quam bona fide habet Religio de persona quæ expressam professionem emisit fundatur in voluntate illa virtuali, qua cum liber extiterit ad reclamandum, nullam fuisse donationem sui factam
53 in professione, non reclamauit, & sic præscribit Religio transacto quinquennio, & sic cum lex ista iusta sit, in foro interiori, nedum exteriori potest reclamare, & ius quod habebat ad suam libertatem amisit, nec tuta conscientia potest illud recuperare.

Totus iste discursus confirmatur: Primò,
54 Doctrina valde notanda; quia † lex non fundatur in præsumptione, nisi legislator id exprimat verbis, vel ratione data in lege, si enim id nõ exprimat, etsi inductus sit aliquibus præsumptionibus in legem ferendam, tamen non fundauit legem in præsumptione, sed in dispositione in ordine ad bonum commune consequendum, vel malum commune vitandum, quare, etsi præsumptio, quæ induxit legislatorem in aliquo casu deficiat particulari, lex tamen ipsa obligat in conscientia, sub mortali, vel veniali ratione materiæ, quia lex non exerit 55
vires obligandi, ex præsumptione Principis, sed ex dispositione quam facit ob bonum commune consequendum, vel malum commune vitandum, vt pax publica consequatur, vt vitentur lites & similia, quare in fere omnibus exemplis quæ adducit Illustrissimus Archiepiscopus Hispalensis D.D. Fr. Petrus de Tapia *lib.* 4. *catenæ aureæ Mo-* 56
ralis, *art.* 3. ego existimo ‡ leges illas obligare in cõscientia etiamsi deficiat præsumptio in particulari, inter quæ secundum exemplum est de quinquennio Trident. & quidem si quum legislator non expressit, quod legẽ fert ex præsumptione potest lex in præsumptione fundari, magnum ostium aperitur, & non parum perniciosum, vt quisque dicat ad fugiendam vim legis, quæ fundatur in præsumptione, qua cessante, non ligat, quod me quidem iudice magnum est inconueniens cum motiuum Principis 57
raro sit præsumptio, sed bonum commune, vel malum commune vitandum, quod semper immutabile perseuerat, sic lex Pontificia quod solicitans ad turpia in confessione obligat solicitatum ad denuntiandum, etiamsi sibi constet solicitatum bene sentire de fide, si alias est aliquo modo diffamatus, vt late probaui *tom.* 1. *Moral. tract.* 4. *à num.* 734. quia quamuis Pontifices dicant se non posse in animum inducere, 58
quod bene de Sacramentis sentiant qui Sacramentis abutuntur, quare tanquam suspectos de fide eos subiiciunt tribunali sancti Officij, quia Pontifices, etsi inducti sint præsumptione, tamen moti præsumptione non sunt, sed ob bonum animarum pœnitentium, ne tradantur in manus diaboli in eorum perniciem eos grauiorum peccatorum mole onerando pro pane scorpionem tribuendo, & similia motiua, quæ exprimunt. Quare etiamsi solicitans sciat solici- 59
tationem (si alia aliquando diffamatus est) rectè sentire de fide, & passione ductum solicitatione, tenetur in conscientia renuntiare.

Secundò, quia, qui coacte & sine ætate sufficienti expressam professionem fecit, si ablata coactione, & metu graui liber con- 60
stituitur vt reclamet, cum possit absque legitimo impedimento reclamare, si voluntatarie non reclamat, & expresse non vult ratificare professionem suam ficta manet professio, & fictus religiosus dolo & fraude, & sic ex iustitia, ex fidelitate, & ex veracitate tenetur professionem ratificare, nec absolui potest si non ratificet, tenetur enim fictionem amouere, quam si non amoueat transacto quinquennio amisit ius, quod habebat

bebat ad reclamandum, & velit nolit manere tenetur in religione, quæ tamquam donataria personæ religiosi præscripsit in iure, quod habebat circa illã personam, quæ virtualiter in hoc consensit, ex vi legis iustæ latæ à Concilio; & in pœnam iniustæ fi-
61 ctionis, hoc statuit Concilium vt lites vitentur, pax monastica conseruetur, & certæ atque immutabiles sint professiones, vitentur scandala, disciplina regularis non relaxetur ab his qui prætendunt se eximere à iugo religionis.

62 Confirmatur tertiò, quia licet † nulla humana potestas possit statuere, quod transacto quinquennio, quis sit vere professus sine suo consensu, & voluntate, sicut non potest facere quod quis contrahat matrimonium sine suo libero & non coacto consensu. Cæterum potest facere Concilium Trident. aut quod sufficiat voluntas vritualis, quam quis habet manendi in religione, & ratificanda professione expressa, quam fecit eo ipso quod cum liber sit, & non impe-
63 ditus ad reclamandum non reclamauit, quod si perseuerans per quinquennium non reclamans habens tamen voluntatem non ratificandi professionem, potest Concilium obligare, vt perpetuo maneat in religione, animum profitendi habeat, tum in pœnam talis fictionis contra religionem, cui iniuriam infert, sicut potest Ecclesia cogere cõiugem ex cuius licentia alter professus est, cum in sæculo nequit propter incontinentiæ periculum commorari, & similiter vt
64 est communis certaque sententia, consensus ad contrahendum potest extorqueri per metum iuste illatum, quia is qui cogitur iuste ad contrahendum non est rationabiliter inuitus, quandoquidem iure cogitur, & ille non parendo recedit à iure, & æquitate. *cap.1. & 2. de Adulter. & cap. ex litteris el.2. de sponsal.* atqui non requiritur maior liber-
65 tas † ad profitendum in religione; quam ad contrahendum matrimonium, quare Concilium iuste statuit, quod ratificet professionem, qui transacto quinquennio non reclamauit, cum liber & non impeditus esset ad reclamandum, quare dubio procul tenetur ad ratificandum, nec potest libere fugere, & alium statum sibi adsumere.

Nec fundamenta opposita aliquid probant, facillime enim ex dictis euanescunt;
66 respondetur ad primum, quod † imo potius cum sit lex iusta, & non fundetur in præsumptione forum vtrumque respicit, ad secundum respondetur, quod illud quod *cap. si quis cit.* statuitur intra annum, Concilium statuit intra quinquennim & Conciliũ Moguntinum celebratum *ann.*813. sub imperatore Carolo dicit quod qui per vim monachus factus est, & intra annum non reclamauerit in monachatu permaneat, vbi clare dispositiue loquitur, & in foro animæ; quãuis enim glossa ibi, & alij Canonistæ dicant quod iste talis si potest reclamare & non reclamat ex mora temporis præsumitur consentire; non ideo lex ipsa & canon fundatur in præsumptione; & sicut aliæ leges quæ fundatæ in præsumptione, si adsit veritas præsumptio cessat, & lex non obligat in
67 conscientia, aliud enim est † quod lex præsumat, aliquem adimplere obligationem suam, & non peccare contra eam, quia omnis fere lex secum habet præsumptionem, quod non interueniat peccatum, & nõ ideo fundatur in præsumptione: ita Conciliũ Mo-
68 guntinum si quis † liber extiterit ad reclamandum intra annum à die professionis expressæ, & Trident. intra quinquennium, si his terminis præfixis transactis non reclamet in Monachatu maneat, & nullatenus audiatur, nec ad allegandum quamcunque causam admittatur, quia præsumitur istum satisfecisse obligationi suæ, qua tenetur fictionem suæ professionis auferre, & consentire professioni expressæ, quam emisit, si non reclamet intra quinquennium, in quo liber existat & coactio inducta per vim & metum est ablata, qua ablata Conciliũ Tri-
69 dent. nouo iure quinquennium dat & Moguntinum annum vt quis deliberet, an debeat reclamare & verbis expressis, quibus professionem emisit resistere, ipso autẽ termino præfixo adimpleto, non est liber ad resistendum & reclamandum, sed tenetur verba expressa, quibus sui donationem fecit, & contractum onerosum vltro citroque obligantem celebrauit cum religione, vera facere, qui ad id tenetur ex iustitia, veracitate, & fidelitate, quam obligationem ad-
70 implere præsumunt Cõcilia & Canones non tamen fundantur in præsumptione, sed disponunt quod sit talis obligatio post quinquennium, ex vi cuius obligationis nec licite potest aufugere, nec valide statum matrimonij adsumere, quia ex vi huiusmodi decreti, qui intra quinquennium non reclamat, non est sui Dominus, sed seruus religionis.

Ad tertium respondetur, quod † illud
71 non est durum sed maxime rationabile, & ad bonum commune, pacem religionum, & ad lites vitandas, & scandala auferenda, & vt personarum Regularium dominium, & possessiones, quas habet religio certæ sint & non litigiosæ, sicut non est durum, quod, quis etsi diligentissimus fuerit in inueniendo rem suam, & sic nullam negligentiam commiserit in ea acquirenda, nihilominus ipso irrito expresse, transacto tempore præfixo ad præscriptionem, rem amittat, & in alium dominium transferat, ita
72 vt

vt in foro conscientiæ Dominus antiquior, non possit recuperare; quod multo magis conuincit quum ex negligentia, aut malitia noluit, recuperare, sicut facit ille, qui cum intra quinquennium possit recuperare suam libertatem reclamando, quod si non reclamet eam amittit, & tenetur in conscientia eam non sibi assumere, sed manere in Religione, in eaque perseuerare, leges autem ibi allatæ loquuntur absolute, & vt sic loquar in sensu diuiso, non
73 præsupposita aliqua causa, & sine motiuo speciali legislatoris ob commune bonum, quale interuenit in præsentiarum, præsupponitur enim expressa professio per emissionem trium votorum solemnium & traditionem factam Religioni quæ bona fide possidet libertatem professi, à qua transacto quinquennio non vult legislator ob bonum publicum Religionis, quod spolietur Religio, quare Pater Thomas Sanchez
74 *disp.* 37. *cit. num.* 6. *in fine.* † dicit qui hanc partem tueretur nihil absurdum diceret aut probabilitate destitutum, & ego viris doctis communicaui adducta fundamenta quæ summe illis placuere & valde probabilem & securam dixere sententiam.

Neque ea quæ Pater Suarez adducit *tom* 3. *de religio. lib.* 7. *de professio. inualida cap.* 5. *per totum*, contra meam sententiam robustiora sunt his quæ hucusque diluimus, & omnino falsum est quod dicit *numer.* 5.
75 quod † hæc obligatio perseuerandi in Religione ita ardua & difficilis est, vt potestatem legis humanæ excedat, vnde fieri non potest vt virtute legis humanæ, quod religio præscriptione tanti temporis acquirat ius, & dominium in talem personam, quæ ex vi illius obligetur, vel ad ratificandam professionem, vel saltem manere in obsequium Religionis perpetuo, quod est grauissimum onus multum repugnans humanæ libertati,
76 quæ adeo naturalis est, vt sine grauissima causa tolli non potest, vnde fieri nequit, eo quod circa personam liberam propria non est præscriptio, ita vt aliquis fiat seruus, vel alieni iuris, quia semper resistit propria & libera voluntas talis personæ, & sic nullus fit seruus præscriptione, & si dum est seruus possit præscriptione à seruitute liberari. *leg.* 2. *C. de præscript.* Vnde solum in pœnam potest quis subiici alicui, vt sit seruus, at in præsenti non est tanta culpa non reclamare, intra quinquennium, vt talis, & tanta pœna, & obligatio imponatur,
77 cum enim Concilium solum dicat non *audiatur*, & ad *allegandum non admittatur*, tamen denegat actionem ad reclamandum, non vero imponit nouam obligationem in conscientia.

Sed vt dixi non sunt hæc tanti ponderis vt à vera dimoueat Concilij intelligentia, & imprimis † non est magis ardua obligatio 78
seruitij diuini, quam obligatio seruitij humani, atqui seruitutem humanẽ iustissime introducta est à iure gentium & ciuili, etiamsi præcedat culpa & contra libertatem humanam iustissime introducta est consuetudo, & præscriptio, ergo idem potuit facere Trident. ob bonum commune Religionis, & ad vitandas lites, & pacem in disciplina Ecclesiastica conseruandam, & gubernatio regularis fiat vt oportet, minor huius discursus mihi constitutissima est, cuius probationem latissimam & efficacissimam mihi obtulit † vir omnigena eruditione plenus Doctissimus D. Ioannes de So- 79
lorzano *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 1. *cap.* 3. vbi de seruis adscriptitiis, & *cap.* 4. vdi de seruitio personali Indorum, serui enim adscriptitij ita erant, obligati à non recedendo à fundis, quibus † adscripti erant de legis 80
aut magistratus alicuius auctoritate, vel triginta annorum præscriptione, vel ratione originis recedere non valerent, eorumque culturæ inseruire compellerentur, & ad nullum officium, militiam, vel ministerium, aspirare non possent. Ita habetur *leg. omnes profugi.* 8. *leg. colonos* 11. *leg. lib.* 20. *C. de Agrico. & censitis*, quas leges pluribus exornat perdoctus Doctor, id quod de colonis adfirmat Augustinus † *lib.* 10. *de Tri-* 81
nit. c. 1. & de Parabolanis, qui deputati erant publica auctoritate seruitio Hospitalium Ecclesiarum & xenodochiorum, qui tanquam adscriptitij residebant ibi & à seruitio ægrorum recedere nequibant *leg. Parabolani leg. placet C. de Episcopis & clericis.* Vnde est glossa celebris *cap.* 2. *verb. dicatur. de Iudæis.* deducit ex textu quod ex tempore seruitus acquiritur.

In hac doctrina videtur absque dubio fundari quod *supra* diximus & probauimus † de filiis impuberibus oblatis à paren- 82
tibus, Monasteriis, à quibus recedere nequibant nec alium statum in sæculo adsumere, aut ad aliam religionem transire, sed illi cui oblatus est à parentibus adscriptius erat, & sicut adscriptitij ciuiles glebæ adhærebant, immobiliter, & partes fundi dicebantur. *l. quemadmodũ l. cum satis. C. de Agrico. & censit. l.* 11. ita isti oblati ita adhærebãt Monasterio, vt ab illo in tota vita discedere quirent, sed in eo residere tenebantur, in quo iure se fundauit Pontifex dum sententiam tulit *in lite inter Cistercienses & Cluniacenses*, determinans 83
Robertum D. Bernardi nepotem, etiamsi in ordine Cisterciensi primo fuerit professus quam in Cluniacensi, quia tamen prius parentes Roberti ipsum cum fundo obtulerant Cluniacensi, illi restitui mandat, quia professio facta in Cisterciẽsi nõ potuit rescindere oblationem

oblationem factam à parentibus ordini Cluniacensi, & dum Robertus professionem fecit in Cisterciensi furtum sui fecit Cluniacensibus, & sic restitui illis fuit necessarium: argumento manifesto, *ex leg. cum satis. leg. præsenti. §. cum autem. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt.* vbi dicitur idem de adscriptitiis, & colonis, qui recedunt à gleba, cui adhærent immobiliter.

Hoc argumentum, adeo est euidens ad
84 probandum, quod † quis potest voluntate Principis & Concilij, quum id expedit bono communi Religionis, & status religiosi obligari in conscientia, vt non recedat à Religione, quod non videam quid, quod satisfaciat, responderi potest. Nam multo maiorem potestatem, & altius dominium habet Princeps in Vassallos, & Ponti-
85 fex in fideles, quam Pater in filios impuberes, qui sicut etiamsi habeant vsum rationis filij potest illos sic tradere Religioni, vt perpetuo maneant mancipati diuino seruitio, à quo nullatenus possunt recedere, nec alium statum valide adsumere, nec à Religione cui sunt oblati, aufugere, vnde Suarez *tom. 3. de Religioso. lib. 6. de professione Relig. cap. 3. num. 11.* sic fatur, *Verum*
86 *quidem est † in donatione filij, non adiungi tria vota substantialia etiam implicitè, & consequenter illam non fuisse veram professionem. Habuisse tamen nihilominus vim professionis, quoad traditionem, seu donationem, quæ per illam fit, ita vt ex vi illius acquireret Monasterium verum dominium in infantem, & infans maneret postea obligatus ex iustitia ad seruiendum Monasterio, ideoque nec posset iustè, nec permitteretur retrocedere, sicut si Pater*
87 *proprium filium vendidisset, aut donasset, vere maneret seruus, & teneretur postea seruitutem seruare. Vnde sic oblatus à Parentibus non esset quidem in rigore Religiosus quoad perfectionis statum, sed largo modo posset dici Monachus, quia est vere traditus, & in illa traditione diuino obsequio mancipatus, quod videtur confirmare illa sententia prolata à Pontifice in causa Roberti, nam fortasse ob eam rem non est permissus transire ad aliam Religionem. Verum licet hæc sententia hoc modo explicata probabilis sit, &c.*

Quæ doctrina verissima est à qua postea
88 recedit Suarez negans † fuisse in Ecclesia consuetudinem, vt qui impuberes offerebantur à parentibus perpetuo manerent diuino seruitio mancipati. In quo opponitur toti antiquitati Ecclesiasticæ, vt supra vidimus, & hoc negare manifesta est ignorantia Historiæ, aut si non est ignorantia est illius contemptus, vt suas opiniones tueantur. Vnde Petrus Cardinalis Damianus *opusculo 16. Quæ est inuectio in Episcopum Monachos ad sæculum reuocantem, cap. 5.* postquam plura Conciliorum Decreta, quæ nos attulimus ad id probandum attulit, di-
cit: † *Nam de tam perspicuis Sanctorum Pa-* 89
trum dictis ambigere quid est aliud quam micantium astrorum globis oppositum apertis oculis nihil videre. Et quidem quod oblati à parentibus perpetuo deberent habitu religioso in Religione permanere. De his enim
† Concilium Vuormacense *can. 22. Igitur* 90
non liceat eis susceptum habitum vnquam deserere, sed conuicti quod aliquando tonsuram, aut religiosam vestem habuerint in Religionis cultu habituque velint nolint permanere cogantur: & D. Isidorus citatus ab Smaragdo *in Regulam Sanctam*, & à Gratiano, *cap. quicumque 20. quæst. 1. Quicumque* (ait) *à parentibus in Monasterio fuerit deligatus, noueritse ibi perpetuo permansurum*, & probat exemplo Samuelis qui ablactatus, oblatus Domino perpetuo in templo permansit. Isidorum sequutum est Concilium Tiburicense, *cap. 6.* legendi sunt Doctissimi, & valde eruditi viri Illustrissimus Anton. Perez *in cap. 59. Regulæ Sanctæ.* & Dominus Benedictus Haeftenio *lib. 8. disq. Monastic. tract. 5. disquis. 5.* quare † sola parentum vo- 91
luntate qua filios suos impuberes offerebant, ipsa formalis oblatio ex Ecclesiæ approbatione erat virtualis solemnis professio Religionis, sicut qui baptizatur ex voluntate Ecclesiæ, qua vult baptizari, votum solemne emittit seruandi legem Christianam, ea autem quæ adducit in contrariũ facillimo negotio diluit Benedictus, *vbi suprà.* Legatur, nam testimonium quod adducit ex Marcello, 1. apocryphum, quia non ponitur in Decreto, sed est palea.

Ex quibus nullo negotio euanescunt ea quæ supra adducebamus ex eodem Suarez falsum enim est, quod † virtute legis Eccle- 92
siasticæ non possit, quis obligari, quod Religio præscribat ius in personam, quæ professione expressa se diuino cultui dicauit. Vtique potest vt de seruitute adscriptitia dicebamus, præualet enim voluntas Ecclesiæ resistentiæ particulari, quia ista attendit bonum proprium, illa bonum vniuersale Ecclesiæ, statum religiosum cuius cura tuetur, & vtilitatem regularis disciplinæ, vnde iure statuit, quod, qui in libertate positus ad reclamandũ intra quinquennium non reclamat, illo transacto teneatur in conscientia in Religione persistere, ita vt in conscientia reclamare non possit. Iudicans Concilium 93
sufficientem voluntatem esse ad confirmãdam professionem, quod cum posset reclamare non reclamauit, quia consensus, etsi coactus, etsi per metum elicitus verus consensus est, & semper perseuerat virtualiter, quare ablata violentia, & metu ratione cuius reddebatur professio irrita, si

si non reclamat intra quinquennium, vult Concilium, & disponit, quod ex vi illius professio confirmatur, non secus ac voluntas virtualis filij oblati, ex voluntate Parentum sufficiens erat, ad professionem, vt manifestè monstratum est.

94 Quod autem † vita Religiosa, & perfectionis schola aspera sit, & difficilis, quare valde crudele videtur ad illam habendam, & profitendam cogere, nisi valde voluntarie, & spontanee debet amplecti fateor id esse verum in sensu diuiso, & seclusa omni
95 exteriori obligatione, sicut matrimonium carnale adeo liberum est, vt secundum se ad illud nemo potest cogi, at supposita aliqua obligatione, quis iustè cogitur à iudice competente ad matrimonium contrahendum, nam libertate qua se iniecit in priorem obligationem, libertas ipsa periit, & sic cogi potest ad consentiendum, ita vt ex iustitia teneatur consentire, vt de illo qui fide contraxit matrimoniũ, cogitur in vtro-
96 que foro vere consentire, vt tenet † D. Th. *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad 1. & infr. notat. 8.* amplius edisseram, cumque lex iustissima Trident. disponat quod qui liber ad reclamandum existens non reclamat voluntariè intra quinquennium non audiatur nec ad allegandum causam nullitatis admittatur, sed cogatur in Religione manere & profiteri, hoc est ratificare suam professionem, eo ipso, quod liberè non reclamauit omittens allegare coram iudicibus designatis causas nullitatis, hac ipsa omissione voluntaria libertatem ad dimittendam religionem amisit, & sic iuste
97 cogitur à Tridentino, vt in conscientia & ex iustitia teneatur ratificare ob grauissima incõuenientia, quæ in gubernio regulari possunt sequi, si iste talis non sit professus, & tamen vt professus habeatur, & ipse in omnibus actibus professorum se ingerat, in electionibus, tam actiuè, quam passiuè in admissione ad religionem, in contractibus cõmunitatis, in Prælaturis ad quas potest eligi, in licentia administrandi sacramenta, quæ omnia etsi valida sint per *leg. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*, tamen Concilium non iudicat sanum & rectum quod in rebus
98 tanti ponderis, & quæ iura Canonica; quæ principaliter respiciunt bonum spirituale, magna ex parte euertunt, reguletur disciplina regularis iis iuris ciuilis fictionibus, imo potius conuenientius est, & in vita regulari necessarium, quod veritas attendatur, quare Decretum Concilij dispositiuum est, & non solum fundatum in præsumptione: etsi enim inducat necessitatem aliquã, sed non absolutam & simpliciter, sed ex præsupposito aliquo, & hæc necessitas potest induci, imo vt ait Aug. *epist. 45. ad Armentarium, & Paulinam. Felix est necessitas, quæ ad meliora transmittit.*

Quam doctrinam adeo veram existimauit Petrus Cardinalis Damianus quod in præfato opusculo *16. cap. 9.* sic concludat opusculum, † *Sed quoniam ex quadra-* 99
tis argumentationum nostrarum lapidibus inexpugnabile munimem ereximus, constans est, vt hoc in ipsius calce opusculi quadam syllogismi claui firmiter obseremus. Omnes namque qui Monasticæ professionis habitum susceperunt, aut spontaneo iudicio sunt conuersi, aut 100
vi coacti, aut suasoria calliditate decepti, qui autem sponte conuersi sunt, vel sub probatione ad monasterium veniunt vel postposita probationis difficultate prorumpunt, sed iam superius posita multiplici canonum authoritate firmatum est, vt quicunque aut sponte conuersi sunt aut coacti, aut etiam decepti, siue probati sint, siue non probati, excepto si vxoris consensum & promissionem non habuerunt omnes perseuerare in eo quem acceperunt Monachico ordine omnimodis compellantur, concludatur ergo necesse est, vt omnes qui Monachicæ professionis habitum susceperunt exceptis his qui absque vxoria permissione, & promissione conuersi sunt, quocunque alio modo ad hoc propositum venerint in eo quem ceperunt ordine compellendi sunt omni modo permanere. Hæc ibi Eminentissimus Cardinalis; qui vt ex discursu totius opusculi (vt discurrenti patebit) loquitur non solum in foro externo, sed in foro interno & conscientiæ, id enim constat *ex cap. 6. in fine.* iuncto capitibus anterioribus.

Verum est quod huic Doctrinæ Triden- 101
tinum limitationes adnexit, quia † Concilium annum integrum probationis requirit *sess. 25. de Regular. cap. 15.* vbi & ætatem decernit, quod sit annus 16. expletus, quæ non requirit Damianus; rursus vt illi qui coacti sunt vi, metu, aut deceptione, vel ante annum 16. expletum sunt professi quinquennium assignat *cap. 19.* vt causas nullitatis professionis suæ allegent, in qua purificetur consensus requisitus ad profitẽdum † quo quinquennio transacto, nec vis, 102
nec deceptio, nec metus cadens in constantem virum, defectusve ætatis consensum inficiunt, sed præcipit quod maneat in religione adstrictus in conscientia à qua sine peccato iniustitiæ recedere nequit, & huius intentum Concilij est quod tanto ante tempore probauit Damianus.

Minus obstat id quod dicit Suarez, quod
† professio religiosa est de consilio dumta- 103
xat, & sic nunquam potest ab Ecclesia præcipi, hoc autem omnino falsum est absolute prolatum, quia ieiunium est opus supererogatio

erogationis & consilij; vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. *ad* 1. & tamen conueniens fuit, quod Ecclesia præciperet ieiunium. Similiter *quæst.* 124. *artic.* 3. *ad* 1. dicit quod licet martyrium sit opus supererogationis, & consilij, tamen aliquando est sub præcepto, cuius rationem dat ex Aug. *lib. de adulter.*
104 *coniug. cap.* 13. asserente, *quod* † *nullus actus perfectionis cadens sub consilio est, qui in aliquo euẽtu nõ cadat sub præcepto, quasi de necessitate salutis*, & sic contingit in præsenti decreto, ratione cuius id quod ante erat de consilio transacto quinquennio, fit de præcepto, & obligat sub mortali, quod præceptum imponere conueniens fuit bono communi, &
105 statui religioso; vnde † Concilium hoc decreto statuit, quod, & si quis, vi, aut metu coactus professionem emiserit, etiam si metus, aut vis cessauerit, paulo post emissam professionem, nihilominus habeat quinquennium in quo non obligetur ad reclamandum statim, sed intra ipsum quinquennium intra quod non obligat præceptum; quod tempus præfixit ad deliberan-
106 dum an expediat sibi reclamare, ast † transacto quinquennio iam est ligatus præcepto perseuerandi in religione, & eo transacto ex vi huius decreti & præcepti ratificata est manetque verus religiosus, & solemniter professus, à quo statu, nec Pontifex potest ipsum liberare iuxta veriorem S. D. sententiam, nec ipse religiosus in conscientia potest reclamare.

Tota mea sententia quod Concilium, in hoc decreto disponat, & nõ solum præsumat probatur hoc manifesto discursu, quia
107 † Concilium potest sic præcipere quod transacto quinquennio, quis teneatur professionem emittere, & sic ob impedimentum intrinsecum non possit reclamare, quia tenetur in conscientia profiteri, ergo cum ita conueniat sic disposuit, antecedens manifeste probatur, quia professio est contractus inter eum, qui profitetur, & religionem, vl-tro citroque obligans, vnde ex parte vtriusque contrahentis æqualis libertas exigitur
108 taliter, quod si religio coacta, aut vi & metu impulsa contrahat, nulla est professio atqui Concilium, & Sedes Apostolica potest cogere religionem præcepto suo vt illum quem alias constat, nulliter professionem emisisse, si vult iterum denuo profiteri teneatur, in conscientia ipsum admittere, ergo potest maiori titulo ob bonum commune religiosi status præcipere, quod transacto quinquennio ille qui nulliter pro-
109 fessus est, professionem ex corde emittat antecedens constat ex Bulla Vrbana *edita anno* 1531. *die* 2. *Aprilis*, incipit. *Religiosos viros*, vbi mandat Superioribus vt ad nouam professionem admittant illi qui nulliter sunt professi, ex eo, quod annum nouitiatus non peregerunt in designatis domibus, & notat egregie Laurentius de Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. cap.* 12. §. *noto.* 1. *in paruis. pag.* 320.

SVBRESOLVT. V.

Quando incipiat hoc quinquennium?

SVMMARIVM.

1. *Quod quinquennium incipiat à die qua quis liber existit à coactione & metu, vt possit liber proclamare & allegare causas probantes nullitatem suæ professionis?*
2. *An cum tempus est præfixum in odium negligentiæ nõ currat ignoranti & impedito?*
3. *Quod quinquennium numeretur à die professionis tantum? ex Conc. & n.* 4.
5. *Authoris indicium, necnon multorum aliorum, & num.* 6. *&* 22.
7. *An professio sit nulla cum metus grauis influit in illam, & sic de eius ratificatione.*
8. *Bellarmini sensus adducitur, & num.* 9.
10. *An licet professio expresse ratificetur à religioso ignorante nullitatem prioris professionis non validetur.*
11. *S. Doctoris ratio affertur.*
12. *An si toto quinquennio duret ignorantia nullitatis, vis, metus aut coactio, iure ipso diuino, & natura non ratificetur professio.*
13. *Quæ ratificatio à radice infecta dimanare dicatur.*
14. *An transacto quinquennio à die professionis in iudicio externo præsumatur quod quis non ignoret nullitatem.*
15. *Variorum DD. opiniones afferuntur.*
16. *Quod decretum sit latum in fauorem status religiosi.*
17. *Quid contra Suarez veniat aduertendum, & num.* 18. *&* 19.
20. *Concilij mens adducitur.*
21. *Quod quinquennium debeat computari de momento in momentum.*
23. *Professio tacita fundatur in præsumptione, ex Rota.*
24. *An donatio sui ipsius quæ fit in professione tacita fundetur in præsumptione, & numero* 25.
26. *D. Caietani sententia affertur, & n.* 27.
28. *Quod quinquennium non debeat numerari à die in qua quis sciuit professionem suam esse nullam? & n.* 29. 30. *&* 31.
32. *Quæ doctrina Rotæ, Declarationes Cardinalium. & Decretum Vrbani intelligantur in foro externo & fori, non in interno, & poli.*
33. *Aliud est approbare seu ratificare, & aliud credere esse validum, ex Caiet. & n.* 34.

35. *An*

35. *An in foro conscientiæ non ratificetur votum pro supposita ignorantia nullitatis, & num.* 36.
37. *Nihil magis contrarium consensui quam error, & num.* 38.
39. *An quod nullum est ab initio, ratificari non possit perseuerante ignorantia nullitatis.*
40. *Difficultatis duplex ratio adfertur.*
41. *Pontifex concedit Commissario Bullæ Cruciatæ quod possit dispensare cum iis qui ignoranter in gradu prohibito contraxere.*
42. *Decreta Congregat. & Vrbani VIII. solum vim habent in foro externo.*
43. *Duplex professio tacita admittitur.*
44. *Quæ professio tacita semper fundetur in præsumptione.*
45. *An transacto quinquennio in quo quis potest liberè reclamare teneatur in conscientia ad perseuerandum in religione & tacitè profiteri, & n.* 46.
47. *An voluntas coacta sit voluntas.*
48. *Thomæ Sanchez sensus, & n.* 49.
50. *Ratio difficultatis enodatur, & n.* 51. *&* 52.

1 NOto quintum, circa huiusmodi Trident. decretum, quod incipit hoc quinquennium à die qua quis liber existit à coactione, & metu vt possit libere proclamare & allegare causas probantes nullitatem suæ professionis; contrarium sentit Pater Thom. Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 37. *à n.* 19. qui mordicus tenet quod hoc quinquennium incipit à die professionis, à qua transacto quinquennio, non potest professus iure ordinario reclamare de nullitate; potest tamen remedio extraordinario restitutionis in integrum; quam concedit summus Pontifex quod satis neruose probat; & consequenter ad doctrinam quod quinquennium incipit à die professionis; sitque con-
2 tinuum, quod probat primò; quia † quum tempus est præfixum in odium negligentiæ, non currit ignoranti, & impedito; at secus est quum non præfigitur in odium negligentiæ, sed in fauorem alterius; vt multi, quos ibi citat docent, inter quos sunt Couar. *cap.* 3. *de testam. n.* 4. Gutierr. *lib.* 2. *pract. quæst.* 91. *n.* 4. Sylvest. *verb. Beneficium.* 2. *n.* 6. *quæst.* 7. at Concilij, nec verbum ponit quo insinuetur, quod decretum fertur in odium negligentiæ professi, sed solum in fauorem
3 religiosi status; ergo: Secundò, quia † Concilium expressè dicit, quod hoc quinquennium numeretur *à die professionis tantum*, vbi particula *tantum*, valde est ponderanda, cum sit exclusiua, ita affirmans id quod ponit, quod excludat omnes alios casus præter expressum *leg. ob as. Cod. de prædiis minor. cap. cum Ecclesia Sutrina. de causa possessionis*: vnde cum non fuerit necessaria ea particula, dum eam ponit Trid. est cum mysterio, & est quasi repetitio, & maior declaratio eiusdem; vnde quinquennium numerandum 4
est à die professionis, proceditque contra ignorantem, & impeditum quocumque impedimento facti, alias non obuiaretur litibus, nec tranquillitas religionis obtineretur, quod fuit motiuum in edendo decreto.

Sed quod dixi † certius est, & longè pro- 5
babilius quod quinquennium debet incipi numerari ab illa die in qua quis liber est, vt possit reclamare, etsi transacto hoc quinquennio non reclamat incipit obligatio ad ratificandam professionem, ita vt inconuenientia non possit retrocedere, sed tenetur ex iustitia professionem ratificare. Ita tenent Rota *apud Buratum decis.* 205. *numer.* 3. *apud Farinac. tom.* 2. *decis.* 705. coram Vualdo *in vna Toletanæ professio.* 25. *Maij* 1615. *n.* 4. *vbi egregiam dat rationem:* quia metus ab initio illatus influit in omnes actus subsequentes, & remouet consensum ab actu; vt *decis.* 1166. *coram Seraphino in vna Neapolit. professio.* Nauarr. *cons.* 6. *n.* 2. de iis quæ metu, &c. Rebuff. *cons.* 68. *num.* 22. Hæc ibi. Cum 6
enim iuxta sententiam Sanchez, Concilium concedat quinquennium, ad reclamandum & prohibet eo transacto reclamare, quia præsumit quod ratificatam professionem, aut, vt ego existimo, quia præcipit eam ratificari cum fuerit regulari quinquennium ad liberè proclamandum, & sic in pœnam liberæ omissionis in ratam, & quæ bono communi, & paci Religionis conuenit non differri, præcipit, quod intra Religionem maneat, atqui durante metu, coactione, aut ignorantia facti, non habet locum talis præsumptio; quia sicut † professio est nulla; 7
quum metus grauis, aut coactio influit in illam, ita ratificatio nulla est, quia ex eodem metu dimanat, cum metus, vt ait Rota *ab initio illatus influit in omnes actus subsequentes*, & sic etiam omissio reclamationis ob eandem rationem voluntaria, & libera non est, & sic eam non respicit Concilium suo Decreto: quare nostram sententiam docent Zerola *in praxi, part.* 1. *verb. Professio*, §. 1. Flaminius *de resignat. lib.* 13. *quæstion.* 5. *num.* 45. Spino. *in speculo testament. gloss.* 12. *num.* 62. Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 10. Beja. *part.* 4. *casu* 14. Vterque Rodriguez Antiquior. *tom.* 3. *quæst.* 16. *artic.* 16. Iunior. *resolut.* 101. *num.* 68. Villabobos 2. *part. summ. tract.* 35. *diff.* 25. *num.* 8. Portel. *verb. Professio. n.* 2. optime Pasqualig. *tom.* 1. *variar. dec.* 432. Bellarm. *ad cap.* 19. *Trid. in obseruatio doctrinæ verb. à die professionis*: † qui sic fatur; *in-* 8
telligatur currere tempus istud à die cessantis metus, & ita censuit declarandum esse hunc Canonẽ sacra Congregatio. Sed iterum in Congregatione proposito dubio, an, Monialis per

vim & metum ingressa quæ infra tempus quinquennij non reclamauit, possit hodie post quinquennium audiri, ex quo vsque hodie causa, vis, metusve, qua cessante reclamat, & post multa ad vtramque partem maior pars Illustrissimorum declarauit, ex hoc textu neminem post quinquennium esse audiendum ne detur
9 *causa scandali, verum in casu proposito, & in aliis particularibus consulendum esse S. D. N. qui pro sua prudentia occurrentibus necessitatibus prouidebit, sub die 21. August. ann. 1572.* Rota autem *in vna Neapolit. pro Monialibus de Lofredo, coram Orano*, contrarium docuit. Hæc Bellarm. quod vltimum Congreg. decretum quomodo sit intelligendum post authorum citationem subiiciam.

Idem quod Rota Romana quæ nobis fundamentum præbuit huius resolutionis te-
10 nent omnes illi, qui adfirmant, quod † licet professio expressè ratificetur à religioso ignorante nullitatem prioris professionis, nõ validatur etiam per plures actus exercitos quos exercent viri professi, quod eleganter dicit Glossa *de eo qui duxit in matr. verb. inscia.* ibi, *in primo consensu videtur perdurare, & non alium approbare*, quam sequuntur ibi fere omnes Canonistæ, cuius egregiam ra-
11 tionem dat † subtilis Doctor *in 4. dist. 35. q. vnic. §. respõdeo*, quia non consentit nouo cõsensu, sed tantum agit in virtute prioris consensus, quæ ratio demonstratiua est, quam tradit etiam D. Caiet. *2. 2. quæst. 189. artic. 5. versic. & ideo.* idem docent multi quos larga manu refert Salgado *de supplicat. ad Sanctissimum, part. 1. cap. 3. §. vnico, à num. 28.* ergo si toto quinquennio imo multis post annis durat ignorantia nullitatis, vis, metus, aut
12 coactio iure ipso naturæ, & diuino non ratificatur professio, nec est nouus consensus (qui nequit esse ex natura rei sine noua cognitione qua proponatur obiectum cum omni industria, vt liber sit consensus,) sed tantum agit in virtute prioris cõsensus absque culpa, & commissione voluntaria ratificationis. Quare etsi ordinibus sacris initietur, & Superior eligatur, aut ipse eligat, semper huiusmodi actus dimanant à metu, vel ignorantia ab initio existente, & sic nul-
13 latenus ratificant vere & libere: quia † hæc ratificatio à radice infecta dimanat. Quare si hoc constat iudici non indiget Regularis restitutione in integrum, & remedio extraordinario, sed iuris ordinarium remedium illi debet concedere, & ipsum allegantem causas nullitatis audire.

14 Cæterum, quia † transacto quinquennio à die professionis in iudicio externo præsumitur, quod quis non ignoret nullitatem, vel excluso metu, aut violentia nõ ratificarit professionem libere, maxime si non fecit protestationem violentiæ illatæ (quæ est quædam reclamatio, vt dicebat Rota *decis. illa apud Farinac. 705.*) ideo, vt ait decretum Congregat. supra allatum dicit consulendum esse S. D. N. qui prudentia sua prouidebit, & in integrum restituet, vt possit audiri, & sic ad maiorem securitatem fori externi. Vnde vt bene notant † Portel. 15
in dubiis regular. verb. profess. null. reclamatio, num. 44. §. circa quod. Hieronym. Rodriguez *vbi suprà, num. 71.* Barbos. *in Collect. ad c. 19. Trident. sess. cit. num. 10. & 11.* in praxi absoluatur, vt transacto quinquennio impetretur rescriptum à Papa sine quo neque Superior, nec Episcopus potest audire reclamationem, & sententia lata nulla censebitur, nisi alias ex protestationibus constat, semper durasse causam nullitatis, quod valde considerandum est, nam tunc, non requiritur rescriptum Apostolicum.

Neque fundamenta opposita aliud probant: Ad primum respondetur, quod licet verum sit, quod † hoc decretum sit latum 16
in fauorem status religiosi, tamen intelligitur, quod sit potens ad exercendas suas vires, quum potest præsumi ratificata professio, at non potest præsumi ratificata, quum toto quinquennio probatur impedimentum ex quo dimanauit nullitas professionis, perseuerare, quia ipso stante non præsumitur non consensus, sed agitur in virtute prioris, vt dicebant Glossa, & Doctor subtilis.

Vnum † obiter aduerto contra Sanchez 17
qui ex eo dicit quod Decretum Tridentini non est dispositiuum, sed solum fundatur in præsumptione, quia ibi solum denegatur actio, quia solum dicitur ibi, *non audiatur, neque ad allegandum quamcunque causam admittatur*: vnde in foro conscientiæ remanet ius religioso ad suam libertatem recuperandam, hoc inquam falsum est: quia quã ob bonum publicum, & ad vitandas lites, 18
& quam reipub. conseruandam denegatur actio non remanet ius in illo, qui ob hos fines denegatur actio etiam illi concedi debeat restitutio in integrum ex causa iustæ, & probabilis ignorantiæ, id constat in præscriptione decennaria, aut vigenaria, imo & quadragenaria in quibus, etsi solum leges ciuiles denegent actionem rem propriam repetendi, vt constat *ex leg. final. C. de fundis patrimonialibus, lib. 11.* & *l. omnes. 4. C. de præscript. Trig. aut Quadrag.* & DD. *ad Rubricam de Vsucapionibus, lib. 41. ff. tit. 3.* & 19
tamen in conscientia obligat ius de præscriptione, ergo quamuis Tridentinum solum deneget actionem in iudicio externo transacto quinquennio eius, tamen Decretum obligat in conscientia.

Ad secundum respondetur, quod † Con- 20
cilium loquitur à die professionis, præsumpti

præ iuris & à iure, quæ non est, quum durat metus, vis, coactio, ignorantia, & quidem non video quomodo magis præcludatur, ostium litibus & inquietudini reguläri si quinquennium currit ignoranti & impedito à die ipsa professionis, quam si non ab illo numeretur vt nos dicimus, si vt dicit Sanchez debeat concedi ei restitutio in integrum, hac enim concessa cædem regiminis Regularis oriuntur inquietudines, pullulant lites, imo multiplicantur. Vnum aduerto cum Bonacina *disp. de clausur. quæst. 2.*
21 *punct. 10. num. 2.* quod † quinquennium hoc debet computari *de momento in momentum*, sicut annus decimus sextus professionis quæ doctrina verum tenet tam in mea sententia, quam in contraria, quod quinquennium incipit à die professionis etiam impedito & ignoranti.

22 Noto etiam † singularem doctrinam Rotæ apud Farin. *tom. 2. decis. 579. coram Vualdo anno 1614. die 18. Aprilis in vna Mitens. Profess. num. 5.* ex sententia Abbatis *cap. Prælatum num. 14. de his quæ vi met. caus. Fiunt post Innocentium, quod licet ad infirmandam expressam professionẽ, non sufficiat motus reuerentialis, sed debet esse talis, qui cadat in constantẽ virum, tamen secus est ad elidendam præsumptionem professionis ex gestatione habitus, cum vna præsumptio aliam tollat leg. Diuus. D. de in integr. restit. cap. ex litteris. de præsump. & notatur cap. transmissa qui filij sint legit.* Hæc Rota, ex qua doctrina sequitur, quod quinquennium determinatum à Concilio, etsi istud non derogauerit professioni taciturnæ, tamen non intelligitur quod sit præceptum quod transacto quinquennio ille qui tacite est professus in conscientia possit reclamare & aufugere, si reipsa non consensit: ratio
23 est, quia vt ait Rota † professio tacita fundatur in præsumptione, vt expresse habetur *cap. 1. versic. si vero. de Regular. in 6.* ibi. *Si per annum habitum gestauerit, ex tunc religionem assumptam præsumitur veraciter esse professus*, quæ præsumptio etsi sit iuris, & à iure *clement. fin. de Regular.* Cæterum euanes-
24 cit ex veritate constante, & † donatio sui ipsius quæ fit in professione tacita etiam fundatur in præsumptione, quare si ista euanescit prorsus corruit ædificium professionis solemnis taciturnæ, nec Concilium præcipit quod post quinquennium tacite professus non audiatur aut quod professionem emittat, sicut vult in professione expressa,
25 in qua verbis expressis fecit donationem sui monasterio, quam donationem si existens liber per quinquennium non reclamat, aut aufugit, qui professus est vult Concilium, quod ratam habeat & validam, iuste ipsum cogens, & sic consentiendum sicut præcipit & obligat in conscientia, quod ille, qui fictè expresse tamen promisit, si acceptata est promissio, quod qui promisit adimpleat promissum vt egregie dicebat † D. Caiet. 26
2. 2. quæst. 88. art. 1. §. ad huius euidentiam. versic. constat, quod si quis promisit alicui coram testibus vtile aliquid, quod siue habuerit animum promittendi siue non cogitur à iudice humano obseruare. Igitur qui profitetur ministris Ecclesiæ aut vouet coram aliis si habuerit animum siue non cogendus est implere quod dixit, alias nullus posset cogi ad seruandum promissa, quia semper ignoramus animum profitentis. Hæc 27
ibi, quod autem facere potest iudex cogens quod quis impleat quod exterius expresse promisit, & tenetur in conscientia obedire sententiæ, vt est indubitatum apud omnes id fecit Tridentinum in præfato decreto cogens & obligans in conscientia, quod transacto quinquennio in quo quis non reclamauit teneatur obseruare promissum Deo & religioni.

Aduerto etiam id quod valde est notandum pro vtroque foro, quod adnotauit Rota *in vna Meten. professio. 2. Iunij 1636. coram Camillo*, quod † quinquennium hoc non 28
debet numerari à die in qua quis sciuit professionem suam esse nullam, sic enim fantur DD. in præfata *decis. num. 11. nec obstat quod ad ratificandam professionem requiratur, quod quis sciuerit nullitatem professionis, aliter vero ex permanentia in monasterio non censetur inducta ratificatio professionis. Caiet. 2. 2. q. 189. arc. 5. versic. & ideo si aliquis. Nauarrus cons. 28. num. 7. & cons. 89. num. 3. de Regul. & in Manuali cap. 12. num. 71. & in puncto de Mo-* 29
niali in ciuitate Metensi, quod non censeatur ratificare professionem siue scientia dictæ nullitatis Rota decis. 179. num. 7. & decis. 397. num. 5. p. 4. Recentiorum, quia prædictam doctrinam vti non tutam Sacra Congregatio Cardinalium non amplectitur, sed potius contrarium pluries declarauit, veluti die 13. Ianuarij 1583. & die 20. Augusti 1621. in vna Roman. professionis. 30
Quæ opinio Sacræ Congreg. nititur authoritate text. in cap. 1. de Regular. in 6. in quo non obstante nullitate professionis præcedentis disponitur induci tacitam professionem absque eo quod requirat aliquam scientiam dictæ nullitatis, & confirmatur sumpto argumento ex matrimonio carnali in quo ignorantia impedimenti illud dirimentis non inualidat ipsum matrimonium si sequatur actus & inducatur præsumptio matrimonij, vt post Anchar. Sotum & alios tenet Thomas Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 27. num. 2. vers. 5. & num. 9.

Et infert num. 16. Quibus accedit Decretum Concilij Trid. sess. 25. de Regular. cap. 19. in 31
quo prohibetur agere de nullitate professionis post quinquennium computandum in expressa professione à die quo quis illam emittit, &c. quam doctrinam SS. D. N. Vrbanus VIII. confirmauit

nouissimè ad effrænandam facilitatem conuolandi ad sæculum, dum decreuit sub die 18. Decembr. 1635. declarando decreta S.M. Clement. VIII. vt Regulares contra eorumdem formam professi allegantes propterea nullitatem professionis, non possint post lapsum quinquennium à die professionis audiri, &c.

32 Verum enim vero † hanc doctrinam Rotæ & declarationes Cardinalium ac decretum Vrbanum intelligo in foro externo & fori, non interno & poli, nam si quis habet ignorantiam inuincibilem nullitatis, siue matrimonij carnalis, siue spiritualis contracti in professione, per quinquaginta annos nõ ratificat matrimonium, aut professionem in foro conscientiæ, quum hæc nullitatis ignorantia non præsumatur, & hoc est, quod
33 dicit D. Caiet. *loco citato* ibi, *& scito quod † aliud est approbare, seu ratificare, & aliud est credere esse validum, & propterea habere intentionem adimplendi, nam approbare & ratificare ad actum spectat voluntatis, quæ quis vult nunc, quod olim voluit, credere autem esse validum spectat ad intellectum. Intendere autem exequi, quia præsumitur validum licet spectet ad voluntatem nihil tamen facit ad ipsum votum, sed solum ad executionem voti quam respicit: & ideo si aliquis ante pubertatem simplici voto vouit, & postea in legitima & libera ætate considerans suum votum absolute illud esse validum intendens millies illud adimplere non propterea coram Deo illud ratificauit, aut approbauit, quamuis, vt ante dixerat de*
34 *voto solemni professionis facto ante pubertatem, quod si non irritetur à parentibus, quum puer est legitimæ ætatis non potest amplius irritari, quia præsumitur ratificatum in ætate legitima non reclamando, sed perseuerando in Religione, Ecclesia enim ad quam spectat iudicium de voto solemni rationabiliter sic præsumit*, quibus verbis totam intelligentiam
35 comprehendit, & quod † in foro conscientiæ non ratificatur votum pro supposita ignorantia inuincibilis nullitatis, & quod in voto solemni, cuius iudicium ad Ecclesiam pertinet hæc præsumit præsumptione iuris & à iure, quod adfuit talis ignorantia, & sic in foro externo cogit in Religione perseuerare.

36 Et quidem, quod durante errore & ignorantia inuincibili nullitatis prioris professionis in quam consensit quis ignorans causas nullitatis, illius numquam in foro conscientiæ etiãsi millies ratificet, verè ratificare, & approbare mihi indubium est, ex doctrina certa quam tradunt DD. dum disputant de ratificatione matrimonij carnalis nullius, quod coniux ignorans nullitatem nunquam ratificat, aut cõfirmat, quod latè probat tanquam multo probabilius Thomas Sanchez multis citatis ex Canonistis Theologis, & Summistis idem sentientibus *lib. 2. de Matr. disp. 36. num. 3. & 4.* Probatur manifestè, quia
† nihil magis contrarium consensui, quam 37
error, *leg. si per errorem, ff. de Iurisdict. omn. iudic. leg. nihil consensui, ff. de regul. iur.* cuius iuris ratio perspicua est, quia nihil volitum, quin præcognitum, vnde nisi præcedat cognitio obiecti in quod consentitur, consensus nullus est, ergo si quis ignorantia inuincibili ductus nullitatis huius, ratificet & cõfirmet in incognitum fertur, & sic erga illud consentire nequit ratificans, & confirmans, quod ab initio fuit nullum: ignorans enim nullitatem matrimonij, aut professionis dum eam ratificat & confirmat, siue tacite per facta, siue expresse per verba, non
intendit denuo matrimonium inire, aut pro- 38
fiteri, sed supponens ex ignorantia nullitatis illud esse validum ipsum ratificat & confirmat, & sic semper apud Deum non ratificatur, aut confirmatur votum, quia actus non operantur vltra agentium intentionem, *leg. non omnes, ff. si certum petatur.* Vnde in iure
indubitatum est, quod † quod nullum est ab 39
initio ratificari non potest, perseuerante ignorantia nullitatis, *cap. ad dissoluendum de desponsati. impub.* Glossa *ibi, verb. accusari.* Hostiens. *cap. dilectus vers. contrario. de sponsal.* & ibi multi Canonistæ.

Huius veritatis † duplex ratio est, prima 40
assignatur à Glossa *cap. 1. de eo qui duxit vers. inscia.* quia in primo consensu qui nullus fuit videtur perdurare & non alium approbare, secunda traditur ab Scoto *in 4. dist. 35. quæst. vnica §. respondeo.* si impedimentum non exprimatur personæ insciæ; ipsa in copula carnali sequenti non consentit nouo consensu, qui nullus fuit, & illum videtur approbare etenim ignorantia antecedens omnino tollit voluntarium, quare illa perseuerante, voluntarius consensus non subsistit. Vnde † Pontifex concedit Commissa- 41
rio Bullæ Cruciatæ, vt possit dispensare cum iis, qui ignoranter in gradu prohibito contraxere, *Prius tamen* (ait Papa) *altero impedimentum ignorante de nullitate prioris consensus certificato*, ergo euidens est, quod ignorantia nullitatis, siue matrimonij, siue professionis solemnis ipsam nequit in foro conscientiæ ratificare, & confirmare. Vnde † 42
decreta Congregat. & Vrbani VIII. solum vim habent, in foro externo in quo præcipiunt, quod exceptio ignorantiæ nullitatis non admittatur transacto quinquennio numerando à die professionis. Legatur Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 4. n. 6.*

Vt autem omnia hactenus dicta rectius concipiantur, notandum est, † duplicem 43
esse professionem tacitam, vnam quæ est post professionem nullam expresse emissam, alteram, quæ non sequitur professionem

nem expressam, sed inducitur ex eo, quod transacto anno nouitiatus, quis facit actus proprios professorum, & in hac tacita professione quinquennium numeratur, à die qua quis actus professorum incepit exercere, inter quas duas tacitas professiones est latum discrimen valde notandum, nam
44 † hæc secũda tacita professio semper fundatur in præsumptione & quodcũque tempus transeat, à die in quo incepit exercere actus professorum probabile est, vt ait Rota, potest reclamare & probare nullitatem talis tacitæ professionis & admitti debet exceptio metus, aut coactionis, etiam transacto quinquennio à die in qua exercuit actus professorum numerando, de his enim non videtur loqui Trident. vt suprà dicebam *Trident. sess. 25. de Regular. cap. 19.* sed tantum de professione expressa & de tacita ad illam secuta ex vi dispositionis nouæ, quam
45 inducit, quod † transacto quinquennio in quo quis potest libere reclamare, teneatur in conscientia ad perseuerandum in Religione, & tacite profiteri ex vi professionis expressæ, quam emisit cuius virtus semper perseuerat, etsi impedita ad exercendas vires suæ obligationis ratione coactionis, aut metus, quo impedimento ablato, si intra
46 quinquennium non reclametur vires suas exerit professio illa & sua obligatione adstringit, ratione donationis expressæ quam profitens fecit Religioni, quam declarat Concilium obligare in conscientia, transacto hoc quinquennio, nam si non reclamat probans donationem esse nullam: ipsemet huic pœnæ se subiecit, *leg. Imperatores ff. de iure fisci & leg. 15. tit. 13. par. 2.* & qui vult antece-
37 dens vult necessario consequens, *leg. illud ff. de acquirend. hæred.* voluntas enim † coacta volũtas est, *c. merito. 15. q. 1.* vnde ablata coactione quæ libertatem impediebat, eadẽ voluntas quæ antea fuit coacta libera euadet, & quæ ratione coactionis non obligabat iam obligat libertate acquisita, ad quod præfigit Trident. quinquennium à die ablati impedimenti, quod transacto obligat professio expressa in conscientia, non quia requiratur expressa voluntas denuo profitendi, sed sufficit virtualis, quæ manet ex vi prioris voluntatis, etsi coactæ, quæ influit ablata coactione, eo ipso quod per quinquennium non vult cum possit reclamare;
48 iuxta doctrinam † Thomæ Sanchez *vbi suprà n. 12. vers. ad 5.* vbi agit de illo qui ignoranter de nullitate matrimonium contraxit; illud ratificat tacite & virtualiter, etiamsi non fiat certior nullitatis, pro qua citat plures *num. 2.* & reipsa est valde probabile. *Cuius rationem dat, quia licet ille non intendat formaliter nouum inire matrimonium, inten-*
49 *dit tamen virtute, in eo enim actu quo hanc vult in vxorem sicut iuxta cap. vnicum de desponf. impub. in 6. cum impuberes contrahunt matrimonium, licet formaliter intendant matrimonium, virtute tamen intendunt sponsalia, quia si actus non valet eo modo quo agitur debet ex tacita contrahentium mente valere eo modo quo potest*, (quæ doctrina in vtroque foro procedit, vt bene vidit ipse Thomas Sanchez *lib. 1. disp. 21. num. 2. multis citat.*) *Sic in meo casu cum ea verba, vel copula sufficerent ad denuo contrahendum matrimonium, nec possint valere pro actus præteriti ratificacione, cum is nullus fuerit, valebunt eo modo quo possint, ex virtuali intentione nimirum ad contrahendum denuo matrimonium.* Hactenus ibi.

Ex qua doctrina † lux noua oritur nouo 50
nostro dictamini, quia si virtualis intentio valet ad de nouo contrahendum matrimonium, & ad contrahenda vera sponsalia in foro conscientiæ, cur non valebit ad de nouo profitendum post quinquennium à die libertatis à coactione & metu, nam voluntas illa non reclamandi toto isto quinquennio est virtualis consensus de nouo profi-
tendi, & hoc declarat Concilium in suo de- 51
creto statuens, quod hac intentione virtuali teneat in conscientia professio solemnis, quamuis quis habeat expressam intentionem, non profitendi denuo, quia hæc non elidit donationem quam semel fecit sui, Religioni, eo ipso, quod cum spatio quinquennij quum possit elidere, non elidit, ex quo clare colligitur, quod illa expressa non
profitendi intentio efficax non fuit, sed 52
virtualis illa intentio non reclamandi, cum sine impedimento aliquo potuerit reclamare, & non reclamans non impeditus virtualiter consentit in primum actum.

SVBRESOLVT. VI.

In quo casu non possit Pontifex concedere restitutionem post quinquennium?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex nequit concedere priuilegium & remedium extraordinarium restitutionis in integrum post quinquennium.*
2. *D. Thomæ sensus adducitur.*

NOto sextò circa idem Trident. quod iuxta sententiam, quod sit dispositiuum & non solum fundatum in præsumptione, quod si dilabatur quinquennium à die in qua potuit quis reclamare † nequit t
Pontifex concedere priuilegium & remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quia transacto hoc quinquennio
t am iste est verè & propriè solemniter pro-
i fessus

fessus in vtroque foro, vt explicatum relinquo, ergo iste nequit quærere remedium ad se liberandum à professione solemni, nec Pontifex potest illud concedere dispensando, quia nequit dispensare in votis emissis in professione solemni, vt multoties dixi
2 cum D. Thom. † & communi eius schola *ex textu in cap. cum ad Monasterium de statu Monacho.* bene verum est, quod si quinquennium numeretur à die professionis, vt in foro externo numeratur, vt dicit Vrbanus VIII. & Sacra Congregatio Concilij, *vt suprà* ex Rota adduxi, quod transacto hoc quinquennio potest Pontifex priuilegium restitutionis in integrum concedere.

SVBRESOLVT. VII.

Decretum Tridentinum non comprehendit eos qui perpetuo sunt inhabiles.

SVMMARIVM.

1. *Quod decretum Trident. non comprehendat eos qui perpetuo sunt inhabiles?*
2. *Qui perpetuo inhabiles non solum possint reclamare, quocumque tempore elapso post emissam professionem, sed teneantur à religione exire?*
3. *An etiamsi fundetur decretum in præsumptione, talis præsumptio iuris & à iure non sit in perpetuo inhabilibus.*
4. *Concilij mens affertur.*
5. *Ratio difficultatis diluitur, & n. 6.*

1 NOto septimò, quod *vt suprà not. 2.* dixi † hoc decretum Trident. siue fundetur in præsumptione, vt vult Sanchez, siue fundetur in dispositione, quam nouo iure inducit Sancta Synodus, nullatenus comprehendit eos, qui perpetuo sunt inhabiles ad professionem valide faciendam, quia non habent eas qualitates, quas regula confirmata à Summo Pontifice exigit ad validitatem contractus professionis, aut quas Sedes Apostolica speciali Bulla cum clausula irritante *si secus fiat.* qui autem sint isti, tractant Sanchez *l. 7. disp. 37. n. 30. & 32.* Suarez *t. 3.*
2 *de Relig. lib. 7. cap. 4. à n. 7.* quare † huiusmodi perpetuo inhabiles aliquo impedimento, quod tollere non est in sua potestate, quia statutum est à iure, non solum possunt reclamare, quocunque tempore elapso, post emissam professionem, sed tenentur à Religione exire nisi dispensationem habeant ab eo, qui dispensare potest, vnde isti audiendi sunt quocunque tempore non restricto ad quinquennium, nec enim Concilium de his perpetuo inhabilibus loquitur. Vnde
3 † etiamsi fundetur decretum in præsumptione, talis præsumptio iuris, & à iure, non est in istis perpetuo inhabilibus, quia ius ipsum eos inhabiles reddit, si tamen decretum est dispositiuum eos non comprehendit, quia incapaces sunt profitendi, quare nisi capaces reddantur dispensatione tacita, vel expressa, neque tacite, neque expresse possunt valide profiteri, quæ professionis nullitas tolli nequit, & de nouo emiti professio solo consensu Religiosi. Vnde
† Concilium solum loquitur expresse quum 4
professio prætenditur nulla ex defectu ætatis, aut fuit nulla, quia coacta vi, & metu, & quamuis addat non esse audiendum si velit quacunque ex causa habitum dimittere. Ly *quacunque ex causa* solum distribuit circa subiecta capacia ex iure ad profitendum post quinquennium: de his enim loquitur Trident. quod sua intentione & decreto non comprehendit incapaces ad profitendum incapacitate iuridica, isti enim extra decretum diuagantur, *leg. vt gradatim. 11. vers. etsi liga. ff. de muner. & honor.* quod bene probant Iason *leg. 2. §. Prætor n. 4. ff. qui satisdar.* Ludouicus Gomez *ad Regul. de Trien. q. 2. & ad Regul. de annali. q. 3. vers. non obstante.* quos citat & bene Sanch. *vbi suprà n. 32.*
& † ratio est, quia cum ius & Bulla Apostol. 5
in fauorem Religionis hos perpetuo inhabiles, ad professionem faciat, si transacto quinquennio non possent expelli & probare professionem nullitatis, cogeretur religio eos retinere cum magno ipsius detrimento & aliorum scandalo, & pacis regularis turbatione, tum insuper, quia per Concilium iuris correctio induceretur, quæ nunquam est præsumenda nisi exprimatur.

Verum est, quod † si Religio præsumat 6
talem Religiosum malitiosè velle probare se inhabilem esse, haberi, quia impedimentum ratione cuius fit à iure incapax professionis tacitæ, vel expressæ, sciatque Religio, dolo, & fraude id perficere, vt fugiat religiosam vitam, vt de quodam fui consultus anno elapso, quod tunc transacto quinquennio nequit illum audire, quia dolus & fraus nulli patrocinari debent, & iste reipsa non est inhabilis, quare intra Concilij decreti terminos continetur & sic cogi debet ad permanendum in religione, & sic respondi & placuit viris doctis.

SVBRESOLVT. VIII.

Qui fingit consensum non est audiendus vllo tempore.

SVMMARIVM.

1. *An quando quis fictè & malitiosè professionem emisit, nec post quinquennium nec ante quinquennium possit reclamare.*

2. *Ratio*

2. *Ratio difficultatis affertur, & numer. 3. & 4.*
5. *Sanchez sententia.*
6. *An damnum illatum fœminæ matrimonio fictè contrario sit omnino irreparabile ex vi contractus initi inter vtrumque coniugem.*
7. *Legionens. sensus admittitur.*
8. *Religio potius ordinatur in bonum proficientis quàm econtra.*
9. *Promissio acceptata iure naturæ ex iustitia & fidelitate parit obligationem vtriusque virtutis.*
10. *An ille qui vi, fraude & dolo aliquem professum eduxit à religione, ipsum in fugam & apostasiam inducens, teneatur ex iustitia dolum & fraudem depellere, & num. 11.*
12. *An priuilegium quinquennij non prosit his qui fictè profitentur sine vi, aut coactione, & n. 13. & 14.*
15. *Authoris iudicium.*

1 NOto octauò, quod † quando quis fictè & malitiosè professionem emisit verba externa quæ alij proferunt dum profitentur, dicens, sed fingendo consensum, iste nullatenus, nec post quinquennium, nec ante quinquennium potest reclamare, nec illi conceditur priuilegium quinquennij, sed statim ac professionem emittunt tenentur sub mortali professionem suam vero consensu facere, vel præteritæ nouum consensum iniungere, adeo quod absolui nequeat nisi consensum adhibeat statim, nec video quomodo hoc negetur à viris doctis *vt suprà* dicebam, quos sequitur Thomas Sanchez
2 *n. 39.* Ratio est perspicua, † quia, vt ait D. Thom. *in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. q. 4. ad 1.* & sequitur Thomas ipse *lib. 1. de Matrim. disp. 11. n. 5.* dicens esse verissimum & Petrus de Soto *lect. 3. de Matrimon. §. primum agitur.* dicit esse indubitatum, & Petrus de Ledesma *quæst. 45. de Matrim. art. 4. dub. 1.* dicit contrarium esse improbabile, idem docent Legionensis *lib. 2. de Matrim. cap. 5.* Dicastillus *disp. 1. de Matrim. dub. 14. & de iust. & iure*
3 *lib. 2. tract. 2. disp. 7. dub. 9. & 10.* ille qui fictè contraxit cum aliqua etiamsi sit disparis cõditionis, in vtroque foro tenetur verum adhibere consensum & fictionem mutare, cum ratione damni irrecuperabilis, quod accrescit fœminæ, tum ex vi & natura contractus initi *do me tibi, vt tu des te mihi,* qui contractus cum sit verus ex parte vnius contrahentis, alter debet ex iustitia verum illum facere, ius enim naturæ hanc qualitatem in-
4 ter contrahentes exigit, quod principium mihi indubium est, & latè confirmant Legionensis, & Dicastillus, adeo quod etiamsi fœmina remittat omnem iniuriam sibi factam ex damno secutam non possit remittere indissolubilitatem matrimonij, & sic vir fictè consentiens tenetur fictionem abiicere, & verè consentire, ergo ille qui fictè professionem emisit, cum in ea teneatur contractus inter profitentem & Religionem, quæ eum in suum gremium admittit, cum Religio ipsum verè acceptauerit & se obligauit, ipse tenetur iure naturæ ex vi mutui contractus fictionem abiicere, & verum consensum præbere, quod adeo verum est, quod etsi Religio velit non possit contractum dissoluere, quia ex vi illius indissolubile fit vinculum professionis solemnis, cuius cognitio pertinet ad solam sedem Apostolicam.

Quare prorsus euanidum est, quod respondet Sanchez † *disp. illa 11. n. 11.* quod fi- 5
ctè contrahens solum ratione damni illati fœminæ tenetur verum consensum adhibere, non vero ex vi contractus initi vltio citroque obligantis, matrimonium etiam est in vtriusque coniugis fauorem, at Religio potius ordinatur in bonum profitentis quam econtra, vnde non videtur graue inferre damnum ficte profitens si verum consensum non eliciat, vtrumque quidem dictum prorsus inutile est, nam † damnum 6
illatum fœminæ matrimonio ficte contracto omnino irreparabile & ineuitabile est ex vi contractus initi inter vtrumque coniugem, nam defectus ille veri consensus omnino est per se occultus, quamuis ficte contrahens dicat aliis se ficte consensurum, nam illi tenentur non adhibere fidem, dum vident serio matrimonium inire, & Ecclesia semper iudicabit verum fuisse matrimonium, quare si consummatum est illud nequit dissoluere, & sic ex vi talis contractus iure naturæ sequitur damnum fœminæ, si vir fictè consentiat, & viro si fœmina fictum adhibeat consensum. Legatur Legionensis *vbi suprà n. 7. & 8.* † qui optime aduertit 7
damnum hoc ex ficto matrimonio ortum non esse, quod ipsam agnouit, aut defloraui, hoc enim reparabile est multis modis, sed damnum, quod omnino irreparabile est quod fœmina, aut vir qui ficte consentit est deceptus tenetur viuente altero innuptus manere, nisi vel alter ad Religionem euolet si matrimonium est ratum dumtaxat, vel Pontifex ipsum matrimonium diluat, quod potest facere iuxta probabilem sententiam.

Secundum etiam prorsus futile est, quod enim † Religio potius ordinetur in bonum 8
profitentis, quam econtra hoc non obstat quominus fiat verus contractus vltro citroque obligans vtrumque contrahentem, & sic debet fieri in bonum Religionis, cui tanquam seruus profitens dicatur, & Religio

ex

ex vi præfati contractus ius donatiuum acquirit in professum, cuius opera iure dominij potest exigere, & ipse tenetur præstare, vt omnes Catholici fatentur, quare quis cordatus negauit, graue damnum inferri Religioni si profitens ficte sui donationem faciat illi, quum ipsa verè consentit, & absque fictione? Certè quidem hoc argumen-
9 tum conuincit, si enim † promissio acceptata iure naturæ ex iustitia & fidelitate parit obligationem vtriusque virtutis, etiamsi interius quis ficte promittat, quia hoc exigit bonum politicum, & humanum commercium, quod sine fraude, & fictione debet celebrari, quanto magis id erit verissimum in religiosa professione, in qua quis se donat Religioni in obsequium Dei, & pro-
10 priam perfectionem. Quare sicut † ille qui vi, fraude, & dolo aliquem professum eduxit à Religione ipsum in fugam & apostasiam inducens tenetur ex iustitia dolum & fraudem depellere, ipsumque persuadere, vt ad Religionem reuertatur, cui iniuriam intulit, imo ad id etiam tenetur ex iustitia si precibus, aut consilio ad id inducat, ita ille qui ficte professionem emisit, tenetur ex iustitia & fidelitate fictionem amouere & veram emittere professionem, neque an-
11 tequam verum consensum eliciat, potest Sacramentaliter absolui etiamsi habeat propositum consentiendi, hoc enim non sufficit eum ita facile posit consensus verus elici, ac elicitur propositum consentiendi, & qui proponit, & non consentit, in hoc casu propositum verum non est, sed fictum & ad expiscandam absolutionem.

12 Ex quo colligitur, quod † priuilegium quinquennij non prodest, vt dicebam his qui fictè profitentur sine vi & coactione, quia isti statim tenentur verum consensum elicere, & verum contractum perficere absque mora, non dico quinquennij, sed neque vnius horæ quadrantis, quia eo ipso, quod confiteatur tenetur, vt ritè id faciat con-
13 sensum præbere verum. Cæterum sicut ille qui mortaliter peccauit non tenetur statim, aut contritionem elicere, aut confiteri, posset quis dicere, quod iste non tenetur statim consensum præbere, sed fallitur, quia obligatio iustitiæ statim obligat, ad resarciendum damnum illatum, ac quis commode potest, sicut hic ficte profitens potest consensum præbere, quod secus est de illo qui fictè contraxit matrimonium, si enim non est consummatum, sed tantum ratum habet spatium bimestre, vt deliberet, an sit capienda religio in quo bimestri, non
14 tenetur verum consensum emittere, quia non tenetur consummare matrimonium, idem posset quis dicere de ficte profitente si vult à Papa impetrari indulgentiam, vt ad aliam religionem transeat, tempore enim in quo negotiatur hæc licentia non videtur obligari ad verum consensum respectu religionis in qua primo professus est eliciendum. Sed † non assentior, quia licen- 15
tia est incerta, & quod in alia Religione sit ficte professus non conducit ad eam expiscandam, imo retardabit, tum etiam quia Religio semper habet ius, vt iste verè consentiat in suum contractum, propter quod iudico probabilius, quod etiam intra bimestre ille qui contraxit ficte matrimonium teneatur consentire, quia hoc non impedit, quominus posit intra præfatum tempus ad Religionem auolare.

SVBRESOLVT. IX.

Vt quis confirmet suam professionem non requiritur annus alter Nouitiatus.

SVMMARIVM.

1. *Quod quinquennium non præfigatur à Trid. taxatiue vt quis possit ratificare professionem irritam ex defectu.*
2. *An requiratur annus nouitiatus præmitti ad professionem.*
3. *D. Antonini & Sylvestri sensus, & numero 4.*
5. *Quis propriè non sit nouitius.*
6. *Trid. irritauit professionem factam ante 16. annum completum non tamen prohibuit, num. 7. & 8.*

NOto nonum, hoc quinquennium non 1
præfigi à Trid. taxatiue, vt quis posit ratificare professionem irritam ex aliquo defectu ex annumeratis, sed vt diximus datur, vt quis posit reclamare liber existens ad reclamandum, potest namque iste nulliter professus statim ac se liberum & solutum ab impedimentis vidit professionem suam validam efficere absque eo, quod alterũ annum nouitiatus incipiat, sed peracto anno nouitiatus etiãsi in illo integro duret impedimentum, siue sit temporale, siue sit perpetuum hoc ablato, siue quia ipso facto cessauit, vt defectus ætatis, metus grauis & coactio, siue quia dispensatum est à potente dispensare, potest professionem veram perficere; tum quia iuxta *Trident. sess. 25. de Regul. cap. 5. iuncto cap. ad Apostolicam extra de Regular.* ideo † requiritur annus no- 2
uitiatus præmitti ad professionem, vt faueret Monasterio & ipsi Religioso, illi vt mores Religiosi experiretur, huic autem, vt austeritatum Religionis experientiam sumeret, an posit illas in vita supportare, vtrumque consequitur etiamsi professio irrita sit ex quocunque impedimento, & sic non

non exigitur nouus nouitiatus, quãuis enim attento iure communi, vt tenent D. Antoninus *3. part. lib. 16. cap. 13. §. 2.* Sylvester *verb. Religio. 2. quæst. 12. num. 12.* ibi. *Vtrum intrare possint pueri, vel puellæ in anno pubertatis? & dico quo sic: etiam parentibus prohibentibus 20. q. 2. cap. puellæ, sed oportet quod tales annum compleuerint, puer scilicet, 14. & puella 12. cap. ad nostram de Regular. in textu, & in glossa, neque in hoc malitia supplet ætatem, vt expressè notatur: 20. quæst. 1. in summa itidem Ioan. Andr. in clem. eos de Re-*
4 *gul. Quod autem dixit Raymundus sufficere, si malitia supplet ætatem, cap. postulasti. de Regul. verum fuit suo tempore, quando summam fecit, & currebat prior compilatio Decretorum, sed hodie verba illa de ipsa Decretali, Postulasti subtracta sunt, & idem glossa, ibi:* Huius veræ doctrinæ rationem reddit idem Sylvester *verb. Religio. 5. n. 1. qu. 1.* licet ante annos pubertatis oblatus à parentibus, vel alias quis possit habitum Religionis suscipere, tamen † propriè non est nouitius,
5 quia non potest experiri, quid sit castitas, nec malitia supplet ætatem, *vt supra Religio. 2. §. 12.* & sic patet, quo tempore possit quis esse nouitius, quia in 15. anno inchoante masculus, & fœmina in 13. quia non potest aliquis ingredi, nisi completa pubertate. Ita tenet Ioan. Andr. *cap. beneficium, de Regul. in 6.*

Quam determinationem iuris communis non correxit Tridentin. *sess. 25. de Regu-*
6 *lar. cap. 15.* † solum enim irritauit professionem factam ante 16. annum completum non tamen prohibuit, quod annus nouitiatus non valeret inceptus immediatè post pubertatem completam, hac enim completa valide quis ingreditur nouitiatus annum, qui integer debet esse antequam
7 valida emittatur professio, verum est, quod professio non sit valida, tamen si post annum 16. completum nouitiatus anni 14. vsque ad 15. non est necessarius, sed solum ab anno 15. vsque ad 16. deseruit tamen ad hoc annus nouitiatus à 14. completo in viro, & à 12. completo in fœmina: quod si professio sit inualida, quia facta est ante annum 16. completum, vt reiteretur professio, non est necessarius alius annus nouitia-
8 tus, vel ad hoc, quod si professio fuit nulla, quia ab anno pubertatis vsque ad professionem inualidam ex defectu ætatis, non fuit annus integer nouitiatus, vt professio reiteretur valide sufficit supplere, quod defuit anno nouitiatus antequam professio emittatur, quæ omnia notanda sunt pro casuum occurrentia.

SVBRESOLVT. X.

An requiratur nouus consensus ex parte Religionis?

SVMMARIVM.

1. *An cum professio fuit inualida, vel ex metu graui, aut coactione vt reualidetur requiratur nouus consensus?*
2. *Summus Pontif. quam professionem acceptet?*
3. *Si professio sit nulla quid requiratur.*
4. *Authoris iudicium. & n. 15.*
6. *Multorum DD. sensus afferuntur. & n. 7.*
8. *De noua Religionis admissione quid veniat dicendum?*
9. *Quum annus nouitiatus non est completus, quod requiratur? & n. 10.*
11. *Quod Religio ignoret prioris professionis nullitatem vnde se habeat?*
12. *An æquitas non exposcat, quod sufficiat tacitus consensus ex parte profitentis, & non sufficiat tacita acceptatio ex parte religionis, & num. 13. & 14.*
15. *Ratio difficultatis affertur. & n. 16.*

SEd aduertendum, quod † cum pro- 1
fessio fuit inualida, vel ex metu graui, aut coactione, vt reualidetur non requiritur nouus consensus, aut acceptatio Religionis, ita Thomas Sanchez *disp. 37. citat. n. 60. & 61.* etsi dicat contrarium esse probabile, quod ego existimo in praxi non habere probabilitatem quum profitens est habilis alias, quia consensus Religionis semper perseuerat, nec est iam in potestate Religionis illum reuocare cum sit consensus Sedis Apostolicæ, quem nullus reuocare quit, Sedes enim Apostolica medio Superiore Regulari consentit, & acceptat professionem, Summus enim † Pontifex tan- 3
quam Supremus Religionum Generalis acptat professionem, quæ acceptatio semper perseuerat sicut Ecclesia offert sacrificium medio Sacerdote, qui nequit applicationem Ecclesiæ reiicere, nec licitè, nec valide, vt alibi probaui contra Cardinal. de Lugo, & sic solum desideratur consensus, & renouatio ex parte profitentis; quo adueniente professio omnino valida est, nec potest aliquo modo reuocari.

Si vero † professio sit nulla, quia subiectum erat perpetuo incapax & inhabile ex 4
speciali statuto confirmato à Sede Apostolica; maior difficultas est an requiratur noua acceptatio, nouusque consensus Religionis si professus nulliter, indulto Apostolico habilitetur ad profitendum; dicit Thom. Sanchez probabile esse & tutum in praxi, quod non requiratur noua acceptatio

Religionis, sed sufficit quod inhabilis factus habilis de nouo consentiat in suam
4 professionem, sed † ego contrarium existimo verissimum, nec video quomodo sententia Sanchez in praxi sit secura, nisi dum quis impetratur indultum à Pontifice petat etiam, quod ipse Summus Pontifex immediate acceptet suam professionem, nisi enim hoc non faciat Summus Pontifex, non acceptat professionem solemnem nisi media Religione in qua emittitur professio. Ratio est perspicua, quia quum subiectum est incapax non solum eius vota non accepit Religio, & donationem, sui quam facit verum eiicit, & execretur, ergo etiamsi dispensetur & fiat habilis indul-
5 to Apostolico, nisi Religio acceptet, & consentiat de nouo quamuis adsit consensus profitentis non fit contractus mutuus, vltro citroque obligans Religionem, est enim vtriusque consensus inualidus, quia super inhabilem materiam & incapacem cecidit, id autem quod inualidum fuit non potest virtualiter permanere; quare melius esset Thomæ Sanchez quod in hac sententia persisteret quam docuit *lib. 2. de matrim. disp.* 35. & quidem loquens de matrim. car-
6 nali † tenent vterque Thomas S. Doctor *in 4. dist.* 40. *q. vnic. art.* 4. *ad* 6. Caiet. *in summ. verb. Matrimonium* §. *contractus matrimo. vers. tertium cap.* Scotus *in 4. dist.* 35. *q. vnic.* §. *Respondeo, primus consensus*, & vix inuenietur qui contrarium loquendo de impedimento, & incapacitate perpetua, de qua ego loquor, de isto enim non solum requirunt aliqui, nouam acceptationem Religionis, sed etiam nouum nouitiatum, ita Nauarrus *consil.* 5. *de*
7 *Regular. n.* 17. *&* 19. Rodriguez *tom.* 2. *summæ cap.* 5. *num.* 2. Palacios *in* 4. *dist.* 27. *disp.* 2. *in fine*, quod de nouitiatu non admitto (quãuis sit valde probabile quod requiratur, quia requiritur consensus religionis ad receptionem nouitij, qui non intelligitur validus, si
8 est circa subiectum perpetuo incapax, at † de noua religionis iuxta vniuscuiusque formam admissione omnino certum iudico, quamnis non requirantur cæremoniæ illæ, quæ ex cæremoniali cuiuscunque communitatis fieri in professione, decernuntur.

Quando enim † subiectum est incapax & inhabile ad tempus, vt ex defectu ætatis, aut quia annus integer nouitiatus non est peractus, & completus, non est facile determinare, an requiratur noua acceptatio Religionis, sed in his existimo, quod non requiratur expressa acceptatio noua Religionis, vt professio reualidetur, sed sufficit tacita, quamuis enim prior consensus Religionis inualidus fuerit, & iste nullatenus maneat, vtpote habitus circa subiectum inhabile, & sic deseruire, nequit eius virtus ad hoc vt reualidetur professio irrita, tamen quum impedimentum, est temporale, ablato isto, vel temporis 10
decursu, vel ipsius temporis complemento, vel facta diligentia temporali quæ deficiebat, eo ipso quod talis Religiosus, expressè consentiat interius, & Religio ipsum videat incedere habitu professorum: & eorum actus iuridicos exercere, tacite consentit, & acceptat professum in suum gremium, quia † quod Religio ignoret nul- 11
litatem prioris professionis concomitanter se habet ad consensum sicut se habet dum quis ex metu graui professionem emittit, quæ nulla fuit, vt autem Religio tacite dicatur denuo consentire, necessarium non est quod certior fiat prioris nullitatis, vt bene considerant Nauarrus *consil.* 35. *de Regular. num.* 3. *& cons.* 46. *num.* 2. Graffis. 1. *p. decisio. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 24. argumento *ex cap. significatum extra de Regul. & cap.* 1. *eodem in* 6. & ex Decreto Trid. *cap.* 19. *sess.* 25. *de Regular.* in quibus locis, per delationem habitus professorum spatio vnius anni, vt vult ius antiquum vel quinquennij, vt vult Trident. vere ratificatur professio, etiamsi Religio expressam acceptationem non habeat nouam, est sit ignara nullitatis professionis; nec enim † æquitas exposcit, quod 12
sufficiat tacitus consensus ex parte profitentis, & non sufficiat tacita acceptatio ex parte Religionis; quamuis ista non requirat quinquennium, vt dicatur tacite consentire sicut requiritur ex parte profitentis religio enim semper est exposita ad hanc ta- 13
citam voluntatem; tanquam mater quæ censetur admittere eum; quem semel admisit eo ipso quod iste velit validare consensum se illi incorporandi; & mediante isto, consensus tacitus Religionis dicitur Papa huiusmodi consensum acceptare ob pacem, & quietem Religiosorum.

Quod secus est quum; impedimentum est perpetuum; vel ex Bullis Apostolicis, 14
vel ex statuto alicuius Religionis confirmato à Sedis Apostolica; quamuis enim, qui occulte est ex sacrilego thoro natus, aut ex sanguine infecto natus (quin aliquibus Religionibus ex indulto Sedis Apost: nulliter profitentur; illisque fit notificatio ante professionem de hoc) dispensationem occultam, & inscia Religione huius impedimenti acquirat; si illam non facit manifestam Superiori & Capitulo (si huius consensus requiritur) non reualidatur professio, quia Religio nunquam expresse nedum tacite consentit (& Pontifex nisi in exprimat, dicitur consentire nisi media religione vt supra dicebam) ratio est manifesta † quia 15
Religio neque expresè, neque tacitè dicitur consentire, & aliquem acceptare ad suum

suum gremium, nisi iuxta suam Regulam, & constitutiones confirmatas à Papa, atqui istæ semper excludunt istum impeditum, & incapacem ratione impedimenti, quod cum perpetuo duret, perpetuo excluditur
16 cum eius dispensatio omnino sit incognita Religioni; ergo, vt ista denuo accepter, etiam tacitè necessarium est eam dispensationem agnoscere, nisi Pontifex vtens dominio alto, & plenitudine potestatis, dicat in dispensatione, quod ipse immediatè professionem acceptat occultè, sicut occultè dispensat.

SVBRESOLVT. XI.

Inhabilis perpetuo, nec in articulo mortis potest valde profiteri.

SVMMARIVM.

1. *Inhabilis perpetuo siue transacto anno, vel annis nouitiatus dimittitur. & n.* 2.

1 EX dictis in hac nona notatione colligitur: Primò, bene † nostram Religionem dimittere eum qui transacto anno, vel annis nouitiatus (ita vt inter nos nullatenus resideat) religiosus effectus est, siue per professionem solemnem siue per tria vota simplicia, vt in societate, illum tanquam non professum inter nos declarans propter impedimentum perpetuum quod habet, quod illi notificatur ante professionẽ, quare etsi occultè habeat à Pontifice dispensationem huius impedimenti, si eam non manifestat Religioni, ista cum in suum gremium nunquam admittit nec tacitè, nec expresè, quamuis decurrant multi anni, adeo quod nec in articulo mortis possit ve-
2 ram perficere professionem, sicut, qui est in articulo mortis contrahere nequit post Trident. sine parocho, & testibus; ex quocunque motiuo, quia sine illis subiectum est inhabile ad contrahendum; quæ inhabilitas nullius temporis lapsu excluditur.

SVBRESOLVT. VII.

Qualiter transiens ad aliam religionem debeat facere nouitiatum?

SVMMARIVM.

1. *An transiens ad aliam religionem siue laxiorem siue strictiorem, aut æqualem debeat facere integrum nouitiatus annum.*
2. *Variorum Authorum opiniones adducuntur. & n.* 3.
4. *Tempus quo quis debet esse nouitius, regulariter totus annus debet esse; ex Sylueſtro. & num.* 5.
6. *Professionem emittens verè Monachus est censendus. & num.* 7.
8. *Correctio iuris an sit valde odiosa. & n.* 9. *&* 10.
11. *Quid de scholaribus societatis veniat dicendum. & num.* 12.

COlligitur secundò, quod seclusis constitutionibus Regularium à Sede Apostolica confirmatis, aut speciali aliqua Bulla † (sicut fuit Vrbani VIII. edita in fauorem 1
Fratrum excalceatorum SS. Triados, in qua statuitur, quod si frater eiusdem Religionis non excalceatus ad ipsos excalceatos transeat debeat facere annũ nouitiatus) aut speciali decreto Congreg. quantum est ex iure communi & Concil. Trid. Dum quis professus vnius Religionis transit ad aliam siue laxiorem de licentia Papæ, siue strictiorem, siue æqualem non est necessarium quod faciat in Religione ad quam fit transitus integrum annum nouitiatus, sed hoc relinquitur arbitrio Superioris ipsum recipientis, vt experiatur mores, & aptitudinem recepti, contrarium sensit Sanch. † *disp.* 37. *cit. n.* 47. 2
vers. eius tamen doctrinam, quẽ sequitur Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 10. *c.* 5. *n.* 54. sed nostram tenet Sorbus *in Compend. priuilegior. verb. Nouitius*, §. *sed an requiratur integer annus.* Ratio quæ me mouet est, quia tam ius commune, *cap. Gundisaluus* 17. *q.* 2. *cap. ad Apostolicam extra de Regularib. & cap. non solum eod. in* 6. quam nouum Tridentin. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 5. Loquuntur de his qui de sæculo 3
ad religiosam vitam ducendam conuolant, quibus nulla inest experientia austeritatum Religionis; nec isti qualitatum ingredientis. Quare annus integer nouitiatus inducitur ad experimentum capiendum, atqui iam est professus in aliqua Religione, iam expertus est Religiosi status austeritates, & quid sit castitas, & obedientia & paupertas in quibus consistit austeritas substantialis vitæ religiosæ; quæ est ratio propter quam in iure communi dicebam supra cum Sylueſtro, quod anno nouitiatus non incipit ante annos pubertatis completos, quam ætatem malitia non supplet, & sic ex nullo iure communi colligitur, quod Religiosus solemniter professus transiens ad aliam Religionem teneatur, vt professio in ea valida sit, annum integrum nouitiatus in ea facere.

Totum hoc confirmo ex singulari doctrina Sylueſtri *verb. Religio. quæst.* 3. *num.* 3. vbi agens de tempore † quo quis debet es- 4
se nouitius, dicit quod anno toto regulariter, *cap. Gonsaluus* 17. *quæst.* 1. *cap. ad Apostolicam. de Regular.* & subdit, *quia tamen hoc datur in fauorem nouitij, & Religionis,*

5 *vt se mutuo experiantur, si nouitij & prælati cum suo conuentu accedat consensus ante annum profiteri potest, & professio tenet dicto cap. ad Apostolicam imo profiteri potest in ipso ingressu, etiam habitu non suscepto vt supra Religio. 3. §. 3.* Hæc ille, & quidem Innocentius III. rescribens Archiepiscopo Pisano in præfato *cap. ad Apostolicam*, expresse dicit quod huic fauori concesso Religioni, & ei qui professionem emittit, potest tam ipse quam Religio renuntiare, & sic tenebit pro-
6 fessio, vt ait Pontifex & † professionem emittens vere monachus est censendus, *quia* (ait) *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinebunt roboris firmitatem* & rationem dat glossa *ibi*, quia *de communi consensu potest vterque renuntiare iuri suo cum sit singulare & personale beneficium, cap. gratum de officio delegat. leg. si quis. C. de pactis. secus si esset commune beneficium & fauore omnium introductum*
7 *cap. si diligenti de foro compet.*

Et quamuis Concilium Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 15.* hoc fecerit beneficium commune, cui non potest renuntiare, vt notat Bellarmin. ibi *in additionibus num. 4.* &
8 sic corrigatur ius commune, tamen † cum correctio iuris sit omnino limitanda, est enim valde odiosa *cap. cum expediat. de electio. in 6. leg. vnica, Cod. de inofficios. dotibus*, Concilium intelligendum venit de professione facta, de eo, qui de sæculo ad Religionem venit, non de illo qui de vna religione transit ad aliam, iste enim vere professio- 9
nem emittet, si tam Religio quam ipsi fauori de anno integro probationis nuntient, cũ alias Religio possit habere notitiam subiecti, & istud asperitatum accidentalum, religiosi status in illa communitate, sic consul- 10
tus respondi Eminentissimo D.D. meo Cardinali Pimentel vnde iste nec intra nec postea quinquennium ob non perfectum annum nouitiatus in ea Religione ad quam transit potest reclamare, de nullitate suæ professionis.

In hac doctrina posset alicui videri non comprehendi † scholares Societatis qui post 11
biennium tria vota religiosa simplicia tamen emittunt, isti enim non sunt totaliter experti austeritates voti solemnis castitatis, paupertatis, & obedientiæ cum expulsi ad sæculum liber euadant, matrimonium contrahant, & intra Religionem viuentes dominium bonorum suorum retineant, & sic 12
substantiales votorum austeritates non sunt totaliter experti, vnde si transeant ad aliam Religionem in qua solemnem professionem sunt emissuri, videtur quod debeant perficere integrum annum nouitiatus non secus ac ille, qui in sæculo emisit tria vota simplicia castitatis paupertatis & obedientiæ alicui, sed de hoc alij iudicent, ego enim meum non explico dictamen.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS,

De residentia Matrimoniali qualiter commutari possit in residentiam Monachalem.

NON est extra intentum diuagare, huiusmodi tractatum assumere, matrimonij enim natura strictam exigit residentiam coniugum ad inuicem, non solum in eadem ciuitate, & domo, sed in eodem thoro coniugali ad rectam filiorum educationem, & vt domus & familia recte, vt oportet gubernetur, hæc autem residentia tollitur, aut per hoc quod vnus ab alio absens fiat, quoad habitationem, & consortium, vel sine iudicis sententia diuortij ob iustas causas, sed voluntarie vel præcedente sententia iusta diuortij, aut tollitur hæc residentia per hoc quod vnus Religionem solemniter profiteatur, aut sacris ordinibus initietur, quod fieri potest transeundo ad Religionem intra bimestre à matrimonio contracto ex iuris canonici indulgentia, aut quia Pontifex dispẽsat in matrimonio rato, aut quia consummato matrimonio vnus de consensu, & licẽtia spontanea alterius religionem profitetur quare in his euentibus & multis aliis videndum est, quid obliget præceptum matrimonialis residentiæ, quod diuinum esse & naturale certũ est, cum dicatur in Euãgelio, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, quare ex vi huius diuini præcepti vir tenetur residere cum vxore & ista cũ viro, adeo quod nisi ob adulteriũ, aut aliã causam honestã à vinculo huius residẽtiæ vxoratos & coniuges nullus absoluere queat; hæc enim residentia nascitur necessario ex vi contractus matrimonij; prius tamen vt id quod diximus de intelligentia quinquennij plenius confirmetur

tur agendum, quando tollatur huius residentiæ obligatio per professionem solemnem factam ex consensu alterius coniugis.

RESOLVT. I.

Qualis debeat esse licentia coniugis, vt quis licitè possit cum alio non residere; sed Religionem ingredi, & profiteri.

RECTE vt assolent tractant hoc punctum Thomas Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 32.* & P. Magister Basilius Legionensis *lib. 7. de matrim. cap. 11. & 12.* quia tamen titulus resolutionis, & de ingressu ad habitum, & nouitiatum, & de professione solemni inquirit, & sint diuersæ circa vtrumque difficultates sigillatim sunt discurrendæ, & examinandæ.

§. I.

De licentia ad Nouitiatus ingressum.

SVMMARIVM.

1. *Duplex licentia ad nouitiatus ingressum admittitur, & n. 2. 3. & 4.*
5. *An vt licentia coniugis manentis in sæculo, vt alter secum non resideat in religione, non sit necessarium quod sit in scriptis.*
6. *An religio sciens aliquem esse coniugem matrimonij consummati nequeat eum recipere, & num. 7.*

2 DVplex licentia † potest disiderari, vt ingressus ad nouitiatum coniugis matrimonij cõsummati licite subsistat & valide. Prima est Ordinarij & Episcopi ipsius ingredientis, & hæc licet aliquando in aliqua Prouincia fuerit requisita ad professionem solemnem, vt dicam §. *sequenti*, tamen ad nouitiatus ingressum, neque vt licite neque vt valide fiat requiritur, quia existente alterius coniugis licentia est sufficienter liber consensus religionis recipientis, & nouitij ingredientis, neque est aliqua vel leuis insinuatio in iure Canonico, quod requiratur talis licentia Diœcesani, vt ingressus iste licitus sit, & validus, quare non est exquirenda hæc licentia, vt licite possit coniux nouitiatum ingredi, & cum altero non residere.

5 Secunda licentia † est ipsius coniugis permanentis in sæculo, & quidem omnino certum requiri, vt licitè fiat ingressus in hoc omnes quotquot scripsere conspirant: quia receptio ad nouitiatum directè opponitur cum vsu matrimonij, siquidem vt ait Paulus *vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, &c.* Vnde quilibet ius strictum iustitiæ habet vt debitum exigat ab alio, qui tenetur reddere, quod constare nequit cum ingressu ad nouitiatũ in Religione peragendum, nam toto ipsius tempore durante contra voluntatem priuatur vsu sui iuris, ille, qui manet in sæculo, vnde † aliter ne- 8
quit nouitiatum licite ingredi ad ipsum peragendum in Religione sine licentia manentis in sæculo; nec ipsum religio potest licitè admittere ob causam rationẽ. Addo id esse verum etiam retento habito nouitij, nouitiatum peragat extra Religionem; quia omnino indecens est, quod qui ingreditur reli- 4
gionem, ad experiendas difficultates, quæ sunt in obseruantia castitatis, vacet in anno nouitiatus congressui matrimoniali, ita vt reddat debitũ cõiugi petenti, iste enim nouitiatus proculdubio inualidus est ex ratione text. *cap. ad Apostolicam extra. de regular.* & Concil. Trid. *sess. 25. de regul. c. 15.* in quo omnes conueniunt verũ est, quod † licentia 5
ista coniugis manentis in sæculo, vt alter secum non resideat in Religione non est necessarium, quod sit in scriptis, vel quod sit expressa, sufficit in voce, & tacita, vt quis iudicetur iuri suo renuntiare, vt in similibus casibus tenet certa sententia cum in iure idem sit tacitum & expressum, quantum ad actus rectitudinem moralem. Cæterum existimo, quod † Religio si sciat talem esse cõ- 6
iugẽ consummati matrimonij nequit licitè ipsum recipere ad annum nouitiatus, nisi sibi moraliter certo constet de licentia alterius manẽtis in sæculo, quia actus receptionis iuridicus est, & vt iuridica fiat iuridicè debet cõstare de licẽtia requisita, vt honestè fiat actus, ne exponatur religio periculo faciendi iniustitiã alteri coniugi; Dixi *si sciat*, 7
nam si ignoret vxoratum esse, quem recipit nulla iniuria fit nec est periculum, quod eam committat, quia ignorat statum recepti, at statim ac sciat tenetur inquirere de licentia.

SVBRESOLVT. I.

Vtrum licentia coniugis sit necessaria vt valide fiat nouitiatus?

SVMMARIVM.

1. *An licentia coniugis sit necessaria vt annus nouitiatus valide fiat.*
1. *An professio sine licentia alterius coniugis sit valida ex natura rei.*
3. *Nullum est matrimonium quod non sit coram Parrocho & testibus.*
4. *An si alter coniux non consensit tacitè, vel*

expressè receptio non sit valida.

5. *Professio facta sine licentia coniugis inualida est, non solum iure Ecclesiastico, sed ex natura rei.*
6. *An si Prælatus aliquem reciperet sine Capituli consensu ad nouitiatum, nouitiatus esset inualidus.*
7. *Receptio ad humanum experimentum in Religione iuridica non fuit.*
8. *Ex natura rei, & naturali iure receptio viri ad Nouitiatum sine licentia vxoris nulla est, & n.9.*
10. *Vbi Ratio motiua sacrorum Canonum, & Trid. ad requirendum Nouitiatus annum fundetur.*
11. *Sanchez sententia affertur.*

1 GRauior difficultas est, an † hæc licentia alterius coniugis sit necessaria, vt annus nouitiatus valide fiat taliter, quod etiamsi vxor, v. g. contradicit ingressui ad nouitiatum sit sufficiens ad hoc, quod si mulier consentiat possit sine alio nouitiatu professionem validam emittere? Negant Suarez *tom.3. de Religio. lib.5. cap.4. num.10. & 11.* Sanchez *disp.37. sæpius cit. quæst. vlt. num.70.* Perez *disp.58. de matr. sect.1. num.6.* Probatur, quia neque ex natura rei, neque ex aliquo iure Canonico, siue antiquo, siue nouo Trid. requiritur hæc licentia ad validitatem nouitiatus; quod non requiratur ex natura rei patet, quia ibi interuenit verus consensus Religionis & intrantis ipsam, & interuenit experimentum ex vtraque parte quod requirit Pontifex, *cap. ad Apostolicam. de Regul.* cum etiam quia potest esse actio
2 iniuriosa ex natura rei: & tamen ex natura rei valida, multa enim prohibentur fieri quæ facta tenent & sunt valida, professio enim † sine licentia alterius coniugis valida est ex natura rei, nisi irritasset ius Canonicum, cum in iure Canonico nullus sit textus, in quo declaretur hæc receptio sine licentia coniugis irrita, semper erit valida, vnde cum Pontifices, aut ius aliquam receptionem indebitè factam, volunt esse inualidam, id exprimunt, vt fecit Sixtus V. *in Bulla contra illegitimos*, si autem non adest expressio, receptio valida est. & verum fundat nouitiatum, quare superueniente consensu alterius coniugis professio erit valida sine necessitate peragendi alium nouitiatum: hic enim exigitur à Trident. *vbi suprà*, in fauorem Religionis, vt futuri religiosi agnoscat mores, & iste experiatur austeritates, quæ est ratio motiua huius Decreti; quæ in isto adæquante exercetur, etiamsi nouitiatum peregerit sine licentia vxoris, sicut idem Trid. *sess.24. cap.1. de matrim.* statuit † nullum esse matrimoniũ, quod
3 non fit coram Parocho & testibus, & tamen si factum coram eisdem, nullum tamen ob impedimentum occultum, vt ratificetur non exigitur præsentia Parochi & testium, vt ostendit Sanchez *lib.2. de matrim. disp.37. num.3. & 7.* quia finis & ratio motiua Trid. solum fuit quod Ecclesiæ constaret de matrimonio & vitarentur grauissima inconuenientia, quæ ex matrimoniis clandestinis quotidie emergebant.

Sed ego existimo verisimum, quod si
4 † alter coniux non consensit tacite, vel expressè receptio non est valida, & sic nec annus nouitiatus valide transigitur, nisi à die qua Religio scit tacitè, vel expressè alterum coniugẽ consensum præbuisse. Hoc mihi persuadeo tali discursu. Quia quod receptio ista sit irrita non prouenit ex eo quod subiectum est incapax professionis sine licentia vxoris ad eam emittendam, quia tunc etsi esset incapax ad professionem non esset incapax, vt reciperetur ad annum nouitiatus, quo transacto si licentia aduenirет vxoris professionem validam efficeret. Sed prouenit ex eo quod talis receptio est iniusta, tam ex parte iniustæ receptionis, quàm ex parte rei receptæ, siquidem aufertur inuito coniuge, id quod suum est vsus scilicet matrimonij ob eandem rationem, & non ob aliam † professio facta sine licentia coniugis inualida est, non solum iure Ecclesiastico, sed ex natura rei, vt infra dicam. Atqui † receptio iniusta rei alienæ
5 omni iure est inualida, siquidem recipiens tenetur in conscientia eam reddere vero Domino. Vnde annus nouitiatus peractus non prius habita licentia iuridicus non est, nec sufficiens, vt etiam cum licentia professio emittatur, non secus ac si Prælatus sine consensu Capituli (vbi consensus esse, exigitur) † reciperet aliquem ad nouitia-
6 tum iste nouitiatus inualidus esset, & vt professionem emitteret alium annum deberet peragere, vt valide profiteretur quod ita certum est, vt nullus sit in hoc DD. dissensus. Sicut si quis ex deuotione intra monasterium per annum ducere vitam religiosam; vt illius asperitates experiretur, & vt Religio mores ipsius agnosceret, iste talis, vt professionem emitteret alium annum iuridicum nouitiatus integrũ deberet peragere, alias professio nulla esset, quia † receptio
7 ad humanum experimentum in Religione iuridica non fuit, & de consensu Capituli. Atqui non minus requiritur, imo multo magis licentia coniugis ad ingressum nouitiatus, ergo sine illa inualidus erit, & vt professio sit valida denuo debet incipi nouitiatus, & cum licentia vxoris noua receptio; quia prior prorsus fuit inualida, Sic respondi consultus, & amplexata est mea consultatio, anno 1644. Hispali.

Neque

Neque fundamenta opposita firmata
8 sunt, respondetur, enim quod † ex natura rei, & naturali iure receptio ista sine licentia vxoris nulla est, & veluti furtum rei alienæ inuito Domino, cuius rei receptio iuridice inualida est, & ab instanti receptionis obligat restitutio quod conuenit in præsenti, non enim interuenit consensus iuridicus vtriusque contrahentis, non secus ac dũ minor contrahit sine authoritate iudicis inualidus est contractus, quamuis vterque contrahens consentiat, rursus id quod di-
9 cunt iura, & Trid. quod annus nouitiatus datur ad experimentum capiendum, & hoc experimentum captum sit etiamsi vxor licentiam non det, friuolum est nam etiam in illo, qui admittitur sine licentia capituli, hoc experimentum est factum, similiter in illo qui deuotionis causa per aliquot annos vitam monasticam inter monachos agit, & tamen in vtroque casu requiritur annus nouitiatus iuridicus qualis non est sine receptione iuridica, & non est talis, quæ fit sine licentia alterius coniugis.

10 Vnde † ratio motiua Sacrorum canonum & Trident. ad requirendum annum nouitiatus non est precisè, vt sumatur humanum experimentum, tum à religione de moribus quam à futuro religioso de vitæ religiosæ austeritatibus, sumpto hoc materialiter, quia hoc experimentum aliunde potest haberi, sed debet solemniter, & iuridice hoc experimentum sumi, non particulariter sicut antiquitus non per quamlibet traductionem in domum sponsalia transibant in matrimonium, sed hæc debebat es-
11 se solemnis † vt bene Sanchez *lib. 2. de matrim. disp.37. num.14. in fine* ex Lopez *p. 2. in tract. cap.37. in fine*, sic non quodlibet experimentum sat est iuxta Sacrorum canonum & Trident. mentem; sed illud quod fit in nouitiatu iuridico per receptionem validã, quæ non est quum constat non esse legitimam, & legitima non est non præeunte coniugis licentia tacita, vel expressa.

SVBRESOLVTIO II.

Vtrum coniux qui debet licentiam ad nouitiatum, possit illam reuocare?

SVMMARIVM.

1. *An si coniux licentiam præstet ad nouitiatus ingressum intra ipsius spatium possit illam reuocare; & num.2.*
3. *Authoris mens adducitur.*
4. *Renunciatio liberè facta, sicut & donatio parit obligationem iustitiæ.*
5. *An si vxor de facto licentiam reuocet, valida sit reuocatio; & n.6.*
7. *Quandonam non possit vxor licentiam reuocare?*
8. *Quæ donatio aut licentia non possit reuocari nisi in damnum tertij?*
9. *Quænam acceptatio pariat obligationem iustitiæ.*
10. *An non teneatur dare consensum ad professionem emittendam.*
11. *An si coniux dedit licentiam alteri, vt religionem ad annum nouitiatus faciendum & licentia non sit executa, possit reuocari.*
12. *An si vterque coniux mutuam sibi licentiam concedant ingrediendi religionem ad annum nouitiatus peragendum, & iam sint ingressi, & iuridice recepti à religione, neuter possit alteri valide reuocare licentiam.*

SEd est aliud dubium non minus graue
1 † an si coniux licentiam præstet ad nouitiatus ingressum intra ipsius spatium possit illam reuocare? Affirmat Martinus Perez *disp. cit. sect.1. num.3.* etiamsi coniux ingressus fuerit nouitiatum, & habitum religiosum induerit ex receptione iuridica religionis, quia coniux dans licentiam ad huiusmodi ingressum non se priuauit dominio in corpus alterius; quare huius vsum potest
2 repetere, & licentiam reuocare, & toto anno probationis sui coniugis considerare, an sibi expediat perpetuo, sine coniuge viuere, quare sicut qui ingressus est nouitiatum potest exire & tenetur ad coniugem redire, ergo etiam alter qui licentiam dedit poterit reuocare, neque enim qui licentiam concedit tenetur eam non reuocare, vt in superioribus; qui subdito licentiam dant ad expendendum, si expensa non est facta potest illam reuocare; vel si expensa facta est in parte potest reuocare licentiam ne vltra procedat.

Sed ego † aliter verius; & solidius dis-
3 curro, aut enim coniux dat licentiam ad ingressum nouitiatus; ex vi cuius religio alterum coniugem recipit, & habitum illi dedit regularem; & sic nisi graui existente causa; & mutatis notabiliter circunstantiis; eam nullatenus potest reuocare; etsi nouitius possit egredi; & religio ipsum dimittere. Ratio est perspicua, quid ex vi huius licentiæ coniux manens in sæculo renuntiauit iuri suo quod habebat ad petendum debitum, quam renuntiationem acceptauit, tam nouitius ipse; quam religio, vnde ex iustitia tenetur stare renuntiationi, quia † re-
4 nuntiatio libere facta; sicut & donatio parit obligationem iustitiæ, & hæc licentia est quædam tacita donatio sui iuris facta ipsi coniugi, & religioni, quare religio acquisiuit ius sicut & coniux contra alterum con-

quilibet debet votum de non petendo facere de licentia alterius, quare respectu debiti reddendi, aut petendi, vir non est caput mulieris in quo non sit mulier caput viri cum ambo sint æquales, quantum ad hoc,& tam subiecta est mulier viro,quam vir mulieri iuxta Apostolum 1. *ad Chorint.* 7. asserentem, quod *vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor, & è contra vxor non habet*
10 *potestatem sui corporis, sed vir*, quare † semel data licentia de voto continentiæ faciendo isto,facto non est in potestate viri illud reuocare, aut irritare, neque est in potestate dominatiua viri actus ille, quo ex licentia sua mulier vouit continentiam, sed quod mulier sicut & vir non possint vouere continentiam, sine licentia alterius, quæ prouenit ex speciali iure,quod vnusquisque mutuo habet in corpus alterius,ad debitum petendum, & reddendum, & vnusquisque etiam habet ius, ne matrimonium onero-
11 sum nimis sit, vt alter se obliget voto, ad non petendum, esset graue onus, vt alter teneretur semper petere, cui oneri renuntiat per licentiam, quam dat ad vouendum, & ita euidens est, quod actus liber quo alter coniux vouet continentiam non cadit sub potestate dominatiua viri, & sic illud votum, valide nequit irritare.

12 Ex dictis † clarè constat solutio fundamenti Martini Perez, respondetur enim, quod eo ipso, quod coniux dedit licentiam ad ingressum nouitiatus, eam concessit, & abdicauit à se ius ad petendum debitum, iuxta naturam anni nouitiatus, quæ est, quod nouitius potest exire,& Religio ipsum expellere, at cum renuntiatio iuris petendi, sit facta ex vi licentiæ(eam cum sit acceptata ab alio coniuge,&Religione)nequit reuocari ab eo,qui concessit.

§. II.

De licentia requisita, vt coniux absens sit à residentia Mariuali per solemnem professionem.

ET quidem omnino certum est, quod quum coniuges mutuo residant in thoro casto & absque delicto, quod vnus nequit sine alterius licentia tacita, vel expressa validam professionem emittere in aliqua Religione approbata est determinata in iure Canonico, *c. placet cap. quidam de conuersat. coniug.* & apud Patres ex Ecclesiæ traditione omnino indubitatum. Legatur Petrus Damianus, *opuscul.* 16. *cap.* 8. *&* 9. & ratio est perspicua, quia neuter coniux est dominus sui corporis, sed alter alterius. Vnde nequit se tradere Religioni, sine licentia sui consortis si resident in casto thoro & absque delicto in illum commisso.

SVBRESOLVT. IV.

Vtrùm hæc professio sine licentia coniugis sit irrita ex natura rei.

SVMMARIVM.

1. *An professio sine coniungis licentia sit irrita, ex natura rei, vel solum lege Ecclesiastica.*
2. *An si coniux sine licentia alterius solemnem professionem emittat,ex natura rei valeat professio.*
3. *Authoris iudicium affertur, & num.* 4. 5. 9. *&* 10.
6. *An ex natura rei matrimonium consummatum dirimat professionem.*
7. *Votum continentiæ factum sine licentia vtriusque coniugis tacita, vel expressa est ex natura rei nullum, & numero* 8.

SEd, † an hæc professio sit irrita ex natura rei, an verò solum lege Ecclesiastica 1
dubium est, Perez. *vbi supra sect.* 3. *n.* 5. ex lege,dumtaxat Ecclesiastica irritam esse affirmat, sicut professio serui non est irrita iure naturæ, sed ex lege iustitiæ suspendi debet, quantum ad actuale exercitium in iis quæ iure Domini repugnant, quare si aliquatenus consequatur libertatem, professio exerit vires ad ipsum; in iis, quæ ad religiosi status exercitia pertinet. Vnde talis seruus matrimonium ducere nequit & ex vi voti paupertatis incapax est dominij. Ita † coniux si sine licentia alterius solemnem professionem emittet ex natura rei, valet professio & professionis vinculum immutabile perseuerat, quo stante non defraudatur iuri alterius; quia isto viuente vinculum professionis obligationem suam quantum ad exercitium non facit, vnde manet professio valida; quamuis professionis exercitia viuente & inuito altero coniuge, exequi non possint in Religione. 2

Sed hanc sententiam,vt nouitate plenam prorsus falsam existimo, † & nullo modo 3
admittendam, sed quod hæc professio sit omnino inualida ex natura rei & iure naturæ certo adfirmandum. Ratio est perspicua, quia iure naturæ ex vi contractus matrimonij, vterque coniux facit sui corporis traditionem, cuius alter habet veram potestatem dominatiuam, vt ait Paulus 1. *ad Chor.*7. ergo eiusdem corporis traditio solemnis, nequit fieri Religioni per professionem solemnem, in qua trado solum, quod est meum, nec valide possum tradere, quod est alienum, pertinens ad alterius potestatem sicut nequeo validè ex natura
4 rei tradere æquũ,quod est alienum,sed hæc traditio ex natura rei nulla est,& irrita,quod secus est de seruo, iste enim ad statum mutandum,siue matrimonij,siue Religionis & validè contrahendum non dependet à voluntate Domini, sed isto inuito valide contrahet matrimonium, in quo sui corporis tradit dominium vxori, *vt infrà* latius Re-
5 solut... explico. † Vnde ex vi seruitutis non abdicauit ex natura rei potestatem tradendi corpus suum alteri ex vi status matrimonij & professionis, & sic potest tradere Religioni cum illa ineundo matrimonium spirituale quo ligatur quantum ad essentialia, potest tamen extrahi à Domino à Religione, vt sibi inseruiat, quia ad hoc habet ius iustitiæ,quia seruus non est totaliter Domini nisi quantum ad vsum; ast coniugatus matrimonio consummato, nequit ex natura rei se totaliter tradere Deo, qualis tradi-
6 tur per professionem solemnem, & sic † ex natura rei matrimonium consummatum dirimit professionem solemnem; quia taliter coniugatus ex natura sui status, & coniugij, nequit alium statum adsumere, sine licentia coniugis sine qua non habet potestatem corpus suum alteri tradendi; sicut habet seruus, non obstante seruitute, cuius vinculum ex natura rei non est insolubile, sed multis modis solui potest, aut redemptione, aut manumissione, & similibus.

7 Confirmatur totum hoc, quia † votum continentiæ (quatenus continet non reddere, nec petere) factum sine licentia alterius coniugis, tacita, vel expressa est ex natura rei nullum, quia de re illicita, vt expresse tenent D. Thom. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 4. ibi. *Non potest vnus sine consensu alterius continentiam vouere,etsi voueret peccat, nec debet*
8 *seruare votum, sed agere pœnitentiam de malo voto facto.* cuius egregiam dedit August. rationem *epist.* 45. *ad Armentarium, Riparium, & Paulinum.* agens de votis factis continentiæ à coniugatis sine consensu coniugis; quia *Deus non exigit si quis ex alieno aliquid vouerit,sed potius vsurpare vetat alienum est enim votum de re illicita,quia de alieno.*ergo multo magis ex natura rei nulla erit professio tribus votis solemnibus castitatis, &c. comprehensa, quia votum castitatis emissum est in religiosa solemni professione imbibit obligationem nõ petendi, nec red-
9 dendi debitum, vt certum est, ex Ecclesiæ traditione, ergo dubitari nequit, quod si professio solemnis irritat matrimonium ex natura rei, quod istud similiter ex natura rei irritet professionem. Imo addo,quod etsi professio ex natura rei non irritet matrimonium, quia iuxta aliquos Papa potest dispẽsare in voto solemni castitatis, (quod ego non sequor,) sed D. Thom. qui contrarium me docuit, tamen existimo,quod matrimonium consummatum ex natura rei irritat votum solemne castitatis, & per consequẽs professionem solemnem, quia hoc includit non petere debitum coniugale,& sic votum solemne emissum in professione,vtpote de 10
illicita si fiat sine licentia alterius coniugis est prorsus irritum ex natura rei, de quo legendus est, Dominus Caietanus 2. 2. *qu.* 88. *art.* 8. *dub.* 2. §. *ad obiectionem, &* §. *ad eius euidentiam*, in quibus egregias, vt assolet adducit doctrinas.

SVBRESOLVT. V.

Votum Castitatis factum in professione istâ, nullum est & irritum ex natura rei.

SVMMARIVM.

1. *An cum professio inualida sit & nulla ex natura rei, votum castitatis in ea emissum sit nullum, & n.* 2.
3. *An qui profitetur nullam faciat promissionem in tali Religione,ex Martino,& numer.* 4.
5. *Cælestini III. doctrina affertur, & n.* 6.
7. *Necnon Legionens. & n.* 9. 10. *&* 11.
8. *An de voto stabilitatis in Religione & de voto castitatis eodem modo sit philosophandum.*

EX quibus infertur contra eundem Pe- 1
rez. *num.* 9. quod † cum professio ista inualida sit & nulla ex natura rei votum castitatis in ea emissum etiam irritum non solum quoad petendum, sed etiam, quoad reddendum. Ita docuit Basilius Legionens. *l.* 9. *de Matrim. cap.* 11. *n.* 3. *&* 4. Ratio est perspicua, quia in professione solemni fundamentum votorum quæ in ea emittuntur,est traditio solemnis, qua seipsum Religioni huic tradit, in qua tria solemnia Deo facit, atqui traditio illa nulla fuit ex natura rei, ergo vota quæ in illa fundantur, ruunt & irrita euanescunt, quod manifestè constat, nam iste inualide profitens solemniter non manet cum voto simplici Religionis,ita vt teneatur mortuo coniuge Religionem ingredi, & tamen currit eadem omnino 2
ratio, ac de voto Castitatis, quia sicut vouens solemniter castitatem se obligat, ad id quod potest, & ita manet votum simplex, ita vouens solemniter religionem se obligat, ad id quod potest & sic manet votum simplex Religionis, & idem esset iudicium de voto paupertatis,quod maneret simplex, sicut est in Societate Iesu.

Id

Id autem quod respondet Martinus
3 friuolum est, dicit enim quod † qui profitetur non facit vllam promissionem in tali religione, & ideo si de facto non ingreditur ob nullitatem professionis, non potest in eo manere talis promissio, quæ ab intrinseca voluntate, non dimanauit, & ab intrinseco non potest imponi, at facit formalem promissionem Castitatis, à qua promissione aufertur solemnitas stante nullitate professionis, ipsa tamen castitatis promissio valida retinetur ab Ecclesia *cap. quidam cap. placet de conuersione coniugatorum*, quod non facit de aliis votis paupertatis, & obedientiæ; verum enim vero hoc prorsus est inane & ex propria fantasia dictum, quis vnquam
4 negabit quod faciens solemnem professionem non faciat votum formale implicitum tamen in tribus votis solemnibus, religionis in qua profitetur, non enim emittit tria vota extra religionem, sed intra religionem in qua promittit stabilitatem suam quam in multis religionibus expressè promittunt, quare si aliquod votum manet simplex stante nullitate professionis (etiamsi expresse non promittatur stabilitas in religione de qua dicam *lib.*4. de filiatione monastica) necessario manet in illo votum simplex religionis, quod formaliter implicite continebatur in voto castitatis, quod manifeste docet Cœlestinus III. *cap. placet de conuers. coniug.* vbi nulla existente professione mulieris, quæ credens mortuum maritum habitum religionis assumpsit, & ipso reuerso de
5 monasterio educta est, dubitatur vbi an post obitum viri sit ad regularem obseruantiam compellenda, & respondet Papa, *quod redire ad sæculum non erat in eius potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam votum tenuit quod post viri obitũ tenere non desit.* vbi glossa *verb.*
6 *non cogendam*, quod hic *non fuit votum solemne, quia non habuit licentiam viri, vnde non compellitur redire ad monasterium*, & sic addit Pontifex. *Congruentius ad salutem vt ad monasterium redeat vbi bona ducta intentione professionem fecit & habitum religionis accepit.* Vbi manifestum est Papam non solum loqui de voto castitatis emisso in professione, sed de voto permanendi in religione, & stabilitatis in eadem, quantum est
7 ex parte sua, sicut votum castitatis cum obligat semper ad non exigẽdum, si enim solũ fecisset votum simplex castitatis de nõ exigendo liberum esset ei ad sæculum redire, *quod non esse in sua potestate*, ait Pontifex ergo ex eo quod in professione fecit votum permanendi & perseuerandi in Religione, quod cum irrita sit professio manet in ratione voti simplicis religionis, quod expressit
8 glossa *cap. quidam de conuers. coniugatorũ verb. non tenetur*, id est, *non debet ab Ecclesia compelli, ipse tamen peccat si non perficit quod vouit ex quo impedimentum cessauit* argumento 17. *quæst.* 2. *cap. nos nouimus*, quare † de voto stabilitatis in religione, & de voto castitatis eodem modo est philosophandum, cum ergo iste sic professus non teneatur voto permanendi in religione, nec in communi, nec in particulari sicut declarauit Sacra Congr. de illo qui ante debitam ætatem professus est, vt refert Basilius Legionens. *vbi supra n.*6. ita non tenetur voto castitatis emisso in professione nulla.

Quare pro omnibus egregie ad præfatos textus respondet Legionensis † *num.*4. *Pontificem loqui ex præsumptione quadam & vt tutiorem partem eligat, præsumit enim illum habuisse dum emisit professionem voluntatem se obligandi eo modo quo posset, & quia se obligare potest non obstante vinculo, & vsu matrimonij ad non petendum debitum, dicit saltem hanc partem illum seruare debere, at si cui de intentione constaret non esset illo adstrictus voto coram Deo.* Hæc ille, quod ego etiam dico de voto stabilitatis in religione quod vere emittitur in religione, verum enim vero, quia tam votum castitatis quam stabilitatis, & perse-10 uerantiæ in religione fundantur in validitate professionis, quæ est quasi explicatiua obligationis, nisi enim professionem, quis emitteret prudenter ex vi præsentis dispositionis non velit se obligare votis emissis in illa, consequitur, quod destructa validitate professionis, cætera quæ in illa fundantur euerti & corrui. Cæterum cum in foro externo, & præsumptione maneat iste obligatus votis simplicibus castitatis, & perseue-11 rantiæ in religione (vouet enim statum immutabilem in illa dum solẽnirer profitetur, status enim immutabilis, sine perseuerantia non concipitur) etsi valide contrahat matrimonium mortuo coniuge, illicite tamen.

SVBRESOLVT. VI.

Votum continentiæ votum factum sine licentia coniugis validum est.

SVMMARIVM.

1. *An si vnus coniux sine licentia alterius votum castitatis emittat hoc votum validum sit.*
2. *Quæ regula iuris procedat in materia voti, & n.*3.
4. *Quod ex traditis sequatur.*
5. *An votum de non peccando absolutè emittatur sub vna ratione indiuisibili.*
6. *Authoris iudicium adducitur.*
7. *D. Thomæ sensus affertur, nec non multorum aliorum, & num.*8.

9. *An*

9. *An in potestate vouentis coniugis non sit non petere, & n.*10.

1 INfertur secundum quod si extra casum professionis inualidæ sit sermo † si vnus coniux sine licentia alterius votum castitatis emittat hoc votum validum est & obligat ad non exigendum debitum, hoc egregie probat Thomas Sanchez *vbi supra lib.*9. *disput.* 35. *num.* 25. secutus Sylueſtrum *verb. votum* 4. *quæstionib.* 2. *dicto.* 4. Nauarrum *in summa capit.* 12. *numer.* 60. Sotum *lib.*7. *de iust. quæst.*3. *art.*1. *versic. quod si contra arguas* Paludanum *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 2. *art.* 1. *n.* 14. & multos alios quos citat. Fundamentum posuit Sylueſter *vbi supra* ex Panormit. *cap.*
2 *quidam de conuers. coniug.* quia etiam † in materia voti procedit illa Regula iuris. *Si non valet quod ago vt ago, valeat vt valere potest.* in qua se fundauit Pontifex Alexander III. ad Archiepiscopum Pisanum *cap. quidam cit.* præsumens quod qui inuitâ vxore professionem emisit, etsi non possit cogi ad monasterium reuertere mortua vxore, cæterum non potest licite mortua prima, aliam vxorem
3 accipere *promisit enim* (ait Papa) *se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit, non reddere autem non erat in eius, sed mulieris potestate.*

Ex quibus sumitur argumentum, quia
4 † vnus coniux sine alterius consensu extra professionem Religionis vouet castitatem, vult se obligare ad id quod potest, & dare Deo absolute id quod est in eius potestate non vero, quod suum non est, & ex iustitia ad alterius pertinet potestatem, quamuis hoc possit cadere sub castitate promissa, si alter consentiat, tamen si non consentiat nequit votum facere de alieno. Vnde necessario ex vi voti huiusmodi castitatis, cum à nullo alio fundamento pendeat, nec sit alteri rei adnexum, quæ non subsistat, sed solum ex voluntate vouentis absolute casti-
5 tatem ad omnes eos actus se extendit obligatio, qui à solo vouente pendent independenter omnino ab alio, quod non currit in voto facto de non peccando absolute, quod nullum est & irritum, quia de re impossibili, vt bene Sanchez *vbi supra*, nam † votum hoc de non peccando absolute emittitur sub vna ratione indiuisibili quatenus dissonat rationi, at votum castitatis actus eius respicit in indiuiduo, quare si quis actus est de materia quæ non est in mea potestate votum non tenet, tenet tamen quantum ad alios qui cadunt in mea solum voluntate, quantum ad eorum materiam, & sic vtile per inutile non vitiatur, nisi vouens expresse velit se obligare ad quod potest maneatque obligatus ad quod non cadit sub eius potestate.

Dixi (id quod valde est notandum) *quod* 6
hoc votum obligat ad non exigendum, & non dixi, quod non obligat ad non petendum, nam vere ad non petendum non obligat, quia hoc non est absolute in eius potestate, & sic nisi de consensu alterius non potest id vouere. Ita expresse D. Tho. *in* 4. *dist.* 32. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. † *Quidam dicunt quod vnus absque* 7
consensu alterius potest vouere quod non petat debitum, non autem quod non reddat, quia in primo est vterque sui iuris, sed non in secundo, sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret, vnum semper confusionem debiti petendi subire, ideo alij probabilius dicunt, quod neutrum potest vnus absque consensu alterius vouere. Hæc ibi quam doctrinam D. Tho. non vidit Thomas Sanchez, quam si 8
vidisset non impugnaret † Doctissimum Nauarrum *vbi supra* quem sequitur Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 2. *num.* 9. *in commen. litter. Z.* asserentem Pontifices in textibus citatis non dixisse non petitionem debiti, sed exactionem illius, quæ compulsionem denotat ex sui impositione *leg. exigere ff. de iudiciis*, vbi in præfatis textibus *cap. placet & cap. quidam, de exactione.* Loquuntur expresse non de petitione, vtcunque amicabiliter & humiliter in gratiam alterius ne matrimonium illi sit onerosum † quare in pote- 9
state vouentis coniugis non est non petere, quia hoc semper est cum damno alterius, cui esset onerosum matrimonium si semper deberet petere, quare solum est in potestate coniugis vouentis non petere exigendo & compellendo ex vi iuris & dominij, quod habet in corpus alterius, vt reddat, & ad 10
hoc valet votum (vt ait Pontifex) *vt scilicet non petat exigendo*, etenim votum est de non petendo quum licite poterat petere, & non potest licite non petere, quum ex non petitione perpetua, matrimonium fit alteri onerosum, dum semper deberet petere, quod vergit in damnum, non paruum ipsius, confusionem scilicet, quam parit perpetua petitio, quæ omnia valde consideranda sunt à prudenti confessario.

SVBRESOLVT. VII.

Vtrum qui sine licentia coniugis professionem emisit possit à Religione fugere?

SVMMARIVM.

1. *An professus qui ob defectum licentiæ alterius coniugis inualidam emisit professionem, possit altero non repetente propria authoritate fugere, & numero* 3.

2. *Quæ professio fieri non debeat nisi ex consensu & voluntate communi.*
4. *Authoris iudicium, & n.11.12.25. & 26.*
5. *An si coniux sit certus quod sua professio sit irrita, quod alter non consenserit tuto possit habitum dimittere.*
6. *Dispositio Conciliaris non est purè pœnalis, & num.7.*
8. *An professus teneatur in conscientia si potest probare nullitatem suæ professionis.*
9. *Patris Suarez mens affertur, & n.10.*
13. *Ecclesia patitur iniuriam dum spoliatur possessione sua, & n.14.*
15. *An iste qui potest iuridicè probare nullitatem suæ professionis, si aufugiat teneatur in conscientia ad redeundum.*
16. *An si coniux qui licentiam præstare debebat mortuus est, & ille qui professionem emisit sine eius licentia probare potest nullitatem, nisi possit aufugere valeat, & n.17.*
18. *An transacto quinquennio possit coniux qui in sæculo mansit repetere alterum qui sine suo consensu professionem emisit.*
19. *An coniux in sæculo manens toto vitæ spatio dissimulauit cum posset reclamare, an rata censeatur facta professio sine licentia, & n.22.23.27. & 28.*
20. *Sanchez & multorum aliorum sententiæ adducuntur, & n.21.*
24. *An si vir de consensu vxoris fuerit ingressus, non constet quod hic fuerit expressus consensus, sed tacitus.*
29. *An cum semper præsumptio duret donatio sit irreuocabilis.*
30. *An dissimulatio vxoris facint quod maritus prudenter iudicet quod consentit cum posset reclamare, & n.31.*
32. *An Religio nequeat expellere eum qui dissimulante vxore professionem emisit.*
33. *An si intra bimestre alter coniux religionem ingrediatur, ibique secundum ius professionem emittat, dissoluatur matrimonium.*

1 INfertur tertium decisio illius dubij, † an professus qui ob defectum licentiæ alterius coniugis inualidam emisit professionem, possit altero non repetente, propria authoritate à Religione fugere & habitum deserere sine eo, quod iudicis competentis sententia nulla declaretur professio, vt suo coniugi resideat. Pater Thomas Sanchez *l. cit. disp.* 34. *n.*15. adfirmat, tum quia talis professus est obligatus lege iustitiæ ad seipsum restituendum alteri coniugi & quandiu hæc restitutio non fit est raptor rei alienæ. Vnde *cap. accedens de conuers. coniugat. & cap. notificasti* 33. *q.*5. hoc factum sine iudicis decreto
2 non reprehenditur *& cap. vna sola ead. cau. & 9.* dicitur, *quod † talis professio fieri non debet nisi ex consensu & voluntate communi, quod si aliter fiat magis est corrigenda temeritas, quã soluenda promissio*, ex quibus verbis Glossa *verb. corrigenda. & cap. notificasti. cit. verb. cum fœminatione.* sententiam Sanchez sequitur.

Martinus Perez. *vbi suprà n.*15. Basilius *lib.9. de Matrim. c.*11. *n.*8. Castro Palao *t.*5. *tr.* 16. *disp.*2. §.4. *n.*3. & plures alij censent † istũ 3
professum sine consensu alterius coniugis, non posse propria authoritate habitum dimittere, & ad vxorem diuertere, & simul cum eo resideat, quia publico instrumento constat talem esse professum, & sic constare debet publico iudicio de nullitate professionis. Vnde in Trid. *sess.*25. *de Regular. cap.*19. statuitur, *vt ex quacumque causa velit habitum dimittere qui professus est, res examinetur coram Prælato & Ordinario.* id quod nos latè discussimus anteriori libro, ergo iste de quo loquimur, nequit propria authoritate habitum dimittere & ad residendum cum consorte diuertere.

Sed ego aliter incedo † meo discursu, aut 4
enim coniux, qui licentiam non dedit viuit, aut est mortuus, etsi mortuus cum possit professus reclamare quinquennium trãsiit, aut nõ, rursus, aut professus certus est, quod coniux non solum consensum non prætulit, sed expresse dissensit, & contra dixit ne à sua cohabitatione & residẽtia discederet, at hoc nequit probare, aut habet sufficientem probationem, amplius coniux expressum consensum non præbuit, aut dissimulauit.

Igitur † si coniux certus est, quod sua pro- 5
fessio est irrita & inualida, quia alter non præbuit consensum, tuto potest habitum dimittere, & ad residendum cum vxore diuertere, secluso scandalo, quia reipsa, professus non est & reddit alteri, quod suum est, imo ad hoc tenetur si sine scandalo id faciat, & hoc videntur velle Authores primæ opinionis, si tamen id potest probare, nequit propria authoritate id perficere, sed iudicis competentis iudicio publico. Ita Pater Suarez *t.*3. *de Religio. lib.*7. *cap.*3. *n.*11. & id probant quæ adduximus pro secunda sententia, quamuis enim Trident. non ponat expresse aliquod præceptum, quod hoc modo procedatur in recedendo à Religione, qui nulliter professus est, tamen † depositio cõ- 6
ciliaris, non est purè pœnalis, sed præceptiua cum materia sit grauissima & pœna ita grauis non imponitur, nisi graue peccatum esset eam legem transgredi, quod in legibus Ecclesiasticis manifestum. Legislator enim Ecclesiasticus prius attendit forum interius, quam exterius & hoc propter illud; & quidem pietati Ecclesiæ congruum, quod si quis potest licite aufugere à Religione, quia re- 7
ipsa professio sua irrita est, quod propter talẽ fugam licitam priuet illum omnibus priuilegiis

legiis & fauoribus Religiosis, quare cum valdè pertineat ad bonum publicum, vt quod quum aliquis bona fide possidet etsi sit alterius non possit verus Dominus propria authoritate licitè vsurpare, hæc enim vsurpatio indebito modo facta infert per se scandalum, & perturbationem Reipub. & boni communis, quod per se est dissonum rationi contra ius possessorium, quod habet Religio ac per consequens contra iustitiam.
8 Vnde iste † publicè professus tenetur in conscientia si potest probare nullitatem suæ professionis id facere coram iudicibus competentibus, neque id potest facere propria authoritate, quod si faciat nequit in conscientia vti priuilegiis Religionis, à qua fugit, tum quia Concilium eum illis priuat, tum quia reipsa non est professus illius Religionis à cuius possessione per fugam se liberat, & sic nec ratione professionis potest illis frui, sicut potest ille qui coram iudice probat nullitatem toto tempore litis vsque ad sententiam diffinitiuam.

Quod si iste coniux nulliter professus & potens probare nullitatem probatione iuridica hac spreta aufugit, & ad residendum cum suo consorte diuertit à religione. Pater
9 Suarez *n.*12. dicit, quod † iste quamuis malè in hoc fecerit non tenetur ad religionem redire, quia professio nulla est, & Concilium solum dicit, quod non audiatur, sed cogatur in Religione permanere, non vero, quod ipse teneatur redire, tum etiam, quia si quæ culpa commissa est solum fuit quantum ad modum recedendi, à religione, non vero quantum ad sustantiam, & ita non est obligatio in conscientia ad se restituẽdum Re-
10 ligioni. Vnde quamuis iste iubeatur redire sub excommunicationis pœna, & declaretur, vt contumax excommunicatus non obligatur in conscientia, nec ligatur cẽsura, nisi quoad exterius, hoc enim præceptum fundatur in præsumptione, & ex illâ dimanauit, & sic cum rei veritas non subsistat non obligat.

Ego tamen existimo in specie huius dubij
11 † quod licèt iste qui potest probare nullitatem suæ professionis, si aufugiat non teneatur redire ad religionem. & illi se restituere ratione rei acceptæ, nec ratione modi quo se absentat scilicet occultè: at tenetur ex aliis capitibus primò, quia iniuste aufert à religione possessionem, quam habet bona fide suæ personæ, cum possit iuridicè probare nullitatem & ad hoc tenetur ex vi iustitiæ legalis, ne possessor bonæ fidei spolietur possessione sua, & sic tenetur in conscientia at-
12 tentatum restituere, ne perturbetur pax publica. Deinde, quia cum istè publicè sit professus, & non constet publicè non habuisse consensum alterius coniugis, ergo ex vi iuius actionis fugitiuæ sequitur publicum scãdalum, maximè si cũ altero cõiuge resideat, & sic tenetur cum possit publicè probare nullitatem professionis. Deinde, quia † Ec- 13
clesia patitur iniuriam dum spoliatur possessione sua, ergo iuste præcipit restitutionẽ spolij sui, ergo tenetur spolians in conscientia eam facere & si non faciat dubio procul censuris ligatur, quia non obedit iusto Ecclesiæ præcepto, quod non fundatur in præsumptione, sed est dispositiuum ne ad libitum spolietur Ecclesia, non enim minus læditur iustitia dum quis spoliatur possessione bonæ fidei, quam dum spoliatur re cuius habet dominium, nam verè est etiam domi-
nus possessione, quare si spolians potest iuri- 14
dicè probare rem esse suam, vt publicè eam accipiat tenetur in conscientia id facere, si autem non potest id probare, vt valet occulta recompensatione, non tamen publica ablatione. Quare iudico, quod † iste, qui po- 15
test iuridicè probare nullitatem suæ professionis, si aufugiat tenetur in conscientia ad redeundum, vt publico iudicio probet se nõ esse professum, & quod Religio non iustè posideat, & quousque hoc faciat absolui nequit, si liberè & absque incommodo graui id præstare valet.

Si vero † coniux qui licentiam præstare 16
debebat mortuus est, & ille qui professionem emisit sine eius licentia probare potest nullitatem, & sic dicendum, vt modo dicebam, si autem non potest aufugere valet intra quinquennium, quia non tenetur intra illud ratificare professionem si vero quinquennium transiit in quo liberè potuit, vel aufugere, vel reclamare & id non fecit, iam profiteri tenetur iuxta dicta dum de quinquennio Trident. esset sermo, quod magis *Resol. sequent.* comprobabo.

Si tamen coniux cuius licentiã debet ha- 17
bere alter, vt validam emittat professionem, viuit, & per quinquennium non reclamauit, nec petiit restitutionem coniugis cum liberè posit petere aliquis posset dicere, quod tacitè consensit & sic si aliter ratificet professionem valida erit, nec potest alter iam repetere iure ordinario, sed iure restitutionis in integrum allegando ignorantiã, aut aliud, vt beneficium restitutionis in integrũ detur, quia si transacto quinquennio ex Trident. cẽsetur profiteri, qui cum posit reclamare, nõ reclamauit, ita cẽsetur coniux, qui potuit repetere, cõsentire, si nõ repetat, sed verius est, quod etiã † trãsacto quinquennio potest 18
coniux qui in sæculo mansit repetere alterum qui sine suo consensu professionem emisit, quia ius suum semper manet illæsum, & potestas quam habet in corpus alterius, & lex Tridentini solum obligat professum, qui per quinquennium potuit

potuit libere reclamare, & non fecit, quare dissimulatio per quinquennium alterius qui in sæculo mansit, non arguit tacitum consensum, & licentiam siue coniux relictus in sæculo ignorauerit ius, siue ipsum sciuerit, vt bene Sylvester. *Matrimonium.* 8. *q.* 12. *dict.* 4. Calderinus *cap.* 1. *de conuers. coniug.* & ibi Abbas *num.* 7. & 8. quos citat & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 35. *num.* 13. quia sola ad tempus dissimulatio non est licentia, & licentia requiritur, vt coniux iure priuetur.

19 Cæterum † cum coniux in sæculo manens, toto vitæ spatio dissimulauit cum posset reclamare, an rata censeatur professio facta sine licentia, ita vt non possit habitum deserere & aliud matrimonium valide inire? Thomas Sanchez *vbi modo n.* 15. existimat, quod nisi noua adsit ratificatio, non est valida professio facta, quia si semel professio fuit irrita, non videtur qualiter consensu illo tacito ratificetur, sicut nec validatur, etiamsi accedat consensus expressus coniugis manentis in sæculo, vt ipse latè probat *disp.* 34. *n.* 16.

Sed ego contrarium prorsus verius & securius iudico, sic enim sensere ferè omnes
20 antiqui, quos Sanchez refert † *num.* 13. & 15. Nauarrus *lib.* 3. *consilior. tit. de conuers. coniug. consil.* 3. *nu.* 4. Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 15. *num.* 10. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap.* 239. *num.* 3. Vega *tom.* 2. *cap.* 34. *casu* 104. qui loquuntur quum adest consensus expressus manentis in sæculo & quantum ad hoc idem est consensus expressus, & verus tacitus. Hoc probant Authores ij,
21 *ex cap. consuluit. de conuers. coniug.* vbi Clemens III. id videtur decidere, sed non videtur efficax, quia, vt notat Glossa *in tertia formatione casus.* & verbo *dirimendum* ibi. *Ille professus est licentia vxoris data ante professionem.* Ratione ergo efficaci probatur, quia
22 eo ipso, quod † mulier tam in professione emittenda quam in reliquo vitæ spatio non reclamauit, nec ostendit dissensum, cum posset eo ipso, quod toto tempore vitæ dissimulauit, censetur à principio tacitum consensum præbuisse, quem irreuocabiliter confirmauit morte suâ in qua non declarauit dissensisse, & sic est licentia tacita, quæ retrotrahitur in vi cuius traditio quam coniux fecit sui Prælato & Religioni firmatur & irreuocabilis redditur, etsi enim ante
23 mortem coniugis vera fuerit reipsa professio ex vi tacitæ licentiæ (quæ idem operatur ac expressa quantum validitatem professionis sicut professio tacita eandem inducit obligationem ac expressa) tamen, quia tacita, & non cognita poterat in foro externo coniux relictus in sæculo repetere coniugem suum, tamen illo mortuo & non declarante, quod dissensit professioni factæ, iam etiam in foro externo omnino irreuocabilis manet, & omnino confirmata relinquitur morte coniugis, & ad hoc potest deseruire decisio textus *in cap. consuluit.* In quo etsi vt notat glossa † vir 24
de consensu vxoris fuerit ingressus, tamen non constat, quod hic consensus fuerit expressus, sed tacitus, quia ipsa ingressum non repugnauit, sed dissimulauit in qua dissimulatione stetit vsque ad mortem, & vir per moram & amplius fuit ante vxoris mortem, & Pontifex dicit, quod iste talis tenetur stare in Religione, vt professus, & quod validè nequit contrahere matrimonium, & quidem hunc esse huius decisionis genuinum sensum mihi persuasum habeo, † ex eo, quod in textu nihil dicitur de con- 25
sensu vxoris, etsi antea, licentiam ipsius expressam, aut censensum vir habuisset, non esset locus occultatoni, quia indubitatum erat in iure, quod vir de licentia vxoris expressa si profiteatur tacitè, vel expressè professio valida est, nec potest sic professus, 26
etiam mortua vxore habitum dimittere, & matrimonium contrahere, *cap. cum sis cap. significauit. de conuers. coniug.* quare consultatio fuit, quum non erat licentia expressa, ad profitendum, sed ad summum, ad primum ingressum, vt vult glossa citata & ad professionem tacitam fuit consensus tacitus per dissimulationem vxoris, quem confirmauit morte sua, quem sensum omnes recipiunt, vt bene aduertit Barbosa *ibi num.* 3. antiquioribus ferè omnibus citatis, quibus adiungit Brunellum *de sponsalibus conclus.* 30. *num.* 9. Azorium *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 6.

Ad fundamentum Sanchez respondetur, 27
quod † si quis professus est non actualiter repugnante vxore, sed dissimulãte, & sciente maritum professionem emittere non contradixit talis professio, nec manet eius obligatio suspensa, sed est valida & rata, tamen non est omnino irreuocabilis authoritate iudicis, si transacto aliquo tempore mulier reclamet & petat maritum suum in quo casu reuocatur professio, & donatio 28
quam vir fecit suæ personæ Religioni, nam vir præsumit & benè, quod dum videnti & sciente vxore cuius est, se dat Religioni, quia non contradicit cum possit, quod consentit in tali traditione & donatione sui, vnde quousque veritas clarescat, quod non consentit, quia repugnat semper professio valida & subsistens est, habet tamen imbibitam conditionem nisi mulier repugnet, quare ablato impedimento repugnantiæ mortua vxore omnino inualida redditur professio, quare † sẽper, quod talis 29
præsumptio durat donatio est irreuocabilis,

at perpetuo durat mortua vxore, quia nequit iam præsumptio illa euanescere, sed facta est veritas. Vnde taliter professus tenetur & obligatur tribus votis Religionis sicut & cæteri.

Ex quo fit, id multo magis verum esse, si aliquis dissimulante vxore professionem emittat & vxor postea expresse consentiat, quod iste consensus expressus omnino irreuocabilem & validam reddit professionem. Ita Glossa *cap. mulier el.* 1. 33. *q.* 5. vbi Turrecremata *num.* 1. Henriquez *cap. vxoratus n.* 8. *de conuers. coniug.* & alij, quos supra dedi est contra eundem Thomam Sanchez *lib.* 7. *cit.*
30 *disp.* 34. *num.* 16. ratio est supra data, quia † dissimulatio vxoris facit, quod maritus prudenter iudicet, quod consentit, cum posset reclamare, vnde quousque expresse dissentiat præsumit, quod det consensum, vt se tradat Religioni, quare se valide tradit professione etsi non omnino irreuocabiliter, quia mulier potest contradicere, quod si non contradicit, sed expresse consentit donatio & professio omnino consolidantur
31 sine nouo consensu viri, sed ex vi prioris, quo ipse manet adstrictus quousque mulier contradicat & repetat, quod si repetat & non consentiat euanescit professio, quæ ex parte viri fundabatur in præsumptione orta ex dissimulatione vxoris, & quo vsque mulier dissentiat veram inducit obligationem obseruandi tria vota substãtialia, sicut scholares Societ. vere obligãtur tribus votis simplicibus eos quousque Pater Generalis, excludat, & repugnet quod sint in Societate.
32 Vnde fit quod † religio nequit expellere eum qui dissimulante vxore professionem emisit, quia ex parte professi, & religionis omnino irreuocabilis est professio, nisi mulier repetat & expresse dissentiat, quod totum constat in matrimonio rato, & non consummato, quod ab instanti in quo finiuntur verba, quibus explicatur mutuus contrahentium consensus, inuariabilis est & indissolubilis contractus ex natura rei, ita vt nec Pontifex *vt infrà Resol.* dicam, dis-
33 soluere nequeat, & tamen † si intra bimestre alter coniux religionem ingrediatur ibique secundum ius professionem emittat dissoluitur, & antea nec eius obligatio contractus manebat in suspenso, nec erat proprie conditionalis, quod si bimestre transeat sine nouo consensu & voluntate contrahentium, omnino fit irreuocabile & indissolubile etiam per ingressum religionis, ita fit in specie præsentis dubij & anterioris.

* * *

SVBRESOLVT. VIII.

Quid dicendum quando coniux sint aliqua licentia est professus, si qui mansit in sæculo adulterium commisit?

SVMMARIVM.

1. *Quid veniat dicendum quando coniux qui professus est sine coniugis alterius licentia expressa vel tacita, etsi coniux qui in sæculo mansit adulterium commisit.*
2. *An cum vnus coniux sine alterius licentia professionem emisit, sit inualida professio.*
3. *Si à monasterio probetur adulterij exceptio, an non sit liberum professo exire, & numer.* 4.
5. *An si professus se obligauit quantum potuit & totum quod suum est dedit monasterio, dederit etiam actionem ad excipiendum contra adulterum.*
6. *An professus etsi ciuiliter iuxta decreta Pontificum sine licentia vxoris nulliter professionem emiserit, & naturaliter quantum potuit se obligauit religioni in conscientia teneatur illi seruare, quod donauit.*
7. *An qui inuita vxore professionem emisit coactus sit ad eam redire.*
8. *An in donatione quam professus sui fecit in professione monasterij id tradat, quod fuit in eius potestate.*
9. *Conuentus statim atque adulterium fuit commissum plenum ius adquisiuit in professum.*
10. *Sanchez sensus adfertur, & num.* 11. & 12.
13. *Necnon authoris mens, & numero decimo-tertio.*
14. *Ratio difficultatis affertur.*
15. *An si professio fuit nulla iura & actiones maneant apud professum, & numero* 16.
18. *An coniux relictus in sæculo qui adulterium commisit si hoc sit occultum professo, potest in foro conscientiæ reuocare alterum, qui sine eius licentia est professus.*
19. *Multorum DD. opiniones afferuntur, & num.* 20. & 21.
23. *An iniuria adulterij sit facta antequam innocens eam agnoscat, & num.* 24. & 25.
26. *An si vir sine licentia vxoris professus inualidè manens in sæculo adulterium commisit quod professus nouit possit à religione exire.*
27. *An si postquam vir dimisit vxorem propter adulterium ante professionem ipse adul-*

terium commisit professio valida non sit nisi mulier consentiat, & num. 28.

INfertur vltimo, quid dicendum quando
1 † coniux, qui professus est sine coniugis alterius licentia tacita, vel expressa si coniux qui mansit in sæculo adulterium commisit & quidem si qui professionem emisit caste vixit, & adulter non fuit ante illam, qui tamen in sæculo mansit adulterium commisit ante professionem, & in hac specie professio valida est cum non fuerit facta in alterius præiudicium, qui per adulterium priuatus est iure petendi debitum, quod se eius est si professus ante professionem adulter extitit, quia compensantur delicta, & vterque coniux æquales existunt, & per vnius delictum ius alterius ipso facto recompensatur, quare
2 superest dubium † quum vnius coniux sine alterius licentia professionem emisit & sic est inualida, an si manens in sæculo adulterium committat possit religionem relinquere, & ad sæculum redire & condonans adulterio iniuriam cum illo cohabitare & residere simul? & quidem ipse non tenetur exire, sed liberè potest permanere, non excipiendo contra adulterium, & liberè potest exire excipiendo, si exceptionem probet, quod si ipse non excipiat, sed monasterium,
3 aliqui existimant, quod † si à monasterio probetur adulterij exceptio non est liberum professo exire, quia etsi professio fuerit nulla absolutè, at cum fuerit verus contractus factus cum monasterio, quod habet priuilegium minorum obligat in præiudicium professi eo modo quo obligari potest, argumento *ex his quæ docent DD. Instit. de authorit. tuto. leg. contra iuris ff. de pactis.* & nostri
4 Regnicolæ *leg.* 17. *tit.* 16. *p.* 6. *& leg.* 4. *tit.* 11. *part.* 5. contractum pupilli, aut minoris absque curatoris authoritate celebratum, non valere nisi in eius fauorem, & in quantum illi est proficuus, vnde minorum contractus ciuiliter sint nulli facti sine licentia requisita, tamen minor potest illi stare, si sibi vtile iudicetur, & alter contrahens tenetur in conscientia illi stare, & non rescindere eum. Ita in præsenti videtur dicendum,
5 † quod professus se obligauit, quantum potuit, & totum, quod suum est dedit monasterio & sic dedit etiam actionem ad excipiendum contra adulterum, quare si probetur exceptio monasterio nequit iste coniux libere exire, & confirmatur ex alia doctrina, quam sequitur ipse Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. disp.* 38. *à num.* 21. pro qua multos citat dicens esse communiorem & probabiliorem, quod pupillus & minor contrahentes sine licentia & auctoritate requisita à iure, etsi non obligentur ciuiliter, obligantur naturaliter & in foro conscientiæ, quam sententiam multis egregiè probat, ergo † iste professus, etsi ciuiliter iuxta de- 6
creta Pontificum sine licentia vxoris nulliter professionem emiserit, & naturaliter, quantum potuit se obligauit Religioni & in conscientia tenetur illi seruare, quod donauit, nam in professione dedit Religioni totum, quod suum erat & poterat dare, argumento *ex cap. quidam de conuers. coniugat.* vbi dicitur, *quod* † *qui inuita vxore professionem* 7
emisit coactus est ad eam redire, sed vlterius non potest vxorem accipere, promisit se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit, ex quibus efficax valdè sumitur argumentum, quia non petere, quod erat in potestate professi fuit materia voti, quod tenuit, quantum ad hoc, quia hoc erat in potestate professi, ergo in 8
donatione & traditione, quam sui fecit in professione monasterij id tradit, quod fuit in eius potestate, quale est ius, quod habet coniux professus, ad excipiendum de adultero, quare in conscientia obligatur adstandum Monasterio si excipiat, quia Monasterium habet ius ad excipiendum contra adulterum, etsi exceptio probetur, nequit licitè fugere à religione, quia conuentus sta- 9
tim ac adulterium commissum est plenum ius acquisiuit in professum, & ita iste resilire nequit, sed tenetur in conscientia stare contractui in quo naturaliter se obligauit, quantum potuit. Hæc sententia valdè probabilis est, quam tenent Glossa *cap. veniens verb. sponte de conuers. coniug.* quam sequuntur ferè omnes antiquiores Canonistæ, quos citat Sanchez, & pro se nullum adducit nisi glossam eandem, *in eodem cap. veniens*, quæ dicit, † *quod si vir exiens à monasterio nolit* 10
excipere poterit iniuriam vxori condonare, & sic cum ea habitare & residere, in quo (ait Sanchez,) Glossa palinodiam recantauit, sed fallitur, quia glossa loquitur in casu textus, in quo mulier fuit decepta, & sic votum ex toto non tenuit hoc est, quod monasterium acquisiuit, quia impeditum est propter mulieris deceptionem, & ita etiamsi contradicat monasterium potest vir remit- 11
tere iniuriam adulterij, quia ipsam dum intrauit monasterium vir decipit, & in priori loco loquitur glossa, quum coniux manens in sæculo non fuit deceptus, sed non concessit licentiam, & adulterium commisit, & eius repetitio exceptione adulterij facta à monasterio elidi potest, quod maximum fundamentum habet in decisione *cap. veniens*, vbi dicit Pontifex, *mandamus quatenus si ita est prædictum Laurentium in monasterio, quod intrauit perseuerare liberè permittatis*, vbi si mandat Pontifex non relin- 12
quit in libera potestate monasterij, aut professi, quod perseueret in monasterio quare

ly *permittatis*, idem est quod recipiatis, & ly *liberè*, idem quod sine offensione.

13 Sed quamuis vt dixi hæc sententia & propter Authorum authoritatem & antiquitatem, & propter fundamenta à me posita valde sit probabilis, tamen opposita probabilior est, hodie, quod non obstante, quod monasterium contradicat, & excipiat vxori fornicationem, nihilominus potest vir exire à monasterio & iniuriam remittere vxori adulteræ, & illi cohabitare, & in eodem lecto cum ipsa residere. Ita Thomas Sanchez *lib. cit. disp.* 36. *num.* 3. Barbosa *in collectan. ad præfatum cap. veniens num.* 4. Ra-
14 tio est, † quia illa professio fuit inualida, etsi enim in foro conscientiæ professionem emittens & voto simplici continentiæ, & religionis sit adstrictus, tamen hæc vota non obligant ne valide possit remittere iniuriam sibi factam, quia professio in quantum solemnis nulla fuit, quare monasterium non acquisiuit ius ad remittendam iniuriam, quia solum per professionem solemnem validam ius acquirit monasterium iurium, &
15 actionum professi; si autem † professio fuit nulla iura & actiones manent apud professum vtpote cum solum per solemnem professionem reddatur illorum incapax quare nec monasterium iure potest excipere, cum non habeat ius ad excipiendum, sed qui nulliter est professus, verum est quod ita ratione voti simplicis religionis peccauit remittendo iniuriam cũ possit non remittere,
16 & sic votum implere, tamen semel remissa nequit religionem ingredi viuẽte vxore, ista tamen mortua tenetur, vnde ea quæ pro sententia altera allata sunt soluta manent.

17 Sed addendum primo quod † cum coniux professionem emittens deceperit Religionem in pœnam deceptionis, posse tunc professum cogi ad standum professioni, & quod vxori non remittat, & condonet iniuriam adulterij. Ita Thomas Sanchez *disp.* 36. *cit. num.* 3. *in fine* sicut *disp.* 34. *eiusdem libri* 7. dicit quod si quis decipiat religionem tacens esse coniugatum si accedat consensus vxoris, & nolit ratificare professionem potest religio cogere in foro externo vt ratificet *cap.* 1. *de eo qui duxit in matrimonium, &c.* Sed vtrumque debet fieri lata sententia iudicis competentis, nam ante eam non obligatur ad ratificandum.

18 Addendum secundò, † quod coniux relictus in sæculo qui adulterium commisit si hoc sit occultum professo, potest in foro conscientiæ reuocare alterum qui sine eius licentia est professus. Ita Bartholom. à S. Fausto. *in Thesauro Religios. lib.* 5. *quæst.* 89. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 36. *num.* 1. Barb. *in Collect. ad cap. veniens cit. num.* 2. Sed hoc additamentum non est vsquequaque firmum imo oppositum mihi firmius videtur, scilicet, quod adulter etiamsi occultissimum, sit delictum quamuis possit petere debitum vt omnes fatentur, at non potest exigere, & qui reuocat professum exigit, ad quod non habet ius adulter, etiam occultus, id quod † docuit Sylvester *verb. adulterium q.* 6. 19
num. 8. *& verb. debitum coniugale n.* 13. *q.* 11. *versic. adulterans.* Petrus de Ledesma *q.* 62. *de matrim. art.* 1. *dub.* 1. dicit hoc esse certum Couarru. 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 7. §. 2. *num.* 4. *in fine*, est expressa sententia D. Thomæ *in* 4. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 6. Palud. *ibi quæst.* 1. *art.* 2. Nauarri *in summa cap.* 22. *num.* 23. & planum esse dicit Legionens. *lib.* 9. *de matrim. cap.* 20. 20
num. 5. Ratio huius est perspicua (quam miror non aduertisse doctiss. Tho. Sanch. qui contrarium late probat *lib.* 1. *de matrim. disp.* 68.) quia hic agitur in foro animæ in quo vere adulter occultus iniuriam intulit innocenti, ergo in foro animæ, nequit iniuriam facere innocenti ipsum reuocando per iudicis decretum, cum iam ille coram Deo ius acquisiuit ad perseuerandum in Religione quæ iuris acquisitio nota est adultero occulto, quod enim innocens ignoret se tale ius 21
acquisiisse est per accidens si qui repetit scit tale ius acquisitum, sicut creditor etiam si ignoret debitum pecuniæ tamen debitor non deobligatur à debiti solutione, ita cum ex vi adulterij innocens constituatur coram Deo immutabili obligatione reddendi debitum, & re ipsa ita esse adulter, etiam occultissimus id sciat nullum ius habet in foro animæ ad exigendum quod vir sibi restituatur ad exigendum debitum.

Hoc argumentum euidens est nec satisfacit solutio quæ colligi potest ex Sanchez *num.* 6. quod † innocens non est absolutus 22
per adulterium occultũ ab obligatione reddendi, sed tantum habet ius quo se ipsum, possit absoluere in foro conscientiæ, si sibi factum constaret, & quamuis notitia facti non absoluat, sed factum ipsum, tamen est conditio sine qua non vt iuste possit se absoluere. Verum enim vero prorsus est friuola solutio, quia † iniuria adulterij est facta 23
antequam innocens eam agnoscat, ergo innocens habet ius acquisitum ex vi iniuriæ sibi illatæ, etsi ignoratæ vt iniuria recompensetur, & ante recompensationem iniurians nequit exigere id quod sibi non debetur, quamuis enim cognitio conferat ad hoc quod innocens in conscientia possit se absoluere, & ante cognitionem sufficientem 24
nequeat se absoluere, vt immunem à redditione debiti, tamẽ ante cognitionẽ est immunis factus, & hoc cognoscit adulter quãuis secretus, ergo: etsi humiliter possit petere, nequit tamẽ cogere, vt innocẽs reddat debitũ, & quod sibi restituatur si factus est religio-

sus quamuis enim dato, & non concesso, quod actualis denegatio debiti esset pœna lata iure diuino, & naturali contra adulterum, at ius ad illud denegandum, non est pœna, sed oritur ex ipso adulterio: ergo, adulter nequit in conscientia contra hoc ius agere in iudicio, & obligare, vt innocens, qui immunis est ex vi delicti debitum reddat, tum præcipue cum ad hoc quod non exigat necessarium non sit quod adul-
25 ter suum dilectum patefaciat, & se ipsum manifestet, cum possit: tum humiliter petere, absque exactione, tum non repetendo coniugem, qui factus est religiosus, sed illi dando licentiam, & aliis multis modis posset procedere, nec seipsum adulterum declaret.

26 Addendum quartò, † quod si vir sine licentia vxoris professus inualidè & professione existente inualida manens in sæculo adulterium commisit, quod professus nouit, & sic posit à religione exire, iuxta supradicta, si hoc non præstat intra quinquennium à die notitiæ & libertatis ad reclamandum, nequit transacto hoc quinquennio reclamare, sed est in conscientia ligatus decreto Trident. *sess.23. de Regular. c.19.* hunc enim casum dubioprocul comprehendit illa decisio vniuersalis, *velit habitum dimittere quacumque ex causa, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum.*

Addo vltimo quod † si postquam vir
27 dimisit vxorem propter adulterium, ante professionem ipse adulterium cõmisit professio valida non est, nisi mulier consentiat quia iam per mutuum adulterium ambo æquales sunt, & delictum delicto compensatum, & res constituta est ac si nullus cõmisisset adulterium, & sic necessaria erat licentia vt professio alterius valida, & firma subsisteret, si tamen accedat consensus con-
28 iugis manentis in sæculo, potest cogi, vt in statu religioso perseueret. Hoc est contra Suarez *tom.3.de Relig.cap.4.num.7.* id tamen declarauit Sacra Congr. Concilij quam ipse Suar. refert & constat ex his quæ dixi additione. 1.

§. III.

Quæ requirantur, vt licentia coniugis, ad non residendum cum alio per professionem, sit licita & iuridica?

IN anterioribus egimus quid requiratur vt valida sit absentia coniugis per solemnem professionem in religione restat inquirendum, quæ requirantur vt licitè fiat, & quidem nõ sufficere licentiam spontaneam coniugis manentis in sæculo, sed vlterius desiderari quod si senex sit, & non suspectus de incontinentia votum emittat continetiæ perpetuum, etsi iuuenis quod etiam Religionem ingrediatur, & vterque in domo Dei resideat, vt illi inseruiat statuit Ius Canonicum, *cap.cum sis cap.vxoratus.cap.ad Apostolicam. de conuers. coniug.* in quibus id statuitur expressè; vt amplius in sequentibus enodabimus.

SVBRESOLVT. IX.

Vtrum ad professionem coniugis requiratur etiam licentia Ordinarij?

SVMMARIVM.

1. *Vt licita sit absentia vnius coniugis ab altero quid requiratur.*
2. *Authoris iudicium.*
3. *Conc.Rom.mens affertur. & n.6.*
4. *An sine consensu Episcopi iure antiquo licita non sit professio. & num.5.*
7. *Patris Thomæ Sanchez sententia adducitur. & num.8.*
9. *Quid cognoscere, & iudicare non ad Superiorem regularem, sed ad Episcopum & Ordinarium pertineat.*

HOc cum certum sit & indubitatum inter Catholicos, † vt licita 1
sit absentia vnius coniugis ab altero supersunt dubia non contemnenda, & valde vtilia ad praxim. Primum an requiratur licentia Ordinarij. Negant Sanchez *l.7.de matr. dub.32.num.8.* Perez *vbi supra disp.58.sect.5. num.8.* quia nullum ius est, id statuens, & si fuit iam consuetudine contraria euanuit; nullaque extat consuetudo vniuersalis qua hæc licentia exigatur: sed affirmant requiri, non vt validè, sed vt licitè fiat Episcopi licentia, Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Antonius Maiolus apud Sanchez *vbi suprà.*

Sed ego vtramque sententiam Concilio, 2
vt vltima loquatur iure communi antiquo; quum Religiosi subdebantur iurisdictioni Episcoporum; & sic loquitur clarè Concilium Romanum sub Eugenio Papa *cap.36.* celebratum *anno* 826. Episcoporum 63. qui Congregati sunt ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam, & reformandam † refer- 3
tur *cap.si vix & vxor.23. 27. quæst.2.* vbi id expressè statuitur, nec audienda est interpretatio glossæ, quod loquatur Concilium cum vtique volunt construere Monasterium, quod construi nequit sine Episcopi licentia; cum sit expressè contra textum, vt legenti constabit. Deinde, quia Episcopo competit iure antiquo disquirere an manens in sæculo iuuenis, an senex sit, & insuspectus incontinentiæ, vt vel religionem ingrediatur, vel votum continentiæ dumtaxat emittat *cap. Agathosa 21. ead. caus.*

caus.& quæst. ex Adriano *lib.9. epist. 44. ad*
4 *Panorm.Notarium*, ergo † sine consensu Episcopi iure antiquo licita nõ est professio, imo forsan erat irrita, quia sine consensu Superioris, & verbum, *nullatenus* irritum esse quod fit, declarat, vt tenent Sanchez *lib.6. de matrim. disp.32. num.7.* plures citans quibus adiungo Barbosam *de dictio. vsufreq. dubit.226. num.4. & 5.* importat enim nullitatem actus ipso iure habens virtutem decreti irritantis. Rota *p.2. diuersor. decis.24. n.4.* & apud Farinac. *tom.2. decis.107. num.5. in*
5 *vna Treuens. coram Manzanedo sub* 10. *Martij* 1606. vbi dicitur quod ex natura huius dictionis prohibitiuæ & negatiuæ forma censetur in dicta *lege leg.1. D. de liber. & post.* vbi Alexander & Iason. Barth. *num.4.* & Bruno *tract.de forma.art. Quando aliquid censeatur traditum pro forma concl.* 2. at quando lex irritat actum si quis illum faciat contra legem irritantem mortaliter peccat, vt bene aduertit Illustrissimus Archiepiscopus Hispalens. *in sua catena morali lib.4.quæst.12.*
6 *art.2. num.* 3. *in fine.* Quare † cum Concilium Romanum formam præscripserit, præceptum dubioprocul posuit, quod etiam hodie vim habet si quis ingrediatur monasterium subditum Episcopo qui respectu illius superior est, & nequit vxoratus ingredi, aut profiteri sine superioris licentia.

7 Cæterum † sententia patris Thomæ Sanchez, hodie verum tenet in aliis monasteriis exemptis à iurisdictione Ordinarij, qualia sunt fere omnia Monachorum & Mendicantium, & similium, & multa monialium quæ subsunt Superioribus regularibus, istorum enim specialis consensus, exigitur, vt licite coniuges possint ingredi suos conuentus, illis enim incumbit dum huiusmodi nouitios recipiunt ad primum ingressum, & ad secundum, qui est professio examinare ea omnia, quæ iura disponunt vt licite fiat talis admissio, & professio, cum enim Prælati regulares ex vi approbationis suæ Religionis sine Episcopi licẽtia possint nouitios recipere, & ad professionem admittere, ipsis ex vi officij in conscientia incumbit, disquirere ea, quæ necessaria sunt ad talem professionem non Episcopo à cuius iurisdictione sunt exempti.

8 Verum enim vero cum secundum ius etiam nouum manens in sæculo debeat emittere castitatis votum si senex sit, & sine periculo incontinentiæ vel debeat, ingredi religionem si iuuenis sit, aut si senex habeat incontinentiæ periculum *cap.ad apostolicam cit.* hoc † cognoscere & iudicare non ad Superiorem regularem, sed ad Episcopum, & Ordinariũ pertinet, qui est iudex ordinarius, tam manentis quam intrantis regionem, dubio procul requiritur eius iuridi-
9 cus consensus saltim indirecte, vt licite fiat talis ingressus. Ita glossa *cap.1.de conuers. coniug. verb. reuocari.* Rebellus *lib.3. de obligat. iustitiæ quæst.4. num.12.* Bonacina *de matrim. quæst.3.punct.4.num.12.* Laym. quem citat & sequitur Diana *part.4. tract.4.resol.73. versic.notandum.* Ricardus *in 4 dist.32. art.2. quæst.* 3. non tamen erit irrita professio, si fiat sine illo sicut dicebamus secundum ius antiquum.

SVBRESOLVT. X.

Vtrum votum continentiæ eius coniugis qui manet in sæculo, solemnizetur professione alterius?

SVMMARIVM.

1. *An quum manens in sæculo senex sit sine periculo incontinentiæ, votum continentiæ quod tenetur emittere solemnizetur per votum solemne, quod alter emisit in professione.*
2. *Adriani Papæ sensus affertur, necnon authoris iudicium, & n.3. & 4.*
5. *An votum continentiæ quod coniux manens licitè in sæculo ex Ecclesiæ præcepto solemnizetur ex eo quod alter professionem solemnem emisit, & n.6.*
7. *Grauiorum DD. sententiæ adducuntur.*
8. *An si vir de licentia vxoris transierit ad ordines sacros, & mulier votum castitatis emittat, istud solemnizetur, eo quod vir sacros ordines suscipiat, & num. 9. 10. & 11.*
12. *An solemnitas voti vnius in alium redundet.*
13. *An votum castitatis quod emittunt scholares Societatis ex speciali statuto Ecclesiæ, & priuilegio concesso ipsi societati, sit votum simplex.*
14. *Innocentij sententia adducitur; & num. 15. & 16. & 17.*

SEcundum dubium est, † an quum manens in sæculo senex est, & sine pericu- 1
lo incontinentiæ votum continentiæ quod tenetur emittere, solemnizetur per votum solemne quod alter emisit in professione, & quidẽ vt in limine *huius* §. prælibaui, quum vnus ingreditur religionẽ, si alter est iuuenis, vel suspectus de incontinentia cogi debeat, vt religionẽ ingrediatur; similiter pro- 2
fiteatur, constat hoc ex textibus ibi citatis, cuius optimam rationem reddit Adrian. Papa *cap. Agathosa cit.* quia *postquam copulatione coniugij viri & mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte manere in sæculo*, existimo tamen quod satisfaciet vir si religionem S. Ioann. Hierosolymitani, vel alterius religio- 3
nis

nis militaris in qua votum solemne castitatis & alia duo emittuntur. Ita tenent communiter DD. & in praxi obseruari testatur Diana *vbi supra* ex Basilio Pontio *lib.9. de matr. cap.12.num.13.* sequitur Perez *vbi supra n.6.* contra Sanchez *vbi supra num.4. in fine*, non enim huiusmodi equites cum sint vere, & propriè ex vi suæ professionis religiosi, manent proprie sæculares, quamuis maneant
4 in sæculo, de licentia magni magistri, vnde contra periculum incontinentiæ habent votum solemne castitatis, quo debent se tueri, non tamen satisfaciet quis si in Societate Iesu professionem solemnem non emittat, sed dumtaxat tria vota simplicia post biennium, neque in hoc Pater Generalis poterit dispensare, quia potest à Societate dimitti liber ab omnibus votis, & Generalis nequit dispensare in iure communi in quo statuitur, quod in religione perpetuo commoretur *cap. vxoratus. de conuers. coniug.*

5 Igitur dubij superstitis est † an votum continentiæ quod coniux manens licite in sæculo ex Ecclesiæ præcepto solemnizetur, ex eo quod alter professionem solemnem emisit, taliter quod isto mortuo ille qui in sæculo mansit non solum illicite, sed etiam inualide matrimonium contrahat, negat in hoc sensu votum solemnizari Thomas San-
6 chez *num.8.* citat pro se glossam *cap. seriatim verb. post mortem 32. dist.* Cardinal. & Monaldum, quia ad votum solemne requiritur intentio vouentis, & quod fiat vel in religione approbata vel in susceptione ordinis sacri, quod hic non interuenit.

7 Sed † contrarium sentiunt plures & grauiores DD. quod votum manentis in sæculo solemnizatur ad hunc sensum quod etiã mortuo, qui professionem emisit valide non potest contrahere matrimonium. Ita Gothifr. *tit. de conuers. coniug. num.2. & vlti.* Hostiens. *ibi num.3. & cap. ad Apostolicam cit.* Abbas *cap. constitutus num. eodem tit.* Ancharranus *cap. vnico de voto in 6.* Dominicus *ibi n.* 14. Paludanus *in 4. dist.38.q.3.art.5.num.29.* Supplementum Gabr. *dist.32. quæst. 1. art.2. ante.9. conclus.* Astensis *2.p.summ. lib.8.tit.11. art. 2. quæst.9.* Turrecrem. *cap. seriatim dist. 32. art.1.* Ioannes Andr. *cap. cum sis. in fine, vbi* iterum Ancharranus.

8 Hoc mihi verissimum persuadeo hoc argumento, quia † si vir de licentia vxoris transierit ad ordines sacros, & mulier votum castitatis emittat, istud solemnizatur, eo ipso quod vir sacros suscipiat ordines, in quorum susceptione solemniter obligatur
9 ad continentiam, taliter, quod mulier mortuo hoc marito valide cum alio transigere nequeat matrimonium, & cum eo in eodem thoro residere, & cohabitare, ita expresse *cap. quia sunt. cap. si se cap. si quæ vidua 28. dist. cap. seriatim 32. dist.* & tenent omnes fere quotquot scripsere, atqui dum vxor dat licentiam viro, vt ingrediatur religionem etiam virtualiter eam concedit vt ad sacros promoueatur ordines, ergo si de facto illos recipiat, mulier incapax redditur etiam 10
mortuo marito iterum alteri matrimonio iungi, atqui magis solemne, & magis ab intrinseco est votum quod emittitur in professione, quam quod emittitur in ordine sacro, quod forsan non est proprie votum sed Ecclesiæ præceptum, ergo sicut ex vi voti viri in ordine sacro, mulieris votum solemnizatur, ita vt sit impedimentum dirimens multo magis hoc eueniet, ex vi voti solemnis; cumque Ecclesia id statuerit, non quidem præcisè ob reuerentiam ordinis sacri, quia græcis Sacerdotibus matrimonium cõceditur, sed ob reuerentiam voti solemnis, 11
quod Ecclesia latina ob reuerentiam sacri ordinis præcipit fieri, cum vir, & vxor simile, & strictius votum emittat, in professione solemni tale votum simile impedimentum adfert ei qui manet in sæculo.

Huius rationem satis insinuauit Adrianus Papa *cap. Agathosa* quia *postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte in sæculo manere.* Vnde 12
† solemnitas voti vnius in alium redundat, hæc enim solemnitas nihil est aliud, quam impedimentum dirimens matrimonium si coniuge relicto in sæculo cum voto castitatis quæ in se simplex est, sed habet adiunctum hoc impedimentum ex Ecclesiæ statuto tam in statu ordinis sacri quam in statu religioso, votum enim † castitatis, quod 13
emittunt scholares Societatis ex speciali statuto Ecclesiæ, & priuilegio concesso ipsi Societati votum simplex est, & tamen impedit & dirimit matrimonium.

Confirmatur manifesto argumento *ex cap. si quis ex vno 30. quæst.* 4. quod est Innocentij *ad Exuperium Episcopum*, vbi sic habe-
tur. † *Si quis ex vno coniugio filium aut filiam* 14
alterius de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit, vel Christianitatis ministerium dederit, ambo vir, & vxor compatres existunt parentibus infantis, quia vir & vxor vna caro effecti sunt. Hæc ibi ex quibus euidens elicio argumentum ad propositum, si vnus ex cõiugibus suscipiat filium alicuius, ambo coniuges efficiuntur compatres illius, & ambo habent impedimentum dirimens ita vt non possint valide contrahere cum parentibus 15
suscepti, nec cum ipso, quem susceperunt, etiamsi vnus coniugum ignoret, quod alter suscepit, aut ius quod hoc disponit, & rationem dat Pontifex *quia vir & vxor vna caro effecti sunt*, ergo ille etiam qui manet in sæculo & dedit licentiam alteri solemniter profitendi,

profitendi, sicut iste habet impedimentum dirimens ad contrahendum, & iam ille, qui mansit in sæculo idem habet impedimentum etiam mortuo professo, quia vir & vxor vna caro effecti sunt, & erant quum alter solemniter est professus, quo mortuo etiam nequit superstes, sine dispensatione valide contrahere, quod secus esset si transacto bimestre, non consummassent matrimonium, & vnus de licentia alterius pro-
16 fessionem solemnem emitteret, aut filium alicuius suscepperit, tunc enim cum vir & vxor non sint facti vna caro, nec ambo sunt compatres, sed ille qui suscepit, nec manens in sæculo cum voto castitatis habet impedimentum dirimens, sed mortuo professo potest valide matrimonium contrahere: vnde constat, quam friuolum est fundamentum Sanchez, eo enim ipso quod
17 vnus coniugum det licentiam spontaneam ad alterum profitdẽum solemniter, ipse habet sufficientem intentionem vt altero professo contrahat impedimentum dirimens ad contrahendum, quod contrahit quisquis ordinatur sacro ordine eo ipso quod velit ipsum suscipere.

SVBRESOLVT. XI.

Verum si coniux senex manens in sæculo, si est suspectus de incontinentia, debeat ingredi religionem?

SVMMARIVM.

1. *An si coniux manens in sæculo, & licentiam concedens, vt alius professionem emittat si suspectus sit de incontinentia, sufficiat, quod votum emittat continentiæ. & n.2.*
3. *An vt ille qui senex est obligetur ad professionem, quid requiratur, & n.4.*
5. *An coniux manens in sæculo si iuuenis sit cogi debeat, vt religionem ingrediatur & profiteatur, nec sufficiat votum continentiæ, vt alter licitè profiteatur. & n.6.*
7. *An si mulier propter ætatem non habeat periculum incontinentiæ, habeat destituta à viri cura periculum aliorum criminum.*
8. *Sacri Canones solum propter periculum incontinentiæ quid determinent. & n.9.*

1 TErtium dubium est, † an si coniux manens in sæculo, & licentiam concedens vt alter professionem emittat, & si senex sit, est tamen suspectus de incontinentia, sufficiat quod votum emittat continentiæ, an etiam requiratur vt licite fiat professio, quod etiam transeat ad religionem ibique profiteatur non sufficere votum continentiæ, bene affirmat Thomas Sanch. *vbi supra num. 9.* textus enim *in cap. cum sis cap. vxoratus cap. ad Apostolicam cap. significauit de conuers. coniug.* requiruntur duo & quod coniux manens in sæculo senex sit & ste- 2
rilis & quod processerit in diebus suis, & quod sine suspicione incontinentiæ possit in sæculo manere, quare duo copulatiue exiguntur, vt sufficiat votum, vnum quod sit senex, alterum quod non sit suspicio aut timor de incontinentia, si enim iste adest etiam si sit senex non dabitur licentia alteri profitendi nisi iste etiam profiteatur. Vnde *cap. ad Apostolicam. & cap. significauit* non determinatur senectus, vt causa, vt possit manere in sæculo cum solo voto continentiæ, sed *vt sit eius ætatis de qua suspicio haberi non possit, & vt sine suspicione continentiæ maneat, in sæculo remanere.* Verum est quod
† vt ille qui senex est obligetur ad profes- 3
sionem, & illi non sufficiat votum vt in sæculo valeat remanere requiritur vt iuridice probetur quod non obstante senectute, est illius de incontinentia suspicio, nam 4
senectus de qua infra excludit suspicionem incontinentiæ, vnde vt ipsa non sufficiat requiritur quod non obstante tali ætate adest suspicio, si autem non est talis probatio, ætas senectutis sufficit.

Propter quod existimo, quod † coniux, 5
qui manet in sæculo siue vir sit, siue vxor, si tamen iuuenis sit, cogi debet vt religionẽ ingrediatur & profiteatur, nec sufficit votum continentiæ vt alter licite profiteatur. Ita Thom. Sanch. *n.10.* alios citans ita quod non sufficiat probatio iuridica, quod etiam si inuenis sit, caste viuat, quia nunquam 6
probatio potest esse sufficiens, quod iuueni non sit periculum incontinentiæ, si vxor propter mulierum inconstantiam & facilitatem si vir maioribus periculis expositus est, eo quod liberius vagetur & multis implicatur occasionibus, vnde viri iuuenes frequentius in incontinentiam dilabuntur quam fœminæ.

Addo contra Sanchez *num.* 11. quod † si 7
mulier propter ætatem non habeat periculum incontinentiæ, habet tamen destitura à viri cura periculum aliorum criminum, vt quod sit incantatrix, venefica, vsuraria, solicitans fœminas, iuuenes ad sui prostitutionem (Alcagueta) nihilominus Iudex Ecclesiasticus in vi sacrorum canonũ potest consentire quod mansit in sæculo cum solo voto continentiæ. Ratio est perspicua quia sacri 8
canones solum propter periculum cõtinentiæ determinant, quod coniux non maneat in sæculo, sed cogatur ingredi religionem, quia incontinentia aduersatur *bono fidei* quod est vnum ex tribus bonis matrimonij, sicut sacerdos solicitans ad alia peccata, quam luxuriæ non est denuntiandus

dus Inquisitoribus ex vi Bullarum Apostolicarum quæ determinant, quod solum denuntiantes ad venerea denuntiẽtur Sacro S. Officij Tribunali, vt dixi *tom.1.moral.tr.4.*
9 *Resol.*..... iuxta multorum sententiam satis probabilem & iuxta ea quæ ibi dixi ex propria, quia si iudex agnoscat quod vxor, si maneat in sæculo destituta viro in huiusmodi peccata facile ruet, tenetur lege charitatis fraternæ eam obligare, vt ingrediatur religionem aut non concedere viro licentiam vt in Religione profiteatur nisi vxore profitente, & idem dico de viro, si sine consortio vxoris habet periculum incidendi in latrocinia, homicidia & alia huiusmodi.

SVBRESOLVT. XII.

An si coniux manens in sæculo ratificet professionem emissam sine eius licentia sufficiat quod voueat castitatem?

SVMMARIVM.

1. *Quid sufficiat si coniux manens in sæculo ratificet professionem emissam sine eius licentia.*
2. *An quum ratificatur professio denuo detur licentia vt professio validè fiat, & numero 3.*

1 QVartum dubium est † an si quis ingressus est Religionem sine licentia alterius coniugis & professionem emisit; quæ cum nulla sit & irrita vt supra vidimus, si ille, qui mansit in sæculo velit ratificare professionem dans licentiam ad hoc, si iuuenis sit cogi debet ad ingressum Religionis; an sufficiat quod manens in sæculo votum emittat continentiæ perpetuum? nam ad tempus vitæ alterius certum est non sufficere. Pater Thomas Sanchez *num.14.* dicit sufficere quod præfatum votum emittat; quod si nolit, cogi debet vt repetat coniugem suum, non tamen indiget Religionis ingressu, & professione, sed ego non video cur si iuuenis est ex vi cuius ætatis; est periculum incontinentiæ ob quod iura disponunt, quod cogatur ad ingressum religionis, quum dat licentiam vt alter ingrediatur, vt constat ex iuribus citatis *ex tit. de*
2 *conuers. coniug.* ergo quum † ratificatur professio denuo datur licentia, vt professio valide fiat; vt ista iuridice detur, obseruanda sunt decreta, quod, quum manens in sæculo iuuenis est non sufficiat votum continentiæ, sed requiratur ingressus in Religionem: æque enim militant rationes canonum, siue
3 professio inualida ratificetur, siue ante professionem detur licentia, in nullo enim casu istorum sufficere videtur votum continentiæ, sed exigitur etiam professio.

SVBRESOLVT. XIII.

Quæ ætas in vtroque coniuge sit sufficiens, vt iudicetur non esse periculum proximum incontinentiæ?

SVMMARIVM.

1. *Quæ ætas sit tam in viro quam in fœmina sufficiens vt iudex possit prudenter iudicare non adesse proximum periculum incontinentiæ.*
2. *Patris Thomæ Sanchez sensus adducitur, & n.3. & 4. & 6.*
5. *Quæ ætas dicatur sufficiens vt vir & fœmina censeantur senes.*
7. *Ratio differentiæ inter ætatem ad excusandum à ieiunio, & ætatem vt quis putetur liber à periculo incontinentiæ affertur, & n.8. & 9.*
10. *An mulier sexagenaria sit senex.*
11. *An mulier quinquagenaria censeatur libera à periculo incontinentiæ, & numero 12.*
13. *Authoris sensus affertur.*
14. *An non solum viro intrante religionem potest vxor senex manere in sæculo cum voto continentiæ; sed etiam profitente vxore, vir possit manere in sæculo si senex sit sine periculo incontinentiæ; emittens votum continentiæ.*

1 QVintum dubium est, † quæ ætas sit tam in viro, quam in fœmina sufficiens, vt prudenter iudex possit iudicare, non adesse proximum periculum incontinentiæ, taliter quod altero coniuge ad religionem euolante possit alter in sæculo manere emisso voto perpetuo continentiæ. Pater Thomas Sanchez Theologiæ Moralis huius sæculi Magister absque aliorum inuidia *disp.33. cit* postquam plura adduxisset *num 16. & 17.* vt probet diuersum temporis terminum; & annorum computum præfigendum esse viro, ac fœminæ vt non subsit incontinentiæ periculum, similiter, vt excusetur eorũ quilibet ab obligatione ieiunij; quæ quidem erudito non erunt iniucunda, in fine sic 2
concludit. †. *Hæc me ancipitem reddunt & viris doctis à me consultis placuit minorem ætatem fœminis assignandam, quam viris, at dubitant de quantitate ætatis, sed profecto quæ num. antecedenti attuli ex virtute ad generandum, quæ cessat in fœminis anno 50. & in maribus ad minus vsque ad 60. extenditur, & ex communi existimatione, probant æque dici fœminam senem, quinquagenariam ac virum sexagenarium; & ideo alijs viris Doctis hæc pars arrisit, & re mecum*

mecum considerata & rationibus perpensis,
3 *existimo nihil à ratione deuium, nec mediocriter alienum à probabilitate dicturum, qui fœminas quinquagenarias à ieiunio excusauerit, sicut viri sexagenarij excusantur. At dum aliud non apparuerit clarius conuincens tanquam probabiliorem eligo opinionem; quæ sustinet iudiscriminatim de ætate viri & fœminæ, ad excusandum à ieiunijs loquendum esse & de-*
4 *seruient prædicta ne damnemus opinionem quæ fœminas quinquagenarias excusat.* verumtamen licèt prædicta ostendant eam opinionem esse probabilem speculatiuè loquendo, at in praxi censeo non esse tutam. Hactenus de ætate ad excusandum de ieiunio; at
5 † de ætate sufficienti; vt iuridicè dicantur tam vir quam fœminæ senes, & quod prudenter iudicetur non in esse in illis vigorem fomitis & periculum incontinentiæ, vt alter possit manere in sæculo cum solo voto continentiæ emisso *ad finem n.16.* dicit *virum*
6 *sexagenarium & fœminam quinquagenariam senes dici quantum ad hunc effectum, quia* (inquit) *attento breuiori vitæ cursu fœminarum, ac celeriori senectutis aduentu, tam senex est mulier quinquagenaria, quam vir sexagenarius, quod communis existimatio testatur & libidinis ardor, ita tepescit in illa, ac in hoc & iam in eã ætate est sterilis, & communiter verè senex tunc appellatur, & suspicione incon-*
7 *tinentiæ libera creditur.* hæc ibi. † Ratio differentiæ inter ætatem ad excusandum à ieiunio, & ætatem, vt putetur libera à periculo incontinentiæ ea est, quia à ieiunij lege eximit eam ætas in qua præsumitur vires deficere, vt sine pluribus commestionibus
8 possit subsistere, quæ non videtur esse in fœmina ætas quinquagenaria maximè cum sustentetur pauciori cibo; quam viri; at ætas quæ prudenter & ordinariè facit liberam à periculo incontinẽtiæ ea est in qua ardor libidinis tepescit, & abundantia seminis ex defectu caloris superfluum alimenti decoquentis notabiliter deminuitur, vt latè dixi, *in meo Præcursore Philosopho.* hæc autem
9 diminutio caloris, ad hunc effectum satis magna est in fœmina quinquagenaria & in viro sexagenario, quare ita tenent Gutier. *de Matrim. cap.91. num.2.* Barbos. *cap.4. n.4. de conuer. coniug.* Bonacin. *vbi supra* Fillucius *tom.1. tract.10. cap.4. num.133.* & quamuis Cordub. *in summ. quæst.178.* Azor *tom.1. l.8. cap.14. quæst.11.* & alij quos citat Diana *re-*
10 *sol.73. cit.* sentiant quod † mulier quantum ad hunc effectum dici senem si sit sexagenaria, sicut quantum ad obligationem ieiunij, & etiamsi sit Religiosa quantum ad commestionem lacticiniorum cum Bulla cruciata. Cæterum hoc mihi non arridet ex ratione discriminis traditi, quantum ad hoc duos effectus.

Sed quamuis, hæc sententia probabilis 11
sit, iuxta quam † censetur mulier quinquagenaria libera à periculo incontinentiæ, tamen probabilius mihi videtur & tutius, quod hoc relinquatur arbitrio prudentis confessarij, & iudicis, qui hanc liberratem à præfato periculo declarauit attentis variis circunstantiis, tam in viro, quam in fœmina, vt personæ habitum, hoc est modum 12
se sustentandi, valetudinis, roboris, coloris, & carnium, anteactæ vitæ, & similium; potest enim fœmina, aut vir sexagenarius, ita esse benè nutritus ab ineunte ætate cum tanta corporis valitudine, ita delicatis cibis, vt ardor libidinis viuus sit quamuis non ad generandum, quia vis è laboratiua seminis emarcuit & iam processit, tamen ad coeundum valde inclinet, & lex membrorum tantas exerat vires, vt captiuum ducat in legem peccati; † ita sentio quia plu- 13
res vtriusque sexus taliter affectos sexagenarios agnoui, quare arridet Basilius Legionens. *lib.9. de Matrim. cap.12. numer.3.*

Vnum aduerto contra Gasparem Hurtadum Complutens. *tract. de matrim. disp.11. difficult.9. numer.8.* quod † non solum viro 14
intrante Religionem potest vxor senex manere in sæculo cum voto continentiæ; sed etiam profitente vxore vir potest manere in sæculo si senex sit, sine periculo incontinentiæ, emittens votum continentiæ, cuius contrarium de viro sensit, præfatus auctor. Sed sine fundamento aliquo cum expressè contrarium sit decisum; *cap. ad Apostolicam de conuers. coniug.* & tenent omnes quotquot scripsere. Legatur Diana *vbi supra*, plures afferens; nec enim in re tam clara immorandum est.

SVBRESOLVT. XIV.

Quid requiratur ad validam professionem, quando præcessit iuridicum diuortium?

SVMMARIVM.

1. *Quid requiratur vt vnus coniux non resideat cum alio ita vt professionem ingredi & profiteri, quando ex iudicis Ecclesiastici sententia factum est inter ipsos diuortium.*
2. *An etiam stante temporali diuortio si alter professionem faciat solemnem possit sententia iudicis reuocari ab altero in sæculo manente.*
3. *An ille qui diuortij causam non dedit possit religionem adire, ibique professionem emitte*

emittere solemnem, & n.4.

5. *An cum facto diuortio absoluto si vnus ingrediatur religionem, ibique professionem emittat solempē, alius qui manet in sæculo, nec cogendus sit ad ingressum religionis, nec votum perpetuum continentiæ teneatur emittere,*

6. *Quid item veniat aduertendum, & num.7. & 8.*

9. *Authoris iudicium, & n.10.*

11. *An per diuortium ratione sæuitiæ non amittatur ius exigendi, cohabitandi & mutuo residendi, & n.12.*

1 SExtum, quod dubium requiratur, vt † vnus coniux non resideat cum alio, ita vt possit religionem ingredi & profiteri, quando ex iudicis Ecclesiastici sententia factum est inter ipsos diuortium, & quidem hoc, aut est remotum & perpetuum, aut est limitatum & ad tempus certum est, quod vnus nequit sine licentia alterius professionem solemnem emittere, quia finito tempore sunt priuati iure petendi debitum, quo finito possunt reddere in id ipsum, at professio solemnis facit perpetuum diuortium,
2 quare † etiam stante temporali diuortio, si alter professionem faciat solemnem potest sententia iudicis reuocari ab altero, in sæculo manente. Vnde superest difficultas, quãdo iudicis sententia lata est perpetui diuortij, vel ob sæuitiam innatam, vel alias iustas causas (excepto adulterio de quo dubio sequenti) an stante hoc diuortio possit vnus sine licentia alterius professionem emittere solemnem, ita vt nunquam possit cum illo matrimonialiter residere?

Et quidem lata sententia remota diuortij,
3 ob sæuitiam, malam conditionem, & indigestos mores alterius, ita vt innocens fidere se non possit cautioni datæ de emenda, nec iudex etiam secundum prudens arbitrium hoc agnoscat, existimo, quod † ille qui di-
4 uortij causam non dedit, potest ad religionem adire, ibique professionem emittere solemnem, etiam altero repugnante & inuito. Ita Sanchez *lib.10.de Matrim.disp.19.n.49.* cuius rationem egregiam dedit his verbis. *Quia hoc diuortium est absolutum & perpetuum sicut, quod ratione adulterij celebratur, quam hoc sit per se & ex ipsa contractus coniugalis natura, petitum illud vero per accidens, ac proinde ius omne coniugale extinguitur, quod transitum ad religionem impediebat.* Hæc ille.

Sed aduerto valdè vtilia ad praxim circa
5 huius dubij resolutionem. Primum, quod † quum facto diuortio absoluto & perpetuo, si vnus ingreditur Religionem ibique professionem emittat solemnem, alter qui manet in sæculo, nec cogendus est ad ingressum religionis, etiamsi iuuenis sit, nec votum perpetuum continentiæ si senex sit tenetur emittere. Ita Sanchez *vbi suprà numer.49.* Perez *vbi suprà sect.6.num.1.* Legatur Thomas Sanchez *lib.10.disp.10.n.15. & disp.11.num.11. & 12.* Ratio est, quia textus iuris Canonici *cap. cum sis cap. significe. de conuers. coniug.* loquuntur cum sana pace & non præcedente diuortio, sed integro & illæso perseuerante matrimonio, vnus con-6
iux fit Religiosus altero in sæculo manente, si tamen præcedit iustum diuortium, ex veris & subsistentibus causis non fictis, & compositis, non est ille qui manet in sæculo tam graui onere grauandus, cum id non exprimat ius Canonicum.

Secundum, quod etiam diuortio absolu-7
to & perpetuo sententiam iudicis Ecclesiastici lato, validè & secundum se, licite possit saltem innocens ad religionem fugere, & manere in monastica solitudine, ipsumque possint Superiores regulares validè, & licite secundum se admittere, & professionem solemnem emittere, nec posit, qui manet in sæculo illum repetere, vt secum matrimonialiter resideat, tamen vt hoc fiat examinandus est diligentissimè spiritus, an ex Deo sit, & summa prudentia perpendendæ circumstantiæ, ætatis vtriusque personæ, qualitatis, occasionis, quæ ad diuortium impulere, solet enim Angelus malus transfigurari in Angelum lucis, vt huiusmodi se
ducat, & impossibiles reddat se reconcilian-8
di & matrimonialiter cohabitare, & mutuo residere, vt tam qui Religionem ingreditur, quam qui in sæculo manet, se impudicitiæ tradant & sine fræno luxurientur, quod iam non semel visum est, maxime fœminæ, quæ dum vident se sine marito, & spe se illi reconciliandi liberrimè viuunt, tum etiam, quia quotidie videmus diuortiatos maximè propter sæuitiam, & indigestos & aggrestes mores reconciliari, & nexu amicitiæ conglutinari & vniri.

Quare † his diebus nolui subscribere cui-9
dam consultationi factæ de hac materia iudicans, quod etsi liceat, non tamen expediat maxime si vtrique coniuges iuuenes existant, vel manens in sæculo sit mulier, & vtrumque erat in casu proposito. Diuortium enim latum à iudice ob sæuitiam, & mores aggrestes, & indigestam conditionem alicuius coniugum, existimo non esse, ita ex natura absolutum, eo quod imbibat conditionem, quousque conditio aggrestis digeratur & detur cautio de pacifice viuendo, nam si mulier, vel vir notorie sit emendatus, existimo quod, qui diuortium intentauit tenetur in conscientia se reconciliare alteri, & inuicem residere, quia diuortium latum ob hanc causam

causam non extinxit ius matrimonij, sed
10 solum declarauit impeditam residentiam vtriusque per sæuitiam, & aggrestem modum tractandi, ablata tamen sæuitia, & modo aspero cohabitandi, nequit alter alteri non residere, quia tollitur impedimentum, quia sententia illa fundata est in præsumptione, & sic solum tenet quamdiu verificatur præsumptio, eo autem ipso, quod ista veritati non nitatur sententia euanescit, & coniuges diuortiati tenentur in conscientia mutuo cohabitare & residere: ablata est enim causa timoris cadentis in constantem virum, & periculum quod imminebat, siue mortis, siue malæ tractationis, & ratio est,
11 vt dicebam, quia † per diuortium ratione sæuitiæ, non amittitur ius exigendi cohabitandi & mutuo residendi, sed suspenditur ratione periculi, vt coniux sæuus diligenter incumbat de remedio adhibendo, cohibendo sæuitiam, vt bene aduertit Thom. Sanch. *lib.10.cit.disp.18.n.4.* ex Ouando *in 4.dist.35.*
12 *dist.vnic.propos.5.* quare cum isti interrogantes diuortiati sunt propter sæuitiam, & mores aggrestes inter sese, vt dicebat relatio, non videtur expediens, quod vnus profiteatur in Religione altero in sæculo manente, quod magis confirmo infra.

SVBRESOLVT. XV.

Vtrum facto diuortio, innocens possit ingredi religionem altero repugnante?

SVMMARIVM.

1. *An facto diuortio propter adulterium possit adulter sine licentia innocentis religionem ingredi, & professionem emittere.*
2. *Diui Thomæ sententia affertur, & n.4.5.6.7. necnon etiam Thom. Sanchez, & n.3.*

1 DVbium septimum, † an facto diuortio propter adulterium possit adulter sine licentia innocentis Religionem ingredi, & professionem emittere, ita vt innocente inuito, & reluctante id perficiat, ac per consequens sit absolutus à præcepto diuino de residentia maritali: vt tamen hoc dubium, quod valde vtile est ad praxim clarius enucleetur. Notandum est, quod quando neuter coniugum statum mutauit integrum est innocenti cogere adulterum, vt sibi reconcilietur, iste qui tenetur reconciliari etiam lata sententia diuortij à iudice Ecclesiastico, ita tenent D. Thom. *in 4.dist.35. quæst vnic. art.6. ad 3.* sic loquens dans huius suppositionis rationem fundamentalem, sic enim proponit argumentum: *Si posset esse reconciliatio videtur quod vxor adultera tenetur redire ad virum ipsam reuocantem.* Sed non te-
netur, quia iam sunt separati iudicio Ecclesiæ, ergo, &c. cui respondet:

Ad tertium dicendum, † *quod illud, quod* 2
inducitur in fauorem alicuius non facit ei præiudicium. Vnde cum diuortium sit inductum in fauorem viri non aufert, ei petendi debitum, vel reuocandi vxorem, vnde vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire si fuerit reuocata, nisi de licentia eius votum continentiæ emiserit. hæc S. Doctor quibus comprehendit omnia ea, quæ tam ex iure ciuili, quàm Canonico multis citatis Auctoribus eruditè congerit Thom. Sanch. *lib.10. de matrim. disput.10. num.3.* † qui optimè addit, *num.4.* 3
ad hanc reconciliationem non requiritur, quod iudex, qui tulit sententiam diuortij ipsam retractet, quod cum sententia absoluerit innocentem in sui fauorem à debito coniugali soluendo satis est, vt possit licitè ad vsum matrimonij redire cum nolit eo fauore vti, nec ex hoc sequitur sententia diuortij iniusta sit, transiit enim in rem iudicatam, in fauorem innocentis, & in odium rei nocentis & adulteri, & sic etiam quamuis fiat reconciliatio non retractatur sententia cuius rationem egregiam dat S. Tho. *vbi suprà ad 1.* quia *sententia Ecclesiæ diuor-* 4
tium celebrantis non fuit cogens, ad separationem, sed licentiam præbens; & ideo absque retractatione præcedentis sententiæ potest reconciliatio sequi. & in solutione *ad 4.* addit ad præcedentia, *quod propter adulterium, quod vir prius innocens post diuortium committit, secundum rigorem iuris, non debet cogi ad recipiendam vxorem adulteram, prius tamen secundum æquitatem iuris, iudex ex officio suo debet eum cogere, vt caueat periculo animæ suæ & scandalo aliorum, quamuis vxor non possit reconciliationem petere.* Addit secundum in
solutione *ad 5. quod si adulterium viri sit oc-* 5
cultum per hoc non aufertur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulteræ, quamuis desit sibi probatio, & ideo peccat vir diuortium petens & si post sententiam de diuortio vxor petat debitum, vel reconciliationem vir tenetur ad vtrumque Amplius *artic.3. eiusdem quæst. vnicæ præfatæ distinct.* aliud principium po-
nit circa hanc matrimonialem residentiam 6
& eius absentiam in solutione *ad 5.* vbi sic loquitur *Maritus potest accusare vxorem de adulterio dupliciter vno modo ad thori separationem coram iudice spirituali, & inscriptio* 7
debet fieri sine obligatione ad legem talionis, quia sic vir consequeretur intentum suum scilicet absentiam ab vxore, alio modo ad punitionem criminis in iudicio sæculari, & sic oportet quod præcedat inscriptio (idest libellus accusationis) per quam ad pœnam talionis se obliget, si in probatione deficiat.

SVBRESOLVT. XVI.

Diuortiatus reus nequit professionem emittere sine consensu Innocentis.

SVMMARIVM.

1. *An adulter diuortiatus per sententiam iudicis Ecclesiastici nequeat in religione profiteri sine consensu innocentis.*
2. *An neque innocente inconsulto & sine eius licentia tacita, vel expressa adulter non possit statum mutare, & n.3. & 4.*

EX quibus claris & stillatis ex vtroque iure Angelicis principiis omisso strepitu sententiarum, & varietate opinionum, quæ apud Thomam Sanchez, videri possunt *vbi suprà*, securiora & tutiora pro vtroque foro inferuntur corollaria, quæ me quidem iudice in vtroque Tribunali interno, & externo sequi debent, quæ ex præfatis regulis deduco, ad maiorem conscientiæ securitatem. Primum est, † quod adulter diuortiatus
1 ab innocente propter adulterium per sententiam iudicis Ecclesiastici nequit, vel in Religione profiteri, vel ordines in Ecclesia Latina suscipere sine consensu innocentis, vel ipso contradicente, vel repugnante, hoc constat ex notatione facta & primo ex his, quæ posuimus D. Thom. principio, & quidem, quod innocente inuito etiam post latam sententiam, id non possit, clarissimum mihi est, quia nocens tenetur reconciliari toties, quoties innocens velit (si adsit vitæ securitas,) vt vidimus, quare si innocens cõtradicit, quod adulter profiteatur, vult reconciliationem, & sic eius professio non derogat iuri innocentis, sed iste illum reuocare
2 potest. Altera pars, quod † neque innocente inconsulto & sine eius licentia tacita, vel expressa adulter non possit statum mutare, etiam mihi certa est ferè ob idem fundamentum, quod posuit D.Tho. quia semper manet ius innocentis illæsum in cuius fauorem, & in odium nocentis lata est sententia diuortij, & sic nisi de licentia
3 innocentis votum continentiæ emiserit, siue professione solemni, siue in susceptione ordinis sacri nequit statum mutare, sed ad hoc requiritur licentia innocentis, ne præiudicetur iuri, quod habet semper illum reuocandi, & sibi reconciliandi. Hoc autem primum corollarium intelligendum de mutatione status in quo adulter sit impeditus ad reddendum debitum Innocenti, qui semper habet ius suum illæsum, vt alter secum cohabitet & resideat, nam si adulter, vel fiat
4 ex Tertiariis alicuius Religionis, vel ex religiosis militaribus, qui votum dumtaxat cõtinentiæ coniugalis emittunt, id potest adulter etiam sine licentia, aut etiam contradicente innocente, cuius ius nullatenus læditur per professionem etiam solemnem huiusmodi Religionum militarium, excipitur Religio S. Ioannis etsi quæ est alia militaris similis, in qua votum absolutum & omnimodæ castitatis emittitur.

SVBRESOLVT. XVII.

Si innocens monitus multoties, nolit reconciliare nocentem, iste potest ingredi religionem.

SVMMARIVM.

1. *Si prudenter aliquoties sit monitus innocens quod sibi reconciliet adulterum, nolit illum sibi reconciliare, an possit adulter religionem ingredi, & num.2.*
3. *Diui Thomæ sensus adducitur.*
4. *An etiamsi vxor emendata recludatur in monasterio authoritate iudicis Ecclesiæ, possit vir intra biennium à monasterio extrahere.*
5. *Interpretum Iur. Canon. sensus.*
6. *Ratio difficultatis affertur, & n.7.*
8. *An lex Trident. de quinquennio transacto à die in qua quis potuit reclamare, & non reclamauit obliget in conscientia, vt teneatur professionem emittere, & num.9. & 10.*
11. *Glossæ dictum adducitur, & numero 12. & 13.*
14. *Necnon Authoris mens.*
15. *Canonis statutum, & n.16.*
17. *Quarundam fœminarum error antiquus.*

SEcundum, quod deduco est, quod † si 1
prudenter arbitrio aliquoties sit monitus innocens, quod sibi reconciliet adulterũ lata sententia diuortij nolit illum sibi recõciliare & cum illo residere & cohabitare, potest adulter, vel Religionem profiteri, vel extra, votũ continentiæ emittere, vel sacros ordines suscipiendo, vel sine illis colligitur, *ex c. gaudemus de conuers. coniug.* quidquid dicat Thomas Sanch. *n.16.* & ratio quam ipse adducit ad hoc corollarium probandum, (quod certum est,) in ratione quam Pont. 2
Greg. IX. fundatur, ideo enim Pont. iubet, quod vxore emendata si maritus diligenter commonitus nolit eam propter Deum sibi reconciliari, illa in claustris cum religiosis mulieribus collocetur, vt perpetuam ibi agat pœnitentiam, quia iudicat Summus Gubernator, quod cum innocens maritus lata sententia diuortij, non tenetur vxorem adulterã etiam emendatam recipere *c. significasti. de diuortiis.* quod docuit etiam † D.Thom. 3
art.6. cit. ad 1. etiamsi habeat ius eam reuocandi, & sibi reconciliandi, eo ipso, quod diligen

diligenter monitus nolit sibi eam reconciliari, mandat Pontifex quod in monasterio recludatur perpetuo, quia iam vir renuntiauit iuri suo ad eam, sibi reconciliandam, tamen non est absoluta renuntiatio, quia
4 † etiam si vxor emendata recludat ir in Monasterio authoritate iudicis Ecclesiæ, potest tamen vir intra biennium, eam sibi reconciliari, & extrahere à Monasterio vt sibi resideat, & cohabitet, vt expresse habetur. *Authent. vt nulli iudi. §. si quando vero adulterij crimen collat. 9. & Authent. si hodie C. de adulter* cuius decisioni standum, quia non est correcta à iure canonico, sic tenent multi ex antiquis citatis interpretibus iuris
5 Canon. † Barbosa *leg.2. D. solut. matrim. p.1. num.*154. Tiraquellus *leg.9. connubia Glossa.1. v. 9. num.*90. Rodrig. *tom.2. quæst.2. artic.7.* Nauarrus *cons.*38. *num.1. de Regul.* alias *consil.4. de diuort. num.* 1. addens & bene hoc etiam procedere, etsi lata sit sententia à iudice sæculari, præcedẽte accusatione viri.

Vnde fit quod *ex cap. gaudemus cit.* ratio
6 fundamentalis huius corollarij desumitur propter rationem, quæ colligitur ex textu ex renuntiatione tacita, quam facit innocens si diligenter requisitus, etiam lata sententia à iudice Ecclesiastico diuortij, nolit sibi vxorem emendatam reconciliare, quod si inclusa in monasterio ad agendam pœnitentiam, biennium transierit & vir eam sibi non reconciliaret, potest vxor professio-
7 nem emittere, nec eam potest amplius maritus repetere, sed accusare suam seram reconciliationem; ante tamen præfatum biennium, nequit professionem emittere, quia non iuridice constat de renuntiatione sui iuris. Vnde nec in foro conscientiæ potest eam repetere, si professionem emisit si transacto biennio non reconciliet, quamuis expresse dicat se non renuntiasse iuri suo.

Ex qua doctrina non inefficax argumentum sumitur ad probandum id quod supra dicebamus, quod † lex Trident. de quin-
8 quennio transacto à die in qua quis potuit
9 reclamare & non reclamauit, obligat in conscientia ita vt teneatur in conscientia professionẽ emittere; quia etsi præsumptio solicitauerit Concilium ad talem legem ferendam, tamen non fundauit eam in præsumptione, sed in pace publica, & bono
9 communi status Religiosi, quæ obligat etiamsi præsumptio deficiat, sicut in casu præsenti ius ciuile irreuocatum à iure canonico, dat marito innocenti biennium, vt vxorem emendatam & in monasterio reclusam, sibi reconciliet, ad quam legem ferendam solicitauit legislatorem præsumptio; quod si intra istud tempus vir non re-
10 conciliat sibi vxorem renuntiauit iuri suo, & tamen, etsi expresse non renuntiauit, in conscientia obligatur ad non repetendam amplius vxorem, nec illi potest (etiamsi habeat occasionem opportunam) debitum petere nec ita potest reddere, sine sacrilega conuentione.

Sed notanda sunt verba glossæ verbo *in claustris* quæ non parum enucleant id quod
11 dicit D. Thom. *art.3. cit. ad* 5. † de duplici modo procedendi ad diuortium celebrandum, vel coram iudice Ecclesiastico, coram quo non proceditur criminaliter; sed ciuiliter, in hac causa sed coram iudice laico coram quo criminaliter in hoc puncto proceditur. Glossa ibi † *mulier de adulterio condemnata vel publicè deprehensa detruditur in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam si eam emendatam vir recipere noluerit,* 12
tamen intra biennium potest eam recipere si vult, si vero eam noluerit recipere, vel si prius moriatur quam eam recipiat tunc tondeatur & habitum monachalem recipiat ibi perpetuo moratura, vt expresse habetur in Authent. vt nulli Iudi. §. si quando vero collat. 9. vnde desumpta est hec decretalis & C. de adulter aut. sed hodie & cũ rebus suis ne sit onerosa monasterio vt in Authent. sed hodie continetur. Non tamen propter hoc erit monacha, nisi amplius processum fuerit. Et sic quandoque propter culpam 13
suam aliquis compellitur intrare monasterium 50. *dist. cap. si ille &* 16. *quæst.6. cap. de lapsis* 27. *quæst.1. cap. si quis rapuerit & idem videtur dicere decretum* 32. *quæst.* 1. *cap. benedicto &* 2. *quæst.1. cap. imprimis &* 34. *dict. cap. fraternitatis. Olim alia pœna puniebantur adulteræ quia lapidabantur conuictæ de adulterio secundum legem Mosaicam* 33. *quæst.5. cap. hæc imago & C. de adulter leg. castitati vbi legitimis plenis subiicitur sed hæc pœna non imponitur cum, non agatur criminaliter (vel vt erat in antiquis codicibus decretalium) cum agatur ciuiliter cap. tuæ de Procur.* hæc Glossa.

Quare † existimo quod ciuiliter proce- 14
dendo coram iudice Ecclesiastico; quod Gregorius IX. in præfato *cap. gaudemus* pœnas antiquorum Canonum, quæ valde rigidæ erant cumulauit in perpetuum vxoris in claustris monialium reclusionem, etenim Concilium illud Illiberitanum & si numero Patrum exiguum grauitate doctrinæ & seueritate (illis primis sæculis valde necessaria) disciplinæ Ecclesiasticæ magnum cuius plures difficiles canones enucleaui & nouam dedi lucem *tom.5.* de vero Martyrio fidei † *cano.8. statuit* quod *Adulteris nec in fi-* 15
ne communio detur, quod repetit *cano.* 47. & 64. & *cano.68. Cathecumenæ adulteratiusque in finem differtur Baptismus* has pœnas moderauit concilium Anziranum quod, adulteris septem annorum pœnitentiæ designat, quod confirmauit Zacharias Papa *epist.* 7. *cap.* 25. & Concilium Palentinum sub

sub Ioan. XXII. tit. de Adulteriis. & aliud Palenti sub *Vrbano V.* excommunicatione per-
16 cellit adulteros, & nisi duobus ante mortem mensibus è domo concubinam non eiecerint priuat Ecclesiastica sepultura, quod ante decreuerat Concilium Vvormacense sub Clemente V. *cap.* 25. & quidem hanc pœnarum congeriem non fugiebat vxor quæ consentiente viro adulterium committebat, vt constat ex Concilio Illiberit. *Cano.*
17 70. olim enim † fuit error quarumdam fœminarum, quæ existimabant posse aliis commisceri de licentia suorum virorum, quæ fuit hæresis *Nicolaitarum*, & hodie Anabaptistarum, quam pulchrè reiicit Aug. *l.* 1. *de serm. Dom. in monte c.* 26. sed omnes hæ pœnæ iam vsu abrogatæ sunt.

SVBRESOLVT. XVIII.

Singularis explicatio cuiusdam legis Hispanæ circa adulteros.

SVMMARIVM.

1. *Si criminaliter procedatur contra adulteros coram iudice laico, variæ in lege ciuili determinatæ pœnæ.*
2. *An in causa diuortij vir & vxor ad paria iudicentur.*
3. *Diuortium est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona, ex S. Thom. & num.* 4.
5. *An Legislator ciuilis præcipuè attendat ad bonum prolis, quod euertit vxoris adulterium.*
6. *An iudex & Legislator Ecclesiasticus attendat ad bonum fidei, cui æqualiter opponitur matrimonium viri & vxoris.*

1 CÆterum † si criminaliter procedatur coram iudice laico variæ sunt in iure ciuili determinatæ pœnæ, quas refert Farin. *in praxi crimin. tom.* 4. *q.* 142. inter quas principalis est mors quæ, variis modis infertur adulteræ iuxta leges variarũ Prouinciarum, & quidem iuxta leges Hispanas non est æqua sors mariti & vxoris, neque enim licet vxori maritum ob adulterium criminaliter oportere *leg.* 3. *tit.* 20. *lib.* 3. *noua Recopil.* nec compensari mariti accusationem similis adulterij exceptione, sed adhuc post adulteria, licèt marito vxorem criminaliter accusare, licèt inquam in foro externo in quo impunè eius accusatio admittitur.

Sed non est facilè huius nostræ legis iusti-
2 ficatio, quia vt ait D. Th. *q. vnic. cit. art.* 4. † in causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum & illicitum vni, quod alteri, quare cũm pœnæ culpæ debeat commensurari, vt ratio naturalis dictat & iura proclamant, quare sicut marito conceditur criminaliter accusare vxorem, ista etiam criminaliter poterit accusare; rursus contra dictamen rationis videtur, quod adulterium vxoris non compensetur adulterio viri, & quod iste etiamsi adulter sit & in foro animæ, non possit cogere vxorem ad reddendũ, vt est omnino certum, possit accusare impunè vxorem, de adulterio & criminali mortis subiicere sententiæ.

Sed S. Doct. in corpore articuli citati pulchram reddit rationem, quæ nostra lex in foro externo iustificatur, dicit enim *quod* † 3 *diuortium est pœna adulterij in quantum est cõtra matrimonij bona. Quantum autem ad bonum fidei ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium vnius, sicut adulterium alterius,* 4 *& hæc causa in vtroque sufficit ad diuortium; sed quantum prolis plus peccat adulterium vxoris, quam viri & ideo maior est causa diuortij in vxore, quam in viro, & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, nec tamen iniuste, quia in vtroque est causa sufficiens ad hanc pœnam.*

Igitur iã apparet legis Hispanæ iustificatio, legislator enim † ciuilis præcipue atten- 5
dit ad bonum prolis, quod euertit adulterium vxoris, quæ se alteri commiscet, non vero adulterium viri, vnde aliquando licitũ fuit, quod vnus vir plures simul haberet vxores at nunquam licuit, quod vna vxor plures haberet maritos, vnde cum adulteriũ vxoris bono prolis opponatur, semper potest impune maritus etiam adulter, accusare vxorem & ista non potest maritum, at † iu- 6
dex & legislator Ecclesiasticus attendit ad bonũ fidei, cui æqualiter opponitur matrimonium viri ac vxoris, & sic ista in foro Ecclesiastico potest ponere exceptionem adulterij mariti, & iste si adulter est, nequit procurare diuortium corã iudice Ecclesiastico.

SVBRESOLVT. XIX.

Innocens non tenetur dimittere adulterium, sed potest cum illo residere.

SVMMARIVM.

1. *An innocens non sit obligatus dimittere adulterum, sed possit cum illo cohabitare, & num.* 2. *&* 3.
4. *An si vxor adultera emẽdata non sit, nequeat ad residentiam admitti in eodem thoro.*
5. *Vir accedens ad adulteram fit bigamus interpretatiuè ex Basil. Legionens.*

TErtiũ, quod infertur est, quod si loquamur de innocẽte postquã alter cõmisit adulterium

adulterium non tamen est facta separatio
1 per sententiam; † iste innocens non est obligatus dimittere adulterum sed potest illum retinere & cum illo residere & cohabitare ita D. Tho. *quæst. cit. artic.* 2. *&* 3. & est decisum *cap. de benedicto. cap. quod autem cap. non erit cap. apud misericordem* 32. *quæst.* 1. & ratio est, quia vel adulter est emendatus, & esi cum diuortium iure Ecclesiastico sit introductum ad emendationem, & correctionem adulteri, si iste iam est correptus & emendatus non tenetur coniux illum dimittere, & ab illo quoad thorum separari, sed potest remittere iniuriam sibi factam & cum illo residere, aut non est emendatus, sed etiam publice manet in suo delicto incorrectus & tunc tenetur eam dimittere
2 quoad thorum ne videatur adulterio consentire, & ne det scandalum aliis, quod vxorem incorrectam & adulteram sibi coniungit *cap. sicut. cap. dicit Dominus & aliis* 23. *quæst.* 1. & egregie constituit ex scriptura Clemens Romanus *l.* 6. *const. c.* 14. ibi, *qui retinet adulteram, quæ legem naturæ violauit legis violator est, qui adulteram retinet stultus & impius est, abscinde eam à carnibus tuis, quia non est auxiliatrix, sed insidiatrix*
3 *quæ mentem ad alium declinauit &c.* Hæc ille. vxor enim dum committit adulterium non solum peccat contra virum, sed contra
4 Deum, & seipsam quare † nisi emendata sit admitti nequit ad residentiam in eodem thoro quamuis si non præcedat sententia iudicis Ecclesiastici de diuortio potest innocens cogi ad cohabitationem & residentiam in eadem domo & lecto nisi adulterium ita notorium sit, quod innocens possit illud incontinenti probare. Vérum est, vt notat Basilius Legionens. *l.* 9. *de matrim. cap.*
5 17. *num.* 2. quod si vir accedat ad adulteram fit bigamus interpretatiue, vnde eo ipso fit irregularis, & incapax sacrorum ordinum, etiamsi ignarus adulterij accedat, etiamsi coactus sententia iudicis, nisi grauissimum malum timeretur, nisi se copularet adulteræ, quod præponderaret iuri innocentis *cap. si laici* 34. *dist.* quod desumptus & ex concilio Nãocesarien. *cãp.* 8. quam bigamiam interpretatiuam posse Regularium Prælati in vim suorum priuilegiorũ in suis subditis dispẽsare, alibi cõsultus repõdi.

SVBRESOLVT. XX.

Innocens quando dubitat de sua incontinentia, an teneatur dimittere adulteram?

SVMMARIVM.

1. *An seni aliqui casus in quibus inuenis teneatur non dimittere vxorem adulteram & num.* 2.
3. *Authoris iudicium, & num.* 4.
5. *P. Basil. sententia adducitur, & n.* 6.
7. *An si adulterium vxoris occultum ita sit, vt tantum sciatur ab vno vel altero non sequatur scandalum.*
8. *An quantum ad dimissionem æqualem habeat effectum adulterium viri ac vxoris.*
9. *P. August. sensus adducitur, & n.* 10.

SEd † sunt aliqui casus in quibus inno- 1
cens tenetur non dimittere vxorẽ adulteram, etiamsi emendata non sit etiamsi sequatur scandalum. Primus est quem ponit Paludanus *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 3. *concl.* 4. *si innocens valide dubius sit de sua continentia & prudenter probabiliter practice timeat se incontinentem futurum si non resideat cum vxore quam adulteram ante sententiam diuortij agnoscit, strictius enim est & prius præceptum de salute propria, quam de aliena, nam aliena sa-*
lus est secundariæ obligationis, cum ordo cha- 2
ritatis à se ipso incipiat; ergo non potest correctioni & supplicio coniugis insistere, cum dispendio suæ continentiæ. Quare diligenter tunc considerandum est quod grauius malum sit adulterium innocentis an dispendium famæ; addo etiam id iustissimum ideo mihi videtur, quia si coniux innocens postea fiat nocens, non potest nec vxorem abijcere, nec abiectam non recipere in conscientia, ergo si probabiliter timet tenetur non dimittere. Hactenus Legionens. *vbi supra num.* 4.

Sed ego † in hanc sententiam nequa- 3
quam conuenire possum iuxta principia à me posita *tom.* 1. *Moral. tract.* 1. *resol.* 7. & sequentibus. Quare ego sub distinctione loquendum existimo; aut ergo vxoris adulterium publicum ex quo sequitur scandalum in vicinia, & ciuitate; quia à maiore parte notum, & sic etiam si vir dubitet de sua in-
continentia sitque in periculo proximo la- 4
psus; & sic si potest tenetur dimittere vxorem donec corrigatur, & emendetur, ratio est quia ex residentia, & communicatione cum adultera sequitur scãdalum multitudinis, quod sub grauissimo præcepto tenetur vitare, & periculum illud incontinentiæ fit remotum, & inuoluntarium; quia vrget maius præceptum, de vitando scandalo multitudinis, sicut loco citato dixi quod quum imminet aliquod magnum damnum, quod sequitur quis non tenetur vitare occasionem peccandi, quæ etsi secluso, illo damno esset proxima, at posito probabili timore talis damni, fit remota ibi confirmaui, & ex eodem P. Basilio *lib.* 5. *de matrim. cap.* 35. 5
num. 4. ibi. † *Licet non expellere domo eam fœminam quæ est occasio peccandi quum sine scandalo, eiici non potest, quæ multorum sententia est, & absolui debet pœnitens, etsi non eiiciat;*

si aliàs est rectè dispostus. hæc ille ergo si sine scandalo nequit innocẽs residere cum vxore adultera, eam tenetur dimittere etiamsi ipse aliàs sit in periculo lapsus carnis, quia magis vrget necessitas præcepti vitandi scãdalum, quod præceptum stat possidens suam obligationem quam vitare periculum lapsus, vt enim ait S. Basilius Magnus *in constit. Monastic. qui vrgente aliqua causa, & necessitate, se periculo obiicit, vel permittit se esse*
6 *in illo, quum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum quam inuitus illud subire, & ideo magis prouidebit Deus ne in illo pereat.* Hæc S. Doct. maximè cum illud periculum vinci possit, oratione, ieiunio, & carnis maceratione.

7 Si verò † adulterium vxoris occultum sit, & tantum sciatur ab vno, vel altero, verum tenet Doctrina Paludani, & Legionẽs. quia in tali casu nõ sequitur scandalum, cui cum reputatione non possit satisfieri, ea quæ dixi in priori parte communiter intelligenda sunt de adultera vxore, quam vir tenetur dimittere, si adulterium scandalum sit, & ruinam proximorum, & in pactionem illius inducat, vt benè Thomas Sanchez *l.* 10. *de Matrim. disput.* 13 *num.* 7. & 10. quamuis
8 enim, *vt suprà* vidimus ex S. Thom. † quantum ad dimissionem æqualem effectum habet adulterium viri ac vxoris, id quod leges ciuiles adnotarunt & Sacri Canones, quos refert Basilius Legionens. *vbi suprà numer.* 5. & constrinxit eius Pater Aug. *lib.* 2. *de adulterinis coniugiis cap.* 8. *Nam periniquum est*, (ait) *vt pudicitiam ab vxore vir exigat, quam ipse non exhibet, quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem componere, aut causam facti tollere*, quasi dicat quod adulterium vxoris non tollit, aut minuit viri adulterium, at iniquum est ab vxore pudicitiam exposcere, quam ipse non exhibet, quod egregiè dixit *serm.* 48. *de verbis Domini in monte.* † *Quis iuuenis est qui non castam, velit ducere vxorem? etsi acceptnrus est*
9 *virginem quis non intactam desideret? intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? num illa potest? & tu non potes? tu exigis ab vxore ne mechetur & non vis reddere hoc vxori? vis vxorem victricem esse libidinis & tu victus iaces?* & concludit dicens, *vbi melius viuit vxor, quam vir ibi cap. deorsum pendet domus, quia*
10 *videlicet iuxta Apost.* 1. *ad Chorint.* 11. *n.* 14. *c. mulieris vir & sic, vt domus firma subsistat & non vacillet caput deorsum, vir & vxor æquè bene quantum ad matrimonij bona viuere debent.* & sic egregiè dixit D. Tho. quod quantum ad matrimonij fidem æque & ad æqualia iudicantur vir & vxor, & sic ista dum adulterium committit magis peccat contra bonum prolis.

SVBRESOLVT. XXI.

Vir tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ dimittere vxorem adulteram.

SVMMARIVM.

1. *An vir teneatur ex vi correctionis fraternæ præcepto dimittere vxorem adulteram.*
2. *An ex vi præcepti correctionis fraternæ teneatur adhibere ea media ad emendationem, vt lucretur & non pereat.*
3. *Multis canonibus viro pœna statuitur qui vxorem non emendatam de adulterio recipit.*
4. *D. Caietani sententia affertur, & n.* 5. 11. 12. *&* 13.
6. *Nullus deobligat virum à præcepto correctionis fraternæ.*
7. *Innocentij III. sensus.*
8. *An etiamsi adulterium sit occultum & de ipso vir habeat prudentem suspicionem, aut notitiam tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ, vxorem dimittere quoad thorum, & n.* 9. *&* 10.

ADdo contra Thomam Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 13. *n.* 8. † virum teneri 1
ex vi correctionis fraternæ præcepto dimittere vxorem adulteram; ita expresse D. Tho *q. vni. cit. art.* 2. vbi huius rei manifestam subministrat rationem; *quia* (ait) *dimissio vxoris fornicantis introducta est ad corrigendum vxoris crimen per talem pœnam, pœna autem corrigens non requiritur vbi emendatio iam præcessit, & ideo si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere, si autem non pœniteat tenetur; ne peccato eius consentire videatur dum correctionem debitam non apponit*, quæ ratio manifesta est; nam † ex vi 2
præcepti correctionis fraternæ tenetur quis adhibere ea media ad emendationem fratris, vt lucretur & non pereat; quæ introducta sunt ex Ecclesiæ ordinatione, qualis est vxoris dimissio, vt corrigatur *cap. si vir. de adulter. cap. quemadmodum de iureiurand. cap. non solum* 28. *quæst.* 1. imo multis Canonibus statuitur † pœna viro qui vxorem non 3
emendatam de adulterio, recipit *cap. si quis vxorem el.* 1. *& cap. si quis vxnrem el.* 2. 32. *quæst.* 1. vbi statuitur duobus & tribus annis de pœnitentia publica, ei, qui vxorem adulteram non emendatam retinet; & sic huius dimissio, medium est statutum ab Ecclesia, quod debet maritus adhibere, vt lucretur vxorem correctione fraterna, quare sicut tenetur eam verberare si hoc iudicatur esse medium, vt corrigatur, ita eam dimittere.

Vnde Dominus Caiet. † *t.* 1. *opuscul. tr.* 29. 4
§. &

§. *& ad obuentiones*, dicit, *quia ad virum spectat corrigere vxorem, etiam facto, ideo tenetur ad vtendum omnibus remediis sibi tamen conuenientibus puta ad verberandum, eam segregando à practica, & huiusmodi, inter quæ remedia computatur abstinentia à thoro illius, quando creditur expediens. Tenetur quoque magis ad euacuandum à se scandalum, quia non facile creditur, vxorem publice adulterari sine*
5 *tacito consensu viri. Propter hæc namque dico omnes authoritates allatæ damnant virum non separantem se ab vxore adultera vt patronum turpitudinis. Nec sacri canones credendi sunt condidisse nouum ius, sed applicasse doctrinam diuini iuris, ad materiam matrimonij vnde patrocinium peccati, & patrocinatus turpitudinis quæ iuris sunt diuini afferunt.* Hæc Caiet. quibus totam rem comprehendit, ex cuius doctrina prorsus euanescunt omnia, quæ in contrarium adducit Sanchez, cuius sententiam nullus qui ante ipsum scripsit sequitur, quamuis enim aliqui dicant, quod si vir iudicat quod dimissio vxoris non est medium aptum correctionis fraternæ, non tenetur illud adhiberi ex vi præcepti huius, sed ra-
6 cione scandali, at † nullus deobligat virum à præcepto correctionis fraternæ, & adhibendi media, quæ statuta sunt ab Ecclesia ad eam faciendam; quod manifeste determinatur *cap. quemadmodum. §. vltim. versic. cum scriptura*, vbi Innocentius III. rescribens Genuensi Archiepiscopo cum scri-
7 ptura testetur, *quod* † *Patronus est turpitudinis qui celat crimen vxoris, & secundum regulam Euangelij, si primo & secundo correpta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesiæ, vt tanquam ethnica & publicana deinde vitaretur, ne per hoc & libera præberetur facultas peccandi propter impunitatem peccati.* Hæc Pontifex, ergo si ex vi correctionis fraternæ tenetur vir denuntiare vxorem adulteram Ecclesiæ, quando prima & secunda monitione non est emendata, ergo ex vi iuris diuini applicati ab Ecclesia, tenetur vir vxorem dimittere quantum ad vsum matrimonij, & hoc tentare est obligatus, tanquam caput mulieris vt experiatur an hoc medium ipsam corrigat, & emendetur, nec video, qua ratio-
8 ne id possit negari. Imo existimo quod etiam si adulterium sit occultum, & de ipso habet vir prudentem suspicionem, aut notitiam, tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ ipsam dimittere quoad thorum, quia præceptum de correctione fraterna maxime vrget, quum proximi peccatum occultum est, vt emendetur, quamuis non teneatur ratione præcepti vitandi scandalum,
9 neque enim est casus methaphisicus, quod vir ponat medium separationis thori & negationis debiti ad corrigendam vxorem cũ illud ponant Sacri canones, & omnes Doctores antiqui cum Magistro *in* 4. *dist.* 35. vbi D. Tho. vt vidimus S. Bonnauent. *art. vnic. quæst.* 2. Ricardus *art.* 1. *quæst.* 2. Ouandus *q. vnic. proposit.* 1. & innumeri alij quos ipse 10
Sanchez adducit, cum pro se nullum hoc expresse negantem, adducat, sed reptans per discursum, & quidem in re tam graui & serio statuta in iure à communi discedere, nunquam approbo, maxime quando nõ adsunt valde efficacia argumenta, sed solum congruentiæ politicæ quæ multoties mores corrumpunt.

Cæterum noto cum ipso Sanchez *quæst.* 2. *num.* 29. & Domino Caietano *vbi supra in corpor. quæstionis*, vbi postquam dixit de vxore quæ habet maritum adulterum † *quod si* 11
monitio verbi facta per se, vel per alios non sufficit (cum ipsa non possit verberare maritum adducens ad pœnitentiam, sicut è contrario) tenetur adhibere pœnalem medicinam abstinendo ab eo, & denuntiare Ecclesiæ, si hoc non sufficit, sed quoniam præceptum de correptione fra- 12
terna non habet locum vbi non est spes pœnitentiæ, quoniam finis eius, est bonum ipsius peccatoris, ideo si vxor non sperat pœnitentiam per hoc remedium, non tenetur ad illud faciendum, & tanto minus, si credit, quod peior fiet. Subdit concludendo materiam. *Ex omnibus considerationibus opportunis concluditur quod vxor innocens, & amaritudine animæ posita de viri adulterio publico, non sperans per abstinentiam actus coniugij, emendationem viri, non tenetur ad abstinendum ab eo, sed licite potest matrimonio vti, tam petendo, quam reddendo.* Hactenus Card. qui ex eo quod ordinarie per negationem debiti vxoris non emendatur maritus, colligit & bene; quod vxor non tenetur diuertere à residentia cum marito in eodem thoro, sed quod possit petere, & reddere, quod si hoc medio conciperetur certa spes emendæ, non dubito quod ex vi 13
præcepti correptionis fraternæ teneretur illud adhibere non tanquam pœnam, quæ à Superiore solum imponitur; sed tanquam medium, correptionis mariti, sicut potest & tenetur alia media apponere quæ sibi vtilia videntur, vt pœniteat.

SVBRESOLVT. XXII.

Vtrum Innocens possit propria authoritate diuertere ab adultera?

SVMMARIVM:

1. *An cum vir innocens vult diuertere ab adultera possit id facere propria authoritate.*
2. *Vir potest dimittere vxorem dupliciter, ex S. Thoma, & n.* 3.
4. *Propter adulterium duplex affertur dimissio, ex eodem S. Thoma, & n.* 5.

6. *Salgad*

6. *Salgado sententia adducitur.*

QVartum, quod adducitur est, decisio
1 illius difficultatis, an † quum vir innocens vult diuertere ab adultera, & cum illa non residere & cohabitare possit id efficere propria authoritate, seclusa omni sententia iudicis Ecclesiastici, & quidem loqui possumus in foro conscientiæ, quod dirigit doctus confessor, & in foro externo in quo præsidet pro Tribunali iudex Ecclesiæ. Huius difficultatis resolutionem paucis comprehendit D. Tho. *in* 4. *dist.* 35. *quæst. vnic. art.* 3.
2 in quo sic loquitur. † *Vir potest vxorem dimittere dupliciter vel quantum ad thorum tantum, & sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione vxoris proprio arbitrio, nec tenetur debitum reddere exigenti nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi præiudicium facit. Alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti nisi iudicio Ecclesiæ, etsi alias dimissa fuerit, debet cogi ad habitandum nisi possit in continenti fornicationem probare. Hæc au-*
3 *tem dimissio diuortium dicitur, & ideo concedendum est quod diuortium non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiæ.* Quibus verbis doctrinaliter enucleat fere omnia quæ lata manu & eruditione adducit Thomas Sanch. *disp.* 11. & 12. *lib.* 10. *de matrim.*

4 Igitur † duplex est ex sententia Doctoris S. dimissio propter adulterium vna occulta, & particularis, altera publica & iuridica, prima fieri potest ab innocente proprio arbitrio, nec tenetur in conscientia reddere exigenti adulteræ, nisi cogatur à iudice Ecclesiastico qui ipsum potest cogere,
5 imo, & tenetur cogere si vxor id exigat, quia cum sit spoliata in foro externo ante omnia debet restitui in possessionem; nec aliter innocens in petitorio audiri debet *cap. in litteris. cap. ex conquæstione cap. cum quis de restit. spoliat.* causa enim restitutionis plurimis gaudet priuilegiis nemo enim sine citatione partis, & actu iudiciali remouendus est à sua possessione, *cap. licet Episcopus de præbend. in* 6. adeo quod etiam prædo ante omnia restituendus est, vt dicit textus *in cap. in litteris de restit. spoliat*, vnde cum spoliatio in foro externo sit iniusta, quoad omnia quibus, quis est spoliatus, restituendus est, adeo quod vt notat bene Salgado *de prote-*
6 *ctione regia* † etiam si vnus obolus deficiat restituendus, non debet audiri spoliatus, & sic cum mulier sit spoliata redditionis debiti, etiam quantum ad hoc debet restitui, nec audiendus est spoliator in petitorio nisi prius reddat quod debet, quod etiam tenet verũ si adultera propter adulterium fugiat, si rediens petat restitutionem, quia ex quo redit appetit quod sibi restituatur maritus, spoliata iudicatur, quod ex multis adnotat Sanchez *disp.* 12. *num.* 16.

SVBRESOLVT. XXIII.

Vtrum iudex Ecclesiasticus cogat innocẽtem excommunicatione teneatur reddere?

SVMMARIVM.

1. *An si vir cogatur à iudice Ecclesiastico lata excommunicatione, teneatur in conscientia reddere.*
2. *Ratio difficultatis affertur.*
3. *Patris Thom. Sanch. sententia affertur, necnon Authoris iudicium, & n.* 4.
5. *An spolians teneatur in conscientia reddere, & obedire Ecclesiæ quæ potest cogere, vt ipse restituat attentatum, & numero* 6.
7. *An ex redditione debiti nullum præceptum sibi faciat, si coactus reddat debitum adultera, & n.* 8. & 9.
10. *An iudex excusari nequeat ne ferat sanguinis sententiam in reum ob irregularitatem, quæ sibi aduenit.*
11. *An coniux certus de adulterio alterius, nisi cogatur à iudice Ecclesiastico censuris, non teneatur debitum reddere.*
12. *Syluestri & Sanchez sensus, & n.* 19.
13. *Quæ dimissio publica nequeat fieri sine iudicio Ecclesiæ, & num.* 14.
15. *Alexandri III. decisio, & n.* 24. *necnon D. Thomæ sententia, & n.* 16.
17. *Diuortium publicum celebrari non potest sine iudicio Ecclesiæ.*
18. *An iudici debeat constare notorietas adulterij vt mulieri alleganti spolium restituatur.*
20. *Quid non sit proprie diuortium, & numero* 21.
22. *An si notorium sit adulterium, & vir absentetur & propria authoritate aufugiat, possit repeti ab vxore adultera, & numero* 23.
25. *Innocentij III. sensus.*
26. *Profertur excommunicationis sententia in eos qui vxores suas dimittunt.*

QVod si vir cogatur à iudice Ecclesiastico, lata excommunicatione vt reddatum reddat, & sic mulier spoliata restituatur † non conuenit inter Doctores, an vir 1
teneatur in conscientia reddere, quidam dicunt absoluere non teneri, nec esse corã Deo excommunicatum, sed solum in foro externo, & ita non peccare, etiamsi in excommunicatione vitam finiat. Ita Abulens. *ad cap.* 19. *Math. quæst.* 72. & multi alij, quia præceptum Ecclesiæ fundatur in præsumptione qua non existente vera non obligat in conscientia, ac per consequens, nec excommunicatio coram Deo tenet. Ratio
2 † videtur satis efficax, quia etsi lex vniuersalis fundata in præsumptione obliget in cõscientia, etiamsi præsumptio deficiat in aliquo particulari, quia motiuum legis vniuersale semper perseuerat, tamen cum sententia & præceptum ex illa dimanans solum respiciat hunc particularem casum, & personam tantum præsumit in isto casu, & ita si cesset præsumptio, præceptum non exeret vires ad obligandum, & per consequens neque excommunicatio ligat, quia vbi præceptum non ligat non est contumacia.

3 Propter quod † Pater Thomas Sanchez, alia via procedit *disp.* 10. *num.* 6. quod iste non tenetur ex natura rei obedire, nec coram Deo est excommunicatus, vt dicit prior sententia, at tenetur ratione scandali, quia perseuerat coram fidelibus nominatim excommunicatus, & sic si per annum in ea excommunicatione perseuerat, est suspectus de fide, & vt talis potest puniri ab inquisitoribus, vt determinat Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *in fin. de reform.*

Sed ego sententiam D. Tho totis viribus
4 amplector † est enim verissima, qui asserit, *quod iste innocens non tenetur reddere, nisi per Ecclesiam compellatur, & tunc si reddat nullum sibi præiudicium facit.* Quibus verbis duo fundamenta posuit non inermia suæ resolutionis. Primum, cum reddere debitum sit res licita, à qua in foro externo sit iniuste spoliata vxor, quæ restituitur ad possessionem, quam habebat, præceptum est de re licita respiciens ius spoliati, quod illi redda-
5 tur per sententiam, ergo † spolians tenetur in conscientia reddere & obedire Ecclesiæ, quæ potest cogere, vt spolians restituat attentatum, quod secus est, quando quis sciens matrimonium nullum propter impedimentum dirimens, quod non potest probare,
6 nullo modo potest reddere, etiamsi excommunicetur, & cogatur ab Ecclesia, quæ hoc præcipit fundata in præsumptione, quæ excluditur veritate cognita certo, & præceptum est de re illicita in rei veritate, at in præsenti est de re licita cum sit verum matrimonium, & sic præceptum de reddendo obligat, & excommunicatio ligat coram Deo. Secundum fundamentum posuit S. Tho. illis verbis, *tunc si reddat nullum sibi præiudicium facit.* Ex quo sic vrgeo meam
7 sententiam, † ex redditione debiti nullum præiudicium sibi facit, si coactus reddit debitum adulteræ, ergo tenetur obedire præcepto, etsi non obedit contumax est & excommunicatione coram Deo ligatur, quia in re licita, & facienda absque inconuenienti, & præiudicio suo non obedit, semper
8 enim tenemur obedire Superiori præcipienti rem licitam, & honestam, vt latè D. Tho. 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. vbi D. Caiet. & est res indubitata, quamuis enim iste coactus præcepto Ecclesiæ bigamus efficiatur, & irregularis vt receptissima sententia apud omnes fere DD. tuetur Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 9
84. *num.* 17. & D. Tho. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. dicat quod, & si circa hoc sint diuersæ opiniones, tamen quod incurrat est probabilius, quia hic non quæritur peccatum propter quod incurratur, sed significatio, vnde bene Sanchez contrahitur ex actu meritorio & obligatorio, sicut iudex tenetur sub mortali sententiam mortis reo inferre, & tamen incurrit irregularitatem, non ex delicto, sed ex significationis defectu consurgente. Vnde nullum infertur præiudicium, quod ipse non possit accipere, sicut enim † iudex excusari nequit ne 10
ferat sanguinis sententiam in reum ob irregularitatem, quæ sibi aduenit, quia res licita est, ex vi officij tenetur eam facere, ita nec maritus coactus præcepto iudicis excusari nequit, reddere debitum vxori adulteræ ob irregularitatem ex hoc facto licito, & obligatorio prouenientem.

Vnde fit quod etiamsi lite pendente nihil sit innouandum vt est indubitatum in iure toto titulo Decretalium vt *lite pendente nihil innouetur*, tamen † coniux certus de adul- 11
terio alterius nisi cogatur à iudice Ecclesiastico censuris, non tenetur debitum reddere, alias si sine tali coactione reddat censetur condonare iniuriam, & ius petendi diuortium extinguitur, adeo quod in conscientia nequeat litem prosequi. † Ita Sylue- 12
ster *verbo debitum quæst.* 1. *causa* 3. quem sequitur Sanchez *vbi supra num.* 7. Si tamen non sibi constat de adulterio, tenetur reddere quia alter coniux possidet, cuius est in dubio melior est conditio, & sic spoliari non debet iure, quod possidet.

Circa secundam dimissionem publicam † quam dicit D. Th. esse proprie diuortium, 13
& non posse fieri sine iudicio Ecclesiæ, quidam magnæ authoritatis Doctores, quos citat & sequitur Thomas Sanchez *disp.* 12. *n.* 13. & 25. id limitant quum adulterium ita est notorium, vt nulla prorsus tergiuersatione celari possit, vt cum coniux publice moratur cum adulteranti, vel si extent filij notorie ex adulterino congressu geniti, vel si in iudicio coniux fassus sit proprium adulterium, vel si coniux rediens inueniat vxorem prostitutam in lupanari. Ita Sylueester 14
verb diuortium quæst. 8. Couarr. 4. *Decretal. p.* 2. *cap.* 7. §. 3. *num.* 12. Barbosa *Rubrica D. solut. matrim.* 2. *p. num.* 26. & multi Theologorum, quare si hæc publica dimissio fiat sine tali omnimoda notorietate, si quis propria authoritate vxori non cohabitet; & eum

cum illa in eadem domo resideat, tanquam temere expulsa, & expoliata restituatur ad pristinam cohabitationem, & corresidentiam, idem docent Basilius Legionensis *l.9. de matrim. cap.* 13. *num.* 2. Barbos. *in collect. ad cap. significasti. de diuort. num.* 8. Farinacius *in praxi tom.* 5. *quæst.* 148. *num.* 53. probant
15 ex præfato *cap. significasti*, vbi † Alexander III. hoc videtur decisisse iudicans, *eum qui ob notorium adulterium vxorem dimiserat Ecclesiæ iudicio, non expectato, ad eam recipiendam non debere compelli nisi forte constaret cum altera adulterium commisisse*, & hoc sensisse
16 D.Tho. dicens †, *quod iste debet compelli ad cohabitandam, nisi possit incontinenti fornicationem probare, videlicet saltem per duos testes, qui deponant de notorietate & hoc intra breue tempus iudicis arbitrio.* Hæc sententia satis probabilis est bene intellecta.

Sed ego semper contrarium verius existi-
17 maui, quod † diuortium publicum & quod impediat restitutionem spoliate celebrare nullatenus possit sine iudicio Ecclesiæ, vel de adulterio, vel de notorietate ipsius, dato enim decreto quod notorium sit adulterium coniux innocens non expectata alia sententia, etiam in foro externo potest, è domo eiicere vxorem adulteram & nec residere nec cohabitare cum illa, & sic ego intelli-
18 go plures ex authoribus allatis pro prima sententia & textum *in cap. significasti cit.* Iudici enim, vt iudici debet constare notorietas adulterij, vt mulieri alleganti spolium restituat, si non est notorium adulterium vel deneget restitutionem in fauorem innocentis si notorium est, iudex enim vt iudex solum procedit secundum allegata & approbata in processu, quod si vix non probet notorietatem (etiam si ista reipsa sit) saltem per duos testes iuxta ea quæ dicit Sylvester
19 † *verbo notorium quæst vltim.* iudex mandabit ipsum restitui vxori, quod dicitur in præfato *cap. significasti*, vnde egregie dixit D. Tho. quod *diuortium publicum celebrari nequit sine iudicio Ecclesiæ*, saltem circa notorietatem adulterij. Quare etsi vir innocens possit quãdo notorium est adulterium propria authoritate diuertere & non residere in domo cũ
20 adultera tamen † hoc non est proprie diuortium quod est pœna medicinalis statuta ab Ecclesia qua vindicat adulterium, nullus autem, proprie sibi vindictam sumit, sed iudex in quo residet iustitia vindicatiua, rursus nullus est simul actor, & iudex in eadem causa & sic vir nequit proprie diuortia-
21 ri ab vxore, quam impetit vt actor propter adulterium, & sic non debet vti officio iudicis, faciens proprium diuortium, & absentiam residentiæ matrimonialis, nisi interueniat iudicium Ecclesiæ, quæ sola propria diuortiat, taliter quod ante eius iudicium vir nullum ius habeat ad habenda bona adulteræ cui si non probetur notorietas adulterij, omnino restituẽdus est maritus, quãuis re ipsa notorium sit adulterium, si hæc notorietas non constat iudici, iuridice, quare † si no- 22
torium sit adulterium & vir innocẽs absentetur, & non resideat & cohabitet sed propria authoritate aufugiat semper potest repeti ab vxore adultera, etiamsi factus sit religiosus & ordine sacro insignitus, quod impedimentum tenetur sub mortali aperire 23
vel superiori recipienti, vel Episcopo ordinanti, maxime si est periculum, quod dignoscatur coniugatus, quod non tenetur facere si iudicio Ecclesiæ est diuortiatus.

Quare hanc sententiam præter D.Thomas tenent Bonauent. *ibi artic. vnic. quæst.* 3. Durandus *quæst.* 1. *num.* 7. supplementum Gabrielis *quæst. vnic. art.* 2. *concl.* 5. Abulens. *quæst.* 72. *ad cap.* 19. Matthæus Viguerius *cap.* 16. §. 7. *versic.* 9. *impedim.* 10. Bellarminus *lib.* 1. *de matrim. cap.* 14. §. *secundum est.* Graffis *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 66. & 73. *casu* 2. Glossa *cap. porro de diuortiis* & reipsa ibi Alexander III. decidit, quod *etiamsi im-* 24
pedimentum dirimens notorium sit & publicum, quia non potuit separari vir ab vxore sine iudicio Ecclesiæ debet maritus restitui vxori, quo vsque notorietas illa iuridice constaret Ecclesiæ, quia etiam in notoriis seruanda est probatio iuridica notorietatis, vt bene *ibi Glossa verb. notoria* vnde Innocentius III. *cap. intelleximus de adulteriis* rescribens Turonensi Archiepiscopo, dicit † *quocirca mandamus,* 25
quatenus (nisi tibi constiterit per euidentiam rei vel confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterium etiam quod adulterata vir dicitur commisisse probatione cessante ipsum recipere compellas eandem ex quibus liquido constat quod sicut confessio mulieris legitima debet esse, hoc est iudicialiter, vt ibi notat Glossa, ita euidentia rei, legitima debet esse, hoc est iudicialiter probata, nec enim euidentia personalis iudicis sat est, quare in concilio Carthaginensi III. cui interfuit Augustinus, vt ait Gratianus 33. *quæst.* 2. §. *sed quæritur*, & in Agathensi *cap.* 25. *relato cap. sæculares* 33. *quæst.* 2. † profertur excommunicationis 26
sententia in sæculares, qui vxores suas dimittunt, & abiiciunt antequam in iudicio Ecclesiæ probentur, & examinentur, ibi *si antequam apud Episcopos comprouinciales diffidij causam dixerint, & priusquam in iudicio damnentur vxores suas abiiecerint à communione S. Ecclesiæ & populi cœtu excludantur.*

SVBRESOLVT. XXIV.

Vtrum si adulterium sit occultum & improbabile possit Innocens dimittere vxorem.

SVMMA

SVMMARIVM.

1. *An si adulterium ita occultum sit vt innocens illud probare non possit liceat innocenti vxorem dimittere.*
2. *An in foro externo solum requiratur sententia diuortij, & iudicium Ecclesiæ de notorio adulterio, & n.* 3.
4. *An ille qui non potest in iudicio Ecclesiæ probare adulterium coniugis, non possit propria authoritate eam relinquere.*
5. *Gratiani sententia affertur, necnon S. Thom. & n.* 6. 9. 13. & 14.
7. *Lex prohibet separationem coniugis etiam fornicationis causa ante probationem & Ecclesiæ iudicium.*
8. *Quæ leges non fundentur in præsumptione, sed sint dispositiuæ.*
10. *Inseparabilitas & mutua coniugum residentia & cohabitatio sit de iure naturæ & diuino ex S. Thom.*
11. *Sine iudicio Ecclesiæ coniux innocens licite valet non residere cum vxore.*
12. *Innocentij III. sensus, necnon Ioan. Andreæ & aliorum, & n.* 15.
16. *An vxor adultera cuius adulterium est occultum habeat ius vt maritus secum cohabitet.*
17. *An ex vi professionis solemnis religio habeat ius vt professus intra claustra resideat.*
18. *An pœna publica non possit imponi nisi ob delictum publicum, & n.* 19.
20. *An propter fornicationem aut illius suspicionem liberè dimittatur vxor.*
21. *Aduerbium* liberè *quid importet.*
22. *An non obstante fornicatione & sententia Ecclesiæ lata possit innocens remittere iniuriam & non dimittere vxorem.*

1 Sed nunquid † si adulterium ita occultum est, vt innocens illud probare non possit, liceat innocenti vxorem dimittere taliter, quod illam è domo eiiciat & ipse valeat ad religionem muliere relicta in sæculo conuolare. Adfirmant Rebellus, Paludanus, Panormitanus, quos citat Basilius Legionens. *lib.* 9. *cit. cap.* 18. *num.* 5. Nauarr. *lib.* 3. *consil.* 5. *de conuers. coniug.* Natta. *consil.* 119. quos citat & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 10. *disp.* 11. *à*
2 *n.* 12. asserens, quod † in foro externo solum requiritur sententia diuortij, & iudicium Ecclesiæ de notorio adulterio, at in foro conscientiæ si attendamus iniuriam & damnum matrimonij, & coniugis derelicti licitum est innocenti, quum adulterium verum est, sed est occultum, ita vt probari non possit, profiteri in Religione, sacros ordines suscipere & votum omnimodæ castitatis emittere, quæ omnia, & licita & valida erunt nisi illicita reddantur ratione scandali, & ratione iniuriæ, quæ infertur religioni, si lite vexetur ad restituendum maritum vxori, quare ait, iste tenetur aperire se coniugatum esse, & non habuisse sententiam diuortij propter adulterium vxoris, quod sibi certo constat.

Ast mihi oppositum tutius & probabi-
lius est † istum qui non potest in iudicio Ec- 4
clesiæ probare adulterium coniugis, non posse propria authoritate vxorem relinquere, & cum ea non residere & cohabitare, ita expresse D.Thom. D. Bonauentura, & alij quos paulo ante induxi & tenet Basilius Legionens. *vbi modo num.* 6. cùm enim hoc diuortium pœna publica sit, nequit imponi nisi ob delictum de quo publicè constet. Vnde Gratianus 33. *quæst.* 2. §. *in hoc cap.* egregiè dicit, *in hoc capite (sæculares) videatur causa exposita, quare sua authoritate non* 5
licet alicui vxorem dimittere, qua cessante ipsa prohibitio cessare videtur, tamen quia ipsa separatio pœna est, & pœna nulli est inferenda nisi per iudicem generaliter hoc intelligendum est, vt siue ob causam præmissam, siue nulla existente causa non liceat alicui vxorem dimittere, hæc Gratianus satis ad rem, ex quo videtur S.Thomam occasionem sumpsisse.
† *artic. illo* 3. *citato.* ad ponendum duo ar- 6
gumenta, vt suam sententiam probaret, primum, quia nullus potest seipsum vindicare, sed si vir vxorem fornicantem dimitteret ipse se vindicaret, ergo hoc non debet fieri, secundum, nullus in eadem causa est actor & iudex, sed vir est actor impetens vxorem de offensa, in se commissa, ergo ipse non potest esse iudex, & non debet, eam proprio arbitrio dimittere.

Quibus fundamentis adiungo tertium, quod his verbis proponit Basilius Legionensis, & innuit Gratianus, *vbi suprà. Quia* † *lex* 7
prohibet separationem coniugum etiam fornicationis causa ante probationem & Ecclesiæ iudicium data est iure optimo, vt occurratur hominum malitiæ, iniquitati, & fraudi, cumque huiusmodi leges in præsumptione fundentur & præsumptiones, vt in plurimum non deficiunt nec cessat earum obligatio, etiamsi in aliquo casu peculiari deficiat præsumptio & ratio legis, quare istæ leges etiam obligant in conscientia cum, qui adulterij cognitionem habet, & probari non potest; quia est occultum, vt tuta conscientia separari non possit. hæc Basilius, quibus ego addo ex dictis, *dum de quinquennio Trid. erat sermo.* quod † huiusmodi leges 8
non fundantur in præsumptione, sed sunt verè dispositiuæ, quod sine iudicio Ecclesiæ coniuges non separentur, qui Ecclesia consentiente & iudicante coniuncti fuere, vt enim † S.D. cum communi & omnino certa 9
sententia *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 1. & 4. *contra gent. cap.* 78. vbi Ferrare §. *notandum*

ex doctrina S.D. † inseparabilitas & mutua coniugum residentia, & cohabitatio sit de
10 iure naturæ & diuino, tum propter bonum prolis, tum propter significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia, vt ait Paulus. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, & alibi Christus dicit, *quod Deus coniunxit homo non separet*, quod non solum intelligitur quantum ad vinculum matrimonij, sed quantum ad cohabitationem, quare mihi certum est, quod
11 †sine iudicio Ecclesiæ coniux innocens licitè valet nõ residere cum vxore, vt cõstat ex dictis *lib.1.Resol.*.... vbi probaui, quod cum Pastores & Episcopi matrimonium spirituale ineant cum sua sponsa Ecclesia, quam regunt, iure naturæ tenentur in ea residere neque ipsam possunt relinquere, etiam, vt transuolent ad religionem sine iudicio Ecclesiæ, hoc est sine Papæ licentia, *cap. nisi cum pridem* 10. *de renuntiat.* vbi Innocentius III. rescribens Archiepiscopo Calant. con-
12 cludit. † *Quoniam etsi pennas habeas quibus satagas in solitudinem aduolare, ita tamen adstrictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum.* rursus rationem egregiam dat D.Tho.
13 2.2.*quæst.*185. *art.*4. *in corpor.* quia † *oportet, quod sicut curam regiminis aliquis per prouidentiam Prælati assumit, ita etiam per eius authoritatem ex causis prædictis deserat susceptam.* Quæ ratio etiam manifestè conuincit in matrimonio carnali in quo vir accipit
14 curam regiminis familiæ ex Ecclesiæ iudicio, & consensu, quare etsi habeat causam eam relinquendi ob adulterium vxoris sicut Episcopus, vt deserat Ecclesiam, tamẽ si Ecclesiæ non constet de tali causa, tuta conscientia non potest vxorem relinquere, sicut nec Episcopus sine licentia Papæ, vt enim ait Euerardus *in suis Topicis loco* 77. *à matrimonio spirituali ad carnale in fine.* vbi contrarium non reperitur dispositum, nec apparet diuersa ratio, & materia est applicabilis, est optima hæc argumentatio, qua vti-
15 tur Ioannes Andreas, † *ad Regulam sine culpa de regul. iur. in* 6. & notant DD. *cap. quoniam. §. porro, vt lite non contest. cap. inter corporalia & cap. final. de translat. Episcoporum*, & aliis iuribus in quibus huiusmodi matrimonia æquiparantur.

16 Vnde fit, quod † cum vxor adultera, cuius adulterium est occultum habeat ius, vt maritus secum cohabitet & resideat, ex iure matrimonij, quamuis non habeat ius, vt innocens sibi reddat debitum, & ad illud exigẽdum in foro conscientiæ, si innocens ipsã derelinquat si non præcessit Ecclesiæ iudiciũ de separatione professio inualida est, quia
17 † ex vi professionis solemnis Religio habet ius, vt professus intra claustra resideat, quæ iura non compatiuntur & prius ius cum sit antiquius præualet. Ita Legionens. *vbi suprà n.*10. & sic non solum maritus est restituendus vxori petenti, sed declaranda professio nulla.

Neque ea quæ in contrarium contrarij opponunt alicuius sunt ponderis, si fundamenta nostra introspiciantur, licet enim occulte rem meam recuperare quum certo, nec mea aliter non possum habere, at † pœ- 18
nam publicam non possum imponere, nisi ob delictum publicum, vt dicebat Gratianus *cap. interfectores §. in hoc* 33. *quæst.*3. *leg. nullus C. de Iudæis & toto tit. C. vt nemo ius sibi dicat.* vt ad propositum notat Glossa *cap. porro de diuers. verb. separari*, illud etiam, quod affe-
runt *ex cap. Agathosa* 27.*q.*2. quod est Greg. 19
Magni *lib.*6. *epist.*54. *ad Notarium Panormit.* vt maritus restituatur Agathosæ causæ cognitionem requirit, quod præcesserit, quod si non præcessit maritus restitui mandat omni excusatione cessante. Argumentum etiam, quod Scholiastes Panormit. *plusquam Achilleum* dicit, & sumitur, *ex cap. dicit Domino q.* 32. *quæst.*1. vbi dicitur, *quod † propter* 20
fornicationem, aut suspicionem fornicationis liberè dimittitur vxor. vbi Ly *liberè* excludit sententiam, quia est canon latæ sententiæ, *cap. pro humano de homicidio in* 6. *cap. de illis. de sponsalibus cap.*1. *de Regul. iur. in* 6. Hoc inquam argumentum nullas habet vires, vt benè notat Legionens. nimium enim probat, videlicet quod ad diuortium nunquam esset necessarium Ecclesiæ iudicium, & sen-
tẽtia, quare † vim aduerbij *liberè* in præsẽti, 21
idem valet quoties de fornicatione constat. vel de eius vehemẽtissima suspicione, quæ iudici possit vim inferre & quæ manifesta sit liberè vxor, siue authoritate Ecclesiæ à viro, hoc ei permittente, siue ab Ecclesia ipsa dimittitur, ideo enim (dicit Hieronymus cuius est textut) liberè dimitti di- 22
citur, quia † non obstante fornicatione & sententia Ecclesiæ lata potest innocens remittere iniuriam & non dimittere vxorem, adulteram, quia iudicium & sententia Ecclesiæ, vt egregiè adnotauit D.Thom. *dist.* 35. *cit. artic.* 6. *ad* 1. sententia Ecclesiæ diuortium celebrantis, non fuit cogens ad separationem, sed licentiam præbens, vt separentur, & sic si separatur, liberè separatur, quia poterat remittere, & reconciliare sibi adulteram emendatam, & correctam.

* * *

SVBRE

SVBRESOLVT. XXV.

Vtrùm si adultera de consensu Innocentis votum castitatis emiserit, possit etiam quoad vsum matrimonij reconciliari?

SVMMARIVM.

1. *Si adultera de licentia innocentis professionem emisit iam non potest eam sibi reconciliare.*
2. *D.Thom. verbis difficultas diluitur.*
3. *An innocens nequeat irritare votum factum ab adultera de eius licentia, & n.*4.
5. *Diuortiam ab Ecclesia celebratum duos habet effectus, & n.*6.
7. *An soluto matrimonio & secuto pro secundo diuortio nocens ligetur voto emisso.*
8. *Authoris iudicium, & n.*9.
10. *Innocens semper habet ius matrimonij illæsum quantum ad omnia quæ sibi competunt, & n.*11.
12. *Si de licẽtia innocentis fecit votum religionis ex vi cuius licẽtiæ innocẽs renuntiauit iuri reuocandi, ad quid non teneatur, n.*13

1 EX quo constat, † quod si adultera de licentia innocentis professionem emisit iam non potest eam sibi reconciliari, nec ab Religione extrahere, vt secum cohabitet & resideat, sed nunquid? si manens in sæculo votum omnimodæ continentiæ & castitatis emiserit de licentia innocentis posset eam sibi reconciliari non solum ad cohabitationem, sed etiam quoad vsum matrimonij, non est facilis determinatio, quia D.Tho. *art.*6. *cit. ad* 3. sic dicit. *Illud, quod inducitur in fauorem alicuius non facit ei præiudicium, vnde cũ diuortium sit inductum in fauorem viri non aufert ei ius petendi debitum, vel reuocandi vxorẽ. Vnde vxor tenetur ei reddere & ad eum redire, si fuerit reuocata nisi de licentia eius votum*
2 *cõtinentiæ emiserit*, quibus † verbis clarissimè resoluit difficultatis nodum; quam resolutionem verissimam esse dicit, P. Th. Sanch. *l.*10.
3 *disp.*10. *n.*14. Vnde † innocẽs nequit irritare votũ factũ ab adultera de eius licentia, quia cũ iam matrimonium sit deuisum ex parte vtriusque coniugis, ex parte enim adulteri planè diuisum est, eo quod innocens assensum præbuit voto incompatibili nempe castitatis, vel religionis nullum ius reuocandi validè habet innocens, & idem iudicat si nocens postquam emittit de licentia innocentis votum castitatis, vel Religionis, alia
4 vota emittat, etiamsi antecedant, votum castitatis, aut Religionis, quia iam nocens exemptus est à potestate innocentis ex vi Castitatis, aut Religionis.

5 Sed ego aliter discurro † duos enim effectus habet diuortium celebratum ab Ecclesia, & eius iudicio factum, primus est dimissio coniugis adulteri, quoad redditionem debiti cõiugalis & libertas ab exactione alterius, secundus est separatio thori, & cohabitationis, & quidẽ, quoad primum effectũ verissima est sentatia D.Th. quã probat ratio adducta, vnde innocẽs nec potest reddere, nec petere, sine sacrilegio sicut nec reconciliata vxor, quæ ad hoc est voto castitatis adstricta, & ab illa petere est incitare, ad peccatum mortale, quod numquam 6
licet, nec innocens potest, nec imperfectè irritare hoc votum, hoc est suspendere toto tempore reconciliationis, quia per licentiam hoc ius amisit, nisi dum eam dedit habuit formalem voluntatem, quod illud votum teneret solum tempore diuortij, quia in tali casu ius suum reseruauit illæsum ad irritandum saltem imperfectè, quare † soluto matrimonio, vel secuto pro secundo diuortio nocens ligatur voto emisso, vt benè vidit Thomas Sanchez *l.*9. *de matrim. disp.*39. *n.*29. 41. vnde quantum ad hunc effectum petendi debitum (si non reseruetur ius, vt explicui) facto voto castitatis, de licentia innocentis nullo modo potest fieri reconciliatio.

Quoad secundum effectum scilicet, quod coniux licite non resideat cum adultero, & 7
cum illo non cohabitet, existimo, † quod † 8
secluso proximo periculo frangendi votum castitatis, si innocens cedens fauori sibi facto per sententiam diuortij iudicio Ecclesiæ facti adulteram, vel vxor adulterium reuocet, ad simul cohabitandum, & residendum, vt vnus alteri sit adiutorium in administrãda domo, in filiis educendis, negotiis rei familiaris peragendis, tenetur coniux adulter ad innocentem redire si fuerit reuocatus, etsi nullus hoc punctum tetigerit, existimo
† manifestam hanc meam resolutionem 9
quam collegi, ex Glossa *cap. quidam.*3. *de conuers. coniug. verb. non exigere.* ibi. *non solum tenentur coniugati ad debitum carnale reddendum, sed etiam ad mutuum auxilium & obsequium, quia in quibusdam matrimonium est, legis obsequium cap. nuptiarum.* 27. *quæst.*1. & ratio est perspicua, quia † innocens semper 10
habet ius matrimonij illæsum quantum ad omnia, quæ sibi competunt, quare etsi renuntiet iuri petendi, & reddendi debitum coniugale, non tamen quantum ad residentiam, & cohabitationem cum alio, nec 11
nocens censetur liber ab hoc ex vi voti castitatis emissi de licentia innocentis, si aliàs non est periculum frangendi votum, & sic tenetur redire reuocatus ab innocente, & D.Thom. dicit non teneri reddere si votum de licentia eius fecit, non vero dicit, quod non teneatur redire ad mutuam residentiam, & cohabitationem,

12 Secus tamen est, † si de licentia innocentis fecit votum Religionis ex vi cuius licentiæ innocens renuntiauit iuri reuocandi, quoad habitationem, & residentiam, quare nocens, voto taliter emisso Religionis non tenetur, nec reddere, nec tedire ad innocentem, sed adimplere suum votum, nisi superueniant impedimenta perpetua propter, quæ non potest Reli-
13 gionem ingredi, vel Religio nolit ipsum recipere, tunc enim tenetur redire ad innocentem reuocantem, & debitum reddere non potens petere, quia votum Religionis, hoc impedit sicut votum castitatis.

SVBRESOLVT. vlt.

Reducuntur ad Synomiam duo textus iuris Canonici, qui antynomia laborant.

SVMMARIVM.

1. *De dimissione vxoris Comitis Pontini exemplum affertur. & n.5.*
2. *An si consanguinitas sit notoria non sufficiat, vt quis sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimittat.*
3. *An cum notorium sit probatum tribunali Ecclesiæ, tunc possit vir absque alia sententia propria authoritate ab vxore separari.*
4. *Vbinam requiratur sententia declaratoria criminis, vt pœna confiscationis bonorum infligatur.*
6. *Quæ notorietas debeat in iudicio probari.*

QVintum & vltimum, quod colligo est concordia antynomiæ, quæ vide-
1 tur esse inter duos textus, *tit. de diuortiis.* nam *in cap. Porro* 3. Alexander III. Ambianensi Episcopo rescribens, quod cum Comes Pontinus, *vxorem suam absque iudicio Ecclesiæ dimiserit, quia proponebat esse cognatam vxoris defunctæ, etiamsi parentela esset publica, & notoria absque iudicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit, quare ipsum ad eam recipiendam districtè compellas, quam si recipere noluerit cum vinculo excommunicationis adstringas.* At *cap. significasti.*4. idem Alexander III. de quodam qui sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimiserat propter adulterium commissum cum quodam consanguineo, dicit: *quod si notorium est adulterium commisisse ad eam recipiendam præfatus vir non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.*

Varios concordandi modos hos textus qui inter se videntur ex Diametro oppositi canonistæ & Theologi morales excogitarunt, vt videre est apud Sanchez *disp.* 12. *num.*88. at quod *caput porro*, sequi debeat decisio mihi indubitatum est, quia si ibi † con-2
sanguinitas notoria & publica non sufficit vt quis sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimittat, quamuis ex cohabitatione sit grauissimum peccandi periculum, si enim notoria est consanguinitas, notoria est nullitas matrimonij, & tamen non obstante hac ratione vrgentiori ob notorium impedimentum dirimens, non potest coniux sine iudicio Ecclesiæ dimittere vxorem, ergo nec adulterium etiam notorium id poterit vir innocens, nisi etiam interueniat Ecclesiæ iudicium, quare caput *significasti*, manifeste in-3
telligitur † quum notorium tale est probatum Tribunali Ecclesiæ, tum enim, vt diximus potest vir absque alia sententia, propria authoritate ab vxore separari etiam quoad residentiam & cohabitationem, quia ex vi prioris iudicij Ecclesiæ pœna diuortij ipso facto incurritur ab adultero, absque alia sententia, argumento *ex cap. cum secundum leges de hæreticis in* 6. vbi † requiritur 4
sententia declaratoria criminis, vt pœna confiscationis bonorum infligatur, quæ infligitur iudicio Ecclesiæ, ex vi talis sententiæ, & simili modo intelligitur, *cap. Porro*, si enim notorietas, & publicitas parentelæ, non est probata iudicio Ecclesiæ, etiamsi alias parentela publica sit, & notoria vir non potuit separari ab vxore, sed eo ipso quod notorietas probetur absque alia sententia condemnatoria, vir tenetur vxorem dimittere, neque iudex potest cogere, quod ipsam recipiat, & sic iudicio Ecclesiæ eam dimittit: hanc autem notorietatem parentelæ non probauit Comes Pontinus, † nec eam proposuit iudicio Ec- 5
clesiastico, quî si notoria est parentela probata in iudicio notorietate, tenetur ex officio separare coniuges, & eis non permittere simul residere, & cohabitare; ad quod non tenetur etiamsi adulterium publicum & notorium sit, quia potest innocens remittere, & sibi reconciliari vxorem adulteram, si tamen vxor repetat maritum cum ipse opponat notorium adulterium † eius notorietatem debet in iudicio 6
probari, qua probata statim absque alio iudicio Ecclesiæ innocens potest non residere cum vxore, & cum illa non cohabitare, hæc est dubioprocul genuina concordia horum textuum quam collegi ex summario vtriusque capitis, aliæ enim quas adducit Thomas Sanchez, mihi videtur excogitatæ ad fugandam antynomiam non penetrata mente Pontificis Alexandri.

RESO

RESOLVTIO II.

An coniux professus, ex licentia spontanea alterius manentis in sæculo, restituendus, isto in iudicio repetente illum, ad residentiam & cohabitandum?

SVMMARIVM.

1. *Quid per licentiam spontaneam intelligatur.*
2. *Dupliciter potest concedi licentia spontanea à coniuge in sæculo manente.*
3. *An iuuene non profitente sit nulla alterius professio.*
4. *Glossa affertur, & n.6. & 7.*
5. *Cum coniux manens in sæculo nullum votum castitatis emisit dum licentiam præbuit alteri coniugi ad profitendum, an talis professio valida sit.*
8. *Sanchez opinio adducitur.*
9. *Ratio difficultatis, & num.*10. 11. 13. 14. *& 28.*
12. *Quæ professio valida sit imperfectè.*
15. *Nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, vir potest & debet de monasterio reuocari, ex Alex. III.*
16. *An Religio nequeat acquirere ius perfectum in professum contra ius vxoris.*
17. *Vnde professio non possit esse perfectè valida.*
18. *Cælestini III. sensus affertur, & n.*19. 20. *& 36.*
21. *Sine quibus conditionibus à iure requisitis professio perfectè valida non sit.*
22. *Quid aduerbium* nullatenus *importet.*
23. *Alexandri III. sensus, necnon Greg. Mag. & n.*24. 26. *& 27.*
25. *Quid per verba* quod nulla ratione, &c. *denotetur.*
29. *An siue mulier non consentiat siue si consensit, non tamen promisit se mutare, semper debeat ei restitui maritus.*
30. *Authoris iudicium.*
31. *An nequeat vnus ex vi status religiosi & professionis solemnis reddi impotens & ad petendum & ad reddendum.*
32. *Nicolai Papæ testimonium, & n.*33.
34. *Si quis coniugatus vult conuerti ad monasterium non est recipiendus nisi prius à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus.*
35. *An ille qui professus est de licentia spontanea vxoris, ista manente in sæculo sine voto debeat restitui vxori.*

PER licentiam spontaneã intelligimus illam † quæ data est absque vi, metu, 1
dolo, aut fraude, non tamen seruata sunt ea quæ ius Canonicum exigit, vt licitè fiat alterius coniugis ad profitendum in Religione transitus, ita vt liber sit ab obligatione residẽdi, & cohabitãdi cũ altero, de hac difficultate latè Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.*33. mihi tamẽ nõ omnino arridẽt omnia quæ ibi determinat, quare breuiter æqua lance liberanda sunt, vt quod solidius, & verius mihi apparet proponam breuiter: & quidẽ † dupliciter potest concedi hæc spon- 2
tanea licentia à coniuge in sæculo manente. Primò, si iste votum castitatis emittat, secũdo si non voueat, & in priori specie etiamsi iuuenis sit, qui manet in sæculo si votũ continentiæ emisit, valida est professio, quia nõ est de substãtia professionis vnius, quod alter profiteatur etiam *cap. significantis. de conuers. coniug.* & vt dicit Sylvest. *matr.* 8. *q.* 12. *d.*4. *vers. sed si de facto.* ingrediatur, secundum omnes tenet ingressus. Vnde textus iuris Canonici petẽtis, quod coniux iuuenis, vel qui est suspectus de incontinẽtia simul profiteatur *cap. ad Apostol. cap. cum sis cap. vxoratus de conuers. coniug.* explicant, quod requiratur, vt licitus sit transitus, & professio, non tamen irritant aliter factam; quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta contra tenent, *cap. ad Apostolicam de Regul.* ita Sanch. multis citatis contra Angles *in* 4.1 *p. de matr. q.* 1. *dist.* 27. *art.* 3. *dub. post tertiam difficult.* vbi 1
dicit, quod † iuuene non profitente est nul- 3
la alterius professio, quem sibi contradicere dicit Thom. Sanchez, quia *difficult.* 6. dicit nuptias contractas ab hoc coniuge reuocato post alterius obitum, esse nullas, quod verũ esse nequit nisi professio prior esset valida ob quam matrimonium subsequens irritatur, sed forsan motus est Angles *ex cap. quidam.*3. *de conuers. coniug.* in quo etsi professio fuerit nulla, nec teneretur ad religionem redire; quia inuita vxore facta est, & tamen mortua vxore non potuit valide contrahere, cum alia, & quod hoc matrimonium fuerit nullum tenet, vt verius. Glossa *ibi*, † *quia* (in- 4
quit) *quantum ad continentiam seruandam satis solemnizauit suum votum per suam professionem.* Hæc Glossa, quare non est ita manifesta contradictio in dictis Angles, quidquid sit de veritate.

In posteriori tamen specie quando manens in sæculo nullum votum castitatis emisit, † dum licentiam præbuit ad profitẽdum 5
alteri coniugi, an talis professio valida sit, P. Tho. Sanch. *vbi suprà n.*4. verissimam dicit sententiam asserentium, quod valida sit professio, etiamsi coniux manens in sæculo nullum emiserit votum, vel nisi etiam profiteatur, si iuuenis & habens inconti-

tinentiæ periculum, pro qua sententia plures citat, & tenet Glossa *ca. vxoratus. 8. verb. nullatenus* ibi, *licet dicatur hic & supra cap. cum sis, & infra cap. ad Apostolicam, quod aliter coniugum non recipiatur nisi alter transeat*
6 *ad religionem, vel promittat continentiam, verum est hoc quod non debeat recipi, nec ille etiã debet transire, tamen si recipiatur prædicto modo (scilicet de licentia vxoris, non emittentis votum continentiæ) tenet monachatus vt dictum est, quia multa fieri non debent, facta tamen tenent (de hoc infra cap. proximo) nec dicitur in aliqua istarum decretalium, quod monachatus non tenet, sed quod ita fieri debet.* Hæc glossa quibus posuit fere omnia fundamenta huius sententiæ, quamuis eadem glossa *cap. ex parte verbo de iure*, ad quod se citat expresse dicit, *quod si coniux sit iuuenis non*
7 *sufficit dare licentiam, nisi ipse conuerteretur.* vt ibi dicitur, vnde non tenuit votum, nec debet compelli redire ad monasterium, sed hoc ideo fuit, quia inuita vxore professus est, & sic non tenuit votum.

8 Sed hanc sententiam probat Sanchez † *ex cap. ex parte el. 1. de conuers. coniug.* vbi Pontifex consultus, quod quidam graui morbo laborans vxore spontanee consentiente, in Religione professus est, ac postea sanitatem adeptus vxorem retinuit & ea defuncta aliam duxit, sic responsum dedit. *Quia vero prædictus D. licèt vxore sua manente in sæculo de iure ad Religionem nequiuerit proficisci, ea tamen sublata de medio, votum sine salutis suæ periculo non potuit violare. Mandamus, vt prædictum D. compellas, vt muliere dimissa ad suum monasterium reuertatur sub regulari habitu, de cætero Domino seruiturus.* ergo valuit professio, aliàs valeret secundum matrimonium.

Sed hoc argumentum ex multis claudicat, & sic recto tramite non probat intentum. Primò, † quia etsi professio non fuerit
9 omnino valida, & Religio absolutum dominium illius non fuerit adepta, fuit tamen imperfectè valida & religio dominium imperfectum Religiosi acquisiuit, quod reductum fuit ad perfectionem, eo ipso, quod mulier, quæ dedit solum spontaneam licentiam è vita discessit, vnde secundum matri-
10 monium nullum fuit, quia † secunda vxor non potuit acquirere potestatem in corpus viri, cuius iam habebat religio ex spontanea vxoris licentia, & sic votum tenuit, quod secus est, quum sine licentia vxoris professus est religionem, in quo casu non tenuit votum, vt dicitur *cap. quidam.* nec est cogendus ad religionem reuertere, quamuis mortua vxore nequit secundas nuptias celebrare, vt deciditur *eodem cap.* Totum declaro,
11 quia † teste eodem Thoma Sanchez bona hæretici à die criminis sunt confiscata & manent obligata fisco, ita vt retrotrahatur sententia ad diem criminis, à quo omnes cõtractus, & donationes subditæ sint vindicationi, & annullentur quamuis hæreticus ante sententiam declaratoriam criminis habeat imperfectum dominium rerum cõfiscatarum, ratione cuius potest de illis valide disponere & sæpe dispositio tenet, quousque ius fisci reueletur per sentẽtiam declaratoriam criminis, sic contingit in præsenti,
† professio ista valida est imperfectè, vt euanescat quãtum ad ius imperfectũ, quod acquisiuit Religio, si coniux etiamsi spontanee consentiat, tamen non emisit votum castitatis, aut professa est Religionem, repetit restitutionem spolij, aut Episcopus ex officio maritum restituat, quia ius quod habet mulier in corpus mariti, cum sit iustitiæ non amittitur ex sola spontanea licentia data, sed vlterius secundum ius requiritur, quod ipsa si iuuenis sit professionem pariter emittat, aut si senex votum continentiæ.

Ratio huius doctrinæ me quidem iudice
demonstratiua est, quia † quum vxor dat li- 13
centiam marito, ad professionem emittendam, & ipsa professionem non emisit, aut votum continentiæ, siue sit conscia iuris disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa profiteatur, aut votum continentiæ in sæculo emittat, siue sit ignara talis iuris, potest professum reuocari, siue id fiat iure actionis competentis vxori, siue ex solo iudicis officio, quod modo
non disputo (*infrà disputabo,*) quia ad efficaciam rationis nihil conducit, quæ talis est, quia etiam data † spontanea licentia, sine eo, quod manens in sæculo si senex sit votum perpetuum emittat continentiæ, aut professionem pariter emittat professus potest reuocari, *c. Præterea. 1. de conuers. coniug.* vbi Alexander III. Vrbergenti Episcopo respondit, quod etiamsi vir de licentia vxoris professus fuerit. † *Nisi vxor ad Religionem* 15
transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit vir potest & debet de monasterio reuocari. ergo manet in vxore potestas in corpus viri & ius iustitiæ ad exigendum debitum, aliàs non posset restitui & reuocari vir neque iure actionis, neque ex solo iudicis officio, ergo professio facta non fuit perfectè valida, quia † Religio nequit acquirere ius per- 16
fectum in professum contra ius vxoris, quod prius & antiquius erat, nec ille cum sola licentia spontanea sine voto, aut professione potuit huic iuri renuntiare, quia hoc exigitur à iure tanquam conditio necessaria, vt professio tantæ sit efficaciæ, vt professus reuocari nequeat, etsi reuocari quit est, quia vxor per licentiam spontaneam dumtaxat non renũtiauit iuri, & potestati, quã habebat in corpus viri ex vi matrimonij cõsummati.

Ex

Ex quo constat manifesta textus adducti germana intelligentia eo enim ipso quod vxore manente in sæculo omnino sæculari & laica non possit vir ad religionem proficisci, & est manifestum quod † professio non fuit perfectè valida, sed solum ex parte intrantis religionem, quod considerauit Cælestinus III. *cap. placet 12. de conuers. coniugat.* ibi. *solicitudo tua consuluit vtrum mulier quæ credens mortuum maritum habitum religionis assumpsit, & eo reuerso de monasterio educta*
18 *fuit, post obitum viri, sed ad regularem obseruantiam compellenda. Super quo respondemus, quot licet votum eius vsquequaque non tenuerit, hactenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare, promisit enim intrando monasterium se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, redire vero ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit vo-*
19 *tum, quod post viri obitum tenere non desiit cum ad eum casum ad quem poterat efficax habere principium peruenire noscatur. Consultius itaque dicimus, & ei congruentius ad salutem, vt ad Monasterium redeat, vbi recta intentione professionem fecit, & habitum religionis accepit: si vero ad hoc induci non poterit ipsam inuitam credimus nõ cogendam.* Hæc ibi vnde colligit Glossa, *quod professio pro parte tenuit, & pro parte non*, tenuit pro parte vxoris, non tenuit ex parte mariti qui ipsam reuocauit, quod adeo est verum, quod mortuo marito nequeat valide contrahere, vt tenet Glossa, tanquam verius, *cap. quidam citato*, & rationem dat Pontifex, *quia redire ad sæculum, non erat in eius potestate, sed in potestate mariti*, cuius ius fuit læsium, & sic mortuo marito, vel vxore tenetur voto, *quia*
20 *tenuit votum, quantum ad ipsam quod post viri obitum tenere non desiit*, ergo absolutè, & ex omni parte non tenuit, atque ita manifestum est, quod si professus iure potest reuocari professio non fuit perfectè valida.

Probatur deinde eadem nostra resolutio,
21 quod † scilicet talis professio facta sine his conditionibus à iure requisitis, non sit perfectè valida, *ex cap. vxoratus. de conuers. coniugator.* vbi Alexander III. rescribens Priori & Fratribus S. Ioannis, dicit. *quod si vxor iuuenis sit non fecerit professionem, etsi senex votum perpetuæ continentiæ, vxoratus sine li-*
22 *centia vxoris nullatenus recipiatur.* Aduerbium † *nullatenus*, vt certior, & receptior est iurisperitorum sententia formam actionis inducit, & nullitatem actus si aliter fiat, includit enim conditionem, qua non obseruata, irritum est, quod sit, vt multis citatis docui *supra Resolut.* anteriori §. 3. inter quos etiam id docet Thom. Sanch. *lib. 6. de matr. dist. 32. num. 7.*

Tertio probatur, *ex cap. cum sis. eodem*, vbi Alexander III. ad Episcopum Exonensem, dicit: † *cum sis præditus scientia litterarum* 23
ignorare non debes Sanctorum Patrum Constitutioni esse contrarium, vt vir vxore sua, aut vxor viro eius non assumente religionis habitum debeat ad religionem transire, nisi conditionibus ibi positis. Atqui Sancti Patres de quibus mentionem facit Adrianus, vt notat Glossa *ibi* verb. *Constitutioni*, sunt Gregorius Magnus *lib. 7. epist. 49.* scribens Vrbico Abbati, qui sic fatur: *Quia Agatho lator præsentium in Monasterio dilectionis tuæ conuerti desiderat hortamur, vt eum omnium dulcedine, dilectioneque suscipias.* Quem tamen 24
(dicit infra ponens formam receptionis) *ita suscipiendum esse cognosce, si & vxor illius similiter conuerti voluerit. Nam cum vnum vxorumque corpus coniugij copulatione sit factum incongruum est partem conuerti, & partem in sæculo remanere.* & *epist. 44. lib. 9.* scribens Hadriano Panormitano Notario, strictius proponit hanc rationem dicens, *Nam excepta fornicationis causa vir vxorem dimittere nulla ratione conceditur, quia postquam copulatione coniugij, viri atque mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere.* Hæc ibi.

Ex quibus verbis multa deducuntur val- 15
de ponderanda primum † *quod nulla ratione, &c.* quæ verba manifeste nullitatem actus denotant, vt late probant Barbosa *tract. de dictio. vsufreq. dictio. 128.* Gratinus *decisio. 51. num. 18.* Cenedus *singularit. 70. num. 3.* Iason. *leg. 1. §. sublata n. 3. lecti. 2. ff. ad Trebell.* Decius *consil. 640. num. 9.* Menochius *consil. 383. num. 14.* Mandosius *ad 34. cancel. quæst. 88. num. 3.* Strach. *de mercat. tit. de decoctorib. p. 6. num. 28.* Tiraquellus *leg. si vnquam C. de reuocend. donatio. verb. reuertantur num. 94.* Salas *de legibus tract. 14. disp. 16. sect. 8. n. 29.* Sayrus *in clauiv lib. 3. cap. 8. num. 26.* Sanctarellus *variarum quæst. 60. num. vlt.* negant enim omnem potentiam, & operatur præcisam prohibitionem, & idem, quod clausula decreti irritantis, si ergo vt ait Gregor. † *nulla ra-* 26
tione conceditur virum, vxorem dimittere, quia postquam copulatione coniugij viri & mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere. manifeste colligitur, quod professio facta sine illis requisitis, non est perfecte valida.

Secundum, quod, dum Pontifex dicit
in eadem *epist. 44.* quod Hadrianus *diligenti* 27
inquisitione discutiat anne Agathosæ vir, cum eius voluntate conuersus sit vel ipsa se mutare promiserat, & si hoc repererit, & illum in monasterio remanere prouideat & hanc sicut promisit mutare compellat, manifeste confirmat nostram sententiam, quod minus diligente discussione non aduertit Sanchez, dum ex hoc textu vult confirmare suam sententiam

malum hoc non refertur ad conuersum cum eius voluntate fit, sed ad immediata scilicet
28 vel ipsa se mutare promiserat, quod manifeste cõstat ex verbis. *Si hoc repererit & illum in monasterio remanere prouideat, & hanc sicut promisit mutare compellat*, qua euidens est quod si illa non promisit se mutare, non potest prouidere quod vir in monasterio remaneat nisi simul compellat, quod illa mutetur, & religionem pariter profiteatur, quod si nihil horum est scilicet quod nec ipsa consensit nec promisit, se mutare, *ne illius conuersio vxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritum suum illi etiam si tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante*, circa quæ verba nota
29 quod † siue mulier non consentiat, siue si consensit non tamen promisit se mutare, semper debet restitui ei maritus, quia si non consensit professio omnino irrita est, & inanis, vt supra monstrauimus, si tamen consensit, & non promisit se mutare, etiam debet restitui quamuis professio valida sit imperfecte, & inchoatè, vt infra magis enucleo.

30 Tertium, quod pondero est † fundamentum huius decisionis, quod ponit Pontifex, *quia postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere*. quæ ratio viua est & efficax cuius viuacitas, & efficacia residet in natura matrimonij ex vi cuius & ex natura rei vnum corpus efficitur per commixtionem carnalem corpus vtriusque coniugis, & alter in alterum habet ius
31 iustitiæ ad vsum coniugalem, quare † nequit vnus ex vi status religiosi & professionis solemnis reddi impotens & ad petendum & ad reddendum, & alter cum sua potestate frustrata, manens in sæculo sicut antea, impotens ad reddendum, & petendum cum ergo ad hoc habeat ius iustitiæ, nisi per altiorem virtutem scilicet religionem huic iuri renuntiet semper spoliata manet, & contra hoc ius quod est antiquius, nequit solemnis professio præualere, & sic recte dixit Pontifex quod cõiugium consummatum & vnum corpus effectum vtriusque coniugis, *non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere*. Quam rationem etiam dat Innocentius III. Archiepiscopo Pisano *cap. ad audientiam de conuers. coniug.*

Amplius est aliud insigne testimonium
32 Nicolai Papæ † *epistola quæ refertur in decreto cap. scripsit 26.27. quæst. 1. scripsit* (inquit) *nobis Tietberga Regina, se Regia dignitate vel maritali copula velle exui, & sola vita priuata esse contentam, desiderare, cui nos rescripsimus non aliter hoc fieri posse nisi eandem vitam coniux eius Lotherius elegerit*; quod testimonium valde vrget, si enim valida esset professio si aliter non profiteatur, sed solum consentiret, facile hoc Pontifex posset annuere Regiæ consultationi, ideo enim sic non respondit, sed vt vidimus quia professio vnius sine professione alterius non est vsquequaque firma & valida, etiamsi Rex Lotharius consensisset, vt de facto consentiebat, vt constat *ex epistola eiusdem Nicolai I. ad ipsum Lotharium*, & quidẽ magno odio Lotharius prosequeretur Thietbergam vxorem propter amorem inhonestum erga Vvaldradam 33
pellicem suam, vt constat ex Baronio *ad annum Christi* 865. & 866. cuius historiam ad compendium egregie reduxit Spondanus, quare dubio procul contiebat vt Thietberga religionem profiteretur, vt eam à se repelleret, & libere subintroduceret Vvaldradam vt sæpius fecit, & tamen Pontifex hunc consensum mariti dicit non sufficere, vt Thietberga in monachismum profiteretur, nisi eandem vitam coniux eius Lotharius eligeret.

Hoc idem statuitur ex 8. Synodo *cap. si quis coniugatus. 22. eadẽ causa & quæst.* † *si quis* 34
coniugatus vult conuerti ad monasterium non est recipiendus, nisi prius à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. quibus verbis clare ponitur forma, siquidem est sermo sub conditione, vt valide profiteatur coniugatus, conditio autem est si alter coniux professionem emiserit, qua conditione non impleta professio non est omnino valida, sed secundum quid, & imperfecte, quare hanc sententiam tenent Innocentius *cap. quidam 2. de conuers. coniug. num. 3. &* 4. Sa emendatus *verb. Religio, num.* 33. Victoria *in summa tit. de matrim. num.* 253. Glossa *cap. ex parte, verb. de iure*, retractans quod dixit *cap. vxoratus*.

Ex dictis infertur, quod † ille qui profes- 35
sus est de licentia spontanea vxoris ista manente in sæculo, sine voto debet restitui vxori qua mortua cogendus est ad Monasterium redire, quia valida fuit professio ex parte sua, sic expresè determinat Vrbanus III. rescribens Priori S. Crucis, *cap. ex parte, el 1. de conuers. coniug.* vbi mandat, quod mortua vxore quæ consensit professioni per excommunicationem compellatur ad Monasterium redire, *cap. autem quidam* 3. ideo non cogitur ad Monasterium redire; quia professio fuit omnino inualida, vtpote facta inuita vxore, *cap. autem placet.* 12. ideo Cœlestinus III. dicit † quod mulier quæ professionem emisit non debet cogi, sed induci vt mortuo marito in cuius absentia bona fide putans vita functum ingressa est Monasterium ad mariti petitionem, sine eius licentia professa est ad sæculum fuit egressa, quamuis enim ex parte sua tenuerit professio & votum vt ait Pont. solẽne fuerit, tamen ex indulto Apostolico, non est cogenda redire ad Monasterium, sed quod in sæculo maneat tribus votis ligata, habitu non retento, quia post viri obitum vota tenent, & exerunt vires suas.

SVBRESOLVT. I.

An si professione valida existente, si coniux restituatur, possit petere & reddere?

SVMMARIVM.

1. *An si professio facta cum licentia valida fuit simpliciter & absolutè, etiamsi restituatur maritus siue iure actionis, siue ex officio iudicis, nequeat vxor petere neque reddere.*
2. *An non quæcumque spontanea licentia coniugis sit renunciatio iuris ad corpus alterius.*
3. *Qui vxorem suam permiserit velare, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur*, ex cap qui vxorem.
4. *An etiamsi vir professus fuerit de licentia vxoris, nisi ista in religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, potest & debet maritus de Monasterio reuocari. & n. 5.*
6. *An si mulier inscia iuris de professione emittenda, aut voto faciendo, restituendus sit maritus à quo possit exigere debitum coniugale. & n. 7. & 8.*
9. *An mulier conscia iuris & obligationis tacitè voueat, & adstringatur ad renuntiandum iuri petendi.*
10. *Triplex casus est expressus in iure Decreti, & Decretalium, in quo vir debet restitui vxori etsi professus. & n. 11.*
12. *In quibus casibus restitutio, & reuocatio facienda sit.*

1 INfertur secundum, quod † si professio facta cum licentia valida fuit simpliciter & absolute, etiamsi restituatur maritus siue iure actionis siue ex officio iudicis nequit vxor petere neque reddere; vnde ad nihil deseruiret restitutio, consequens autem est omnino falsum contra *cap. preterea. de conuers. coniug.* sequela probatur, quia vir habet votum solemne castitatis; & sic non potest petere, rursus non potest reddere, quia vxor non potest petere cum de licentia sua professionem validam emiserit renuntians iuri quod habebat ad corpus mariti. Vnde in vi dictæ renuntiationis alter coniux professus est valide omnino, & sic non potest petere debitum marito sibi restituto, etiamsi restituatur officio iudicis.

Sed respondet Thomas Sanchez *disp.*
2 *illa. 33. n. 15.* quod † non quæcumque spontanea licentia coniugis est renuntiatio iuris ad corpus alterius, qui professionem emisit, sed illa quæ datur cum scientia iuris disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa licentiam concedens vxor voueat castitatem si sen ex sit, etsi iuuenis ingrediatur Religionem secus vero si concedatur licentia ab vxore inscia huius iuris; nam in hoc casu vir reuocandus est, & ipsa potest petere, & sic intelligitur *cap. Præterea.* citatum in priori tamen vir reuocari non debet, quia eo ipso quod vxor conscia fuit illius iuris, & concessit licentiam viro profitendi, videtur tacitè vouere, & ad id se adstringere, quod ad illius professionis & ingressus valorem irreuocabilem norat, Vnde *cap. qui vxorem. 33. quæst. 5.* dicitur † *qui vxorem suam* 3
velare permiserit aliam non accipiat, sed similiter conuertatur, vbi ex solo consensu mariti ad professionem vxoris, quia præsumitur conscius iuris cogitur similiter profiteri.

Verum enim vero solutio ista non euacuat difficultatem: Primò, *cap. preterea*, absolute dicit, quod † *etiamsi vir professus fuerit de licentia vxoris nisi ista ad religionem* 4
transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit potest & debet (*maritus*) *de monasterio reuocari*, quia videlicet licentia vxoris non fuit iuridica. & vt oportet vt professio mariti omnino fieret valida & eius valor ir- 5
reuocabilis, & cum decisio textus vniuersalis sit siue mulier conscia sit, siue inscia, quod non exprimit Pontifex limitari non debet, nisi per aliud ius expressum, correctio enim & limitatio legis valde odiosa est, & sic omnino restringenda nisi aliud ius restringat, quia vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus *leg. non distinguendum D. de receptis arbitr. leg. præses D. de offic. præsid.* vt bene adnotauit Aldrete *de Religiosa disciplina tuenda. lib. 2. cap. 28. num.* 11. Narbona. *de appellat. à Vicario ad Episcopo p. 1. num.* 27. *ex cap. Romanorum dist. 9. cap. consuluisti. 2. q. 5. cap. soluta. de matrim. & obedient.*

Secundò, quia † si mulier inscia iuris de 6
professione emittenda aut voto faciendo restituendus est maritus à quo potest exigere debitum coniugale, & iste tenetur reddere, ergo illa ad hoc habet ius suum iustitiæ semper illæsum, ergo non fuit professio omnino inualida, consequentia est euidens, quia votum quod emittitur castitatis in profes- 7
sione omnino valida, habet pro materia non solum non petere sed neque reddere, & cũ vxore non residere sed in religione, in qua etiam emittit stare, & superioribus obedire, quod nequit obseruare eo ipso, quod restituatur vxori habenti ius ad debitum coniugale & vt vir secum resideat.

Tertiò, & valde vrgenter, quia † etiam- 8
si vxor conscia sit iuris de facienda profes-

sione

sione si maritus profitetur det lili ad profitendum licentiam spontaneam sine eo quod ipsa expresse vel voueat vel professionem emittat, tacite (vt ait Sanchez, vouet, & ad id faciendum se adstringit, quod ad illius ingressus & professiones irreuocabilem valorem desiderari notat, qui enim vult finem vult etiam medium, sine quo finis consequi, non potest *cap. prudentiam de officio delegati leg. ad rem mobilem leg. ad legatum*
9 *D. de Procurat.* ergo † mulier conscia iuris & obligationis tacite vouet, & adstringitur ad renuntiandum iuri petendi, quia hæc renuntiatio iuridica necessaria conditio est, vt coniux, qui profitetur irreuocabiliter, & omnino valide professionem emittat & alter data spontaneè licentia, sine præfata obligatione & voto claudicat & professio emisa in formis manet, eo ipso quod vir reuocari iure potest, quia sine licentia vt ius disponit data, est professus.

Vnde vt constat ex notatis iuribus illatio-
10 ne prima † triplex casus est expressus in iure Decreti, & Decretalium in quo vir restitui debet vxori etiam si religionem sit professus, duo sunt extremi & alter medius. Primus est, quum professus est inuita vxore *cap. quidam*, & iste non tenetur ad monasterium redire. Secundus quum de licentia vxoris manentis in sæculo sine voto, professus est & iste tenetur ad monasterium redire *cap. ex parte el* 1. Tertius est medius quum coniux sine consensu mariti, quem
11 functum vita, bona fide putabat professus est, iste non est cogendus ad monasterium redire *cap. placet de conuers. coniug.* in quo vt ait Pontifex votum religionis obligare non desiit, nõ enim solum loquitur de voto continentiæ, quia hoc etiam manet, quamuis inuita vxore professionem emiserit *cap. quidam cit.* Vbi Pontifex dixit quod votum non tenuit, intellige religionis, vt explicat *ibi* glossa in foro externo: ergo, *si cap. placet.* dicit quod votum obligat non solum loquitur de voto castitatis, sed etiam de voto Religionis, quare minus bene Sanchez contra-
12 rium tenuit, sed † in his omnibus casibus restitutio facienda est, & reuocatio, quia coniux licentiam dans non posuit conditionem necessariam ex iure, scilicet votum continẽtiæ, aut professionem vt prefessio sit omnino valida & valor eius irreuocabilis,

SVBRESOLVT. II.

Qua ratione possit coniux repetere?

SVMMARIVM.

1. *Quo iure mulier possit maritum reuocare.*
2. *Vnde professio non sit omnino, & ex omni parte valida.*
3. *An quis professus est de consensu vxoris, votum fecerit, solum per ipsam reuocabile.*

INfertur tertium, contra eundem Thomam Sanchez *num.* 48. quod † mulier dans 1
licentiam viro, vt professionem emittat sine eo quod ipsa, si iuuenis fuerit, professionem emittat, vel si senex votum perpetuæ continentiæ, maritum potest reuocare iure actionis, quæ sibi competit ad petendum maritum, vt secum resideat, & cohabitet, quod si ipsa nõ audeat iure actionis repetere, Episcopus debet ex officio maritum illi restituere, vt dicitur *cap. præterea de conuers. coniugat.* ibi. *Potest & debet reuocari.* Ratio huius illationis perspicua est, ex dictis, quia mulier præcise per spontaneam licentiam sine obligatione ad profitendum aut ad vouendum, non amisit ius in corpus mariti, sed illud illæsum conseruat, vnde † professio 2
non est omnino, & ex omni parte valida, ergo manet illi actio, vt ex vi huius iuris repetat, quare ita tenent Abbas, Innocẽtius, Dominicus citati à Sanchez, & Scholastici antiqui *in* 4. *dist.* 32. vbi Ricardus *art.* 2. *quæst.* 2. Palud. *art.* 2. *quæst.* 2. Supplementum Gabrielis *quæst.* 1. *artic. in corollario concl.* 9. Guillelmus *quæst. vnic. art.* 2. quos sequuntur Palacios *dist.* 27. *disp.* 2. *versic. Scito tamen* Angles *artic.* 3. *difficult.* 4. Sotus *quæst.* 1. *artic.* 4. *versic. si vero vnus.* vbi dicit quod † qui professus 3
est de consensu vxoris votum fecit solum per ipsam reuocabile, Maiolus *lib.* 1. *de irregular. cap.* 4. *num.* 5. Antonius Gomez *in exposit. Bullæ cruciatæ clauf.* 10. *num.* 70, si enim valide per licentiam spontaneam vxor cessit iuri suo etiam si Episcopus restituat, non potest petere debitum, quia non habet ius iustitiæ ad illud exigendum *vt supra dicebam.*

SVBRESOLVT. III.

Qualiter cogendus coniux qui licentiam dedit vt professionem emittat.

SVMMARIVM.

1. *Qualiter cogendus sit coniux qui licentiam dedit, vt alter professionem emitteret, vt ipse etiam profiteatur. & n.* 2.

INfertur quartum, qualiter iuxta dicta 1
† cogendus est coniux qui licentiam dedit vt alter professionem emitteret, vt ipse etiam profiteatur si iuuenis sit, si enim talis licentia concessa est, obseruatis his, quæ iura præcipiunt, vt scilicet vnus non profiteatur, sine eo quod alter iuuenis conuertatur, cogendus est dubio procul ad professionem emittendam

emittendam (nisi alias ratione infirmitatis impotens sit) quia eo ipso quod licentiam dedit iuxta iuris dispositionem, vt professio
2 alterius omninò firma sit & irreuocabilis se obligauit ad exequendum, quod ius præcipit, scilicet professionem in religione, si tamen licentia data est absque voluntate adimplendi, quod ius præcipit cum professio non sit vsquequaque firma, non est cogenda ingredi religionem, sed maritus ei restituendus.

SVBRESOLVT. IV.

Coniux qui potest reuocari, nequit propria authoritate à monasterio egredi.

SVMMARIVM.

1. *An vir qui de licentia vxoris professus est taliter quod possit reuocari, non possit propria authoritate à monasterio egredi.*
2. *Soti sententia affertur.*
3. *An si vir vxore inuita & repugnante professus est, possit propria authoritate à religione exire, & n.* 4.

INfertur quintum, contra Innocentium *c.* 1
quidam num. 3. *de conuersio. coniugat.* quod † vir qui de licentia vxoris professus est taliter, quod possit reuocari, non potest propria authoritae à monasterio egredi, vt cum vxore resideat, & cohabitet, quamuis enim professio non sit omnino firma, sed claudicat, tamen ex parte sua tenent, *cap. placet eodem tit.* vnde & tenetur castitatem & obedientiam seruare; & sic vt egregie paucis
2 dixit † Sotus *vbi supra, fecit votum solum per vxorem reuocabile*, quare quo vsque iuridice reuocetur, & coram iudice competente, votum obligat, & sic non potest propria authoritate à religione exire, & vxori cohabitare, & residere, & hæc est huius decisionis ratio ex iure petita, non illa quam adducit Thomas Sanchez *num.* 15. quod scilicet ille omnino valide professionem emisit cum sola spontanea vxoris licentia, hoc enim
3 est contra omnia iura citata, quod † si vir, vxore inuita & repugnante professus est, cum professio omnino sit inualida, potest propria authoritate à religione exire, cum in illa non teneatur residere, etiam mortua vxore *cap. quidam de conuers. coniugat.* quod etiam tenet verum, quamuis transactum sit quinquennium Tridentini, quia semper clamat ius iustitiæ vxoris, & inuoluntarium quia ea inuita professio emissa est, imo etiamsi licentiam spontaneam det si tamen fecit votum, aut in religione, aut in sæcu-
4 lo perpetuæ contineniæ nunquam currit quinquennnium, nisi velit aliquis dicere, quod si licentiam spontaneam dedit, & in toto quinquennio cum possit repetere verũ non repetiit censeatur votum, & ipsam tacite emisisse, & sic cogendam ad professionem argumento *ex cap. qui vxorem* 33. *quæst.* 5.

SVBRESOLVT. V.

Cur coniux reuocatus possit reddere, ast non petere.

SVMMARIVM.

1. *Cur coniux reuocatus etiamsi professus fuerit de spontanea vxoris licentia teneatur reddere etsi non possit petere.*
2. *D. Thomæ, & aliorum sensus adferuntur. & num.* 3.

INfertur sextum, ratio genuina & propria 1
† cur coniux reuocatus etiamsi professus 5
fuerit de spontanea vxoris licentia, teneatur reddere, etsi non possit petere, quia ex parte sua renuatiauit iuri petendi vir, qui de licentia vxoris spontanea est professus, at mulier etsi dederit licentiam, quia non fecit professionem, si iuuenis, aut votum continentiæ si senex, non renuntiauit iuri suo solide & valide, quare si petit, tenetur reddere professus, qui non potest petere, quia tenetur votis emissis in professione, vt bene Scotus *in* 4. *dist.* 32. *quæst. vnic.* Paludanus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *artic.* 2. *num.* 19. D. Tho. † *dist.* 37. *quæst* 1. *art.* 2. *ad* 1. quamuis pro- 1
fessio infirma sit, & non omnino valida ex omni requisito necessario, ex iure canonico, vnde eo ipso, quod iste professus sit obligatus reddere, alias frustranea esset restitutio, & exposita periculo peccandi, vt bene aduertit ipse Sanchez *num.* 22. manifeste infertur quod professio non est omnino vada, quia non potuit facere votum castitatis de non reddendo huic vxori, quia est de materia hic & nunc illicita & votum de alieno non est validum, vt bene D. Tho. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 4. & non reddere huic 3
vxori quæ non renuntiauit cononice suo iuri est auferre alienum, & sic cum professio omnino valida excludet, etiam per votum castitatis redditionem debiti, si hanc professus iste negare nequit, manifestũ est quod votum nõ fuit, quantum ad hoc validum, & per consequens, nec professio cum ex hac parte claudicet, quia non exerit vires vnius obigationis adæquatè voti solemnis castitatis.

SVBRESO

SVBRESOLVT. VI.

Si coniux non est professus, aut non valide qui fecit votum continentiæ, hoc non adstringitur.

SVMMARIVM.

1. *An si coniux manens in sæculo votum continentiæ emisit, vt alter professionem faceret, aut non valide, votum manentis in sæculo cesset.*

1 INfertur septimum, quod † si coniux manens in sæculo votum continentiæ emisit vt alter professionem faceret, iste non est professus aut valide non est professus, votum manentis in sæculo cessat & euanescit. Ita Gregorius Lopez, quia votum illud factum est ob causam, & tacità conditione si alter valide profiteatur, nisi manens in sæculo independenter ab alterius professione voueret, tunc enim tenet votum, & vouens non potest petere, ego addo quod valide professionem emisit, & cum possit reclamare non reclamauit transacto quinquennio votum manentis firmatur in foro conscientiæ, sicut diximus firmari professionem, dum ageremus de quinquennio Trident.

SVBRESOLVT. VII.

Vir sine licentia professus si reducatur, nequit exigere, sed solum petere.

SVMMARIVM.

1. *An vir professus sine licentia, vt ius disponit reducitur ad coniugem manentem in sæculo non solum non possit exigere, sed neque petere debitum, sed solum reddere exigenti & petenti.*
2. *An exigere idem sit ac reddere.*
3. *Thomæ Sanchez sententia adducitur. & num.5. & 6. necnon Authoris iudicium. & num.4.*

INfertur octauo, contra aliquos inter quos est Henriq. *lib.11. de matrim. cap.15. n.9.*
1 *& lib.12. cap.2. num.9.* quod † dum vir professus sine licentia, vt ius disponit reducitur ad coniugem manentem in sæculo non solum non possit exigere, sed neque petere debitum, sed solum reddere exigenti & petenti, ita Sanchez *disp.34. num.4.* quod mihi certum est quia *cap. quidam & cap. placet*, id
2 expresse dicunt Pontifices † qui quamuis vtantur verbo exigere, tamen hic idem est, ac reddere, quod clare constat ex ratione quam subministrant scilicet, quia iste manet obligatus voto solemni continentiæ, quod votum non solum impedit licite exigere, sed etiam licite petere, quod secus est de adultero, qui non potest exigere attamen potest humiliter petere, nam adulter priuatur iure exigendi in fauorem innocentis, à quo potest humiliter petere corpus suum, vt cum innocens sibi reconciliet, an vero vxor teneatur reddere huic matito sibi restituto † Thomas Sanchez *lib.7. de matrim. disp.38.* 3
num.22. sentit probabile esse quod vxor teneatur reddere, quia vir non amisit ius iustitiæ petendi, sed sola religione voti impeditur, quare etsi vir contra Religionem petat, cum petat id quod sibi debetur ex iustitia mulier tenetur reddere, sed ego contrarium prorsus certum existimo, quia quamuis vir sit restitutus, qui professionem emisit de licentia spontanea vxoris, tamen per profes- 4
sionem vouit abstinere à coniugio quantum erat ex parte sua & sic cessit iuri petendi, quamuis non iuri reddendi, cui non poterat renuntiare cum non sit suum, sed vxoris, quæ habet ius iustitiæ ad petendum, sed si professio & mutatio status fuit omnino irrita, quia facta sine licentia vxoris vt determinatur *cap. quidam*, etsi maneat cum voto 5
continentiæ tamen cum teneatur residere cum vxore, ista tenetur reddere, si alter petit vt egregie probat Thomas Sanch. *lib. 9. de matrim. disp.6. num.7.* quia quod iste peccet mortaliter petendo non oritur ex natura actus coniugalis, sed ex circunstantia ipsius exigentis ob quam non amisit dominium acquisitum ex vi matrimonij in corpus alterius coniugis, etsi iste tenetur reddere, sicut si ego habeam pignus depositum apud Religionem, etsi ego voueam non exigere, & 6
peccem exigendo tamen depositarius tenetur, ex iustitia reddere, & peccat mortaliter si non reddat. Vnde apparet quod qui de licentia spontanea vxoris professionem emisit, quamuis professio non sit omnino firma & valida cum debeat restitui vxori petenti restitutionem, vt vidimus; tamen nequit petere, nec vxor tenetur reddere petẽti, quia mutatio ista & professio status valida est ex parte profitentis, quamuis claudicet ex parte manentis in sæculo.

SVBRESOLVT. VIII.

Vtrum restitutus mortua vxore possit cum alia contrahere?

SVMMARIVM.

1. *An iste qui professus est si restituatur vxori; ista mortua possit validè cum alia contrahere, & n.2.*
3. *Authoris iudicium, & n.4. & n.26.*
5. *Cælestini Papæ sensus, & n.6.*
7. *An cum vxor bona fide professionem fecit putans prudenter maritum obiisse, si maritus non obiit, & illi restituatur vxor, ista ex parte sua solemniter maneat obligata religioni, & n.8.*
9. *An si maritus non repetat, nequeat propria authoritate vxor egredi à monasterio.*
10. *Variorum DD. sensus, & n. 18. necnon Sanchez opinio affertur, & n. 11. & 12.*
13. *Quæ professio sit nulla ex iudicio Sanchez, & num.14.*
15. *Ratio difficultatis affertur, & num.16.17.*
19. *Nauarri mens, & num.20.*
21. *An mulier putans maritum mortuum & bona fide se religioni obligans professio sit valida, & num.22.*
23. *An votum conditionate quod verè est tale pariat obligationem in specie & sine nouo actu voluntatis, pariat etiam obligationem in re ex vi prioris voti.*
24. *Quæ vota absque aliqua reuocatione solemnia subsistant, & n.25.*

1 INfertur nono, quid sit dicendum † an iste qui professus est si restituatur vxori ista mortua possit validè cum alia contrahere; & distinguendo tres illos casus de quibus in tribus capitulis, *cap. quidam c. ex parte & cap. placet de conuers. coniugat.* supra proposuimus, si loquamur de casu *cap. quidam* in quo professio nulla fuit, quia inuita vxore etsi quia manet voto castitatis adstrictus peccet contrahẽdo, at probabilius est quod matrimonium validum sit, ita multis citatis Sanch. *disp.34. cit. n.5.* quamuis contrariũ supra probabile dixerim cum aliis, non quidẽ ex vi voti simplicis castitatis, sed ex determinatione Ecclesiæ in præfato *cap. quidam* vbi id tenet glossa, *verbo non exigere*, & se-
2 quuntur Hostiens. *n.1.* & Antonius *n.8.* si tamen sit sermo de secundo casu *in cap. ex parte* certum est nõ tenere matrimonium, quia mandatur residere in monasterio, in quo professus de licentia vxoris si ista moriatur.
3 Si loquamur † de casu *in cap. placet*, vbi mulier putans bona fide quod maritus è vita discesserit professa est in monasterio, quamuis Pontifex dicat; quod est inducenda non tamen cogenda; vt ad monasterium redeat mortuo marito; tamen mihi indubium est quod ista vxor si mortuo marito cum alio contrahat, matrimonium denuo contractũ nullum est, probatur quia ista professio fuit valida ex parte vxoris; quæ bona
4 fide putauit solutam esse, & sic religio etiam bona fide eam recepit, & vota acceptauit, quare solum tenetur reddere marito, quod suum est pro vita sua; manente vxore obligata religioni & Religio mulieri; vt post mariti obitum ad monasterium redeat, nisi indulto Apostolico dispensetur, quod maneat in sæculo; vnde Pontifex Cælestinus dicit de ista vxore † *quod consultius ad mo-* 5
nasterium redeat vbi bona ducta intentione professionem fecit & habitum religionis accepit, & quod redire ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post vi- 6
ri obitum tenere non desit. Ex quo desumo validum argumentum, in tantum tenuit votum nõ redeundi ad sæculũ, in quantum ipsa bona intentio inducta professionem fecit, si enim professio post mariti obitũ nõ teneret, nec votum nõ redeundi ad sæculũ teneret, argumento manifesto *ex cap. quidã* vbi quia maritus mala fide, quia inuita vxore, profes-
sionem emisit, dicit Pont. Adrian, *quod votum non tenuit nec tenetur redire ad monasterium, quamuis maneat ligatus voto castitatis, quia vo-* 7
tũ manendi in Religione nullum fuit, quia inuita vxore, ergo † quũ vxor bona fide profes- 7
sionem fecit putans prudenter maritũ obiisse, si maritus non obiit, & illi restituitur vxor ista ex parte sua solemniter manet obligata Religioni, & ista illi, vt mortuo marito matrimonium non possit valide contrahere cum alio, quia votum quod emisit bona fide & eadem bona fide Religio acceptauit solemnizatum est, & ex natura rei excludit aliud matrimoniũ, quãuis professio facta ratione rei acceptæ inhibeatur restituta vxore, ma-
rito, dum viuit, cui redditur, quod suum est 8
vnde si maritus non repetierit vxorem, ipsa non posset exire ad sæculum, vt expressè dicit Pontifex etsi marito non repetente finiret vitam professio teneret, nec posset exire, & valide cõtrahere cum alio; ergo si maritus repetit solum restituitur, quod sibi debetur, non vero absoluitur mulier à vinculo professionis solemnis, & sic mortuo marito matrimonium cum alio valide nequit contrahere.

Vrgetur hoc amplius; quia in specie hu- 9
ius textus † si maritus non repetit, nequit propria authoritate vxor egredi à monasterio, id enim clarissimè docet Pontifex *in cap. placet citat. redire vero ad sæculum in eius potestate non erat, sed mariti*, ex quo colligit Pontifex; *quod votum Religionis, quantum ad ipsam tenuit, quod post viri obitum tenere non desit*; & ideo quia votum Religionis ex parte vxoris erat validum & solemne; & non ex parte viri qui cum licentiam non concesserit; poterat illam reuocare, & hic est planus sensus mentis Pontificis & eius efficacissima ratio claret; non enim solum vult quod ista teneatur voto castitatis, quia potuit promittere, quod erat in sua potestate, scilicet nõ exigere carnis debitũ; sed etiam quantum est ex parte sua non redire ad sæculum, quod de facto fecit & ideo

quantum ad ipsam tenuit, tam votum castitatis, quam religionis, & sic non repetente marito ad sæculum redire nequibat, vti
10 tenent † Antonius de Butrio *ibi n.* 11. Abbas *n.* 3. Syluester *verb. diuortium q.* 14. *num.* 17. & *verb. matrimonium* 8. *q.* 12. *n.* 12. *dicto* 5. Paludanus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *art.* 2. *n.* 15. Gabriel *dist.* 32. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 9. Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 5. *n.* 10. *litter. F.* Sa emendatus *verb. Religio n.* 33. Rodriguez *tom.* 1. *summ. cap.* 239. *num.* 3. Vega *part.* 2. *c.* 34. *casu* 104. Nauarrus in mea impressione *lib.* 3. *cons. de conuers. coniug. consil.* 6. *per totum.*

11 Quare male citat Sanchez pro sua sentẽtia Sotum *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *vers. casus autem pag.* 121. quia loquitur quando quis contra voluntatem vxoris fecit votum castitatis solemne in religione, credẽs id posse, qui casus diuersus est ab eo, quem modo discutimus quum vxor bona fide putans maritum mortuum professionem emittit, in quo non profitetur inuito marito, sed non consentiẽ-
12 te, quod valde diuersum est, nam in priori casu non tenetur manere in religione sicut in secundo, quare sicut si maritus adueniat non repetens, vxor manet ligata votis religionis nec petest ab illa diuertere, sed tanquã apostata potest puniri, ita si repetente viro restituatur, cum non absoluatur à professione, quantũ ad se attinet, sed marito restituatur ad vsum matrimonij, marito mortuo, reuiuiscit professio solemnis, quæ ex repetitione mariti mortificata, non mortua erat, sed solũ inhibita, quantum ad ius mariti, & per cõsequẽs matrimonium initum prorsus nullum est. Quare caterua illa auctorũ, quos adducit intelligenda est maiori ex parte, iuxta speciẽ *c. quidã*, in qua professio fuit omnino inualida, & nulla, non vero in specie *cap. placet*, de qua loquimur.

13 Sed Sanchez consequenter ad sua principia tenet, & quod † professio ista omnino fuit nulla, & quod potest propria auctoritate à monasterio exire, imo & quod tenetur, si commode id potest facere, quia etiamsi ista vxor putans prudenter virum suum è vita discessisse bona fide professionẽ emisisset, & sic nõ peccauerit ex iniusta acceptatione, sicut qui retinet bona fide rem alienam, qui excusatur à culpa propter ignorantiam, & veritatis certior factus habebit se in posterum instar rei alienæ possessoris cognoscen-
14 tis iam rem esse alienam. At vterque tenetur statim restituere nec opus est, vt verus Dominus repetat, nisi liquido constet retentionẽ esse ex illius consensu; ergo vt iniuriam resarciat coniugi spoliato poterit hic propria authoritate exire, imo & tenebitur si commodè possit.

15 Hoc fundamentum huius grauissimi viri prorsus inefficax est, respondetur enim † quod cum religio acquisierit ius in istum professum, quia bona fide ipsum suscepit, & acceptauit, quousque religioni constet maritum dissẽtire professus propria auctoritate nequit spoliare religionem cui cõstabit dissentire maritum si iste repetat restitui quod suũ est, & sic quousque repetat nequit professus propria authoritate redire ad sæculũ, at retinens rem alienam, eo ipso quod certo sciat esse alienam tenetur reddere proprio domino, non tamen si liquido constet non dissẽtire, at cum religio iuridice acquisierit ius iustitiæ in professum, nisi iuridice constet non esse suum, quia maritus dissentit iuridice repetendo vxorẽ non potest spoliari propria authoritate professi, quousque illi constet esse vxorem non constat esse alienam, & constat esse vxoratum quia repetitur ab altero coniuge, vel si alia via iuridice probat esse vxoratum si non repetit, censetur con-
16 sentire, quia cum posit repetere & non repetit, religio iudicat consentire, sicut si quis scit me habere rem suam cũ absque aliquo incommoddo, aut difficultate posit eam à me petere, quousque non petit non cẽsetur inuitus & sic possum eam retinere, nec alius potest licite à me rem illam auferre propria authoritate, vt illam det & restituat proprio Domino, quia etsi res sit alterius, tamen ego illam iuste & licite possideo.

17 Amplius vrgeo eandem sententiam ex alia doctrina apud omnes antiquos indubitata, de qua sine authore dubitauit primus Sanchez *disp.* 36. *lib.* 7. *n.* 5. *versic. existimo.* Igitur est certa apud antiquos sententia, quod si vnus coniux sine licentia alterius professus est, si relictus in sæculo toto vitæ spatio, cum libere possit reclamare non reclamauit, sed dissimulauit, & cum hac dissimulatione vitam finiat eo ipso professio fit omnino valida, nec potest vxor ad sæculum redire aut matrimonium contrahere, & si contrahat irritum est *c. consuluit de conuers. coniug.* vbi Ioannes Andr. *n.* 2. Antoninus de Butrio, Anchar. Card. Henriq. *cap. placet eodem tit. n.* 4. Maioris *in* 4. *dist.* 32. *q.* 2. Supplementum Gabriel *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 8. Dominic. *c. seriatim n.* 5. *dist.* 35. vbi Turrecrem. *art.* 3. *n.* 4. *casu* 6. Angelus *matrim.* 4. *n.* 12. Syluester *verb. diuortium q.* 14. *n.* 17. & clarius *verb. matrimonium* 8. *q.* 12. *n.* 22. *dict.* 4. *vers. aut tertio*
18 *altero sciente dissimulante, & idem dicendum est si tamen in vita non reuocauit, qui remansit in sæculo post eius mortem non poterit professus exire monasterium, vt in dicto cap. consuluit* idem sensit Ludouicus Lopez 2. *p. instructor. vbi de matrim. cap.* 54. Azor *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 10. Palacio *in* 4. *dist.* 27. *disp.* 2. *vers. hæsitas secundo fol.* 589. Henrriq. *vbi supra.* Nauarr. *lib.* 3. *cit. cons.* 5. *num.* 4. vbi sic eleganter loquitur, *non obstat cap. consuluit, quia disponit*

19 *disponit de coniugato qui emisit professionem sciente vxore & dissimulante, & ita non contradicente, neque expresse consentiente, dum viueret, per illam enim dissimulationem & taciturnitatem vsque ad mortem videtur consensisse, vt post Ioannem Andream & Calder. intelligit illud cap. consuluit Panormit. ibi, qui post Calderi, cap. præterea de conuers. coniug. egregiè dixit quod in omnibus casibus in quibus coniugatus post professionem potest repeti ab vxore si non repetatur in vita vxoris debet remanere in monasterio, etsi illa mortua contrahat cum*
20 *alia non valet matrimonium, non ergo requiritur noua ratificatio mortua vxore, vt professio teneat & obliget, sed expræcisa morte illius ex qua sequitur impossibilitas reuocationis obligat omnino professio, cuius rationem egregiam dedit Nauarrus vbi modo, quia hoc votum & professio valet quoad præiudicium vouentis, & professantis, & ita à principio fuit obligatus seruare illud in præiudicium suum saluo iure alterius coniugis.*

21 Ex qua doctrina validum sumitur argumentum pro nostra resolutione ista mulier, quæ putans maritum mortuum bona fide se obligauit Religioni per professionem solemnem, quæ professio semper tenet, quia non est facta contradicente marito, sed solum non consentiente, quare si iste tota vita sua non repetierit, eo defuncto professio sine alia ratificatione fit omnino valida vt vidimus, ergo si repetat, non aufert vires solemni professioni, sed eas inhibet pro vita sua, qua finita ex vi prioris professionis obligata manet Deo & Religioni, sicut qui facit votum castitatis simplex si contrahat
22 matrimonium potest durante matrimonio reddere debitum, imo & petere in gratiam vxoris, vt multi probabiliter tenent, tamen soluto matrimonio votum castitatis vires suas reassumit, & non potest licitè matrimonium contrahere, ita ista vxor de qua loquimur cum solemniter sit professa in suum præiudicium & obligata Religioni, hæc solemnitas per repetitionem mariti non tollitur, sed inhibetur, & soluto matrimonio ex morte mariti absque alia noua professione adstringitur tribus votis solemnibus, nec aliud matrimonium validè contrahit cum obligatio in suum præiudicium, quam sibi imposuit bona fide solemniter profitendo à principio nullatenus desinit, sed suspenditur, neque est vt dixi necessaria alia confirmatio.

Ad quod confirmandum adduco aliam doctrinam, quam latissimè enucleat Thomas Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 23. & *lib.* 8. *de*
23 *matrim. disp.* 10. quod † votum conditionale, quod vere est tale à principio parit obligationem in specie & sine nouo voto, & actu voluntatis, parit obligationem in re ex vi prioris voti & in hoc conueniunt omnes; ergo cum mulier ista professionem emiserit in præiudicium suum imbibita conditione, saluo iure mariti, si iste non reclamat, sed vsque ad mortem dissimulat iuri suo cædit, & sic † vota illa absque aliqua renoua- 24
tione solemnia subsistunt, ex quo rursus fit quod etiamsi maritus repetierit illique mulier restituatur, non euanescunt vota solemnia, sed suspenduntur vsque ad mortem mariti, in quo cessat suum præiudicium, quia isto saluo mulier se obligauit quantum potuit in suum præiudicium, quod semper clamat mortuo marito, cum bona fide sit solemniter professa, quam solemnitatẽ quatenus est in vxoris præiudicium & in illa parit obligationem religioni factam, ex parte
25 sua non extinguit mariti repetitio, sicut fatetur ipse Thomas Sanchez, quod non extinguit obligationem voti continentiæ quãtum ad non petendum, nec video cur ista maneat obligata voto continentiæ & non solemnitate professionis & mutatione status ex parte sua quum maritus non contradixit professioni, quæ bona fide & intentione emissa fuit, quare mihi in dubium est
26 quod † si mortuo marito matrimonium cõtrahat nullum est & inane, imo existimo quod iuxta sententiam D. Thom. Pontifex, nequit dispensare, quod ista mortuo marito cum alio contrahat, quia est solemniter professa & votum est solemne in quo Papa nequit dispensare, *cap. cum ad monasterium de statu monachor.* & communiter sentiunt Thomistæ.

SVBRESOLVT. IX.

De eo qui sine licentia alterius coniugis reuocatus est, quid sentiendum?

SVMMARIVM.

1. *Si quis sine licentia alterius coniugis reuocatus sit ad cohabitandum, si manens in sæculo pœniteat de reuocatione & licentiam impartiatur, an teneatur professus ad religionem redire, & n.* 2.

INfertur decimò, quod si quis non con-
1 tradicente, sed † sine licentia alterius cõiugis reuocatus sit ad residendum & cohabitandum si manens in sæculo pœniteat de reuocatione & licentiam impartiatur, tenetur professus ad religionẽ redire: ita Palud. *vbi sup. q.* 3. *art.* 2. *n.* 16. Syluest. *verb. diuortium quæst.* 16. *num.* 19. *casu* 2. & iuxta dicta ratio est perspicua, quia professio ista valida
2 fuit in præiudiciũ profitentis & solũ inhibetur ratione dãnificati iuris mariti, ergo si iste pœniteat de reuocatione & licentiã largitur

tenetur professus ad religionem regredi, nec maritus, tunc cum vel professionem pariter debeat emittere si iuuenis est vel votum cõtinentiæ si senex sine periculo incontinentiæ, potest iterum repetere.

SVBRESOLVT. X.

Vtrũ cõiux in sæculo relictus altero profitẽte sine eius licẽtia, possit eo inuito ad religionẽ trãsire?

SVMMARIVM.

1. *An cõiux in sæculo relictus si alter professus sit sine eius licentia possit altero inuito ad religionem transire, & n 2.*

1 INfertur vndecimo, quod † coniux in sæculo relictus si professus sine eius licentia sit illi restitutus siue non, potest isto inuito ad religionem transire; hæc communis antiquorũ sententia, quos citat & disserit Thomas Sanchez *disp.34.lib.7.cit.n.23.* ratio est clara ex dictis, quia professio illa valida fuit & obligatoria ex parte profitentis, vnde nul-
2 lum ius habet in corpus alterius, & quod professio euadat omnino valida & irreuocabilis dependet à voluntate manentis in sæculo, ergo vt iste ingrediatur religionem nõ tenetur expectare alterius cõsensum, etiam eo contradicente potest ingredi religionem & professionem omnino validam emittere, quod secus est quum manens in sæcu repugnauit professionem alterius, tunc enim cũ professio omnino sit nulla *cap.quidam sæpius cit.* tenetur manens in sæculo eius consensum & licẽtiam expectare multa alia corollaria omitto quæ videri possunt apud Sanchez *disp.cit.& sequenti*, non enim occurrit aliquid speciale notandum, quod in præfato auctore bene diggestum non inueniatur.

RESOLVT. III.

Qualiter vxoratus licite & valide possit non residere, & cohabitare cum vxore per susceptionem Sacrorum ordinum.

CVM Ecclesia latina homines sacri, teneantur continentiam obseruare, & residentia cum propria vxore sit illis prohibita, adeo quod sacer ordo matrimoniũ dirimat, sicut, & votũ solemne castitatis emissum professione, vt est certum inter catholicos, tamen sicut coniugatus potest profiteri in religione, vt vidimus, potest etiam sacris ordinibus insigniri, quid autem ad hoc requiratur videndum restat, vt vidimus requisita ad professionem in religione.

§. I.

Ponitur Regula generalis.

SVMMARIVM.

1. *Casus in quibus alter coniugum possit ad religionem transire afferuntur, & n.2.*
3. *Variorum DD. sensus.*

LEdesma 2.*p.4.q.*63.*art.*1.*§.sed est aduertendum* sic fatur. *Paludanus in* 4. *dist* 27. *q.*3. *dicit quod* † *in omnibus casibus in quibus alter coniugum transire ad religionem potest, etiã promoueri ad sacros ordines, etiamsi nõ ingreditur religionem, sed ego non inuenio hoc in aliquo alio doctore, credo tamen quod est verum quod dicit Paludanus. Ratio est quia tunc nullum est impedimentum quod impediat transitum ad ordines sacros, vt cum mulier exempli gratia commisit adulterium & separatur maritus, quoad thorum, poterit etiam transire ad ordines sacros & eodem modo concederet Paludanus, quod quãdo mulier est citra ætatem, in qua non periclitatur de incontinẽtia potest dare facultatem viro, vt quod promoueatur ad sacros ordines, & quod fiat Episcopus si habuerit votum Regis, etiamsi habuerit filios. Quæ sententia etiam mihi placet, vnde communiter potest teneri, quod quando licet marito transire ad religionem relicta vxore in sæculo, licet ei transire ad sacros ordines,* hæc ibi, quam Regulam admittunt fere omnes qui post scripsere vt videre est † in Soto 3
in 4.*dist.*27.*q.*1.*art.*4. Sanchez *lib.*10.*disp.*11. *n.*16. & Henriquez *locis in superioribus citatis* D. Antoninus 3.*p.tit.*1.*cap.*21.§.1. *in fin.* Sylvester *verb.diuortium q.*17.*n.*20.*dist.*2. Gottifredus *in summ.tit.de conuers.coniug.tit.*8. qui antiquiores sunt Ledesma, quare miror virũ alias valde eruditum dixisse se hanc regulã non inuenisse nisi in Paludano, nisi velit dicere quod ipse fuerit primus, sed hoc nõ patiuntur eius verba, quãuis aliqua admisceat hic Mag. Ledesm. quæ explicatione indigẽt necessaria, quam præstabimus, in ampliationibus & limitationibus regulæ.

§. II.

Ampliationes Regulæ.

SVMMARIVM.

1. *De sacrorum hominum continentia quæ ante matrimonium apud Ecclesiam latinã impedit & dirimit maurimonialem residentiam quid sentiat Medina.*
2. *Duo notanda afferuntur, & num.*3.

DE † sacrorum hominum continentia 1
quæ ante matrimonium apud Ecclesiam latinam impedit & dirimit matrimonialem residentiam, & post vsum & retributionem eiusdem matrimonij cohibet, latè & erudite disseruit Michael de Medina prouintiæ Angelorum seraphicæ ornamentum qui integrum edidit tomum quæ magnam

gnam lucem attulit sequentibus scriptoribus duo sunt certa inter Catholicos, primum,
2 † quod impressio caracteris sacri non prohibetur, quin fiat sacramento ordinis rite celebrato Episcopo in homine coniugato etiã si vxor contradicat, & repugnet. Secundum quod siue sit ex voto implicito, quod tenetur emittere ordinatus ex præcepto Eccle-
3 siæ, teneri omnimodam continentiam custodire, taliter quod matrimonium subsequens omnino irritet mortua vxore, & ante coniugium homines latinos inhabiles faciat ad contrahendum, vtrumque late disputant DD. in materia de ordine nec cecessarium est hic discutere & examinare.

SVBRESOLVT. I.

Vir vt initietur ordine sacro, debet licentiam vxoris habere.

SVMMARIVM.

1. *An vir debeat habere licentiam vxoris, vt ordine sacro initietur, non solum in matrimonio consummato, sed etiam in rato.*
2. *An maius priuilegium conceditur professioni solemni quam Ordini sacro.*
3. *Matrimonium ratum non dissoluitur per susceptionẽ Ordinis sacri, ex Ioan.XXII.*
4. *An professio solemnis ex natura rei dirimat matrimonium ratum.*
5. *S.Doctoris sensus udducitur.*
6. *Quid ex traditis veniat colligendum.*

HIs positis principiis, sit primò ampliatio 1
quod regula tenet verum, quod † vir debeat habere licentiam vxoris vt ordine sacro initietur non solum in matrimonio cõsummato, sed etiam in matrimonio rato. Ita Sanchez *lib.*7.*dist.*38.*num.*2. quia cum matrimonium ratum non dissoluatur per susceptionem sacrorum ordinum sicut dissoluitur per professionem solemnem, in qua emittitur votum castitatis absolutæ; vt definit Ioannes XXII. *Extrauag. antiquæ concert.de voto, in Extrauag. huius Pontificis.* mulieri fit manifesta iniuria si sine eius licentia vir mutet statum ordine sacro suscepto, cum ipsam relinquat incapacem matrimonij, quod secus est de professione solemni, quæ matrimoniũ ratum dissoluit, & relictus in sæculo manet liber, sicut antea, quantum ad contra-
2 hendum valde matrimonium, vnde † maius priuilegium conceditur professioni solemni, quam ordini sacro, siquidem nõ dirimit matrimonium ratum, sicut illa propter excellentiorem modum viuendi. Fundamentum huius diuersitatis egregie posuit S.Tho. *in* 4. *dist.*22.*q.*1.*art.*3.*quæstiunc.*2. his verbis: *Ante carnalem copulam matrimonium soluitur per mortem carnalem, ita per ingressum Religionis ante carnalem copulam soluitur, quia religio est mors quædam spiritualis, quæ aliquis sæculo moriens viuit Deo,* quibus eiodat rationem, quæ forsan mouit Ioannem XXII. vt definiret, quod † matrimonium ratum non dissoluitur per susceptionem sacri ordinis, per quẽ ordinatus non moritur sæculo morte spirituali, renuntians omnia, quæ sunt sæculi sicut renuntiat qui solemniter profitetur. 3
Quare † professio solemnis ex natura rei 4
dirimit matrimonium ratum, quamuis Ecclesia determinauerit bimestre, vt quis deliberet de matrimonio consũmando, vel de transitu ad religionem, quod iure potuit facere, cuius rationem dat S.D. ibi *in solutione ad* 2. *quia* † *ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus vnius sub potestate alterius, sed sub conditione, si interea aliter coniugum ad frugem melioris vitæ non conuolet, sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat vterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis; vnde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti; sed datur ei tempus duorum mensium, &c.* 5
Ex quibus verbis videtur colligi † quod 6
si mulier intra bimestre hoc, fornicetur non committit proprium adulterium, quia cum non sit tradita perfecte in dominium, & potestatem mariti, nec facta sit cum eo vna caro, non diuiditur ab illo, dum fornicatur, nec proprie videtur committere iniustitiã. Vnde vlterius fieret quod si maritus vult ordine sacro insigniri teneatur petere licentiam ab ista cõiuge, alias ea poterit illum repetere, quod secus est de professione solemni, ad quam intra bimestre non tenetur exigere licentiam ab illa.

SVBRESOLVT. IV.

Vtrum adulterante vxore possit vir ea inuita sacros ordines suscipere?

SVMMARIVM.

1. *An in omni euentu vxore adulterante possit vir ea inuita transire ad religionem, & suscipere etiam ordines sacros.*
2. *An iure Canonico vxoratus non debeat promoueri ad sacros ordines, nisi absolutus ab vxore continentiam profitente.*
3. *An cum possit vxoratus inuita vxore professionem emittere, possit etiam ordinari, & num.*4.
5. *Sanchez sensus affertur, remissiuè.*
6. *An vxore adulterante inuita non possit vir sacros Ordines suscipere, & possit etiam ordinari Episcopus. & n.*7.

8. *Vt quis coniugatus fiat Cardinalis quid requiratur.*
9. *Ratio difficultatis. & n.*10.
11. *An si mulier sit vetula in qua non periclitatur de incontinentia possit dare facultatem viro suo vt promoueatur ad ordines.*
12. *Cõiuges ante copulam carnalem verum habet alter alterius dominium & potestatem in corpus.*

1 OB quam dubitandi rationem examinare oportet, † an in omni euentu vxore adulterante sicut potest vir ea inuita transire ad religionem, possit etiam ad sacros ordines suscipiendos. Negant quidam ex antiquis quos citat & sequitur Gutierrez *lib.*1. *quæstion. canonic. cap.*25. *à num.* 13. dicens quod contraria sententia nunquam sibi placuit, neque placere potuit Graffis *p.*2. *decisio.lib.* 1. *cap.*12. *num.*64. & probat Gutierrez satis vrgenter (si zelus & vitatio scãdali vigeat in Episcopo ordinante.) primò, quia *extrauag. antiquæ cit.* §. *authoritate apostolica*, illud inhibetur ne quisquam durante matrimonio siue copula consũmato siue nõ aliquem ordinem sacrum suscipiat, *nisi prout*
2 *sacris canonibus nouerit expedire.* Sed † iure canonico vxoratus, non debet promoueri ad sacros ordines nisi absolutus ab vxore continentiam profitente *cap. vxoratus de conuers. coniug.* Licet enim ob adulterium vxoris liceat ea inuita ad religionem conuolare ibique profiteri, tamen non est expressum in iure quod propter adulteriũ vxoris ipsa inuita valeat licite sacros ordines suscipere, & sic non *noscitur hoc sacris canonibus expedire*, vnde non valet regula affirmatiua in pro-
3 posito † quum potest vxoratus inuita vxore professionem emittere, potest etiam ordinari, quia illud in iure expressum, istud vero minime, secundò, ab absurdo quia iste maritus ordinatus manens in sæculo, potest stimulo carnis solicitatus faciliter vxori etiam in sæculo manenti carnaliter commisceri, quod valde abhorret à castitate, quam semper Ecclesia Romana vult, quod eius sacri ordinis ministri habeant, quod absurdum valde declarat discrimen, quod
4 est inter ingressum religionis, & susceptionem ordinis sacri, quod illum potest facere inuita vxore adultera, qui profitetur religionem & moritur sæculo cum ex natura status sit separatus ab his occasionibus, à quibus non est separatus ordinatus, manens in sæculo simul cum vxore adultera.

Vnde ruit fundamentum oppositũ, quod
5 † ponit Sanchez infra citandus etsi enim ius coniugale æque obstet ingressui & professioni religionis, ac obstat susceptioni ordinis cum adultera omni iure coniugali destituatur, æque licebit viro ipsa inuita transire ad sacros ordines ipso manente in sæculo, ac ad reeligionem, hoc inquam fundamentum ex dictis videtur euanescere, tum quia est diuersa ratio in vno, ac in alio, & sic iura vnum memorant & de alio mentionẽ non faciunt, & sic istud exequi non est iuxta sacros canones vt vult fieri Ioann. XXII. *in præfato* §. *auctoritate apostolica*, quod enim
6 † vxore adulterante inuita non possit vir ordines sacros suscipere non est, quia requiratur consensus eius, vt homo mutet statum quo mancipetur diuino consortio, sed requiritur consensus in quantum iura disponunt, quod vir non assumat sacros ordines, nisi vxor continentiam voueat, sine exceptione quod fuerit adultera sicut excipit in professione solemni, quare quod requiratur consensus vt vir fiat ordine sacro insignitus non est in fauorem mulieris adulteræ, & vt ius eius conseruetur, sed potius in præiudicium suum & in odium, & in fauorem mariti, vt aptior, & liberior sit à periculis, & communicatione mulieris, ad Deo inseruiendum.

Tum secundò, quia etiam † ista vxore
7 inuita, possit ordinari Episcopus, cuius contrarium expresse dicitur in iure *cap. sane de conuers. coniug.* vbi requiritur vt quis ordinetur Episcopus quod mulier ingrediatur religionem, etiamsi vetula sit, vt omnes fatentur cum glossa ibi *verb. sacrum velamen*, & nos dicemus *infra* vbi quia vniuersaliter loquitur textus, vniuersaliter est intelligẽdus, etiamsi mulier sit adultera, ergo *cum cap. coniugatus de conuers. coniugat.* vniuersaliter dicatur, *quod vt vir sacros ordines suscipiat debet vxor continentiam vouere, etsi sit periculum incontinentiæ profiteri religionem*, hoc etiã intelligitur si adultera sit, tertio, ad hominem contra Sanchez *eod. lib.*7. *disp.*41. *n.*3.
8 dicit quod † vt quis coniugatus fiat Cardinalis non amplius requiritur, quam quod requiritur vt quis ordinetur, *quia non inuenio* (inquit) *textum aliquid speciale in hoc casu decidentem neque rationem quæ aliud sentiendum cogat*, ergo cum non sit textus, quid valde attendendum est in hac materia, qui dicat vxore adulterante ipsa inuita manente in sæculo possit vir ordinari, rursus non est ratio quæ cogat cum fundamentum à ratione petitum euanuerit vt vidimus, tenendum, quod adultera non profitente religionem, aut si iuuenis ab incontinentiæ periculo emittat votum continentiæ, vir non potest sacro ordine initiari. Hæc sententia valde probabilis est absque dubio tutior, &
9 decentior in praxi. Quis enim dubitat † valde indecens esse quod vxore adultera manente in sæculo libera, & forsan iuuenis, ipsi maritus ordinatus iniuriam remittat, nõ vt commisceatur carnaliter quia nec reddere

dere, nec petere potest, sine sacrilegij crimine, sed vt illam communicet, & conuerse-
10 tur domum eius ingrediatur, saltem occultè, vt sequatur scandalum, sed vt dixi quamuis hæc sententia decentior sit, quam semper consulerem nisi in casu grauissimo, vel vrgentissimæ necessitatis ministrorum quæ hodie vir est, vel ad vitandum magnum inconueniens, tunc enim per media extrinseca alteri opinioni affirmatiuæ adhærerem, quam multis citat. sequitur Sanchez *vbi suprà lib.*10. *disp.*11. *n.* 16. & dicit Gutierrez, quod sequi potest. Vnde fit minus benè dixisse Ledesmam *vbi*
11 *suprà*, quod si † mulier est vetula in qua non periclitatur de incontinentia potest facultatem dare viro suo, quod promoueatur ad ordines, etiamsi fiat Episcopus si habuerit votum Regis, hoc enim minus bene dictum est vtrumque contra textus expressos, *in cap. sane, & cap. coniugatus*, vbi exigitur, & quod mulier voueat continentiam etsi maritus sit Episcopus profiteatur religionem, nec ante professionem existimo posse consecrari. Ad religionem habitandi respondetur, quod † coniuges ante copulam carnalem
12 verum habet alter alterius dominium, & potestatem in corpus, quare si alter fornicetur verum committit adulterium, & contra ius iustitiæ, quod habet ex vi contractus, quamuis hoc ius sit conditionatum, vsque ad consummationem, & transacto bimestri.

SVBRESOLVT. III.

Non licet viro sacros ordines adsumere etiam ante consummationem matrimonij.

SVMMARIVM.

1. *An ante matrimonium consummatum non liceat viro sacros ordines adsumere.*
2. *P. Martini Perez. sensus.*
3. *Iura quæ disponunt quod nullus coniugatorum ad sacros ordines promoueatur sine vxoris consensu continentiam profitentis de quibus intelligantur.*
4. *Ioannis XXII. decisio, & n.*5. *&* 6.
7. *An ante matrimonium consummatum nequeat vir sine licentia vxoris ad sacros ordines promoueri.*
8. *Sanchez sensus affertur, & n.*9.
10. *An nequeat vir etiam cum licentia Papæ, sine consensu vxoris in matrimonio rato nedum consummato sacris ordinibus initiari.*

1 AMpliatio secunda, quod etiã † ante matrimonium consummatum, non licet viro sacros ordines adsumere sine vxoris licentia, quamuis ille animum habeat transuolandi ad Religionem, sed hoc lethale est peccatum iniustitiæ contra ius vxoris, ita Sanchez *lib.*7. *disp.*38. *n.*3. Ledesma *de matrim. quæst.*53. *art.*4. *dub.*1. Rodrig. *in Summ. tom.*2. *cap.*224. *n.*3. Paludanus *in* 4. *dist.* 27. *q.*3. *art.*3. *n.*21. & est communis ex Ioanne XXII. *extrauag. cit. iuncta gloss. verb. nouerit.* hoc enim grauissimis verbis prohibet Pontifex & benè ponderat Sanchez, sed
2 † Pater Martinus Perez. *disp.*27. *de matrim. sect.*9. *n.*2. *versic. Hoc non obstante.* sentit non esse intrinsecè malum ordinare prius cum intentione profitendi in religione etsi occurrat moralis necessitas ordinari, priusquã ingrediatur si cõsiderata cõditione personæ nullum sit periculum, sed moralis certitudo profitendi religionem. Quare *cap. coniugatus de conuersio. coniugat.* & similia iura † quæ
3 disponunt, quod nullus coniugatorum ad sacros ordines promoueatur nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus, intelliguntur de matrimonio consummato, non de rato, addit tamen, quod cum hæc sit res grauissima & publica, necessario debet præcedere approbatio, & scientia Episcopi, vt Ecclesiæ fiat satisfactio etiam publica.

Verum enim vero hæc sententia prorsus est eliminanda, quia opponitur expresse de-
4 cisioni factæ à Ioanne XXII. † *in extrauag. Antiquæ de voto cit.* ibi. *Districtius inhibentes, ne quisquam durante matrimonio nondum etiã consummato, aliquem de sacris ordinibus præsumat, suscipere nisi prout sacris canonibus nouerit conuenire*, nempe petita licentia, vt omnes nullo dempto secuti Glossam adfirmãt, quare iuxta, *cap. nullus cit.* nequit etiam in
5 matrimonio rato aliquis ad sacros ordines promoueri, nisi ab vxore continentiam profitente, fuerit absolutus, & quidem ratio perspicua est in promptu, quia quamuis sit moralis certitudo, quod iste post ordinem sacrum susceptum, ingredietur religionem, tamen hoc non est necessarium ex vi iuris, & hæc moralis certitudo est multis periculis contingentibus exposita, quod iste non profiteatur propter multa inconuenientia, quæ superueniunt, salutis, inconstantiæ, fragilita-
6 tis, & similia. Vnde non est hæc moralis certitudo, ita necessaria, vt euitet iniustitiam, quæ fit vxori, quare eo ipso, quod iste ordinetur potest ipsum repetere, & absque dubio restituetur, nisi ille ingrediatur religionem intra bimestre.

Sed addit vnum valdè notabile Paludanus, quod non bene intellexit Pater San-
7 chez *num.* 4. quod etiam † ante matrimonium consummatum, nequit vir sine licentia vxoris ad sacros ordines promoueri etsi ad ad habeat licentiam Summi Pontifi-

cis, quia nequit Pontifex iuri vxoris derogare, quia habet ius iustitiæ in corpus viri
8 hoc inquam non placet Sanchez † tum quia Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, tum quia continentia est ordini sacro adnexa, ex iure dumtaxat Ecclesiastico, in quo Pontifex potest dispensare, etiam post matrimonium consummatum, & ita etiam in hoc, inuita vxore potest de licentia Papæ vir sacris Ordinibus initiari, sed vt dixi vir iste insignis non calluit Paludanũ, qui loquitur stãtibus legibus Ecclesiasticis, quæ nunc
9 sunt, & ex vi præsentis prouidentiæ, nulla illarum legum facta dispensatione, ex vi quarum iure naturæ habet ius iustitiæ mulier ad corpus mariti à quo non potest spoliari, & stantibus his legibus contraxit matrimonium, quare nisi Pontifex dispenset cum viro in voto continentiæ sacris ordinibus annexo, ita vt quantum ad hoc sacerdos
10 Latinus habeat iura sacerdotis Græci, † nequit vir etiam cum licentia Papæ sine consensu vxoris in matrimonio rato nedum consummato licitè sacris ordinibus initiari, illud autem, quod dicit Pontificem posse dispẽsare in matrimonio rato & illud dissoluere, & per consequens ius ad mutuam residentiam vtriusque coniugis, sub lite est, & ego contrarium longè probabilius existimo, *vt infrà* ostendam.

SVBRESOLVT. IV.

Vir vxoratus, nec primam tonsuram, potest recipere.

SVMMARIVM.

1. *An vir primam tonsuram aut minores ordines possit licitè accipere sine vxoris licentia.*
2. *Variorum DD. sensus afferuntur; & n.3. 4. & 5.*
6. *An si quis est impossibilitatus ascendendi ad superiores ordines possit ex dispensatione Episcopi ordines minores accipere, & numer.7.*
8. *An vir possit sine licentia vxoris minores ordines recipere.*
9. *Bonifacij VII. prohibitio.*

1 AMpliatio tertia, quod † vir nec primam tonsuram, aut minores ordines potest licitè accipere sine vxoris licentia & ista profitente religionem, aut votum continentiæ emittente, sic videtur decisum, *cap.nullus.4.de tempor. Ordinat. & ordinand. in 6.* vbi Bonifacius VIII. ait, *nullus Episcopus, vel quiuis alius clericalem præsumat conferre tonsuram coniugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoueri.* in quo speciale ius constituit, quod in antiquis Canonibus non continebatur, qui loquantur solum de ordinibus sacris, *cap.coniugatus extr. Antiquæ de voto cit.* † ita Sanchez multis citat 2
n.6. Barbosa *cap.nullus n.5. & extrauag. Antiquæ n.4.* Azor *p.1.lib.13.cap.34.quæst.1.* adeo quod Episcopus suspensus sit, per annum ab eius collatione si aliter faciat Barb. *de potest. Episcopi allegat.111.n.10.* qui omnes intelligunt hunc textum Bonifacij, etiamsi matrimonium non sit consummatum, sed ratum solum. Verum magna gaudet probabilitate sententia Innocentij *c. coniugatus.* Hostiens. *ibi n.1.* & Henrici *num.6.* quod textus *in cap.* 3
nullus.4.cit. intelligatur, quod id non possit Episcopus sine iusta causa, cum ea tamen benè poterit, moueor, quia stante iusta causa, potest quis ordinari licitè tonsura & minoribus ordinibus, etiamsi non habeat animum ad sacros ordines ascendendi, vt ipse Thomas concedit *disp. 31. n. 17.* Ægidius Coninch. *de Sacramentis disp.20.n.105.* Homobonus *de examina.tract.1.q.2.* Diana *p.1. tract.16.Resol.10.* Villalobos *in Summa tr.11. difficult.14.n. 5.* Bonacina *quæst.3.de matrim. punct.9.* Garcia *de Benefic.p.3.cap.4.n.43.* Nauarrus *in Manuali cap.25. n. 106.* cum enim 4
non teneatur quis ex aliquo Ecclesiæ præcepto ascendere ad superiores ordines sacros; potest quis suscipere minores etiam cum proposito non ascendendi; vlterius, nam huius propositi malitia non apparet ex quo obiecto dissono rationi deriuetur, vnde est diuersa ratio, de eo, qui ingreditur religionem, cum proposito non profitendi, quia cum Religio ipsum recipiat, vt si conueniat 5
profiteatur religionem; decipit in re graui, si quum ingreditur habet propositum non profitendi, vt benè Sanchez *num.20.* præterquam, quod mihi non est exploratum, an iste nouitius mortaliter peccet habens. Hoc propositum si nõ ingrediatur, vt sciat secreta Religionis ad ipsam informandam; aut damnum inferendo, aut si habeat animum restituendi alimenta sibi præstita.

Addo, quod etiam † si quis sit impossibili- 6
tatus ascendendi ad superiores ordines, potest ex dispensatione Episcopi ordines minores accipere, *c.1. de filiis Præsbyteror. in 6.* vbi habetur, quod etiamsi filij Præsbyterorum sint irregulares, potest Episcopus cum illis dispensare, vt minores ordines accipiãt, non tamen maiores, vt latè ex Glossa ibi tenent Vgolinus *de officio Episcopi cap.vlt. §.4. n.2.* Barbosa *alleg.45.* Garzia *p.2.c.11.n.47.* 7
Sayrus *de censur.lib.6.cap.11.n.10.* qui addit posse illi beneficium simplex dare dummodo non sit ex maioribus, vt Canonicatus & similia. Vnde iste impossibilitatus propter irregularitatem licitè potest recipere hos minores ordines, habens propositum non ascendendi

ascendendi vlterius, imo de facto nequit ascendere, ergo etiamsi coniugatus nequeat ascendere ad maiores ordines, sine licentia vxoris, & adhoc sit impossibilitatus, tamen
8 † potest sine licentia vxoris recipere ordines, minores, quæ sibi non habent annexum votum continentiæ, & sic nulla iniuria fit vxori, nec impeditur residentia & cohabitatio cum illa hoc autem debet esse cum causa vrgenti. Vnde Bonifacius VIII. *in cap.nullus cit.* dicit nullus Episcopus &c. *Clericalem præsumat conferre coronam.* Ly *præsumat* denotat, quod non fiat sine causa, & temerarie, quia, vt latè probant Barbatius, *cap.prudentiam notab.1.de officio delegati.* Nauarrus *in Manuali cap.27.à n.156.* Lotterius *de re Beneficiaria lib.2.quæst.14. nu.54.* Rota Romana *in vna Aquens. Irregularit.14. Maij* 1607. coram *Caualerio.* & sic Bonifacius
9 VIII. solum prohibuit, † ne id ordinarie fiat, sine causa, & dispensatione Episcopi, quare dubio procul hæc sententia etiam in praxi est probabilis, quod magis est probabile si matrimonium non sit nisi ratum cum minores ordines nullatenus consummationi opponantur, & potest, quis sic ordinatus transire ad Religionem, an vero coniugatus iste ordinatus possit ab Episcopo dispensari, vt habeat beneficium simplex, non est hic disputandum. Legatur Sanchez *lib.7. cit. disp.43.n.17.*

SVBRESOLVT. V.

Etiamsi vir sit assumptus ad summum Pontificatum potest reuocari.

SVMMARIVM.

1. *An etiamsi vxoratus assumeretur ad Summum Pontificatum sine licentia vxoris post matrimonium consummatum, vxor possit illum reuocare.*
2. *Matrimonium ratum non est omnino insolubile nisi morte spirituali, & numero 3.*

AMpliatur quartò, à Sanchez *disput.38.*
1 *num.12.* quod † etiamsi vxoratus assumeretur ad Summum Pontificatum sine licentia vxoris post matrimonium consummatum vxor potest illum reuocare, vt ei teneatur debitum reddere, quod est ius iustitiæ prius, nec potuit lædi per Pontificatum, quamuis bona fide assumptum eo quod vxor mortua crederetur, pro quo multos ex Canonistis refert & tenet Sylueſter *verb. Matrimonium n.12.quæst.12.dict.3. Sed quamuis casus iste.*

Neque huic sententiæ aliquid officiunt fundamenta contraria, quæ ex dictis facilè corruunt, ad primum respondetur, quod † matrimonium ratum non est omnino in- 2
solubile, nisi morte spirituali, scilicet professione solemni, quæ ex iure diuino habet hoc priuilegium sicut matrimonium carnale cõsummatum soluitur morte naturali, adeo quod si per miraculum ad vitam redeat coniux defunctus liber est à vinculo matrimonij consummati, ad secundum respondetur, quod hoc habet contractus matrimonij super alios, quod, isti possunt dissolui mutuo consensu, secus autem ille, quia ex vi sua 3
habet translationem perfectam dominij, corporis, & illius traditionem etsi non sit illius sumpta possessio, quare nullo consensu humano potest auferri traditio illa, sed solum per professionem solemnem, aut dispensationem diuinam.

§. III.

Residentiam mutuam, & commanentiam vtriusque coniugis esse de iure diuino & naturali, ex scriptura, & Patribus probatur.

SVMMARIVM.

1. *Vinculum matrimonij respectu potestatis humanæ omnino est insolubile.*
2. *An dissoluto matrimonio rato per ingressum religionis, manens in sæculo cum alia matrimonium ineat non sit bigamus, & numero 3.*
4. *Mutua residentia matrimonialis vtriusque coniugis iure naturæ & diuino est præcepta.*
5. *Authoris iudicium.*
6. *Trident. sententia affertur, necnon S. Doctoris, & n.7. & n.8.9. & 10.*
11. *Quæ causa sufficiat, vt quis vxoratus relinquat vxorem.*
12. *Qui vxorem suam dimiserit & aliam duxerit habeatur vt adulter, & numer.13.*
14. *Quid ex traditis sit notandum, & numero 15.*
16. *S. Pauli sententia, necnon Tertulliani, & n.17.*
18. *Residentia matrimonialis est de iure diuino & naturali ex ipsiusmet matrimonij natura obligatione orta.*
19. *Theodoreti mens.*
20. *Repudium non permittebatur nisi ad vitandum vxoricidium.*
21. *In causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur; ex S. Tho.*

IGitur cum vt probatum non inefficaciter relinquamus, † vinculum matrimonij res- 1
pectu potestatis humanæ, (vt permittit tractatus iste de residẽtia matrimoniali) omnino

no esse insolubile, quia quod Deus vnit, homo disiungere nequit, etiamsi consummatum matrimonium non sit, quia vt vidimus & contractus est, & sacramentum ante consummationem, quamuis non habeat perfectam significationem vnionis Christi cum Ecclesia, quare si dissoluto matrimo-
2 nio rato † per ingressum Religionis manens in sæculo cum alia matrimonium ineat bigamus non est, quia non diuisit carnem suam, siquidem cum prior non est factus per possessionem commixtionis vna caro, non ergo solum matrimonium inter fideles iure naturæ est insolubile ab humana potestate, sed ad hanc insolubilitatem sequitur, quod vterque coniux simul resideant, commaneant atque cohabitent, quæ residentia iure naturali & diuino est illis præcepta, ita vt nisi ex vtrius consensu nequeant separari, quoad thorum, si castitatem voueant, vel ad tempus, *vt vacent orationi, iterum re-*
3 *uertentes in idipsum*, vt ait Paulus 1. *ad Cor.* 7. *num.* 4. & quoad habitationem, si alter, de alterius consensu religionem profiteatur, si iam consumarunt, vel propter adulterium, vt in superioribus est monstratum, si vero sint aliæ causæ ad huiusmodi separationem & absentiam, quæ excusent ab obligatione residendi infra dicam.

4 Quod vero † mutua residentia matrimonialis vtriusque coniugis iure naturæ & diuino sit præcepta, non erit difficile ex scriptura & Patribus ostendere, & quidem hoc clare probatur ex Geneseos *cap.* 2. *n.* 18. vbi Deus intendens ad hanc vtriusque coniugis corresidentiam, & cohabitationem postquam hominem creauit, dixit, *non est bonum hominem esse solum faciamus ei adiutorium simile sibi*, idest vt Chaldeus vertit *sustentaculum, quod sit penes eum*, est autem adiutorium & sustentaculum semper penes maritum, existēs ad prolis generationē, ad familiæ gubernaculum, ac curam, laborum & dolorum leuamen & ad cæteras vitæ necessita-
5 tes subleuandas, quare existimo † quod in his verbis Deus imposuit præceptum de residentia mutua, & cohabitatione coniugum, quod præceptum ipse Adam publicum fecit & ipsi Euæ, dum *num.* 23. & 24. dixit, *hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem per hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, id est ad propositum, vt bene Cornelius à Lapide, *erunt vna persona ciuilis quasi fictione iuris naturalis*, teste ibidem Abulense. Quod testimonium adducit Trident. satis ad rem de qua agimus,
6 *sess.* 24. in procemio sessionis dicens † *Matrimonij perpetuum indissolubileque nexum primus humani generis parens diuini spiritus instinctu pronuntiauit, dum dixit hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* pronunciauit vtique idest publicauit, iam impositum à Deo, illis verbis, *non est bonum hominem esse solum*, &c. quibus verbis duo sunt præcepta, vnum de insolubilitate matrimonij, alterum de residentia matrimoniali, quamuis enim istud sequatur, ex alio tamen etiamsi non sit dispensatum in primo, est dispensatum in secundo, vt mox dicam.

Hoc egregie enucleauit S. Doctor 1. *p.* 7
quæst. 92. *art.* 2. explicans cur mulier ex viri costa sit producta, *vt vir vxori inseparabilius adhæreret dum cognosceret eam esse ex se productam, & hoc maximè necessarium fuit in specie humana in qua mas & fœmina commanent per totam vitam, quod non contingit in aliis animantibus.* Secundò, *quia A. dicit* 8. *Ethico.* mas & fœmina coniunguntur in hominibus non solum propter necessitatem generationis, vt in aliis animalibus, sed etiam propter domesticam vitam in qua sunt aliqua opera viri & fœminæ, & in qua vir est caput mulieris. Tertiò, *ex art.* 3. conueniens
8 fuit mulierem formari ex costa viri ad significandum, quod inter virum & mulierem debet esse socialis coniunctio, quamuis enim, vt benè dicit vterque Thomas *art.* 1. *eiusdem quæst.* multa opera, quæ facit mulier, melius fierent per alium virum, tamen opera vxoris respectu mariti non melius fierent per alium virum, quare vita socialis & simultanea residentia vtriusque coniugis iure naturæ est præcepta, aliter enim nec filiorum educatio & rei familiaris gubernatio, & familiæ distributio non subsisteret bene disposita.

Secundo idipsum probatur, *ex Matth.* 19. 9
num. 4. vbi Christus Dominus volens reducere legem Moysi ad primæuam obligationem legis naturæ, tria facit, & polygamiam, multitudinem scilicet vxorum reprobat, dicens ad Phariseos *num.* 4. *non legistis, qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos, propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, vxori* dixit *non vxoribus* ait Hieron. *ibi* vt polygamiam excluderet, & sic interpretantur omnes Patres. Secundum exclusit libellum repudij, *num.* 6. *itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo non separet*, addens, quod libellum repudij Moysis illis, permisit *ob duritiam cordis vestri ab initio non* 10
fuit sic, quasi dicat. Moyses permisit, vxores vobis exosas possetis dimittere, quod non fuit ab initio naturæ rectè institutæ à Deo. Ecce Christus reuocat duorum præceptorum dispensationem, quam Deus fecit in veteri testamento & ad primæuam obligationem legis naturæ reduxit. Tertium facit *num.* 9. & declarat præceptum de residentia

11 dentia matrimonialis, † & quæ causa sufficiat, vt quis vxoratus relinquat vxorem, & cum illa nec cohabitet, nec commaneat licitéque possit abesse ab illius consortio, quamuis insolubile maneat vinculum matrimonij. *Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit vxorem nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur*, quasi dicat. Dico ergo idest, edico, & quasi nouus nouæ Legislator, veterisque reformator sancio aa matrimonium ad
12 suam originalem rectitudinem & firmitatem reduco, vt † qui vxorem suam dimiserit, & aliam duxerit habeatur & reipsa sit adulter, sicut, & ille, qui vxorem ab alio dimissam duxerit, quia ob hanc causam, etsi in lege veteri matrimonium, quoad vinculum dissolueretur ex permissione diuina, tamen ego hanc permissionem cessare declaro, & sic quod sola fornicatio soluat matri-
13 monium quoad thorum, residentiam & cohabitionem manente vinculo ipsius matrimonij in quantum contractus, & sacramentum omnino inseparabili, quod ita esse dicendum definit Trident. contra hæreticos, tam in Græcia demorantes, quam cōtra hæreticos modernos inter Latinos asserentes, quod ob fornicationis causam dissolui matrimonium non solum, quoad residentiam & cohabitationem, sed etiam, quoad vinculum, ita vt dimittens, & dimissa liberè possit alteri nubere, contra hanc igitur hæresim iuxta Ecclesiæ traditionem definit *sess.* 24. *de Matrim. can.* 7. *si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit & docet iuxta Euangelium & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterij non dedit non posse altero coniuge viuente aliud matrimonium cōtrahere, mœchari-*que *eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alij nupserit anathema sit.* quod ante definierant Euaristus Papa *epist.* 2. *ad* . . . . *vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri se viuente, societ, sed iuxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta.* & Concilium Malacitanum Anno . . . . confirmatum ab . . . . . *cap.* 17. *placuit, vt secundum Euangelium & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.*

14 Ex quibus liquet † Christum Dominum triplex præceptum præfatis verbis declarasse, & reformando legē veterem & Euangelicam instituendo, & illam reducendo ad primæuam legem naturæ à Deo institutæ, excludendo vxorum multitudinem etiam
15 sub titulo concubinæ, sicut habuerunt Hæbrei, & declarando matrimonij vinculum esse omnino insolubile quoad essentiam nisi mortuo vno, morte naturali, vel si solum fuerit ratum, morte spiritali, & tandem tertiū matrimonium posse dissolui quoad thorum & cohabitationem per fornicationem, qua non existente vel alia causa iusta quæ excuset à præcepto residentiæ & cohabitationis, teneantur coniuges simul cohabitare, residere & commanere, tā quoad thorum, & mutuum corporis vsum, quam quoad cætera œconomica, & domestica exercitia ad quæ sunt socialiter coniuncti.

Hoc autem quod Christus Deus & homo tanquam supremus & absolutus legislator fecit declarans, & reformans, Paulus 1. *ad Corinth. c.* 7. *n.* 10. & 11. † *tanquam Euangelij* 16
Tuba & Præco, & columna immobilis doctrinarum (sic eum nuncupat Tertull. *lib. de pudicit. c.* 16.) insonuit & publicauit Corinthiis & in ipsorum personis, vniuersis fidelibus, dicens. *His autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere*, (ecce præceptum diuinum de residentia & commanentia vtriusque coniugis,) *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat*, ecce reformatio legis veteris & exclusio libelli repudij, & reductio ad primæuam legem naturæ, qualem legislator Deus naturæ auctor instituit.

Omnia hæc egregie antiquus Tertullia. 17
lib. 5. *aduers. Marcio. cap.* 7. comprehendit his verbis. *Marcion totum concubitum auferens fidelibus repudium ante nuptæ subiens cuius sententiam sequitur Moysi, an Christi? At quin & Christi Apostolus cum præcipit mulierem à viro non discedere, aut si discesserit manere innuptam, aut reconciliari viro, & repudium permisit, quod non in totum prohibuit, & matrimonium confirmauit, quod primo vetuit disiungi, etsi fortè disiunctum voluit reformari. & lib. de pudicit. cap.* 16. *Interea & diuortium prohibens, pro eo aut viduitatis perseuerantiam, aut reconciliationem pacis Dominico præcepto aduersus mœchiam procurat, quia qui dimiserit vxorem præter causam mœchiæ, facit eum mœchari, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*
Quare † nullus dubitare Catholicus potest, 18
quod residentia matrimonialis sit de iure diuino & naturali ex ipsiusmet matrimonij natura, obligatione orta, quamuis enim Apostolus aliquando separationem thori, & coniugum, temporalem absentiam permittat, orationis, ieiunij, & continentiæ causa, dum hic eam absentiam prohibet non sibi contrariatur, vt benè adnotat Theodoretus,
† nam *ibi* causam honestam separationis in- 19
iungit, vt separatio honesta sit & licita, hic autem iis legem statuit, qui ob rixas, contentiones, zelotypiam imprudentem & domestica desidia diuortiantur, quibus declarat

rat firmitatem, & insolubilitatem vinculi matrimonij, ex Christi authoritate, quod eo acrius proponit, *vt ea ratione cum matrimonium non dissoluatur* (ait Theodoretus) *ad prius matrimonium redire compellat per reconciliationem.*

Sed cum Christus loco citato, libellum repudij, quod licebat in Republica Hebræorum, excluserit illicitumque reuocatione permissionis reddiderit, libellusque solum concessus fuerit viris & non fœminis, quia istis non licebat libellare virum, vt expresse fatetur D.Thom. *in 4.dist.35. art. 4. ad quia*
20 † *repudium non permittebatur*, nisi ad vitandum vxoricidium, & quia in viris magis erat ad hoc periculum, quam in mulieribus, ideo viro permittebatur dimittere vxorem non tamen è conuerso per legem *repudij*, & sic Christus Dominus loquitur de viro dimittente vxorem non de vxore dimittente maritum, sed cur Apostolus qui hanc Christi reuocationem publicat Corinthiis, prius dicit, quod vxor à viro non discedat, & postea addit, & vir vxorem non dimittat? hoc autem expresse Christus, de cuius mandato memoratur, præcepit, respondetur, quod vxor non dimittat maritum, sed quod ab eo non discedat, quia nunquam fuit vxori maritum per libellum repudij, dimittere & aliũ ducere, sicut licebat olim viro dimittere vxorem ante præceptum Christi, poterat tamen vxor propter mariti sæuitiam, vel vt licentiosius viuere, & contentiones fugere à viro discedere, quod erat contra præceptum de residentia matrimoniali, quod etiã volebat introducere, & sic incepit ab imperfectiori subiecto, & conclusit de viro dicens, quod non dimittat vxorem quoad thorum & commanentiam, omisit autem verba Christi *nisi ob fornicationem*, quia in hoc post legem Christi quam fidelibus notam faciebat æquales sunt vir & vxor, sicut enim ille istam, ista illum propter adulteriũ potest dimittere, quoad thorum & corresidentiam, vt enim egregie, ait D.Tho. *art.4.*
21 *cit. in corpor.* in causa diuortij, † *vir & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum & illicitam, vni, quod alteri, non tamen pariter iudicantur ad illa, quia causa diuortij est maior in vno quã in alio, cũ in vtroque sit causa sufficiẽs ad diuortiũ, diuortiũ enim est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona, quantum autem ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium vnius quam alterius & hæc causa in vtroque sufficit ad diuortium, sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium vxoris quam viri, & ideo maior causa diuortij est in vxore, quam in viro, & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, nec tamen iniustè, quia in vtroque est causa sufficiens ad hanc pœnam.* Hæc ibi.

SVBRESOLVT. VI.

Vindicatur Dominus Caietanus.

SVMMARIVM.

1. *Doctrina D.Caiet. vindicatur, & num. 2.3. 4. & 8.*
5. *Armilla quid sentiat de eiusdem Caiet. doctrina.*
6. *An coniuges sint pares in diuortio causa adulterij.*

EX quibus colligitur primum. Patrem Thomam Sanchez *lib. 10. de Matrim. disp.13.n.1.& 6.* malè intellexisse D. Caiet. *Matth. 19. vers. 9. versiculo. at si vrgeas.* ibi enim loquitur nõ de diuortio & separatione quoad thorum, sed tanquam commentator dans sensum litteralem illorum verborum Christi. *Dico autem vobis, quod quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur.* quæ verba ait † *si vrgens obieceris, verba Iesu non esse superflua, & propter exceptionem fornicationis aliquid significari diuersum ab alius causis, fateor sic esse, etsi instes illud diuersum nihil aliud esse, nisi quod propter fornicationem dimittens vxorem, & aliam ducens non mœchatur: respondeo sic sonare textum secundum planum litteræ sensum; sed quoniam non audeo opponere me (nota Patrum & Doctorum veneratione viri) contra torrentem Doctorum & iudiciorum Ecclesiasticorum, ideo dixit textum nihil disponere de dimittente fornicariam. Intelligo igitur ex hac Iesu Christi lege; licitum esse Christiano dimittere vxorem ob fornicationem carnalem ipsius vxoris & posse ducere aliam vxorem; salua semper Ecclesiæ diffinitione, quæ hactenus non apparet. Nam decretales Pontificiæ de hac materia non sunt definitiuæ fidei, sed Iudiciales facti. Profitentur autem ipsimet Pontifices, vt patet in cap. quanto de diuort. & in cap. licet de sponsal. duorum. Romanos Pontifices aliquando in his Iudiciis matrimoniorũ errasse. Neque ex his intelligas vxorem quoque dimittere virum fornicantem; quoniam Iesus qui est verus Deus non hoc concessit & est dispar ratio, vt patet, nec etiam in veteri lege vxor poterat repudiare virum. Nec ego sum primus, qui sic intellexit Euangelij textum; quoniam ante annos mille B. Ambrosius sic intelligens idem docuit 1. ad Corinth. 7.* hæc eminentissima Purpura.

Ex quibus duo constant manifeste, primum † quod non loquitur Caiet. de separatione solum quoad thorum, quæ fieri potest ex aliis causis, sed de separatione quoad vinculum matrimonij, quæ fit solum ob fornicationem

nicationem de qua textum quoad sensum litteralem intelligit, iuxta quem non est æqualis vxor respectu mariti, & maritus respectu vxoris, nam iuxta litteralem intelligentiam Caiet. Christus permisit in Euangelio separationem vinculi ob adulterium vxoris, sicut permittebat Deus in lege veteri in qua mulier ob adulterium viri non poterat ipsum repudiare, bene tamen vir vxorem, vt vidimus ex D. Tho. vnde supposita intelligentia textus, quam litteralem dicit Caiet. & subtilem, & textui quadran-
5 tem † dicit Armilla *verb. diuortium n.2. in fine non solum eius sententia non est prorsus falsa, & temeraria, verum est & consona omnibus Doctoribus, tam expositiuis legem repudij, quam scholasticis, in 4. dist. 35.*

Secundum est quod male adducitur sen-
6 tentia Caietani ad punctum † an coniuges sint pares in diuortio causa adulterij? sumendo diuortium pro separatione thori de qua ibidem non loquitur Caiet. in petendo enim diuortio ob adulterium solum, quoad thorum & cohabitationem æquale ius habent vxor & vir, vt ait D. Thom. etsi non æqualem causam, nec in hoc opponitur Caiet. communi sententiæ tanquam prudens & sapiens Doctor moralis, quem ego semper defendo, non tamen tanquam expositorem scripturæ, qui in hoc puncto mihi non arridet, sicut nec arridere potest Catholice post definitionẽ Conc. Trid. *sess. 24.*
7 *canon. 7.* vbi expressè contra doctrinã Caiet. definitur, excusatur tamen Caiet. quia illã scripsit *an. 1527. & sess. 24. Conc. celebrata fuit an. 1563.* & cõfirmata à Pio IV. *an. 1564.* nec mouere potest, quod dicit S. Ambr. locũ Euã-
E gelij sic etiam intellexisse, quia vt commu-
8 niter dicitur commentarij illi in Epistolas Pauli non Ambrosij, sed Pseudo-Ambrosij sunt, vel si Ambrosij sunt illa intelligentia à falsariis est apposita, & nullo modo tenenda vt ait D.Tho. *lect. 2. in epist. 1. ad Cor.* id quod antea dixerat Magister sententiarum, quod miror non vidisse Caiet. siue in S. Doctor. siue in Magistro.

SVBRESOLVT. VII.

Ob adulterium vxor nequit criminaliter accusare virum, bene tamen è contra.

SVMMARIVM.

1. *Licet vxor æqualis sit quantum ad diuortium propter adulterium cum viro, vxor nequeat criminaliter accusare virum adulterum & sic bene è contra.*
2. *Nocentior est ad prolem generandam fornicatio vxoris quam viri.*
3. *An vir qui propria ancillæ se iungit & filios generat nulli pœnæ sit ob noxius.*
4. *An viri adulterium non recompenset ciuiliter turpitudinem maiorẽ adulterij vxoris.*

SEcundũ colligitur, quod licet vxor æqua-
1 lis sit quãtum ad diuortiũ propter adulterium cum viro, tamen vxor nequit criminaliter accusare virum adulterum, & sic iste illam criminaliter accusare possit, & hoc tã apud Iuristas, quam apud Theologos indubitatum est, habetur hoc discrimen expresse, *leg. 1. C. ad leg. Iuli. de Adult. & leg. Hisp. 1. tit. 17. p. 7. & leg. 13. tit. 9. p. 4. c. ad misericordiã §. publico 32. q. 1.* ex Greg. *hom. 9. in Euangelium.* tenent & defendunt latè *Couar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 6. n. 5.* & latissime *Tiraquell. leg. 1. connu. gloss. 1. p. 1. à num 44.* innumeros adducens Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnica in fin. corpor.* Bart. de Ledesma *dub. 68. de matr.* quos citat & sequitur Tho. Sanch. *lib. 10. de matr. disp. 8. n. 33.* Ratio sumitur ex D. Tho. *vbi supra*, quia † nocentior est ad prolem generãdam fornicatio vxoris, quam viri, & ita leges ob hoc maius nocumentum constituũt hoc discrimen. Vnde ob hanc maiorem fœditatem, & turpitudinem *l. 1. C. de mulier. quæ ser. prop. se iunxerit*, capitali supplicio adicit fœminam, quæ proprio seruo se commiscuit, & è contra † vir, qui propriæ ancillæ se iungit & filios generat nulli pœna obnoxius est, *leg. vlt. C. com. de manum.* Tiraq. multa valde erudita adducit ad probandum maiorẽ turpitudinem, & fœditatem esse in adulterio vxoris, quã viri, quæ fuit motiuũ Legislatoribus, vt excluderent, ne vxor possit criminaliter accusare virum adulterum, quamuis iste illã possit criminaliter accusare in foro externo, etsi ipse alias adulter sit, quia
4 † viri adulteriũ nõ recõpensat ciuiliter maiorem turpitudinem adulterij vxoris; vnde lege diuina permissũ erat, viro habere plures vxores, & nullo modo vxori plures viros, quia turpitudo adulterij vxoris omnino est indispensabilis cum immediatè opponatur filiorum generationi.

SVBRESOLVT. VIII.

Ratio genuina cur stuprum sit species luxuriæ ab aliis distincta, ex vtroque.

SVMMARIVM.

1. *Cur stuprum sit species luxuriæ distincta ab omnibus aliis.*
2. *In quo consistat ratio stupri, & à raptu distet.*
3. *An stuprum quod importat illicitam virginum deflorationem sub cura parentum existentium sit determinata luxuriæ species.*
4. *Quid stuprum in omni sententia prout species luxuriæ, habeat pro materia specifica.*
5. *Quid*

5. *Quid sit signaculum virginale.*
6. *Signaculum virginale per quid corrumpi dicatur.*
7. *Authoris iudicium.*
8. *D. Caiet. sententia affertur.*
9. *An si fœmina per voluntariam pollutionem propriis manibus, vel alienis factam seruet signaculum virginale illud non corrumpens, etsi amittat virginitatis virtutem, non amittat statum naturalem virginitatis naturalis.*
10. *Qui concubitus sit stuprum, ex Caiet.*
11. *Quid sit peccatum luxuriæ perfectum.*
12. *S. Doctoris sensus affertur, & n. 25.*
13. *Vnde stuprum sumat propriam speciem.*
14. *Quid ex traditis veniat colligendum.*
15. *Cur in fœmina sit speciale peccatum stuprum dum defloratur & signaculum virginale corrumpitur, non autem in viro.*
16. *Cur signaculum virgineum sit specialiter in fœmina traditum à natura custodiendum paternæ custodiæ.*
17. *Propria mulieris passio est luxuria, ex S. Chrys.*
18. *Quantum insatiabilis sit fœminæ luxuria ostendit Caiet.*
19. *In fœminis magis ardet carnis stimulus quam in viris.*
20. *Insatiabilis fœminæ concupiscentia vnde sit.*
21. *Patribus commendatur filiarum custodia, ex Ecclesiast.*
22. *Corporis integritas est speciale donum fœminis à natura concessum.*
23. *Quæ custodia pertineat ad ius paternum.*
24. *Quodnam sit verum stuprum, ex Sylvio.*

1 TErtium colligitur ratio genuina, † cur stuprum sit species luxuriæ distincta ab omnibus aliis, quas enumerat D. Tho. 2. 2. *quæst.* 154. per varios articulos agens de stupro *art.* 6. cuius specialis malitia sit exprimenda in confessione, etiamsi fœmina, etsi eius pater consentiat, hoc mihi certum videtur, quod nullo modo dubitem de hac veritate, quæ semper in Ecclesia fuit ab omnibus Theologis, & Canonistis recepta, illi secuti Petrum Lombardum *in* 4. *dist.* 41. vbi D. Thom. S. Bonauentura, & omnes alij antiquitate fulgentes, isti vero Gratianum *cap. lex illa. §. cum ergo. vers. stuprum* 36. *quæst.* 1. sequuntur etiam omnes Summistæ *verb. stuprum.* Caiet. *ibi & 22. quæst.* 154. *art.* 6. *in solut. ad* 1. *dubium.* Alensis 2. *p. quæst.* 167. *Memb.* 1. *&* 3. Abulensis *quæst.* 201. *super cap.* 5. *Matth.* & vno verbo omnes comprehendam, ita sẽtiunt omnes nullo dempto ex antiquis, vsque ad Dominicum Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæ.* 2. *art.* 4. *v. de simplici stupro.* qui de hac veritate cœpit dubitare ponẽs huius nouitatis ouũ, quod in pullum edidere Nauarr. *l.* 2. *de rest. c.* 3. *p.* 4. *n.* 419. Vasq. 1. 2. *disp.* 112. *n.* 1. 3. Tho. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. disp.* 14. *à n.* 5. vbi pluribus congruentiis id cõfirmat & impugnationibus rationis D. Thom. & omnium Antiquorum. Vnde *n.* 7. sic concludit. † *Infertur in quo consistat ratio stupri, & à raptu distet. Consistit quippe in iniustitia admissa auferendo violenter à virgine claustrum virgineum differtque à raptu, quod raptus solum violentiam importet, non habita ratione status fœminæ, is enim nihil confert ad rationem raptus, quippe quæ æque inuenitur siue fœmina sit virgo, siue soluta, siue coniugata, stuprum autem sit solum quando fœmina est virgo. Vnde qui vi cognoscit virginem duplicem luxuriæ malitiam specie diuersam committit, alteram stupri alteram raptus, & vtraque est necessario confitenda. Quam obrem habeat se raptus & stuprum tanquam superius & inferius, semper enim in stupro inuenitur raptus, nec potest ratio stupri consistere absque raptu, at non in omni raptu inuenitur stuprum sed in loco virginis.* Hæc ille, quem secuti sunt postea Malderus *de iustit. & iure tract.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 1. & antea docuerat probabile P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 32. *sect.* 4. sequuntur etiam alij.

Verum enim vero D. Tho. *artic.* 6. *cit. in corpor.* hãc conclusionem infert, & ideo manifestum est quod † stuprum, quod importat illicitam virginum defloratione sub cura parentum existentium est determinata luxuriæ species, quæ conclusio mihi, vt dixi indubitata est, quam tota veterum scriptorum firmat authoritas, quæ in re morali magnum est probationis genus, neque enim in rebus ad mores pertinentibus discedere licet à communi & indubitata antiquorum sententia. Quæ vt clarius eluceat & fundamenta opposita prorsus euanescant aliqua sunt prælibanda. Primum, quod † stuprum 4
in omni sententia prout species luxuriæ habet pro materia specifica, quam respicit, prout est distincta ab omnibus aliis speciebus luxuriæ respicit, inquam signaculũ virginale, quod rumpit, & frangit stuprator, quid vero sit hoc virginale claustrum & virgineum signaculum aliqui medici dixere esse pelliculam, & membranam, quæ rumpitur per congressum primum membri virilis, sed hoc non est admittendum, quia necessarium non est talem confingere membranam, alij vt P. Sanchez, *vbi supra n.* 1. dicit, hoc † signaculum virgineum non esse 5
aliud, quam quædã quasi cõplicatio, & stricta coniunctio partium orificij vasis fœminei, quæ complicatio explicatur & dilatatur per viri accessum, & sic aperitur vas fœmineum, & hoc dicit verissimum attestãtibus peritissimis medicis à se cõsultis, sed nisi ponamus intrinsecũ modũ, præter localẽ partium constipationem, non assentior huic sẽtentiæ

tentiæ, quia iuxta Patrum & Theologorum omnium antiquorum, dum de claustro & signaculo virgineo agunt, habetur quod est integritas corruptionis & contagionis expers, ita Ambr. *lib. de virgin. statim à principio,* D. Tho. 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 1. S. August. *lib. de virginit. cap.* 13. & eleganter *lib.* 1. *de ciuit. c.* 18. Hieron. *ad Eustochium de cust. virgin.* Basilius *de virginit.* Lactantius *lib.* 6. *instit. cap.* 23. rursus † claustrum & signaculum hoc corrum- 6
pi dicitur sicut & carnis integritas, per seminis voluntariam emissionem, quare illa constipatione partium persistente signaculum virginitatis amittitur; ergo hoc in alio consistit, tum denique, quia sunt fœminæ à viro nullatenus cognitæ, nec volũtariè pollutæ, quæ illas partes latissimas habent à naturali indiuiduatione sua, vel in matura ætate, & senectute dilatantur, explicantur, extenduntur, & tamen non amittunt naturale signaculum virginitatis, quia nulla corruptione, aut violenta scissione id factum est, ergo signaculũ hoc non consistit in illa partium orificij vasis fœminei complicatione,
existimo ergo † quod est modus quidã à na- 7
tura insitus ex vi tẽperamenti illarũ partiũ, illarũ sigillatiuus & cõclusiuus fœminei vasis in ordine ad custodiã paternam, & vt fœmina magis apta sit ad matrimoniũ contrahendum, qui modus ita se habet in occultis, sicut pulchritudo in manifestis, & sicut sanitas in toto corpore, igitur in tali modo cõsistit integritas membri fœminei, quæ nunquam corrumpi dicitur nisi per stuprum, quod est vitiũ oppositum castitati, etsi enim infirmitate, violẽtia, chirurgia, vel alio modo os vuluæ aperiatur, non amittitur integritas & sigillum illud tãliter, quod si quis ad fœminã accedat, quæ ad vitandã infirmitatẽ aperta est in illis partibus, adhuc stuprũ committet, quia virginem defloraui primo congressu ad quem vitandum extrã matrimonium datus est modus iste sigillatiuus, & conclusiuus.

8 Quam doctrinã egregiè enucleauit † D. Caiet. *quæst.* 159. *art.* 6. *§. ad secundum dub. in masculo primo coeunte cum meretrice differentia stupri non saluatur, quia nec signaculum aliquod naturale perdidit, quo inhabilior redditur coniugio, nec aliquid perdit, quod paternæ custodiæ naturaliter commendatum, sit seruandum vsque ad coniugium, vt patet ex hoc quod filij ante coniugium post pubertatis annos absque vlla custodia communiter discurrunt, repugnante natura si oppositum fieret, quod communiter in naturalibus fit, ostendit sic natum esse fieri, vt dicitur* 2. *Phys. & propterea ex eo quod naturali inclinatione fœminæ ante coniugium custodiuntur, masculi non, sed si custodire quis eos vellet contra naturalem morem, agere diceretur, signum habemus naturalis custodiæ in fœminis, vsque ad coniugium & libertatis in masculis, consequens est quod concubitus masculi primus cum meretrice, non est in specie stupri, aut proportionali, sed simplex tantum fornicatio. Neque obstat quod ex primo concubitu redditur habilior ad luxuriam, vt post expertus. Hoc enim commune est omni primo peccato in quolibet genere, quod ex primo reddatur habilior ad simile, & constat quod non omne primum peccatum habet propriam speciem distinctam à secundo, & hinc habes quod si masculus confiteatur de luxuria peccato, non oportet quærere si erat virgo.* Hæc ibi.

Ex quo fit quod † si fœmina per volun- 9
tariam pollutionem propriis manibus, vel alienis factam seruet, tamen signaculum virginale illud non corrumpens, etsi amittat virginitatis virtutem, non amittit statum naturalem virginitatis naturalis, quem si corrumpat voluntariè stuprum est, quod eleganter enucleauit Dominus Caietanus, *vbi supra §. ad quartum dubium, ita loquens. Talis* † *concubitus (cum muliere integra polluta* 10
tamen per molliciem) est stuprum, quia ibi saluatur propria differentia stupri quam addit supra illicitum naturalem contubitum dum affertur signaculum virginale paternæ custodiæ commendatum, quod natum est mulierem habilem seruare ad coniugium. Redditur igitur ad coniugium mulier inhabilis propriè loquendo non ex mollicie, aut sodomia cum fœmina, sed ex huiusmodi violatione signaculi, & infra, §. *ad obiecta. versicul. secundum vero, integritas fœminei membri dupliciter potest considerari. Primo vt est quædam carnis integritas, & sic verum est, quod per accidens se habet ad statum virginalem, vt est materia virtutis, & hoc supra docuit auctor quæst.* 152. *artic.* 1. *ex Augustino alio modo est, vt signaculum virginale scilicet conclusiuum vteri, & animi ad amplexum virilem, & sic non per accidens, sed per se spectat ad statum virginalem, vt est materia virtutis, & propterea si sic perditur reddit mulierem minus habilem ad coniugium, si autem perderetur primo modo tantum ob casum, vel infirmitatis curandæ necessitatem non propterea minus habilis ad coniugium esset, vnde in nullo Patris custodiæ iniuria fieret si sic perderetur.*

Secundum prælibamen sit, quod posuit D. Thom. *quæst. cit.* 154. *art.* 1. *& in* 4. *dist.* 41. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. *&* 2. *& quæst.* 15. *de malo. art.* 3. vbi exprofessorem tractat, quod 11
† peccatum luxuriæ perfectum, est inordi- 12
natus concubitus contra castitatem coniugalem, quare secundum quod actus aliquis magis recedit à castitate coniugali & matrimoniali concubitu, qui solus in materia venereorum licitus est vsus, multiplicantur species luxuriæ, quare quamuis possint esse aliæ species luxuriæ

ex parte modi, tamen quod sint sex species distinctæ ex parte materiæ egregio discursu probat S.D. *art.1.illius q.154.* qui videri potest, tamen loquens de stupro *art.6.* sic fatur

12 † *in virgine autem sub custodia patris existenti quædam deformitas specialis occurrit si corrumpatur, tum ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio consequendo & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur ne signaculum virginitatis amitteret, tũ ex parte patris, qui de eius custodia solicitudinem gerit secundum illud Ecclesiast. 42. n.... super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis. & in solutione ad 2.art. Nihil prohibet vnum peccatum ex adiunctione alterius deformius fieri, fit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato iniustitiæ, quia videtur concupiscentia esse inordinatior, quæ à delectabili non abstinet, vt iniuriam vitet, habet autem duplicem iniuriam annexam, vnam quidem ex parte virginis, quam etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit, & sic tenetur ei satisfacere, vt dicitur Exodi 22. n.... aliam vero iniuriam faciat Patri puellæ. Vnde & ei secundum legem tenetur ad pœnam, vt dicitur Deuter. 22. n...*

Quam Angelicam Doctrinam, sic egregie & profunde explicat Purpuratus vir *ibi.*

13 §. *ad 5.* dicitur. *Quod* † *stuprum sumit speciem propriam ex adiuncta supra illicitum concubitum iniuriæ paternæ custodiæ, non respectu cuiuscunque, sed signaculi virginalis, vt sic. Ita quod paternæ custodia potest dupliciter sumi, vno modo, vt respicit filiam, vt custoditam, siue sit virgo, siue non, & non constituunt stupri speciem, & propterea cognoscens filiam alicuius iam stupratam in domo parentum non committit stuprum, sed simplicem fornicationem tanto grauiorem, quanto offendit etiam patrem sub cuius custodia est etiam ante nuptias. Alio modo secundum, quod respicit filiam secundum virginale signaculum, & cum obiicitur, quod remota paterna custodia à virginali signaculo adhuc constitueret stuprum. Respondetur, quod licet signaculum virginale possit fortè esse sine paterna custodia, non tamen potest esse sine indigentia naturali, quantum in se est paternæ custodiæ & per hoc non potest absolui ab ordine ad paternam custodiam, & ideo casus non est admittendus. Etsi insistetur, quod ista conditionalis est vera, si signaculum virginale esset sine paterna custodia, adhuc illius illicita violatio esset stuprum. Respondetur, quod intelligendo per paternam custodiam ordinem, ad paternam custodiam à quo nõ potest signaculum virginale absolui, ista conditionalis est falsa, quia destruit se ipsam. Quoniam si signaculuum virginale esset sine ordine ad paternam custodiam non esset signaculum virginale, sed esset sicut virginitas naturalis masculorum, sicut ista cõditionalis est falsa, si pater esset sine filio esset pater.* Hactenus viuax & profundum Caiet. ingenium quod magis est admirandum in moralibus, quam in speculatiuis.

Ecce principia moralia vtriusque Thomæ ex quibus recte enucleatis manifestè deducitur, † quod stuprum etiamsi volunta 14
riè patiendo illud defloretur virgo, & Pater non solum consentiat, imò etiamsi sit ipsius Virginis leno & signaculi filiæ venditor, nihilominus stuprum est species luxuriæ distincta ab aliis, ratione iniuriæ tam ipsi virgini factæ, quam contra ius paternæ custodiæ, etiamsi Pater iam functus sit vita, quod ita certum puto, quod contrarium vir contineat probabilitatem practicam, etsi speculatiuè possit defendi, quare benè Fillucius *t.2. tract.30. cap.3.n.2.* hoc esse in praxi tenendum, quia moralis æstimatio ad hoc cogit: hæc autem æstimabilitas moralis cum sumatur in ordine, ad hominum prudentum iudicium & dictamen, quis dicat, quod cum omnes DD. Scholastici, vsque ad Sotum, qui primus cœpit dubitare de hac re, quod iudicium & dictamen aliquorum recentiorum plus ponderet, quam iudicium Magistri sententiarum, & omnium Scholasticorum, Gratiani & omnium Canonistarum, æstimatio enim illa moralis, & iudicium practicũ omnium antiquorum, cum vix sint immutatæ, nec nouæ circumstantiæ superuenerint, sed materia & obiectum stupri eadem semper permaneant, idem etiam iudicium practicum perseuerare est necesse.

Verum enim vero, vt materia ista huius grauissimi dubij, penitus comprehendatur & innotescant motiua quæ antiqui habuerunt duo sunt explicanda. Primum, † cur in 15
fœmina sit spetiale peccatum stuprum, dum defloratur & signaculum virgineum corrumpitur, non autem in viro. Secũdum, † cur 16
signaculum virgineum sit spetialiter in fœmina traditũ à natura custodiendũ paternæ custodiæ Paterque habeat speciale ius ad illud custodiendum, hoc secundum ex primo pendet, quod clarè constat. Fœmina enim ex naturali complexione longè salacior, est & inclinatior ad coitum, facilior (inquam) ad luxuriam quam vir. Vnde Ecclesiasticus *c.7.n.25.& 26.* & per eius os Spiritus Sanctus instruens patrem diuersa ei præcipit respectu filiorum, & respectu filiarum, dicens. *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum,* integrum, intactum, castum, purum, in eo enim omnis filiæ decor & dignitas consistit, præsertim, quia eius sexus & ætas fragilis est, & in vitium pronus, multique ei insidiantur, vt egregiè ibi Iansen. Pal. & & Carthus. negari enim nequit, quod Spiritus Sanctus specialem custodiam præcipit haberi

haberi respectu corpus filiarum, quam non mandat respectu corpus filiorum, id quod egregiè considerabat, *vbi supra* D. Caiet.

Ideo enim maiori custodiæ traditur corpus muliebre, quia salacius & procliuius ad venerem ex natura sua est, egregiè S. Chry-
17 sostom. id dixit dum pronunciauit † *Propria mulieris passio est luxuria, & hom.40.* in Matt. *quamuis sint multa peccata in mulieribus, tamen in illis præcipuè fornicatio abundat*, quod dimanat ex otiosa vita, quam gerunt nullis solicitudinibus occupatæ. Physici & naturales qui omnes in hoc conueniunt varias huius veritatis assignant rationes, quia humore femineo abundant, quia vagæ, quia leues, quia voluptatum in cibo, potu, vestitu, spectaculis, vagatione sensuum, auidæ, & quia ratione fragiles, vnde Spiritus sanctus inter quatuor insaturabilia ponit, *os vulvæ. Prouerb. 30. num. 16. quod nunqnam dicit sufficit*, sed semper insaturabiliter appetit, qui appetitus non ipso vsu extinguitur, sed immoderatius & vehementius inflammatur, coitum semper exigens, vt benè Beda, Hugo Caiet. & Iansenius, *ibi* & desiderans virile semen non secus, ac hyle formam, vt perficiatur anhelat, insatiabilis enim est muliebris concupiscentia, itavt delassata quidem, sed non satiata recessit.

18 Igitur † tam insatiabilis est fœminæ luxuria & tam indomita, quod dicat Dominus Caiet. *2.2.q.252.art.1. §. aduertendum, quod sexus fœmineus inuenitur seminare si prouocatus ad hoc fuerit non solum parum ante pubertatem, sed in sexto ætatis anno & supra, vt ipsæ mulieres ex parte testantur, ita quod quantum ex auditis coniicio, non est hoc per accidens, sed puto posse fieri vniuersale, scilicet vt in pluribus inest potentia hæc, ideo longe citius possunt mulieres irreparabiliter virginitatem perdere, quam vir.* Hæc Caiet. quibus addo ego quod *an.1604.* Vallisoleti vidi puellam septenem, quam à viro fuisse corruptam testabantur obstetrices, adeo ardens est & petulans muliebre desideriũ coniunctionis cum viro, vt multò citius & facilius se prostituat fœminæ ad concubitum, quam decidant viri, vt ait Bonifacius à Cæua *lib. de vitiis*,
19 vnde † in illis magis ardet carnis stimulus, & rebellio, quam in viris, vnde vt communis est Iuristarum sententia *ad legem & mulieri D. de iur. furt.* Mulieri luxuriosæ datur curator, quia fuerit luxuriosa, secus autem viro luxurioso. Ita Felinus *cap. Pastoralis*, vbi etiam Panorm. *de iudiciis*, Barbatius *leg. is cui bonis colum. 2. & 3. D. de verb. signif.*

20 Cum ergo † hæc insatiabilis fœminæ concupiscentia sit à natura, & constitutione ipsius, æquom fuit, vt naturæ auctor bonum commune respiciens frænum huic effrænatæ luxuriæ poneret, & habenis retineret, commitens virginale signaculum paternæ curæ ipsamque virginem signatam traderet speciali custodiæ, imo & ipsi Virginũ præciperet speciali mandato, quod signaculum hoc seruaret, ne inhabilis fieret ad congruè nubendum, ne rupto hoc signaculo & ore vuluæ aperto insatiabiliter appeteret semen virile, & meretricandi ostium aperiretur, quæ meretricatio ex natura rei opponitur generationi prolis, quam respicit matrimonium, quare signaculum virgineũ est veluti cooperculum oris vuluæ, quod Deus posuit ob bonum matrimonij, quod cooperculum à natura insitum tenetur conseruare virgo ex vi nubilitatis, & Patris custodiæ à Deo est traditum propter commune bonum matrimonij; quare † *Ecclesi. 42. n. 21*
num.9. pluribus commendatur Patribus filiarum custodia, ob plura & grauia inconuenientia, quæ ex filiarum defloratione dimanant bono communi aduersantia, ratione cuius custodiæ, si virgo defloretur, quia iniuria fit Patri, & sic Deut. *22.n.28.* dicitur quod si virgo deflorata fuerit deflorans tenebitur dare patri puellæ 50. siclos argenti, quarepatri iniuria specialis facta est, cui à iure diuino naturali custodia virginis tradita est ob signaculum virgineum ne obserato operculo, os vuluæ insatiabili meretricationi exponatur. Quare nõ assẽtior Syluio *2.2. q.154.art.6.concl.3.* qui etsi dicat stuprũ esse specialem luxuriæ speciem ab omnibus aliis distinctã, quia † corporis integritas est 22
speciale donũ fœminis à natura concessum, vt vsque ad matrimoniũ conseruarent, vel vsque ad mortẽ si vellent, vel cuius integritatis amittendæ metu à fornicatione abstererẽtur, ne ea amissa constituerentur in via & periculo meretricãdi, non tamẽ quia fiat iniuria patri ratione custodiæ sibi commissæ. Hoc vltimum mihi nullatenus arridet cum sit expressè contra vtrumque Thomã & vtrumque Patrem Franciscum Lombardum, & Gratianum, & reuerà hæc custodia 23
pertinet ad ius paternum, sicut ad ipsum Patrem pertinet filias locare matrimonio, competenti modo à natura destinato.

Assentior tamẽ doctissimo Syluio, qui in hoc benè penetrauit antiquorũ sententiam, dũ dixit † verũ esse stuprũ, quando virgo de-
24 floratur extra matrimoniũ etiãsi ipsa vel cũ ea etiam parentes & tutores consentiant, quæ fuit sententia D. Tho. & omnium Antiquorum; qui stuprum à raptu tanquam duas species distinguũt, vt videre est in Magistro, & in Gratiano, qui dicit quod stuprum propriè virginum est illicita deflora-
tio, quum videlicet non præcedente coniugali pactione vtriusque voluntate virgo corrumpitur. Raptus vero est quum puella violenter à domo patris, abducitur

vt corrupta in vxorem habeatur, siue puellæ solummodo, siue parentibus tantum siue vtrisque vis illata constiterit, ex quibus fit quod stuprum proprie, raptus non est proprie, si enim esset raptus proprie stuprator pœnas incurreret raptoris, quod nullus huc vsque dixit.

25 Vnde satis profunde D. Tho. *in 4. quæst. 3. cit. in corpore, postquam dixit quod secundum hoc aliquis concubitus est magis peccatum, secundum quod magis distat à matrimoniali concubitu, inter species autem hic enumeratas aliqua distat à matrimonio, & quantum ad essentiam, & quantum ad causam quæ est consensus, scilicet raptus & ideo est maximum peccatum inter illa quæ hic enumerantur.* & infra. *Secundum hoc patet quod fornicatio simplex est minimum peccatum inter ista, quia illi cum qua concumbitur nullum nouum impedimentum respectu sequentis matrimonij infertur, & post hoc est stuprum per quod infertur impedimentum mulieri, vt non ita facile commode nubere possit, & post hoc est adulterium, quod est concubitus ad illam, quæ non potest duci in vxorem, dum vir eius viuit, & post hoc est incestus, qui committitur cum illa quæ simpliciter vxor esse non potest, & post hoc est aptus qui matrimonio contrariatur non solum quantum ad essentiam, sed etiam quãtum ad causam, omnium tamen horum grauius est peccatum contra naturam.*

SVBRESOLVT. IX.

Virgo etiamsi sit omnino sola, stuprum patitur.

SVMMARIVM.

1. *An etiamsi virgo sit orbata parentibus aut nullum habeat tutorem aut curatorem si stupretur, iniuria fiat paternæ custodiæ.*

EX his quæ hucusque diximus de raptu & stupro qui inter sese specie distin-
1 guũtur, colligitur primò, quod † etiãsi, virgo sit orbata parentibus, aut nullum habeat tutorem, aut curatorem, nihilominus si stupretur iniuria fit paternæ custodiæ quæ sẽper perseuerat in signaculo, quod habet à natura in ordine ad paternam custodiam ad ordinẽ virginitatis masculi, quæ nullum talem ordinem habet, vnde prima fornicatio viri non est stuprum, sicut mulieris, & sic vir non tenetur exprimere in confessione amissionem status virginitatis, sicut tenetur fœmina, imo ista in cõfessione dum fatetur desideria fornicandi tenetur exprimere, an sit virgo, quia desideria ita habẽt malitiam stupri, quæ est circunstantia mutans speciem peccati, quam iuxta Trid. *sess.* 14. tenetur, exprimere, & confessor tenetur interrogare, sicut ergo tenetur virgo confiteri consensum turpem, quem habet etsi sit virgo, neque in hoc aliquis catholicus dubitat, ita debet exprimere circunstantiam stupri, sicut & sacrilegij aut adulterij.

SVBRESOLVT. X.

Nullus potest renuntiare iuri ad custodiendam virginem

SVMMARIVM.

1. *An non sit in potestate fœminæ aut eius patris renuntiare iuri quod habet ad custodiam sigilli virginei.*

COlligitur secundò, quod † non est in 1
potestate fœminæ, aut eius patris, renũtiare iuri quod habet ad custodiam sigilli virginei quæ illi inest à natura ob bonum commune, argumento *ex cap. si diligenti. de foro compet.* vnde etsi pater & virgo consentiant, concubitus cum ea factus stuprum est, & iniuria à natura insita infertur patri & virgini: verum est, quod quum adest consensus pœna taxata à iure humano illi non dabitur, quia consentiẽti non fit iniuria, orta ex iure humano, nec virgo, aut pater si consentiunt habent actionem iniuriarum, *lib. 4. instit. tit. 4. §. hæc actio* Glossa *ad cap. lex illa. 36. q. 1 verb. non renuncante.*

SVBRESOLVT. XI.

Idem est si virgo consentiat, & quando sit raptus.

SVMMARIVM.

1. *An sit proprie stuprum quod fœmina consentiat in congressum patre dissentiente, etsi vir eam non extrahat à domo parentum.*
2. *Quæ violatio non sit simplex fornicatio, sed raptus propriè.*

COlligitur tertio † quod si fœmina cõsẽ- 1
tiat in congressum patre tamen dissentiente & contradicente, & si vir eam non extrahat à domo parentum esse proprie stuprum, quia in violatione sigilli fit iniuria patri & etiam virgini ipsi traditæ iure naturæ custodiæ paternæ, nec enim iste est raptus respectu parentum, cum non extrahatur à domo, sed in propria domo corrumpitur, quod si consentiente puella à domo parentũ extrahatur istis renuentibus & extra domũ violetur † ista violatio non est simplex for- 2
nicatio, sed raptus proprie, qui est species luxuriæ cum alia circunstantia stupri, hoc est contra Sanchez *num.* 10. cuius doctrinæ falsitas ex dictis manifesta est, etenim etiãsi quis non titulo vtendi virgine eam à domo paterna extrahat, & abducat etiamsi virgo consentiat, in abductionem mortaliter peccat, auferendo rem alienam, & existentem sub patria potestate inuito domino, quare si extrahit à domo paterna, vt cum illa coeat, raptus propriè est species luxuriæ & non solum simplex fornicatio.

SVBRESOLVT. XII.

Virgo etiamsi consentiens defloretur tenetur id exprimere in confessione.

SVMMARIVM.

1. *An si virgo consensit in sui defloratione teneatur circumstantiam stupri confiteri.*
2. *Quandoniam virgo nunquam peccet peccato stupri, ex Sanchez.*

COlligitur quartò, quod † si virgo con- 1
sẽsit in sui defloratione tenetur circumstantiam stupri confiteri, sicut tenetur circumstantiam adulterij si à viro vxorato defloretur, quia sicut timor non excusat à mortali luxuria, ita neque circumstantia stupri, hoc est contra Sanchez *num.* 13. vbi concedit talem virginem esse ream fornicationis & adulterij si fuerit defloratà ab vxorato, non tamen stupri, quia huius malitia desumitur quando virgo violenter corrumpitur & quum consentit, etsi ex timore voluntariè patitur violenter ab stupratore auferri virgineum sigillum, quare stuprator tenetur fateri circunstantiam stupri, quia timore cadente in constantem virum virgini violentiam intulit, vt consentiret. Verum hæc doctrina Sanchez nullo modo est admittenda, primo, quia supponit sententiam quam omnino falsam iudico, vt constat ex dictis. Secundò, quia si hæc doctrina vera
2 est † nunquam virgo peccat peccato stupri, sed solum vir, quia aut consentit & sic, nec ex parte fœminæ, aut viri est talis circunstantia nisi intercedat violentia, vt fatetur Sanchez, aut intercedat violentia facta Virgini, & sic coacta violentia consentit, & sic etiam non peccat ipsa peccato stupri, vt etiã fatetur ipse Sanchez, vel assignet quum habet circumstantiam stupri, ipsa fœmina, quia eo ipso, quod consentiat in fornicationem, in qua est circumstantia stupri, à qua libera est eo ipso, quod consentiat.

RESOLVTIO IV.

De septem exceptionibus quas ponit D. Thom. ad licentiam Christi de dimittenda vxore propter fornicationem.

CHRISTVS dominus Euangelicæ legis conditor, reformans Mosaycam & ad qualitatem legis naturæ reducens, vt in Superioribus visum est, etsi libellum repudij quo dissoluebatur contractus matrimonij excluserit, & præceptum de residentia matrimoniali explicuerit absentiam vtriusque coniugis omnino prohibens, nisi ob fornicationem, vt enucleatum relinquitur. Cæterum D. Thom. quem omnes sequuntur septem exceptiones ponit in quibus, nec ob fornicationem potest vir diuertere ab vxore.

D. Thom. *in 4. dist. 35. quæst. vnica art. 1. in corp.* sic fatur. *Dominus dimittere vxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in fauorem illius qui seruauit, vt non sit adstrictus ad reddendum debitum, ei qui non seruauit fidem, & propter hoc excipiuntur septem casus in quibus non licet viro vxorem dimittere fornicantem, in quibus vel vxor à culpa immunis est, vel vtrique sunt æqualiter culpabiles. Primus est si ipse vir similiter fornicatus fuerit. Secundus, si ipse vxorem prostituerit. Tertius, si vxor virum suum mortuum probabiliter credens propter longam eius absentiam, alteri nupserit. Quartus si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante. Quintus, si fuerit vi oppressa. Sextus, si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens. Septimus, si matrimonio in infidelitate vtriusque contracto vir dederi vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si vtrique conuertantur tenetur eam vir recipere.*

§. I.

Examinatur prima exceptio.

SVMMARIVM.

1. *An vir in conscientia nequeat dimittere vxorem adulteram, siue ipse prior fornicatus fuerit siue post vxoris adulterium.*
2. *Nihil iniquius quàm fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari, ex Aug.*
3. *Quid veniat notandum iuxta doctrinam S. Doctoris.*

4. *Quæ peccata carnalia intra genus luxuriæ grauiora sint quam fornicatio.*
5. *An in conscientia nequeat coniux adulter diuertere à residentia matrimoniali, cum altero coniuge sodomiam committente.*
6. *An vnus coniux nequeat alterum relinquere & ab eo diuertere, etiamsi plura adulteria commiserit.*
7. *D. Thom. sententia affertur.*
8. *An vir si vxor sit notorie adultera possit cum illa tuta conscientia non cohabitare.*
9. *An si vir qui in occulto adulterauit, vxorem moneat vt castè viuat, qua nolente, possit diuertere ab illa.*
10. *Sylueſtri opinio adducitur.*
11. *An si vir commisit adulterium, quod illi condonauit mulier, si ista postea incidat in adulterium, non possit marito volenti celebrare diuortium.*
12. *Authoris iudicium.*

1 PRima exceptio est, *quum vir similiter fornicatus est*, tunc enim, vt ex supra dictis constat, † vir in conscientia nequit dimittere vxorem adulteram, siue ipse prior fornicatus fuerit, siue post vxoris adulterium, quia ex mutuo adulterio perpetrato æqualis est iniuria, & sic mutuo recompensantur iniuriæ, quãtum ad fidei fractionem, in hoc enim omnes conueniunt, vt vidimus estque in vtroque iure expressum *cap. significasti de diuort. c. intelleximus cap. fin. de adult. leg. viro atque vxore. ff. solut. matrim.* Ad quæ loca omnes vtrius iuris interpretes quorum plures adducunt recentiores, vnde Augustinus *lib. 1. de serm. Domi. in mont. cap. 28.* di-
2 xit. † *Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari, occurrit enim illud, in quo alterum iudicas teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.*

Noto primò, circa hanc exceptionem primam magna aduertentia posuisse S. D.
3 verba exceptionis, † dicens, *qui vir similiter fornicatus est, similiter* dicit; id est diuidens carnem suam, per seminum commixtionem cum altera, quæ commixtio est contra matrimonij fidem, ex vi cuius coniuges fiunt vna caro, vel ad vnitatem carnis ordinantur, quare vbi non est cum altera seminum commixtio, quamuis peccatum luxuriæ grauius sit & habeat malitiam adulterij, vt est sodomia & bestialitas, imo etiamsi sit fornicatio spiritualis, per hæresim, aut idololatriã, quæ omnino grauior est quam fornicatio corporalis non est vir *similiter* fornicatus, & sic neutri licet in conscientia diuortium celebrare ob fornicationem, quamuis ex alio capite possit, vt dicemus *infrà*,
4 quamuis enim † peccata ista carnalia intra genus luxuriæ grauiora sint, quam fornicatio, quæ fit per seminum intra vas commixtionem, tamen ista magis repugnat coniugio, & matrimonio, quia per illam, & nõ per illa diuiditur caro, quæ vna est inter coniuges in ordine ad quam vnitatem sumenda est compensatio criminum, non in ordine ad grauitatem specificam peccatorum, quæ materialis est in ordine ad hanc compensationem, vnde † in conscientia nequit coniux 5
adulter diuertere à residentia matrimoniali, cum altero coniuge sodomiam, aut bestialitatem committente, quamuis in foro externo ob hanc culpam concedatur diuortiũ, similiter nequit diuertere, etiamsi alter osculà, tactus & ostentationes turpes cum tertio habeat etsi pollutionem voluntariam cũ tertio, imo si vir vas fœmineum penetret, si tamen, non emittat intra vas semen, imo etiamsi vir, aut fœmina semen intra vas emittat, si vterque non seminarunt, quia nõ fiunt vna caro, nisi per seminum commixtionem ex vi cuius contrahitur affinitas, vt tenet communis sententia, quæ doctrina valdè est menti tenenda, quia deseruit ad multas difficultates in materia morali decidendas, tam circa bigamiam, & impedimentum matrimonij, & de iure circa ius acquirendi dotem adulteræ, &c.

Noto secundò, quod † vnus coniux ne- 6
quit alterum relinquere, & ab eo diuertere, etiamsi vnum dumtaxat commiserit adulterium & altera multã, siue cum vno, siue cum pluribus, ita Soto *in 4. dist. 36. quæst. vnita vers. dubitatio vero*, quia quantum ad qualitatem intensiuam, & quæ dat ius ad separationem æquales sint *& similiter sunt fornicati*, quia *similiter* frangunt fidem; multiplicatio enim eiusdem delicti materialis est; vnum casum exciperem; nisi vxor prostituatur vniuersis aduenientibus; vel publicum exerceat concubinatum, quem non potest cohibere, & frænum iniicere vxori fornicanti; tunc enim si vir non sit publicus adulter, & ob motiua iusta nõ possit rem, ad iudicium deferre, potest licitè ab vxoris cohabitatione, & residentia diuertere; ne suspicetur vulgus consentire, & lenocinũ facere, quare etsi occultè adulteretur, non *similiter fornicatur*, ac vxor propter huius adulteriorum publicitatem, & multitudinem id valdè insinuatur, *cap. significasti de diuortiis, & cap. fin. de adult.* vbi Ioan. Andr. Hostiens. & Antonius.

Quando † D. Thom. *in 4. dist. 35. artic. 6.* 7
ad 5. quem nos *suprà* secuti sumus cum communi sententia, quam sequitur Sanch. *lib. 10. de Matri. disp. 6. n. 9.* quæ sic intelligenda est, quod vir etiam occultissimè fuerit adulter & adulterium vxoris publicum, & notorium nequit in conscientia, neque ciuiliter accusare vxorem, petendo diuortium, sed peccat ipsum petendo, etiam lata sententia tenetur reddere debitum, & reconciliari vxori petenti, si cum illa habitet, & commaneat, neque coram iudice laico, neque in conscientia retinere dotẽ, aut quodlibet aliud bonum sibi datum per sentẽtiam, hæc enim est mens D. Tho. & multorum, quos ibi citat Sanchez, tam ex Iurisperitis, quam ex Thologis, cæterum existimo quod
8 † iste talis vir, si vxor sit notorie adultera, potest cum illa non cohabitare, aut residere tuta conscientia, sed alio diuertere, & vxorem dimittere, ne detur occasio scandali multitudini, & ne ipse turpitudinem sui adulterij manifestare facto ipso cogatur, aut inhonoratus viuere inter suos, quãuis enim pares sint quantum ad recompensationem iniuriæ coram Deo, secus tamen quantum ad famam, quæ in vno bona est in altero mala, & vir tenetur curam habere de bono nomine, ne leno suspicetur suæ vxoris, quã cum non possit reuocare ab adulteriis, infamis apud vulgum reputabitur.

9 Quæ doctrina verissima est maxime † si vir qui in occulto adulterauit vxorem monet vt ab adulteriis retrahatur, & caste viuat, qua nolente, & potest diuertere ab vxore, imo & diuortium petere coram iudice, imo & criminaliter accusare, quia illa admonitio est reconciliatio ex parte viri, qui pacem offert vt cohabitent, & simul resideant, data si potest sufficiente cautione, de securitate vitæ vxoris, & si ista annuit incipit quasi nouus status matrimonij, & renouatur contractus mutuæ fidei seruã-
10 dæ. Ita Sylueſter † *verb. matrim. 9. quæst. 6. in fin.* Iuxta quam doctrinam si vir occulte adulter, iam emendatus, criminaliter accuset, potest dotem, & donationes propter nuptias iuste retinere, quia præter emendam peccati intercedit reconciliatio & interpellatio quod vxor reconciliatur, post quam reconciliationem vxor de nouo est fornicata, & diuortium, & accusatio criminalis est propter hoc adulterium de nouo commissum.

11 Noto tertio, quod † si vir commisit adulterium, quod illi condonauit mulier, si ista incidat postea in adulterium, non potest marito volenti celebrare diuortium ponere exceptionem adulterij condonati. Ita Sanch. *vbi supra num. 7.* tum quia remittentibus actiones suas non est dandus regressus ad illas *leg. quæritur 14. vers. si venditor. D. de Ædilit. edict.* tum quia prior recõciliatio facta de priori adulterio contractum matrimonij ad pristinum statum reuocauit; ac si nullum esset vsque tunc adulterium commissum, in quo euentu posset coniux recõciliatus à coniuge post adulterij reo di-
12 uertere. Ast ego sub distinctione loquor, aut enim loquimur de rigore iuris, & sic tenet opinio ista Sanchez, aut ex æquitate & iure antidoralis remissionis iniuriæ, æquum est enim quod si vnus remisit iniuriam si remittens incidat in adulterium, quod prior etiam remittat iuxta parabolam Christi Domini de seruo cui remissum est omne debitum, & ipse noluit remittere debitum conserui sui; verum est quod si vxor fuit quæ prior remisit, si postea incidat in adulterium habet vir maiorem causam, non remanendi quia vxor adulterans, non solum peccat contra fidem matrimonij, sed etiam contra generationem prolis.

§. II.

Enucleatur secunda exceptio si vir vxorem prostituerit ad luxuriandum.

SVMMARIVM.

1. *Leno iuxta linguæ latinæ proprietatem quid significet.*
2. *Leno est consiliator concubitus illiciti ex Isidoro.*
3. *Ioannis Sarisberiensis Episcopi Carnotensis sensus.*
4. *Ratio difficultatis affertur.*
5. *Iniuria facta viro ob adulterium an sit causa & fundamentum diuortij.*
6. *Quantum intrinseca sit matrimonij iure naturæ insociabilitas vxoris cum viro.*
7. *An vir eo ipso quod lenocinium faciat de vxore peccet grauissimo adulterij peccato, & iniuriam faciat matrimonio.*

SI vir lenocinium exerceat cum vxore, certum est quod ipse nequit eam dimittere propter adulterium nec ab ea discedere, aut non cohabitare; & cum illa residere; sed quid sit virum lenonem esse vxoris, & cum ea lenocinium exercere, inquires; leno enim † iuxta linguæ latinæ proprietatem duo sig- 1
nificat, vnum, qui quæsitum quærit, viris siue fœminis oblatis ad luxuriam quasi vendens illorum corpus ad vsum venereum, si sumpsit Vlpianus *leg. palam. D. de ritu nupti. & leg. athletas. 4. §. ait prætor. D. de his qui notant. infam. lenocinium facit* (ait) *qui quæstuaria mancipia habuerit, sed & qui in liberis hũc quæstum exercet, in eadem causa est, siue autem principaliter hoc negotium petat, siue alterius negotiationis accessione vtatur, vt puta si caupo fuit, vel stabularius, & mancipia talia habent ministrantia, & occasione ministerij quæstum facientia.* Hæc ibi, quod lenocinium multo erit turpius & damnabilius, si vxorem propriam occasione ministerij offerat quæstum facientem; alterum quod significat † nomen leno, à quo lenocinium teste Is- 2
doro *lib. 8. et hymolog. c. 7.* est consiliator concubitus

cubitus illiciti, & lenocinium facere est reconciliationē istam siue quæstus gratia siue gratis, & ex amicitia, vulgo dicitur *alcaguete*, & Lena *alcagueta*, & Lenocinium *alcagueteria*. Quidam enim, originem lenonis ducit ab hoc quod alliciat adolescentes, & in hoc sensu sumpsit Terent. *in Adelph. act.2.scen.1.*

Leno sum fateor communis adolescentium pernicies. In vtroque sensu ac significatione vsus
3 est hoc nomine † vir ille sui sæculi eruditissimus Ioannes Sarisberiēsis Episcopus Carnotensis *lib.3.Policratici. siue de nugis Curialium cap.13.* & habetur *tom.15. Bibliot. veterum PP. Agrippinæ. Apud illos (Lenones) ars est suam pudicitiam prostituere alienam violare vel oppugnare.* Nec quidem simpliciter suam cum matrimonij temeranter iura, & coniugis adulterium coniux procurat. *Dum egreditur sponsa de thalamo suo, coniugem noli maritum quærere, sed lenonem (ecce maritum adulterij conciliatorem) Producit eam, libidinosis exponit etsi spes dolosi nummi refulgeat, affectus calida simulatione prostituit. Filia namque decentior, aut si quid aliud in familia placet ditiori publica merces est, exposita quidem si emptorem inueniat, sed licet iustus dolor eos aliquatenus cruciet, qui thori participes admittunt, aut faciunt, ægritudo tamen vtilitatis compendio mitigatur, aut saltem doloris mitigat cruciatum, si enim res serio agatur, si libera donentur vnctis iudicia non est dolor ille, quo corpus suum, quis videt aliena libidino pollui. Cætera namque peccata extra corpus suum sūt, sed qui fornicatur in corpus suum peccat. Hoc (inquit Adam) os ex ossibus meis, & caro de carne mea, vt iam non duo sint vir & mulier, sed vna caro, hoc vtique sine dolore non scinditur neque sine inuidia communicatur.*

Non bene cum sociis regna, venusque manent & sicut nulla fides regni sociis, ita nec thori certe, facilius est regni diuitias, quam affectionem coniugij, atqui nec isti coniuges sunt, sed lenones. Hæc ille, quibus exceptionis nostræ rationem innuit satis clare.

4 Igitur exceptio ista † nō solū intelligitur de lenocinio causæ quæstus, sed de lenocinio pro recōciliatione facta à marito vxoris suæ cū alio, siue pro recōciliatione facta ab vxore mariti sui cum alia, nequit enim vir qui lenocinium fecit de vxore, aut vxor quæ lenocinium fecit pro marito, iste vxorem relinquere, nec illa virum, vnde nequeunt celebrare diuortium, nec diuertere vnum ab alio, quia ex vi lenocinij ius amittunt, quod Christus illis concessit *dimittendi vxorem propter fornicationem*, sic habetur in iure cano. *c. discretionem de eo qui cognou. consang.* & in iure ciuili prohibetur marito lenoni suæ vxoris huius accusatio siue ciuiliter, siue criminaliter *leg. cum mulier viri.49. ff. solut. matrim. & leg.2.§. si publico. D. ad leg. Iuli. de adult. leg.6. tit.9. p.4. & leg.7. tit.17. part.7.* & sequuntur fere omnes Canonistæ, & Theologi, quorum plures citat fideliter Thomas Sanchez *vbi sup. disp.5. n.4.*

Qui huius veritatis subministrat rationem secundam. Quia † iniuria facta viro ob 5
adulterium est causa & fundamentum diuortij, quæ cessat ipso consentiente, nam scienti & volenti non fit iniuria, sed hæc ratio falsum assumit principium, nam fundamentum diuortij non est iniuria personalis facta viro, sed facta ipsi matrimonio, ex vi cuius vir & vxor vna caro fiunt, quare si caro vxoris cum alio diuidatur per coitum, ipsi matrimonio & coniugio iniuria infertur cui maritus renuntiari nequit, alias enim si vir consenit fornicationi vxoris, talis fornicatio non erit iniusta, nec adulteriū quod 6
nullus Catholicus dicet, secundò, quia † ita est intrinseca matrimonij iure naturæ insociabilitas vxoris cum alio viro, vt aiebat Sarisberiensis, vt facilius sit socium regni sibi adhiberi, quam socium thori, hoc enim natura abhorret in muliere, nec in hoc potest esse dispensatio etiam diuina, quamuis possit cum illa esse societas viri admittētis plures vxores ex Dei permissione, aut dispensatione, verum tamen est, quod per adulterium etiam fit iniuria viro, vt particularis persona est quam ipse potest remittere, & remittit dum lenocinium facit, sed hæc iniuria fundatur & radicatur in priori, cui nequit ipse renuntiare, sicut nec pacto matrimoniali cui opponitur fornicatio vxoris, etiam à viro prostitutæ. Legatur D. Tho. 2.2. q.154. *art.*8. & *ibi* Caiet.

Ratio enim genuina exceptionis est, quia
† vir eo ipso, quod lenocinium faciat de vxo- 7
re peccat grauissimo adulterij peccato & iniuriam facit matrimonio, & pactioni coniugali, ex vi cuius factus est vna caro si consummatum est matrimonium, vel si tantum sit ratum ordinatur ad hanc carnis vnitatem ex natura talis pacti, quare iure neque poli, neque fori quit, diuortium facere vxorem dimittendo, aut cum illa non residendo, sed tenetur à lenocinio fugere, & sancte cum vxore degere.

SVBRESOLVT. I.

Vir si non prohibet vxoris adulterium cum possit, leno est.

SVMMARIVM.

1. *An si vir non prohibeat vxoris adulterium, cum liberè id possit facere pœnam lenocinij incurrat.*
2. *In quibus etiam incurrat vir pœnam lenonis.*
3. *An si vxor consensum præbeat adulteram, sit lena.*

NOto primum, circa hanc exceptionem
1 quod † si vir non prohibet vxoris adulterium cum libere id possit facere, nequit ab ea diuertere, ipsamq; dimittere, sed pœnam lenocinij incurrit, ita habetur *leg.2. C. ad leg. Iuli. de adulter.* & est communis sententia, tunc autem dicitur non posse libere prohibere, quum ob timorem cadentem in constantem virum non prohibet. Ita San-
2 chez *vbi supra num.5.* ego autem addo † non quod incurrit pœnam lenonis, non solum quum ob talem metum non prohibet, sed etiam quum alia damna grauia timet, vt exilium, inimicitias, etsi non capitales, odiū principis & similia, tenetur tamen vxorem reprehendere, & fraternaliter corrigere si profutura est correctio, his enim mediis ostendit non coniuere adulterio, de vxore an sciente & non prohibente viri adulteriū possit illum dimittere, & à residentia cum
3 illo recedere? dico quod † si consensum præbet lena est, & nequit diuertere, si vero non præbeat consensum sed propter timiditatē fœmineam & ad vitandas rixas suffert cum amaritudine animæ suæ, hæc taciturnitas non est consensus nec implicitus, quia expusillanimitate fœminæ, quæ viro subdita est dimanat, cum enim sit inferior viro non tenetur illum fraternaliter corrigere, aut illius delicta prohibere, nisi quum iudicat prudenter posse sortiri effectum.

SVBRESOLVT. II.

Si vir iniuste vxorem domo expellat, hac fornicante potest eam ciuiliter, & criminaliter accusare.

SVMMARIVM.

1. *An vir etiamsi iniuste vxorem dimittat, si ipsa fornicetur, possit eam criminaliter accusare & ciuiliter diuortium celebrare.*
2. *Thomæ Sanchez sententia affertur.*
3. *Quandonam vir semper habeat ius ad celebrandum diuortium.*
4. *An si vir dum iniuste eiicit vxorem, etiam sine intentione vt fornicetur, non possit illam accusare criminaliter.*

NOto secundum, quod † vir etiamsi in-
1 iuste vxorem domo expellat, aut deserat, aut necessaria alimenta deneget, si vxor fornicetur potest propter hanc fornicationem dimittere, criminaliter accusare, & ciuiliter diuortium celebrare non residēdo cum illa, sic habetur *cap. significasti de diuortio* vbi Glossa *verb. materiam*, nulla enim ratione mulier ad fornicandum adduci debet *cap. ita ne. 32. quæst.2. & cap. ex litteris eodem* vbi Glossa *verb. compulsa*, quia non est ignoscendum turpiter viuenti, titulo paupertatis *leg. Palam D. de ritu nuptiar.* nisi vir ea intentione vxorem expelleret aut alimēta denegaret, necessaria vt compulsa necessitate fornicaretur, tunc enim coram Deo in foro poli non posset dimittere, quia idem est, ac adulterio consentire, ait Thomas Sanchez *num.6.* † sed quantum ad hoc non pla- 2
cet, si intentio ista sit pure interior, & nullo modo manifesta vxori, quia sic actus expulsionis iniustæ, & denegationis alimētorum & congruæ sustentationis non est causa moralis influens in adulterium eum influxum non habebit, ex intentione mere interna, quare † semper habet ius ad ce- 3
lebrandum diuortium, vnde si criminaliter accusaret, ad dotis amissionem, etsi sit illi ista applicata ex iudicis sententia illam poterit retinere in conscientia, quia iuxta allegata probata est vxor adultera re ipsa, & non falsis testibus, quamuis vt verum fatear iuxta dicenda *in sequentibus* † si vir dum in- 4
iuste eiicit vxorem, etiam sine intentione, vt fornicetur non potest illam accusare criminaliter, etiam ad dotis amissionem, nedum ad capitis sententiam, vt multis citatis tenet Couarru. 4. *decret p.2. cap.7.§.5.n.2.* Lex enim ista pœnalis est, quare limitanda quantum fieri potest.

SVBRESOLVT. III.

Si vir iniuste debitum coniugale, denegat nequit vxorem accusare.

SVMMARIVM.

1. *An si vir adulterij causam dedit negando iniuste debitum coniugale, tunc vir neque ad vxorem dimittere, nec criminaliter aut ciuiliter eam accusare.*
2. *D. Chrysostomi sententia adducitur.*
3. *An vir qui occasionem proximam dat vxori negando sæpius debitum coniugale, vt fornicetur, causa sit moralis fornicationis.*
4. *Quæ dicantur occasiones remotæ fornicationis.*

NOto tertium, contra Thomam Sanch.
num. 7. quod † si vir adulterij causam 1
dedit, negando iniuste debitum coniugale, tunc enim vir nequit eam dimittere, nec criminaliter, aut ciuiliter eam accusare. Ita expresse D. Thom. *cap. ad Corinth.* 7. *lect.* 2. *vers. notandum* vbi S. Doctor præter exceptiones positas *in* 4. *dist. citata*, hanc expres-

se

se ponit, dicens: *Quod non potest vir ob causam fornicationis vxorem dimittere, quum ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non*
2 *vult reddere debitum*, quod antea docuerat Chrysost. *homil. 1. in psal. 50.* relatus *cap. si tu abstines. 37. quæst. 2. si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis & fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ*, quod enim dicit glossa *ibi* quam sequitur Sãchez, quod *per licentiam* intelligit Chrysost. *occasionem*: fateor, quia occasionem etiam dicit S. Doctor, sed hæc occasio est proxima, quæ est causa moralis influens in actũ saltem virtualiter & interpretatiue, vt late dixi *tom. 1. moral. tract. 1. cap. 1. & 2.* quare
3 † vir qui occasionem proximam dat vxori negando sæpius debitum coniugale, vt fornicetur causa est moralis fornicationis, & illam virtualiter vult, consentitque interpretatiue, quod sufficit vt tuto non possit eam dimittere, & non residere. Neque est eadem ratio dum vir iniuste expellit domo vxorem, eamque alimentis priuat, quia
4 † istæ sunt occasiones remotæ fornicationis, non enim respiciunt immediate potestatem in corpus viri, aut fœminæ sicut denegatio debiti in qua defraudatur vxor immediate vsu matrimoniali ad quod immediate habet ius primarium, dum illud petit, quare vir qui vxori immediate petenti suum corpus, & debitum conuiugale denegat, virtualiter dat licentiam & ponit in occasione proxima peccandi, vel per molliciem, vel quærendo virum, cum quo ignem, quo accensa est extinguat, maxime si repetitis vicibus debitum exigenti dengetur.

SVBRESOLVT. IV.

Vir adulter si vxorem accusat criminaliter peccat mortaliter.

SVMMARIVM.

1. *An vir adulter si vxorem criminaliter accuset, mortaliter peccet.*
2. *An vir adulter ratione adulterij amiserit superioritatem capitis in mulierem.*
3. *An maritus si sit innocens non possit authoritate propria occidere adulteram.*
4. *Quæ leges etsi excusent à pœna legali non excusent à reatu pœnæ æternæ.*
5. *Quando leges Hispanæ semper intelligantur supponere.*
6. *Multorum DD. afferuntur opiniones.*
7. *Cuius arbitrio Hispani adulteræ supplicium committant.*
8. *An etiamsi vir occultum commiserit adulterium, nequeat in conscientia ciuiliter accusare vxorem adulteram.*
9. *An mariti adulterium sit grauius, vxoris luxuria.*
10. *Sanchez sententia affertur.*
11. *An vir accusans adulterium vxoris repellatur per exceptionem similis adulterij.*

NOto quartò, quod † vir, qui adulter est, 1
vel in concubinatu, & vxorem accusat criminaliter, mortaliter peccat, etsi iudex sentẽtiam capitis ferat in vxorem, eamque tradat viro, vt in publico occidat, nequit tuta conscientia occidere, nam leges ciuiles, etsi determinent, quod vxor adultera occidatur authoritate publica, & lex Hispana dicat, quod tradatur viro, vt ipse si vult occidat, hoc ideo esse existimo, quia vir habet potestatem in corpus mulieris, estque illius caput & superior, quare, quod non poterat facere propria authoritate, concedit, quod faciat authoritate publica, tamen hoc supponit, quod vir non amiserit potestatem, & superioritatem in mulierem, ratione cuius, id concedit viro & non alteri de plebe, nisi carnifici publico executori iustitiæ, officio infami, at † vir adulter ratione adulterij 2
amisit superioritatem capitis in mulierem, & potestatem in corpus eius, quare nequit absque peccato homicidij ipsam occidere, etiam authoritate publica, quæ supponit authoritatem capitis in viro, qua amissa per adulterium authoritas publica nihil concedit, imo nec potest concedere, nisi maritus fiat carnifex publicus, quia potestas publica nequit dispensare in præcepto, de non occidendo, nisi ob vtilitatem publicam, vt quando cõcedit, quod bannitus occidatur, à quolibet, vel malefactores à ministro executore. Dices hoc argumentum probare, quod etiam † maritus si sit innocens non possit 3
authoritate publica occidere adulteram. Respondetur, ita sensisse aliquos, & nos *notat.* 5. dicemus, quid tenendum sit, sed hac solutione pro nunc omissa. Respondetur secundò, quod est diuersa ratio, cum maritus est innocens habet potestatem in corpus mulieris, estque illi superior, cuius superioritatem non amisit, per adulterium sicut amittit dum adulteratur, quare potestas publica dum dat illi facultatem, quum est innocens, vt vxorem occidat adulteram, non dat potestatem nouam in corpus muliebre, sed extendit, quam habebat ad hoc, quod corpus illud, quod suum erat, & factum est vna caro cum adultero, diuidens se à mariti carne, occidat virtute potestatis publicæ, quare mariti potestas extenditur à potestate publica, quæ extensio supponit potestatem in corpus mulieris, sicut Episcopatus est extensio caracteris sacerdotalis, quo non existente nullus potest fieri Episcopus, adulter autem amisit potestatem in corpus mulieris,

ris, & sic nequit ille in conscientia occidere adulteram, imo nec licitè accusare criminaliter, vt iudex ex officio procedat.

Leges tamen ciuiles & nostri Regni sunt permissiuæ, non præceptiuæ, vt explicat D. Thom. *in 4. distinct. 37. quæst. 2. articul. 1.*
4 *in corpor. & ad secundum*; vnde † etsi excusent à pœna legali non tamen excusant à reatu æternæ pœnæ. Tum secundo, quia leges Regni possunt interpretari, quum vir non est adulter, sed innocens, quia si adulter, nequeunt, concedere, vt licitè occidat vxorem alias posset etiam concedere, quod inuenta in adulterio licitè posset occidere in foro conscientiæ ante sententiam iudicis, magis enim decens est, quod ob dolorem præsentis iniuriæ, quis constituatur minister publicus & occidat vxorem sicut conceditur occidere bannitum, quam, quod vir onustus adulteriis, possit licitè occidere vxorem adulteram, nam coram Deo in hoc ipso, quod facit adulter seipsum condem-
5 nat. Quare † leges Hispanæ semper intelliguntur, supponere, dum dicunt, *si los acusare (el marido alos adulteros) que los meta en su poder y haga de ellos lo que quisiere*, intelligitur enim iuxta regulas conscientiæ, quæ omnino prohibet occidere, nisi ex potestate publica, quam non concedunt quum alias vir adulter est, nefas enim esset, & inter Christianos impium, quod vir licitè possit vxorem occidere propter adulteria, quibus ipse onustus est, siquidem coram Deo æquali reatui pœnæ æternæ est obnoxius, & iuxta hoc dictamen
6 meum intelligo † Palacios *in 4. distinct. 37. disputat. vnica fol. 806. vers. verum si iudex.* Gutierrez *quæstion. pract. lib. 2. quæst. 1. numero* 13. quamuis lubrice loquatur. Manuel Rodriguez *tom. 1. summ. cap. 204. numer. 9.* Vega *tom. 1. summ. cap. 117. casu* 3. asserentes non posse iudicem capitis damnare vxorem, quum secundum allegata & probata vir est adulter, sequuntur etiam Nauarrus *cap. 16. summ. numer. 29.* Matienz. *lib. 5. recopilat. tit. 1. gloss. 1. Rubric. n. 102.*

Notat etiam optimè Sotus *in 4. distinct. 37. quæst. vnica artic.* 3. quod Hispani rigorem legis antiquæ moderarunt. Non enim
7 † adulteram necessaria morte condemnant vt fures & homicidas, sed arbitrio mariti supplicium committunt, quod ideo est, quia si adulter est etiam ipse, nequit licitè in conscientia occidere, etsi impunè id faciat, sicut facit dum occidit in adulterio comprehensam tamen sicut in hoc non licitè, ita nec in illo si adulter est ipse.

Hanc eandem sententiam clare videntur tenere omnes, quos supra dedi, & plures alios citat Thomas Sanchez *lib. 10. de matr.*
8 *disput. 6. num. 9.* asserentes quod † etiamsi vir occultum commiserit adulterium, nequit in conscientia ciuiliter accusare vxorẽ adulteram, nec petere diuortium coram iudice competenti, datur enim in hoc corã Deo criminum compensatio, quare vt Aug. ait supra citatus. *Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari, occurrit enim illud in quo alterum iudicas te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Hæc ibi, quæ Apostoli sententia & Augusti. explicatio multò magis currit respectu accusationis criminalis, in qua agitur de totali capitis diminutione, & vita, qua nihil pretiosius inter res temporales, siquidem corã Deo idem agis, quod iudicas dum vxorem adulteram & tu adulter occidis, tibi commissæ, vt quod velis facias, quamuis enim in foro externo dum criminaliter proceditur, non detur compensatio inter adulteria viri & vxoris, nec admittatur exceptio adulterij viri facti ab vxore de adulterio criminaliter accusata; tamen totũ est in foro externo, non in foro conscientiæ, in hoc enim pa-
res sunt coniuges, † etsi enim vxoris luxuria 9
detestabilior sit, vt supra vidimus ob maiora inconuenientia, tamen adulterium mariti ex alio capite grauius est, quia maiori ratione, & animi fortitudine est præditus, quam vxor, quæ acrius agitur à concupiscẽtia & debiliori ratione ducitur, quare apud Deum compensantur & mutua compensatione abolentur in conscientia, quare si ciuili actione agatur est compẽsatio in foro poli, est etiam in eodem foro etiamsi criminaliter agatur & sicut vir adulter non potest agere actione ciuili contra adulteram, ita nec actione criminali in qua, si adulter est, nequit in conscientia dotem, & alia bona vxoris retinere, etiamsi lata sit sententia, sicut nec potest retinere, si agat actione ciuili.

Quare † nullatenus assentior Sanchez 10
lib. 10. disputat. 8. à num. 46. qui cum duobus Ledesmis Petro, & Bartholomeo, sentit licere viro etiamsi coopertus sit adulteriis occidere vxorem adulteram, sibi à iudice traditam; hoc enim minus pium est, & dans occasionem adulteris viris, vt vxores accusent, vt ab ipsis liberentur. Quare ego melius concordo duas leges Hispanas inter quas videtur esse antynomia. Nam, *lex 6. tit. 9. p. 4. & leg. 9. tit. 17. parti. 7.* expressè deciditur, † virum accusantem adulterium 11
vxoris repelli per exceptionem similis adulterij, ius autem nouum huius regni *lib. 3. tit. 20. leg. 8.* expresse repellitur exceptio hæc, sed leges istæ contrariæ non sunt, nec vltima corrigit primas, nam *lex* 8. loquitur de exceptione inutili & vana, prior autem loquitur de vera & subsistẽte exceptione, vel ex notorietate facti, & probatione testium

omni exceptione maiorum, sicut textus qui prohibent appellationem, & dicunt *appellatione semota*, intelliguntur de inani, frustranea & friuola, vt multis citatis tenet Barbosa *de clausul. vsufreq. clauf. 9. num.* 15. similiter *clauf.* 156. *n.* 3. lex quæ excludit exceptionem non excludit legitimas & rationabiles, vt probat Rebuffus *in compendio alien. num.* 46. *ex cap. ex parte el segundo de officio delegati, sed friuolas*, vt dicit Rota *in vna Asten. fruct.* 27. *Martij* 1613. *coram Manzanedo.*

SVBRESOLVT. V.

Vir innocens nequit in conscientia occidere vxorem adulteram sibi traditam à iudice.

SVMMARIVM.

1. *An liceat viro innocenti post iudicis sententiam adulteram occidere.*
2. *An lex ciuilis nequeat dare licentiam marito, vt vxorem adulteram occidat nisi sub titulo lictoris.*
3. *D. Thomæ sententia & n.* 4. & 5.
6. *Vix vxorem occidens assumit infame officium.*
7. *Concilij Tribur. sensus affertur.*
8. *Iuxta leges Hispanas vxor adultera non damnatur necessaria morte, sed arbitrio mariti supplicium committitur, remissuè.*
9. *Si vir adulteros in flagranti delicto inuentos occidat, an occisio sit licita.*
10. *S. Augustini mens.*
11. *Quid Conc. Tolet. concedat Clericis.*
12. *Maior authoritas Legislatoris quam iudicis.*
13. *Authoris iudicium.*

1 NOto quinto, quod quamuis valde probabile sit † virum innocentem posse post iudicis sentētiam adulteram occidere, tamen iuxta doctrinam D. Tho. hoc nullatenus licet, neque in legibus Hispanis est firmum fundamentum ad id asserendum, hoc est contra Sanchez, *vbi modo à num.* 45. Prius tamen quam meum proponam dictamen, præpono verba doctissimi P. Magistri Soto *in* 4. *distinct.* 37. *quæst. vnica art.* 3. *vers. attamen*, vbi sic loquitur, *Lex Hispana consulto adulteram non lictori tradit, qui iussu viri in eius præsentia iugulet, sed ipsi viro vt commiserandus aspectus supplicii fœminæ vehementius eius viscera ad misericordiam commoueat, & cruentum ipsum facinus eius animum deterreat, ne proprias scilicet manus sanguine intingat, vileque officium atque infame exerceat. Hæc enim omnia possunt feruentem bilem hominis stupore illo mitigare, quare consulendũ est illi, vt à rigore illo animũ tẽperet.* Hæc ille.

Ex quibus liquet, quod si maritus post sententiam latam, tanquam minister publicus, voluntarius licet, vxorem occidat officium vile, & infame exercet, vtpotè lictoris, nisi enim sub hoc titulo, qui est officium publicum, nequit occidere, nec † lex ciuilis potest, nisi titulo huius officij licentiam dare, vt licitè in conscientia possit vxorem adulteram occidere, quam distinctionem non aduertunt contrarij, quæ præ oculis est habenda; non enim lex ciuilis potest dare alicui (nisi de bannitis si aliter non possunt capi) facultatem, alium occidendi; hoc mihi persuadeo ex sequentibus. 2

Primo quia est sententia † D. Tho. *in* 4. *distinct.* 37. *quæst.* 2. *art.* 1. *vbi in corp.* duo dicit, quod in iudicio ciuili potest vir zelo iustitiæ non liuore vindictæ, aut odij motus vxorem adulteram in iudicio sæculari accusare criminaliter de adulterio & pœnam mortis à lege statutam petere, sicut licet accusare aliquem de homicidio, aut alio crimine, non tamen talis accusatio potest fieri in iudicio Ecclesiastico, ex quo fit quod sicut lex ciuilis nequit dare potestatem, vt accusator de homicidio occidat homicidam, quia hoc competit lictori, cuius est hoc officium, ita etsi vir possit accusare criminaliter adulteram & petere pœnam mortis à lege statutam, non tamen potest eam per se ipsum occidere, nec hoc dicit Sanctus Doctor, qui in solut. ad secundum dicit, *quod pœnam illam infligendam (scilicet mortis) lex non commisit personis priuatis, sed personis publicis quæ habent officium ad hoc deputatum* (scilicet iudicibus quoad sententiam, & lictori quoad executionem iustitiæ) *vir autem non est iudex vxoris*, (sicut nec lictor ex officio) *& ideo non potest eam interficere, sed coram iudice accusare.* 3 4

Secundum, quod dicit S. Doctor est, *quod lex ciuilis, quasi licitum computat, quod in ipso actu eam interficiat non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidij inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris, sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis (vt iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ Ecclesiastico iudicio infligendæ, ex eo quod est sine reatu pœnæ infligendæ per iudicium sæculare, & ideo in nullo casu licet occidere vxorem propria authoritate.* 4

Ex quibus deducitur efficax argumentum, in nullo casu licet occidere vxorem propria authoritate, ergo sola authoritate publica, atqui occisor authoritate publica est lictor infamis officij vir, habens officium ad hoc deputatum, ergo † vir vxorem occidens officium infame assumit, & exercet, & nisi sub hoc titulo propria authoritate occidit, quod in nullo casu licet; 6

qui

qui enim bannitum occidit lictor non est, sed defensor boni communis, & hoc facit titulo honorifico.

Secundò, moueor ex Concilio Triburiensi *c.* 46. in quo digito monstrans legem Hispanam, vel similem Gallicam, agens de viro qui vxorem adulteram vult sententiam capitalem illi inferre, sic fatur. † *Si vero interdum maritus eam inuenerit, & repetierit, secundum sæcularem potestatem habeat, quid agere ei velit, sed audiat Sanctum Augustinum dicentem. Cum enim vir à virtute nomen accipit, mulier à mollitie, idest fragilitate, quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult vnusquisque vxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum, victus cadit? nam quidquid contra fidem Catholicam mulieribus non licet, nec viris licet.* Hactenus Concilium sub Formoso Papa celebratum ann. ..... ad quod confirmandum est elegans textus *in leg. si vxor* 13. §. 5. *D. ad leg. Iuli. de Adulter.* si ergo quum viro datur potestas à lege ciuili, vt de adultera faciat, quod velit, Patres, si occidat, damnant tanquam iniustum, ergo hoc licitum non est nisi constituatur lictor officij infamis homo, nullum enim est vilius in republica. 7

Tertiò, quia vt suprà dicebamus ex Soto *notatio* 4. † iuxta leges Hispanas vxor adultera non damnatur necessaria morte, sed arbitrio mariti supplicium committitur. Ita habetur expresse *lib.* 3. *tit.* 10. *leg.* 5. *noua recopil.* quæ se refert ad *leg.* 1. *eiusdem tit.* vbi sic habetur, *si muger casada ficiere adulterio, el la y el adulterador sean enpoder del marido y faga de ellos loque quisiere y de quanto han & leg.* 5. *citata.* sic habetur *el marido que matare por su propria authoridad al adultero y ala adultera aunque los tome en fragante delicto y sea iustamente hecha la muerte, no gane la dote, ny los bienes del que matare, saluo si los matare, ò con donare por authoridad de nuestra iusticia que en tal caso mandamos se guarde la ley del fuero que en este caso dispone que es la ley primera deste titulo.* 8

Ex quibus legibus duo infero argumenta in confirmationem nostræ sententiæ. Primum, lex dicit, quod † si vir adulteros in flagranti delicto inuentos occidat occisio licitè fit, *y sea iustamente hecha*, quod certa & indubitata sententia intelligit, quod sit licitè facta in foro externo, quia impunè fit, quia fit authoritate legis, id permittentis & tolerantis, vnde virtute legis fit authoritate publica; maiorem enim authoritatem publicam confert legislator, quam iudex, & tamen, quia hæc occisio non fit à lictore habente officium publicum, dicitur fieri propria authoritate, ergo quum lex dicit, quod vxor adultera, & adulter, *sean en poder del marido y faga de ellos loque quisiere*, & in alia lege, *saluo si los matare, ò condenare por authoridad de nuestra Iusticia*, si ipse per se occidat, & non gerat officium lictoris, & carnificis publici propria authoritate occidit, quod in nullo casu licet, præterquam, quod lex non dicit, quod occidat per se ipsum, sed per authoritatem iustitiæ ad petitionem suam, nam qui petit alium occidere occisor est illius † sicut August. enarrat *in Psalm.* 78. de Iudæis dicit, quod Christum occiderunt quum eius mortem à Pilato petierunt, nec enim lex vult, quod maritus lictor fiat, sed quod ad petitionem suam lictor occidat gladio materiali, & vir gladio linguæ & accusationis criminalis. Legendus est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. *ad* 1. 9 10

Deinde, quia quum ex vi legis Hispanæ maritus possit facere de adultera, quod libuerit, & ad hoc ei tradatur à iudice, cum possit & recludere, & ieiuniis & pœnitentiis flagellare, vt Concilium *Tolet.* 1. *cap.* 7. † concedit Clericis respectu mulierum suarum adulterantium si gladio materiali occidit propria electione, & sic propria authoritate occidit, quod in nullo casu licet, neque enim constringitur à lege, quod ipse per se ipsum gladio materiali occidat, sed permittit, vt impunè hoc faciat, sed permittit, non cogit, quod occidat per se ipsum adulteram, & adulterum, quos inuenit in flagrãti adulterio, nec video cur si licet viro non tanquam lictori, sed authoritate iudicis occidere adulteram, non possit etiam licitè in conscientia, authoritate legis occidere adulteram in flagrãti adulterio deprehensam maximè si notorium sit adulterare, & in actuali adulterio deprehendit, † maior enim est authoritas legislatoris, quam iudicis, iste enim respicit allegata & probata, quæ multoties, multis subsunt fallaciis, legislator tamen respicit bonum vniuersale, & rem secundum se & quamuis aliquando sequatur aliquod inconueniens, quod maritus occidat sine deprehensione in adulterio, sed ipsum fingens, tamen hoc non euertit legis iustitiam, sicut nec iustitiam sententiæ etsi aliquando feratur in innocentem, probatum nocentem falsis testibus. 11 12

Fateor, quod † cum opposita sententia sit probabilis, quod maritus poterit illi se acõmodare, sed officium lictoris prorsus infame assumet, quare si aliquis ab occisione voluerit maritum impedire iudex id non consentiet, sed ministris publicis ipsum arceret impeditorem, addo quod etiam hoc potest facere in mea sententia, quia permissio illa dimanat à publica sententia, quam tenetur iudex defendere, sicut tenetur defendere, nẹ violenter tractetur meretrix, quæ ex publica permissione 13

meretri

meretricatur, quamuis hoc sit peccatum, nec iudex cooperatur occisioni iniustæ, quia hæc permittitur à lege.

§. IV.

Explicatur tertia exceptio si mulier probabiliter credens primum maritum obiisse, alteri nubat?

SVMMARIVM.

1. *Quam credulitatem possit habere vxor duplicem.*
2. *Quid veniat notandum.*
3. *In quo casu non sit adulterium formaliter.*
4. *Sanchez sententia affertur.*
5. *An secundus maritus comparente primo non habeat ius ad accusandum vxorem siue ciuiliter, siue criminaliter.*
6. *An maritus primus etiamsi post sciat vxorem sub potestate posterioris mariti putatiui adulterium commisisse, non possit eam repudiare.*
7. *An si vxor sciat maritum esse mortuum per reuelationem ad affectum licitè possit contrahere cum alio.*
8. *Ratio difficultatis.*

1 DVpliciter † potest vxor hanc credulitatem habere, vel ex coniecturis humanis, quibus communi hominum prudentium iudicio fides humana generatur, ex nimia & diuturna mariti absentia, qui vel ad bellum iuit, vel ad valde longam peregrinationem, & à multis annis eius notitiam non habuit, vel quia à fide dignis audiuit, se audiuisse mortuũ fuisse affirmantibus, hoc enim videtur sufficere, vt vero similiter præsumatur mariti obitus, *cap. cum per bellicam* 34. *quæst.* 2. vnde lege Hispana 8. *tit.* 9. *p.* 4. dicitur, *si acaeciesse que el marido tardase mucho en la guerra, deguissa que ficiessen muchos ercer asu muger que era muerto, e se casase con otro no la podrian acusar de adulterio, ea escusa el no saber.* Vbi clare dicitur quod ea certitudo requiritur, vt aliquis cõiugum habeat hanc credulitatem, vt alteri in foro conscientiæ nubat, quæ sufficit, vt generetur bona fides in contrahente, ad celebrandas secundas nuptias, quamuis vt iudex Ecclesiasticus licentiam concedat, ad eas celebrandas, maior longe certitudo exigatur, *cap. in præsentia de sponsal. cap. Dominus de secundis nupt.* Secundo modo potest haberi hæc credulitas, ex reuelatione facta, vel ipsi coniugi, vel alteri personæ, quæ sanctitate fulget, & id dicit personæ, quæ nubere desiderat.

2 Hoc supposito † certum est quod, quum quis coniugum ex coniecturis humanis probabiliter iudicauit, alterum obiisse, habeatque credulitatem prudentem bonaque fide contraxit cum secundo, quod adueniente primo marito, qui contra opinionem probabilem superuiuebat, iste nequit diuortiari ciuiliter, nec vxorem dimittere, sed tenetur cum ea residere, etiamsi de secundo matrimonio filios habuerit, & non de primo; vnde minus quit, eam criminaliter accusare, est expressum in iure vtroque *cap. per bellicam cit. & leg. vxor* 7. *Cod. de repud. & lex Hispana cit.* ratio est perspicua, quia † in tali casu non est adulterium 3
formaliter, cum non sit peccatum, à quo excusat credulitas prudens de morte mariti dum commiscetur marito secundo, imo si putans prudenter maritum mortuum si non nubat, sed alteri commisceatur, est peccatum mortale, & simplex fornicatio, non tamen adulterium, quia prudenter se solutam iudicat à lege viri, vnde propter hanc fornicationẽ non potest dimitti, quia per illam non fecit iniuriam marito, quum non habeat malitiã adulterij respectu prioris mariti, quod non committitur absque dolo; vnde certum est quod accedens ad cõiugatam iudicans probabiliter esse solutam vel inculpabiliter ignorans esse coniugatã, non potest puniri pœna adulteri, vt habetur *leg.* 5. *tit.* 17. *p.* 7. & tenet Castillo *leg.* 82. *Tauri, n.* 8. quæ omnia benè digessit Sanchez *lib.* 10. *disp.* 5. *num.* 12. † secundus tamen ma- 4
ritus, qui reipsa non est talis, sed putatiuus, si vxor sua etiam putatiua fornicetur cum ista fornicatio habeat malitiam adulterij, potest eã, & ciuiliter & criminaliter accusare, quod si alter maritus, lite pendente compareat, cessat omnino vtraque accusatio, quæ fundabatur in præsumptione, quæ euanuit patefacta veritate, vnde illud adulterium fuit tale coram Deo non tamen punitur pœna lata, vel à iure Canonico, vel ciuili, & † maritus secundus comparente 5
primo, non habet ius ad accusandam fœminam, siue ciuiliter, siue criminaliter, quia iam amisit titulum mariti.

Maritus vero primus † etiamsi post sciat 6
vxorem sub potestate posterioris mariti putatiui adulterium commisisse non potest eam repudiare, sed tenetur cum ea residere, quia cum ipse putaretur mortuus, illi non est illata iniuria fornicando, ita sensit Sanchez, *vbi supra num.* 12. *in fine*, sed ego de hoc valdè dubito, quia licet hæc fornicatio non sit infecta malitia adulterij, contra priorem maritum, qui mortuus iudicatur prudenter, vt diximus, tamen reipsa illicitè diuisit carnem suam cum alio fornicando, cum reipsa sit vna caro cum illo; ergo quamuis ignorantia facti excuset à malitia adulterij contra priorem maritum, iste potest iuste recusare, cohabitare, & residere cum illa, quia iniustè diuisit carnem suam cum alio, imo in hac illicita dimissione fundatur iniuria mariti, quare semper, quod prior maritus scit certo, quod vxor sua est fornicata, accrescit illi infamia si illi adiungatur, quæ se ab ipso illicitè diuisit re ipsa & cum alio facta est vna caro, & sic per talem fornicationem illicitam, matrimonium, quod reipsa subsistit, polluit & ipse inhabilem se reddit, nisi ipsam reconciliet maritus sibi, etsi animum non habuerit marito, quem mortuum esse iudicat offendendi, argumento *ex leg. qui sacorum* 45. *dist.* 50. *cap. eos vero* 42. *eadem.* ex Concilio Ancyrano *cap.* 22. *& cap. si fœmina* 43. ex Concilio Eliberitano *cap.* 5. *&* 9.

Circa secundum modum sciendi, quod
7 † maritus sit mortuus per reuelationem ab effectum licitè contrahendi cum alio, mihi indubitatum est, quod hæc reuelatio nisi sit approbata ab Ecclesia non generat credulitatem prudentem humanam, sed diabolicã illusionem, quare illi nullatenus assentiendum, etiamsi reipsa veritatem dicat, quia quousque Ecclesia declaret veram esse talem reuelationem semper præsumitur diaboli, qui est Pater mendacij & illi nullatenus credendum ad effectum contrahendi matrimonium sicut non est credendum reuelationi, quod Religiosus solemniter professus matrimonium contrahat, quæ reuelatio, nunquam est probabilis cum opponatur legi vniuersali Ecclesiæ, vt alibi monstraui. *tract. de delictis gener. suspect. in fide*
8 *Ref.*... † quæ ratio etiam conuincit in præsenti cum sit lex Ecclesiæ, quod sine certo nuntio de morte mariti non possit secundum matrimonium celebrari, aut cum certitudine, aut probabilitate genita ex coniecturis humanis, & prudentibus, qualis nunquam censenda est, hæc reuelatio facta cuicunque etiam sanctitate fulgenti; nisi talis reuelatio sit opprobata ab Ecclesia alias periculum est vt nouæ reuelationes quotidie fingantur, vel ad matrimonia contrahenda à religiosis professis, vel ad nouas doctrinas introducendas.

§. V.

Trutinatur quarta exceptio, si latenter cognita est ab alio sub specie viri lectum subintrante.

SVMMARIVM.

1. *Lecti subintratio adulteri sub specie & simulatione proprij viri quomodo fiat.*
2. *Multorum DD. opiniones afferuntur.*

HÆc † lectuli subintrato adulteri sub 1
specie, & simulatione proprij viri, vel fit ab aliquo homine, qui speciem mariti assumit, quæ sufficiat ad decipiendam fœminam, vel fit à Dæmone incubo, qui assumpto corpore aëreo, omnino similis marito in membris & loquela, & aliis circumstantiis apparet, ita vt simulet ossium duritiem, carnis molliciem, suauitatem, & teneritudinem partium, suaue caloris temperamentũ, ita vt non solum visibilem se reddat marito similem, sed etiam teneritudine & aliis actibus palpabilem, vt tradunt Caiet. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. §. *in eodem* Delrio *lib.* 2. *Magiæ qu.* 28. *sect.* 1. *& Tho.* 1. *p. quæst.* 51. *art.* 3. expositores
cum Caiet. *ibi*, quamuis enim ordinariè incu- 2
bus non eam delectationem adferat, qualem adfert homo, vt tamen potest, si vult omni sua caliditate vti, eandem causare, aut paulo minorem, quia deficit illi concursus cælestis, quæ iuuat ad delectationem, quam habent mox & fœmina in congressu, nam *sol & homo generant hominem*, Dæmon enim etiam in corpore assumpto, non subditur influxui cælesti, etsi corpus, quum mouetur, quantum ad motum localem cælo subsit, sicut cætera corpora.

SVBRESOLVT. VI.

Examinatur, de subintrante homine simili proprio marito.

SVMMARIVM.

1. *Duo veniunt notanda circa difficultatem de viro subintrante simili proprio marito.*
2. *Vrbani II. sententia.*

IGitur si agamus de illa quæ cognita est, ab alio homine sub specie viri sui lectum subintrante, in decreto est textus ex Concilio Triburiensi relatus, *in cap. in lectum* 34. *quæst.* 2. vbi † duo statuuntur primum in lectum mariti absente vxore, soror ibi vxoris, quam ille putans vxorem suam esse, dormiuit cum ea, legitimum suum coniugium habere permittatur. Secundùm, si ipse per securitatem verum, hoc probauerit, quod inscius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem, quæ sibi inducta fuerit agat. Ratio primi est, quia bona fide accessit sicut Iacob accessit ad Lyam putans, esse Rachelem Genes. 29. *num.* 18. quæ bona fide sicut excusauit à culpa adulterij, & fornicationis, ita à diuortio, quod in pœnam illius est inductum à Christo, & notat Glossa *ibi*, quam sequuntur Canonistæ, quod secura

probatio huius ignorantiæ est per iuramentum, quia testes esse non possunt de huiusmodi actu, *cap. extraordinaria. 35. quæst. 3.* vbi Glossa *verb. sacramentis*, sed cur si iste excusatur à culpa, præcipitur, quod agat pœnitentiam sibi iniunctam? nam pœnitentia non imponitur Innocenti, nunquid Iacob meruit, vt ei pœnitentia iniungeretur propter inculpabilem accessum ad Lyam putans inuincibiliter esse Rachelem? Glossa *ibi. verbo. pœnitentiam.* dicit hoc determinari ob maiorem cautelam, ne disciplina Ecclesiastica deseratur argumento *ex cap. excommu-*
2 *nicatorum. 23. quæst. 5.* quod est Vrbani II. † ad Godefredum Lucanum Episcopum, vbi eos qui quosdam excommunicatos interfecerunt. *Zelo Catholicæ Ecclesiæ ardentes etsi eos liberet ab homicidio, & non esse homicidas declaret, ne tamen eiusdem Matris Ecclesiæ disciplinæ deseratur, modum tamen congruæ satisfactionis iniungere præcipit, si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint.* Iacob autem speciali dispositione diuina id fecit.

SVBRESOLVT. VII.

Perpenditur de Dæmone incubo.

SVMMARIVM.

1. *An cum dæmon incubus ingreditur lectum vxoris nequeat maritus eam dimittere.*
2. *Multorum Doctorum sensus afferuntur.*
3. *An si fœmina ex Dæmone incubo qui semen fœcundum intulit fœtum generet consentiens congressui Dæmonis, possit dimitti.*
4. *Dubium venit dissoluendum.*
5. *Quis incubitus & succubitus non sit sufficiens ad diuortium.*
6. *Quò tendat matrimonium.*
7. *D. Caiet. sententia.*
8. *An Sodomia exercita cum vxore inuita non sit causa sufficiens diuortij perpetui.*
9. *Quæ non sit iusta causa diuortij ex Sanchez.*
10. *An oscula & tactus impudici etiam cum animo perueniendi ad adulterium habiti, eo non secuto, non sint causa diuortij.*
11. *An diuortium & vxoris dimissio non sit pœna lata.*
12. *Authoris iudicium.*
13. *Abulensis sententia adducitur.*
14. *An per fornicationem & adulterium proprium solum prætereatur id quod est secundum rationem rectam determinatam.*
15. *An sodomia non repugnet immediatè matrimonio.*
16. *Sodomitæ an semper abeant in carnem alteram.*
17. *In ordine ad diuersa principia distinguit species luxuriæ contra naturam S. Thomas.*
18. *Diuortium est pœna statuta à Christo ob adulterium.*
19. *An propter vitium contra naturam procedi possit ad diuortium.*
20. *Qui actus dicatur libidinosus & non respiciat matrimonium.*

CIrca secundum, quum † dæmon incubus ingreditur lectum vxoris, aut incubus lectum mariti, si sine culpa fit nequit vir dimittere vxorem, aut vxor virum propter eandem rationem, si tamen viro, aut vxore cõsentiente id fiat, (quam *quæst.* apud nullum disputatam legi,) an vxor quæ rem habuit cum Dæmonio incubo possit à marito dimitti? & quidem congressus iste cum Dæmone dupliciter fieri potest. Primò, quod Dæmon corpus aëreum assumat, in quo sint virilia membra, euanida omnino, & solum deseruiat ad agitationem fœminæ, vt venus sua adimpleatur. Secundò, quod Dæmõ semen humanum verum ad homine surripiat, & deferat ad os vuluæ, quod adhuc dupliciter fieri potest, aut taliter, quod ex illo semine allato à Diabolo fœtus concipiatur, quod fieri posse communis sententia adseuerat † cum D. Thom. 1. *p. quæ. 51. ar-* 2
tic. 3. & quæst. 63. art. 4. & alibi D. Aug. *lib. 3. de Trinit. ca. 5. Caiet. 2. 2. quæst. 95. art. 3.* Scholastici *in 2. dist. 8.* vbi Bonauent. *art. 3. quæst. 1.* Carthus. *quæst. 2.* & latè prosequitur Delrio *lib. 2. Magic. quæst. 15.* & Serarius *ad cap. 6. Tobiæ.* contra quendam Ambrosium Parcum *lib. 34. de monstris cap. 16.* aut ex allato semine, quia euanidum & frigidum aduenit fœtus non generatur, intromittitur tamen in vulua fœminæ.

Et quidem † si fœmina ex Dæmonio incubo qui semen fœcundum intulit fœtum generet consentiens cõgressui Dæmonis, nõ dubito, quod dimitti possit, & quod filius genitus sit adulterinus, voluntariè enim fœmina mediante dæmone diuisit carnem suam cum alio, illo scilicet cuius est semen allatũ, quamuis ipse inscius, & innocens sit, & nullo modo peccauerit, sicut si mulier voluntariè se commisceat cum amente & nõ habente rationis vsum, dubio procul dimitti potest, etiam si amens non peccauerit, si vero semen, quoad adfert Dæmon euanidum sit, & iam emortuum & incapax iam ad fœtum generandum non commiscetur fœminæ, nec fit vna caro cũ illo cuius est semen, nec diuidit se in alium, sicut si habeat rem cum spadone, aut vir cum fœmina mortua, aut vir non seminet, etiamsi penetret vas muliebre

muliebre, de omnibus enim istis pariter discurrendum est.

4 Maius dubium superest †, si Dæmon solum assumpta forma fœminæ sit succubus cum marito, aut assumpta forma viri sit incubus cum vxore, an propter istum incubitum & succubitum possit vir dimittere vxorem, & vxor virum, nullus quem viderim hoc punctum tetigit, quare ducendus est ex principibus vniuersalibus, nec enim casus est methapysicus, & qui nõ semel possit contingere, & eius doctrina ad praxim moralem deseruire, si enim iste congressus cum dæmone est sufficiens causa ad diuortium, nequibit in conscientia congrediens alterum coniugem accusare ciuiliter aut criminaliter, nec acquirere dotem & alia bona, iuxta dicta in superioribus; si autem congressus iste non est sufficiens causa diuortij, vtique altero coniuge adulterante, poterit illum & ciuiliter & criminaliter accusare.

5 Igitur quod † iste incubitus & succubitus non sit sufficiens ad diuortium ex eo videtur probari, primùm, quia incubitus & succubitus cum dæmone est congressus contra naturam, non secus ac pollutio etiam cum tertio, sodomia, & bestialitas, atqui isti congressus non sunt sufficientes vt vir dimittat vxorem, ergo nec incubitus cum Dæmone consequẽtia videtur manifesta, quia incubitus iste nõ est aliud quã pollutio voluntaria, cum illo corpore aëreo ac si esset cum marmorea statua, ista autem pollutio non est sufficiens ad diuortium, & vxoris dimissionem, cum non diuidatur, quia per pollutionem non diuidatur caro mulieris in alium virum, cum quo non fit vna caro per seminum commixtionem, vt enim notat Sanch. *lib. 10. disp. 4. num. 3. vers. ratio ergo legitima* ex Soto *in 4. dist. 36. quæst. vnica vers. vtrum & art. 4. immediate ante secundam concl.* ma-
6 trimonium eo tendit vt efficiantur coniuges vna caro *nam erunt duo in carne vna*, ille violat consummate, & perfecte fidem matrimonij, quæ carnem suam in alium, vel in aliam diuidit si sit vir, at caro non diuiditur nisi per seminum viri & mulieris commixtionem, quare pollutionem etiam cum tertio non esse sufficientem causam, vt vir dimittat vxorem, tenet multis citatis Sanchez *num. 9.* Sodomiam etiam propter eandem rationem non esse ad id sufficientem tenet Innocentius *cap. 1. de adulteriis num. 1.* dicens suo tempore esse communem, & sequuntur Abulensis *ad c. 5. Matth. quæst. 233.* & alij quos citat Sanchez.

Secundò, videtur expressa D. Caiet. 2. 2. *quæst. 154. art. 12. §. ad primum dubium vers.*
7 *quo circa* dicentis † *concubitus contra naturam cum aliena vxore consanguinea, & habente votum castitatis, non est proprie adulterium, nec proprie incestus, quia omnes species luxuriæ naturalis significant deformationem in concubitu naturali sicut simitas curbitatem in naso, & propterea ex huiusmodi circunstantiis, non incurruntur pœnæ adulterorum, & incestuosorum,* quid clarius? diuortium enim vt supra vidimus ex D. Thom. & certa sententia, est pœna adulterij, ergo celebrari nequit nec vir vxorem dimittere, in perpetuum propter sodomiam, & alia peccata luxuriæ contra naturam, nec etiam propter incubitum, & succubitum cum dæmone.

Tertiò, quia † Sodomia exercita cum 8
vxore inuita non est causa sufficiens diuortij, nisi ad tempus quo vsque vir desistat à vitio illo pessimo, vt tenet Sanchez multis citatis *num. 8.* quia vir non diuidit per hanc copulam carnẽ suam in alium, atqui etiamsi sodomia exerceatur cum alio ab vxore pariter non diuidit carnem suam eam vnam faciendo cum patiente, sed solum perdit semen debitum vxori, sicut perdit per pollutionem cum tertio, aut per molliciem, per quam non diuiditur in alium, cum non fiat cum illo vna caro, quia non fit commixtio, & vnio seminum in matrice fœminæ.

Quartò, quia vt bene Sanchez *num. 14.* 9
non est † iusta causa diuortij & separationis à residentia coniugis concubitus intra vas cum fœmina, aut bestia mortuis, quia non est proprie fornicatio, nisi æquinoce, sicut homo mortuus æquiuoce dicitur homo, & sicut concubitus cum statua mulieris, & sic non est vere diuisio carnis in aliam, ergo similiter incubitus, & succubitus cum dæmone.

Quintò, quia vt egregie probat idem Thom. Sanchez *num. 12.* † occula & tactus 10
impudici etiam cum animo perueniendi ad adulterium habiti, eo non secuto, non sunt causa diuortij, nisi ob alias circunstantias probatas, præsumatur adulterium præcessisse, imo *num. 13.* quod etiamsi vas muliebre penetretur, si semen intra illud non emittitur non est causa iusta diuortij, nec ad dotis amissionem, quia fundamentum & radix diuortij est carnis in aliam diuisio, quæ in his casibus, non reperitur, ergo nec incubitus & succubitus cum Dæmone habitus.

Sexto, quia diuortium & vxoris dimis- 11
sio & releuatio ab obligatione residentiæ, est pœna lata, at pœnæ tantum comprehendunt delicta ob quæ statuta sunt, non tamẽ alia quamuis grauiora, aut æque grauia, quia pœnæ impositio omnino solum pendet à voluntate legislatoris illam taxante quæ volũtas est detrata ad hanc pœnam, propter hoc delictum, vt bene Castro *lib. 1. de leg. pœnal. cap. 7. docum. 3.* Molin. *tom. 1. de instit. tract. 2. disp. 176. §. quarto.* Ergo quum diuortium

latum sit solum in pœnam, quia caro vxoris in aliam est diuisa, vbi ista diuisio non est, neque erit sufficiens causa diuortij & absentiæ à residentia matrimoniali.

12 Propter hæc existimo primo, quod † succubitus, aut incubitus dæmonis non est causa sufficiens ad diuortium perpetuum, siue vt coniux aliquis accusetur de adulterio, siue ciuiliter, siue criminaliter, ad dotis amissionem hoc ad minus probant manifestè ea quæ induximus fundamenta, dixi de adulterio, quia coniux qui scit alterum esse succubum, aut incubum tenetur denunciare sancto officio Inquisitionis, tanquam suspectum de fide.

Existimo secundo hos dæmonis carnales congressus esse sufficiẽtem causam ad thori dimissionem, & ad hoc, quod denegetur ad tempus debitum coniugale, vt fraterne corrigatur; qui sic congreditur cum dæmone; sicut etiam est sufficiens causa quodlibet peccatum carnale contra naturam, siue sit pollutio, siue sodomia, siue bestialitas, quæ non sufficiunt ad diuortium perpetuum & ad causationem criminalem siue ciuilem de adulterio, siue vt pœnæ debitæ adulteris infligantur. Hæc est expressa sententia Domini Caiet. *loco cit. in argumento secundo*, tenent doctissimus Aluarus Pelagius

13 *de planctu Ecclesiæ lib. 2. art. 2.* Abulensis *vbi supra*, qui ita fatur. *Non potest dimitti vir propter aliquod istorum, nisi fuerit vera fornicatio. Ratio est, quia Christus solum casum fornicationis posuit & accipitur ibi fornicatio pro adulterio, scilicet quum alter coniugum alicui extra matrimonium commiscetur, ista autem crimina prædicta sunt deteriora, quam adulterium, & tamen non sunt adulterium, nec etiam repugnatur ita directè matrimonio per illa, sicut per adulterium.* Hæc ille & explicat Illustrissimus Petrus de Brixano Episcopus Cauriẽsis *ad cap. 19. Matth. quæst. 25.* duplex fundamentum offert Abulensis. Primum, quia Christus solum posuit causam diuortij perpetui fornicationem propriã, quæ est adulterium proprium, at nullum peccatum contra naturam est propriè fornicatio, aut adulterium propriè, sicut nec est stuprum, aut incestus, ergo pœna adulterij proprij, illis non debet applicari, atqui priuatio iuris in corpus alterius est pœna à Christo lata; ergo solum propter adulterium proprium est infligenda, quia vt dicebam ex certa sẽtentia, pœna lata nõ debet extendi ad aliud, quam ad id ad quod Legislator taxat, quod autem peccatum contra naturam etiam Sodomia, siue virorum inter se siue cum fœmina, siue fœminarũ inter sese non sit propriè fornicatio, neque adulterium est euidens, sed est vitium contra naturam, vt probat Sanct. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art. 12.* & ibi D. Caiet. quia † per fornicationẽ & a- 14
dulterium proprium solum præteritur, id quod est secundum rationem rectam determinatum, ex præsuppositione tamen naturalium principiorum, at per peccatum & vitium contra naturã transgrediuntur principia determinata ad generationem, quod licet sit grauissimum, & turpissimum, violatur enim ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet cum natura, cuius ipse est author libidinis peruersitate polluitur, vt ait Augustinus *lib. 3. confess. cap. 8.* & sic non est propriè fornicatio & adulterium, quod solum Christus in lege Euangelica causam perpetui diuortij.

Secundum fundamentum est, quia † licet Sodomia & alia repugnent principiis naturalibus generationis & sint luxuriæ libidinosæ species, at non repugnat immediatè 15
matrimonio quatenus per illud vir & vxor fiunt vna caro, ex vi cuius vir habet potestatem in corpus vxoris & ista in corpus mariti, quod ius non amittitur nisi per diuisionem huius vnitatis. Hæc autem diuisio non fit nisi per hoc quod vir cum altera & vxor cum altero fiat vna caro, quod tunc fit quum semen viri & vxoris commiscentur, vt egregiè adnotauit D. Caiet. *art. 12. cit. §. ego autem*, vbi id mirabiliter enodat, dicens, *quod sicut animatum componitur ex anima & corpore, ita semen ex virtute formatiua, & primo subiecto, & quoniam maris constat esse agere & fœminæ pati, constans est, quod principium actiuum ex parte maris sit semen, & primum principium passiuum ex parte fœminæ sit semen, & sic ex vtroque fiat integrum semen.* Vnde semen vtriusque sitque vtriusque caro, vterque coniux per seminum commixtionem fiunt vna caro in ordine ad prolem generandam, quæ vnitas non aufertur per copulam sodomiticam, bestialitatem etiam inter viros, aut fœminas, vel cum alio, aut alia vel inter sese cum in hoc vitio non sit vnum semen factum ex actiuo viri, & passiuo fœminæ, & sic semper manet ius in viro ad corpus fœminæ sibi vnitum & nõ diuisum, &c. vnde † Sodomitæ semper abeunt 16
in carnem alteram, vt ait B. Iudas Apostol. in sua Canonica *n. 7.* quia vt exponunt Glossa Interlinealis, & Ordinaria, Lyra, D. Th. œcumenius. Cornelius à Lapide, & omnes, *in carne altera, idest masculorum*, quæ est altera & indebita concubitui, caro enim viri & caro mulieris est vna, sed caro masculi est aliena & diuersa ab illo opere & quæ generationis gratia non prodest, aiunt Diuus Thomas & œcumenius, qui aliud magnum scelus enarrat ex Epiphanio *in Panario*, eorum qui semen proprium non in vuluam, sed in os mulieris immittebant, & latinè dicitur *fillare*, quod an sit species

species luxuriæ contra naturam alibi dixi.

17 Hinc est quod D. Thom. † in ordine ad diuersa principia distinguit species luxuriæ naturalis, & species luxuriæ contra naturam, has enim distinguit *art. 11.* ex diuerso modo repugnantiæ ipsi ordini naturali venerei actus. Pollutio quia sine omni cõcubitu causæ delectationis venereæ procuratur. Bestialitas quia fit per concubitum ad rem non eiusdem speciei. Sodomia, quia fit per concubitum ad non debitum sexum, vt masculi ad masculum, & fœminæ ad fœminam, & tandem cum non seruatur modus concũbendi, aut quantum ad istrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos & bestiales concũbendi modos. At species naturalis luxuriæ distinguit *art. 1. eiusdem quæst. 154.* in ordine ad finem matrimonij, quia non obseruantur debitæ conditiones, in ordine ad illud, vt generatio prolis fiat vt oportet, & concubitus maris, & fœminæ, qui est actus venereus licite

18 fiat, vt supra explicatum est, vnde † cum diuortium sit pœna statuta à Christo ob adulterium, quia istud opponitur matrimonio directe, non concubitus contra naturam quod licet grauius sit quam pollutio & mollities non magis opponitur matrimonio quam ista, per vtrumque enim perditur semen quod lege matrimonij est vxoris ad generationem fœtus, sicut pollutio cũ tertio vel mollities non est causa sufficiens perpetui diuortij, ita neque sodomia & ita intelligo D. Thom. *in 4. dist. 35. q. vnica art. 1.*

19 *ad 4.* dum absolute dicit quod † propter vitium contra naturam potest procedi ad diuortium intellige temporale, non perpetuum vt scilicet coniux hoc vitio laborante emendetur, & corrigatur, eodem modo intelligi possunt plures ex auctoribus, quos adducit Sanchez *num. 3.* quamuis enim omne vitium contra naturam inferat maiorem iniuriam, tum naturæ ipsi, tum auctori ipsius naturæ, non tamen infert maiorem iniuriam matrimonio vt falso putant auctores

20 contrarij, quia † est actus libidinosus, nullatenus respiciens matrimonium cum non sit ordinatus ad generationem prolis quam respicit matrimonium, vnde vitium contra naturam prout comprehendit mollitiem, sodomiam, fellationem, & bestialitatem, opponitur modo naturali concũbendi prout abstrahit ab illicito, & licito, & species luxuriæ naturalis distinguũtur in ordine ad modum licitum, concũbendi, qui solus est, per matrimonium, vnde vel omne vitium contra naturam debet esse sufficiens causa ad diuortium de quo loquitur Christus *Matth. 19.* vel nullus, primum non est verum ergo secundum adfirmandum.

§. VI.

Expenditur quinta exceptio, si fuerit vi oppressa ab aliquo.

SVMMARIVM.

1. *An si vxor vi fuerit oppressa, cum sit libera à culpa, sit etiam libera à pœnis adulterij.*
2. *Ius indistinctè dicit vxorem non esse ream adulterij quæ fuit coacta.*
3. *Dubium venit dissoluendum.*
4. *An metus conditionalis excuset mulierem à pœnis adulterij.*
5. *An adulterium respectu legis non committatur siue dolo.*
6. *An non solum metus illatus excuset à pœna, sed etiam pudor.*
7. *An vbi requiritur dolus, culpa non sufficiat.*
8. *Authoris iudicium.*

CErtum est, quod † si vxor, tanta vio- 1
lentia sit oppressa, vt nullam libertatem oppressor ad resistendum, relinquat, quod cum sit libera à culpa, est etiam libera à pœnis adulterij *cap. ita cap. proposito. 32. q. 5. leg. vim passam D. ad leg. Iuli. de adult.* quod intelligit Sanchez *disp. 5. cit. num. 14.* etiamsi mulier causam dederit violentiæ, non credens marito monenti fugam, ne hostium aduentu vi opprimeretur, quia † ius indi- 2
stincte dicit non esse ream adulterij, quæ coacta fuit, & non potuit prohibere; quam doctrinam veram existimo de causa remota quæ proxima non influit in violentiam, & coactionem, secus vero si causa, & occasio in qua mulier se constituit sit proxima, se constituẽs in proximo periculo vt cogatur, nam voluntas, se constituendi in hac occasione proxima influit in coactionem, quare ista est voluntaria, & non coactio, & sic est rea adulterij, & sic ego intelligo Cantera. *in quæst. crimin. tangentibus punitionem delicti cap. 4. num. 49.*

Sed † dubium est an sicut excusat vio- 3
lentia, ita excuset metus cadens in constãtem virum, vt metus mortis ita vt vir accusare, nec ciuiliter, nec criminaliter possit vxorẽ, quæ metu istoi sinit se fornicari, eamque dimittere? & quidem quantum ad culpam certum est peccasse, quia metus etiam mortis non aufert voluntarium sufficiens ad peccatum, & prius debere mori millies, quam fornicationi consentire; quare solũ est dubium quãtũ ad pœnã diuortij & absentiæ à residentia matrimoniali. Adfirmat Sanchez *vbi supra num. 16.* multis citatis, sed ego contrarium verius existimo quod egregie docuit & confirmauit Syluester *verb. adulterium num. 10. quæst. 9.* qui non est

est sibi contrarius *verb. diuortium quæst. 9. dicto* 4. in quo loquitur de metu parentum & instantia consanguineorum, quæ non sunt cadentes in virum, aut fœminam constantem, sicut est timor mortis, qui licet non excuset à peccato adulterij, excusat tamen à pœnis iure ciuili & canonico inductis adulteris, quamuis possit diuortium celebrari quod est pœna posita à Christo Domino ob culpam adulterij, & quantum ad hoc non assentior Sylvestro, sed communi sententiæ, quam cum multis tuetur Sanchez vt dixi.

Quia tamen Sylvester ex sententia Canonistarum grauissime loquitur & efficaciter probat meam sentẽtiam verba eius quibus argumenta valde vrgẽtia proponit hæc
4 sunt, sic enim ait. *Nono v.* † *metus conditionalis excusat mulierem à pœnis adulterij? & dicit Panormitanus in consilio* 4. *quod incipit in facti contingentia. Quod si mulier est passa violentiam vi præcisa indubie pœnam pati non debet, quinimo neque vllam peccati maculam contraxit, sed si vis, aut metus fuit conditionalis, licet contraxerit peccatum, & digna sit aliqua pœnitentia, quia ad minus affuit aliquis consensus, pœnam tamen adulterij pati non debet, & sic dote priuari non debet, & consortio mariti, quod probatur expresse in leg. vim passam, & in leg. si vxor §. si quis el segundo. ff. D.*
5 *de adulteriis, & ratio est* † *quia adulterium respectu legis, non committitur sine dolo, licet interueniret aliqualis culpa, vt notabiliter probatur in leg. penult. D. de adult. Item est iuncta glossa final.* 34. *quæst.* 1. *cap. in lectum &* 15. *quæst.* 1. *cap. inebriauerunt, & iura procedunt in metu conditionali, vt apertissime sentit glossa* 32. *quæst.* 2. *cap. proposito alias incipit Lucretiam.*

6 *Addit autem Panormitanus* † *quod non solum metus illatus excusat à pœna adulterij sed etiã pudor & verecundia in clamando, maxime noctis tempore à viro præsertim potenti oppressa, quia ibi cessat dolus qui requiritur ad pœnam adulterij incurrendam. Et hoc notabiliter probatur in dicto cap. Lucretiam iuncta glossa & vera facti contingentia, quia illa lucretia nobilis & pudica propter istam ignominiam, & confusionem vitandam exposuit se libidini filij Tarquinij Regis, neque fuit iudicata adultera ab Aug. viro Sanctiss. & doctissimo, sed de castitate mentis commendata, vt ibi intelligit glossa & bene, quod licet quoad Deum non fuerit immaculata, quia coacta voluntas non excusat in maleficiis, sed debet quis prius omnia mala pati, quam consentire peccato, tamen excussa fuit ab adulterio quoad pœnam legis, cum*
7 *non committatur sine dolo. Ad hæc quia* † *vbi requiritur dolus non sufficit culpa leg.* 1. *D. de sicar. notatur in leg. in act. D. de in luem iur. & leg. quod Nerua. D. deposit. ad incurrendum autem pœnam adulterij requiritur dolus qui per metum excluditur, & ita videtur firmare Bartho. in d. leg. quod Nerua, & etiam quoad pœnã pecuniariam, lata culpa non æquiparatur dolo, vbi lex expresse dolum requirit, & idem sentit glossa in leg. magna negligentia D. de verb. sign. & sic licet hic non agatur criminaliter ad pœnam adulterij, ex quo tamen agitur ad pœnam non sufficit illa culpa sine dolo præsertim cum agatur ad grauem pœnam, vt scilicet perdat patrimonium suum, leg.* 3. *D. de min.* Hactenus ibi, quam sententiam probabilem iudicat Sanch. *n.* 15. *in fine.*

Sed ego † vt dixi longe probabilior est 8
de pœnis leg. ciuili & canonica, tamen de diuortio quoad ius reddendi debitum, quia quantum ad hoc potest dimitti à viro etiam petendo diuortium, tamen iudex si secundũ allegata est probata cognouerit vxorem metu graui coactam ad permittendum fornicationem, nequit sententiam legis illi applicare, neque dotem potest in conscientia retinere vir, & quidem huius sententiæ fuisse S. Aug. *lib.* 1. *de ciuit.* manifeste constabit legenti *cap.* 17. id que bene ostendit ibi Leonardus Coqueus, quare Sanchez nihil ad Aug. respondet, & ea quæ adducit contra nostram sententiam efficacia non sunt, quãuis enim secundum canones sit hoc adulterium, quia est culpa mortalis; ad pœnam legalem canonis non meretur, & magis standum est Aug. quam aliis.

§. VII.

Extricatur sexta exceptio, si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens.

SVMMARIVM.

1. *Quæ reconciliatio possit fieri dupliciter.*

GRauis est hæc exceptio, & quæ in ordine ad obligationem residendi coniuges matrimonialier plura continet scitu digna praxim concernentia & attigit vniuersa Thomas Sanchez *lib.* 10. *disp.* 14. etsi non in omnibus attigerit veritatem etsi consequẽter ad sua loquatur principia, igitur † reconciliatio hæc dupliciter fieri potest aut 1
expresse verbis, explanans qui est innocens quod condonat iniuriam sibi ab adulterio factam, quam adulter acceptat, aut fit factis reconcialitiuis amicitiæ, & amoris coniugalis, vt copula, osculis, retentione maritali in domo cohabitando, & corresidendo in mensa, lecto, & aliis coniugum concernentibus affabili loquela, fœmina disponente quæ sibi obtingunt jn dispositione familiæ, & viro quæ sibi incumbunt, factis enim non minus quam verbis animus indicatur

leg.

leg. si tamen. 48. *ff de Ædil. edict. quamuis factis animus tacitè monstretur, verbis autem expresse declaretur.*

SVBRESOLVT. VIII.

Vt adultera non possit accusari requiritur, quod innocens externo signo remittat iniuriam.

SVMMARIVM.

1. *Ad hoc quod innocens possit accusare adulteram quid requiratur.*
2. *Licet per adulterium non dissoluatur matrimonium auferatur impedimentum quo adulter nequibat petere.*
3. *An sola voluntate interna mente retenta sufficiat, vt adulter liber à pœna lege statuta.*
4. *Quandonam innocens non possit ciuiliter aut criminaliter adulterum accusare in foro animæ.*

NOto primò, contra Thom. Sanchez *vbi*
1 *supra n.* 2. quod † ad hoc, quod innocẽs non possit accusare adulteram, siue ciuiliter, siue criminaliter, non sufficit, quod mẽtaliter & interius remittat iniuriam adultero, sed necessarium est, quod aliquo actu exterioris tacitè, vel expresse se condonare injuriam significet, ita quod si hanc voluntatem exterius non monstret potest illam reuocare, & adulterum ciuiliter, & criminaliter accusare. Hoc mihi persuadeo, primò ex argumento quo vtitur ipse Sanchez, quia licet, quum ex mea cessione ius tertio acquiritur, nulla sit opus acceptatione huius tertij, sed sufficit cessio proprij iuris, vt constat in repudiatione hæreditatis, quæ eo ipso, quod repudietur etiã occultè obuenit substitutio, *leg. sicut maior. C. de repud. hæreditatis*, quamuis inquam non requiratur acceptatio substituti, qui statim acquirit ius ad hæreditatem repudiatam, ita vt hæres qui repudiauit non possit iam illam adire in conscientia eo ipso, quod exterius manifestauit repudiare, tamen quis vnquam dixit, quod si quis *sola mente*, repudiauerit hæreditatem repudium non manifestans exterius acquiratur ius tertio, & iam ampliùs non possit adire, qui fuit hæres constitutus, cum enim lex illa humana sit non respicit, imo nec respicit, imo nec respicere potest actum merè internum, vt constat in pœnis latis propter hæresim, quæ non incurruntur per hæresim mentalem, ergo idem dicendum est, in nostro casu, quod adultera non acquirit remissionem iniuriæ per solam condonationem factam sola mente nisi exterius sit propalata.

Secundò, quia † licet per adulterium non 2
dissoluatur vinculum matrimonij, nec extinguatur & euanescat radix petendi debitum & potestas licitè coeundi etiam celebrato diuortio, sed solum manet potestas ista impedita per voluntatem innocentis volentis vti iure, quod habet ad dimittendam vxorem, eamque accusandi ciuiliter, & criminaliter, & sic eo ipso, quod innocens vult non vti iure diuortij aufertur impedimentum, quo adulter nequibat petere, quamuis inquam hoc, ita sit & hoc argumento probetur, quod non requiritur acceptatio huius remissionis, tamen omnino falsum est, quod † sola voluntate interna 3
mente retenta sufficiat, vt adulter liber sit à pœna lege statuta, & vt innocens non possit mutans illam voluntatem ipsum nocentem accusare, tam ciuiliter, quam criminaliter & vt intelligatur reconciliatus innocenti, quia voluntas illa est merè interna nihil exterius causans, vnde non obligatur innocens adultero, vt non possit mutare illam voluntatem, qua etsi remittatur iniuria coram Deo, at per illam non renuntiat actioni iniuriarum in iudicio externo, tam ciuili, quam criminali verum tamen est quod, eo ipso, quod innocens serio exterius proferat se remitterre iniuriam adultero, etiamsi iste non acceptet, quia absens fuit, vel quia non vult fateri acceptando, eo ipso † innocens in 4
foro animæ nequit accusare ciuiliter, aut criminaliter, quia quamuis non possit probari remissio per testes, hoc est per accidẽs & ex vi prolationis externæ suam remissionem subiecit foro externo, sicut hæreticus quantumuis occultus, si tamen externè protulit hæresim pœnas hæreticorum incurrit, quia suum actum subiecit foro externo quamuis per accidens non potest probari.

SVBRESOLVT. IX.

Si exterius remittatur iniuria, etiam sine animo tenet remissum.

SVMMARIVM.

1. *An si innocens exterius remiserit adulterò iniuriam factam sine animo & voluntate illam remittendi, & sine animo illi reddendi debitum, talis condonatio obliget innocentem in foro conscientiæ.*
2. *An qui serio promittit nequit habere animum non se obligandi.*
3. *An qui fictè contraxit matrimonium teneatur ex iustitia auferre fictionem.*
4. *Quid ex traditis sequatur, & n.* 5.
6. *An ex vi promissionis acceptatæ teneatur quis in conscientia verba exterius prolata vera facere.*

7. *Sanchez*

7. *Sanchez & aliorum sententia affertur.*

NOto secundò, contra eundem Sanch.
1 *num.* 3. quod si innocens interius remiserit adultero iniuriam factam sine animo & voluntate illam remittendi, & se obligandi ad reddendum debitum, si adulter exigat, & eam condonationem adulter acceptauit, talis condonatio obligat innocentem in foro conscientiæ. Ratio est perspicua, quia condonatio hæc & remissio iniuriæ, si serio fiat est quædam donatio, & promissio reddendi debitum coniugale, si adulter exigat, atqui donatio, & promissio acceptata à promissario parit obligationem iustitiæ sub mortali, vt ipse Thomas Sanch. adfirmat multis citatis *l.1.de matrim.disp.5.à n.*20. & est hodie indubitata sententia contra Dianam & alios, qui contrarium ausi sũt
2 tueri; rursus † qui serio promittit nequit habere animum & intentionem non se obligandi, sed eo ipso quod promittit necessario habet voluntatem se obligandi, verba enim externa promissiua ex natura sua acceptata à promissario naturalem inducunt obligationem faciendi, id quod promissum est, quam obligationem auferre à promissione externa non est in voluntate promittentis, quia non est in voluntate sua facere quod illa verba non sint vera, quia promissio vera, & side-
3 lis est ex natura sua, quare † qui ficte contraxit matrimonium tenetur ex iustitia fictionem auferre, ita, qui ficte promisit, tenetur ex iustitia fictionem promissionis auferre, & facere verba promissoria vera, sicut enim contractus de præsenti exigit veritatẽ in verbis, & obligationem ex parte vtriusque contrahentis ita promissio de futuro requirit veritatem in verbis & obligationem implendi promissum ex parte promittentis quæ obligatio imbibita est, eo ipso quod sit acceptata promissio, vt bene viderunt Vasq. *de matrim.disp.6.cap.*3. Ludouicus Turrianus *de iust.& iur.disp.*64.*dub.*15. quos citat & sequitur Legionens. *l.*12.*de matr.c.*2.*& l.*2. *c.*7.
4 Hinc est primò, quod † si innocens coram testibus remissionem iniuriæ fecerit, adulter qui remissionem acceptauit, etiamsi non habuerit animum se obligãdi, iudex tenetur ferre sententiam in fauorem nocentis iam indulti, & innocens tenetur in conscientia & lege iustitiæ adimplere promissum, quod non ex alio est, nisi quia tenetur verba sua vera facere iure naturæ, vnde qui iurat se daturum aliquid sine animo adimplendi promissum periurus est, & testem adducit Deum in mendacium, non secus, ac in iuramento assertorio, & ita sicut in isto tenetur verba assertoria vera facere, ita & in promissorio.

Secundò, fit nullo modo posse licite innocentem rogatum à iudice ad petitionem 5
adulteri an fecerit condonationem iniuriæ, non posse inquam illam negare, etiamsi non habuerit animum remittendi, cuius contrarium tenet Sanchez *disp.*14. *cit. num.*3. quia (inquit) illa condonatio est mere liberalis, nihilque innocens ab adultero accepit, vt teneatur fictam promissionem veram efficere, quo contractui stet, & æqualitas inter dantem & accipientem seruetur, & sic innocens potest negare se condonasse adultero, aut promisisse reddere debitum, si exigat, hanc enim promissionem imbibit cõdonatio hæc, verum enim vero omnino falsam existimo hanc doctrinam & multis expositam fraudibus, cum enim † ex vi pro- 6
missionis acceptatæ teneatur in conscientia verba exterius prolata vera facere, & quod obligatur ex iustitia, neque ab hac obligatione aliis titulis releuatur, sed ex eo solum quod non habuit animum se obligandi, cum hæc voluntas se obligandi sit imbibita in voluntate proferendi verba promissoria, vtique illa voluntas non se obligandi fuit voluntas quædam inefficax, quæ non euertit voluntatem efficacissimam virtualem se obligandi eo ipso quod efficaciter velit proferre verba promissoria, quæ si acceptentur, dubio procul parit obligationem iustitiæ, quare etsi condonatio hæc sit mere liberalis ante acceptationem, tamen post istam fit pactũ, & sic transiit ad obligationem iustitiæ, quam agnoscit forum externum, & sic eam debet agnoscere forum internum, quæ conformia sunt quum forum externum non nititur falsæ præsumptioni, vt late probat ipse Sanch. *lib.*1.*de matr.disp.*5. *n.*20. *versic.tandem* & D. 7
Ioannes de Carro *in opere satis erudito de hoc assumpto*, ex Couarr. *c.cum esses n.*7. *de testam.* rursus etsi innocens nihil accipiat ab adultero, non inde fit, quod non teneatur verba promissoria vera facere, etsi non habuerit intentionem se obligandi; sed potius contrariam, quia adulter ab illo accepit, & acceptauit promissionem & sic acquisiuit ius iustitiæ, sicut ex donatione liberale accepit dominium rei donatæ, eo ipso quod accepetur etsi donans habuerit animum non transferendi illud, in donatarium, eo ipso, quod habuit animum donandi in quo necessario imbibitur dominij translatio, & tenetur illi stare.

SVBRESOLVT. X.

Idem iudicium fertur si innocens habeat copulam cum adultero.

SVMMARIVM.

1. *Quod iudicium feratur si innocens habeat copulam cum adultero.*
2. *Multorum Doctorum sensus.*
3. *Quæ condonatio etsi tacita sit, non fundetur in præsumptione.*
4. *Portatio habitus professorum an non inducat professionem tacitam ex natura rei, sed ex iuris dispositione.*
5. *An copula solum causet præsumptionem non remissionem.*
6. *An si quis habeat copulam cum adultero, & non habeat animum non dimittendi, iniuriam, inducat remissionem iniuriæ etiam in foro conscientiæ.*
7. *Legis Hispanæ verba afferuntur.*

NOto tertio contra eundem Sanchez
1 *num.* 20. & 21. vbi asserit, quod † etiamsi coniux innocens carnaliter cognoscat adulterum, aut alios actus coniugales cum eo exerceat (qui quales sint notatio. 4. dicam) si tamen non habeat animum tunc condonandi iniuriam, sed habeat voluntatem oppositam scilicet non condonandi, non erit in foro conscientiæ condonatio, sed innocens poterit in conscientia adulterum etiam carnaliter cognitum post adulterium patratum accusare ciuiliter, & criminaliter. Hæc sententia huius authoris etsi consequens sit ad eam quam impugnauimus, *notat.* 2. tamen in falsitate vnius falsitas alterius clarescit, quare si innocens carnaliter cognoscat adulterum, post adulterium patratum nequit in foro conscientiæ adulterum dimittere & cum eo, non residere,
2 aut accusare ciuiliter, aut criminaliter † hæc est expressa sententia D. Thom. *in except.*6. quam enucleamus. Sanctus Bonauentura *in* 4.*distinct.*32.*art.* 2. *quæst.* 2. Sot. *distinct.* 36. *quæst.vnica art.*3.*post* 3.*conclus.* Tabien. *verb. matrim.*4.*num.*2.*vers.*6. Sylvester *verb.diuortium n.* 11.*q.*9. *vers.* 5. & est ferè omnium antiquorum, qui hoc vt certum supponunt.

Ratio huius verissimæ sententiæ mani-
3 festa est, quia † condonatio ista, etsi tacita sit dumtaxat, at non fundatur in præsumptione, quod innocens habeat animum remittendi iniuriam, vt falso existimat Sanchez, sed fundatur in ipsa natura contractus matrimonij, quod ex natura sua ordinatur ad copulam, qua vterque coniux fit *vna caro & sunt duo in carne vna, & vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor*, & cætera, per adulterium autem cum vnitas ista vtriusque cõiugis diuisa sit, innocens habet ius, vt repellat à se per diuortium adulterum, iam à se diuisum cum alio, & sic potest illũ accusare ciuiliter, & criminaliter, & cũ illo non cohabitare, & residere, at eo ipso quod carnaliter adulterum cognoscat iam ex natura rei caro adulteri, quæ diuisa erat cũ alio, iterũ vnitur sibi, & diuisio cũ alio ex natura rei excluditur, & sic ex natura rei matrimonium reducitur ad primum statum ante adulteriũ, & sic quamuis innocens habeat voluntatẽ nõ dimittendi iniuriam si carnaliter cognoscat adulteram ex natura rei iniuria dimissa est, quia ex natura rei factus est cũ illo vna caro, & nemo potest carnem suam à se repellere, nisi sit diuisa, sed necessario, eo ipso, quod sit copula, est intentio efficax remittendi iniuriam, & voluntas non remittendi inefficax est, & voluntas nihil operans,

Secũdo id manifestè constat ex eo, quod fundamenta Sanchez friuole & inania sunt † portatio enim habitus professorum non 4
inducit ex natura rei professionem tacitam, sed solum ex iuris dispositione, quod præsumit esse animum & voluntatẽ profitendi, at copula carnalis ex natura rei efficit vnam carnem duorum coniugum. Deinde si coniux necessitate compulsus violẽtiæ, aut metuscadentis in constantem virum carnaliter cognoscat adulteram non est visus remittere iniuriam, ergo si coniux carnaliter cognoscat sine violentia si habet animum nõ remittendi, non est remissa iniuria ex natura rei, quare † copula solum causat præsum- 5
ptionem, non remissionem. Respõdetur hoc argumentũ friuolum esse, quia eo ipso quod innocens cogatur ad copulam, non est libertas in dimittendo, quia non volũtariè fit vna caro, sed coacte, at si voluntariè copulã habet ex natura rei amicabiliter fit vna caro cum adultero, & sic ex natura rei posita copula voluntaria dimittitur iniuria adultero.

Id constat manifeste, quia † si quis habet 6
copulã cum adultero, & non habeat animũ non dimittendi iniuriã inducit remissionem iniuriæ etiam in foro conscientiæ, vt fatetur ipse Sanchez, quod non ex alio dimanat, nisi quia copula voluntaria habet ex natura rei tacitam voluntatem remittendi iniuriam; quam non habet habitus professorum deportatio ad professionem tacitam, quæ requirit voluntatem positiuam profitendi, & assumendi statũ religionis, sicut & ante Tridentinum copula inter sponsos eandem volũtatem positiuam requirebat, vt fieret matrimonium, & non sufficiebat negatiuè se habere; ergo si sufficit quod innocens negatiuè se habeat, copula ex natura rei remittit iniuriam, si amicabilis sit, & voluntaria, & animo coniugali facta, vt fit eo ipso quod volũtarie fiat, secus autẽ si coacte, quare implicat quod voluntarie & coniugaliter fiat, & quod innocens habeat animum expressum non dimittendi iniuriã. Hoc paucis decidit Hispana *lex* 8.*tit.*17.*p.* 7. dicens cur vxor adultera non possit accusari eo ipso quod in cõsortio maritali eã retinuit. † *Si de-* 7
spues que la muger ha hecho el adulterio la recibe su marido en su lecho y la tiene en su casa como su muger nolã podra despues acusar,

ea pues que asi la acogio en sucasa, entiendese que la perdono. quæ vltima verba non præsumptionem, vt vult Sanchez sine fundamento designant, sed potius necessariam condonationem adulterij, quæ necessario consequitur ex eo, quod *latiene en su techo y la reciue en sucasa como su muger*, hoc enim posito, *entiende se que la perdono*, non dicitur, præsumitur, sed intelligitur quasi necessario illatum ex priori.

SVBRESOLVT. XI.

Qui sint actus, quos si faciat innocens censetur remittere iniuriam?

SVMMARIVM.

1. *Duo genera actuum matrimonialium admittuntur.*
2. *Horum generum conuenientia.*
3. *Inter hæc duo genera discrimen intercedit.*
4. *An non sit condonatio quum vxor reddit debitum viro adultero.*
5. *Glossæ sensus affertur.*
6. *Ratio difficultatis.*
7. *Quid ex traditis sit deducendum.*
8. *Est reconciliatio quum retenta fuit vxor post adulterium manifestè à viro deprehensum, ex S. Thom.*

1 NOto quartò, duo † esse genera actuum matrimonialium, quæ si fiant ab innocente ex animo coniugali, censetur remittere iniuriam adulterij, ita vt non possit in conscientia adulterum dimittere, aut accusare ciuiliter, seu criminaliter. Primum genus est cohabitatio & residentia in eadem domo, mensa, ludo, & similibus. Secundum genus est eorum qui sunt præambuli ad copulam cõiugalẽ, vt oscula, amplexus, tactus partium interiorũ, & ipsa copula
2 coniugalis. † Inter quæ duo genera hæc est conuenientia quæ si fiant affectu maritali qualem habent coniuges inter sese nullo modo potest innocens dimittere adulterum, sed in conscientia tenetur cum illo cohabitare & residere, quia omnes hi actus quatenus ex coniugali affectu dimanant, inducunt recõciliationem adulteri, & iniuriæ remissionem, vt constat ex lege Hispana cuius verba supra dedi, quæ videntur desumpta *ex leg. quæsitum.* 40. §. *item quæritur, ff. ad leg. Iulian. de Adulter. & leg. crimen.* 11. *Cod. eodem.* horum rationem dedit Iurisconsultus, *leg. si vxor* 13. §. *final. ff. ad legem Iulian. de Adulteriis.* quia eo ipso, quod vxor reducatur & coniugali affectu tractetur ducendo eam in contrarium, maritale aboleuit adulterium, *quia sero mores accusat, quos vxorem ad consortium maritale ducens, probauit.*

Sed est † inter hæc duo genera actuum 3
notandum discrimen, quia primi generis actus si attendantur i coram natura sunt adiophori, & indrentes ad significandum affectum maritalem, & recõciliationem, quare, vt eam significent exigitur imperium affectus coniugalis, sine quo non significant amicitiam & reconciliationem, quare quod eam significent est præsumptio iuris, at secundi generis actus tales sunt ex natura sua ex qua ordinantur ad congressum maritalem, quod ex natura rei amicitiam & reconciliationem denotant, non ex præsumptione, quare eo ipso, quod innocens non coactus aliqua necessitate etiam honestæ vtilitatis, & consuetudinis eos excusat, nequit in conscientia dimittere adulterum, quia eum ex vi talium actuum sibi reconciliat, & remittit iniuriam adulterij.

Sed notanda est optima doctrina Sori. *in* 4. *dist.* 36. *quæst. vnic. art.* 1. *in fin. corp. casu* 6. quam approbat & sequitur Thomas Sanchez *num.* 15. † non esse condonationem 4
quum vxor reddit debitum viro adultero graui eius metu perculsa, quia cessat liberalitas, quæ exigatur in condonatione iniuriæ, quam liberalitatem excludit non solum metus illatus, sed apprehensio vxoris, quæ reddat debitum marito adultero, quem terribilem & malæ digestionis virum agnoscit, quare rationabiliter timet, ne nisi debitum neget malè tractetur. Imo non requiritur, quod metus iste sit cadens in constantem fœminam, sed satis est, quod sit metus non vanus, sed alicuius mali grauis inferendi ab extrinseca violentia mariti, aut consanguineorum, aut amicorum ipsius. Vnde † Glos- 5
sa *instit. de iniuriis, §. fin. verb. dissimulat.* dicit iniuriam remitti quum eam passus simul risit, vel comedit, vel lusit cum illatore iniuriæ, quum ij actus sunt omnino spontanei, secus si ex quadam necessitate honestatis effecti sunt, vt si ambo coniuges ab aliquo inuitati eidem mensæ accumbere, vel in Ecclesia osculum pacis mutuo salutati sunt, quia in vtroque casu necessitate honestatis compulsi, id egere, neque salua honestate id declinare potuerunt. Idem esset iudicium si coniux constrictus à iudice Ecclesiastico pœnis temporalibus, & censuris reddat debitum adultero.

Ratio omnium horum est desumpta 6
ex his quæ late dixi, *tom.* 5. *de Martyrio fidei contra Raynaudum, & alios inuentores restrictionis mentalis*, qua vocum & factorum significatio alteratur, limitatur, & coarctatur iuxta arbitrium loquentis, quam restrictionem mentalem vocum, nullatenus licere ni fallor manifestè ostendi, sicut neque æquiuocationem & amphybologiam nominum, nisi quando ex aliqua circunstantia extrinseca potest colligi id quod mente retinetur, alias enim duplicitas cordis mendacium & proximi iniusta deceptio vitari nequit, ita in præsenti contingit oscula, & congressus carnis habiti cum adultero ex natura sua denotant amicitiam, & reconciliationem, eius qui iniuriam intulit, nisi adsit aliqua circunstantia exterior, quæ impediat hanc significationem, amicabilemque reconciliationem, quæ circunstantia est aliqua necessitas, siue honestatis, siue vtilitatis siue imperij iudicis, qua posita alterantur signa reconciliationis, remissionis, iniuriæ, & condonationis, quam sine his circunstantiis externis, ex natura rei significant; vnde fit quod si coniux innocens adulterum dimittat, si iterum reducat ad consortium in eadem domo, & conuictu mensæ, & rei familiaris nulla coactus necessitate ex tali reductione, condonatio colligitur, cum sit apertum signum pacis initæ, vt benè Barbosa *leg.* 2. *part.* 1. *numer.* 100. *D. soluto matrimo.*

7 Ex quo fit † quod si adulterium publicum sit ita, vt probari possit ab innocente, si iste adulterum domi retineat, sicut antea in consortio maritali, & residentia mutua, quamuis non reddat debitum, aut exigat, censetur condonare iniuriam; si enim adulterium occultum est, retentio non est spontanea, sed ex præcepto atque ita non est condonatio iniuriæ, cum eam retineat, vel ad vitandum scandalum, litem, vel quia nequit commodè fugere in terras longinquas, vel ob alias rationes, quæ necessitatem aliquam inducunt, & sic intelligo D. Tho. 1.
8 *ad Cor.* 7. *lect.* 2. dicentem † esse reconciliationem, quum retenta fuit vxor post adulterium manifestè à viro deprehensum, ita vt adulterium probari possit, vel vir possit absque aliquo incommodo absentari, & aliò diuerti, si enim potest hoc facere, & nihilominus adulteram retineat, & cum ea resideat, dubio procul condonare intelligitur, & hic est sensus D. Tho. nisi breui tempore retineat, expectans opportunitatem, vel absentandi se ab adultero, vel petendi coram iudice diuortium.

§. VIII.

Declaratur septima exceptio, si matrimonio in infidelitate vtriusque contracto, vir dederit vxori, libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si vtrique conuertantur, tenetur eam vir recipere.

SVMMARIVM.

1. *Vxorum multiplicitas est contra ius naturæ.*
2. *S. Augustini sententia affertur.*
3. *Quid veniat notandum à Catechistis.*
4. *Concilij Eliberitani decretum, & numero* 5. *&* 6.
7. *S. Doctoris opinio affertur.*
8. *Si vxor repudiata sit & ista alteri nupserit, matrimonium secundum nullum est.*
9. *Authoris iudicium & n.* 10. 11. 12.

AB hac exceptione breuiter me expediam, rara est enim illius praxis. Igitur duo sunt certa apud Catholicos scriptores ex quibus exceptio ista euidenter colligitur. Primum quod † vxorum multiplicitas est contra ius naturæ. Secundum quod libellus repudij etsi apud Hebræos non solum fuerit permissum, sed licitum tamen hoc fuit ex diuina dispensatione, quæ tacitè fuit diffusa, etiam ad alios gentiles, tamen sine dispensatione libellus repudij, quantum ad solutionem vinculi matrimonialis & liber maneret vir ad aliam ducendam est contra ius naturæ, quod Christus Dominus declarauit *Math.* 19. reducens insolubilitatem matrimonij & mutuam coniugum inseparabilem residentiam ad primæuum eius statum, & vt ius naturæ exigebat, abstulitque omnem dispensationem quoad solutionem huius vinculi traditam Hebræis, atque gentilibus, & sic nulli horum licet intra Hæbraismum, & gentilitatem relicta prima vxore aliam validè ducere, aut fœminæ secundas nuptias viuente primo, cum alio contrahere, sic determinauit Innocentius III. *cap. gaudemus de diuort.* ibi, *qui autem secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente potest aliam, etiam ad Christi fidem conuersus habere.*

Quod † ante dixerat Aug. *lib.* 1. *de fide &* 2
operibus cap. 1. loquens de gentilibus, qui ad Baptismum venientes primis vxoribus dimissis alias ducebant, & cætera, quod reprehendit S. Doctor, *quia hæc non coniugia, sed adulteria esse Dominus Iesus Christus sine aliqua dubitatione testatur*, quod latè prosequitur *cap.* 19. contra quasdam Ecclesias in quibus in Catechismis cõpetentium ante Baptismum hoc non inquirebatur, neque reprehendebatur, ex qua negligentia ortum fuit, quod licitum esse defenderetur, quod Aug. nullatenus defendi posse rectè iudicat, quare aliquarum Ecclesiarum in Affrica reprehendit negligentiam, quia in Cathecumenis non inquirebant an alter coniux infidelis vellet cohabitare, sine iniuria Creatoris, si enim nollet sine ea viuere, poterat conuersus ad secundas nuptias transire, si autem vellet sine Dei iniuria secum residere, & cohabitare, nequibat illo viuente contrahere

trahere secundo, & hanc doctrinam Catholicam, non explicabant Catechistæ baptizandis, ob quam negligentiam multi secundas contrahebant nuptias, imo & defēdentes eas licitas esse, eo ipso, quod alter maneret in infidelitate, volens cohabitare cum conuerso, sine Creatoris iniuria, quod defēdi non posse Catholicè dicit Augustinus.

3 Videant, ergo † qua conscientia Catechistæ in quadam Prouintia noui orbis obligationem non habendi duas vxores, & repudiandi in publico noluerunt, prædicare per duos annos, & solum eos qui erant in periculo vitæ de veritate instruebant, non vero alios, quare intra duos annos baptizabant Indos habentes plures vxores, & repudiantes legitimas, hoc enim iuxta Aug. Catholicam doctrinam fieri nulla ratione potest, cum cognito legis naturalis ad Euangelium præmitti debet & contrarium damnabilis negligentia est, & omissio Diabolica non secus ac non prædicare Christum crucifixum illa doctrina de silentio licito circa sextum mandatum legis naturalis, inuenietur in libro cuius titulus est. *Conquista spiritual del Paraguay*, §. 11.

4 Hinc datur noua lux decreto Concilij Eliberitani, *Cano.* 10. vbi sic fantes Hispani Patres Doctissimi, *si eam quam Cathecumenus reliquit, duxerit maritum poterit ad fontem lauacri admitti. Hoc & circa fœminas Cathecumenas erit obseruandum.* Varias huius Canonis interpretationes adducit Basilius Legionens. *lib.* 7. *cap.* 50. *num.* 4. quod loquatur Concilium de Cathecumena ægrotante, quæ constituta in extremo vitæ periculo, baptizari potest, etiamsi non instruatur de marito secundo deserendo viuente primo, si tamen pœnituerit de adulterio, sed voluntaria expositio. Deinde dicit, quod loquitur Concil. quū non conuersus, non vult cohabitare sine iniuria Creatoris, sed non placet, quia ibi loquitur Concil. de ea quā Cathecumenus reliquit, at Cathecumenus dubio procul vellet cū illa sine iniuria Creatoris cohabitare, quare vera intelligētia est Pa-
6 tres Eliberitanos loqui de Cathecumeni prima vxore, quam reliquit in infidelitate, dū competens fieret & ipsa alium maritum sibi copulauit, cum iniuria primi, qui Cathecumenus est, hanc dicit admittendam ad baptismum, non obstante, quod secundus maritus sit viuus, quia iste non maritus, sed adulter est & eius matrimonium adulterium est, quare Cathecumeno restituenda, & secundus maritus repellendus.

Ex quibus colligitur clara enucleatio ex-
7 ceptionis, quam † D. Thom. in duplici solutione duplicis argumenti posuit *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnic. artic.* 3. *ad* 4. dicendum, *quod habere plures vxores est contra legem naturæ, vt suprà dist.* 33. *dictum est, cui etiam infideles sunt adstricti, & ideo non est verum matrimonium infidelis nisi cum illa cum qua primo contraxit, vnde si ipse cum omnibus suis vxoribus conuertatur potest cum prima cohabitare, & alias debet abiicere, si autem prima conuerti noluerit, & aliqua aliarum conuertatur idem ius habet contrahendi cum illa de nouo, quod cum alia haberet, & ad* 5. *dicendum, quod repudium vxoris, vt suprà dictum est, est contra legem naturæ, vnde non licet infideli vxorem repudiare, & ideo si conuertatur, postquam vna repudiata, alteram duxit, idem iudicium est de hoc & de illo, qui plures vxores habebat, quia tenetur primam quam repudiarat accipere si conuerti voluerit & aliam abiicere.*

Quæ doctrina S. D. indubitata est apud 8
Catholicos, vt dixi si vxor prima repudiata sit, & ista alteri nupserit matrimonium secundum nullum, & iure naturæ est adulterium non connubium, vt dicebat August. cur ergo tenetur vir si tam ipse, quam vxor conuertatur eam recipere, quamuis enim teneatur aliam non ducere viuente prima, & quod teneatur cum ea cohabitare, cum ex Christi Domini declaratione possit dimittere vxorem propter fornicationem, at ista repudiata verè fornicatur & mortaliter peccat alteri nubendo, quia quamuis in aliqua posset esse ignorantia inuincibilis excusans à mortali, tamen post promulgatam per totum vniuersum legem Christi ignorantia huius præcepti, quæ sit inuincibilis, nequit esse vniuersalis, vnde si vir, qui vxorem repudiauit, quæ existens infidelitati alteri nupserit, vir inquam aliam non duxit, (nam si duxit compensantur delicta mutuo adultero) etiamsi prima vxor conuertatur, non videtur obligare ad cohabitandum cum illa.

Sed hoc non obstante dico, † quod non 9
solum tenetur prima vxore viuente aliam non ducere, sed etiam eo ipso, quod libellum repudij dedit, si vterque conuertatur tenetur recipere primam vxorem & cum illa cohabitare & residere, ita definitur, *cap. Gaudemus de diuort.* & ratio est, quia eo ipso, quod libellum repudij dedit etiam concessit vxori, vt alteri, si vellet nuberet, vnde quamuis reipsa adulterium committat vxor, 10
& nullum fuerit secundum matrimonium, tamen vir non habet ius, si vxor conuertatur cognita veritate legis Euangelicæ, vt illam dimittat, quia ipse in causa fuit, vt alteri nuberet & adulteraretur, cum licentiam dederit, vt vxor prostitueretur alteri, vt *dixi* §. 2. Hinc est, quod licet *Codi. Iustit. titul.* 17. *lib.* 5. *leg. licet.* 6. *& leg. consens.* 8. *& leg. si constante.* 9. libellus repudij fuerit impunè permissus, non tamen licitè, quia contra ius

ius naturæ sicut permittuntur meretrices, ad maiora mala vitanda, has tamen leges Iustiniani libellum repudij permittentes, ne-
11 quit Pontifex lege sua permittere tanquam Pontifex qui vt sic, omne peccatum tenetur prohibere, cum sit animarum nostrarum vniuersalis Pastor de illis redditurus rationem Deo, attamen tanquam Princeps politicus possit libellum repudij permittere, sicut etiam permittit meretrices in tota Ecclesia non quidem lege statuens quod sint, sed non prohibens, quod sint: existimo nullo modo, id posse neque aliquem Principem Catholicum, quia ex libello repudij maiora damna sequerentur, quam vitarentur, quare semper in Ecclesia receptum est, quod homo non separet, quod Deus coniunxit. Vnde Tridenti. *sess.* 24. *canon.* 5. definit, *si quis dixerit propter hæresim, aut mole-*
12 *stam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge dissolui posse matrimonij vinculum, anathema sit*, quibus verbis libellum repudij inter Christianos prorsus exterminat, & eliminat, vnde nullus Princeps Catholicus potest illum impunè permittere, etsi permittat Pontifex tenetur cohibere, vtpote cum sit contra legem Christi, & bonum Sacramenti.

RESOLVTIO V.

Quæ causæ sint iusti diuortij, excusantes à residentia matrimoniali?

ACRO-Sancta Trident. Synodus *sess.* 24. *can.* 8. definit si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit, anathema sit. Quare hæreticus est qui adfirmat non esse licitum diuortium inter coniuges nisi ob fornicationem carnalem quam Christus expressit *Matth.* 19. sunt etenim plures aliæ, vt fornicatio spiritualis, qualis est hæresis & infidelitas quæ breuiter examinandæ sunt in hac resolutione.

§. I.

De fornicatione spirituali quæ est Apostasia à fide Catholica.

SVMMARIVM.

1. *Apostasia latius patet à fide quam hæresis.*
2. *An non sit licitum diuortium inter duos ex eo quod alter sit lepra infectus.*
3. *An diuortium ob hæresim, aut alias causas quæ impellunt ad coniugum separationem ex natura sua non sit perpetuum.*
4. *Alexandri III. sensus affertur.*
5. *Quandonam diuortium non sit verum.*
6. *An celebrato diuortio non ob adulterium, sed ob alias causas non possit inuito coniuge alter conuolare ad religionem, ibique professionem emittere.*
7. *An propter hæresim externam possit vnus coniux alterum dimittere.*
8. *Nomen fornicatio vnde sit desumptum.*
9. *Exceptam facit dominus causam fornicationis.*
10. *S. Augustini mens adducitur.*
11. *An propter hæresim quæ est fornicatio spiritualis liceat dimittere vxorem.*
12. *S. Doctoris sensus affertur.*
13. *An sub fornicationis nomine hæresis comprehendatur.*
14. *Fornicatio est directè contra bona matrimonij, ex S. Doct.*
15. *An causa diuortij per hæresim non sit proxima propter animæ periculum.*
16. *Quodnam ius perpetui diuortij possit facere Ecclesia coniugi Catholico.*
17. *Pœna diuortij perpetui imponi nequit ab homine.*
18. *An mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, ab eo separari non debeat.*
19. *Glossæ sensus adducitur.*
20. *An Ecclesia propter fornicationem spiritualem possit dare in pœnam perpetuum diuortium.*

LAtius patet † Apostasia à fide, quam † hæresis, illa enim continet infidelitatem, Iudaismum, & hæresim quare in titulo solum posuit Apostasiam à fide Catholica post contractum matrimonium, nam antequam contrahatur infidelitas, & disparitas cultus impedimentum est dirimens matrimonialem residentiam, hæresis vero, an dirimat vel impediat, *dicam* §. 2. Hic autem solum examinabo, an Apostasia à fide Catholica, quæ est spiritualis fornicatio sit sufficiens causa ad diuortium faciendum, quoad thorum, & residentiam matrimonialem?

Sed antequam difficultas hæc æqua lance trutinetur, ponderandum est argumentum, quod fecit Kemnitius, vt probaret Ecclesiam errare, dum absentiam à residentia matrimoniali & diuortium concedit ob aliam causam, quam fornicationis corporalis, arguit enim Hæreticus, quia Christus Dominus dixit solum esse licitum diuortium ob fornicationem carnalem,

ex quo testimonio concludit Alexand. III.
2 *cap.2.de coniugio lepros.* non † esse licitum diuortium inter duos, ex eo quod alter sit lepra infectus, sed contra hunc Hæreticum definiuit Tridentinum, *cano.8. cit.* Quare respondetur hoc argumentum nullius ponderis esse, sed prorsus inane, & illius est adæquatissima, & sola solutio, in qua aliæ omnes quæ adduci possunt solidantur, & firmantur, Christum Dominum loqui de diuortio ex natura rei perpetuo, Ecclesia tamẽ dum ob alias rationes diuortium celebrat, non est perpetuum ex natura sua, sed quandiu subsistit ratio, quæ ad separationem, & absentiam à residentia, & consortio maritali impulit. Igitur diuortium ob fornicationem carnalem ex natura sua, perpetuum, quia oritur ex læsione ipsius matrimonij, quatenus est mutua coniunctio duorum in vna fide matrimoniali, quæ violata est, & hæc perpetua est iure naturæ, & diuino, & sic diuortium ob fornicationem carnalem perpetuum est in pœnam fractionis fidei matrimonialis, quare celebratur etiam inuito
3 coniuge fornicante. † Ast diuortium ob hæresim, aut alia crimina aut causas, quæ impellunt ad coniugum separationem à mutuo consortio, & residentia ex natura sua non est perpetuum, sed quandiu durat causa diuortij, quæ obstabat incolumitati animæ & corporis, quare consortium maritale incipit esse damnosum, & sic quandiu est periculum infectionis animæ ratione peccati, vel corporis ratione infirmitatis contagiosæ, aut valdè molestæ exercitio maritali potest esse diuortium, & licitè celebratur ab Ecclesia, causa tamen & periculo hoc cessante ex natura rei iure matrimonij & residentiæ maritalis cessat diuortium, neque tuto possunt permanere coniuges separati à consortio, & residentia cuius obligatio solum suspensa erat, non ablata sicut in diuortio ob fornicationem carnalem, quod cum perpetuum sit, obligatio ad residendum matrimonialiter fornicatione ipsa absorpta est, nisi per cõdonationem iniuriæ matrimonij iura ad pristinum statum reducantur, & huius perpetui diuortij non est causa lepra
4 coniugis, & hoc † vult inducere Alexander III. non tamen negat, quod sit causa diuortij ad tempus, siue certum, siue incertum, quia durabit quandiu durabit lepra, vel alia causa contagij spiritualis, aut temporalis.

Nisi velis dicere, quod Alexander loquatur de vero & proprio diuortio quale solum est, quod ex natura sua est perpetua separatio vnius coniugis ab alio. Diuortium enim in sua propria notione, est iuxta quam, vt habetur, *leg.diuortium 2.ff.de diuortiis*, teste
5 Paulo furisconsulto. † Diuortium non est verum nisi quando animo perpetuam constituendi dissensionem fit, qualem animum nequit habere coniux dum separatur à coniuge ob aliam causam quamcumque, nisi ob fornicationem carnalem, alia vero quælibet causa ex natura rei non est perpetua, & ita nequeunt qui diuortiantur animum habere perpetuam constituendi dissensionem, & separationem, nisi quandiu durat causa, quæ causare potest contagium & periculum animæ, aut corporis, & sic non est propriè diuortium de quo loquitur Alexander III. sed est quædam separatio & absentia ad tempus, siue incertum, siue certum ob periculum contagij, ob quod etiam inter coniunctissimos licitus est recessus, vt late dicam dum tractem *de residentia tempore pestis, famis & belli.*

Ex qua doctrina constat benè me respondere noluisse consultum, † an celebrato di- 6
uortio non ob adulterium, sed ob alias causas, non posse inuito coniuge alterum conuolare ad Religionem, ibique professionem emittere, ratio est, quia cum hoc diuortium non sit ex natura sua perpetuum, sicut illud, quod fit causa fornicationis, sed est temporale, etsi ad incertum tempus, diuortium autem, quod causatur ob professionem solemnem perpetuum sit, celebrari nequit nisi consentiente vxore, aut marito, quod si consentiat, nequit in sæculo manere, si sit iuuenis, aut periculum habeat incontinentiæ, etsi hoc periculum non adsit, & sit senex tenetur votum continentiæ emittere, vt est certum in iure, quam vt mox dicam ob hæresim, & alia delicta possit Ecclesia in pœnam eorum priuare, in perpetuum hæretico etiamsi repiscat priuare consortio & residentia matrimoniali cum alio innocente, ita vt iste nullatenus teneatur cum illo residere.

Igitur veritas inter omnes Catholicos recepta, quod † propter hæresim exter- 7
nam potest vnus coniux alterum dimittere, quamuis vinculum matrimonij semper maneat insolubile, vt definit Trid. *sess.24. cano.5.* & quod propter hæresim dimitti posit coniux etiam definitum est, *cap.fin.de conuers.coniug.cap.2.& cap.quarto de diuortiis cap.idololatria 28.qu.1.* & constat ex Scriptura *ad Titum cap.3.num.... hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem de vita.* vbi Apostolus nullum excipit, sed omnem, siue Patrem, siue coniugem comprehendit. Ita omnes Scriptores Catholici, neque est immorandum in eorum citatione.

Sed huius decisionis rationem non omnes eandem assignant, quia Christus Dominus dum *Matth.5.& 19.* concessit diuortium propter fornicationem in sensu litterali,

litterali, non solum intelligitur fornicatio carnalis, sed etiam spiritualis, quæ immediatè opponitur dispensationi, quam per fidem facimus cum Deo *Oseæ 2.n.....desponsabo te m hi per fidem*, quamuis enim † nomen
8 fornicatio sit desumptum, tanquam à quo à fornicatione carnali, quia sub fornicibus fiebat, cum etiã idololatria fieret sæpius sub fornicibus, & in locis occultis etiam fornicatio spiritualis dicitur, quamuis autem Christus ad litteram loquatur de fornicatione carnali, tamẽ etiã secundũ sensũ litteralem loquitur de fornicatione spirituali; quia nomen fornicatio vtrumque significat in scriptura, quare in vtraque significatione vsus est Christus in sensu litterali, hæresis enim & idololatria maiori cum proprietate dicitur mæchia, & fornicatio, quam omnia alia crimina, quæ fornicationes dicuntur latissimo modo *cap.non solum 6.28.q.1.* & ibi Glossa *verb.simulachrũ & cap.idololatria. 5.eadem*, quod est August. *in serm. Dom. in*
9 *monte cap.28.* ibi, *quia † exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem generalem & vniuersalem cogimur intelligere: causa itaque fornicationis eam dimittit, vel vt si aliquem cogat vxor sacrificare idolis, qui talem dimittit causa fornicationis eam dimittit,* vbi glossa verb. *vniuersalem, quod indefinitè dicitur generaliter debet intelligi.leg.qui habet §.vlti. D. de tute.* & quidem quod Christus Dominus nomine fornicationis hæresim, & infidelitatem litterali sensu intelligat, mihi videtur negari non posse.

10 Neque † Aug.*lib.1.retractat.cap.19.circa medium.* Hunc sensum reiicit, sed supponit tanquam certum locum *Matth.19.* esse etiã intelligendum de fornicatione spirituali, de hoc enim nullo modo dubitat August. nec in suis operibus aliquando dubitauit, sed semper illi arrisit, dicit tamen, *sed quatenus intelligenda, atque limitanda sit hæc fornicatio, & vtrum etiam propter hanc liceat dimittere vxorem latebrosissima quæstio est, licere autem propter istam quæ in stupris committitur nulla quæstio est*, non ergo Aug. retractauit sententiam, quod locus Matthæi intelligatur de fornicatione spirituali, sed dicit esse latebrosissimam quæstionem, quam ipse nullibi aliter de latebris eduxit, cum ergo
11 † Ecclesia & scriptores antiqui dicant, quod propter hæresim, quæ est spiritualis fornicatio licet dimittere vxorem, à posteriori euidenter colligitur. quod locus Christi de hac fornicatione intelligitur, nullibi enim Ecclesia dicit, quod propter aliud peccatum etiam grauissimum possit dari in pœnam perpetuum diuortium, sicut datur propter hæresim, ergo ideo est quia fundatur in sententia Christi, sumens argumentum à fornicatione carnali, in qua frangitur fides coniugi, ad fornicationem spiritualem in qua frangitur fides Deo, vt fit per hæresim, quam doctrinam eleganter expressit S. Doctor *in 4.dist.39.quæst.1.art.6.ad 2.* † ponens 12
manifestum discrimen inter infidelitatem, quæ est fornicatio spiritualis speciali ratione quam alia omnia peccata, quæ dicuntur fornicationes largissima improprietate & remota significatione, quare primam intellexit Christus Dominus nomine fornicationis, non tamen alia peccata, etiam grauissima alias passim dissoluerentur matrimonia, quoad thorum, residentiam, & cohabitationem.

Vrgetur hæc ratio, ob quam Christus Do- 13
minus sub fornicationis nomine, quæ est causa diuortij comprehenderit hæresim, quia per fornicationem carnalem frangitur fides matrimonio debita, at per hæresim euertitur prolis bonum, non enim educabitur proles in vero Dei cultu à parẽte hæretico, & sic hæc fornicatio opponitur bono matrimonij; hæc est ratio D. Tho. *in 4. dist.35.q.1.art.1.ad 3.* † *fornicatio* (inquit) *est* 14
directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur & significatio non seruatur, dum vnus coniugum carnem suam pluribus diuidit, & ideo alia crimina quamuis forte sint maiora fornicatione non causant diuortium, sed quia infidelitas quæ dicitur spiritualis fornicatio etiam est contra bonum matrimonij, quod est proles educanda ad cultum Dei etiam ipsa facit diuortium, sed tamen aliter quam corporalis fornicatio, quia propter vnum actum fornicationis carnalis potest procedi ad diuortium, non tamen propter vnum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit in qua infidelitas perficitur. Hæc ibi.

Ex quibus manifestum deduco argumẽtum, ad probandum quod † causa diuortij 15
per hæresim non sit proxima propter periculum animæ, quia si hæc esset adæquata ratio, cessante periculo & emendato coniuge hæretico, tenetur innocens cum illo cohabitare & residere, nec potest illum dimittere. Fatetur idem Thomas Sanchez *n.9.* sed dicit, quod Ecclesia in pœnam hæresis facit ius coniugi catholico in perpetuum diuertendi ab hæretico, etiam resipiscenti & emendato, vt expressè habetur, *cap. fin. de conuersio. coniugato. & cap. de illa de diuortiis* sed fateor, & ego, quod † Ecclesia potest hoc 16
ius perpetui diuortij facere coniugi Catholico (quod qua ratione debeat fieri in fræno dabo) ita vt quantumuis emendato, & correcto hæretico, Catholicus non teneatur cũ illo residere, & cohabitare, sed liberè illo etiam inuito possit ad Religionem transuolare, at hoc Ecclesia facere nequiret nisi ius diuinum vrgeret, quod ius fieret Catholico

diuertendi à coniuge hæretico, etiam emendato propter fornicationem spiritualem, sicut propter fornicationem carnalem, cum enim cessante periculo subuersionis in fide, & religione emendato hæretico, coniux Catholicus teneatur iure diuino & naturali cum illo residere & cohabitare, debitumque reddere coniugale, nisi ius aliud altius ius diuinum sit, quod hoc impediat, Ecclesia nequit in hoc iure dispensare, & diuortium illius in perpetuam pœnam constitue-
17 re; pœna enim † diuortij perpetui imponi nequit ab homine, nisi in virtute alicuius iuris diuini, quod illam posuit, quia homo purus quantumcunque habeat iurisdictionem, nequit contra ius diuinum disponere.

Hinc est quod Alex. III. *cap. quæsuit. de*
18 *diuort.* dixit quod † mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit) ab eo separarri non debet, verum si coniugem suam ad infidelitatis maleficium à viro poterit separari, vtique per sententiam perpetui diuortij, quod expressit Vrbanus III. *c. de illa de diuort.* vbi determinat. *Quod mulier quæ viro suo labente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis quod mulier (maxime si ea intentione discessit vt lapsus in hæresim tædio pariter & confusione affectus se ab errore suo conuerteret) ei cum reuersus fuerit est*
19 *reddenda (& merito* (ait glossa) *quia per pœnitentiam est sanatus cap. quod sanatus* 32. *quæst.* 1.) *quæ etiamsi reuerti noluerit compellatur, si vero iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam* id quod Gregor. IX. determinat *cap. mulier* 21. *de conuers. coniugat.* & glossa ad
20 vtrumque textum dicit, quod † Ecclesia propter fornicationem spiritualem scilicet hæresim potest dare in pœnam perpetuum diuortium, etiam ab hæretico emendato, hãc autem pœnam nequit dare propter furtum, homicidium, mortis machinationem, & alia crimina, etsi grauissima; ad quæ si inducatur vnus coniux perpetrando potest diuertere, si tamen hæc inductio & periculum cesset, & sit emendatus coniux inducens, inductus tenetur redire ad consortium & residentiam matrimonialem, nec Ecclesia propter talia crimina, quit perpetuum diuortium imponere emendato ab illis, & potest propter hæresim, ergo manifestum est quod hoc ideo facit, quia ex traditione intelligit locum Christi *Matth.* 5. *&* 19. de fornicatione spirituali, qualis est hæresis & infidelitas.

SVBRESOLVT. I.

Discrimen inter fornicationem spiritualem & corporalem.

SVMMARIVM.

1. *Inter fornicationem spiritualem & corporalem discrimen intercedit.*
2. *An vtraque fornicatio digna sit perpetuo diuortio.*
3. *Abulensis sententia affertur.*
4. *Quæ specialis ratio cur detur perpetuum diuortium propter hæresim.*
5. *Per hæresim præcisè non acquirit ius innocens ad diuortium cum hæretico reconciliato.*
6. *Authoris iudicium, & n.* 7.
8. *Quæ fidelitatis & debiti absolutio non solum humano & canonico iure, sed etiam diuino roboretur.*
9. *Quid nomine fornicationis veniat intelligendum.*
10. *Ratio difficultatis enodatur, & n.* 11.
12. *Castro sententia adducitur, necnon multorum aliorum, & n.* 13.

SEd est † discrimen inter vtramque for- 1
nicationem carnalem, & spiritualem, quamuis enim aliqui de quorum numero est glossa *cap. de illa cit. verb. compellendam*, vbi asserit, quod siue in fornicatione carnali siue spirituali compellenda est vxor redire ad virum, nisi authoritate Ecclesiæ factum sit diuortium; sitque hæc doctrina vera quantum ad forum iudiciale, tamen cum hîc loquamur in foro animæ, in quo innocens in fornicatione carnali potest dimittere adulterum & ipso inuito ad religionem trãsuolare; quod de innocente in fornicatione spirituali negant Summi Pontifices in textibus adductis; huius discriminis ratio venanda ex aliis capitibus est, cur licet ex Christi Domini sententia † vtraque fornicatio 2
digna sit diuortio perpetuo, & coniux innocens in vtraque fornicatione ius acquirat, ad dimittendum adulterum tam carnali quam spirituali adulterio, in adulterio carnali vt dimittatur vxor in foro conscientiæ non requiratur sententia Ecclesiæ, hæc tamen sit necessaria vt dimittatur propter hæresim fornicationem spiritualem?

Abulensis † *quæst.* 70. *ad cap.* 19. *Matth.* di- 3
cit, quod propter hæresim conceditur diuortium, non quia fornicatio sit, quia Christus solum loquitur de fornicatione carnali, vnde solum conceditur per accidens, & indirecte quatenus est necessarium ad tutelam coniugis, ne peruertatur, *quod non conceditur* (inquit) *in aliis vitiis etiamsi vir solicitet ad illa, ne detur occasio faciliter dissoluendi matrimonia*

monia, crimen enim hæresis periculosius est, cum errare in fide sit errare in toto quia fides est fundamentum. Cæterum hæc solutio non est admittenda primò, quia loquimur de hæretico iam emendato, & iuridice declarato tali, vnde non est locus titulo de tutelane innocens peruertatur. Secundò, quia si non est specialis aliqua ratio cur Ecclesia possit concedere diuortium perpetuum propter hæresim cõuictam in iudicio, & declaratam, etiamsi sit retractata per pœnitentiam, & emendationem, non est cur diuortium perpetuum non possit concedi propter alia grauissima crimina, quod non concedit, nec hucusque
4 concessit Ecclesia, atqui † specialis ratio in hæresi est, quia contra fidem, quam Deo tenemur habere; illamque totaliter euertit sicut fornicatio carnalis euertit fidem matrimonialem, vnde hæresis speciali titulo dicitur fornicatio spiritualis, & adulterium spirituale, quod non habent alia peccata, etiam grauissima, vt odium Dei, homicidium, &c. Quia ista non euertunt fidem, nec illi opponuntur, quare Ecclesia habet ius ad declarandum quod hæresis, etiamsi sit emendata, & hæreticus correctus, digna est vt propter ipsam celebretur diuortium perpetuum, & sic quod non teneatur innocens cohabitare cum hæretico declarato, etiamsi emendatus sit.

5 Thomas Sanchez *num.* 9. dicit † quod per hæresim præcise non acquirit ius innocens ad diuortium cum hæretico reconciliato, Ecclesia tamen potest in pœnam delicti, iam commissi, etsi pœnitentia deleti, hanc pœnam imponere, sicut potest ipsum bonis omnibus, fama, & honore priuare, & occidere, & sic innocens absoluitur ab obligatione reddendi debitum coniugale ipsi hæretico, sicut ob delictum, quo cum proprio coniuge quis affinitatem contrahit absoluitur innocens à iure reddendi; quare ante declarationem hæresis per Ecclesiæ sententiam innocens tenetur redire, quod secus est in fornicatione carnali; quam Christus expressit esse iure naturæ causam diuortij. Ve-
6 rum enim vero † nunquam potui huic sententiæ assensum præbere; opponitur enim antiquorum omnium placito expresso à D. Thom. *vbi supra*, cui magis assentire æquitas exigit, quia vt supra dixi nequit pœnam diuortij perpetui imponere nisi ob causam; quam Christus Dominus omnem aliam ex-
7 cludendo posuit *Matth.* 5. *&* 19. hæc autem est fornicatio, ergo si ista non comprehendit fornicationem spiritualem nequit Ecclesia propter istam perpetuum diuortium celebrare, si hæreticus coniux est iam emendatus, habet enim ius naturale ad petendum debitum, quod etiam iure naturæ tenetur soluere alter coniux, neque ab eo potest absolui, nisi propter causam positam à Christo Domino, etiamsi propter hæresim iam commissam, etsi pœnitentia deletam possit vita corporali, fama, & bonis fortunis priuari, quia hoc exigit bonum publicum, quod exigere nequit, quod si hæreticus est emendatus, etsi talis per sententiam Ecclesiæ declaratus priuetur iure petendi debitum, nisi id concederet Christus Dominus, sicut concessit propter fornicationem carnalem, etiamsi deleta sit culpa per pœnitentiam.

Igitur vera ratio differẽtiæ est quam paucis indicauit Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione cap.* 7. *column.* 3. *in paruis pag.* 294. 8
dicens. Hæc † fidelitatis & debiti absolutio non solum humano & canonico iure *in cap. fin. de hæret.* sed etiam diuino roboratur, nam sicut per adulteriũ corporale priuatur adulter iure debitũ exigendi, ita etiam per adulterium spirituale, quia peius est, quam corporale, quia videlicet † Christus Dominus 9
sub nomine fornicationis intellexit adulterium, tam carnale, quam spirituale, quale est hæresis, quæ proprie euertit fidem debitam Deo sicut carnale frangit fidem matrimonij carnalis, quare sicut coniux, qui fidem frangit matrimonij potest dimitti & illi non est seruanda fides iure diuino, ita potiori iure, etiam diuino, frangenti fidem Deo, non est seruanda fides matrimonij, cæterum cũ hoc discrimine quod cum adulterium carnale iure naturæ opponatur matrimonio in quo duo fiunt vna caro, eo ipso quod innocens illud sciat non est necessaria alia sententia declaratoria, vt adulterum etiam emendatum dimittat in foro conscientiæ, ast adulterium spirituale per hæresim, etsi iure diuino dignum sit vt ratione illius in pœnam absoluatur innocens à iure reddendi etiamsi hæreticus sit conuersus, ipsoque iure diuino amiserit ipso facto ius exigendi, & debitum fidelitatis coniugalis, quod non recuperat etiamsi emendetur, tamen vsque ad sententiam Ecclesiæ nequit innocens illum dimittere diuortio perpetuo, etiam in foro conscientiæ, quia vsque ad talem sententiam semper hæreticus est in possessione sui iuris, à qua nequit alter coniux expellere nisi sententia lata; quod secus est in fornicatione, & adulterio carnali in quo adulter, eo ipso, quod adulterium committit diuidit carnem suam ab innocente, & sic nec possesionem iuris petendi coniunctionem carnalem habet, & sic innocens in conscientia ante sententiam diuortij potest dimittere adulterum.

Hæc † adæquata ratio discriminis, cur 10
altero coniuge carnaliter adulterante potest innocens absolutus à residentia matrimoniali etiam adultero inuito, & repugnante

nante ad religionem transuolare in foro cõscientiæ ante sententiam diuortij *cap.constitutus de conuers. coniugat.* at coniuge adulte-
11 rante per hæresim, etsi ipso iure diuino amittat ius petendi & innocens absoluatur à debito reddendo, tamẽ non amittit ius exigendi, quousque declaretur per sententiam esse hæreticum, quare in hac iusta possessione tuetur iure Ecclesiastico *cap. mulier eodem & cap.de illa de diuort.* vnde innocens ante sententiam Ecclesiæ tenetur cum illo cohabitare, & residere nec potest ingredi religionem, sicut potest post sententiam iudicis, quæ non priuat iure petendi quo erat iure diuino priuatus hæreticus etiam emendatus, qui per emendationem ius amissum nõ recuperauit, sicut ius amissum bonorum temporalium per hæresim, non recuperatur per pœnitentiam illius, quare sententia iudicis solum declarat crimen, ob quod ipso iure diuino lata est pœna amissionis iuris petendi.

12 Notat bene Castro *vbi supra pag.*297.† iudicium istud Ecclesiæ quod dicitur necessarium ad hoc quod innocens possit non cohabitare & residere cum coniuge hæretico reconciliato, non aliud esse quam sententia iudicis Ecclesiastici, qui declarat virum illum esse hæreticum, qua declaratione iuridica existente sine alia diuortij perpetui, & separationis sententia, satis est vt possit à viro suo se separare & cum illo non residere, nec vt possit compelli ad recipiendum
13 illum ab hæresi redeuntem idem † sentiunt Sanchez *vbi supra num.*20. Couarr.4. *Decretal.2.p.cap.*7.§.5. *num.*5. Barbosa *Rubrica D. solut.matrim.p.2. num.*21.*&* 22. quod ita verum existimo quod semel lata sententia declaratoria, quod coniux fuerit hæreticus, non sit potestas in Ecclesia, quæ possit cogere vt innocens ipsum recipiat quia lata sententia pœna statuta est, iure diuino, propter adulterium spirituale, sicut propter carnale ante sententiam, tenet etiam verum, etsi hæc sententia declaratoria adulterij spiritualis non sit publica sed secreto reconcilietur per DD. Inquisitores, sententia enim eo ipso quod iuridice feratur quod fiat intra Tribunal secreto vel publicetur in foro, est per accidens secreta & per se publica, quare si iuridice feratur iure diuino inducitur pœna diuortij perpetui in qua nulla humana potestas potest dispensare, nisi innocens remittat, & sibi nocentem reconciliet.

SVBRESOLVT. II.

Vtrum innocens possit in sæculo manere?

SVMMARIVM.

1. *An postquam hæreticus est talis sententia declaratus & incurrit priuationem iuris petendi, & innocens absolutus ab obligatione reddendi, possit iste liberè manere in sæculo.*
2. *An omnimoda libertas concedatur innocenti separato iudicio Ecclesiæ, non admittendi hæreticum reconciliatum.*
3. *An innocens libere possit siue in sæculo manere siue ad religionem conuolare ibique profiteri.*
4. *Authoris iudicium, & n.*6.
5. *Sub qua conditione remittatur priuatio iuris exigendi hæretico reconciliato.*
7. *An diuortium propter adulterium spirituale sit pœna lata ab Ecclesia, & iure humano imposita, & n.*8.
9. *An propter adulterium spirituale declarato ab Ecclesia coniuge hæretico, innocens non solum possit ad religionem transire, sed etiam ad ordines sacros assumendos.*
10. *An siue fiat religiosus siue in sacris ordinetur innocens, non teneatur hæreticus reconciliatus religionem ingredi, aut voto castitatis se adstringere.*
11. *An coniux hæreticus quantum est ex vi iuris matrimonialis, nequeat vel sacros ordines suscipere, vel professionem solemnem emittere in religione repugnante altero coniuge innocente.*
12. *Quid nomine fornicationis veniat intelligendum, remissuè.*

DVplex superest in hoc §. dubium enucleandum quod deseruiet ad maiorem dictorum intelligentiam. Primum est, an † postquam hæreticus est talis sententia publica declaratus, & incurrit priuationem iuris petendi debitum, & innocens absolutus ab obligatione reddendi, possit iste libere in sæculo manere separatus ab alio, an teneatur ad religionem conuolare, & in ea professionem emittere, ita vt possit ad eam faciendam cogi, vel cum coniuge cohabitare & residere. Duplex est sententia prima adfirmat innocentẽ teneri Religionẽ ingredi, aut cohabitare cum hæretico etiam per sententiam reconciliato, ita videtur decisum *cap.fin. de conuers. coniugat.* Vbi Pontifex solum concedit liberam facultatem vxori fideli, vt reuertẽte marito ab hæresi à quo fuit iudicio Ecclesiæ separata, vt possit ad religionem libere conuolare, vnde *cap.de illa.de diuort.* in quo videtur omnimoda libertas concedi innocenti separato iudicio Ecclesiæ non admittendi hæreticum reconciliatum corrigitur per præfatum *cap final. & cap.quanto de diuort.in fine* vbi glossa *verb.redire cogatur.nisi velit religionem intrare.* Quã cõmuniter sequuntur iuris canonici interpretes, & multi ex Theologis quos citat Sanchez *n.*17.

Secunda

3 Secunda sententia est, quod † innocens liberè potest, siue in sæculo manere, siue ad Religionem cõuolare, ibique profiteri, quia ab Ecclesia declaratus hæreticus amisit ius omne, erga coniugem innocentem, & iste absoluitur à iure reddendi debitum coniugale. Ita Sanchez *n.*19.Couarr.4. *decret. vbi supra, etiam vbi supra* Castro *de iusta haret. punit.* Abulensis *vbi supra quæst.*72.*versic sed dicitur.* Fundamentum est, quia iuris correctio ita est odiosa, quod vt vitetur debent verba impropriari, *leg.sed & posteriores, iuncta glossa verb. pertinent D. de leg.* Butrius *cap.cum dilectus n.*15. *de consuetud.* vbi Immola *num.*12. Abbas *cap cum olim de sentent. & re iudic.* Alexand. *consil.*83.*num.*12.*lib.*4. cum ergo *in cap. de illa* absoluta libertas concedatur vxori, per iudicium Ecclesiæ separatæ propter hæresim mariti, caput finale citatum, etsi dicat quod liberè possit ad Religionem conuolare, hoc non dicitur taxatiuè, sed solum exposuit Pontifex exemplum, in re difficiliori, vt est profiteri in Religione, non tamen negauit, quod posset in sæculo manere, in quo casu maior est facilitas, vt possit si velit marito reconciliari.

4 Ego vero existimo † quod si pœna diuortij est à iure humano imposita propter adulterium spirituale hæresis, & non est necessaria alia sententia separationis, sed solum sententia declaratoria criminis, vt sentit Sanchez, & Authores secundæ sententiæ, non potest coniux innocens, altero emendato & correcto, manere in sæculo, sed, vel tenetur ad eum redire, vel si non vult redire, tenetur ad Religionem conuolare, potestque compelli, vt vnum horum faciat, & sic verissima est prima sententia glossæ, *cap. quanto de diuort.* Ratio est, quia pœna ista est ab Ecclesia imposita ob crimen hæresis, sicut est imposita pœna mortis, & amissio bonorum temporalium, eo autem ipso quod Ecclesia sibi reconciliat hæreticum, quia emendatus sicut remittit pœnam mortis, ita remittit priuationem fidelitatis matrimonialis & iuris exigendi debitum, nisi innocens ad religionem conuolet, sub hac enim † conditione remittitur priuatio iuris
5 exigendi hæretico reconciliato, & conuerso, & absoluitur innocens à debito fidelitatis matrimonialis, quãtum ad debitum reddendi, vt clarè deciditur, *cap.fin.cit. & sic cap. de illa* intelligitur si apponatur talis conditio, non vero si velit innocens manere in sæculo, & hoc modo melius conciliantur textus isti, qui aliqualem antynomiam videtur habere, nam decreta posteriora, vbi expressè prioribus non aduersantur sunt mutuo ex illis supplenda, & intelligenda, vt legum correctio vitetur, *leg.sed & posteriores, cit.cap. autem de illa*, quod est Vrbani III. prius est quam *cap.finale*, quod est Gregorij IX. qui vixit *anno* 1227. Vrbanus autem *anno* 1185. cuius decretum explicuit Gregorius IX. addens conditionem, quam non expressit Vrbanus, quare ius quod fecit Vrbanus, non correxit Gregorius, sed tanquam Legislator declarauit.

Existimo secundo, quod si pœna diuor- 6
tij ob adulterium spirituale hæresis est lata à Christo, sicut est latum diuortium ob adulterium carnale, eo ipso quod declaretur ab Ecclesia hoc adulterium, innocens liberè potest manere in sæculo, siue transire ad religionem & sic potest intelligi secunda sententia. Ratio est perspicua, quia diuortium est pœna vtriusque adulterij tam carnalis, quam spiritualis à Christo Domino imposita *Matth.*5.*&* 19. æqualiter est intelligenda, quantum ad qualitatem & quantitatẽ, quare sicut in diuortio propter adulterium carnale, innocens liberè vel in sæculo manere, vel ad religionem transuolare, potest ita in diuortio propter adulterium spirituale.

Dixi quod hoc modo potest intelligi secunda sententia, nam vt auctores illius autumant, quod † diuortium propter adulte- 7
rium spirituale est pœna lata ab Ecclesia, & iure humano imposita, sicut est pœna mortis, sicut pia mater remittit hanc hæretico reconciliato, ita etiam remittit priuationem iuris petendi, debitumque fidelitatis, vnde nisi speciali sententia ad petitionem innocentis diuortium celebretur, innocens tenetur reddere & cohabitare cum hæretico emẽdato, & reconciliato, quia eo ipso, quod 8
Ecclesia non exprimit in declaratione hæretici, quod est priuatus iure exigendi, sicut declarat, quod est priuatus bonis temporalibus cum priuatio priuati iuris humana sit pœna, non intelligitur executa nisi in sententia reconciliationis sit expressa, sicut exprimitur priuatio bonorum temporalium, quæ pertinent ad fiscum.

Cæterum circa huius dubij resolutionem datam, etiam iuxta meum dictamen duplici existimatione enucleatum duo, vel tria sunt aduertenda. Primum etiam † propter 9
adulterium spirituale, declarato ab Ecclesia coniuge hæretico, innocens non solum potest ad religionem transire, sed etiam ad ordines sacros assumendos iuxta dicta de adulterio carnali, quod etiam tenet verum iuxta dicta *existimat. prima* quia assumptio sacri Ordinis habet intrinsecè annexum votum castitatis, & status perfectioris professionem, quare sicut conceditur prius secundum conceditur, quamuis ad dissoluendum matrimonium ratum solum valet professio in religione non assumptio sacri Ordinis, vt definit Ioan.XXII. *extrauag.antiquæ de voto*, aduertit Thomas Sanchez *n.*22. quod † siue 10
fiat

fiat religiosus, siue ordinetur in sacris innocens, non tenetur hæreticus reconciliatus vel religionem ingredi, aut voto castitatis se adstringere, quia *cap.final.de conuers. coniugat.* libera conceditur facultas innocenti transuolandi ad religionem, non autem esset hæc facultas libera, si alter deberet ingredi aut castitatem vouere. Deinde quia in adulterio carnali si innocens vult ingredi religionem, adulter non tenetur ad idem aut ad vouendam continentiam.

11 Secundum est, quod † coniux hæreticus quantum est ex vi iuris matrimonialis nequit vel sacros ordines suscipere, vel professionem solemnem in religione repugnante aut non consentiente altero coniuge innocente, vt supra docui loquens de adulterio carnali, ita Sanchez *num.* 24. cum multis quos citat Sylvester *verb. diuortium n.* 13. *quæst.* 10. postquam enim ex Hostiensi & Panormitano & glossa *cap. final. de conuers. coniug.* dixit, quod Christus *Matth.* 5. & 19.

12 † per fornicationem intellexit adulterium tam spirituale quam carnale, concludit dicens. *Nota secundum Panormita. quod verbum generale in materia pœnali intelligitur largo modo, si dispositio tendit in fauorem fidei, & sic cum Dominus dicit excepta fornicationis causa glossa dicit, carnalis vel spiritualis.* Ex qua doctrina colligitur, quod adulteri spirituali adulterio si innocens petit sibi reconciliari debet, & debitum reddere tenetur, nec eo inuito potest intrare religionem, quia introductum in fauorem meum, in damnum retorqueri non debet *leg. qui fauore. C. de leg.* quod intelligitur siue lata sententia diuortij, siue ante, iuxta dicta de adulterio carnali, quare in hoc puncto discurrendum est consequenter in vtroque adulterio.

SVBRESOLVT. III.

Vtrum in adulterio spirituali detur compensatio?

SVMMARIVM.

1. *An in adulterio spirituali propter hæresim detur compensatio.*
2. *An si innocens adulterio spirituali sit adulter carnali adulterio hæreticus declaratus emendatus ponat alteri exceptionem adulterij carnali, iste nequeat diuortium celebrare.*
3. *Christus Dominus per verbum generale, nisi propter fornicationem, an intellexerit vtrumque adulterium.*
4. *Sanchez sensus adducitur.*
5. *An idem prorsus acquirat innocens & amittat reus in adulterio carnali, ac in spirituali hæresis.*
6. *An si innocens adulterium committat eo ipso amittat ius negandi, & teneatur sibi reconciliare alterum.*
7. *An adulter spiritualiter per hæresim licitè & validè possit ponere exceptionem alterius adulterij.*
8. *An fornicatio in sponsa de futuro nequeat compensari lepra sponsi.*
9. *An si vterque coniux sit damnatus de hæresi, vterque teneatur simul residere & cohabitare.*
10. *An diuortium ratione adulterij sit prorsus in fauorem coniugis innocentis.*
11. *Sententia Ecclesiæ diuortium celebrantis non est cogens ad separationem, sed licentiam præbens, & ideo absque retractatione præcedentis sententiæ, potest reconciliatio sequi, ex S. Thom.*
12. *An diuortium propter hæresim principaliter & directè non detur in fauorem alterius coniugis, sed in pœnam delicti.*
13. *Thomæ Sanchez mens affertur.*
14. *An quamuis Ecclesia dum damnat coniugem de hæresi independenter ab aliqua alia voluntate pœnam diuortij imponat.*
15. *An aliquando vinculo matrimonij manente, soluatur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem.*
16. *An etiamsi hæreticus non sit sententia publica damnatus propter hæresim si coniux Catholicus accusetur ab eo de adulterio carnali, possit iste illi obiicere adulterium hæreseos.*
17. *S. Thomæ sententia affertur.*
18. *An infidelitas sit fornicatio spiritualis.*
19. *Matrimonium principaliter institutum est ad bonum tantum prolis generandæ.*
20. *An disparitas cultus non impediat matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide.*
21. *An fideles matrimonium contrahentes, illud contrahant perfectum non solum perfectione prima sed etiam perfectione secunda.*
22. *An adulterium carnale opponatur materiali perfectioni, & spirituale opponatur formali.*

SECUNDUM dubium, an sicut in adulterio carnali datur delicti compensantio † detur etiam in adulterio spirituali propter hæresim? quod dupliciter potest intelligi, primo si vnus spiritualiter & alter carnaliter adulteretur, secundo si vterque adulterium spirituale commiserit. Thomas Sanchez *lib.* 10. *disp.* 16. *à num.* 3. negat in vtroque sensu dubij dari recompensationem nec pro se aliquem adducit authorem, sed ipse primus hoc docuit quem secutus est Perez *disp.* 57. *de matrim. sect.* 3. Horum fundamenta, infra dum probem meam sententiam diluta & fine robore comparebunt. Legionens. *l.* 9. *de matrim. c.* 22. *n.* 6. quod valdè miror.

Sed mihi contrarium summopere arridet

2 in vtroque sensu, ita vt † si innocens adulterio spirituali sit adulter carnali adulterio hæreticus declaratus emendatus, tamen ponat alteri exceptionē adulterij carnalis, iste nequit diuortiū celebrare, sed vterq; tenetur simul residere, & cohabitare, sicut si vterque committeret adulterium carnale, & etiam pari modo dicēdum est, si vterque hæresim commiserint sitque vterque Ecclesiæ recōciliatus, & emendatus. Hæc omnium antiquorum sententia, tenent Sylvester *verb. diuort. n.* 14. *q.* 11. citans Gofred. & Hostiens. Panor. *cap. fin. de conuers. coniug.* vbi Io. Andr. & Butr. *n.* 4. Anchar. *n.* 3. Alberic. *in dictionar. verb. matr.* 8. Fiburg. *in Sum. lib.* 4. *tit.* 22. *q.* 17. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 22. §. 6. *vers. nota.* Rosella *verb. diuortium in fin.* & Armilla *n.* 9. Ita etim Sylvest. *verb. Matr.* 9. *q.* 8. Greg. Lopez *leg.* 8. *tit.* 2. *p.* 4. Gaeta *ad c. ad liminæ* 30. *q.* 1. *n.* 234. Hos omnes refert Tho. Sanch. quibus ego addo fundamenta, & vrgētes rationes.

3 Prima sit quia, vt suprà ostensū est, † Christus Dominus per verbum generale *nisi propter fornicationem*, intellexit vtrumque adulteriū carnale & spirituale, & sic per vtrumque acquiritur ius ab innocente dimittendi adulterium in perpetuum, ergo quamuis adulteria valdè sint diuersa, ius autē acquisitum dimittendi idem prorsus est, quamuis à diuersa causa sicut D. Tho. *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *art.* 4. dicit *quod in causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur, non tamen pariter, quia quamuis in vtroque sit causa ad diuortium, tamen maior est causa in vno scilicet vxore quam in altero scilicet viro.* Cum ergo in fauorem fidei Euāgelicæ, per fornicationem & adulterium spirituale hæresis concesserit diuortium, si vterque vel spirituale commiserit adulterium, vel vnum spirituale & aliud carnale, si præcedat sententia Ecclesiæ declarās adulterium spirituale, manifestè sequitur, quod datur compensatio, & ille qui antequā alter commiserit adulterium spirituale, & ante sententiā reconciliatiuam Ecclesiæ cōmisit simile adulterium, vel carnale, nequit celebrare diuortiū, nec vti iure, quod habuit ad non reddendum debitum alteri adultero, quia alius coniux simile ius acquisiuit, per adulterium alterius & vnum ius alteri cōpēsatur, sicut quum vterque commisit adulteriū carnale, ius ad diuortium æquale est in vtroque etsi à diuersa causa dimanās, quod valdè per accidens, quare vnū compensatur altero sicut ius, quod habeo ad centum ex promissione facta mihi à Petro recompensatur iure quod habet Petrus contra me ex furto, quod ex rebus suis feci quamuis hæc iura à diuersa origine dimanent.

Respondet Sanch. † *vbi sup.* & ex ipso Per. 4

n. 4. esse diuersam rationem: *nam in debitis est aliquid tradendum creditor, & cum idem creditor mihi tantumdem mille tradere teneatur optima datur inter huiusmodi debita compensatio, esset enim circulus inutilis, petere idē, quod statim restituendum est. At in diuortio nihil tradendū alteri, sed solum reus amittit ius petendi debitum, & habitationem mutuam, manente illæso iure innocentis petentis reum inuitum sibi reconciliare. Quare vbi causæ, & iniuriæ ex quibus diuortia manant sunt diuersæ rationes, & diuersis illatæ, sicut inter illas non datur compensatio, ita neque inter diuortia. Sicut in sponsis de futuro, si vterque sponsus habeat iustam causam dissoluendi sponsalia, si tamen causæ diuersæ rationis, nequit dari compensatio, sed vtrique erit integrum altero inuito resilire. Vt si spōsa fornicata sit, & sponsus lepra laboret, ipsi sponsæ fidem petenti obstabit propria fornicatio; sponso autem lepra, ob quæ neuter fidei sponsaliū stare tenetur, cum ob diuersas rationes vterque ius cogendi alterum amiserit. Sic similiter in nostro casu, nam vterque coniux ius cogendi alterum ob diuersæ naturæ rationes perdidit liberum: ergo vtrique diuertere, nec dabitur hinc inde compensatio.* Hæc Perez ex Sanch.

Verum enimvero solutio hæc prorsus friuola est, & exemplum quo firmatur inane,

5 quia † idē prorsus acquirit innocens & amittit reus in adulterio carnali ac in adulterio spirituali hæresis, postquam adulter est publica sententia declaratus, & reconciliatus, atqui in adulterio carnali datur recompensatio ergo & in adulterio spirituali, cōsequētia est euidens, quia per adulterium carnale adulter solum amittit ius petendi, & innocens acquirit ius negandi exigenti, & ius reconciliandi sibi adulterum semper retinet,

6 vnde † si innocēs adulterium committat, eo ipso amittit ius negandi & tenetur sibi recōciliare alterum, ita vt non possit illum accusare, nec lucrari dotem & bona alterius, vnde etsi nihil tradat priori adultero, tamen sicut iste per adulterium ius petēdi amisit, ita alter per suum adulteriū, & sic manent pares in iuriū amissione & fit vtriusque delicti cōpēsatio, & remittuntur iniuriæ mutuo sibi factæ, & euadit cōpensatio, ita fit dubio procul quū vnus carnaliter & alter spiritualiter, vel ambo spiritualiter adulterantur, vterq; enim pares sūt amissione iuris petēdi, & in iure negandi exigēti, vnde quāuis denuo adulterās carnaliter, nihil tradat adultero spiritualiter, tamē quāuis causæ iniuriarū diuersæ naturæ & rationis sint, tamen cum iniuriæ eiusdem prorsus sint rationis dubio procul cōpēsātur,

7 quare † adulter spiritualiter per hæresim licite & valide potest ponere exceptionem alterius adulterij, iniuriæ enim istæ ordinatæ sunt in ordine ad dimissionē vxoris, & dis-

solutionē matrimonialis residētiæ, quare sicut idē calor in specie causatur à principiis specie diuersis, quia semper calor est dispositio ad grauationē, ita iniuriæ eiusdem rationis causātur ab adulteriis specie diuersis, quia semper ordinantur ad eundē effectum scilicet solutionē matrimonialis residentiæ, quæ cum sit de iure naturæ, vt vidimus, hoc ius obligat vtrūque coniugem eo ipso quod quilibet causā dedit diuortij, quia vnus de obligatur à residentia, quia iniuriatus est ab alio, si ergo iste etiam iniuriātem iniuriauit, æquales sunt & nulla subest causa honesta excusās ab obligatione residētiæ mutuæ matrimonialis, hæc doctrina valdè notanda est, qua conuincitur falsitatis opposita sentētia.

8 Exemplum de sponsis de futuro, vt dixi inane est, non enim ideo fornicatio in sponsa de futuro nequit cōpensari lepra spōsi, & ita tenentur stare cōtractui, quia sūt causæ diuersæ rationis, hoc enim dicere prorsus est ridiculū, sed quia res notabiliter sūt alteratæ, ac quādo contractus sponsalitius initus fuit, & dissolui potest etiāsi causæ essent eiusdem rationis, vt si vterque sponsus esset leprosus, vel vtrique nasus amputaretur, *cap. quemad. de iureiur.* vel si vterq; valdè esset formosus & effecti sūt notabiliter deformes, vt ait ipse Tho. Sanch. *lib. 1. disp. 37. n. 4.* ex D. Th. *in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 3.* quē sequuntur Innoc. *cap. quemadmodum n. 3.* & ibi Host. quia inquiunt non manent res in eodē statu, ex hac enim radice pullulat, quod non detur compensatio in sponsalibus, præfatis non ex eo quod sint causæ diuersæ rationis.

Secunda ratio ex priori sic deducitur & 9 formatur, quia † si vterque coniux sit damnatus de hæresi, vterque tenetur simul residere, & cohabitare, ergo datur compensatio inter adulteria spiritualia antecedēs mihi est indubitatū, quia vtrique pares sunt in delicto, & sic neque Ecclesia potest cum illis disponere, vt alter alteri debitum coniugale non reddat, & fidem matrimonij non seruet, quia hoc est de iure naturæ, quod nō amittitur nisi ob causam quā Innocens habet datam ab altero. Sed respōdet Pater *n. 4.* rē satis nouam, & ab ipso solo primo excogitatā, *si vterque coniux hæresis damnatus sit, integrum erit vtrique altero inuito diuertere, donec mutuo consensu ambo ad pristinum matrimonij statum, & amicitiā redeant, quia nō sicut duo adulteria vtriusque coniugis datur compen-*
10 *satio, ita inter hæc delicta hæresis. Nam † diuortiū ratione adulterij est prorsus in fauorem coniugis innocentis, ita vt ipse solus hanc pœnā possit infligere adultero. Quare vbi alter non est innocens hoc priuilegio minimè gaudeat. At in hæresi non datur diuortium principaliter & directè in fauorem alterius coniugis, sed in pœnam delicti, eo quod debitam fidem hæreticus nō seruauerit Deo, punitur in eo in quo reus fuit, & ita absoluitur alter à fide cōiugali ipsi debita, quāuis indirecte & consecutiuè ea pœna cedat in alterius fauorem.* Hactenus ex Sanchez.

Verum enim vero solutio hæc vim argumenti facti non eneruat, vt enim ait D. Th. *in 4. dist. 35. q. vnic. art. 6. ad 1.* † *sententia Ec-* 11
clesiæ diuortium celebrantis non est cogens ad separationem, sed licentiam præbens, & ideo absque retractatione præcedentis sententiæ potest reconciliatio sequi; hæc S.D. ex quibus manifestè impugnatur præfata solutio quum vterque est publica sentētia damnatus propter hæresim vterque non cogitur ad diuortium, sed ex vi sententiæ ipso facto, vterque habet licentiam & facultatem celebrandi diuortium in pœnam hæresis, qua quia negatur fides Deo dignus sit hæreticus, vt puniatur in hoc, quod alter absoluatur à fide coniugali, quæ alias ipsi hæretico debebatur; ergo si iste alter sit damnatus hæreticus dignus etiam est, vt ille alius etiam absoluatur à fide coniugali, ergo vterque causam eiusdem rationis dedit, vt puniatur pœna diuortij & absolutione alterius coniugis à fide coniugali, ergo cum Ecclesia non cogat, sed licentiam præbeat vtrique ad diuortium celebrandum, ita vt vterque possit reconciliari sibi alterum statim ac condemnati sunt, vt quotidie videmus, ad hoc tenentur in conscientia non secus ac si vterque adulterium commisisset carnale, consequentia est, ni fallor, euidens, quia vterque dedit causam culpabilem eiusdem rationis, vt delictum puniretur diuortio, scilicet hæresim, & vterque non cogitur ad celebrandum diuortium, sed etiam data sententia quilibet habet facultatem sibi reconciliandi alterum ergo tenetur id facere, quia vtrique pares sunt in delicto, & pares in causa, & dignitate pœnæ, ergo in conscientia tenetur alium non dimittere, ipso inuito statum mutare, sed obligantur præcepto naturali de residentia matrimoniali. Quod enim † diuortium propter hæ- 12
resim principaliter & directè non detur in fauorem alterius coniugis, sed in pœnam delicti, quā pœnā infert Iudex & non alter cōiux sicut in adulterio carnali innocēs potest imponere adultero, nihil omnino cōducit ad propositū, quia etiāsi diuortiū detur in pœnā delicti, tamē non cogit alterū coniugē ad diuortiū, sed liberū ipsum relinquit, vt si velit, sibi reconciliet consortem, hic enim fauor à nullo Legislatore humano potest auferri, ergo si vterque damnatus est de hæresi cum causam celebrandi diuortiū in pœnam delicti æqualiter dederint, neuter potest alium dimittere, sed obligatur in conscientia ad illum sibi reconciliandum,

Id autem quod dicit Tho. Sanchez, quod quam

13 quamuis † *alter coniux eandem pœnam incurrat non eximitur altera pœna, in qua etiam incidit cum nullibi ea autē inueniatur, vt ius per pœnā amissum recuperetur altero obnoxio eiusdē pœnæ, sed vterque illa pœna punietur, quæ nō ab altero coniuge sicut in adulterio carnali, sed imponitur ab Ecclesia independenter à voluntate alterius cōiugis, quamuis possit alter eam remittere reconciliando sibi coniugem damnatū.* Hæc ille, quæ nullatenus euertunt, imo solide firmant ea quæ diximus, quamuis enim hæc doctrina vera sit in pœna, cuius executio non pendet à voluntate alterius rei, eiusdem pœnæ, at quando remissio pœnæ ab alio reo pendet, si vtrique conueniant in remissione pœnæ, vterque liber ab ea & immunis manebit, & ita contingit in præsenti, quia vtrique coniuges possunt sibi pœnam diuortij positi, ab Ecclesia in pœnam delicti sibi remittere, & reconciliare inter sese, ergo eo ipso quod ambo sunt pares in causa diuortij, quia ambo damnati de hæresi & reconciliati Ecclesiæ, tenentur simul cohabitare, & residere, nec alter potest sine alterius licentia religionē ingredi, aut sacros suscipere ordi-
14 nes. Quare quāuis † Ecclesia dū damnat cōiugem de hæresi independenter ab aliqua alia volūtate pœnā diuortij imponat, cæterū huius pœnæ remissio subditur volūtati eius, qui absoluitur ab obligatione reddendi debitum & fidelitate matrimoniali, quod satis sufficit, vt adulteriū hæreseos altero recompēsentur. Præter quā quod cū vterque coniux dānatur propter hæresim, quā commiserunt, vterque sua culpa fit dignus, vt separetur ab alio per diuortium, quod opponitur matrimoniali residentiæ, & sic vnius dignitas ad hāc pœnā diuortij perpetui, altera dignitate alterius compēsatur, sicut fit in adulterio mutuo carnali, quod egregiè contēplatus est D. Tho. *in 4. dist. 39. q. 1. art. 3. in corp.*

15 † *aliquando* (ait) *vinculo matrimonij manente soluitur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem in quo pari passu currunt infidelitas, & adulteriū, quia vtrumque est contra bonum prolis, vnde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cū ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cū ea,* ergo sicut adulterium carnale altero carnali alterius cōiugis cōpensatur, ita adulteriū hæresis altero carnali. Vnde fit quōd si coniux sit adulter carnaliter, & alter spirituali adulterio infectus, sitque reconciliatus & petat diuortium ob carnale adulteriū alterius, potest iste ponere illi hæresis & adulterij spiritualis exceptionē, nisi vterq ue fuerint inter se reconciliati, & post reconciliationem commiserit adul terium carnale. Imo addo iuxta mea &
16 S.D. principia, quod † etiamsi hæreticus non sit sententia publica dānatus propter hæresim, si coniux Catholicus accusetur ab eo de adulterio carnali, potest iste obiicere illi adulterium hæreseos, quōd si probauerit, dubio procul recompēsabūtur iniuriæ, quāuis ex diuersis causis dimanent, & ratio est ex dictis, quia hæreticus ipso iure diuino incurrit pœnam diuortij, quare si probata sit hæresis, amittit ius alterum accusandi.

Tertio huius veritatis firmissimū iecit S. 17
D. fundamētum *dist. cit. art. 6. ad primū* † *quia quāuis adulterium carnale magis directè opponatur matrimonio in quantum est inofficiū naturæ, quam infidelitas, tamen è conuerso est, secūdum quod matrimonium est sacramentum Ecclesiæ, ex quo habet perfectam firmitatem, in quantum significat indiuisibilem coniūctionem Christi & Ecclesiæ,* ex quibus tale formo argumētum ex Christi Domini institutione matrimonium, quod est iure naturali contractus mutuus inter virum & fœminam ad cohabitandum in speciei multiplicationem secundū indiuidua eius, eleuatum est ad rationē sacramenti; ergo qui in hæresim incidit, aut infidelitatis aliā specialē iniuriā facit sacramento matrimonij, quatenus sacramentū est significans indiuisibilē coniunctionē Christi, & Ecclesiæ, quatenus isti Christus despōsatur per fidēi, iuxta illud Oseæ *c. 2. n. 20.* spōsabo te mihi in fide, quæ sponsatio ad litterā intelligūt PP. eā quam fecit Christus cū Ecclesia, quā significat matrimoniū quatenus est sacramētum, vnde ille qui hæreticus declaratur, aut infidelis, declaratur adulter adulterio spirituali, quatenus fecit iniuriā alteri coniugi quatenus illi est factus vna caro per sacramentū matrimonij, etsi vt sic directè nō opponatur matrimonio quatenus est inofficiū naturæ, vnde cū duplex iniuria fiat coniugi & quatenus matrimonium est inofficiū naturæ, & quatenus est sacramentum, duplex est adulteriū & fornicatio (quā Christus qui matrimonij sacramentū instituit, cōprehendit. *Matt. 5. & 19.*) & naturalis, quæ opponitur matrimonio, vt est inofficiū naturæ, & sacramentalis, quæ illi opponitur, vt est sacramentum, & sic vna compensatur per aliam.

Quæ doctrina adeo est vera, quod † infide- 18
litas sit fornicatio spiritualis, quam Christus Dominus nomine fornicationis comprehēdit, quod aliquādo sit sufficiens ad dirimendū matrimoniū factum inter infideles, etiam consummatū, si vnū conuertatur & alius nolit cōuerti, sed persistere in sua infidelitate cū contumelia Creatoris nolēs audire nomē Christi, vnde potest ille qui cōuertitur aliud matrimoniūm contrahere cum fideli, per quod absumitur prius vinculū cum infideli ex natura rei, quia cum matrimonium infidelium, etiamsi sit verus contractus insolubilis, tamen est matrimonium, non tamen

men est ratum & perfectum, sicut est matrimonium fidelium, quod est perfectum & omnino insolubile, id autem quod est imperfectum ex natura rei destruitur per id quod est firmius & perfectum si vinculum imperfectum opponatur vinculo perfecto, & rato, vt contingit in præsenti, & hoc ius naturale explicuit Paulus 1. *ad Corinth.7. n. 12.quod si infidelis discedit, discedat, neque enim seruituti subiectus est soror aut frater huiusmodi*, quod sic esse intelligendum definit Innocent.III.*cap.quanto de diuort.*

Huius tertiæ rationis firmum fundamentum posuit S.Doctor.*vbi supra art.1.* dicens,
19 *quod † matrimonium principaliter institutum est ad bonum prolis non tantum generandæ, quia hoc sine matrimonio fieri posset sed etiam promouendæ ad perfectum statum, est autem in prole duplex perfectio consideanda, scilicet perfectio naturæ, non solum quantum ad corpus, sed etiam quãtum ad animam per ea quæ sunt de lege naturæ & perfectio gratiæ, Prima perfectio est materialis & imperfecta respectu secundæ, & ideo cum res quæ sunt propter finem, sint proportionatæ fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem est imperfectum, & materiale respectu illius quod tendit in perfectionem secundam, & quia prima perfectio communis esse potest fidelibus & infidelibus, secunda autem est tantum fidelium ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum vltima perfectione, sicut est inter fideles & in solut. ad.2.*
20 dicit, *quod disparitas cultus non impedit matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide, Disparitas enim cultus non solum secundam perfectionem prolis impedit, sed etiã primam, dum parentes ad diuersa prolẽ trahere intẽdunt, quod non est quum vterque est infidelis.*

Ex qua doctrina euidenter deducitur, quod
21 † fideles matrimonium contrahentes illud contrahunt perfectum non solum perfectione *prima*, sed etiam perfectione *secunda*, & ex vtraque fit tanquam ex materiali & formali vnum matrimonium omnino perfectum, & insolubile, vnde coniuges ex Christi institutione ius habent, quod huius matrimonij vtraque perfectio conseruetur, & non excludatur per disparitatem religionis, vnde adulterium carnale opponitur materiali perfe-
22 ctioni & adulterium spirituale, opponitur formali, & fides matrimonialis vtrumque comprehendit, & non diuidere carnem suã in aliam, nec diuidere religionem suam verã in aliam eam assumendo, quare, qui fidem catholicam deserit fidem matrimonialem, quoad formale frangit, & sic iniuriam facit coniugi, quare si vterque fidem Catholicam deserit, vna iniuria alia compensatur, sicut, si vterque fornicatur carnaliter, vnum adulterium carnale altero carnali recompensatur latius quam oportebat absolute, diffudi calamum in hoc dubio vt veritatem antiquorum enuclearem, hoc enim intendunt, & eo tendunt mea scripta, vt nouitates excludantur, & vincat antiquitas.

§. II.

De inductione ad peccandum.

SVMMARIVM.

1. *Temporalis diuortij causa adducuntur.*
2. *Prima causa temporalis diuortij, quæ dicatur.*
3. *Fornicatio corporalis & infidelitas specialem habent contrarietatem ad dona matrimonij, ex S.D.*
4. *An hæresis secum non adferat magnum periculum peruertendi fidem & religionem alterius coniugis.*
5. *Hæresis siue infidelitas sicut & adulterium carnale specialiter habent vim separandi matrimonia.*
6. *An si vnus coniux solicitet alium ad peccandum possit petere diuortium, & n.8.*
7. *An diuersitas credulitatis & religionis perfectionem matrimonij euertat.*
9. *Quodnam diuortium sit concessum iure naturæ.*
10. *An ob inductionem ad peccatum mortale detur sententia diuortij.*
11. *An si maritus ob aliqua crimina sit publicè diffamatus, vxor possit virum dimittere, & sic è contra.*
12. *An vxor non teneatur dimittere virum qui ipsam alit ex rebus furto acquisitis.*
13. *Nauarri mens adducitur.*

VTrumque adulterium tam carnale quã spirituale diximus ex sententia Christi esse causam sufficientem perpetui diuortij, nisi fiat compensatio, præter hæc autem nulla est alia causa perpetui diuortij nisi ad tempus siue determinatum siue indeterminatũ, vt ait Trid.*sess.23.cano....* † Huius tempora- 1
lis diuortij causæ plures adducuntur ab auctoribus. In genere autem sunt sequentes quæ hic sunt examinandæ, prima est si vnus coniux alium pertrahat ad peccandum, secũda sæuitia alicuius coniugis, tertia si fiat aliquis eorum furiosus, de quibus late Thomas Sanchez *lib.10.à disp.17.vsque ad* 19.Legionensis aliqua prælibauit *lib.9.cap.23.* & Perez *disp.* 60. Dicastillus pauca & summaria *tr.vlt.de matr.* ego vero media via incedam.

Igitur † de prima causa quæ est pertra- 2
ctio ad peccatum, certum est, quod etsi vnus coniux alium suis peccatis scandalizet, quod si hoc non sit, quod illud pertrahat ad peccandum ipsum inducendo, persuasionibus, monitionibus, minis, promissionibus, &c. nõ licet petere diuortium, nec ab alio coniuge quantum

quantumuis grauibus delictis perpetrandis sit intentus (si non sit hæresis, adulterium, vt supra diximus, aut idololatria *c. 2.de diuort.*) diuertere, sed tenetur cum eo residere, quia ipse etsi malus sit nõ inducit alium ad malum, etsi enim malum operetur, tamen non intendit alium inducere ad malum, qui sua voluntate dumtaxat malum facit, si enim, quia malus est & vitiis intentus, non intendens, vt alius malus fiat nec inducit ad malum, licite concederetur diuortium ansa daretur, vt facillimè dissoluerentur matrimonia, id quod expresè cauetur *cap. 2. de diuort.cit.* & tenent vniuersi vtriusq; iuris interpretes & omnes Theologi cum D. Thoma *in 4. distinct. 39. quæst. vnic. articul. 6.*
3 quia ait, *quod † fornicatio corporalis & infidelitas specialem habent contrarietatem ad dona matrimonij, vnde specialiter habent vim separandi matrimonia, quod non habent alia peccata, quare ista non esse causam sufficientem petendi diuortium coram iudice Ecclesiastico, quamuis vir si velit posset se subtrahere ad tempus à consortio vxoris ad castigationem subtrahendo ei præsentiæ suæ solatium*; vnde ad solut. ad 3. cum sibi obiecisset locum Matthæi 18. *num. 9. si dextera manus tua scandalizat te abscinde eam & proiice abs te*, quod glossa ibi intelligit *de vxore.* Respondet S. Doctor, *quod hoc intelligendum est quum mulier præstat magnam occasionem ruinæ viro suo, vt vir probabiliter sibi de periculo timeat, tunc enim vir potest se subtrahere ab eius conuersatione, vt dictum est in corp. articul. vt scilicet vxor eo solatio destituta resipiscat.*

4 Quare non ex eo præcisè, quod † hæresis secum adfert magnum periculum peruertendi fidem, & religionem alterius coniugis isti licitum est diuertere, quia ratione huius periculi si proximum est, etiam licet diuertere ob alia crimina, quibus assuescit alius coniux, quia iure naturali cuicunque est siue præceptum siue permissum fugere periculum mortis spiritualis ratione peccati mortalis, siue naturalis per homicidium, atqui Patres, Concilia, & omnes scri-
5 ptores dicunt, quod † hæresis siue infidelitas, sicut & adulterium carnale specialiter habent vim separandi matrimonia, quia huiusmodi peccata specialem habent contrarietattm ad bona matrimonij, & sic vt supra probatum relinquimus Christus Dominus declarauit esse sufficientem causam diuortij perpetui, non ratione periculi, quia cessante hoc periculo peruersionis à fide non liceret diuertere cuius contrarium supra dixi, sicut cessante periculo imitandi coniugem in aliis criminibus, non licet ab ipso diuertere, sed est obligatio cohabitandi & cum illo residendi, nisi ad tempus, vel ad puniendum, & castigandum, vel ad fraternaliter corrigendum in quo pares sunt vir & vxor si probabilis sit spes, quod vir corrigatur tali temporaria separatione thori, & debiti denegatione.

Secundum certum est, quod † si vnus 6
coniux solicitat alium ad peccandum mortaliter, siue ad furtum, siue ad homicidium, siue sortilegium, aut habendum pactum, siue explicitum siue implicitum cum dæmone, solicitet inquam suasionibus, minis, aut aliis modis, potest petere diuortium si correctus fraternaliter per se & confessionem, aut amicum non vult se abstinere ab inductione & solicitatione, nec hoc potest indubium verti inter Catholicos, nec contrarium dixit Abulensis *ad cap.19.Matth.q.70. in sol.ad 3.versic.dicendum*, quia fundatur *in cap.quæsiuit.2.de diuortiis*, in quo Alexander III. hoc discrimen constituit inter hæresim & infidelitatem ex vna parte, & cætera alia crimina ex alia, quod ista non sunt causa diuortij, at illa sunt ex natura sua, & ex Christi lege, quia hæresis & infidelitas facto ipso inducũt ad simile, & sunt contra bona ma-
trimonij, diuersitas enim † credulitatis, & re- 7
ligionis perfectionem matrimonij euertit, & parentes quilibet curant trahere prolem ad suam credulitatẽ; & alium coniugem, existimans id animæ saluti necessarium esse, vt aiebat S.Doct.*vbi sup.* quod non contingit in aliis delictis ex ipsorũ natura, & id est quod dicit Abulensis. Cæterum quando coniux 8
inducit expresse coniugẽ ad quodlibet aliud crimen mortale, & in hac inductione perseuerat, nullus Catholicus negare quit, quod potest ab illo diuortiari, quo vsque desistat ab inducendo ad peccatũ, hoc enim docuit Christus. *Matth.18.n.9.* dicens *si oculus tuus scandalizat te erue eũ & proijce abs te*, vbi per oculum PP. intelligunt *vxorem, maritum, & cæteros propinquos*, quia iure diuino tenemur vitare damnũ animæ, & ruinam à gratia per peccatum mortale. Vnde quum coniux habitare & residere cum alio non vult, nisi cũ participet in latrocinio, vel latrones protegat, occultet, vel tueatur, vel in sigillando falsam monetam, vel occultando falsificatores, aut falsa sigilla, non tenetur coniux cum illo residere, imo tenetur dimittere quo vsque emendetur, omnino enim diuertendum est à coniuge scelerato ad peccatum inducente, vel ponente in occasione proxima peccandi aliũ. Ita Aug.*lib.2.de ser. Dom. in monte c.28.* neque † ad hoc diuortiũ requiri- 9
tur sententia iudicis Ecclesiastici, sed iure naturæ concessum est ad vitandum damnum animæ, quod tandiu durabit, quandiu inductio & occasio proxima durat, imo etiamsi adsit sententia iudicis, non est perpetuum diuortium, sed ad tempus, quan-

diu durat inductio, nec aliter potest iudex iudicare, quod diuortium perpetuum, solum imponitur propter fornicationem corporalem & spiritualem.

10 Verum est, quod, quum † ob inductionē ad peccatum mortale datur sententia diuortij, vt effectus huius sententiæ finiatur & cogatur alter innocens admittere ad cohabitationem & residentiam matrimonialem debet constare quod iam inductio cessauit, & est solicitator emendatus, quod si innocenti id constet alias, tenetur ipsum admittere, dixi, quod inductio debet esse ad mortale; nam inductio ad veniale ex genere nō est sufficiens, vt ad mendacium, siue ex leuitate materiæ, vt ad furtum leue, & similia, & similiter non sufficit quod vna vel altera vice inducat ad mortale, quod non est in damnum tertij, aut Reip. sed ad delectationē aut quid simile, quia ad hoc magis inducit delectatio, & concupiscentia, quam malitia; & non dicitur quis scelestus propter vnam inductionē, quod secus est de vtroque adulterio tam carnali quam spirituali, vnum enim istorum sufficit ad diuortium iuxta dicta in superioribus.

His addo primum, quod si maritus pro-
11 pter latrocinia aut alia crimina † sit publice diffamatus per sentētiam per quam infamis efficitur per plateas fustigatus, aut ad triremes damnatus, aut vxor propter veneficia sit papyracea mitra ducta in publicum, vir potest vxorem dimittere, nec vxor virum, sed innocens tenetur cum damnato & infami cohabitare, & residere, quia iure diuino tenentur præcepto residentiæ maritalis.

12 Addo secundū, quod † vxor non tenetur dimittere virum, qui ipsam alit ex rebus ex furto acquisitis vel vsuris, quia ex hoc non fit particeps delicti, nec ad illud solicitatur quamuis maritus impotens fiat ad restituendum, nisi ipsa vxor solicitet ad vsuras, aut ad furta, tunc enim peccat, etsi maritus alias habet hoc vitium, non tenetur ab eo diuertere, sed solum non solicitare ad furta & vsuras iniquas, quod si ex istis ab ipso marito solo factis vxor sustentetur, etiamsi alias ipsa mortuo marito ad pinguiorem euenerit fortunam, non tenetur aliquid restituere, nisi id quod superflue ipsa expenderat, aut consensit quod maritus in eius sustentatione expēderit, & quidem quod non teneatur restituere, id quod maritus in ea honeste iuxta statum suum & qualitatem expendit, tenet
13 Nauarrus † *in summa cap.* 17. *n.* 168. quia ipsa non peccat his bonis se alendo, & ad hoc maritus tenetur priusquam ad restituendū, nam præceptum de alenda vxore prius obligat, quam restituendi absolute loquendo vnde vxor ad nihil tenetur, sed maritus, si iste ad pinguiorem deuenerit fortunam.

§. III.

De sæuitia coniugis.

SVMMARIVM.

1. *Quid nomine sæuitiæ veniat intelligendum.*
2. *Probationes sæuitiæ necessariæ & concludentes debent esse ad thori separationem.*
3. *An æstimare quæ causent metum cadentem in constantem virum sit res arbitraria.*
4. *An probabilitas & causa timendi non sit æstimanda absolutè secundum se, sed respectu subiecti malum timentis.*
5. *An si mulier non machinetur mortem viro, non sit sufficiens causa diuortij.*

NOmine sæuitiæ † quæ sufficientē præ- 1
bet causam ad diuortium intelligunt Doctores hanc materiam tractantes, illam, quæ metum iustum cadentem in constantem virum incutit, huius timoris obiectum est malum graue ratione cuius vitandi, excusatur quis à præcepto residendi, & cohabitandi, cum coniuge sæuo & crudeli, adeo quod etiamsi expoliatus sit ab vxoris possessione, vxor restitui non debet à iudice si coram ipso probata est sæuitia eius, ita expresse decisum est *cap. litteras cap. transmissa de restit. spolint.* vbi omnes Canonistæ, cum tamen separatio thori res sit ardua & grauissima, vt ait Rota apud Farin. *in vna Romana separationis thori* 3. *Decemb.* 1612. *coram Pirouano num.* 2. † probationes sæuitiæ neces- 2
sariæ & concludentes debent esse, vt autem metus iste sit grauis & cadens in constantem virum, non requiritur, quod sit metus mortis, aut amissionis maioris partis bonorum, sed etiam potest esse ex aliis motiuis metus cadens in constantem, virum, vt bene Thom. Sanch. *lib.* 4. *de matrim. à disp.* 5. *vsque ad* 7. Cæterum vt ait Rota *vbi supra decis.* 372. *in vna Romani Palatij* 16. *Ianuar.* 1612. *coram Damascēno num.* 7. Ex qualitate personæ, & familiæ, eadem res dicitur magis, vel minus præiudicialis & damnosa, vnde timor damni, quod est leue respectu plebeiæ fœminæ potest esse cadens in constantem hominem respectu fœminæ nobilis, & tanto magis crescet quantitas damni, quanto magis creuit qualitas personæ, verbera quæ respectu fœminæ ordinariæ nō arguunt viri sæuitiam & acerbam cohabitationem; bene eam arguunt respectu fœminæ nobilis iuxta notata à Barth. *cons.* 116. *num.* 2. *lib.* 3. Tiraquell. *tract. de pœnis caus.* 31. *à n.* 28. Basil. Legionens. *lib.* 9. *cap. vlt. n.* 5.

Hinc est quod † æstimare quæ causent 3
metum cadentem in constantem virum res arbitraria est, ita vt pro foro externo iudicio arbitrio, & pro foro interno boni & timorati viri iudicio relinquatur *l.* 3. *D. ex quibus caus. maior.* ibi. *Non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est, ita leg. autem, ff. si cui plus.* ibi. *Cum possint illusoriæ minæ fieri, ideo eam rem Prætor ad cognitionem suam reuocat.* idque multis citatis tenet Thom. Sanch. *lib.* 4. *disp.* 5. *&* 10. *disp.* 18. *n.* 13. non enim tātum obiectum timoris perpendendum est ad iustum metum cadentem in hominem constantem, sed etiā eius probabilitas, & subiecti qualitas, cui metus incutitur, vtrumque enim cōsiderari debet à iudice, & bono viro, vt diiudicetur, an metus cadat in virum constantem, nec
4 enim † probabilitas, & causa timoris æstimanda est absolutè, & secundum se, sed respectu subiecti malum timentis, tam quoad grauitatem mali, quam quoad probabilitatem, & modum timendi, ille enim qui natura sua pusillanimis est ex faciliori motiuo ad timendum ducitur, & sic respectu illius metus erit cadens in virum constantem, ille, qui respectu alterius leuis est, vnde sæuitia viri, quæ respectu mulieris est sufficiens causa diuortij si similis sit in vxore respectu viri, non erit sufficiens, sed multo maioris mali inferendi ab vxore æstimatio requiritur, vt vir exigat diuortium ratione
5 sæuitiæ vxoris, quare † si mulier non machinatur mortem gladio, vel veneno, vel intendat ipsum maleficiis fatuum reddere, vel quid simile non est sufficiens causa diuortij ratione sæuitiæ vxoris, ratione cuius posse fieri iudicis sententia diuortium; certum est cum in hoc pares sunt vxor & vir, & ad paria iudicantur licet ex causa diuersa. Hæc autem sæuitia non solum est consideranda ex metu graui illato, sed etiam ex metu mali futuri, quod probabiliter timetur. Ita Couatr. 4. *decret. p.* 2. *cap.* 7. §. 5. *n.* 2. Barb. Rubric. *D solut. matrim. p.* 2. *n.* 32. Gutierr. *l. qq. Canon. cap.* 24. *à n.* 9. vt si vir ex vxoris genio terribili ira, natura inclinata ad veneficia, timeat ne ipsum aliquo veneficio liget similiter si inter coniuges sit lis excitata super maiore bonorum parte, tunc posset futura sæuitia præsumi attenta personarum genio qualitate & aliis circumstantiis.

SVBRESOLVT. III.

Sufficit ad diuortium, quod mulier sit venefica aut strix.

SVMMARIVM.

1. *An si mulier sit venefica aut strix sit sufficiens causa diuortij.*

EX præfato principio multa deducuntur Corollaria primum sufficientem esse sæuitiam ad diuortium, & dimittendam vxorem, & cum illa non residendum quo-
vsque emendetur & corrigatur, † si venefi- 1
ca sit, aut strix, quamuis enim hoc vitium non sit causa perpetui diuortij, at vir prudenter potest timere, ne si suis malis moribus non consentiat, quod aliquo maleficio lædatur, aut malè tractetur, sunt enim huiusmodi fœminæ pessimi genij, & facile capiuntur alterius amore, vel dæmonis tractu, ira facilè excitantur. Vnde solent maritos veneficiis, vel inficere, vel interficere. Habent enim huiusmodi veneficæ insigne nocendi studium & desiderium. Legendus est Petrus Greg. *p.* 3. *Syntagmat. iuris lib.* 34. *cap.* 1. *sect.* 2. 3. *&* 4. quare timor iste mali futuri prudens est, & cadens in constantem virum.

SVBRESOLVT. IV.

Sæuitia parentum estne causa diuortij?

SVMMARIVM.

1. *An sæuitia parentum sit causa sufficiens diuortij.*

SEcundum † non solum sæuitia coniu- 1
gum sufficiens ad petendum diuortium sed etiam parentum ipsorum, imo & fratrū si secum habent, & alter coniux est in causa, quod male tractetur volens vxorem illis cohabitare, consentiens simul residere in eadem domo, tenetur enim vir id periculū vitare & patrem, & fratres relinquere domoque eiicere, ne pax vxoria turbetur, nam propter vxorem *reliquet homo patrem & matrem.* & ad hoc tenetur in foro conscientiæ, & ad id facere potest iudex cogere censuris, potius quam celebrare matrimonij diuortium plura alia deducit Thom. Sanchez *cit. disp.* 18. *à num.* 26. quæ ad forum exterius maiori ex parte pertinent.

SVBRESOLVT. V.

Lata sententia ob sæuitiam, innocens non potest ad religionem, aut Sacros Ordines transire.

SVMMARIVM.

1. *An ob sæuitiam vel aliud crimen lata sententia diuortij non sit licitum quod coniux innocens transeat ad religionem.*
2. *An quod si iudex Ecclesiasticus absolutam protulerit diuortij sententiam.*
3. *Ratio difficultatis affertur.*
4. *Innocentij III. sententia adducitur.*
5. *In arduis potest quisquam nolle stare fragilitati cautionis.*

6. *An per sententiam absolutam diuortij ob sæuitiam coniugis extinguatur ius omne coniugale.*
7. *An cum iudex Ecclesiasticus ob sæuitiam diuortium celebrat sit hoc ex iure diuino.*
8. *Propter sæuitiam coniugis probabiliter perpetuo duraturam possit separatio perpetua concedi, ex Nauar.*
9. *An post factum diuortium perpetuum liberum sit innocenti religionem profiteri.*

1 Tertium est absolute loquendo † lata sẽtentia diuortij ob sæuitiam vel aliud crimen quod nõ sit adulterium carnale vel spirituale, non est licitum quod coniux etiã innocens transeat ad religionem, ibique professionem emittat solemnem, aut quod sacros Ordines suscipiat, inuito altero coniuge sæuitiæ reo, professio enim nulla erit etsi in sacris ordinetur restituendus est si repetatur. Ratio est perspicua, quia diuortium, quod nõ habet causam aliquam extra adulteria, non est perpetuum, & sic ius coniugale non est amissum, sed quasi consopitum & suspensum, eiusque executio impedita temporaliter, non perpetuo, sicut impeditur per vtrúmque diuortium, potestque coniugis sæuitia corrigi, quæ erat impedimentũ, quo ablato statim consurgit expeditum ius, ad cohabitandum, & residendum, quod est ius naturæ, *vt suprà vidimus*, & sic contra hoc ius nequit aliquis coniugum religionem solemniter profiteri, aut sacris Ordinibus insigniri.

2 Addo contra Sanchez *n.49.* quod † etiamsi iudex Ecclesiasticus absolutam protulerit diuortij sententiam, eo quod coniugis sæuiẽtis correctione desperetur, & arbitretur tantam esse coniugis sæuitiam, vt nulla incolumitatis alterius sufficiens cautio præstetur, nihilominus innocens sic diuortiatus nequit religionem profiteri, aut Ordines sacros suscipere sine alterius coniugis sæuientis placito, & cõsensu. Hæc additio mihi in-
3 dubitata videtur. Ratio est, † quia quodcunque diuortium (excepta vtriusque fornicationis causa,) quod sententia iudicis celebratur inter coniuges nequit extinguere ius, quod coniux habet in corpus alterius, quod est naturale, sed solum declaratur impeditum esse à sæuitia coniugis sæuientis, ergo cum in voluntate istius sit positum, tollere hoc impedimentum, quo ablato exerit vires suas ius, quod habebat & potestas in corpus mulieris, ergo ista nequit validè in religione professionem solemnem validam emittere, nisi coniux sæuiens requiratur, an velit à sæuitia cessare, quod si non vult, tacitè consentit, quod alter statum mu-
4 tet. Vnde † Innocentius III. *cap. Litteras. versic. si verò tanta* (ait) *sit viri sæuitia, vt mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas prouideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius moueri.* circa quæ verba Glossa *ibi. verb. sufficiens.* dicit, *in hoc casu alicui honestæ mulieri committenda est, vt securè moretur, supra. eode. cap. ex transmissa.* vbi Alex. III. id determinat, non ergo est aliquod ius quod concedat, quod coniux diuortiatus propter sæuitiam alterius, possit & isto irrequisito professionem solemnem emittere, quod etiã tenet verum etsi coniux speciale odium habeat in alium, quia quamuis tunc non debeat vxor restitui viro, etiamsi iste vellet cauere, & cautionem dare, vt ait Glossa ibi. *in casus propositione versic. item quando* quam sequuntur Aymon. *cons.* 31. *n.4. vol.* 1. Decius cum Glossa *cap. ex parte n.* 15. *de appellat.* Zephalus *cons.* 384. *à n.* 64. *volum.* 3. ex notatis *ad leg. qui ita §.* 1. *ff. ad Trebell.* ex qua habetur, quod † in arduis posse quemquam
5 nolle stare fragilitati cautionis, at nullus ex professo dixit, quod liceat coniugi irrequisito & inconsulto coniuge sæuiente professionem solemnem emittere. Nequit enim iudex sentẽtia sua tollere ius in perpetuum, quod habet in corpus alterius, quod impeditum est, impedimento ad nutũ amouibile, quare semper fundatur in præsumptione, quod sæuitia semper durabit, cuius præsumptionis falsitas subsistit si coniux sæuitiam mutat, vel gratia diuina mutante cor, vel ex aliis motiuis, & persuasionibus humanis.

Quare omnino falsum est, quod dicit 6
Thomas Sanchez, quod † per sententiam absolutam diuortij ob sæuitiam coniugis extinguitur ius omne coniugale, sicut extinguitur ius omne coniugale, sicut extinguitur per adulterium, hoc inquam omnino falsum est, quia ex sententia Christi ius coniugale non extinguitur, nisi per adulterium, siue carnale, siue spirituale, vt vidimus, sic enim Christus ius naturale de residẽtia matrimoniali explicuit, quare per nullam humanam potestatem potest ius coniugale extingui, ita vt liceat statum mutare, iudex enim † Ec- 7
clesiasticus dum ob sæuitiam, vel quia inducit coniugẽ ad mortale, celebrat diuortium cum hæc separatio thori & residentiæ cohabitationis coniugalis sit ex iure diuino concessa, quia est ex vi contractus matrimonialis, nequit fieri perpetua ab homine nisi quandiu durat causa ob quam datur diuortium ad tutelam animæ & corporis coniugis innocentis, aliàs si vnus coniux solicitaret ad peccatum alium, si solicitatione nolebat se emendare potest innocens seclusscandalo valide profiteri in Religione, quo nullus dixit. Auctores autem quos ipse adducit Sanchez sententiam suam clarè non docent. Nam Nauarrus *l.* 4. *consilior. concil.*

8 *de diuort.* solum dicit, quod † propter sæuitiam coniugis probabiliter perpetuo duraturam potest separatio perpetua concedi, non vero insinuat, quod possit religionem valide profiteri, similiter Henrriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 5. *litter. I. §.* 10. solum dicit quod facto perpetuo diuortio ob adulterium vel aliud crimen potest vir, licet culpabilem dederit causam diuortij sacris inititari, aut re-
9 ligionẽ profiteri, vbi clare dicit, quod † post factum perpetuum diuortium quod non fit nisi ob fornicationem carnalem, aut crimen hæresis, quod est fornicatio spiritualis, alias enim si coniux separetur ob affectatam cõiugis absentiam, licitum erit illo inuito innocenti religionem profiteri.

§. IV.

De coniugis amentia, aut furia.

SVMMARIVM.

1. *Quid nomine amentiæ sit intelligendum.*
2. *Amentes vnde dicti.*
3. *An quis possit esse amens sine furia, at nullus furiosus sine amentia.*
4. *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, si vero contractum fuerit non separentur, ex Fabiano Papa.*
5. *Augustini mens affertur.*
6. *Quam sit strictum præceptum naturale de residentia maritali ex Doctrina Patrum.*

Svpponimus quod amentia furiave superuenit matrimonio iam celebrato per verba de præsenti, nam si antecedat, cum iure naturæ nullum sit matrimonium.
1 Igitur † amentia est quando quis mentem expeditam non habet ad libere consentiendum, sed est priuatus rationis vsu, vnde notat Beroaldus *in comment. qq. Tusculan.* Cicero, amentia ab à particula priuatiua & *mente*, dicta, quasi *sine mente*, simile quid contingit in lingua Græca ἀνόητος & ἄνους, amentia amens, ἀ priuatiua & νοῦς quod sig-
2 nificat mentem, vnde † Ar. proprie amentes dixit *lib.* 7. *Ethicor.* qui à natura expertes rationis solum sẽsuum munus exequũtur, immanes quidem belluarumque similes, habẽdi sunt. Quare amentia aliquando coincidit cum furia, quæ est mentis abalienatio vehemens circa febrim, & sic furia coincidit cum sæuitia, quæ dimanat ex mentis ab-
3 alienatione vehementi, vnde † potest esse quis amens sine furia, at non potest esse furiosus, sine amentia, furiosus enim ille est qui ex amentia agitatus furit, & ferit, quem præ omnibus accipere quit. Igitur amens multipliciter cõsideratur, primò, quia omnino est mẽte captus, vsũ rationis penitus nõ habens, vel ex infirmitate naturali ineptus ad discurrendum factus, vel ex maleficio dæmonis, aut veneficio à fœmina inducto, vel est mente captus, quia non bene circa agibilia, & domesticam œconomiam se gerit, vel circa proprias actiones, est tamen capax peccandi mortaliter, vel denique est mente captus, quia in aliqua materia distorte discurrit, cum in aliis bene se gerat, similiter furiosus multipliciter potest considerari, aut enim semper agitur furia priuatus rationis vsu semper, aut fere semper feriens, quos potest ad manus haberi, aut non semper ferit, & damnum infert, sed habet lucida interualla, e extra quæ, aut non furit sed amens est, sine rationis vsu, aut furit & ferit.

Igitur Fabianus Papa relatus *cap. neque furiosus 16.* 32. *quæst.* 7. decernit, † *neque furio-* 4
sus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt (tempore furiæ & amentiæ) *sed si contractum fuerit non separentur* (si tuto habitare possunt) *& cap. hi* 25. *ead. caus. & quæst.* sic habetur, *hi, qui matrimonium iam contraxit & vni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit ob hãc infirmitatẽ cõiugia talium solui non possunt, similiter sentiendum de his, qui ab aduersariis exuantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris executi fuerint.* Hactenus Nicolaus Papa *ad Carolum Moguntin. Episcopum*, & antea docuerat Aug. *lib. de serm. domin. in monte cap.* 32. † *si vxorem* 5
(inquit) *quis habeat sterilem, aut deformem corpore siue debilem membris, vel cæcam vel surdam vel claudam, vel si quid aliud, siue morbis & doloribus langoribusque confectam, & quidquid excepta fornicatione cogitari potest terribile pro fide & societate sustineat.* Quam doctrinam sequitur D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 4. *& lect.* 2. *in cap.* 7. *epist.* 1. *ad Corinth.*

Ex qua Patrum certa doctrina sequitur, quam strictum sit præceptum naturale de 6
residentia maritali mutuaque vtriusque cõiugis societate, à qua non liberat, nisi aliud præceptum altius, qualis est conseruatio vitæ propriæque salutis, & incolumitatis, quum enim ista ratione residentiæ periculo proximo est exposita licita est absentia & fuga; quandiu adest tale periculum quia coniux habet ante ius ad suam tutelam & defensionem quod semper manet illæsum.

SVBRESOLVT. VI.

Ob amentiam superuenientem, non licet sanã amentem relinquere.

SVMMARIVM.

1. *An si amentia absque furia superueniat matrimonio*

matrimonio non liceat sano amentem relinquere, siue amentia sit perpetua siue ad tempus.

2. *Variorum sententiæ adducuntur.*

1 SEquitur secundò, † quod si amentia absque furia superueniat matrimonio, non licet sano amentem relinquere, siue amentia perpetua sit, siue ad tempus, siue aliquo ex modis dictis, si tamen sit furiosus habēs, tamen lucida interualla in his tenetur cum eo residere, & debitum reddere, non tamen tempore furiæ, si sano damnum notabile imminet, vnde ob coniugis amentiam, vel furiam sine damno notabili, aut illius periculo nunquam licet fuga, aut absentia à residentia matrimoniali, nec est causa sufficiens ad diuortium celebrandum. Hoc autem damnum, aut illius periculum debet esse circa vitam, aut salutem, ne scilicet vulneretur sanus grauiter, damnum aliud quod non sit huius generis non est sufficiens causa absentiæ, præceptum enim naturale de cohabitatione coniugum, & eorum corresidētia, nisi ab altiori præcepto non cohibeatur, sed semper exerit vires suas, & obligationem quia solum ius tuendi propriam vitam præualere potest, neque aliquis est antiquorum qui alio periculo eximat hanc ob-
2 ligationem, aliqui enim † indistincte dicunt debere imminere periculum; alij quod furor debet esse maximus; alij quod intollerabilis, quæ omnia vitæ aut vulneris periculum imbibunt quia aliorum damnorum periculum leuius est quam sufficiat ad separationem idque intendunt Patres citati dum dicunt, *quidquid morbis, laboribus, & quidquid excepta fornicatione excogitari possit terribile pro fide, & societate sustineat.*

SVBRESOLVT. VII.

Vtrum coniugi leproso, aut gallico morbo infecto teneatur sanus reddere debitum?

SVMMARIVM.

1. *An si coniux sit leprosus vel morbo gallico infectus, alter sanus teneatur debitum reddere.*
2. *An cum coniux sanus ante matrimonium agnouit lepram alterius, & nihilominus contraxit, teneatur etsi adsit infectionis periculum leproso debitum reddere.*
3. *An quamuis coniux sanus non teneatur reddere debitum leproso cum periculo notabili infectionis, at si reddat meritorium opus exercebit, si ex amore matrimonij id efficiat.*
4. *Authoris iudicium, & n.16.*
5. *Necnon S. Doctoris & Caiet. sententiæ, & num.6.*
7. *Alexandri III. sensus adducitur, & numer.8.*
9. *Obligatio reddendi debitum est ex iustitia.*
10. *Matrimonium an sit institutum in remedium concupiscentiæ.*
11. *Quod discrimen intercedat inter redditionem debiti, & cohabitationem cum leproso.*
12. *Multorum DD. sensus afferuntur, & n.13. & 14.*
15. *An si lepra aduenia t post celebratum matrimonium teneatur reddere debitum sanus.*
17. *An coniux sanus non teneatur cohabitare in eodem lectulo cum leproso, sicut tenetur reddere debitum.*
18. *An cohabitatio in eodem lecto aut domo non sit per se præcepta.*
19. *S. Bonauenturæ sententia affertur.*
20. *An non possit celebrari diuortium propter lepram.*

HInc deciditur illa grauissima difficultas † an si coniux sit leprorsus vel morbo 1
gallico infectus teneatur alter qui sanus est debitum reddere? negat Thomas Sanchez *lib.9. de matrim. disp.24. à num.17.* multis citatis addens primum, quod hoc intelligitur de frequenti coitu ex quo frequenter potest timeri infectio, semel autem vel iterum reddere non infert hoc periculum, quare ad hoc tenetur, addit secundum, quod quando vir leprosus vel morbo gallico infectus, sūt horribiles aspectu; ob morbi plagas, & membra vt nasus & alia decidunt non tenetur reddere etiamsi cesset infectionis periculum, quia horum fœtor, & horribilitas aspectus rem facit moraliter impossibilem, ad quam cogere sub mortale durissimum est, addit tertium, quod † quum coniux sanus ante 2
matrimonium agnouit lepram & morbum gallicum in alio, & nihilominus contraxit tenetur etiamsi adsit infectionis periculum leproso coniugi debitū reddere, quia sciens, & prudens ad id se adstrinxit contractu matrimoniali, cum ex vi huius contractus coniuges obligentur ad mutuam residentiam & cohabitationem, addit quartum, quod † quamuis coniux sanus non teneatur red- 3
dere leproso aut gallico, cum periculo notabilis infectionis, at si reddat opus meritorium exercebit si ex amore matrimonij id efficiat. *Quia* (inquit) *in morbis diuturnis, & quasi habitualibus, neque ad mortem tendentibus præponderat coniugalis amor & vitatio periculi inconstantiæ in vtroque aut saltem in altero coniuge, fere semper contingens illi infectionis periculum.*

Verum enim vero licet hæc sententia probabilis

4 babilis sit vna cum additamentis, † ego aliter discurso iuxta principia vtriusque Thomæ. Assero igitur quoties coniux sanus potest licitè reddere debitum coniugi leproso tenetur reddere sub mortali. Hæc est expressa sententia D. Thom. *in 4 dist. 32. q. vn.*
5 *art. 1. ad 3.* dicentis, *quod lepra soluit sponsalia, sed non matrimonium, vnde vxor viro leproso tenetur debitum reddere, non tamen tenetur ei cohabitare* (in eodem lecto continuè,) *quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione, & quamuis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse.* Angelicum D. sequitur Purpuratus Caiet. 2.2. q. 154. *art. 1. §. ad tertium*
6 *dicitur.* vbi ex eo, quod sanus potest reddere debitum leproso colligit, quod tenetur sic enim (ait.) *Videmus quotidie nostris temporibus coniuges non se deserere quoad thorum & habitationem propter tam grande malum & contagiosum quale est malum vulgariter appellatum gallicum. extra quoque de coniugio leprosorum.* Alexand. III. dicit, *quod nulla ex hoc casu exceptio inuenitur à generali præcepto debiti coniugalis reddendi.* Hactenus Cardinalis.

Idem videntur decidisse Patres supra citati *ex 32. quæst. 7.* & clarius in specie huius difficultatis Alex. III. quoad hoc, quod sanus non debeat deserere leprosum. *cap. per-*
7 *uenit.* vbi eam dat rationem, † *quia cum vir & vxor vna caro sint non debet alter sine altero esse diutius. Mandamus quatenus, vt vxores, viros & viri vxores, qui lepra morbum incurrunt sequantur, & ei coniugali affectione ministrent solicitè exhortationibus inducere non postponas, si vero ad hoc induci non poterūt arctius iniungas, vt altero viuente cōtinentiam seruet, quod si mandatum tuum seruare contempserint vinculo excommunicationis adstringas.* Hæc ibi, vbi Glossa *verb. ministret*, dicit, *quod sanus non debet compelli ad continuo manere in eodem lecto, bene tamen in eadem domo, vt coniugali affectione sanus ministret infirmo,* & rationem dat Pontifex, quia *vir & vxor sunt vna caro*, & sic ex iure naturæ tenentur simul residere & vnus alteri ministrare.

8 Deinde, quoad debiti redditum idem Pontifex, *cap. quoniam.* sic fatur, *si virum, siue vxorem leprosum fieri contigerit & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est soluendum cui præcepto nulla in hoc casu exceptio inuenitur.* hoc ibi, quo nihil clarius, nec video; quid rationabiliter dici potest ad tam manifestum testimonium, etsi enim, vt S. Doctor dicit *art. 1. cit. 4. sent. in corpo. secundum ordinem naturæ nutritiua non deseruiat generatiuæ (ad cuius actum ordinatur matrimonium) nisi secundum, id quod superfluit ad conseruationem indiuidui, quia hic est ordo naturalis, vt prius quis in se ipso perficiatur, & postmodum alteri de perfectione sua communicet, ideo cum vxor in viri potestatem non habeat, nisi quantum ad generatiuam virtutem, non tamen quantum ad ea quæ sunt ad conseruationem indiuidui ordinatam vir tenetur vxori debitum reddere indiuidui ordinatam vir tenetur vxori debitum reddere in his quæ ad generationem prolis spectant, salua tamen prius personæ incolumitate.* etsi enim doctrina ista verissima sit & fundamentum decisionis Apostolicæ, tamen eo ipso, quod quis potest reddere leproso, euidens est ad id teneri ex Apostoli & Christi præcepto, quia † obligatio reddendi debitum est ex iu- 9
stitia cum vir non habeat potestatem sui corporis, sed vxor &c. at quum est obligatio ex iustitia, & potest impleri; tenetur creditor soluere, quod exigitur, neque in hoc aliqua exceptio inuenitur, vt ait Pontifex, si enim debeo centum & possum, si voluero soluere, quis dicat non teneri, quamuis cum aliquo periculo damni futuri, neque enim hoc releuat obligationem iustitiæ, si sine peccato possum soluere, & attentis omnibus circumstantiis à sola mea voluntate pendet soluere, vel non soluere; ergo eo ipso, quod coniux sanus potest soluere debitum etiamsi adsit periculum infectionis lepræ, morbi gallici, & morbi S. Lazari, & similium, qui diuturni sunt & non tendunt immediatè ad mortem sicut pestis, epidemia & similibus.

Deinde idem confirmatur, quia † matri- 10
monium est institutum in remedium concupiscentiæ, quare ex vi suæ institutionis coniux sanus reddere corporis sui debitum congruum & vsum alteri leproso, ne concupiscentia illectus peccet mortaliter, etiamsi sit cum periculo infectionis morbi, ex vi enim contractus matrimonij hoc periculum tenetur subire, vt probat egregiè S. Bonauent. *infrà* adducendus; si potest tuta conscientia; quare † hoc est discrimen inter 11
redditionem debiti & cohabitationem cum leproso; & cum coniuge infecto peste, & epidemia tendente ad mortem, quod cum isto potest si vult alter coniux habitare non tamen tenetur, at cum illo tenetur si moraliter potest, quia vt aiebat D. Thom. *vnus coniux non habet potestatem in corpus alterius, nisi in ordine ad generationem & sedandam concupiscentiam*; generatio enim ad multiplicandam speciem præsupponit conseruationem indiuidui generantis & suæ personæ incolumitatem; vnde si cohabitatio est cum periculo vitæ, etsi ob charitatem possit renuntiari iuri, quod habet ad vitæ incolumitatem, sicut potest pro aliis infirmis curandis, at non tenetur, si autem est cum periculo infirmitatis habitualis, & quæ non dicit ad mortem immediatè, si potest reddere debitum

debitum tenetur reddere, ex vi contractus matrimonialis, maior enim obligatio est reddendi debitum, quam fugiendi periculum incurrendi in infirmitatem.

12 Et hoc est motiuũ Alexandri III. *in decis. c. quoniam*, & D. Th. quem sequuntur D. Bonauent. *ibi art. 2. quæst.* 1. Ricardus *q. 2. art.* 4. Carthus. *quæst.* 1. & alij quos citat Sanchez idem sentiunt Petrus de Ledesma *de matrimon. quæst.* 64. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. Manuel Rodrig. *tom.* 2. *meæ summæ cap.* 243. Vega *tom.* 1. *cap.* 78. *casu* 3. asserentes quod quando coniux est in graui periculo incontinentiæ, tenetur coniux sanus illi reddere debitum, etiã cum notabili salutis suæ corporalis detrimẽ-
13 to, quia ad hoc obligatur ex vi contractus matrimonialis, ex vi cuius teste Sanchez *additione* 4. magis ponderat vitatio periculi incontinentiæ, in vno, vel in vtroque coniuge, quod fere semper contingit, quam vitatio periculi infectionis, quod argumentum euidens est morali euidentia ad intentum nostrum, quod etiam tenentur defendere illi, qui dicunt, quod si lepra, aut morbus gallicus vel S. Lazari præcessit matrimonium, tenetur coniux sanus, etiamsi sit probabile infectionis periculum reddere debi-
14 tum alteri coniugi eo morbo laboranti, quia sciens & prudens ad id se obligauit per matrimonij contractum, ita Sanchez *num.* 22. & sequuntur Petrus Ledesma, Rodriguez, Vega & alij, quod enim antecedat lepra matrimonium, vel illud subsequatur nihil refert, cum enim non sit (vt ait Sanchez) in domo coniugis sani salus & vita sua sicut post contractum matrimonij, si superueniat lepra nequit reddere debitum cum probabili periculo infectionis; quia cum non sit dominus salutis corporis nequit illi renuntiare, ita si ante coniugium celebratum coniux lepra sit infectus, & hoc sciens contrahit sanus non tenetur reddere; quia etiam nequit cedere iuri suo, ad quam cessionem faciendam non est Dominus siue ante siue post celebratum matrimonium; quare si tenetur, sciens lepram inesse alteri coniugi ante contractum celebratum, ideo est, quia
15 ex vi contractus tenetur; quare † etiamsi lepra adueniat post celebratum matrimonium tenetur, quod secus est in aliis contractibus, in quibus si vitium rei sit occultum vitiat contractum non vero in matrimonio, huius enim adeo est stricta & immutabilis obligatio, quod respectu illius, nihil possit eam immutare, & cohibere nisi periculum damni quod conseruationem indiuidui & personæ incolumitatem euertat, quale non est nisi periculum mortis, vel infirmitatis, quæ toto vitæ tempore impediat vsum matrimonij.

Quod si ex morbo gallico aut lepra, & S. Lazari infirmitate membra decidant, & fœtor sit valde grauis, & deformitas horribilis, † existimo quod si sanus potest mora- 16
liter se vincere ad reddddum debitum tenetur reddere, quia si debitor potest soluere tenetur soluere, quod debet ex iustitia, si tamen non potest sanus seipsum vincere propter fœtorem, & deformitatem, vt reddat quia horret animus, & prouocatur ad nauseam & ita fugit coitum, cum illo, sicut mortem, nec enim obligandus est coniux sanus cum tanta naturæ suæ repugnantia debitum reddere, hæc enim repugnantia, non ex voluntate non soluendi nascitur, sed ex speciali complexione naturali, ex qua nascitur voluntas honesta non soluendi debitum habens animi præparationem ad soluendum semper quod naturam suam vincere possit, vnde etsi semel vel iterum soluat, quia se vincit non sequitur quod teneatur ad semper soluendum, quia non semper se vincere potest.

Ex quibus infertur S. D. & multos alios quos supra dedi recte dixisse † coniugem sa- 17
num non teneri cohabitare in eodem lectulo cum leproso sicut tenetur reddere debitum, quia non ita cito infertur ex coitu sicut ex frequenti cohabitatione in lectulo, & consortio matrimoniali continuo, cuius discriminis ratio non est præcisè periculum infectionis, quod magis timetur ex cohabitatione vt falso putat Sanchez *num.* 29. siue in eadem domo siue in eodem lecto, sed ratio est quia non ita strictè iure naturali diuino tenentur coniuges ad residendum in eadem domo aut lecto, sicut tenentur reddere sibi debitum coniugale, cum ex vi matrimonij vir habet potestatem, & dominium corporis vxoris; & vxor viri, quare semper quod potest reddere debitum tenetur, etiam cum periculo infectionis lepræ, cum periculum hoc non euertat obligationem principalem matrimonij; at † cohabitatio in eodem 18
lecto, aut domo non est per se præcepta, nisi in ordine ad reddendum debitum coniugale, & domus gubernationem, & marito officia præstanda, filiorum educationem, & similia, quare cum non sit tam stricta obligatio cohabitationis cum hæc omnia possint absolute præstari sine cohabitatione, in eadem domo & lecto, vt bene Armilla *verb. lepra num.* 3. Sylvester *eodem quæst.* 3. periculum infectionis sat est ad non obligandum ad cohabitandũ, non tamen est ad non obligandum reddere debitum, quanto enim strictior est præcepti obligatio, tanto maior requiritur causa illam releuans, vt latius dixi *tom.* 1. *moral. tract.* 1. neque enim cuiuscunque damni timor, aut periculum sufficit ad quamcunque legis obligationem auferendam, vnde egregie † S. Bonauent. *vbi supra* 19
ad 1.

ad 1. & 2. dicit non bene sequi non tenentur cohabitare, ergo non tenentur reddere debitum, cuius pulchram rationem dedit in argumento, tum quia cum vinculum matrimonij per lepram superuenientem non soluatur manet ius, & potestas petendi debitum, tum quia leprosi non tenentur ad continentiam, neque ad eam possunt cogi: ergo cum de fornicatione tentantur, necesse est vxores eorum eis reddi, & istæ tenentur reddere, & ad hoc cogi censuris.

Ex his quæ de diuortio propter furiam
20 diximus in superioribus † quod non potest celebrari diuortium propter lepram, quam medici periti iudicant *leoninam*, & insanabilem, dicuntque esse periculum proximum infectionis grauis, sitque horribilis aspectu leprosus, aut gallico morbo infectus, quare nequit coniux sanus ad religionem conuolare sine consensu coniugis infirmi, etiamsi celebraretur diuortium à iudice Ecclesiastico, quod probandum est eodem fundamento, ac probaui supra.

§. V.

De coniugis absentia.

SVMMARIVM.

1. *Ex quot causis coniugis absentia potest dimanare.*

1 HÆc cõiugis absentia ex multiplici causa dimanare potest † primò, quia maritus negotiationis causa alio vadit, quod fieri potest vel animo ad propriam domum redeundi, vel alibi domicilium constituendi. Secundò, quia vult vagari & nullam certam sedem habere. Tertiò, quia ob delictum mittitur in exilium, vel ad tempus, vel perpetuum. Quartò, quia vir ad triremes, vel præsidium conclusum damnatur. Quintò, quia ad bellum mittitur contra infideles. Sextò, cum peregrinationis causa. Septimò, cum obstinata absentia alibi moratur contra alterius coniugis voluntatem. Octauò, cum vir vult domicilium mutare, quo non vult ire vxor.

SVBRESOLVT. VII.

Vtrum contractui sponsalium possit conditio apponi, quod vir tenetur in hac ciuitate, aut domo habitare?

SVMMARIVM.

1. *An possit in sponsalibus apponi conditio quod vir cum vxore teneatur in hac ciuitate vel domo cohabitare.*
2. *An pactum de nouo initum vt maritus teneatur residere in ciuitate vel domo cum vxore, in foro conscientiæ non obliget.*
3. *Variorum Doctorum sensus afferuntur.*
4. *An nullus possit adstringi ad domicilium in vno tantum loco habendum.*
5. *An vir iure diuino & naturali vxori superior sit quoad domesticam & œconomicam dispositionem.*
6. *A qua obedientia mulier nequeat absolui per quodcunque pactum initum ante matrimonium.*
7. *An maritus mutans domicilium non obstante quocumque pacto possit cogere vxorem vt ipsum sequatur secumque cohabitet.*
8. *Si aliquod pactum eximeret vxorem ab obligatione sequendi virum, daretur vterque coniugi occasio adulteria committendi.*
9. *An contrahens matrimonium nequeat ponere pactum quod sit oppositum institutioni & vnitati matrimonij.*
10. *Lex non cohabitandi cum leproso non admittitur iure canonico.*
11. *Quid ex traditis sit deducendum.*

PRius tamen quam per hæc discurramus examinandum est † an possit in sponsa- 1
libus apponi conditio, quod vir cum vxore teneatur in hac ciuitate aut domo cohabitare, taliter quod si vir alio migret non teneatur vxor illum sequi? ad firmat Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 40. *à num.* 2. multis citatis quia in traditione rei suæ potest quis pactum interponere *leg.* 1. *C. de pactis & cap. verum de condit. apposit.* ergo in traditione sui per matrimonium. Secundò, quia licet *leg. Titio centum* 71. *§. Titio centum D. de condit. & demonstr.* conditio de residendo in in aliquo loco detur pro non adiecta, tamen hoc intelligitur cum ea conditio est vana in nullius fauorem cedens, vt multis adductis tenet Mieres *de maiorat.* 1 *p. q.* 57. *n.* 3. at in præsenti conditio hæc cedit in maximum vxoris fauorẽ, ne patria deserta cogatur inter extraneos habitare, ex quo colligitur, quod si vir non obstãte pacto inito absque noua causa superueniente domicilium mutet, non tenetur vxor illum sequi, sed immunis est ab obligatione cum illo residendi & cohabitandi, *quia* (inquit) *lex diuina in hoc euentu non obligat.*

Sed contrarium est omnino tuendum, pactum hoc † de nouo initum, vt maritus te- 2
neatur residere in hac ciuitate, aut domo simul cum sua vxore, in foro conscientiæ non obligare, & dato quod obliget si pacto non stans maritus domiciliũ mutet, tenetur vxor illum comitari. Hanc sententiam tenẽt Couar. *de matrim. p.* 2. *cap.* 7 *n.* 6. & 7. vnde quoad vtrumque punctum egregie loquitur Anton. Gomez. *l.* 2. *variar. c.* 10. *n.* 24. † Azeuedo. 3
lib. 5.

recopilat. tit. 6. leg. 11. à num. 21. Lopez *p. 2. tract. de matrimo. cap. 54. in fine* Probatur primò ab Illustrissimo Præside, *quia est species seruitutis in vno & eodem loco habitare. leg. Titio centum cit. vbi hoc notant omnes, & leg. 2. D. de liber. hom. exhib. leg. antiquitas. C. de vsufruct. notat Romanus singula. 629. Atque modus adiectus legato, vt in illa ciuitate legatarius perpetuo commoretur ab ipso legato reiicitur dicta leg. Titio §. 2. fitque omnium concors sententia dicta leg. Antiquitas vbi notat Salustius pactum valere quo quis se adstrinxit ad habitandum in certo loco, ita vt ad id quod alterius interest, teneatur si non habitauerit non tamen si præcisè habitare teneatur, non vtdeo cur opinio DD. in dicto cap. 1. qui matrimon. accus. possunt*, probanda sit, *cum ex illo pacto seruitus inducatur homini libero, nec res ista æstimationē recipiat, & ideo ex prædicto pacto maritum cogendum esse in certo loco habitare, nec decens, nec simile pactum inire conuenit, vnde præcedente dicta pactione non esse obligatum maritum ad habitandum in certo ac ignaro loco, sed vxorem debere eum sequi, cum vxoribus competat obtemperare maritis.* Hæc ibi.

Id autem quod Sanchez dicit *leg. Titio citat.* intelligendam esse, quum conditio posita habitandi in certo loco vana est, & in nullius fauorem cedens, vanum est, quia ibi relictum est legatum in fauorem defuncti vt eius memoria conseruetur, & tamen Papinianus dicit, vt notat *ibi* Gotifred. quod
4 † non potest, quis adstringi ad domicilium in vno tantum loco habendum *vnde* (ait) *posset ex hoc videri iniquas esse institutiones, quibus parentes certi loci incolatum & domicilium liberis iniungunt.*

Id ipsum Theologice probatur, quia *vt supra* vidimus residentia matrimonialis est de iure naturali, rursus *vir est caput mulie-*
5 *ris*, & sub viri potestate erit, quare † est illi iure diuino & naturali superior, quoad domesticã & œconomicam dispositionem, huic autem iuri nulla pactione potest renuntiare vir, quia hæc superioritas data est in bonum familiæ, & matrimonij, vnde pactum factum contra hoc ius diuinum nullum est, nec obligare queit, ita vt vxor sit immunis ab obligatione sequendi maritum, quocunque mutarit domicilium. Vrgetur primò, quia dato quod pactum teneret, & quod vir teneretur sub mortali residere in hoc loco, aut domo, nihilominus, etiamsi maritus peccet mutando domicilium, tamen mulier tenetur sub mortali ipsum sequi, nec immunis est ab obligatione residendi & cohabitandi cum marito, quia mulier iure naturæ tenetur obedire viro, & cum illo cohabitare, vt mutuo sibi dent coniugale debitum, cui obligationi nisi ex mutuo consensu nequeunt renuntiare, quæ renuntiatio nisi facta sit immobilis per votum, semper mulier tenetur viro obedire, tanquam superiori, vnde † ab hac obedientia ne-
6 quit absolui per quodcunque pactum initum ante matrimonium, est enim pactum hoc contra naturam matrimonij, non secus ac esset pactum, quod superior se obligaret ante professionem monachi non remouendi illum ab hac ciuitate aut domo, esset enim tale pactum contra obedientiam quam professurus est.

Vrgetur secundò, quia vir superior est vxoris, ergo ista tenetur sequi opinionem viri, atqui est probabilis opinio, quod tale pactum est nullum, ergo † maritus mutans
7 domicilium non obstante tali pacto potest cogere vxorem vt ipsum sequatur secumque cohabitet & resideat: prima consequentia est certa, quia vt *tom. 2. moral. in speciali tract.* ostendi subditus tenetur obedire Superiori præcipienti. Iuxta opinionem probabilem, quamuis probabilior sit contraria. Vnde mihi certum est quod non obstante pacto inito de permanentia in hac ciuitate, si vir vult mutare domicilium vxor non est immunis ab obligatione ipsum sequendi in his casibus, in quibus tenebatur sequi si non esset tale pactum.

Vrgetur tertiò, quia † si pactum istud
8 eximeret vxorem ab obligatione sequendi virum, daretur occasio vtique coniugi adulteria committendi, quod est contra contractum matrimonij. Hoc autem exigit vtriusque coniugis residẽtiam, quod adeo certum est, quod Alexander III. *cap. peruenit. de coniug. leprosi.* quamuis esset consuetudo, & lex approbata à iure Canonico, *cap. cum dicat, de Eccles. ædificand.* & etiam à Deo in lege veteri. *Num. 21.* & *Leuit. 13. & 14.* qui morbum lepræ incurrunt à communione hominum separentur, neque vxores viros, nec viri vxores taliter ægrotantes sequuntur. Hanc consuetudinem reprobat, dicens: *Quoniam igitur vir & vxor vna caro sint, non debet alter sine altero esse diutiùs. Mandamus quatenus vt vxores viros, & viri vxores, qui lepræ morbum incurrunt sequantur.* Si ergo hanc consuetudinem vtpote contra vnitatem, & inseparabilitatem matrimonij Põtifex reiicit, dicens non obligare etiam quum alter coniugum lepra est infectus, nec per hanc legem aliquis eorum liber est, & immunis ab obligatione alterum sequendi, etiam non erit immunis ab hac obligatione, etiamsi adsit pactum prædictum. Ratio enim Pontificis, quia vir & vxor, *vna caro sunt, & ideo non debet alter sine altero diutius esse*, non solum eneruat legem & consuetudinem, sed etiam pactum iuramento firmatum.

Ad

Ad ea, quæ adducit Sanchez pro sua sen-
9 tentia respondetur ad primum, quod † contrahens matrimonium nequit ponere pactum, quod sit oppositum institutioni, & vnitati matrimonij, quale est pactum de quo loquimur. Ad secundum respondetur, quod lex Titio centum citata vt vidimus loquitur etiam de illo pacto, quum cedit in fauorem alicuius, & in conseruationem suæ memoriæ, vt constat ex textu, quare vt dicit D. Couarr. illud pactum nullum est quia inducit seruitutem, & insuper in casu nostro, & si sit in fauorem vxoris, tamen hic fauor proponitur vnitati matrimonij vt vidimus ex
10 Alex. III. † etsi enim lex de non cohabitando cum leproso sit in fauorem sani, tamen non admittitur iure canonico, quia etiam non admittit dictum pactum taliter, quod immunem reddat vxorem ab obligatione sequendi virum.

11 Ex quo fit † quod licet, valeat conditio apposita in primogeniis, vt successor sub pœna amissionis maioratus teneatur in certo loco habitare, quia hoc interest ad defuncti memoriam, & honorem, & fundator non vult transferre dominium nisi sub hac conditione, ne nomen eius aboleatur, & decidat ab hominum memoria, vt tenet Sanchez *num. 7.* tamen nequit conditionem apponere, quod mulier immunis sit ab obligatione sequendi virum, si iste velit amittendo maioratum, domicilium mutare, quia hoc ex contra naturam contractus matrimonij, & eius vnitatem.

SVBRESOLVT. VIII.

Quando maritus abest negotiationis causa, cum intentione redeundi.

SVMMARIVM.

1. *An cum maritus negotiationis causa vadit, & ipse non vult vxorem ducere, ista non teneatur ipsum comitari, si ad domum redire intendat.*
2. *Si vir peregrinetur longinquas terras causa negotiationis, animo redeundi non tenetur vxorem ducere.*
3. *Si maritus vagari velit non temerè sed iuste, tenetur tunc vxor se marito sociam exhibere, ex Couar.*
4. *Sanchez sensus contrarius affertur.*
5. *Societas matrimonij & mutua obsequiorum exhibitio est de iure naturæ.*
6. *Si vir causa voti implendi vagetur extra domum longa vel breui peregrinatione, an teneatur vxor ipsum comitari.*
7. *An cum vir in exilium mittitur ad tempus vel perpetuò teneatur eum sequi vxor.*
8. *Multorum DD. sensus adducuntur.*
9. *Authoris iudicium affertur.*
10. *An condemnatum ad triremes vxor teneatur sequi.*
11. *An vxor teneatur consentire in absentiam viri præliaturi in infideles.*
12. *S. Doctoris mens affertur, necnon Alexandri III. & n. 13.*
14. *Ire ad bellum ob defensionem boni communis est ita honestum, quod vir etiam sine consensu vxoris possit ire.*

EX dictis sequuntur decisiones casuum 1
qui in principio sunt positi, quod † quã maritus vadit negotiationis causa, & ipse non vult vxorem ducere, ista non tenetur illum comitari, si ad domum redire intendit: secus vero si aliò domicilium vult mutare & sedem figere, tunc enim cum sint vna caro non debet alter sine altero diutius esse, Ly *diutius*, iuxta Glossam, *cap. peruenit. supra cit.* verb. *diutius*, quæ dicit: *Hic non determinatur quantum extendatur istud diutius, & ideo in arbitrio boni viri consistit, cap. de causis. de offic. delegat. leg. ait prætor. ff. de iur. delib. permittuntur tamen mariti, quandoque ab vxoribus recedere, & abesse per multa tempora, in fauorem tamen terræ Sanctæ, cap. ex multa de voto. Diutius quumque extenditur vsque ad biennium, leg. cum Domini horreorum, ff. locati. quandoque vsque de quinquennium, leg. 1. §. quod dicatur, ff. de separatio.* Hæc ibi aliquando *Diutius*, est triennium, *leg. si nepos. 9. leg. si ita pater. 10. ff. de ritu nupt.* aliquando quadriennium, *leg. sæpe. 17. ff. de sponsal.* ibi, *aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt*, necessitate inquam vtilitatis, vel propriæ, vel Reip. vt bene notat Sylvester verb. *necessitas. ex cap. licet. de feriis.* Igitur † si vir negotiationis 2
causa peregrinetur terras longinquas animo redeundi domum suam, non tenetur quandiu exigente negotiatione peregrinatur in vtilitatem familiæ, & vxoris, cuius negotium etiam gerit, non tenetur secum ducere vxorem, aut ista illum sequi, nisi domicilium mutetur in terra ad quam peruenire vxor non horreat, vt inter hæreticos, & infideles, & vbi vt perueniat longa nauigatio periculosa requiratur. Ex qua doctrina saluantur, & excusantur viri, qui apud Indos negotiationis causa detinẽtur relictis vxoribus in Hispania, & vxores quæ nolunt ire illuc propter periculosam nauigationem; quamuis vt hæ excusentur valde periculosa debeat esse peregrinatio.

Ad secundum respondet Couuarr. *vbi supra* † si maritus vagari velit, non temere, 3
sed iuste, tenetur & tunc vxor se marito sociam exhibere, sin vero vagatio temeraria sit, nullaque iusta ratione fiat, vxor virum sequi non tenetur, nisi ab initio contractus

sciuerit maritum esse vagabundum, eique vitio deditum, sicut explicat Gloss. *cap. si quis* 34. *quæst.* 2. *& cap. vnaquæque* 13. *quæst.* 2. quã dicit singularem Imola *D. solut. matri. in Rubric. num.* 6. & est communis opinio pro qua multos citat Sanchez *disput.* 41. *num.* 6. addit
4 tamen *num.* 8. † contra Couuar. & alios quos citat quod quamuis vir iuste vagari velit nõ tenetur vxor se illi sociam præbere cum illo cohabitans, & residens quia inquit hoc est grauissimum onus mulieri impositum ad continue vagandum, vt enim dicunt Hostiensis, Abbas & Henricus, vxor non tenetur sequi virum transfretantem, vel perigrinantem longe, ratione voti implendi, at hæc vagatio ex iustissima causa dimanat. Sed fallitur in hoc Sanchez si absolute loquatur,
5 quia † societas matrimonij & mutua obsequiorum exhibitio & de iure naturæ. Vnde Lactantius *lib.* 2. *instit. cap.* 21. *Quia seruari non potest charitas nisi habitauerint semper vnã.* & Cicero *primo Officiorũ* ait, *Prima societas in ipso coniugio est.* Quare lex ista societatis præscribens mutuam coniugum habitationem semper vrget, cum iusta adest causa diuagandi à proprio lare, quum enim talis causa adest in viro tenetur vxor adulterij pericula in quæ ex iusta causa se coniicit maritus sua societate impedire, quod ego limitarem nisi vxor valde nobilis, aut virgo tenera esset, & incapax viribus ad vagãdum tunc enim propter nobilitatem indecorum est valde fœminæ vagare, & impossibile moraliter, si vires ad itinera deficiant, argumento *ex his* quæ docet glossa *cap. relatum*
6 *de his qui matr. accus. possunt verb. exiuit.* † Si vero vir causa voti implendi vagetur extra domum, & peregrinetur siue transfretum, siue sine maris transitu, longa vel breui peregrinatione, existimo non teneri vxorem illum comitari, quia in hoc casu mutuo consensu separantur religionis ergo, sicut dum causa vtilitatis temporalis, aliò etiam transfretando diuertit vir, quod si iste nihilominus velit vxorem sibi sociam itineris habere respondendum est iuxta dicta.

7 Ad tertium † quum vir aut vxor deportatur, aut in exilium mittitur vel ad tempus vel perpetuo, vel ad præsidium conclusum, vel ad perpetuum carcerem, de exilio affirmat Sanchez, *disput.* 41. *cit. num.* 12. *quia inquit hoc non est puniri vxorem ob viri delictum, sed pœna imponitur viro, & quia vxor iure diuino tenetur maritum sequi ex causa necessaria & incuitabili aliò migrantem per accidens id infortunium patietur vxor, vel vt seruus maritum id infortunium pateretur dominum comitans, non per modum pœnæ, quia innocens est sed quia iure seruitutis tenetur Dominum sequi, sic tenet glossa cap.* 1. *qui matrim. accus. poss. iuncto textu, agit enim textus de viro, qui exiuit à ciuitate ob homicidium admissum, & ita culpa sua, & ait* Glossa *tunc teneri virum sequi.* Hæc ibi aliquibus pro se citatis.

At non teneri sequi tenent † Bart. *leg. si* 8
cum dotem §. si maritus num. 1. *D. solut. matrim.* Vbi Imol. *num.* 17. Alex. *leg. Mæuia §. fin. D. de ann. legat.* Lupus, *cap per vestras de donatio. inter virum & vxorem §.* 9. *n.* 13. Henriquez, *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 10. *num.* 4. quia si mulier in exilium misso viro tenetur ipsum sequi, & patrios lares deserere incommodum portat ex viri delicto, quod decens non est.

Sed ego aliter discurro † si vir in exilium 9
missus alibi ponit domicilium, quo vxor potest absque vitæ periculo, & magno incommodo valde longæ peregrinationis potest accedere, tenetur (sicut adire carcerem, vbi maritus perpetuo est inclusus, & si ibi non teneatur habitare, vt illi debitum reddat) eò ire & ibi cum marito commorari, & hoc probat argumentum primæ sententiæ, si vero maritus vagari vult, cum non possit eum sequi non tenetur, hoc est dictamen glossæ citatæ, si enim vir occidit alium & fugit à ciuitate timore mortis, si vagabundus vult discurrere, non tenetur mulier eum sequi, & hoc est quod dicit secunda sententia & iuxta hoc intelligenda; & quidem non video quam consequenter loquatur Sanchez, dum dicit teneri vxorem sequi virum in exilium missum, & dicat *num.* 8. non teneri sequi maritum ex iusta causa vagantem, quia hoc esse intolerabile onus mulieri ipsam adstringere ad vagandum cum marito, nonne etiam est intolerabile onus si vir eius deportetur, aut in exilium in valde distantem regionem, aut extra regnum mittatur cogere vt ipsum comitetur, quare bene Tiraquellus, *leg. connub. gloss.* 1. *p.* 1. *n.* 39. *circa fin.* ex Bartolo & Baldo cum aliis multis dicit, quod vxor si facile, atque honeste maritum sequi potest, id certe facere tenetur, quæ doctrina valde est notanda, ex illa enim multi casus occurrentes decidentur.

Ad quartum † de condemnato ad trire- 10
mes certum est, quod vxor eum sequi non tenetur, quia non permittitur ibi mulieribus cum damnatis habitare, tum quia non facile & honeste id faciet vxor, si vero ad mineralia argenti viui damnentur, existimo quod cum viri non sint semper in mineralibus, sed inde exeant, & retineantur in carcere similiter facile, & honeste potest cum illo residere, & cohabitare tenentur.

Ad quintum de bello contra infideles, 11
hæreticos & rebelles, & quidem † vir potest ire ad bellum, vel quia cogitur à Principe

Principe aut Magistratu, vel quia necessitas publica id exigit, vel quia fecit votum ire ad bellum contra hæreticos pro defensione Ecclesiæ, vel quia sine voto sumit cruciatam ad recuperanda loca sacra ab infidelibus iniuste occupata, & quidẽ in primo casu quãdo cogitur à principe ad bellum ire, si sit necessarius in aliquo officio exercendo militari; dubio procul coactio licita est, cum sit pro bono publico & mulier tenetur consentire in viri absẽtiam: huius resolutionis & casuũ sequentium rationem dedit S.D. *in* 4. *dist.* 32.
12 *quæst. vnic. art.* 4. *ad* 1. dicens † *satis probabile est, quod vxor debet velle continere ad tempus pro subueniendo necessitati Ecclesiæ generalis, & ideo in fauorem negotij pro quo coniux sibi datur institutum est, quod vir possit absque consensu vxoris crucem accipere, nec tamen omnino subtrahitur mulieri ius suum, quia vxor potest eum sequi, neque est simile de vxore ad virum, quia cum vir debeat regere vxorem, & non è conuerso, magis tenetur vxor sequi virum quam è conuerso. Et propterea vxor cum maiori periculo castitatis discurreret per terras, quam vir, & cum minori Ecclesiæ vtilitate, & ideo vxor non potest huiusmodi votum facere sine viri consensu.* Hactenus D. Thom. quæ videntur desumpta *ex cap. multa §. in tantũ de voto* vbi
13 Alexander III. dicit † *in tantũ quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, viri præter vxorum assensum huiusmodi peregrinationis propositum vouere libere valent, & quod vouerint libere implere, vt autem consentiant sunt attentius commonendæ.* circa quæ notat ibi Glossa *verb. viri. Specialissimus casus est iste quod vir potest emittere votũ præter licentiam vxoris contra illa iura.* 33. *quæst.* 5. *cap. quos Deo &* 27. *quæst.* 2. *cap. si tu abstines.*

14 Ex quibus liquido constat quod † ire ad bellum ob defensionem boni communis est ita honestum, quod vir etiam sine consensu vxoris possit ire, ratio est perspicua, quia de hoc potest fieri votum; quod libere potest exequi & impleri etiam renuente vxore, quia præter rationem innuit; quia propter bonum commune tenetur ipsa iuri suo, & commoditati renuntiare, & ad tempus contineri, si ergo de hoc potest fieri votum sine consensu vxoris; id etiam potest fieri sine voto, quia hoc præsupponit obiectum suum esse de meliori bono, hic & nunc, nec etiam votum facit, quod obiectum suum sit de meliori bono.

SVBRESOLVT. IX.

Princeps pro defensione boni communis potest cogere vxoratum ire ad bellum.

SVMMARIVM.

1. *An Princeps possit cogere vxoratum ire ad bellum pro necessitate vrgente boni publici.*
2. *An Episcopus si necessarius est ad bellum contra infideles, cogi possit.*
3. *An si Episcopus iudicetur à Principe necessarius ad negotia ardua perficienda in regno suo, possit inconsulto Pontifice ipsum cogere vt absens sit ab Ecclesia sua, possitque Episcopus tuto non residere vltra tres menses.*

Constat secundum † quod Princeps pro 1
necessitate vrgente defensionis boni publici potest cogere virũ vxoratum vt eat ad bellum vel ad pugnandum, vel ad regendum aut consiliandum vel quid simile, argumento *ex cap. ex multa cit. §. secundo quæsiuisti*, quia hoc est honestum secundum se & exigitur à bono communi, quæ exigentia quum adsit Principi, & magistratui conuenit determinare, quod si præcipiat, tenetur obedire, etiamsi sequatur damnum particulare vxori, præterquam quod vt ait D. Th. *non omnino subtrahitur mulieri ius suum, quia vxor potest eum sequi*, & quidem hac ratione boni publici tuendi causa fundantur leges Hispanæ quibus cõtra infideles pugnare coguntur clerici, & sacerdotes *l.* 6. *tit.* 19. *par.* 2. *& leg.* 3. *eodem*, quanto ergo magis possunt cogi vxorati, imo † Episcopus etsi vxoratus 2
Ecclesiæ suæ, si necessarius est ad bellum contra infideles, cogi potest, & quamuis de iure diuino teneatur residere, potest (seclusis bullis Pontificiis) ire ad bellum, si à Principe ire cogatur, & non vacet locus consultandi Pontificem, qui tenetur consultus consentire si vrgens ad modum sit necessitas.

An vero † si Episcopus iudicetur à Prin- 3
cipe necessarius ad negotia ardua perficienda in regno suo, vt ad visitationem Cancelleriæ, vel Audientiæ publicæ possit inconsulto Pontifice ipsum cogere, vt absens sit ab Ecclesia sua; Episcopusque possit tuto non residere vltra tres menses; quos Concilium pro absentia determinat his diebus valde controuersum fuit ad instantiam Illustriss. D.D. ..... Carrillo Episcopi Salmantini, qui ex ordine Regio mittebatur ad visitandam Granatensem Cancelleriam; ego vero vt id quod sentio libere pronunciem, miror valde, quod hoc ponatur in controuersia inter Catholicos DD. & profitentes subiectionem ad Summum Pontificem; vt enim supra *lib.* 2. *monstratum est*, residentia Episcopi est de iure diuino, & Concilium Tridentinum declarauit hoc ius obligare, & quod vltra duos vel ad summum tres menses nequit absens esse, &

in huius decreti confirmationes plures publicatæ sunt constitutiones Apostolicæ quas comprehendit Vrbanus VIII. ea celebri Bulla quam edidit *ann.* 1635. & ad verbum ego adduco in appendice. Quare mihi omnino certum est quod inconsulto Pontifice id fieri nequit, sed de hoc iterum infra.

SVBRESOLVT. X.

Nequit hoc Princeps, si non adest necessitas tuendi bonum commune.

SVMMARIVM.

1. *An cum non est vrgens necessitas tuendi bonum commune, nullatenus Princeps possit vxoratos cogere ad bellum ire.*
2. *Authoris mens affertur.*
3. *Ad transmarinam peregrinationem peragendam cum viro non potest cogi vxor.*
4. *Sanchez sententia adducitur.*
5. *Etiamsi mulier nolit ire quò maritus domicilium constituit potest cogi.*
6. *Vxor ex vi contractus matrimonij tenetur sequi viri domicilium, non vir vxoris.*
7. *Tiraquelli sensus affertur.*
8. *Tam stricta est vtriusque coniugis residentia, vt inter illos sit quædam indiuidualis identitas, ex Burgensi.*

1 CONstat tertium, quod † quum non est vrgens necessitas tuendi & defendendi bonum commune, nullatenus Princeps aut Magistratus potest cogere vxoratos ire ad bellum, quia est contra ius diuinum naturale, quod habent coniuges ad cohabitandum, & residendum simul, cui iuri cum non adest publica & vrgens necessitas non tenentur renuntiare, sic consultus respondi *ann.* 1653. in hac ciuitate Hispalensi dum Regis ordinatione congregabantur etiam inuiti (vulgo *se hacian leuas*) ad bellum contra rebelles, & iniustos Regni oppugnato-
2 res, & occupatores, dixi enim primũ, † quod si non sunt sufficientes nisi vxorati mittantur isti possunt mitti si non habent multos filios & familiam magnam sustentandam, vel nisi sint debiles, aut senes, vel vxores eorum vel si istæ sunt iuuenes, formosæ, & pauperes, manent enim expositæ adulteriis, vel propter necessitatem, vel quia ob pulchritudinem solicitantur. Secundum, quod si vxoratus est in carcere detentus, & ob delicta meretur pœnam grauem potest ista aditione ad bellum commutari. Tertium, quod soluti, qui nullo officio vacant debent cogi ad bellum. Quartum, quod ex officialibus & artistis possunt cogi, si multi sunt eiusdem artis, maxime si non sit admodum necessaria reipublicæ, vt barbitonsores, sartores, & similes, secus si sint armorum factores, & politores, bibliothecarij, & librorum ligatores, pharmacopolæ, & similes.

Ad sextum † de peregrinatione etiamsi 3
non sit transmarina, quia ad istam cogi nequit vxor, maritum sequi *ex cap. ex multa §. penult.* constat, sed si sit terrestris si facile & honeste non potest sequi, non tenetur vxor sequi virum, si sit breuis, & maritus exigat tenetur ire, si commode & absque notabili incommoditate potest, si vero non exigat non tenetur, quia censetur renuntiare ad tempus iuri petendi, & mulier acceptat renuntiationem, quod potest si non est in aliquo incontinentiæ periculo.

Ad septimum, quum aliquis coniugum obstinata absentia alibi moratur, respondetur, quod aut iste coniux est vir, & ibi ponit domicilium & sic respondendum est vt *ad* 8. vel non vult ibi domicilium ponere, sed vitiis, ebrietatibus, comessationibus, & voluptatibus vacare, non cogens vxorem, vt eo vadat & sic ista non tenetur, imo potest petere diuortium, vt vir emendetur per separationem iuridicam, aut iste coniux est vxor, & pariter, ex potiori tamen causa idem est respondendum.

Ad octauum respondetur, ex egregio di- 4
scrimine, quod ponit † Sanchez *disp.* 41. *n.* 15. quantum ad hoc inter virum & vxorem, & antea constituerat S. Doctor. *vbi supra*, sic enim loquitur Doctissimus Sanchez. *Ex dictis infertur in hoc consistere differentiam inter virum & vxorem quantum ad comitandi obligationem, vt cum vir caput sit, ipsiusque sit gubernare possit eligere ad libitum domicilium, & vxor tenetur eum comitari, vxor autem cum subdita sit nequeat habitationem eligere, & virum cogere vt ipsam sequatur, tum tamen necessitate coacta domicilium mutat, ius matrimonij compellens virum cohabitare vxori, consequenter compellit, vt in eo euentu ipsam comitetur, quia hoc expectat ad mutua obsequia coniugalia, in quo pares sunt.* Hactenus ibi, qua 5
re † etiamsi mulier nolit ire quo maritus cõstituit domicilium potest cogi, & nisi alleget & probet aëris insalubritatem, aut quod est periculum in itinere, vel aliquod grauis damni periculum animæ vel corporis, cogenda est ire eo, & non absoluenda in foro animæ nisi maritum suum sequatur, sicut nec absoluendus, qui cum possit non vult restituere alienum. Hæc responsio adeo certa est, quod vt notant Panormita. *cap.* 1. *de coniug. leprosor.* quod non valet consuetudo, statutum aut lex in contrarium.

Vnde omnino certum est, quod † vxor ex 6
vi cõtractus matrimonij, & residentiæ matrimonialis tenetur sequi viri domicilium, & proprium deserere, non vir vxoris, *leg. cum*

cum quædam. ff. de iurisdict. omn. iud. vbi Gothifredus à contrario sensu, id colligit cum communi sententia, *leg. exigere. ff. de diuort.* vbi Baldus dicit, quod vxor trahitur ad domicilium vi matrimonij, & idem Baldus, cum Cyno, *l.* 2. *C. de iurisdict. omn. iudicum*, quod ita vir trahit vxorem ad suum domicilium, vt ea nullo pacto teneatur respondere in domicilio pristino, tanta est vis matrimonij, ex vi residentiæ matrimonialis, quam necessario inducit, quod dicatur etiam eiusdem Ciuitatis ciuis cuius est ciuis maritus, taliter quod in priuilegiis comprehendatur sub statuto loquente de ciuibus, aut de his, qui sunt alicuius Ciuitatis, vt multis citatis tenet Tiraq. *leg.* 1. *connub. gloss.* 1. *p.* 1. *n.* 29.

7 Hanc autem mutuam residentiam, & cohabitationem matrimonialem, & quod vxor teneatur sequi mariti forum, domicilium, & habitationem: variæ rationes ductæ naturali instinctu, & rationis dictamine variis cæremoniis explicarunt, vt egregiè adnotauit Tiraquell. *vbi supra, num.* 31. *Labeo* (ait) *Iurisconsultus egregius, lib.* 4. *ad edictum Prætoris. Sor* (inquit) *appellata est* (*vxor*) *quod quasi seorsum nascatur, separaturque ab ea domo in qua nata est*, & in aliam familiam transgreditur, quod repetit Aulus Gellius, aut Agellius *lib.* 10. *noctium, cap.* 13. Hoc autem & quod apud Bœotios currus axis, quo vecta erat in domum mariti noua nupta comburebatur, vt id signum esset eam ibi perpetuo remansuram, vt retulit Plutarch. *Problem. Rom. cap.* 28. cui cæremoniæ confinis est, & alij Romanorum apud quos sponsa iam obtecto, flammeo capite cum extulisset pedem è primis ædibus, vertebatur in girum, atqui ita ducebatur in domum sponsi ne sciret viam redeundi ad domum parentum, adeo enim strictam obligationem inducit residentia matrimonialis, vt quancunque aliam quæ secum non compatiatur excludat & euanescere faciat, vndè rectè inspirante authore naturæ Deo, dixit Adam *propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, idest, illi cohabitabit, residebit, simul commanebit*, vt egregiè ibi Abulensis, Thomas Anglicus & alij expositores, & optimè adnotauit Burgensis ibi
8 *addit.* 5. † tam stricta est vtriusque coniugis residentia, vt inter illos sit quædam indiuidualis identitas, qualis non est inter filium & parentes eius, nam vir & vxor sunt vna caro, at filius ad summum dicitur pars patris, nõ idem, aut vnus cum Patre; quod vnitas inter virum & vxorem adeo stricta est & tam arcta residentia, quod priuilegium concessum ratione domicilij alicui, & omnibus descendentibus masculis, & fœminis, fœminis ita competit, si nondum in matrimoniũ transierint, quia postquam marito iunguntur & cum illo fiunt vna caro, ad alium dicuntur se transferre, & statum suum & fortũ mutarunt, vt notarunt Barthol. *leg. quoties C. de priuileg. scholast. libro* 12. vbi Angelus & Ioannes Platea Romanus *leg.* 1. *ff. de S. C. Syllan.* & alij quos citat & sequitur Tiraquell. *vbi supra n.* 34. quare Doctores contrarium tenentes quos citat idem Tiraquell. *num.* 34. ego intelligo de illis priuilegiis, quæ conceduntur ciuibus alicuius ciuitatis, ratione originis quam nunquam perdit vxor, quia semper est ab illa oriunda, sed de priuilegiis quæ conceduntur ratione domicilij.

RESOLVTIO VI.

Vtrum Papa possit dispensare in residentia matrimoniali inter infideles ad fidem conuersos?

GRAVISSIMA est præsens difficultas quæ *anno* 1588. Romæ fuit valdè agitata, vt refert Pater Vasquez *infrà citandus*, qui nunquam potuit opinioni affirmatiuæ assentiri & subscribere, quamuis enixè ab eius defensoribus solicitaretur quos semper repellit & præscripsit. Igitur dupliciter potest hæc controuersia agitari. Primò, si vterque infidelis conuertatur ad fidem. Secundò, si aliter tantum conuertatur, & alter velit habitare & residere cum eo sine iniuria creatoris.

§. I.

Expenditur primus sensus.

SVMMARIVM.

1. *An summus Pontifex possit soluere matrimonij consummati vinculum inter infideles.*
2. *An matrimonium infidelium etiam in infidelitate consummatum solum habeat firmitatem ex ratione contractus inter coniuges initi.*
3. *Matrimonium infidelium etiam consummatum non habet significationem vnionis Christi cum Ecclesia, ratione vnionis hypostaticæ.*
4. *S. Doctoris sensus affertur; necnon authoris iudicium, & n.* 5. 6. *&* 7.
8. *In iure canonico ratum dicitur quod est firmatum, & stabilitum.*
9. *Matrimonia infidelium non sunt rata licet sint legitima.*
10. *Matrimonium infidelium est imperfectum comparatum ad matrimonium fidelium.*

11. *An matrimonium infidelium sit ratum sumpto rato pro firmo.*
12. *An fidelium matrimonium ratum & non consummatum possit dissolui per professionem solemnem in religione approbata.*
13. *Matrimonium infidelium est imperfectum ex S.Thom.*
14. *Inseparabilitas matrimonij est de iure naturæ.*
15. *Trident.sensus adducitur, & num.16.*
16. *An sit relicta in Ecclesia potestas dissoluendi matrimonium ratum.*
17. *Matrimonium infidelium conuersorum eo ipso, quod baptizentur efficitur ratum.*
18. *Bellarmini opinio affertur, & n.19.*
20. *An possit dissolui ab Ecclesia de plenitudine potestatis matrimonium, & n.21.*
22. *Ratio difficultatis diluitur.*
23. *Inseparabilitas competit matrimonio secundum quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, & numer.24. & 25.*

1 POsse † Summum Pontificem soluere vinculum matrimonij consummati inter infideles si conuertatur vterque coniux ad fidem, si postquam conuersi & baptizati sunt non consummarunt, sentiunt Nauarr. *lib.3.consilior.tit.de conuers.coniugat.consil.3.in meis n.12. §.ad secundum dubium.* Thom.Sanchez *lib.2.de Matrim.disp.17.n.2.* vnde consequenter docent Papam posse hos infideles baptizatos absoluere ab obligatione residentiæ matrimonialis; quæ nititur vinculo & vnitati matrimonij probatur. Primò, quia probabile est, quod Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, non consummato fidelium, ergo cum non subsit ratio aliqua efficax idem poterit in matrimonio consummato, siquidem Sacramentum matrimonij fidelium firmius est quam consummatum infidelium, illud enim ratum dicitur; istud vero ratum non est, *cap.quanto de diuort.& cap.fin.28. quæst.1.*

2 Secundò, quia † matrimonium infidelium etiam consummatum in infidelitate solum habet firmitatem ex ratione contractus inter coniuges initi, atqui Princeps supremus licet regulariter non possit dissoluere subditorum contractus; at quando interuenit causa publica, id potest, vt latè monstraui *tom.2. Moral.tract.vlti. Resol.6.* quamuis enim Princeps supremus, non debeat tertio præiudicium inferre, at consentiente tertio (cum iā non sit præiudicium, quia scienti & volenti nec fit iniuria, nec præiudicium) bene potest dissoluere contractum etiam matrimonij, & per consequens absoluentur coniuges ab obligatione matrimonialiter residendi.

3 Tertiò, quia † matrimonium infidelium, etiam consummatum non habet significationem vnionis Christi cum Ecclesia ratione vnionis hypostaticæ, à qua significatione habet matrimonium omnimodam insolubilitatem *cap.debitum de bigamis*: & expressit D.Thom. *in 4.dist.33. quæst.2.art.1. ad 2.* dicens, quod inseparabilitas matrimonio competit secundum, quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, & secundum, quod est inofficium naturæ ad bonum prolis ordinatum, sed quia separatio matrimonij magis directè repugnat significationi, quam prolis bono, cui ex consequēti repugnat inseparabilitas matrimonij, magis in bono Sacramenti intelligitur quam in bono prolis quamuis in vtroque intelligi possit & secundum, quod pertinet ad bonum Sacramenti, ergo cum hæc significatio non sit in matrimonio etiam consummato fidelium, eius inseparabilitas non est omnino indispensabilis à Pontifice, sed sicut dispensari potest in matrimonio rato, quod significat vnionem Christi cum anima, vt ait S.Doct. 4
in 4.dist.37.q.1.art.3. quæst.2. ad 1. quæ per contrariam dispositionem rumpitur, at per eandem copulam significat coniunctionem ad Ecclesiam; quantum ad assumptionem humanæ naturæ in vnitatem personæ quæ omnino est indiuisibilis; in matrimonio fidelium consummato, non vero in matrimonio etiam consummato infidelium in quo nulla est talis significatio.

Quartò, quia ad minus videtur, quod si intra duos menses infideles qui conuertuntur & baptizantur alter eorum velit transire ad Religionem ibique profiteri poterit facere altero inuito; sicut de fidelibus dicitur, quod intra bimestre si matrimonium sit tantum ratum potest alter ad religionem conuolare; matrimonium enim infidelium solum est contractus factus in infidelitate in qua ignorabatur status perfectior religionis; quare dum ad fidem veniunt non est illis denegandum tempus; in quo talem statum possint eligere per quod dissoluetur eorum matrimonium, etsi consummatum, sicut dissoluitur ratum fidelium:

Sed † nihilominus negatiua sententia 5
mihi indubitata est, & omni rectè sentienti debet esse; sic respondi consultus pro quibusdam Indis qui in sua infidelitate discordes semper erant & conuersi ad fidem intendebant ex aliquorum suasione; quod Pontifex eorum matrimonium dissoluerer; vt iterum possent contrahere, dixi enim, id quod refert Pat.Vasquez, quod simile quid intentatum est tempore Sixti V. qui summa prudentia qua vigebat semper eos repulit, & exclusit. Ita defendunt contra Sanchez & Nauarrum Basilius Legionens. *l.9. de Matr: cap.2.à num.8.* Perez *disp.20. sect.10. num.8:* Diana

Diana qui vt assolet horum Authorum verba refert & sequitur, *quæst.8.tract.1.resol.66.* Castro Palao, *tom.5.disp.2.punct.2.§.3.num.2.* Coninch, *disput.26.dub.5.num.66.* Azor, *p.2. lib.5.cap.2.§. His positis* Dicastillus, *disput.2. dub.59.n.496*

6 Et quidem hanc esse S. Thom. sententiam manifestum est, & quidquid sit an Papa possit dispensare in matrimonio fidelium rato non consummato quod supra dixi probabile, quamuis contrarium sim secutus, vt probabilius & securius; tamen de matrimonio consummato siue fidelium siue infidelium ad fidem conuersorum, & baptizatorum, non video qua probabilitate practica Theologia defendi possit, id enim probant argumenta S.D. *in 4.dist.27.q.1.art.3. & di-*
7 *stinct.33. quæst.1.art.1.* Vt autem rectius & facilius comprehendatur notandum quod *ratum* ex sua impositione & notione significat id quod firmum & stabile & immutabile est, iuxta linguæ latinæ proprietatem Terentius *in Hecub. Ne quod egissem, esset ratum.* Cicero, *de natura Deorum lib.2. Astrorum in omni æternitate rati & immutabiles cursus*, id est fixi, constantes, firmi & inruptibiles. Hinc est quod *ratus* & *ruptus* sunt contraria. Cicero de Orato. Hinc testamentum *ratum* & *ruptum*, quæ inuenies in Ambrosio
8 Calepino. Hæc tamen † firmitas, & stabilitas aliquando in aliquo casu potest rumpi & dissolui, vnde in iure canonico, *ratum* dicitur quod est firmatum, & stabilitum sacramento fidei, hoc est sacramento baptismi in resuscepto, qui imprimit caracterem, qui est prorsus indelebilis, & irruptibilis, quo firmantur matrimonia fidelium, ita vt dissolui non possint si consummata sunt, & non consummata, solum per ingressum religionis approbatæ, & in hoc sensu dicit Innocentius III. *cap. quanto de diuort.* quod
9 † matrimonia infidelium non sunt rata quamuis sint vera & legitima; matrimonia vero fidelium rata sunt, quia sacramentum fidei quod semel est admissum nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum vt iam in coniugibus illo durante perduret. Hæc est mens omnium Scholasticorum *in 4.dist.39. cap. vlt.* vbi dicit *matrimonium infidelium non esse ratum quia sine fide*, intellige professa in baptismo quæ semper retinetur in caractere contenta, quāuis habitus fidei amittatur, & quis hæreticus aut infidelis fiat. Hinc est quod vt supra notabamus ex D.Thom. *in 4.dist.39.quæst.1:*
10 *art.2. in corpo.* quod † matrimonium infidelium est imperfectum comparatum ad matrimonium fidelium, quod est perfectum vltima perfectione gratiæ, infidelium tamen perfectum perfectione naturæ, quæ est materialis respectu perfectionis gratiæ, vnde egregie Thomas de Argentina ibi *q.1.art.1.* infidelium matrimonium effici ratum transeundo ad fidem sine nouo consensu aut contractu, huius doctrinæ rationem dedit S. Thomas *art.2. cit.* quia prima perfectio est materialis respectu secundæ, sicut natura est materia, & subiectum respectu gratiæ, quæ illam perficit sine aliqua dispositione ex parte ipsius naturæ, ita baptismus, qui est sacramentum fidei, & gratiæ perficit contractum naturalem matrimonij initi inter infideles dum baptizantur *& in solutione ad 1.* profundè dicit. *Quod cum matrimonium non tantum sit institutum in sacramentum, sed etiam in officium naturæ quamuis infidelibus non competat matrimonium vt est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ, competit tamen eis in quantum est in officium naturæ, & tamen etiam matrimonium tale est, aliquo modo sacramentum habitualiter eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ, quare eo ipso quod fides in baptismo adueniat sine nouo consensu aut contractu fit ratum, & sacramentum quia eo ipso tacite confirmant contractum, quem in infidelitate inierant.*

Vnde fit quod † matrimonium infidelium 11
etiam fuit ratum, sumpto rato, pro firmo, immutabili & fixo quamuis non totali firmitudine, quam accipit à sacramento fidei, ratione cuius iam non licet fideli, ad aliud matrimonium transire quod licebat ex iure diuino, si alter non conuerteretur, quia dum vterque conuertitur matrimonium cōsummatum in infidelitate, & erat ratum intra ordinem naturæ cuius firmitas poterat rumpi propter ordinem gratiæ, iam fit ratum & omnino immutabile.

Ex quo licet colligere vnum quod veri- 12
tatem nostræ sententiæ declarat cur quamuis, matrimonium fidelium ratum & non consummatum possit dissolui, per professionem solemnem in religione approbata, dicatur ratum sitque fixum & firmum matrimonium tamen infidelium, & si sit verum matrimonium non tamen dicatur ratum & immutabile, cum tamen illud, quam istud sit verus contractus ex natura rei perpetuus & insolubilis. Ratio ergo est quia matrimonium fidelium dissolui nequit per aliud eiusdem ordinis, quod intra eundem ordinem sit perfectius vnde antè consummationem semper intra suum ordinem est ratum, fixum, stabile, & insolubile; status enim Religionis, quo dissoluitur altior est & alterius eleuatioris ordinis propter quod id quod ratum & fixum erat in sua linea per altiorem ex iure diuino dissoluitur. Ast matrimonium infidelium etsi intra ordinem naturæ fixum sit & firmum (quia libellus repudij est contrarius iure naturæ & eo prohibitus etsi aliquando ab Auctore naturæ dispensa

dispensatus) tamen intra ordinem, & lineam contractus matrimonij per aliud matrimonium contractum, si alter coniux non vult conuerti, ab altero iam baptizato, dissoluitur iure naturali & diuino, vt suprà monstraui, & repetam, §. *sequenti*.

13 Quam doctrinam desumpsi ex Diuo Thoma *in 4. distinct. 39. quæstion. 1. artic. 5. ad 1.* dicente, † *quod matrimonium infidelium imperfectum est, sed matrimonium fidelium est perfectum, & ita firmius, semper tamen firmius vinculum soluit minus firmum si sit illi contrarium, & ideo matrimonium, quod post, in fide Christi contrahitur soluit matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat.* vnde matrimonium infidelium non est omnino firmum, & ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi. Vnde apparet cur si ex fidelibus coniugibus vnus incidat in hæresim, vel infidelitatem altero perseuerante in fide, non dissoluatur matrimonium, quia videlicet est matrimonium omnino ratum, & fixum per Sacramentum fidei, scilicet baptismi, quo perseuerante semper fixum & ratum manet illorum matrimonium.

Ex dictis iam apparent manifesta & luce clariora fundamenta quæ fecit D. Thom. vt firma & rata maneat sententia nostra quæ ad hanc formam reduco. Primum sit, quia

14 † inseparabilitas matrimonij est de iure naturæ, quia contractus hic ex intentione naturæ ordinatur ad prolis educationem, non ad aliquod tempus determinatum, sed per totam vitam prolis & est sic de lege naturæ, quod parentes filiis thesaurizent & filij parentum hæredes sint, cumque filij sint commune bonum viri & vxoris, oportet eorum societatem & residentiam perpetuo manere indiuisam secundum legis naturæ dictamen, quare vt coniugium dissoluatur necessaria est diuina dispensatio data ab Auctore naturæ, solus enim ipse separare quit, quod coniunxit, & nullus homo quauis authoritate pollens, quo argumento vsus est Christus *Matth. 19. n. 9.* cum enim Iudæi quærerent ab eo, *an liceret vxorem dimittere, quacunque ex causa?* ex hac inquisitione ansam & occasionem assumpsit, vt veram de matrimonio doctrinam traderet, illúdque in pristinam institutionem reduceret quam haberet si homo non esset ordinatus ad finem supernaturalem, sed ex vi creationis masculi & fœminæ. Vnde ait, *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit (Deus) propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ.* ex quibus verbis sumptis pro antecedente colligit Christus matrimonij firmitatem insolubile vinculum dicens, *quos ergo Deus coniunxit homo non separet.* vnde Trid. *sess. 24. de matrim. cap. 1.* † hoc 15 argumentum Christi, vt à nonnullis est propositum sic colligit, dicens *matrimonij perpetuum insolubilémque nexum primum humani generis parentem diuini Spiritus instinctu pronunciasse, cum dixit hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea propter hanc relinquet homo, &c.* quare cum Sacro-sancta Synodus ex verbis dictis ab Adamo, vinculum matrimonij insolubile esse concludat, sicut fuit in ipso Adamo, qui dum hoc protulit non respexit ad coniunctionem Christi cum Ecclesia per vnionem hypostaticam, quæ conuenit matrimonio ex Christi institutione manifestè tam Christus quam Concilium colligunt firmitatem & insolubilitatem matrimonij, ex natura ipsius contractus, ex vi creationis, masculi & fœminæ, non ex ratione Sacramenti, & significationis, & quãuis testimonia hæc explicentur ab aduersariis de matrimonio dumtaxat consummato, præterquam, quod hoc falsum sit, vt alibi monstro, tamen ad præsens institutum sufficit, quod matrimonium consummatum omnino sit insolubile ab homine, quia Deus coniunxit masculum & fœminam, qui facti sunt vna caro per copulam, ergo nisi Deo dispensante in fauorem fidei, & religionis dissolui nequit.

At dices quod sicut Christus Dominus reliquit potestatem in Ecclesia, vt ob iustas causas dissoluat matrimonium ratum fidelium, ita vt dissoluat matrimonium infidelium, qui ad fidem conuertuntur, cum illisque dispenset, vt aliud ineant matrimonium, sed contra est.

Primò, quia *vt suprà* diximus etiam non est relicta potestas Ecclesiæ, vt dissoluat matrimonium ratum, sed ne res grauissima qualis est præsens videatur pendere ab opinione probabili, qualem esse diximus, quod Pont. potest dispensare in matrimonio rato sæpiusque est dispensatum.

Insto secundò, contra eandem solutionẽ, 16 quia quod sit relicta in Ecclesia potestas ad dissoluendum matrimonium ratum ex plurium doctorum tam antiquorum, quàm neo tericorum applausu constat esse probabile, taliter, quod negare esse id probabile non vacet temeritate, ergo cum vsque ad Nauarrum, nullus Catholicus dixerit, quod sit relicta potestas ad dissoluenda matrimonia infidelium, qui ad fidem conuertuntur absque fundamento in re grauissima necessitas ista introducitur, *quam falsissimam esse*, iure dicit Gabriel Vasquez, neque enim ita facilè relicta est ad hoc potestas à Christo Domino, qui de eadem materia loquens dixit, *quos ergo Deus coniunxit homo non separet.*

Tertiò, quia † matrimonium infidelium 17 conuerso

conuersorum, eo ipso, quod baptizentur efficitur ratum, cum antea esset consummatum & effecti vna caro, omnino insolubile manet *vt suprà* monstraui. Vnde ex matrimonio consummato ante baptismum nascitur post baptismum affinitas, & bigamia, & sic accedente Sacramento fidei ad consummationem factam ante baptismum fit omnino ratum & insolubile, aliàs talia impedimenta non orirentur ex consummatione facta ante baptismum.

Secundùm fundamentum sit, quod & præcedens solidabit, quia si Ecclesiæ relicta est potestas, vt matrimonia consummata infidelium conuersorum ad fidem dissoluat dispensetque, vt alia matrimonia ineant manifestè sequitur, quod etiam sit relicta potestas eidem Ecclesiæ, vt matrimonia rata consummata fidelium etiam dissoluat atque dispenset, vt coniuges à priori matrimonio soluti aliud ineant, quod erroneum aliqui iudicarunt, aut saltem in re grauissima contra praxim & traditionem Ecclesiæ ab primo sæculo vsque modo, vt latè osten-

18 dit Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 16.* † sequelam probo, quia matrimonij inseparabilitas oritur ex eo, quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, & ex eo quod est institutum in officium naturæ ad bonum prolis ordinatum, illud est ex institutione Christi in Euãgelio instituentis matrimonium in Sacramentum, & istud ex institutione Dei authoris naturæ, atqui vt dispensetur in iure naturæ quantum ad hoc relicta est in Ecclesia potestas, ergo etiam vt dispensetur in institutione Christi instituẽ-

19 tis, quod matrimonium consummatum fidelium significet perpetuam coniunctionẽ ipsius cum Ecclesia, quam significationem tandiu habebit matrimonium consummatum fidelium, quandiu non fuerit ex causa solutum vinculum eius ab Ecclesia per potestatem sibi à Christo relictam sicut si matrimonium consummatum fidelium à Deo dissoluatur nõ significabit hanc coniunctionem, quam semper retinebit si non dissoluatur, quare quod matrimonium consummatum fidelium, etsi ex natura rei sit insolubile & etiam iure diuino noui testamẽti immutabile propter præfatam significationẽ,

20 tamen † posse dissolui per Ecclesiam de plenitudine potestatis quam ad hoc reliquit Christus Dominus, vt dicunt Socinus *consil. 28. vol. 1. colum. penult.* Decius *cap. quod Ecclesiarum colum. 5. de constitut.* Hieronym. Grati *consil. 1. nu. 31. vol. 2.* Sigismundus Lofredus *consil. 50. n. 41.* quorum opinio nitebatur responso Gregor. XIII. *ad Bonifac. Episcop.* rescribentis refertur, *cap. quod proposuisti. 32. quæst. 7.* ad quod variè respondent Couarr. *de matrim. p. 2. cap. 7. §. 4. n. 25.* & Glossa *ibi verb. nubat.* & tamen hæc sententia omnino est reiicienda, etsi tot grauissimos Doctores Canonistas habeat, Socinus enim & Decius etsi non sint Superiores, ad Nauarrum, & Thomam Sanchez, at sunt æquales, tum sapientia, tum authoritate, ergo pari modò horum sententia, quod in Ecclesia sit potestas ad dispensandum & soluendum matrimonium infidelium conuersorum in infidelitate consummatum. Hoc argumentum demonstrationem existimo, certè quidem si matrimonium consummatum fidelium non posset dissolui, quia significat vnionem Christi cum Ecclesia, ratione vnionis hypo- 21 staticæ, quam significationem non habet matrimonium consummatum infidelium & ideo potest dissolui à Summo Pontifice potestas dissoluendi matrimonium consummatum reduceretur ad quoddam incertissimum fundamentum, quod in re tanti momenti & in qua Ecclesia à suis primordiis semper insistit, sustineri non potest, vbi bene notat Basilius *vbi suprà numer. 11.*

Fundamenta opposita futilia sunt, ad primum de matrimonio rato iam constat ex dictis disparitas, † ad secundum respondetur negando, quod quum contractus positiuè est perpetuus & insolubilis iure naturæ possit Princeps supremus nisi solus Deus illum dissoluere, quia si ex iure naturæ exigit insolubilitatem illam habet Deo auctore, & quod Deus author naturæ coniungit homo separare nequit, ad tertium respondetur, quod à priori non ideo matrimonium consummatum fidelium est omnino insolubile, quia significat vnionem Christi cũ Ecclesia in vnitate personæ, imò à priori ideo hanc significat, quia in se respectu humanæ potestatis est omnino insolubile, sicut est vnio hypostatica. Vnde egregiè S. Doct. solum dixit, quod † inseparabilitas & inso- 23 lubilitas competit matrimonio secundum, quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, quare semper matrimonium ex natura sua etiam antequam ordinaretur ad finem supernaturalem erit capax huius significationis, quam illi Christus tribuit, & sic antequam actu significaret erat iure naturæ capacitas perpetua in matrimonio, vt perpetuam coniunctionem Christi cum Ecclesia significaret, & hoc est, quod suprà dicebat D. Thom: quod matrimonium in quantum est institutum in officium naturæ est aliquo modo Sacramẽtum habitualiter quãuis non actualiter, eo quod non contrahunt infideles actu in fide Ecclesiæ, quare matrimonium habet intrinsecam perpetuitatem in qua fundatur perpetuitas, quã habet ab extrinseco ex eo, quod Christus pro beneplacito suo illud eleuauit, vt actu

actu significaret coniunctionem suam perpetuam cum Ecclesia, hæc autem actualis si-
24 gnificatio non immutauit naturam matrimonij, sed eam perfecit, sicut perficit naturam, & eam eleuat ad altiorem finẽ, si enim intellectus noster non haberet proportionẽ sibi connaturalem ad intellectionem non posset eleuari virtute supernaturali ad attingendum verum supernaturale, quam doctrinam non omnes extra scholam Thomisticam capiunt iuxta quam ego intelligo Aug. *lib. de nupt. & coniug. cap.* 10. dum dicit matrimonium insolubile esse ratione huius significationis, quod etiam faciunt alij ex Patribus.

25 Ad quartum respondetur, quod quum ambo conuertuntur & baptizantur si ante baptismum consummatum est matrimonium, ipso fidei Sacramento fit matrimonium ratum & Sacramentum, atque ita nullus potest ad religionem transire altero inuito, si vero vnus conuertatur altero in infidelitate relicto, *dicam* §. 3. an conuersus id possit facere, & an ex vi professionis dissoluatur vinculum matrimonij.

§. II.

Enucleatur sensus secundus.

SVMMARIVM.

1. *Si alter tantum conuertatur ad fidem alio remanente in infidelitate, an ex vi conuersionis vnius, matrimonij vinculum dissolui possit.*
2. *Innocentij III. sensus.*
3. *In quo casu fidelis non possit cohabitare cum infideli.*
4. *An si volente coniuge infideli commanere cum fideli sine iniuria creatoris, possit authoritate humana matrimonium quoad vinculum dissolui.*
5. *S. Doctoris mens affertur, n.* 19.
6. *Necnon Basilij sententia, & n.* 7.
8. *Infidelitas est adulterium spirituale, remissiuè.*
9. *Chrys. opinio adducitur.*
10. *Quæ sint officia matrimonialia quæ exhibere tenetur vxor marito, quando cum illo commanet.*
11. *Licet coniugi fideli ex eo præcisè quod nolit conuerti infidelis, matrimonium dissoluere altero inuito.*
12. *Eo ipso quod infidelis obstinatus nolit conuerti illico si vult saltem implicitè cohabitare cum fideli.*
13. *An seclusa lege Ecclesiastica qua prohibetur quod fidelis conuersus cohabitet cum infideli, coniux fidelis nequeat dissoluere matrimonium, nec Summus Pontifex.*
14. *Quandonam fidelis possit dissoluere matrimonium cum infideli, & n.* 15.
16. *Matrimonium consummatum fidelis cum infideli, ex eo præcisè quod non vult conuerti non potest dissolui à fideli.*
17. *Variorum DD. sensus, & n.* 18.
20. *Cur fidelis possit dimittere infidelem ratio affertur, & n.* 21. 22. *&* 23.
24. *Cur Ecclesia prohibeat fideli cum infideli cohabitare ratio affertur, & numero* 25.
26. *Quid veniat notandum.*
27. *Discrimen inter duos coniuges fideles affertur.*
28. *An fidelis conuersus possit transire ad secundum matrimonium, altero perseuerante in infidelitate.*
29. *Pontificis sententia adducitur.*
30. *Priuilegium Christi de soluendo matrimonij vinculo fidelis qui conuertitur, & infidelis qui persistit in infidelitate pro quibus casibus concessum sit.*
31. *Quandonam contractus matrimonij non esset ortus legitimis contrahentium consensibus.*
32. *Authoris iudicium, & n.* 34. *&* 37.
33. *Per peccatum mortale intelligit infidelitatem S. Doctor.*
35. *An infidelis petendo cohabitationem, petat id quod sibi debetur iure naturæ, & num.* 36.
38. *D. Caiet. sententia affertur.*
39. *Necnon multorum aliorum.*
40. *An infidelis pertrahat ad peccatum contra legem prohibentem, quod fideli habitet cum infideli.*
41. *Quæ oblatio facta ab infideli coniuge suo fideli non cooperetur cohabitationi.*
42. *An priuilegium Christi Dom. datum fidelibus, vt possint dissoluere vinculum matrimonij, cum infideli, datum sit independenter à lege Ecclesiastica prohibente habitationem fidelis cum infideli, n.* 43. *&* 44.
45. *Quodnam contractum initum dicatur matrimonium irritum à Trid.*
46. *Quòd coniux fidelis in vtroque casu debeat manere in cœlibatu, vnde oriatur, & num.* 47.
48. *Quid ex traditis sit deducendum.*
49. *An priuilegium Christi datum sit pro omnibus casibus in quibus fidelis cohabitatio cum infideli est illicita ex parte infidelis.*

SI aliter tantum † conuertatur ad fidem 1
alio remanente in infidelitate, an ex vi conuersionis vnius matrimonij vinculum dissolui possit, quod multipliciter potest intelligi, an possit dissolui authoritate Pontificis, vel per ingressum in religionem, ita vt

vt alter possit aliud contrahere matrimonium verum, vel perseuerans in sua infidelitate, vel conuerso ad fidem, & quidem conueniunt DD. Catholici, quod si infidelis nolit habitare cum fideli sine iniuria creatoris, potest fidelis soluto matrimonio cum infideli, aliud inire, sic intelligit Ecclesia locum Pauli 1. *ad Corinth.* 7. *num.* 14. *quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, in pace enim vocauit nos Dominus*, cui testimonio nixus Innocentius III. hoc definiuit,
2 † *cap. quanto, & cap. Gaudemus de diuortiis.* qui agnoscit speciale priuilegium, & concessionem datam à Christo Domino ad dissoluendum matrimonium, etiam consummatum & absolutionem à præcepto naturali residendi matrimonialiter fidelis, cum infideli, qui non vult cohabitare sine iniuria, vel contumelia creatoris, ipsum vel Christum blasphemando, & impediendo ne illis debitus cultus, exhibeatur, vel retrahendo familiam à fide Christi, vel compellendo coniugem fidelem ad peccatum
3 mortale, cum enim † fidelis in tali casu non possit habitare, & residere cum infideli, æquum est, vt possit matrimonium dissoluere quoad vinculum, noluit enim Christus lege sua obligare ad cœlibatum sine propria voluntate, aut culpa, quem ducere teneretur, si nec posset habitare cum infideli propter periculum, & ex alia parte non posset soluere matrimonium & aliud contrahere, *cap. simili modo, cap. si vxor.* 28. *quæst.* 1. *cap. infidelis quæst.* 2. Legantur Perez *de matrim. disp.* 36. *sect.* 4. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 1. *punct.* 3. Henriquez *lib.* 1. *de matrim. cap.* 4. Rebellus *lib.* 3. *de obligat. iusti. quæst.* 10. *sect.* 2. Basilius Legionens. *lib.* 9. *cap.* 4. *n.* 13.

Quare superest dubium circa hunc sen-
4 sum, † an si volente coniuge infideli commanere, & residere cum fideli sine iniuria creatoris, vel inductione ad mortale, possit authoritate humana matrimonium hoc quoad vinculum dissolui, & quidem ad habitationem & residentiam maritalem cum infideli liberum est conuerso, potest enim si vult cum illo cohabitare, etsi ex vi conuersionis ad fidem infidelis amittat ius matrimonij, & exigendi debitum & alia officia coniugalia, quod ex dicendis liquescet, & docuit S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 2. *in corpor.* vbi dicit, *quod quantum ad habitationem & debiti solutionem pari passu currunt adulterium & infidelitas, quia vtrumque est contra bonum prolis, vnde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Potest enim vir innocens liberè cum adultera commanere spe correctionis, non autem si in adulterij peccato fuerit obstinata, ne videatur Patronus turpitudinis, quamuis etiam cum spe correctionis possit eam dimittere similiter fidelis conseruus potest infideli manere cum spe conuersionis, si eam in infidelitate obstinatam non videat, & benè facit commanendo tamen non tenetur, & de hoc est consilium Apostol.* 1. *ad Cor.* 7. *n.* 12. 13. *&* 14.

Huius veritatis rationem aliam dedit egregiam † *art.* 3. *eiusdem quæst.* 1. *quia homini secundum aliam, & aliam vita, diuersa competunt & expediunt, & ideo qui moritur priori vitæ, non tenetur ad illa ad quæ in priori vita tenebatur, & inde est, quod ille qui in vita sæculari existens aliqua vouit, non tenetur illa, quum mundo moritur vitam religiosã assumens, perficere: Ille autem qui ad baptismum accedit regeneratur in Christo, & priori vitæ moritur, cum generatio vnius sit corruptio alterius, & ideo liberatur ab obligatione, qua vxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare, non tenetur quum conuerti non vult, quamuis in aliquo casu liberè id possit facere, vt dictum est art.* 1. *sicut & Religiosus liberè potest perficere vota, quæ in sæculo fecit, si non sunt contra Religionem suam, quamuis ad ea non teneatur.*

Ex quo apparet minus benè dixisse † Basilium *lib.* 9. *de matrim. num.* 6. in primis illis Ecclesiæ temporibus non tantum licuisse habitationem fidelis cum infideli secluso periculo peruersionis, sed eo tempore iustissime fuisse præceptũ, quo facilius infidelis, fidelis viri, vel vxoris consortio ad veram religionem alliceretur, & ne etiam molestè ferrent, se ab vxoribus, vel coniugibus dilectis deseri, atque ita reuocarentur, vel retardarentur infideles à capessenda Catholica disciplina; hæc enim sententia etsi fuerit Græcorum Patrum calculo approbata, tamen nõ videtur textui admodum consona, dicit enim Apostolus *cæteris ego dico non dominus, &c.* quasi dicat hoc non est Domini præceptum, sed Pauli consilium, ego dico consulendo non præcipiendo, vt interpretantur *ibi.* D. Th. *lect.* 2. Aug. *l.* 1. *de Adult. coniug. c.* 13. Anselm. Cornel. Iustin. *ibi*, & communiter expositores. Noluit enim Apostolus onus imponere, quod vel non oriatur ex rei natura, vel non sit à Christo Domino impositum & ideo dixit, se priuato nomine id scribere non domini authoritate sicut Paulus non sicut Apostolus, quasi velit consilium tunc temporis fuisse non præceptum cum enim, vt suprà est monstratum † infidelitatem esse adulterium spirituale, sicut fornicatio vxoris adulterium carnale, & ex Christi concessione propter vtrumque licitum sit vxorem dimittere,

qua ratione præciperet Apostolus, vt fidelis infidelem non dimitteret, etiam nolentem se conuertere, quare dubio procul expositio Aug. & D. Thom. amplectenda.

Quam etiam sequitur ibi Chrysostom. *homil.* 19. sic loquens egregiè ad illa verba
9 quæ *num.* 15. subiungit Apostol. † *Vnde scis mulier si virum saluum facies? aut vnde scis vir si mulierem saluam facies? si seditionem non agitat*, (ait Chrysostomus) *mane, nam & lucrum habes, mane, & admone, & consule, & persuade. Nullus enim Doctor tantum potuerit valere quantum mulier, & neque imponit ei necessitatem, neque rem ab ea exigit, ne viris faciat grauius, neque iubet animum despondere, ac desperare, sed propterea, quod futurum sit incertum id relinquit suspensum.* idest cadens sub consilio, non sub præcepto, quod pulchrè etiam Primasius ibi, *sæpè contingit vt lucri fieret per mulierem ideo, ait B. Petrus, vt si qui non credunt verbo per mulierum conuersationem, sine verbo lucri fiant, vt cum viderint ex ebriosis sobrias, ex superbis humiles, dicant verè lex Dei est quæ sic potuit mutare mores insolitos.* Hæc Primasius. Vnde historiæ Ecclesiasticæ plenæ sunt ex conuersionibus virorum factis suasionibus, & persuasionibus vxorum, sic Cæcilia, sic mulier Clodouei Regis Francorum, sic B. Monica, viros suos ex infidelitate sua ad fidelitatem traxere, quare si tunc temporis probabili & morali certitudine mulier speraret reducere ad fidem virum suum, &c. ex præcepto Charitatis teneretur, cum illo habitare & officia matrimonialia exercere.

10 Sed † quæ sint officia ista matrimonialia quæ exhibere tenetur vxor marito, quando cum illo commanet, residet, & cohabitat, Ioannes Andr. & Panormit *cap. Litteras de conuers. coniug.* quod vxor tenetur viro lauare pedes, & caput & parare cibos, & alias semper, vel Phrygio seruire marito, coquinariam facere, & lectum parare, vt tradit Benedictus Capra *consil.* 72. *colum.* 4. etenim, vt scribit Herodotus *lib.* 8. apud priscos populos etiam Regi vxor sua coquebat cibaria, quare etsi mulier nobilis sit, si maritus vult ob aliquem finem honestum, vt sibi cibum faceret, tenetur id facere, sic enim, vel sua humilitate maritum reducet ad bonos mores, & ad fidem, dicet enim maritus infidelis hæc vera lex Dei est, quæ sic potuit mutare mores insolitos, legendus est Barbatius *in additionibus ad Baldum in leg. si vxorem colum.* 1. *C. de conditio inser.* neque enim deterior debet fieri conditio creditoris, propter nobilitatem debitoris, nisi alter sit iure cautum, vt benè Andreas Tiraquell. *tract. de nobilit. cap.* 20. *n.* 94.

Igitur circa præsentem quæstionem. Pri-
11 ma sententia absolutè docet † licere coniugi fideli, ex eo præcisè, quod obstinate conuerti nolit infidelis matrimonium dissoluere altero inuito, cum fideli. Ita Bellarm. *l.* 1. *de matrim. cap.* 12. Ægidius Coninch. *disp.* 26. *dub.* 5. & alij recentiores. Probatur primò, quia Paulus 1. *ad Corinth.* 7. *num.* 14. vt suprà vidimus non præcipit, sed dat consilium, vt fidelis habitet cum infideli, si iste vult cohabitare, sine iniuria creatoris, atqui ibi Apostolus loquitur de dimissione non solum quoad vsum matrimonij, & officiorum coniugalium, sed quoad solutionem vinculi, ergo si solum est hoc consilium poterat fidelis illud vinculum soluere. Secundò, quia † eo ipso, quod infidelis obstinatus 12
in sua infidelitate nolit conuerti & baptizari illico si vult saltem implicitè cohabitare, & commanere cum infideli sine iniuria creatoris, moraliter enim non videtur posse infidelis non blasphemare Christum, & in illius Ecclesiam effutire contumelias, si videat coniugem fidelem Christum adorare, venerari sacras imagines, Eucharistiam sumere, indulgentias lucrari, diffinitionibus Pontificiis assentiri, vt infallibilis veritatis, rursus obstinatio in infidelitate contumelia est creatoris, & blasphemia in Christum.

Secunda sententia tenet duo, primũ, quod
† seclusa lege Ecclesiastica, qua prohibetur, 13
quod fidelis conuersus cohabitet, & commaneat cum infideli, coniux fidelis nequit dissoluere matrimonium, nec Summus Põt. Secundùm, quod supposita lege Ecclesiastica prohibente talem commanentiam & cohabitationẽ, si infidelis non vult conuerti, potest fidelis dissoluere matrimonium aliud contrahens cum fideli, hanc sententiam tenent Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 74. *à n.* 9. Dicastil. *tr.* 10. *disp.* 2. *dub.* 37. *à n.* 460. Basil. *l.* 9. *c.* 4. *n.* 22. Perez *disp.* 36. Henriq. *lib.* 11. *c.* 8. *n.* 4. Sà Emendatus *verb. matr. de dirimentibus n.* 8. Manuel Rodriguez *t.* 2. *Sum. c.* 230. Sotus *in* 4. *dist.* 39. *q. vnic. art.* 4. *vers. est tamen.* & alij.

Hanc secundã partem probant multis (nã prima verissima est, vt cõstabit.) Primò, quia iuxta Paulũ explicatum, *c. quãto, & c. Gaudemus de diuort.* tunc † fidelis potest dissoluere 14
matrimnniũ cum infideli, quum iste recedit, & nõ vult cohabitare nisi pertrahendo fidelẽ ad peccatũ, at supposito, quod lex Ecclesiastica prohibet, quod fidelis habitet cũ infideli, fidelis peccat cuius peccati causa est perseuerantia infidelis in sua infidelitate, ergo iste reipsa discedit, ac per consequẽs ex Christi priuilegio cõcesso in fauorem fidei, fidelis iste potest matrimonium dissoluere, alias esset subiectus seruituti matrimonij cum infideli, & inculpabiliter maneret obligatus, ad cœlibatum, quousque alter conuerteretur.

Secundò,

15 Secundò, quia priuilegium Christi in fauorem fidei concessum, vt dissoluatur matrimonium fidelis cum infideli, cum iste discedit, concessum fuit à principio pro omnibus illi euentibus in quibus illicita est cohabitatio cum coniuge infideli, quamuis esse illicitam, à iure Ecclesiastico dimanet, quia quamuis Ecclesia nequeat dissoluere vinculum matrimonij consummati, etiam cum infideli, tamen supposita prohibitione cohabitationis cum illo, iam iure diuino potest dissolui hoc matrimonium, sicut ante Tridentinum matrimonium clandestinum, validum erat & contractus factus, sine Parrocho, & testibus eleuabatur ad rationem Sacramenti, at post Trident. quod sua lege declarauit non esse legitimos consensus, qui fiunt sine Parrocho & testibus, iure diuino est nullum matrimonium, sic celebratum sine solemnitate requisita à Trident. & introducta lege humana.

Tertia sententia cui tanquam verissimæ
16 adhæreo, est, quod † matrimonium consummatum fidelis cum infideli ex eo præcisè, quod non vult conuerti, si tamen quantum est ex parte sua vult pacificè cohabitare cũ coniuge fideli sine iniuria creatoris, aut blasphemia Christianæ Religionis, & sine inductione ad peccatum, non posse dissolui hoc matrimonium à coniuge fideli, (an vero possit Pontifex dicam modo) hæc est omnium ferè Magistrorum antiquorum sententia Petrus Lombardus *in* 4. *dist.* 39. vbi D. Th. *art.* 5. *in corp.* Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 1. Richar. *art.* 2. *quæst.* 2. Durand. *quæst.* 2. *n.* 12. Paluda. *quæst. vnic. art.* 2. *n.* 12. Gabriel *art.* 2. *conclus.* 6. D. Anton. 3. *p.* 1. *cap.* 6. *notab.* 3. Decretistæ cum Gratiano, *c. fin. dist.* 28. vbi Turrecremata. Decretalistæ *ad c. quanto, & cap. Gaudemus de diuort.* vbi Hostiensis, Butrius, Præpositus, Henriquez, Panormitanus, Archidiaconus, Innocentius, Summa Angelica, quos citat Sylueſter *infrà* adducendus.

17 † Summistæ omnes antiqui, Goffred. Raynerius, Friburgus, Rosella, Armilla, Pissana, Tabienna, Nauarrus, Sylueſter quos citat Sanchez *num.* 8. expositores Sacræ Scripturæ, Arboreus, Claudius, Gagneius, Photius & multi alij, *in cap.* 7. *epist.* 1. *ad Corinth.* & vt dixi vsque ad Victoriam nullus antiquorum contrarium sensit, quod apud me validum est argumentum confirmans huius sententiæ veritatem.

18 Quam ni fallor decidit Pontifex Innocentius III. *cap. quanto, & cap. Gaudemus de diuort.* vt autem huius Pontificis determinatio præfatæ veritatis omnibus pateat, & clarescat, duo sunt notanda. Primum, ex D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q.* 1. *art.* 3. qui explicans textum *in cap. Iudæi* 28. *quæst.* 1. (qui desumptus est ex *Concilio. IV. Tolet. canon.* 62. quod celebratum fuit à Gallis & Hispanis *an.* 650. *& à Concilio V. Toletano cap.* 2. quæ dicitur magna & vniuersalis Synodus, quæ congregata est in vrbe Toletana, quo Pontifice, & quo Rege, non satis constat, nam aliqui dicunt fuisse celebratum *ann.* 633. Legatur Garzia de Loaysa & Binnius, (*ibi*) in quo sic habetur; *non potest infidelis in eius coniunctione permanere, quæ iam in Christianam translata est fidem.* circa quæ verba D. Tho. ad secundùm † *dicendum, quod in primitiua* 19
Ecclesia tempore Apostolorum passim conuertebantur ad fidem, & Iudæi, & Gentiles, & tunc vir fidelis poterat habere probabilem spem de conuersione vxoris, eriamsi conuersionem non promitteret. Postmodum tamen tempore procedente, Iudæi sunt magis obstinati, & gentes adhuc intrabant in fidem, sicut tempore Martyrum, & tempore Constantini Imperatoris circa illa tempora, & ideo tunc non erat tutum fideli cum vxore infideli cohabitare, nec erat spes de conuersione eius, sicut erat spes de conuersione vxoris gentilis, & ideo tunc fidelis conuersus poterat habitare cum gentili, sed non cum Iudæa nisi conuersionem promitteret, & secundum hoc loquitur decretum illud, sed nunc pari passu ambulant vtrique, scilicet Gentiles & Iudæi, quia vtrique obstinati sunt, & ideo nisi vxor infidelis conuerti velit non permittitur ei cohabitare, siue sit Gentilis, siue Iudæa. Hactenus S. Doctor.

Ex qua verissima doctrina quæ stillata est ex August. *lib.* 1. *de Adult. coniug. ad Pollentium à cap.* 13. *vsque ad* 28. duo colligũtur. Primum ratio, † cur cum Dominus 20
licentiam dederit, vt fidelis conuersus posset si vellet dimittere infidelem si non vult conuerti, nihilominus Apostolus tunc temporis consilium det vt fidelis non dimittat infidelem, si iste vult habitare cum illo licitè, & sine iniuria Creatoris, quia videlicet est fideli probabilis spes conuertendi infidelem, vnde etsi liceat fideli, dimittere non tamen expedit. Audi Augusti. *cap.* 13. in quo post multa valdè egregia sic concludit. *Quia coniux fidelis relinquere coniugem potuit infidelem, ideo fieri non Dominus, sed Apostolus prohibet. Quod enim Dominus prohibet fieri* 21
omnino non licet. Monet enim Apostolus quomodo possit esse multorum occasio lucrandorum, vt fideles coniuges in dimittendis infidelibus permissa licentia non vtantur. Tibi autem videtur infideles quoque dimitti à fidelibus non licere, quia hoc vetat Apostolus, cum ego dicam licere, quia hoc non vetat Dominus, non tamen expedire, quia hoc ne fiat monet Apostolus qui reddit etiam rationem cur fieri non expediat quamuis liceat. Quomodò enim scis (inquit Apostolus) mulier, si virum

saluum

saluum facies? aut vnde scis vir si saluam facies vxorem? & infra: *Cur ergo non expediat infideles coniuges dimitti à fidelibus causa euidenter expressa est. Non enim propter vinculum cum talibus coniugale seruandum: sed vt acquirantur Christo, recedi ab infidelibus coniugibus vetat Apostolus*, &c. Quæ eleganter prosequitur, *cap.* 28. concludens de coniuge infideli dimittendo, vel non dimittendo: *Quoniam vnum horum non expedit, aliud expedit, dici non oportet, qui dimittit bene facit, & qui non dimittit melius facit, sed dici oportet non dimittat, quia etsi liceat, non ex-*
23 *pedit. Sic enim possumus dicere, melius esse fidelem coniugem non dimittere, quamuis liceat & dimittere, quemadmodum rectè dicimus, melius esse quod licet, & expedit, quam id, quod licet, & non expedit.* Hactenus August. qui admirabili ingenio concordat licentiam Christi, vt infidelis possit dimitti à fideli, quia ille adulterium spirituale committit, quare licet fideli dimittere illum sicut licet innocenti dimittere adulterum carnalem, vna cum consilio Apostoli, quod actu non dimittat, quia fidelis ex cohabitatione cum infideli istum potest lucri facere, & saluare, id quod etiam determinat Innocentius III. *cap gaudemus cit.*

24 Secundum, quod colligitur est † ratio prohibitionis Ecclesiæ, quæ prohibet habitare fidelem cum coniuge infideli est, ob periculum subuersionis, fidelis ab infideli, quare ob hoc motiuum iustissimum vult, quod coniux fidelis vtatur licentia Christi & non consilio Apostolico, quia hodie semper expedit quod fidelis non cohabitet cum coniuge infideli, quia siue gentilis sit siue Iudæus, vtrique obstinati sunt, & sic Ecclesia recte præsumit non esse probabilem spem in coniuge fideli ad conuertendum infidelem ad fidem, & sic vtriusque commanentiam prohibet, & quamuis in aliquo parti-
25 culari præsumptio deficiat, & falsa sit, nihilominus lex Ecclesiastica obligat, quia est præsumptio iuris & à iure, & ob vniuersale motiuum lata, quod semper firmum stat quamuis in aliquo casu particulari non verificatur præsumptio, quæ ratio manifesta, est in his legibus, quæ vel ius naturale, & diuinum, aut Religionem Christianam concernunt, vt in superioribus meis scriptis sepius est inculcatum.

26 Notandum secundò, † quod Ecclesia potuit hoc prohibere, etiamsi Apostolus contrarium consiliauerit, quia tunc temporis, etsi licitum esset fideli infidelem dimittere, tamen hic & nunc, & attentis circunstantiis illius temporis non expediebat dimissio propter grauia inconuenientia, quæ agnoscebat Apostolus, tamen videns Ecclesia, quod spes conuersionis infidelis non est hodie probabilis, & euersio fidelis probabilis sit multo magis quam illius conuersio, iustissime ex altiori motiuo charitatis, quæ semper à se ipso incipit, prohibet talem cohabitationem, quæ hodie illi omnino illicita est, attentis regionibus, & aliis, si commode potest coniux fidelis infidelem dimittere.

His igitur prælibatis iam ostenditur *ex cap. quanto citat.* nostra & Antiquorum sententia, *ibi* Pontifex rescribens Ferrariens. Episcopo discrimen ponit inter duos coniuges fideles, † quorum alter in hæresim, 27
vel errorem qualitatis labitur, etsi ex duobus infidelibus coniugibus alter ad fidem Catholicam conuertatur; & dicit, quod in hoc vltimo casu: *Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda si voluerit vota transiuit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit discedat; frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi. Et canonem etiam in quo dicitur contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur.* Hactenus Pontifex, quid in hoc casu tenendum sit determinans. Vnde Glossa, *ibi* in casu fornicationis dicit, *Nota quod matrimonium infidelium potest separari altera ad fidem conuerso, altero remanente in infidelitate in tribus casibus hic contentis, quos his versibus comprehendit Vincentius Glossator.*

Desere spernentem, vel blasphemare volentē
Vel te credentem scelus ad mortale trahentē,
Nā sunt absq; mora sic vincula rupta priora.

Easdem tres species huius casus refert idem Pontifex rescribens Tibiadensi Episcopo, & refert, *cap. Gaudemus cit.*

Ex qua decisione sumitur valde efficax, meo iudicio insolubile argumentum quod † fidelis conuersus possit transire ad secun- 28
dum matrimonium, altero perseuerante in infidelitate, habetur ex Christi priuilegio, cuius promulgationem fecit Paulus 1. *ad Corinth.* 7. verbis citatis ab Innocentio, quod priuilegium ad solos illos extendi debet, ad quos Ecclesia extendi intellexit (cum enim matrimonium iure naturæ sit insolubile, solum potest solui priuilegio Christi) at Ecclesia solum in his tribus casibus intellexit posse dissolui matrimonium consummatum inter infideles, si vnus eorum cōuertatur ad fidem, quando scilicet infidelis non vult cohabitare, vel quum non vult cohabitare sine iniuria creatoris, vel quum cohabitando infidelis pertrahit fidelem ad mortale peccatum, ergo quum vult cohabitare sine iniuria creatoris, & sine inductione ad peccatum, non

non soluitur vinculum matrimonij, cuius
29 rationem dedit Pontifex, † *cap. Gaudemus, fideles* (ait) *huiusmodi (cum infidelibus) matrimonialiter copulari liberè possunt; & licitè remanere coniuncti, cum per Sacramentum baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur*, exceptis scilicet tribus casibus, quos posuit *cap. quanto.* & imponit infrà *in eod. cap. Gaudemus.*

Sed respondent Sanchez & Dicastillus, quod Pontifex colligit ex loco Pauli quem intelligit non solùm de discessu physico infidelis, quia recedit à fideli à quo se absentat, & cum quo physicè in eodem lecto & domo non vult cohabitare, sed etiam de discessu morali, quando vult cohabitationem illicitam, vel blasphemando creatorem, vel trahendo ad peccatum coniugem fidelem, vnde eo ipso, quod cohabitatio sit illicita definit Pontifex, quod infidelis moraliter discedit, & sic quod fidelis potest ad secundas nuptias transire, supposito autem, quod ex lege Ecclesiastica illicitum sit fideli habitare cū infideli, si iste vult habitare cum illo, iam infidelis trahit fidelem & inducit ad peccatum, & sic ex definitione Innocentij, fidelis potest ad secunda vota transire. Vnde Sanchez *n.* 10. & Dicastillus *n.* 467. dicunt,
30 quod † priuilegium Christi de soluendo vinculo matrimonij fidelis, qui conuertitur & infidelis qui persistit in sua infidelitate concessum est pro omnibus casibus in quibus est illicita cohabitatio, eo autē ipso, quod interposita sit lex Ecclesiastica qua interdicitur habitatio fidelis cum infideli, etiamsi iste velit pacificè habitare iam adest casus pro quo Christus priuilegiū concessit, quod exēplo declaratur, matrimonium clandestinum olim ante Concilium Trident. erat validum; & nunc est vbi non est receptum Trident. & post istud iam non est validum; sed ex natura rei irritum, non quia mutata est materia; & forma huius Sacramenti, quia id nequit facere Ecclesia; atqui ista potest facere, quod contractus sit, vel non sit legitimus; statuit
31 S. Synodus, quod contractus matrimonij nō esset ortus ex legitimis contrahentium consensibus, nisi coram Parrocho, & duobus testibus, & Christus constituit pro materia consensus legitimos. Cum ergo Ecclesia possit statuere, quod cohabitatio fidelis cū infideli sit peccatum mortale, eo ipso priuilegiū Christus dedit, vt possit matrimonium dissolui, quia eo ipso, quod sit talis lex infidelis trahit ad peccatum fidelem; nam infidelis est causa moralis, quod fidelis peccet habitando cum illo contra præceptum Ecclesiæ, si enim inducit ad habitandum, cum habitatio sit illicita moraliter inducit ad mortale.

Verum enim vero hæc solutio quæ fundamentum est oppositæ sententiæ si prematur inanis apparebit. Quare contra eam sic consurgo. † Primò, quia si hoc ita est, vt isti 32
dicunt, eo ipso, quod alter non inire validū matrimonium, si alter requisitus, quod conuertatur, non conuertitur, etsi pacificè velit cohabitare, consequens autem omnino absurdum est, quia Pont. expresè *c. Gaudemus.* dicit, *qui (infidelis) secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem cum tale repudiū veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente, licitè poterit aliam, etiam ad fidē Christi conuersus habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat habitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum*, atqui
† per mortale peccatum D. Th. *vbi suprà in* 33
corpore art. intelligit infidelitatem, vel quodlibet aliud contra legem naturæ, non vero quæ prohibet habitationem, nisi inducat ad cohabitandum ex intentione, quod fidelis mortaliter peccet, nam si præcisè, ex eo, quod infidelis velit cohabitare cum infideli supposita lege Ecclesiastica infidelis pertrahit ad mortale, quia talis habitatio est illicita, quia prohibita & sic infidelis potest secundo nubere & soluere vinculum matrimonij cum infideli non esset necessarium illos tres casus exprimere, quibus ex priuilegio Christi licitum est transire ad secundas nuptias; sed sat esset dicere hoc licere; quum alter coniux non vult conuerti præcisè, quia ex hoc præcisè habitatio fit illicita, quod dici nequit, maximè, quum tempore Innocentij III. circa *annum* 1200. iam erat prohibita talis habitatio.

Secundò impugnatur eadem solutio, 34
quia infidelis dum non conuertitur, & vult cohabitare pacificè & sine contumelia creatoris, quamuis cohabitatio sit illicita fideli, tamen non trahit infidelis ad peccatum mortale, nec ad illud fidelem inducit, sed tantum vtitur iure suo naturali, quod habet ad vsum matrimonij, & ad residendum cum vxore, cum qua factus est vna caro: prohibitio autem non tollit hoc ius, etsi impediat eius vsum lege sua, vnde
† infidelis petendo cohabitationem petit 35
id quod sibi debetur iure naturæ, quamuis ob periculum ne fidelis peruertatur prohibet cohabitationem, & iuri illi ponit impedimentum ex parte fidelis; vnde si infidelis debitum petat à fideli & iste reddat neque in petitione, aut redditione est peccatum contra legem naturæ, vnde manifestum, est quod dum infidelis vult hodie pacifice cohabitare cum fideli non solicitat ad peccatum mortale, sed solum vult, quod sibi detur id ad quod habet ius naturæ, ipse enim non tenetur assentiri tali impedimento; cum non teneatur obedire

Ecclesiæ & sic respectu infidelis idem prorsus manet oblatum post prohibitionem de non cohabitando, ac anteaquam prohiberetur, & sic respectu suæ voluntatis semper petit licitum, nec quantum est ex se pertrahit ad peccatum, & idem est si haberet aliquod motiuum honestũ ad hoc, quod alter coniux non exequeretur aliquod Ecclesiæ præceptum, non in contemptum Ecclesiæ, sed ob suam conuenientiam sibi
36 licitam iure naturæ, quia sibi, id quod est licitum iure naturæ non fit illicitum, quia prohibitum iure Ecclesiastico, sed infideli, quod est licitum ante ius Ecclesiasticum est illi licitum iure Ecclesiastico posito, & sic per accidens respectu sui pertrahit ad peccatum, quod est tale, quia prohibitum lege Ecclesiastica, quod secus est de tractione ad peccatum contra legem naturalem, & diuinam, quia ista ligatur infidelis, qui non habet ignorantiam inuincibilem illius, pertractio enim ad peccatum contra huiusmodi leges est talis per se respectu infidelis, & de hac manifestè loquitur Pontifex *in præfatis capitibus*, quorum hic est genuinus intellectus quem non vult aduertere Dicastillus, quare fidelis, qui contra prohibitionem Ecclesiæ cohabitat cum infideli, mortaliter peccat ab sua concupiscentia abstractus, & illectus, quod est per accidens respectu infidelis, qui exigit, quod sibi licitum est.

Tertiò doctrinam traditam explico &
37 confirmo exemplo, † si coniux conuersus non obstante lege Ecclesiastica prohibente commanere & cohabitare, inuitetur ad cohabitationem ab infideli iste non inuitat, aut pertrahit ad peccandum, sed ad actum matrimonialem, & officia coniugalia mutuo obeunda, quamuis per accidens ista habere sit prohibitum fideli, sed solum se præbet facilem ad exequenda pacifice mariti munera, est exemplum si Dominus die ieiunij iubeat coquo, vt paret cibos prohibitos ad comedendum, vel ad frangendum ieiunium, etsi Dominus peccet, non tamẽ coquus, aut ministrantes tales cibos, quia isti non concurrunt, nec inuitant ad fractionem ieiunij, sed ad sustentationem naturæ, vel vt ait D.
38 Caiet. † 2.2.*q*.147.*art*.4.§. *& ad hoc dicitur*. non cooperantur comestioni, quatenus est solutiua ieiunij, sed quatenus est actus deseruiens nutritiuæ, siue inseruiunt illi actui, vt est actus hominis, non vitij. Ratio huius est manifesta, quia parare cibos non est quid malum secundum se, imo potius est ex se honestum, neque quatenus prouenit à præparante, est medium ad violandum ieiuniũ, nec illam præparationem ciborum, aut illorum ministeriũ ad talem violationem ordinantur, quamuis reipsa talibus cibis præparatis, & ministratis ieiunium frangatur à manducante, quod non intendit præparans & ministrans, ita tenent † Diana *p*.1.*tr*.9. 39
Resol.38. Villalobos 1.*p*.*summ*.*tr*.23.*difficul*.3. *n*.1.*&* 2. Trullenc.*l*.3.*in Decalog*.*c*.2.*dub*.5.*n*. 11.*&* 12. Reginald.*in praxi l*.4.*n*.194. Molphes 1.*p*.*Sum*.*tr*.10.*c*.*n*.3. Victor. *in additionibus ad Toletum l*.5.*c*.5.*verb*.*seruus sciens*, & alij plures quos refert Doctus Pasqualig. *in praxi ieiun*.*decis*.370.*&* 373. ita fit in præsenti, quia † infidelis non pertrahit ad pec- 40
catum contra legem prohibentem, quod fidelis habitet cũ infideli ex eo præcisè, quod nolit conuerti si offerat separationem ad habitandum sine iniuria creatoris, & sine eo, quod inducat ad infidelitatem, ex vi cuius oblationis non inducit ad hoc, quod fidelis cohabitet contra legem Ecclesiæ, neque ad hoc cogit fidelis infidelem neque inuitat, aut pertrahit ad fractionem legis, sed ad residentiam matrimonialem, quæ iure naturæ sicut est præcepta, ita est iure naturæ licita, quare talis † oblatio facta ab infideli coniugi 41
fideli non cooperatur cohabitationi, quatenus est actus deseruiens ad officia matrimonialia, quæ iure naturæ sunt licita, & honesta, etsi ista reipsa exerceantur à coniuge fideli illicitè, quia lege Ecclesiastica prohibita, sicut contingit in exemplo de præparante cibos qui licitè præparat, etsi Dominus illicitè illis vtatur frangens illorum commestione legem Ecclesiasticam ieiunij.

Quartò, eandem sententiam & solutionem impugno, quia † priuilegium Christi 42
datum fidelibus, vt possint dissoluere vinculum matrimonij cum infideli datum est omnino independenter à lege Ecclesiastica prohibente habitationem fidelis cum infideli coniuge. Vnde antequam lex ista esset, non licebat fideli soluere præfatum vinculum ex eo præcisè, quod infidelis nollet conuerti si vellet habitare sine iniuria creatoris & sine pertractione ad peccatum, ergo neque hodie lata præfata lege poterit: consequentia me quidem iudice manifesta est, quia lex Ecclesiastica nequit extendere priuilegium hoc est ius diuinum circa insolubilitatem matrimonij in ea dispensans, quod nulla potestas humana quit facere, si matrimonium sit consummatum, etiam inter infideles, nisi in casibus à Christo exceptis, & declaratis ab Ecclesia in præfatis *cap*.*quanto*, *& Gaudemus*, vt autem probauimus penes hoc, quod infidelis non conuertatur & velit 43
pacificè cohabitare cum fideli non cogit istum, nec pertrahit ad peccatum, quamuis suppositа lege Ecclesiastica fidelis cogatur ad vitam cœlibem ducendam, quod per accidens est, & non intendit infidelis, qui semper respicit, id quod sibi licet iure naturæ, quod autem fidelis ad cœlibatum cogatur non

non ex infidelis non conursione per se sequitur, sed ex lege Ecclesiæ. Hoc argumentum ita me concludit, vt iudicem nihil solidum posse ad illud responderi in eoque fundati sunt omnes antiqui magistri, quos citaui, & qui locuti sunt post legem latam de non cohabitando fidelem cum infideli, quare inerudite Dicastillus *num*.458. dicit non constare, an omnes loquantur supposita lege Ecclesiastica, loquuntur vtique hac facta suppositione, siquidem, vt dicebam etiam tempore Innocentij III. iam erat facta lex ista.

44 Exemplum quod adducunt de matrimonio clandestino quod validum erat ante Concilium Trident. & post istud, vbi viger, non est validum sed omnino irritum, nisi fiat coram Parocho & testibus prorsus est ineptum ad præsens institutum, nam Christus contractum matrimonij eleuauit ad rationem sacramenti, quæ fundatur in vero contractu, quod autem contractus sit validus dependet ex hoc quod princeps supremus ponat talem vel talem conditionem, vt contrahentes legitimum præstent consensum,
45 quod fecit Trid. declarans expresse † aliter contractum initum esse irritum, & inane, quod potestate sibi data à Deo potuit facere Ecclesia, ast nequit facere quod priuilegium Christi comprehendat nisi casus quos definitum est ab Innocentio III. comprehendi, in quibus nullatenus comprehenditur casus de quo est præsens dubitatio, vt manifeste ni fallor ostensum est siquidem infidelis volẽs habitare cum fideli sine creatoris contumelia, si ipsum non cogit moraliter inuitando, & suadendo, sed solum non se conuertendo ad fidem vtens iure mariti, & residentiæ maritalis, nõ pertrahit ad peccatum mortale per se, quamuis per accidens sequatur, vel quod coniux fidelis peccet cohabitando contra præceptum Ecclesiæ, vel quod maneat in cœlibatu, quod non prouenit per se ex non conuersione infidelis, sed ex Ecclesiæ præcepto quod respicit fidelem non infidelem, qui Ecclesiæ præcepto non obligatur, & sic non tenetur attendere ad damnum fidelis qui permanere debet in cœlibatu sine culpa sua, sicut ait Innocent. III. *in cap*.*quanto cit*. fidelis permanens sine culpa sua manet in cœlibatu quãdo coniux fidelis incidit in hæresim aut in infidelitatem, id quod in multis aliis casibus contingit, vt dicit Pontifex, & notat glossa
46 ibi *verb*.*multis*. Quod ergo † coniux fidelis in vtroque casu debeat permanere in cœlibatu, oritur ex indissolubilitate matrimonij iure naturæ, quo coniuges quoad vinculum manent semper coniuncti, semper inseparabiles, nisi in casu in quo Christus Dominus concessit, quod vinculum istud rumpe- 47
retur, quare non ex eo dicendum est, quod ex non conuersione infidelis supposita prohibitione Ecclesiæ sequatur cœlibatus in cõuerso, ne hoc sequatur potest rumpi vinculum matrimonij cum infideli, & aliud cum fideli contrahere, cum ex non conuersione
infidelis non sequatur per se pertractio ad mortale, sed per accidens sequatur, quod supposita lege Ecclesiastica cohabitatio sit illicita fideli, aut quod maneat in cœlibatu, cum ergo infidelis ad habitationem illicitam ne cogat suasione, neque inducat, aut pertrahat, sed solum ad officia maritalia facilem se præbeat iure mariti sicut seruus iure seruui ministrat cibos prohibitos in die ieiunij, quibus Dominus frangit legem Ecclesiæ, vt supra dicebamus, quod vxor nolit illicite cohabitare propter legem Ecclesiæ, sed velit persistere in cœlibatu, manifestissimum est, quod maritus infidelis nihil facit cõtra matrimonium, quatenus iure naturæ est institutum ex eo quod præcisè, quod non vult conuerti, atque ita ex hoc præcisè ex priuilegio Christi Domini dissolui nequit, ne alter conuersus in cœlibatu maneat, hæc omnia olim meditabar Romæ consultus *ann*. 1626. quæ tantum apud me ponderis habẽt, vt iudicem contrariam opinionem non posse ad praxim reduci inconsulto Summo Pontifice, vt quid faciendum sit determinet, quod etiam senserunt viri docti à me consulti.

Ex quibus corruunt & euanescunt fundamenta oppositæ opinionis † ad primum respondetur, negando quod fidelis ex eo præcisè quod perseueret in sua infidelitate, & non conuertatur, pertrahat fidelem ad peccatum, supposita lege Ecclesiastica prohibẽte cohabitationem, vt abunde probatum est, & sic per accidens sequitur, quod fidelis maneat in cœlibatu, vt etiam diximus. Ad secundum respondetur, quod † priuilegium 4
Christi datum est pro omnibus casibus in quibus cohabitatio fidelis cum infideli est illicita ex parte infidelis, non enim *frater subiectus est seruituti peccati*, vt ait Paulus, fit autem illicita illis modis, quos ponit Innocentius III. explicans locum Pauli, & eius intelligentiam definiens, in quibus nullatenus continetur, quum solum est illicita ex parte fidelis, qui lege Ecclesiastica inhibetur, non habitet cum infideli ad quam non pertrahit ex eo præcisè, quod non conuertatur, si ex parte sua se facilem præbet ad residentiam matrimonialem, quæ intra naturæ ordinem per se est debita coniugibus, quare non solicitat ad cohabitationem, vt illicitam iure Ecclesiastico, sed eam desiderat vt honestam iure naturæ:

§. III.

Varia corollaria ad praxim vtilia.

QVamuis difficultas discussa valde sit ardua & difficilis, nihilominus ex eius decisione plura practicabilia deducenda sunt corrollaria.

SVBRESOLVT. I.

Qua ratione in partibus Indiarum doctrina tradita practicetur?

SVMMARIVM.

1. *An ordinarij, Parochi in Indiarum partibus possunt in priuilegiis dispensare.*
2. *Thomæ Sanchez sensus affertur.*
3. *Bullæ Gregor. XIII. verba adducuntur.*

PRimum, quod licet ex Bulla Gregor. XIII. quam ad verbum refert Basilius Legionensis *lib.7. de matrim.cap.48.num.13.* quã *lib.6.* inter alia Pontificia diplomata re-
1 feram, licet enim ex vi huius Bullæ † Ordinarij, Parochi, & Regulares Societatis, & alij, qui in illis partibus communicant in priuilegiis possint dispensare, vt quilibet illarum regionum infidelis conuersus ad fidem, qui ante Baptismum matrimonium contraxit etiam superstite coniuge infideli liber & expeditus sit ad contrahendum matrimonium, & matrimonialiter residere cum alio infideli non requisito aut expectato infidelis consensu: rursus licet in causis matrimonialibus Indorum Regulares qui designati sunt ad eorum animarum curam in vtroque foro, de plano, & sine strepitu
2 iudicij procedere, vt Thom.Sanch. † *lib.10. de matrim.disput.19.* ex Vera Cruz *in speculo, part.3. art.10. & 11.* vbi id probat ex variis Summorum Pontificũ priuilegiis; tam Bullatis, quàm viuæ vocis oraculis: cæterum non possunt facere quod si alter infidelis non conuersus vult cohabitare sint iniuria creatoris, & siue inductione ad mortale fidelis allud matrimonium contrahat; & cum alio cõiuge fideli matrimonialiter resideat, quia vt vidimus ex hoc præcise, quod alter non vult conuerti, si velit cohabitare sine iniuria creatoris, & sine inductione ad peccatum non dissoluitur ex priuilegio Christi, sed sine culpa fidelis manet in cœlibatu, & priuatur re sua per accidens quidem, ex suppositione legis Ecclesiasticæ, sicut ille, qui contraxit nuptias sine culpa sua fit irregularis, & bigamus, priuatúrque potestate ad sacros ordines suscipiendos, hoc autem ita esse dicendum non obscurè declarauit Greg. XIII. in præfatæ Bullæ pro-
3 œmio, dicens † *Coniuges infideles tam longo interuallo disiunctos, an sine contumelia creatoris secum habitare velint, vt par est monere nequeant,* &c. ergo à contrario si sine iniuria creatoris habitare velint, non interuenit ea necessitas, qua existente possunt matrimonia consummata infidelium dissolui, iuxta Christi Domini priuilegium ab Apostolo publicatum primæ, *cap. ad Corinth.7.* & sic nequeunt Parochi huiusmodi, aut PP. Societatis in vim huius Bullæ Gregorianæ dissoluere matrimonium celebratum inter infideles, ex eo præcisè, quod alter non vult conuerti, si vult cohabitare sine iniuria creatoris.

SVBRESOLVT. II.

Quid de Ætyopibus, Mauris, & Turcis captiuis?

SVMMARIVM.

1. *Quid de Ætyopibus, Turcis captiuis veniat dicendum, & n.7. & 8.*
2. *Qua distensatione Pontifex dissoluat matrimonium consummatum infidelium.*
3. *An ad hoc quod infidelis non requirat coniugem infidelẽ, requiratur declaratio Papæ.*
4. *An si sit probabile quod infidelis peruertat fidelem possit hoc matrimonium dissolui.*
5. *Non esse legem Ecclesiasticam prohibentem habitationem fidelis cum infideli existimat Rebellus.*
6. *Si sit periculum peruersionis ad quem pertineat examinare.*

SEcundum, quod colligitur est, quod † Ætyopes, Turci, Mauri, & Indi, qui 1
captiui, & serui efficiuntur, vel emuntur, & ad nostras regiones transuehuntur, in quibus difficile, & fere impossibile moraliter est de alterius coniugis voluntate, an velit cohabitare sine iniuria creatoris inquirere, isti si conuertantur ad fidem non posse contrahere secundum matrimouium sine dispensatione Pontificia, qua dispensetur in monitione necessaria, & requisita vt fidelis posit contrahere secundum matrimonium, sic dispensauit Pius V. pro Indis & Gregorius XIII. in Bulla adducta; *dummodo constet summarie,* & extraiudicialiter coniugem absentem *moneri legitime non posse.* Neque enim vt bene aduertit Basilius *vbi supra num.12.* † ex hac dispensatione colligitur Pontificem dissoluere matrimoninm cõsummatum infidelium, sed cum Pontifex posit ius diuinum interpretari, vt ex diuino priuilegio dissoluatur matrimonium in fauorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli declaret Pontifex eum casum verificari, quum tanto tempore fideli 2

non

non requiritur ab infideli, & tanta terrarum spatia impediunt, atque adeo iam posse vti diuina concessione, & ad secundas transire nuptias.

Ex quo sumitur manifestum argu-
3 mentum pro resolutione principali, quia ad hoc, quod, quum infidelis non requirit coniugem infidelem, vel quia non vult cohabitare, quia id impediunt longa terrarum spatia interposita, vel quia etsi sciat, quod coniux sit fidelis ipse tamen in sua infidelitate perseuerans non curat cum illo cohabitare, requiritur declaratio Papæ, tanquam Interpres iuris diuini, & dispensatio in monitione, vt fideliş vti possit diuino Christi priuilegio, vt transeat ad secundas nuptias, ergo cum non sit Pontificia declaratio quod ad transitum istum sufficiat, quod infidelis non velit conuerti, etsi velit cohabitare sine iniuria creatoris, & sine pertractione ad peccatum manifestum est, quod hoc non sufficit ad dissoluendum matrimonium consummatum infidelium.

Ex quo fit primo, quod † si est probabile 4
proximum periculum, quod ex cohabitatione fidelis cum infideli iste illum peruertet, & ad infidelitatem iterum pertrahet etiamsi non esset lex Ecclesiastica (vt non erat in primitiua Ecclesia) prohibens cohabitationem istorum poterit matrimonium istud dissolui, & aliud contrahi. Ratio est clara, quia periculum istud imbibit voluntatem virtualem in infideli pertrahendi fidelem ad mortale, & ad infidelitatem, estque hoc periculum lege diuina, & naturali prohibitum: quare si reipsa adest dubio procul potest dissolui matrimonium hoc infidelium, iuxta doctrinam traditam; *cap. quanto. & cap. Gaudemus. de diuort.* non tamen si cesset hoc priuilegium, etiamsi adsit lex Ecclesiastica, quæ fundatur in præsumptione, quod infidelis pertrahat infidelem ad suam infidelitatem, quæ præsumptio sufficit, vt lex humana obliget fidelem ad non cohabitandum, & in ea se fundauit Concilium Tolet. IV. generale, *can.62. & 63. ne eorum fortè* (Iudæorum) *participatione subuertantur,* quæ præsumptio maior est in Iudaismo, quam in gentilitate cuius, etsi reliquiæ adhuc perseuerassent in Hispania; & Gallia, & multo etiam post, vt constat ex Concil. *can.12. & 16.* nihilominus hæc prohibitio solum fuit facta respectu Iudæorum; ex quorum pertinacia, improbitate & odio in Christum, & eius Religionem Patribus huius Concilij iniecta est specialis suspicio, & præsumptio quod coniugem fidelem subuertent. Ita Basilius Legionens. *vbi supra n.9.*

Vnde Rebellus *lib.3. de oblig. iust. quæst.10.*
5 *sect.1.* putat † non esse legem Ecclesiasticam quæ prohibeat habitare fidelem cum infideli coniuge, bene tamen vxorem Christianam cum marito Iudæo, non antequam Episcopus moneat istum vt ad fidem conuertatur, quod constat ex *can.63. cit.* at Coninch. *disp.16. de matrim. num.56.* quam sequitur Dicastillus *num.455. & 457.* dicit talem esse legem hodie ex consuetudine ortam, quia scripta nullibi in iure canonico reperitur, sed ego contra hos puto talem non esse vniuersalem consuetudinem, quæ obligationem sub mortali inducat, sed † ad 6
Episcopum pertinere examinare, an sit tale periculum peruersionis, quo existente potest, & tenetur eos separare, ex vi obligationis altioris præcepti diuini, non declinandi à fide, quam de residendo cum coniuge, imo si adest tale periculum, vt dixi, potest coniux fidelis alterum inire matrimonium, quo dissoluetur prius initum, & consummatum cum infideli, quæ doctrina satis innuitur in præfato Concil. Tolet. *cano.63 cit.* vbi priusquam vxor Christiana separetur à viro Iudæo requiritur quod iste moneatur, vt conuertatur ad fidem ante quam monitionem, non potest fieri separatio.

Ex quo etiam fit secundo, † quid sentien- 7
dum sit de Ætyopibus, & aliis infidelibus qui captiui fiunt, & ad terras Christianorum deportantur ibique venduntur, & suscipiunt Christianam religionem, & cum inter suos matrimonium contraxerunt persistentibus coniugibus in infidelitate, quid faciendum sit de illis, qui sunt in propriis laribus, & ibi conuertuntur iam determinauit Gregor. XIII. in Bulla *citat.* cuius priuilegium est concessum Ordinariis, Parrochis, & confessoribus deputatis ibi à suis Superioribus qui possunt dispensare ea ratione, & forma quam præscribit Pontifex, quod priuilegium non diuagatur extra illas regiones quas connumerat in quibus est specialis ratio, vt non expectetur dispẽsatio noua à Papa, at dum in terris Christianorum adue- 8
niunt, existimo consultandum esse Summum Pontificem, vt dispenset, sicut fuit necessaria dispensatio vniuersalis pro illis regionibus.

SVBRESOLVT. III.

Matrimonium consummatum in infidelitate non dirimitur ingressu religionis.

SVMMARIVM.

1. *An matrimonium consummatum in infidelitatu non dirimatur, & dissoluatur eius vinculum per professionem solemnem in religione approbata.*
2. *Matrimonium consummatum infidelium solum soluitur per aliud matrimonium contractum*

tractum cum fideli ex S.Thoma.

3. *An non sit priuilegium aliquod diuinum ex vi cuius dissoluatur vinculum.*
4. *Vnde sit onerosum infideli vinculum matrimonij.*
5. *An statim post discessum iuridicum soluatur vinculum matrimonij.*
6. *Ratio difficultatis affertur.*
7. *Matrimonium ratum posterius contractum à fideli dissoluit matrimonium consummatum initum in infidelitate, ex Thoma Sanchez, Quid item Castro Palao ex sententia eiusdem Sanchez colligat, & num.* 8.
9. *An Christus dederit facultatem Ecclesiæ dissoluendi matrimoniom consummatum infidelium in fauorem religionis.*
10. *An ex hoc quod matrimonium ratum dissoluatur sit per se fauor respectu fidelis, & per accidens sequatur quod infidelis maneat liber à iugo, & residentia matrimoniali.*
11. *S.Doctoris mens affertur.*

1 TErtium infertur † matrimonium consummatum in infidelitate non dirimi & dissolui eius vinculum per Religionem solemnem in Religione approbata. Ita tenent Basilius Legionens. *lib.9.de matr.cap.*4. *num.*19. Castro Palao *de matr. disp.2.punct.*2. §.3. *num.*12. Coninch. *disp.*26. *num.*65. Perez *disp.*36. *sect.*8. *num.*3. Gaspar Hurtado *disp.*8. *difficult.*14. problematice defendit Dicastillus *vbi supra dubit.*39. *à num.* 496. colligitur plane ex D.Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst.*1. *art.*5.
2 *ad primum*, vbi dicit quod † matrimonium consummatum infidelium solum soluitur per aliud matrimonium contractum cum fideli; hæc enim duo vincula ex natura rei sibi contrariantur & vnum aliud excludit, at vinculum religiosi status non opponitur vinculo matrimonij sed vsui vnde simul cõpatiuntur, vt constat dum coniuges ex mutuo consensu religionem profitentur, in quibus manet vinculum matrimonij, vnde ex natura rei vinculum status religiosi non dissoluit vinculum matrimonij.

3 Rursus † non est priuilegium aliquod diuinum ex vi cuius dissoluatur vinculum cũ illud solum conceditur in tribus casibus, de quibus *cap. quanto & cap. gaudemus de diuort.* ne scilicet cogatur coniux fidelis cœlibem vitam agere, quum infidelis non vult cohabitare sine iniuria creatoris, aut inducit ad peccatum mortale, *vt suprà*, est explicatum, at dum fidelis ingreditur religionem voluntariè, agere intendit cœlibem vitam, vnde necessum non est quod dissoluatur matrimonium ex Christi priuilegio à Paulo
4 publicato. Siquidem † vinculum matrimonij solum est onerosum infideli, quem nec Christus, nec Ecclesia ob onere hoc reuelare vult: sicut Christus, vel Ecclesia releuat à vinculo matrimonij rati inter fideles, dum alter intra bimestre ingreditur religionem, & transacto anno nouitiatus professionem emittit, illum qui manet in sæculo.

Sed P. Thomas Sanchez contrarium tenet *disp.illa* 79. *num.*9. qui plures pro se adducit ex quibus multi id sentiunt: quia existimant † statim post discessum iuridicum 5
solui vinculum matrimonij, ita Bonauentura *in* 4. *dist.*39. *art.*2. *quæst.*3. *in corp.* Ricardus & Maior. *ibi* Argentina, *quæst.*1. *art.*2. Petrus de Tarant. *q.*6. & multi ex Antiquis Scholasticis quod corollario sequenti expendam, quid ergo mirum, quod coniux fidelis possit ingredi Religionem per cuius ingressum redditur incapax iterũ coniungendi se cum altero coniuge infideli, etiamsi conuertatur, per discessum, siue physicum siue moralem requisitus cõiux infidelis, vt cohabitet sine iniuria creatoris, & sine pertractione ad mortale, eo loco est iam solutum matrimonij vinculum, ita vt libeurm sit conuerso alium statum assumere, siue cœlibatum in sæculo cum voto simplici castitatis, siue statim religionis, per vota simplicia, aut solemnia siue sacros ordines, siue matrimonium, huiusmodi enim status non soluunt vinculum matrimonij, quod iam solutum erat eo ipso, quod fidelis sit derelictus ab infideli non volente cohabitare legitimè, & iuxta naturæ leges, quare hi status reddunt dumtaxat incapacem fidelem, vt si alter conuertatur coniugatur cum illo, & iterum reuniantur vir & mulier non vero dissoluunt vinculum matrimonij, quod iam dissolutum fuit eo ipso quod infidelis requisitus, & commonefactus noluit cohabitare legitime.

Quare † huius difficultatis punctum in eo 6
vertitur, an sicut matrimonium contractum ab infideli conuerso dissoluit matrimonium quod erat consummatum cum infideli, ita professio solemnis aut assumptio sacri ordinis rumpat etiam idem vinculum, ita vt si infidelis conuertatur quum fidelis est professus, aut sacerdos possit iure naturæ valide contrahere aliud matrimonium, affirmat vt diximus Thomas Sanchez de professione solemni, *quia* (ait) † *matrimonium ratum posterius contractum à fideli dissoluit matrimonium consummatum initum in infidelitate,* 7
sed matrimonium ratum siue fidelium siue infidelium dissoluitur per solemnem professionem, ergo ista fortius vinculum inducit, quam matrimonium ratum, ergo sicut istud rumpit matrimonium consummatum infidelium, ita & professio solemnis, quia si vinco vincentem à fortiori vincam te, *leg. de accessionibus* 14. *D. de diuers. ac tempo. præscrip.*

Respondetur

8 Respondetur hoc fundamentum nullum esse, quia vt bene Castro Palao, si ex hoc argumento colligitur, quod matrimonium consummatum in infidelitate potest dissolui si fidelis ingrediatur religionem, sequeretur quod coniux infidelis si conuertatur etiã cum alio & post conuersionẽ non consumment matrimonium, etsi antea in infidelitate fuisset consummatum, posset inquam ingredi religionem, & profiteri, & sic soluere vinculum, quod nullus dixit, sequela est manifesta, quia fortior est vnio religionis, quam vinculum rati fidelium, & consummati in fidelium, vt infert Sanchez, quare sicut illatio hic nulla est ita ibi, sunt enim vt dixi diuersæ rationes in vtroque, quare priuilegium Christi solum est de matrimonio contrahendo, quod contractum irritat prius non tamen extenditur ad professionem, aut ad sacros ordines, & lex ciuilis intelligitur de his quæ ciuiliter contingunt, non vero potest intelligi in iis quæ supernaturaliter sunt disposita.

Quare Dicastillus *vbi suprà* aliter respõ-
9 det *ann.*497. quod † sicut Ecclesiæ Christus dedit facultatem dissoluendi matrimonium ratum fidelium per professionem solemnẽ, probabiliter dici potest quod etiam dederit ad dissoluendum matrimonium consummatum infidelium in fauorem religionis, sed contra est. Primò, quia matrimonium ratum fidelium non soluitur ab Ecclesia, sed priuilegio Christi Domini, quod concessit in fauorem religionis, ne alter coniux fidelis sine culpa sua maneret obligatus ad cœlibatum, quare in fauorem vtriusque coniugis dedit priuilegiũ, ast in præsenti si Christus simile priuilegium cõcessisset ad dissoluendum matrimonium consummatum infidelium esset non in fauorem religionis aut fidei, sed in fauorem infidelis, & infidelitatis, cum si dissolueretur matrimonium liber esset ad validè contrahendum, vnde subleuaretur illi onus primo est per se, & sic illi esset concessum priuilegium non fideli, cui nullatenus est onerosum dum profitetur religionem quod maneat vinculum matrimonij, quod secus est dum matrimonium ratum infidelium dissoluitur, si aliquis coniugum conuertatur & religionem profiteatur, quia hoc est magnum priuilegium respectu conuersi, quod intra bimestre etiamsi alter velit cohabitare & residere sine iniuria creatoris, & sine inductione ad peccatum, non possit cogi ad consummandum matrimonium, sed si velit transire ad religio-
10 nem, quare † ex hoc quod matrimonium ratum dissoluatur est per se fauor respectu fidelis, & per accidens sequitur quod infidelis maneat liber à iugo, & residentia matrimoniali; & idem iudicium esto, si vterque fidelis post matrimonium ratum professionem, mittante dissoluitur vinculum, & si nulli esset onerosum, quod vinculum permaneret, ratio enim est, quia Christus Dominus in fauorem religionis, sic instituit & Ecclesia declarauit, non sic declarauit Ecclesia de matrimonio consummato infidelium, non est aliquis canon qui hoc declarat sicut est de matrimonio rato cuius vinculum cum sit spirituale rumpitur, & dissoluitur per mortem spiritualem, qualis est professio in Religione solemnis, at vinculum matrimonij consummati est vinculum carnale, quod non dissoluitur nisi per mortem naturalem, vt egregie aduertit D. Th. *in* 4. 11
*dist.*27. *quæst.*1 *art.*3. *quæstiunc.*2. *in corp.* † *vir enim, & vxor sunt vna caro ex vi matrimonij consummati, quare nisi ex vi dispensationis diuinæ datæ per priuilegium Christi dissolui nequit, quod solum extat, vt fidelis contrahat matrimonium ex vi cuius sequitur dissolutio alterius, quia iure naturæ ne vnus vir plures vxores, nec vna vxor plures viros potest habere, at vero ex vi mortis spiritualis non soluitur vinculum carnale, quia non est illi oppositum*, quam doctrinam manifestam existimo, quam si aduertisset Diabolus non problematicè tueretur hanc conclusionem, quæ amplius enucleatur sequenti corollario.

SVBRESOLVT. IV.

Quando dissoluatur matrimonium infidelis conuersi ad fidem?

SVMMARIVM.

1. *Quandonam dissoluatur matrimonium cum infideli, & obligatio restituendi & cohabitandi.*
2. *An cum iure naturæ sit verum matrimonium, iure etiam naturæ sit insolubile.*
3. *Thom. Sanchez triplex sententia adducitur.*
4. *Vinculum matrimonij, & matrimonialis residentia iure naturæ duo dicit necessario, & num.* 5.
6. *Innocentij III. sensus adducitur, & num.* 9. *necnon multorum aliorum, & n.* 7.
8. *An ex vi vinculi matrimonij coniux derelictus non habeat ius ad soluendum matrimonium.*
11. *An seruitus à qua liberatur coniux derelictus sit pars vinculi matrimonij.*
12. *Quid ex traditis venint colligendum, & num.* 13.
14. *Si post conuersionem viri sit aliqua probabilis spes de conuersione vxoris; non debet votum continentiæ vir emittere, neque ad aliud matrimonium transire ex S. Thom. & num.* 15.
16. *Authoris iudicium affertur, & n.* 17.

18. *An*

18. *An si professio ex priuilegio Christi soluit matrimonium consummatum infidelium soluat etiam Ordo sacer. n.19. & 20.*

QVartum infertur quæstionis illius decisio quam latè disputat Thom.Sanchez
1 *lib.7.disp.75.*† quando dissoluatur matrimonium cum infideli, & obligatio residendi & cohabitandi, an statim ac vnus conuertitur ad fidem, an quãdo contrahit secundas nuptias, & quidẽ certum est, quod non statim ac vnus coniux conuertitur dissoluitur vinculũ matrimonij, vt est dogma Catholicum, vt probat August. *lib.1. de adulter. coniug. à cap.13. vsque ad finem libri contra Pollentium hæreticum*, contrarium adseuerantem, & definit Innocentius III. *cap.Gaudemus.de di-*
2 *uort.* cum enim † inter infideles iure naturæ sit verum matrimonium, iure etiam naturæ insolubile, per Sacramentum Baptismi non soluuntur coniugia, sed crimina dimittantur planum est, quod ex vi conuersionis non dissoluitur matrimonium, sed infidelis post residere, & cohabitare cum fideli, vt dixit Paul.1.*ad Corinth.7. num.*14. quare requiritur quod infidelis discedat, siue physicè fugiendo, siue moraliter cohabitando cum iniuria creatoris, aut inducendo ad peccatum, quare punctum dubij est, an statim quod, discedit infidelis aliquo ex his modis, dissoluatur matrimonium consummatum, an quando fidelis transuolat ad secundum matrimonium.

Triplex adducitur sententia à Thoma
3 Sanchez *disp.75.* Prima dicit, quod † statim ac discedit infidelis soluitur matrimonium si monitus renuit legitimè cohabitare, & residere. Secunda sentẽtia addit huic, quod requiritur quod infideli assignetur terminus ab Ecclesia intra quem si non vult legitimè residere, & cohabitare dissoluitur illico matrimonium. Tertia sententia est, quam ipse Sanchez multis citatis sequitur asserens nõ dissolui prius matrimonium, donec fidelis ad alias nuptias transeat, ita vt generatio vnius sit corruptio alterius: vnde si fidelis nunquam mutet statum perseuerabit prius matrimonij vinculum, & quotiescumque infidelis conuersus fuerit ad fidem, tenebitur fidelis illum tanquam verum coniugem admittere.

Verum enim vero prima & tertia sententia si recte negotium vtriusque diggeratur, non dissident inter sese, sed vtraque ex parte veritatem quæ negari nequit, attigit.
4 Pro quo noto, quod † vinculum matrimonij, & matrimonialis residentia iure naturæ duo dicit necessario, vuum est inseparabilitas & coniunctio vtriusque coniugis, ita vt cum sint vna caro inseparabiliter commanere, & residere debeant, alterum quod ex vi huius necessario sequitur est, quod vnus coniux nequit alium dimittere & repudiare alterum sibi adsumendo, cum quo matrimonialiter resideat & cõiungatur. Vnde Christus *Matth.5. & 19.* libellum repudij qui erat licitus in lege Moysi exclusit in lege Euangelica, vtpote oppositum legi naturæ, vt est fidei dogma ab omnibus Catholicis admissum, quare hæc suppositio indubitata est in Ecclesia quoad vtramque par-
5 tem, vnde vinculum matrimonij constat quasi ex duplici filo quo omnino ligantur coniuges vnus qui causat inseparabilitatem inter sese, alter quo impeditur coniux ne alteri matrimonialiter cõiungatur, quæ duo separari possunt, nam dum erat licita polygamia id est multitudo vxorum erat vinculum matrimonij quoad filum inseparabilitatis viri cum vxore, non tamen quoad secundum, quod lege naturæ impeditur ne alteri vxori vir coniungatur.

Hoc supposito quod est indubitatum vtraque sententia verum dicit, quælibet tamen respicit filum suum. Prima quod ante secundum matrimonium, prius soluatur constat *ex cap.final.28. q.2.* ex Amb.1. *ad chorint.7.* quem canonem canonizauit Innocent. III. *cap. quanto de diuort.* ibi † *qui relinquitur ad*
6 *secunda si voluerit vota redibit, & in hoc casu intelligimus canonem in quo dicitur contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur.* Ita definiuit Pontifex, & tenet glossa ibi referens versus, quos supra dedi & concludit in vltimo.

Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

Idem sentiunt † Altissiodorus *lib. 4. summ.*
7 *tract.9. cap.6. q.2.* Abulens.1. *Regum.8. q.30.* Rodriguez *in mea summ.tom.1.cap.250. num. vltimo* Angelus *verb.matrimonium.3. imp.10. num.3.* Astensis *2.p. summ. lib.8. tit.21. art.2. quæst.5.* D. Bonauent. *in 4.dist.39.art.2.q.2. in corp.* ibi. *Ideo dicendum quod statim post discessum soluitur vinculum à parte viri, quia potest alteri coniungi statim, qui in fine quæst.* nostrum dictamen positum in suppositione facta satis clare innuit dicens: *Satis rationabiliter potest dici quod vinculum illud non omnino soluitur statim, cum mulier discedit, sed cum vir alligatur alteri fideli vinculo inseparabiliter, tunc enim fortius vinculum soluit minus: & si prius aliquo modo esset solutum & tunc perfecte solutum est illo vltimo persistente*, hæc ibi satis bene sequitur ibi Ricardus *quæst.2. art.2.* & alij.

Et ratio pro hac sententia est demonstratio, quia † ex vi vinculi matrimonij coniux
8 derelictus non habebat ius ad soluendum matrimonium, hoc enim ius incompatibile erat iure naturæ cum vinculo & residentia matrimoniali quod ex natura rei dat inseparabilitatem

rabilitatem cum qua non potest compati, quod homo habeat ius ad separandum se ab alio coniuge, ergo si habet ius ex diuino priuilegio Christi, manifestum est, quod quantum ad hoc solutum est vinculum matrimonij quia ex tunc non manet firmum, & insolubile sicut erat antea, & sic ius matrimonij solutum est quantum ad hoc, quia antea ius naturale matrimonialis vinculi erat, quod non posset dissolui.

Secunda etiam sententia quoad suum fi-
9 lum verissimam continet doctrinam, quam me quidem iudice nullus catholicus hodie negare queit, † quam determinauit Innocentius III. *cap.Gaudemus de diuort.* ibi. *Quod si conuersum ad fidem, & illa conuersa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ducat vxorem, eam recipere compellatur.* Si ergo compellitur recipere, non erat omnino solutum prius matrimonium, nam si solutum erat non potest compelli, ad recipiendum, eum qui verus cõiux non est, nec enim in fauorem religionis Christianæ compellendus est coniux ad secundo celebrandũ matrimonium cum eodem coniuge, cum quo est omnino dissolutum prius matrimonium, quia nec delictum commisit dum fuit derelictus, nec promissionem fecit secundo contrahendi, & sic si prius matrimonium omnino est dissolutum quoad vinculum, ita vt nihil illius supersit nullum illius ius superesse potest, ita vt iure postliminij compellatur ad alium coniugem recipiendum, sicut si mortuo viro resurgat miraculose non est illi restituenda vxor, quia omnino solutum est vinculum morte naturali, alia moriua adducit Sanchez quæ in adducto continentur, & pro hac sententia plures adducit authores *n.4.* Quorum intelligentia iuxta dictã concordiam est manifesta, & solum dicunt id quod nos dicimus, si enim eo ipso quod coniux derelictus est, potest nouum cõtrahere matrimonium huius vinculum ex parte solutum est, nam antequam esset derelictus, aliud matrimonium iure naturæ contrahere nequibat.

Huius concordiæ motiuum mihi submi-
10 nistrauit Doctissimus Sylvester † *verb. matrimo. 8. quæst. 10. versic.sextum.* vbi sic ait. *Opinio S. Thom. est, quod per peccatum coniugis infidelis reliquus absoluitur à seruitute, quia contrahere non poterat altero viuente, sed deinde per secundum matrimonium contractum in fide Christi tãquam per firmius soluitur primum, ita quod culpa illa dat ei licentiam nubendi, & consequenter frangendi primum vinculum, & ista est veritas: cuius signum est, quod si antequam contrahatur secundum matrimonium infidelis conuertatur, reliquus tenetur illum recipere, quod non est virtute sponsalium vt dicit prima opinio, alioquin oporteret, quod nouiter contraherent quod nullus dicit, & hoc est quia stat vinculum.* Hæc ille † seruitus enim à qua 11
liberatur coniux derelictus iuxta Apost 1. *ad Corinth.7. num.15.* est pars vinculi matrimonij qua contrahere non poterat altero viuente, à qua soluitur eo ipso quod infidelis discedat, quamuis maneat vinculum carnale coniungens virum & fœminam, quod non soluitur nisi per matrimonium contractum in fide, hoc satis innuit Glossa *cap.gaudemus verb. compelletur versic. & est argumentum*, & hoc modo potest, imo debet intelligi caterua illa Theologorum, Canonistarum, & Summistarum quam pro se adducit Sanchez, omnes enim fateri tenentur iuxta Sanctorum PP. intelligentiam loci Pauli citati, *frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi.* quam definit Innocentius *cap. quanto*, seruitus autem est vinculum quo detinetur, ne alteri possit matrimoniali vinculo iungi, quod fieri omnino implicat, nisi vinculum quantum ad aliquod rumpatur, & dissoluatur.

Ex qua resolutione colligitur. Primum, 12
quam bene sit resolutum in anteriori corollario, quod vinculum matrimonij, quoad vtrumque filum quo ligat coniuges nõ soluitur nisi per alium matrimonium in fide Christi contractum, huius enim vinculum est iure naturæ incompossibile cum vinculo alterius matrimonij, quare ad hoc solum se extendit priuilegium Christi non ad alios 13
status, quorum vincula non excludunt iure naturæ vinculum matrimonij aliàs contracti, vt est vinculum solemnis professionis, & vinculum Sacri Ordinis in Ecclesia Latina, cui adnexum est votum continentiæ, vinculum etiam voti castitatis in cœlibatu emissi, hæc enim omnia vincula diuersorum statutum potest infidelis conuersus altero manente infideli, sibi assumere, illisque ligare. Audi D.Thom *in 4.dist.39. quæst.1. art.5. ad*
5. (ait) *dicendum. Quod* † *si post conuersionem* 14
viri sit aliqua probabilis spes de conuersione vxoris, non debet votum continentiæ vir emittere, neque ad aliud matrimonium transire, quia difficilius conuerteretur vxor viro suo, sciens se priuatam: si autem non sit spes de conuersione potest ad sacros ordines, vel ad religionem accedere prius requisita vxore, quod conuertatur, (vtique si possibilis est talis monitio iuxta Bullam Gregorij XIII. suprà inductam,) *& tunc si postquam vir sacros ordines accepit vxor conuertatur, non est ei vir suus reddendus, sed debet sibi imputare in pœnam tardæ conuersionis, quod viro suo priuatur.* Hæc ibi quæ multo fortiori titulo tenent, si conuersus professionem solemnem emittat.

15 Vnde clarè liquet, quod mēs D.Th.cōsistit in hoc, quod eo ipso, quod infidelis discedat nollens cohabitare legitimè potest derelictus alium quemcunque statū sibi assumere ex vi priuilegij quo liber est à seruitute prioris matrimonij, qua non poterat assumere alium statum sibi repugnantem, siue sit religio, siue ordo sacer, siue cœlibatus, cum voto continentiæ, siue sit aliud matrimonium, quātuis ad quemcunque statum ex his assumendum præmonendus sit coniux infidelis, an velit cohabitare vtbene probat Thomas Sanchez *disp.* 74. *n.* 12. quamuis hoc sit notandum discrimen quod
16 ex ipso hac *disp.*74. *&* *disp.*76.*n.* 2.† deduco inter matrimonium contrahendum cum fideli vt matrimonium cum infideli penitus euanescat, ex vna parte, & ex alia inter Religionis solemnem professionem sacrum ordinem, & cœlibatum coniunctum cum voto castitatis, quod si infidelis non vult conuerti ad fidem, vult tamen cohabitare sine contumelia creatoris, & sine pertractione ad peccatum, fidelis nequit aliud
17 contrahere matrimonium, quia tunc non discedit infidelis nec physicè, nec moraliter, sed vult legitimè residere & commanere cum coniuge fideli, & iste si infidelis, non vult conuerti monito prius quod conuertatur, etsi velit cohabitare legitimè, potest tamen fidelis vel profiteri solemniter in aliqua religione, vel eligere cœlibatum, vnà cum voto castitatis simplicis, vel assumere sacrum ordinem eo modo quo dicebat S.D.

Colligitur secundum, contra Sanchez *disp.*76. *num.* 11. Perez, Coninch. *vbi supra*, quos sequitur Dicastillus *dub.*39. *num.* 501.
18 quod † si professio ex priuilegio Christi soluit matrimonium consummatum infideliū pari ratione dissoluet ordo sacer; licèt enim iste non dissoluat vinculum matrimonium ratum fidelium vt determinauit Ioannes XXII, *in extrauag.vt antiquæ de voto*, tamen hæc definitio non est extendenda ad matrimonium infidelium, quod non est sacramentum nec ratum vt dicitur *cap. quanto de diuort.* quare si hoc infidelium dissoluitur per professionem solemnem, non video cur non dissoluatur per quemcunque statum incompossibilem cum matrimoniali
19 residentia, maxime in sententia horum authorum, qui existimant quod votum solemne religionis non dirimit matrimonium ex natura rei, sed tantum iure Ecclesiastico sicut votum adnexum sacris ordinibus, imo addo quod si huius scholæ sequantur principia etiam cœlibatus, vnà cum voto castita-
20 tis absolutæ cum istud licite non compatiatur cum matrimoniali residentia etiam dissolueret vinculum matrimonij infidelium, quod satis innuit Maior. *in* 4.*dist.* 39. *quæst. vnica versic. ad aliud.* satis enim rationabile est, quod si priuilegium Christi extenditur ad solemnem professionem, etiam extendatur ad illum statum, qui sine mortali non potest consistere cum matrimoniali residentia, hoc autem non admittunt isti authores, quare nec admittere debent, quod Religionis solemnis professio dirimat matrimonium consummatum infidelium.

SVBRESOLVT. V.

Vtrùm infidelis licitè possit contrahere secundas nuptias, si conuersus alium statum accipiat?

SVMMARIVM.

1. *An dissoluto matrimonio quia fidelis aliud contraxit, vel professus est religionem, possit infidelis non solum validè, sed etiam licitè, siue conuertatur, siue in infidelitate persistat contrahere aliud matrimonium.*
2. *Authoris iudicium.*
3. *An contumelia creatoris soluat ius matrimonij circa eum qui relinquitur.*
4. *An ius dissoluendi matrimonium per aliud matrimonium fideli competat, non infideli qui relinquit.*
5. *An dissoluto matrimonij vinculo ex parte alterius.*
6. *D.Thoma sententia adducitur.*
7. *An vinculum matrimonij possit manere dupliciter, ex S.Bonauent.*
8. *Infidelis discedens peccat in Deum & in matrimonium, ex S.Ambros.*
9. *Quodnam impedimentum maneat etiamsi vir fidelis moriatur, aut redeat in infidelitatem.*
10. *Ratio difficultatis affertur.*

QVintùm infertur contra Sanchez *disput.*77. Dicastill. *dub.*40. *n.*50. Castro Palao *disp.*2.*punct.*2. §. 3.*num.* 14. Gasparem Hurtado *disp.*8. *difficult.* 13.*in fin.* Coninch. Henriquez & alios quos referunt citati, asserentes, quod † dissoluto matrimonio, quia 1
fidelis aliud contraxit, vel professus est religionem potest infidelis non solùm validè in quo omnes conueniunt, sed etiam licitè, siue conuertatur, siue in infidelitate persistat obstinatus contrahere aliud matrimonium, quia sicut morruo coniuge fideli, infidelis licitè contrahit secundo, ita si viuente fideli omnino soluatur vinculum matrimonij, cū nulla sit ratio nullusve textus ad contrarium cogens, cum ita sit ex priuilegio Christi matrimonium solutum, ac si per mortem naturalem dissolueretur.

Igitur

2 Igitur contra hos authores infero † quod viuente vno coniuge conuerso ad fidem & dissoluto matrimonio, infidelis nequit licitè altud contrahere. Hæc est omnium ferè antiquorum sententia D. Thom. *in* 4. *vbi supra ad* 3. vbi egregiam rationem tribuit D. Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 2. Ricardus *art.* 2. *q.* 3. Sotus *q.vnic.art.*4.*versic.contra hoc.* Angl. *matrim.q.*12. *art.*2.*dub.*6. Turrecr. *cap. simili* 28. *quæst.* 1. *in sol.ad* 3. Lopez 2. *p. instruct. cap.*53.*de matrim.* Astensis 2 *p. summ. lib.* 8. *tit.*21.*art.*2.*q.*12. Altissiod. *lib.*4.*summ.tract.*9. *cap.*6.*q.*1. Vega *tom.*1.*cap.*13.*casu* 5. Ledesm. *dub.*56. *de matrim.post concl.*4. omnes antiqui Canonistæ cum glossa *ca.*4.*de diuort.verb.qui relinquitur*, vbi Innocentius Hostiensis Antonius, Præpositus, & alij quos omnes videns Durand. *in* 4.*dist.*49.*q.*2. dicit hanc esse communem quam sequuntur Pontius *lib.* 7. *de matrim.cap.*48. *num.*25. Diana *p.* 9. *tract.* 7. *Resol.*48. quamuis dicat contrariam sententiam tenuisse olim cum Sanchez.

Nostra sententia clarè videtur colligi *ex cap. quanto de diuort.* vbi Innocentius II Lap-
3 probat dictum dicentis, † *contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur.* vbi glossa, *verb. qui relinquitur. dixit, de eo qui relinquitur, quia ille solus potest contrahere sine peccato, ille qui relinquit transeuntem ad fidem peccat, & sola contumelia creatoris soluitur non per Ecclesiam*; Hæc glossa id autem quod respondet Sanchez *n.*7. textus istos, & text. *in cap. infidelis* 28. *quæst.* 2. vbi
4 idem expressè dicitur intelligi, quod † ius dissoluendi matrimonium per aliud matrimonium fideli competit qui relinquitur, non infideli qui relinquit; tamen semel soluto matrimonio liber manet infidelis vt licitè possit contrahere, hæc inquam responsio nulla est, & textibus præfatis non satisfacit, quia contumelia creatoris soluit seruitutem, quā habebat fidelis ad infidelem, & sic liber manet fidelis, ad contrahendum cum alio, at infidelis, etsi maneat solutus à vinculo matrimonij cum fideli, at non manet liber à seruitute matrimonij *cum peccet in Deum & in matrimonium*, nec enim ex peccato consequitur libertatem; quare semper in illo virtute manet seruitus quam ex vi matrimonij acquisiuit, vt non possit viuente alio coniuge licitè cum alio contrahere.

5 Itaque † aliud est vinculum matrimonij & hoc dissoluto ex parte vnius dissoluitur ex parte alterius, eo enim ipso quod fidelis contrahat cum fideli; infidelis solutus manet à vinculo matrimonij; aliud enim est seruitus qua tenebatur alteri coniugi vt non possit cum alio contrahere, & hæc seruitus oritur à vinculo, quo soluto, illa permanet virtualiter iure naturæ; quæ impedit ne infidelis licitè cum alio contrahat.

Hæc est expressa mens D. Thomæ à nullo bene intellecta in illis verbis *in* 4. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.*5.*ad* 3. † *Postquam fidelis contra-* 6
xit solum est vinculum matrimonij, quia matrimonium non claudicat quantùm ad vinculum, sed quandoque claudicat quantùm ad effectum, vnde in pœnam vxoris infidelis ei inducitur quod non possit cum alio contrahere magis quàm ex virtute matrimonij præcedentis. Hæc ibi, Manet ergo in coniuge infideli virtus præcedentis matrimonij, quantùm ad hunc effectum, etiamsi matrimonium sit dissolutum, & non existat, sicut non existente homine manet eius virtus in semine, à se deciso, & hanc virtutem impeditiuam iure naturæ introductam declarat, non imponit Ecclesia manere in infideli ex præcedente matrimonio.

Hanc sententiam eleganter enucleauit S. Bonauent. *art.* speciali proposito de hoc puncto, vbi dicit, *quod vinculum matrimonij* 7
potest manere dupliciter aut secundum virtutem sacramenti, id est, significationis rei sacræ) aut in pœnam peccati, & dum vir manet in statu in quo non potest ei coniungi, vxor, vt si alteram ducat, mulier est soluta secundum veritatem Sacramenti, quia amplius non est vxor, sed tamen alligata est in pœnam peccati, vnde non licet ei nubere quousque soluatur à culpa, & hoc non est quandiu est infidelis & infra. *Si tu obicias, quod commodum reportat de malitia* respondetur, *quod falsum est, quia quandiu manet culpa diuino iudicio est alligata*; sed cur puniatur à Deo in hac seruitute ita vt maneat vxor infidelis alligata, vt licitè non possit nubere B. D. rationem dedit in primo argumento. *Sed contra*, quia vt Ambrosius dicit. † *Infidelis discedens peccat in* 8
Deum & in matrimonium, ergo si in bono matrimonij est puniendus non potest nubere. Quare Bonauentura D. Angelicum enucleat, impedimentum igitur quod manet in infideli fundatur in hoc, quod ex virtute prioris matrimonij contra quod peccat dum non vult sequi coniugem fidelem ad quod ex lege diuina tenetur Deo ipso sic declarante, Ecclesia punit illum vt non possit cum alio contrahere, quare quandiu infidelitas perseuerat diuino iudicio manet coniux infidelis alligatus in pœnam quia discedens peccabit, contra matrimonium, & sic punitur à Deo in bono matrimonij quam punitionem declarat & publicat Ecclesia.

Vnde fit quod hoc † impedimentum ma- 9
net etiam si vir fidelis moriatur vel iterum transeat ad infidelitatem, quia impedimentum; quod datum est in pœnam quia infidelis nollens sequi fidelem peccauit in matrimonium, & hoc peccatum perseuerat quo vsque dimittatur per Baptismum semper perseuerat pœna, à Deo imposita

cum

cum vero per baptismum omnia peccata quoad culpam, & pœnam dimitantur, infidelis, si baptizetur potest licite aliud matrimonium inire absque dispensatione aliqua, quia ablata culpa nulla remanet pœna, quæ erat impedimentum, quum autem D. Thom. *vbi supra* dicit, *quod si infidelis conuertatur potest ei concedi dispensatiue vt alteri nubat si vir eius alteram vxorem duxit.* Non est intelligendus quod sit dispensatio superioris necessaria, vt licite possit nubere, vt falso intelligit Sanch. *vbi supra*, sed quod ex vi Baptismi potest dici, quod dispensatiue potest alteri nubere, quia illud impedimentum relictum per modum pœnæ dispensatur eo ipso quod Baptizetur.

10 Totum hoc confirmatur † quia quod infidelis persistens in sua infidelitate habeat hoc impedimentum impediens ad contrahendum, cum sit ex libera Dei voluntate inductum, sit quæstio de facto, nobis innotescere debet ne temerarie loquamur ex Ecclesiæ sensu, & Doctorum classicorum intelligentia, at quod Ecclesia ita teneat in præfatis textibus docent duo Doctores Sancti, quos sequuntur principaliores Sacrorum Canonum interpretes vna cum glossa *illius cap. quanto.* & glossa *ad cap. fin. 28. qu. 2. verbo in matrimonium.* quam pro se citat Sanchez, quod miror cum expresse dicat nostram sententiam vt legenti constabit, ergo sententia nostra vt à nobis enucleata iuxta Sanctorum DD. verba amplectenda, vt securior est, præcipue cum opposita sententia nullum solidum fundamentum pro se adducat, & ea quæ pro ipsa adduximus quam debilia sint, & inania constat ex dictis.

SVBRESOLVT. VI.

An coniux conuersus qui aliam duxit, si ista moriatur, & prior conuertatur, teneatur istam admittere.

SVMMARIVM.

1. *An fidelis qui legitimè ad aliud matrimoniũ transiit, eo quod infidelis monitus legitimam renuerit habitationem, teneatur soluto matrimonio per mortem alterius coniungis, admittere in consortium coniugale priorem coniugem infidelem, si tunc ad fidem reducatur, & numero 2. & 3.*
4. *D. Thomæ sensus affertur.*
5. *An priuilegium Christi absoluat à seruitute coniugem fidelem cum illo dispensando, & n. 6.*

SExtum infertur, quid sentiendum sit de sententia Innocentij *cap. quanto num. vnic.* Hostiensis *cap. gaudemus num. 13.* & ibi Ioannes Andr. *num. 15. de diuort.* fidelem † qui legitime ad aliud matrimonium transiit, eo quod infidelis monitus legitimam renuerit habitationem, teneri soluto eo matrimonio per mortem alterius coniugis admittere in consortium coniugale, & residentiam matrimonialem priorem coniugem infidelem si tunc ad fidem reducatur, quam sententiam impugnant Abulens. 1. *Reg. quæst.* 117. Sanchez *disp.* 75. *num.* 10. Dicastillus *vbi supra dub.* 38. *num.* 92. quia prius matrimonium solutum est omnino, quoad vinculum posteriori contracto, quare non est cur post huius dissolutionem mortuo secundo coniuge, cogatur fidelis stare priori matrimonio, etiamsi infidelis reducatur ad fidem.

Sed hæc impugnatio non est efficax, tum 2
quia valdè probabile est, quod matrimonium cum infideli nolente cohabitare legitimè statim soluatur, quoad vinculum eo ipso, quod infidelis monitus nolit legitimè cohabitare antequam fidelis contrahat cum alio, tamen Innocentius III. dicit *in cap. Gaudemus, quod si infidelis conuertatur, antequam fidelis ineat secundas nuptias, iste illi est restituendus.* ergo ex dissolutione matrimonij, non sequitur, quod non teneatur fidelis recipere in consortium coniugale mortuo coniuge cum quo contraxit secundo in- 3
delem, si tunc conuertatur, etenim possunt dicere hi Doctores, quod matrimoniũ cum infideli ex priuilegio Christi solutum est non absolutè, sed in gratiam fidelis, quandiu adest impedimentum infidelitatis in alio nolente cohabitare legitimè, hoc autem stante, si fidelis contrahit verè contrahit & ab hoc coniugio separari non potest, etiamsi alter infidelis conuertatur, at si matrimonium secundum dissoluatur, & prior cõiux infidelis cõuertatur ablato impedimẽto quasi iure postliminij reuertitur ad priorẽ coniugẽ, vt vinculũ, quod erat solutum sub cõditione impedimẽti resurgit iure naturæ.

Cuius rei est nõ incongruum exemplum, quod posuit D. Thom. † *in 4. dist. 39. quæst.* 4
vnic. art. 5. in vltim. argumento Filius, qui remanet in infidelitate patre cõuerso, amittit ius naturale, quod habebat ad hæreditatem paternam, & tamen si postea conuertatur redditur ei sua hæreditas etiamsi alius in possessionem eius intrauerit, quia ius illud fuit amissum ob impedimentum infidelitatis quo ablato iure postliminij resurgit ius ad hæreditatẽ paternã, quæ illi datur etiãsi alius in eius possessionem intrauerit, quia cessat impedimentum. Ita coniux fidelis ex priuilegio Christi altero nolente habitare legitime valide contrahit cum alio. Vnde soluitur

uitur vinculum prioris matrimonij non absolute, sed sub conditione duplicis impedimenti vnum infidelitas, alterius nolentis cohabitare legitime, alterum, matrimonium secundo contractum valide, quo ablato duplici impedimento, obligatio naturalis prioris matrimonij ad cohabitandum, & residendum matrimonialiter reuiuiscit,
5 quia † priuilegium Christi absoluit à seruitute coniugem fidelem, cum illo dispensando, vt ob impedimentum stans obligatio naturalis prioris matrimonij non exerat vires suas, ad irritandum secundum matrimonium, quare ablato impedimento statim exerit vires suas obligatio prior, & quidem cum hoc modo possit intelligi priuilegium Christi, & licentia concessa coniugi fideli, & ex altera parte saluetur melius insolubi-
6 litas naturalis matrimonij, sententia Innocentij satis probabilis est, nec iuxta eam est necessarius nouus consensus, ad nouum matrimonium, sed ex vi prioris ablatis impedimentis resurgit obligatio commanendi, sicut si infidelis qui prius nolebat cohabitare legitime conuertatur antequam fidelis ad secundas venerit nuptias, etsi solutum sit vinculum matrimonij, cum infideli tenetur fidelis illum admittere, vt tenent Bonauent. Ricardus, & alij quos supra *corrollario.* 4. ita similiter tenetur si postquam contraxit secundo coniux moriatur, & prior infidelis conuertatur.

SVBRESOLVT. VII.

Si fidelis conuersus filios generet ante matrimonium non sint adulterini?

SVMMARIVM.

1. *An fidelis conuersus antequam matrimonium alius contrahat filios generet, filij sint adulterini.*
2. *An isti filij legitimentur per subsequens matrimonium.*
3. *Authores iudicium, necnon multorum aliorum. & n. 4. & 5.*

SEptimum infertur decisio illius dubij
† an infidelis conuersus si infidelis nolit habitare legitime, si interim fidelis antequam matrimonium aliud contrahat fornicetur committat adulterium, & filij si sint geniti sint adulterini. Etenim iuxta sententiam quæ asserit matrimonium cum infideli eo ipso dissolui quo iste non vult cohabitare legitime, si post monitionem factam decedat fornicatio non est adulterium nec filij geniti adulterini, quare legitimantur per subsequens matrimonium, vt late dixi, *tom. 2. moral. tract. 12. n. 567. vsque ad 748.* vbi plura non vulgaria de ligitimatione dixi, si tamen non dissoluitur matrimonium cum infideli, nisi post contractum secundum si ante contractionem fidelis fornicetur est adulter, & filij adulterini; sicut si vxor sit diuortiata à marito si fornicatur adultera est.

Sed est dubium an † isti filij adulterini le- 2
gitimentur per subsequens matrimonium Dicastillus *citata dubit.* 39. *num.* 492. dicit problematice posse vtramque partem defendi, & quod legitimentur, & quod semper maneant adulterini, & sic non hæredes sui, vtrumque probat *ex cap. tantæ. qui fil. sint legit.* Sed ego existimo certum in iure
† quod quamuis isti filij sint adulterini (quia 3
adhuc perseuerat fides prioris matrimonij, quod iuxta à me resoluta in superioribus non adæquate dissoluitur quo vsque contrahatur secundum matrimonium) tamen si eo tempore quo geniti sunt, vel nati iuxta ea quæ dixi *loco cit.* parentes licitè poterant contrahere verum vel præsumptum matrimonium, dubio procul legitimantur filij, suique efficiuntur. Tanta enim est vis matrimonij (ait Alexander III.) *vt qui antea sunt geniti post contractum matrimonij legitimi habeantur*, sicut enim filij geniti à Religiosis militaribus ante matrimonium contractum qui habent solum votum solemne castitatis coniugalis, & si isti sint sacrilegi, tamen contracto matrimonio legitimantur, & abstergitur macula sacrilegij, ipso facto ac contractum est matrimonium, etiamsi non consumetur, quamuis enim sint sacrilegi, at sunt vere & propriè naturales, & non spurij, spurius enim propriè oppositus est naturali propriè, & filius spurius ab omnibus iuris interpretibus definitur, qui natus est ex his parentibus inter quos contrahere matrimonium lex vetat. Ita Couarr. 4
de sponsalib. p. 2. cap. 8. §. 1. à princ. Menchaca *quæst. Illustr. cap. 102. num. 7.* Surd. *de aliment. tit. 7. quæst. 10. à num. 30.* Tusch. *tom. 5. litter. S. concl. 409. num. 23.* vnde filius naturalis, qui legitimatur per subsequens matrimoniũ erit qui natus est ex parentibus inter quos secundum leges potest contrahi matrimonium, talis autem est qui generatur ex fideli conuerso derelicto ab infideli, antequam fidelis contrahat matrimonium quod potest licite contrahere, postquam monitus est infidelis vt legitime cohabitet si cohabitare non vult. Vnde si cum fœmina fideli in qua habuit filium post cõtrahat indubitanter legitimatur filius, & est suus & legitimus hæres iuxta notata ab Auctor. Authentic. *quibus modis naturales efficiantur sui §. vltim.* cum autem hic filius non sit ex adulterio damnato lege ciuili Christiana macula adulterij eluitur matrimonio subsecuto.

RESOLVTIO VII.

Vtrum possit quis tuto habere residentiam matrimonialem sine ordine ad copulam carnalem?

GRAVISSIMA est, quæ in præsentiarum distribuenda proponitur difficultas ex cuius decisione, etsi aliquantum speculatiua sit plura sunt corollaria ad praxim adducenda, quare grauiter est discutienda, vt mens vtriusque Thomæ constet, & aliquorum recentiorum dicta ex mala Patrum intelligentia dimanantia, corrigantur.

§. I.

Sententia nouissima Basilij Legionensis suis vallata fundamentis adducitur.

SVMMARIVM.

1. *An sine eo quod consensus contrahentium implicitè saltem feratur in copulam sit verum sacramentum matrimonij.*
2. *In quo consistat essentia matrimonij.*
3. *Augustini sententia adducitur, & num. 5. & 6.*
4. *Inter B. V. & S. Ioseph fuit verum cum omni proprietate matrimonium.*
7. *Duplex consensus admittitur.*
8. *Matrimonium est viri mulierisque coniunctio inter legitimas personas, vitam insolubilem retinens.*
9. *In matrimonio duplex continetur virtualiter consensus.*
10. *Quis præcipuus finis matrimonij.*
11. *An ex societate in diuerso sexu vel coniugali coniunctione duæ obligationes nascantur.*
12. *An in matrimonio iam contracto dominium vtile distinguatur à directo.*
13. *An contractus matrimonij prout respicit copulam & dominium vtile, pariat obligationem sub conditione si alter seruauerit.*
14. *An consensus implicitus in copulam & filiorum requiratur essentialiter ad verum matrimonium.*

LOquimur de residentia matrimoniali, quæ orta sit ex vero & proprio matrimonio, quod iure naturæ est insolubile vinculum, & in lege noua est vnum ex septem sacramentis, & inquirimus an † sine eo
1 quod consensus contrahentium implicitè saltem feratur in copulam sit verum Sacramentum matrimonij, in lege Euangelica, cuius vnio sit inseparabilis iure naturæ ex eoque oriatur præceptum positiuum de residendo coniuges inter sese matrimonialiter.

Igitur perdoctus & eruditus Pater Magister *tom. de matrim. lib. 1. cap. 18. à num. 7.* in
2 ea est sententia, quod essentia matrimonij, ait consistit in animorum amicabili, & germana coniunctione, sine ordine ad commixtionem carnalem. Hanc sententiam (ait) tenent omnes qui dicunt B. Virginem, & S. Ioseph, emisisse votum absolutum castitatis, antequam contraheret matrimonium; & illi qui dicunt sub conditione expressa seruandæ castitatis matrimonij iniri posse. Et etiam illi, qui adfirmant inter impotentes cognita impotentia, & inter Eunuchos iure naturali valere matrimonium, & idem (dicit) tenet Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 28. num. 4.* sed vtinam Basilius, id quod sentit Thomas Sanchez sentiret, non enim se opponeret diuinæ matrimonij institutioni.

Igitur tribus argumentorũ classibus suam corroborat sententiam. Prima ab authoritate, secunda rationibus, & tertia ab inconuenientibus, & ex omnibus infert plura quorum opposita, nos §. 5. deducimus. In prima harum classium sunt duo clarissimi, & fortissimi Duces Ecclesiæ vnus, & alter Augustinus & Augustissimi ambo veritatis defensores. Primus est Magnus Augustinus,
3 qui rem videtur in terminis tetigisse † *lib. de bono coniug. cap. 1. Consequens ergo est* (ait) *connexio Societatis in filiis, qui vnus honestus fructus est, non coniunctionis maru & fœminæ, sed concubitus; poterat enim esse in vtroque sexu etiam sine tali commixtione alterius regengentis, alterius obsequentis amicabilis quædam, & germana coniunctio, & cap. 3.* vbi ex eo probat coniugium esse bonum, *quod mihi non videtur* (ait) *propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem, alias non diceretur coniugium in senibus præsertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent*, &c. vbi S. Doctor ipsa sola societas naturalis in diuerso sexu dicit, quod est finis adæquatus matrimonij essentialis, id quod probat in coniugio B. Virginis, & S. Ioseph. *lib. 23. contra Faustum, cap. 8. & lib. 1. de nuptiis, & concup. cap. 11.*

In quibus locis duo colliguntur certa apud
4 August. ex quibus colligitur intentum primum † inter Beatam V. & S. Ioseph. fuisse verum cum omni proprietate matrimonium, quod hodie sine temeritate nullus negare quibit. Secundum B. V. castitatem virginalem vouisse, antequam matrimonium iniret cum S. Ioseph, vt dicit, *lib. de Sancta Virginit. cap. 4.* atqui ita votum hoc non fuit conditionatum, sed absolutum, ex quibus manifeste videtur inferri quod consensus ad castè

castè viuendum, etsi nullus licitus consensus possit esse in copulam, validum posse esse matrimonium, ac per consequens quod finis intrinsecus & essentialis sufficiens ad validum matrimonium est animorum coniunctio germana & amicabilis alterius regentis, & alterius obsequentis.

Idem quod Augustinus Magnus docuit Aug. minor Hugo inquam Victorinus, qui magni August. spiritum ebibit, & suo sæcu-
5 lo alter est dictus Augustinus. Hic enim *lib. de incorrupta Deip. integrit. Discutiamus vt postulas quid sit coniugium, & ex eius definitione proposita consideremus, si simul esse potuerunt in Virginæ Matre, & consensus coniugalis & propositum Virginitatis. Quid enim est coniugium nisi legitima societas inter virum & fœminam, in qua videlicet societate ex pari consensu vterque semet ipsum debet alteri, spontaneus ergo consensus inter virum & fœminam legitime coniunctos facit quo vterque alteri debitorem sui se spondet, iste est qui coniugium fa-*
6 *cit, & coniugium est ipsa societas tali consensu confœderata, quæ altero viuẽte alterũ ab altero nõ dissoluit est alius adhuc consensus sed carnalis cõmercij ad inuicẽ exigendi atque reddendi similẽ inter virum, & mulierem pactionẽ constituens; comes, non effector coniugij; officium, & non vinculum, qui & ipse tamẽ cum pari ab vtroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneantur. Huius debiti necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subiicit, in quibus dum coniugium contraheretur vel sancireturhuius operis consensu non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante veritatem seu virtutem coniugij cessare credendum est, imo potius tanto verius ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo & non in concupiscentia carnis fundatum est.* Hæc ibi, quod testimonium ità egregie clarum, & tanta claritate egregium est, vt nihil dici illustrius queat, distinguit enim Doctor egregius † duplicem consensum
7 vnum in legitimam coniunctionem, & hic est effector coniugij & de illius essentia, alterum in carnale commercium, & iste comes est non effector coniugij, officium, & non vinculum, vnde concludit quod solo charitatis vinculo verum est coniugium, ergo secluso omni ordine ad copulam & consensum, in illam saluatur quidditas & essentia matrimonij.

Classis secunda, componitur ex argumentis ostensiuis, quorum primum est, quia diffinitiones traditæ tam in iure vtroque quã à Theologis sine vllo ordine etiam implicito ad copulam carnalem saluantur; ergo cum diffinitio rei essentiam declaret, sine tali ordine essentia matrimonij saluatur; antecedens constat ex diffinitione Magistri quem omnes Scholastici sequuntur *in 4. dist. 27.*
8 *matrimonium † est viri, mulierisque coniunctio inter legitimas personas vitam insolubilem retinens*, alia traditur *2. 2. quæst. 2. Quod sit coniunctio maris & fœminæ inter personas legitimas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*, & tertia habetur §. *nuptiæ Institut. de patri. potest. Viri & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.* Quarum omnium definitionum sensus & verba cum omni proprietate saluatur sine vllo consensu in copulam separato omnino dominio vtili à directo, & absque vllo contractu in vsum, itaque † in matrimonio duplex continetur virtualiter consensus, vnus 9
in coniunctionem mutuam indiuiduam animorum amicabilem, & germanam viri regentis, & fœminæ obsequentis, at hic consensus, & contractus ex illo dimanans est matrimonium essentialiter tendens ad dominium directum corporis vtrius coniugis, alter est consensus in corporalem commixtionem, & corporum mutuum vsum, & iste consensus consequitur priorem, qui sine ordine ad illum saluatur.

Secundum, quia † præcipuus finis matrimonij est, vt aduersus pericula, & infor- 10
tunia societas vitæ vtriusque sexus obsequiis, præsidio, atque solatiis iuuetur, vt bene Quintilianus *declamat. 368.* Tacit. *lib. 4.* & Spartianus *in vita Imperatoris Ælij veri, matrimonia à natura sunt inuenta, vt imbecillior sexus præsidium mutua societate sortiatur. Vxor enim dignitatis nomen est non voluptatis.* Vnde fit quod sicut respectu fundi duplex dominium distinguitur, vnum directum, quod est circa proprietatem, alterum vtile, quod pertinet ad vsumfructum, & potest fieri contractus circa prius, nullo habito ordine ad vsum: ita in contractu matrimonij nihil vetat, quod duplex etiam dominium consideretur, vnum directum circa corpora ipsa ratione cuius vnus dicatur maritus, & alter vxor, denegato ex alio fine superiore dominio vtili, circa vsum carnalis corporis etiam in perpetuum.

Tertium, quia † licet ex Societate in diuerso sexu, vel ex coniugali coniunctione 11
duæ obligationes resultent, & nascantur, quam nullus Catholicus negat, & sunt veluti proprietates ad fidem coniugalem pertinentes, vna est obligatio negatiua de non cognoscendo alienam, in qua sola potest saluari bonum fidei in Sacramento matrimonij, vt fuit in B. V. per hoc quod nullo modo committatur adulterium, altera est obligatio positiua reddendi debitum si ab altero coniuge exigatur, prior obligatio fuit ab essentia matrimonij inimpedibiliter; ast secunda fuit impedibiliter cum impedire possit, ne influat ex mutua vtriusque conuentione.

Quartum, quia, † quod in matrimonio 1
contracto

contracto dominium vtile distinguatur à directo multa manifestè ostendunt, quæ negari nequeunt. Ergo dum primo initur, & contrahitur potest contractus fieri de dominio directo sine ordine, aut consensu implicito ad copulam, & dominium vtile, consequentia valdè efficax est, & antecedens certum, quia si vterque coniux professionem solemnem emittat ex vi illius amittũt, dominium vtile cum neuter possit petere, aut reddere, *cap. cum sis. cap. vxoratus, cap. veniens de conuers. coniug.* & tamen manet dominium directum cum vinculum per-
13 maneat insolubile. Secundò, † contractus matrimonij prout respicit copulam, & dominium vtile parit obligationem sub conditione, si alter fidem seruauerit, quare si adulterium committat amittit ius ad exigendum & ad vsum à se petendum, at obligatio orta ex dominio directo omnino est absoluta & sine vlla conditione cum sit vera coniunctio maris & fœminæ, vt explicat Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. est enim vnio duorum qui fiunt *vna caro.*

Tertia classis est ordinata ex inconue-
14 nientibus, & absurdis. Primum, quia † si ita est, quod consensus implicitus in copulam, & filiorum requiritur essentialiter ad verum matrimonium sequitur, quod inter B.V. & S. Iosephum, non fuerit verum matrimonium, quod sine temeritate dici nequit, sequela ex eo videtur manifesta, quia votum castitatis & virginitatis emissum à B. Virgine fuit absolutum antequam contraheret cum Iosepho, vt probat Basilius *vbi suprà num.* 7. & 8. & sic nequiuit verè contrahere licitè si esset necessarius consensus in copulam, quod fuerit votum absolutum & non conditionatum, nisi Deus aliter disposuerit ex eo fit manifestum, quia tunc temporis non erat illicita Virginitas, si enim esset, illicita dicere debemus; Beatam Virginem quando matrimonium verum contraxit animo procreandi filios contraxisse eo scilicet modo, quo tunc secundum legem debebat contrahere, imo nec aliter contrahere licuisse, quod horret animus, vel leuiter de Virgine cogitare, ait Basilius Legionens. alia inconuenientia ex quibus potest hæc classis construi & ordinari §. 4. euanescent, proposita.

§. II.

Libamina pro tuenda vera S. Thom. sententia.

SVMMARIVM.

1. *Matrimonium iure naturæ institutum est à Deo primario & per se ad filiorum procreationem.*
2. *Variorum DD. sensus afferuntur, & num.* 7. *necnon Concilij Tridentini mens, & num.* 3. *&* 4.
5. *An ex vi præsentis prouidentiæ quam nobis Christus proposuit subsistere nequeat matrimonium, sine ordine & consensu implicito ad copulam, & n.* 6.
8. *An cum matrimonium sit institutum in ordine ad multiplicandum genus humanum, nequeat subsistere matrimonium sine aliquo consensu ad copulam.*
9. *S. Doctoris sensus adducitur.*
10. *Quis prior consensus implicitus dicatur.*
11. *An posterior consensus virtualis in copulam possit esse ex parte contrahentis liberè appositus.*
12. *An virtualis consensus liberè appositus necessarius non sit ad validitatem matrimonij.*
13. *Quid ad validitatem matrimonij requiratur.*

VT tamen veritas clarescat quæ lucem adferat multis doctrinis quæ in antiquorum Theologorum & vtriusque iuris interpretum libris conscripta inuenientur, circa perpetuo impeditorum à natura matrimonia, aliqua sunt prælibanda certa documenta, quibus instructus intellectus docilis facilè amplectetur veritatem. Igitur primum sit, quod certum de fide existimo † ma- 1
trimonium iure naturæ institutum esse à Deo primario & per se ad filiorum procreationem, quod institutum executioni esset mandatum, etiam in statu Innocentiæ in quo ex commixtione maris & fœminæ humana species erat multiplicanda, sicut & quælibet alia species perfectorum animaliũ, vt latè probant expositores D. Thom. 1. *p. q.* 98. *art.* 2. vbi Caiet. & Bannez, quod doctè enucleat & confirmat Pater Suarez *l.* 5. *de operibus sex dierum, cap.* 1. & Patres aliquos Græcos qui contrarium videntur innuere explicat, Aug. vero, qui aliquando dubius fuit locutus, se ipsum temperat, corrigit, & emendat *lib.* 1. *retract. cap.* 10. *&* 13. nam quod esset in statu Innocentiæ vsus matrimonij per coitum, ex professo probat *lib.* 9. *de Genesi ad Litteram à cap.* 3. *& lib.* 14. *de ciuit. à cap.* 21. *vsque ad* 26. vbi Leonardus Coqueus egregiè commentatur & illustrat S. D. mentem qui, & ex ipso D. Thom. & Caiet. egregiam subministrant rationem ad comprobandam veritatem, quam præ manibus terimus † quam neque Nissenus *lib. de* 2
opificio homi. cap. 17. Damascenus *lib.* 2. *de fide cap.* 30. *& lib.* 4. *cap.* 25. negarunt, etsi negassent, in statu Innocentiæ homines fore multiplicandos per coitum maris & fœminæ, imò quod adfirmant, quod dum Deus dixit primis nostris parentibus Genes. 1. *crescite*

scite & multiplicamini & replete terram. instituisse matrimonium respiciens ad futurum statum mortalem naturæ corruptæ. Quare existimo negari vllatenus salua fide non posse, matrimonium fuisse institutum ad generis humani propagationem, & multiplicationem.

Quod probat Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *in proœmio*, quod continet doctrinam de Sacramento matrimonij
3 sic decernens. † *Matrimonium perpetuum indissolubileque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cum dixit hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam à Deo prolata inferens dixit. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Quibus verbis manifestè determinat Concilium matrimonium ad copulam inter virum, & vxorem ex sua primæua institutione esse ordinatum, ex vi præsentis prouidentiæ, copula enim duo fiunt *vna caro* per semi-
4 num commixtionẽ, & sic institutum fuisse à Deo dicit Christus Trid. Dominus apertius docuit; id quod Deus satis declarauit, dum postquam creauit hominem masculum & fœminam benedicens dixit, *crescite & multiplicamini & replete terram.* vnde ex diuersi sexus productione vnus qui fit agens & alter patiens, sicut in omnibus aliis perfectis animalibus euidens est, quod iure naturæ coniunctio maris & fœminæ ex vi huius coniunctionis honestæ, quæ est matrimonium, ordinatur ad copulam, quia agens ex se ordinatur ad passum, & passum respicit agens, quam demonstrationem, (quæ verè est talis iudicio meo ex vi præsentis prouidentiæ) nobis dedit D. Th. *vbi suprà*, & enucleat, vt assolet alter Thomas.

5 Dixi, quod † ex vi præsentis prouidentiæ, quam nobis Christus proposuit & tenet sẽper Ecclesia matrimoniũ subsistere nequit, sine ordine, & consensu implicito ad copulam; quia non dubito, quod ex vi alterius prouidentiæ potuerit Deus instituere coniugium absque eo, quod contrahentes etiam in diuerso sexu existentes copulam ad filios procreandos respicerent expressè, nedũ implicitè, sed semper impermixti manerent; essetque perpetua animorum vnio, ad se mutuo iuuandum in operibus cuicunque sexui conuenientibus, & mulier esset in adiutorium viri, illique subdita in œconomica gubernatione, & familiæ directione; Deusque alio modo prouideret ad genus
6 humanum multiplicandum; hoc autem possibile fore non dubito, variis, & miris modis, imò ita futurum in statu innocentiæ, si in eo conseruaretur humana natura, sentiunt Damascenus & Nissenus *vbi suprà*, & docuerant Aug. *lib.* 1. *Genes. contra Manich. cap.* 19. Chrysostom. *hom.* 18. *in cap.* 4. *Genes.* vbi Procopius Gazeus, Euthymius *in Ps.* 50. 7
satis innuit Hieronym. *lib.* 1. *contra Iouinianum.* vnde Iacobus Billyus Prunerus in cõmentario *cap.* 30. *l.* 2. *de fide.* sic fatur defendens Damascẽni sententiam. *Si quibusdam minutis animantibus id præstitit Deus, vt sibi è foliis natos, & suauibus herbis ore legant, si apes mellifera expertes concubitus edunt virgineos fœtus, non potuisset idem præstitisse primis parentibus si præstitissent in suæ naturæ integritate, quamprimum acceperunt? verum de hac inquisitione amplior & latior habetur sermo in annotat.* 18. *propositionis Sexti Libri Richardi de Trinit.* Hæc ille, eius adnotationes non vidi, si ergo de facto dicunt hi Patres in statu innocent. foret concubium prout est animorum in vitæ societate coniunctio absque consensu, etiam implicito in copulam, hoc ad minus nõ repugnat, nec quod genus humanum alio modo quam per coitum multiplicaretur, sed quod tam viri quam fœminæ virgines permanerent, vnde tunc esset coniugalis residentia, *sine vllo complexu carnali non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, ille enim solum propter generandos filios est adhibendus.*

Secundum libamen est, quod cum vidi- 8
mus † sit institutum matrimonium in ordine ad multiplicandum genus humanum, nequit subsistere matrimonium, quod est institutum sine aliquo cõsensu in copulam, hic autem consensus dupliciter esse, vt profundè adnotauit D. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. vbi sic fatur. † *Copula carna-* 9
lis cecidit implicitè sub consensu B.V. sicut actus implicite continetur in potentia. Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius nisi ratione actus qui quidem nunquam fuit in proposito B.V. sed erat iam certificata, quod actus nunquam sequi deberet. Hæc ibi, quibus verbis claritate & profunditate altissimi sui iudicij duplicem consensum in copulam carnalem implicitum distinguit, cui est alius duplex dissensus oppositus. † Prior consen- 10
sus implicitus est qui respicit copulam possibilem ex natura contractus matrimonij ex vi cuius, diuina primaria institutione, vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier; &c. sed vterque coniux ex vi contractus matrimonialis ordinatur, vt fiant vna caro per seminum commixtionem, vnus vt agens, & alter vt patiens, & huic consensui implicito in copulam est oppositus consensus explicitus absolutus negatiuus copulæ, vt si in matrimonio ponetur conditio, quod

coniuges

coniuges non tenerentur commisceri essentque deobligati ad coëundum, *talis enim conditio* (ait D.Thom. *vbi suprà ad 2.*) *cum sit contra matrimonij bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret*, quod §.4.
11 magis comprobabo. † Posterior consensus virtualis in copulam potest esse ex parte contrahentis liberè appositus, quam habet quis eo ipso, quod vult contrahere matrimonium, vt communiter contrahitur inter virum & vxorem, iuxta quem modum vsitatum contrahendi dixit Aug. *lib.19. contra Faust. cap.26. matrimonium ex hoc appellatum, quod non ob aliud mater nubat, quàm, vt mater fiat.* Sed aliàs Ethymologias matrimonij adducit P. Thom. *vbi suprà quæstiunc. 3. quas §.4. enucleabo.*

12 Et hic † consensus virtualis liberè appositus necessarius non est ad validitatem matrimonij, imò etsi quis habeat actum contrarium, quod ex parte sua nunquam reddet debitum validum matrimonium contrahet sicut contraxit B. V. cum S. Iosepho, quæ nunquam habuit liberum consensum, etiam sub conditione habendi copulam, quia certificata fuit, quod S. eius maritus, & sponsus simile habebat votum, aut propositum castitatis & virginitatis, quod etiamsi Deus vult, potest contingere aliis coniugibus, qui certificati, quod vterque habent simile votum virginitatis, & quod nullus ab alio exiget debitum, possint licitè & validè contrahere, quod non liceret nisi esset specialis reuelatio de securitate ista ex Dei dono; vn-
13 de clarè liquet, quod † ad matrimonij validitatem, & vt sit residentia matrimonialis inter coniuges requiritur consensus implicitus in copulam qui necessariò continetur continetur in consensu requisito ad contrahendum, ex vi cuius datur mutuum ius, & potestas in corpus alterius ad filios procreãdos, quibus genus humanum multiplicetur fiatque vterque coniux vna caro; iuxta diuinam ex vi præsentis dispositionis & prouidentiæ institutionem. Qui consensus implicitus in copulam, nec in puncto opponitur virginitatis voto, quod solùm frangit actualis vsus copulæ, aut consensus voluntarius in illam; aut periculum proximum, & voluntas se constituendi in tali periculo, & nihil horum fuit in B.V. & quilibet alius potest diuina reuelatione certificari qua certitudine existente licitè contrahit, vt amplius enodabo §.4.

§. III.

Residentia Matrimonialis non subsistit sine consensu implicito in copulam carnalem, Auctorum intelligentia probatur.

SVMMARIVM.

1. *An matrimonialitas residentia non subsistat sine consensu implicito ad copulam carnalem.*
2. *An impotentia perpetua ad copulam iure naturæ impediat matrimonium, ipsumque dirimat.*
3. *Impotens potest esse quis tripliciter, & numer.4.*
5. *Quod non ius sit de essentia matrimonij, sicut consensus implicitus in copulam.*
6. *Quid ex traditis veniat colligendum.*
7. *Augustini mens affertur, & numero 9. & 12.*
8. *Nuptiarum essentia in sola carnali coniugum commixtione sita erat, ex hæretico.*
10. *An actualis commixtio, vel si maris voluntas expressa ad illam non sit de essentia matrimonij.*
11. *An matrimonium non solùm contrahatur propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem.*
13. *An nuptiæ & matrimonium consistat in voluntate expressa commixtionis carnalis.*
14. *An spontaneus consensus inter virum & fœminam legitimè coniunctos faciat, & numero 15.*

CVm † matrimonialis residentia matrimonium licitum & validum supponat 1
si matrimonij essentia non est sine consensu implicito in carnalem copulam; nec residentia matrimonialis erit sine tali consensu in potestatem ad talem copulam, & quidem quod sine illo non subsistat matrimonium, quod ex vi præsentis prouidentiæ est institutum mihi omnino indubitatum est, & ita certum quod existimem nullum ex antiquis siue Patribus, siue Scholasticis, Summistis, aut vtriusque Iuris Interpretibus contrarium sensisse; taliter quod si sit dissensus expressus nunquam se copulandi, cum hic sit contra bonum matrimonij, scilicet prolem procreandam matrimonium tolleret, vt aiebat S.Tho. *vbi supra*, vel saltem ad mitigandam carnis pruriginem & concupiscentiam. Hinc enim fit quod aliqui dixerint Eunuchos carentes vtroque testiculo potentes virgam erigere validè contrahere, quia copulam possunt habere & aliquale semen etsi euanidum & aqueum intra vas emittere.

Hinc est quod omnes dicunt, quod † impotentia perpetua ad copulam iure naturæ 2
impediat matrimonium ipsumque dirimat, siue talis impotentia perpetua proueniat à natura siue à dæmonis maleficio, aut veneficio, quod duret in perpetuum, siue quia virilia

virilia sunt ita radicitùs secta, vt intra fœmineum vas non possit seminare, etsi enim aliqui sentiant, quod cùm impotentia ad copulam consurgit maleficio non dirimat matrimonium, ideo hoc dicunt, quia defendunt nullum veneficium, aut dæmonis maleficium ita esse perpetuum, quod auferri non possit, quod falsissimum est, tamen ex hoc falso suam opinionem colligunt, quæ illo supposito, probabilis est, cùm sit tacitus & implicitus consensus in copulam.

Et tandem etsi aliqui ex Antiquis inter quos est D. Tho. *in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. ad 4.* quem malè intellexit Legionens. *lib.9. de matrim. cap....n....*& Thom. Sanchez *lib.7. disp.97. num.1.* vbi viginti quatuor Authores pro eadem sententia D.S. refert, asserentis,
3 *quod* † *impotens potest esse tripliciter, vno modo, quia non potest soluere de iure, & talis impotentia facit omnibus modis contractum esse nullum, siue sciat ille cum quo facit talem contractum hanc impotentiam, siue non. Alio modo, quia non sit soluendo de facto, etsi sciat ille cum quo contrahit hanc impotentiam, & nihilominus contrahit ostenditur, quod alium finem ex contractu quærit, & ideo contractus stat, si autem nescit, tunc contractus nullus est, & ideo frigiditas, quæ causat talem impotentiam, vt homo non possit de facto soluere debitum & conditio seruitutis per quam homo non potest de facto liberè reddere impediunt matrimonium, cum alter coniugum ignorat, hoc quod aliis non potest reddere debitum, impedimentum autem per quod aliquis de iure non potest reddere debitum, vt consanguinitas annullat contractum matrimonij siue sciat alter siue non.* Hæc ibi.

Id quod etiam expresse docuit Magister *ibid. cap.1.* & sentiunt omnes Summistæ an-
4 tiqui: omnes enim dicunt † huiusmodi impotentes frigiditate perpetua; aut ob eximium calorem, aut ob nimiam virgæ longitudinem; aut quia mulier nimis stricta est, dum contrahunt non habere dissensum se copulandi expressum; sed habere consensum implicitum in copulam quamuis de facto non sit futurus ob frigiditatem; aut maleficium, quod si auferretur copula sequeretur, & sic, quod non sequatur de facto per accidens est; & qui sciens impedimentum contrahat cedit iuri suo; quod habebat ad petendum de facto; quamuis non possit cedere iuri quod habet; vt possit pe-
5 tere; quia hoc † ius est de essentia matrimonij sicut & consensus implicitus in copulam, quod, vt dixi, mihi esse indubitatum nullus hucusque contrarium, vel leuiter insinuauit, sicut neque vllus dubitauit, quod ad verum matrimonium iure naturæ requiritur sexuum diuersitas, ita vt vnus sit agens & alter recipiens, ita vt possint ex natura cõtractus fieri vna caro per seminum commixtionem, vel per copulam mitigare concupiscentiam intra vas coëundo, quod enim in aliquo particulari hoc de facto non contingat non euertit matrimonialis contractus & residentiæ obligationem, & naturam, si talis impotentia ad coëundum intra vas non ignoretur, nam si ignoratur, contractus nullus est iure naturæ, quod secus contingit dum abscissa est virilis virga, ita radicitùs, vt nullatenus possit intra fœmineum vas ingredi; iste enim ab intrinseco est incapax coëundi ac si esset eiusdem sexus.

Ex qua vera solidaque doctrina priusquam ad probationem nostræ sententiæ deueniam † colligitur manifesta intelligentia 6
Aug. & Hug. quos pro se adducit Legionẽsis ipsos, etsi valdè eruditus eruditione sua non attingens, nec eorum mentem penetrans iuxta intentum de quo agebant, vt autem mens Aug. luce meridiana clarior appareat notandum S. Doctor. agere contra Pelagium, & eius sectatores maximè Iulianum, qui duo dicebat inter alia. Primum (vt constat ex *lib.2. cap.7 contra ipsum*) quod sola libido extra coniugium, & matrimonium erat damnabilis, & quælibet libido intra vas, si esset intra coniuges erat licita & honesta † *Tibieni libido* (ait Aug.) *non nisi præter vxo-* 7
rem videtur esse culpabilis & infra, *in quibus (nuptiis) licentiosissimum tribuisti libidini spatium*; quod magis explicans *lib. 5. contra eundem cap. 9.* dicit *temperantiæ totam honestatem de concubitu coniugum abstulit* (Iulianus) *vt nemo sibi videretur in morbo desiderij suum vas possidere quantacunque libidine in vxoris genitalibus potuisset insanire, & nunquam in eis frenari concupiscentiam, sed quotiescumque se commouerit satiari auidam regnare securam*, vnde tria dicebat Iulianus. Primum mulierem non nisi causa generandi esse institutam, sic refert August. *lib.2. cap.7.* secundum naturalem esse vsum fœminæ ita *cap. 19. & lib. 30. cap. 20.* Tertium quod refert idem Aug. quod voluptas coniugalis pudicitia debeat nominari.

Ex quibus propositionibus duo colligebat hæreticus, primum quod † nuptiarum 8
essentia in sola carnali coniugum commixtione sita erat. Ita refert August. *lib.1. contra illum folio mihi 78. quam commixtionẽ* (aiebat) *de nuptiarum conditione, & natura venire perspicuum est, imo in qua sola quantum ad conflictum nostrum respicit, nuptiarum veritas est, & lib.5. c.16. Nihil aliud esse dicis nuptias, quam corporum commixtionem.* Secundum intet Sanctiss. V. Mariam & Ioseph, quia concubitus defuit nullo modo fuisse coniugium, ita refert *lib. 5. cap. 12.* dicebat enim Iulianus, *quasi maritus Ioseph in opinione omnium erat, & secundum hanc opinionem; non secundum*

dum veritatem locutam fuisse scripturam, vt Virginem Mariam eius coniugem diceret.

Iam manifesta apparet Aug. mens & germanus sensus, qui ita clarus est vt cæcutiat
9 luce meridiana, qui non videat & assentiri recuset, agit enim S. Doct. contra Iulianum & alios ex Pelagianis, qui eo dementiæ deuenere, vt assererent matrimonij essentiam non consistere, nisi vbi erat carnalis commixtio corporum diuersi sexus, cõtra quos determinat S. Doctor *loc. cit. in* §. 1. pro sententia Legionensis; in quibus solum dicit,
10 quod hæc † actualis commixtio, vel si maris voluntas expressa ad illam non est de essentia matrimonij, vt falso putabat Iulianus; vnde *lib. de bono coniugali* dicit quod poterat esse in vtroque sexu etiam sine tali commixtione alterius regentis & alterius obsequentis amicabilis, quædam & germana coniunctio; quod repetit *cap.* 3. dicens, *quod*
11 † *matrimonium non solum contrahitur propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem.* Vbi S. Doctor manifestè loquitur de intentione libera ex qua mouetur homo ad contrahendum matrimonium, quia hæc vel est ad procreandos filios, vel ad amicabilem, & naturalem societatem in diuerso sexu, non tamẽ negat quod sit necessario imbibitus implicitè consensus in copulam, eo ipso quod contractus matrimonialis celebratur inter personas legitimas iure naturæ diuersi sexus, vna agens, & altera patiens in vsu matrimonij, imo quia est talis consensus implicitus in copulam, vt vterque fiat vna caro vnus est regens, in aliis ministeriis, & alter est obsequens iure naturali, vir est caput mulieris.

12 Hunc esse manifestum August. sensum quis potest in dubium vertere; solumque S. Doctor excludere voluntatem deliberatam ad coitum, *cap. nuptiarum bonum* 27. *quæst.* 1. constat *ex lib.* 23. *contra Faustum Maniche: cap.* 8. loqnens de B. Ioseph. vt Ioseph maritus Mariæ diceretur *habens eam coniugem nõ commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum, & ex hoc concludit in fine capitis, quod fideles multo magis habent fidelia coniugia quanto potuissent imitari parẽtes Christi, & lib.* 5. *de nuptiis, & concupiscent. Coniux* (Ioseph) *vocatur* (*V. Maria*) *ex prima fide desponsationis quam concubitu, nec cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax fuerat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura fuerat vlla carnalis commixtio.* Hæc ibi, quibus similia docet *lib.* 2. *de consens. Euang. cap.* 2. quare dubitare nequit, S. Doctorem his sententiis exclussisse Pelagianorum fal-
13 sum & hæreticum dogma, quod † nuptiæ & matrimonium consistebat in voluntate expressa commixtionis carnalis, tuncque celebrari, quando coniuges commiscebantur, quos euidenter repellit magnifico exẽplo matrimonij Iosephi & Mariæ, *quo insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruato pari consensu posse permanere vocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu*; vnde liquet S. Doct. non exclussisse consensum implicitum in copulam non aliquando futuram, qualis non fuit in B. V. sed impossibilem ex vi contractus matrimonij instituti à Deo, quem sensum amplius confirmabo §. *sequenti*, quem solum intendit sui æui alter Augustinus Hugo de S. Victore *lib. de incorrupta Deiparæ virginitate*, vt
14 legenti clarissimè constabit, ait enim † *spontaneus consensus inter virum & fœminam legitimè coniunctos facit, quo vterque alteri debitorem sui se spondet, iste est qui coniugium facit & coniugium est ipsa societas tali cõsensu confœderata, quæ altero viuente alterum ab altero non dissoluit.* Ecce vbi ponit egregius Doctor cõsensum implicitum in copulam, cum ponat consensum quo vnus coniux alteri se sui debitorem constituit; & in hoc consensu est essentialiter constitutum matrimonium; nam alter consensus carnalis commercij ad inuicem exigendi, atque reddendi comes est, non effector coniugij, quia hic recipit futuram commixtionem, quæ ad essentiam matrimonij attinere nequit, vt attinere dicebat Iulianus, quamuis enim cesset huius
15 consensus carnalis executio veritas & essentia matrimonij non cessat, quæ est legitima societas inter virum & fœminam, in qua videlicet societate ex pari consensu vterque semetipsum debet alteri, sic enim definit matrimonium ipse Victorinus alludens ad illud Pauli, *vir potestatem corporis sui non habet, sed fœmina, &c.*

§. IV.

Ostensiue roboratur sententia Angelici Doctoris; authoritatibus Aristotelis, S. Augustini, & aliorum Patrum.

SVMMARIVM.

1. *Duplex consensus qui ab Hugo. Victorino admissus fuit enodatur.*
2. *An sit requisitus semper essentialiter consensus implicitus in copulam, vel possibilem vel futuram sub conditione.*
3. *Augustini sensus adducitur, & n.* 4. *&* 5.
6. *Quodnam adiutorium respiciat prolem generandam per copulam maris & fœminæ.*
7. *Ad quod fœmina adiutorium sit necessaria viro.*
8. *Initium primum degenerandi est fœminam generari non marem.*
9. *An consensus matrimonialis implicitè feratur in copulam destinatam à natura ad filios procreandos.*
10. *Connubium & matrimonium institutum est ad prolem generandam ex S. Doctore.*
11. *Quid ex doctrina Augustini colligatur.*
12. *Patrum sensus affertur, necnon S. Doctoris & n.* 13. *&* 14.
15. *An ratione coniunctionis sit magis diligenda vxor quam mater.*
16. *D. Caiet. sententia affertur, & n.* 17.

VT clarior hæc ostẽsio appareat ex August. & Patribus, imo & Philosophis naturali ductis ratione & dictamine, iterũ repetenda, est duplex ille consensus, quẽ egre-
1 giè enucleauit † Hugo Victorinus & nos intentionem contrahendi diximus, vtraque enim in copulam fertur, sed cum discrimine nam prior, qui est spontaneus consensus inter virum & fœminam legitimè coniũctos, quo vterq; alteri debitorẽ sui se spopõdit implicitè fertur in copulã carnalẽ possibilẽ inter virum & fœminã. Posterior vero qui comes est non effector coniugij est consensus liberè adhibitus à coniugibus, priori consensui (in quo essentiam matrimonij consistere certũ est) & respicit pro obiecto non copulã possibilem contentam in corporũ traditione, sed futurã contentam in iure exigẽdi, & petendi expedito, tenditque tanquã in obiectum in commixtionẽ futurã, aliquando ad petitionẽ vnius & debiti carnalis redditionẽ alterius, hic enim consensus matrimonij comes etsi cõmuniter insit, dũ contrahitur matrimoniũ, at non necessario ex vi contractus matrimonij, qui solũ respicit copulam possibilem inter contrahentes, vel futuram sub aliqua conditione, quæ de facto nunquam subsistet.

2 Igitur quod † sẽper sit essentialiter requisitus consẽsus implicitus in copulã, vel possibilẽ, vel futurã sub conditione, ex vi cuius copulæ filij possint generari, aut saltem temperari cõcupiscentia, docuit *Arist. lib.* 1. *Polit. c.* 1. *Marem & fœminã* (ait) *quorum alter alterius indiget societate copulari necesse est procreandi causa, idque nõ consilio, sed natura, quẽadmodũ in cæteris animantibus & stirpibus vsũ venit in quibus natura insitus est appetitus sui simile relinquendi*; ergo societas maris & fœminæ copulari necesse est *à natura* non *cõsilio* procreandi causa; ergo consensus qui fertur expressè in societatem viri & fœminæ implicitè fertur in ipsam copulam procreandi causa.

Quod elegãter docuit & probat Aug. *lib.* 9. *de Genes. ad litter. c.* 4. explicãs illud Gen. 2.
3 *v.* 18. † *faciamus ei adiutoriũ simile sibi*, vbi ita loquitur, *si quæritur ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quã propter filios procreandos, sicut adiutorium semini, terra est vt virgultum ex vtroque nascatur, hoc enim & in prima rerum conditione dictum erat masculum & fœminã fecit eos Deus, crescite & multiplicamini & implete terrã, quæ ratio conditionis & coniunctionis masculi, & fœminæ, atque benedictio Dei, nec post peccatũ hominis pœnamque defecit, aut ad hoc adiutorium gignendi filios non est facta mulier viro, ad quod ergo ad iutorium facta est? si vt simul operaretur terram, nondum erat labor, vt adiumento vir indigeret; et si opus esset, melius adiutorium masculus fieret, hoc & de solatio dici potest si solitudinis fortasse tædebat, quanto enim congruentius ad conuiuendum & colloquendum duo amici pariter, quam vir & mulier habitarent.*

Quam doctrinã strictius repetit & enu- 4
cleat *lib.* 14. *de ciuit. c.* 22. ibi, *cũ scriptura dixisset masculum & fœminam fecit eos continuo subdidit & benedixit eis Deus, dicens crescite & multiplicamini & implete terram, quæ omnia quamquã non inconuenienter possint etiã ad intellectũ spiritalẽ referri, sed sicut euidẽtissime apparet in diuersi sexus corporibus masculũ & fœminã creatos, vt prolẽ generando crescerẽt & multiplicarentur & implerent terrã, cui sen-*
tentiæ tã euidenti magnæ absurditatis est relu- 5
ctari, & infra *apertè de vinculo coniugali, quo inuicẽ sibi vterque sexus obstringitur, Dominus interrogatus vtrũ licet quacunque ex causa dimittere vxorẽ? Respondit, atque ait. Non legistis qui fecit hominẽ ab initio masculũ & fœminam fecit eos, & dixit propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna? Itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo nõ separet. Certum est igitur masculũ & fœminã ita primitus institutos, vt nunc homines duo diuersi sexus vidimus & nouimus.* Hactenus S. Doct. quo testimonio nihil illustrius.

Siquidẽ ex vi creationis hominis in diuer- 6
so sexu, ita quod mulier sit creata in adiutoriũ viri, euidẽter colligit, quod † hoc adiutoriũ respicit prolem generandã per copulam maris & fœminæ, quare ex vi huius diuinæ institutionis necessario sequitur, quod qui vult matrimoniũ contrahere, implicitè vult copulam, quam ex natura rei respicit matrimonium, etenim † fœmina ad nihil aliud 7
est viro necessarium adiutorium nisi ad generationem, & ad prolem genitam nutriendam & alendam; ad cætera autem domesticam œconomiam, familiam gubernandam; societatem amicabilem & commercium habendum etsi vtilis sit fœmina; at non necessaria simpliciter sicut est ad duo illa munia. Vnde fœmina non per se & primaria intentione producta est; sed propter virum, vt esset ei adiutorium simile sibi ad prolẽ generandã, & nutriẽdã, si enim hæc duo munia vir se solo

posset efficere non vtique mulier esset generata cum vir sit multo præstantior, & perfectior, quam fœmina, hæc enim, vt ait Ar. est animal occasionatum & mas læsus, vt ait *l. 2. de gener. animal.* idest non per se, & primaria naturæ intẽtione productũ, sed propter imbecillitatẽ virtutis generatiuæ, quæ si perfecta esset, virũ sẽper generaret, at ex natura rei aliquãdo deficit, & debilitatur, vt fœmina sit adiutoriũ, semen intercipiẽs ad prolẽ generãdã, sicut terra est adiutoriũ semini, plãtarũ, vt virgultũ nascatur, quod egregie Ar.
8 dixit *lib. 4. de gener. anim. cap. 3.* † *Initium* (ait) *primum degenerandi est fœminam generari nõ marem, verum hoc necessarium est naturæ, genus enim seruari oportet, eorum quæ fœmina & mare distinguuntur.*

Dubitari ergo nequit, quod iuxta Aug.
9 mentem † consensus matrimonialis implicitè fertur in copulam distinatam à natura ad filios procreandos, *quam copulam præscribunt tabulæ matrimoniales*, (ast S. Doctor *l. 3. contra Iulian. cap. 21.*) vt scilicet non coniungantur vir & fœminæ, nisi propter filios generandos, quorum generatio cum sit matrimonij bonum principaliter & primario intentum à Deo institutore matrimonij, cui sententiæ reluctari magnæ absurditatis est ab intrinseco cum implicat, quod sit legitimus cõsensus in matrimonium, quin implicitè feratur in talem copulam saltem sub conditione futuram, etsi conditio nunquam sit in executione ponenda.

Totum hoc confirmat. S. D. *l. 1. de nupt. &*
10 *concup.* (postquam enim *c. 8.* dixerat. † *Connubiũ & matrimoniũ institutum esse ad prolẽ generandã, & sic aliquando ex dispensatione diuina Patres veteris testamẽti plures habuisse vxores, non vt appetitus voluptatis variaretur, sed vt proles multiplicaretur, ob quod nõ est cõcessũ, quod mulier haberet plures viros, quia si vna cõcũbit cum pluribus, non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis, & sic coniux nõ potest esse, sed meretrix.*) concludit. *c. 11. Quibus autẽ placuit ex consensu ab vsu carnalis cõcupiscẽtiæ in perpetuũ cõtineri, abest vt inter illos vinculũ cõiugale rumpatur, imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius conformiúsque seruãda sunt, non volũtariis corporũ nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* quam vniuersalem doctrinã confirmat exẽplo B. V. & S. Ioseph, inter quos fuit verũ coniugium & propriũ matrimoniũ, *non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

Ex qua doctrina August. euidenter colli-
11 tur, † quod potest esse, quod postquam duo contraxerunt matrimonium ex mutuo consensu, siue confirmetur voto simplici, aut solemni, vinculum coniugale rumpitur, imò firmius erit, vt ait Aug. nequit tamen esse, quod duo contrahant apponendo in consẽsu matrimonij conditionẽ, quod debent abstinere in perpetuum à carnali copula, talis enim conditio (vt ait D. Tho.) cum sit cõtra matrimonij bonum scilicet prolem generãdam matrimonium tolleret, vnde nunquã in August. aut aliquo ex antiquis Patribus, aut scholasticis inuenitur, quod sit validum matrimonium si contrahatur ea conditione, vt non possint in perpetuum coniuges carnaliter commisceri, sed postquam contractum est, secum possunt ea pacta inire, vt non coeant, quæ charius, conformiusque seruãda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus, & hanc esse Aug. mentẽ nullus cordatus dubitabit.

Id ipsum sensere Patres † qui hanc materiã tractarunt, matrimonium definientes in 12
ordine ad copulã, & corporum diuersi sexus commixtionem. Clem. Lexandr. *lic. 3. strom.* definit matrimonium, *quod sit prima legitima viri & mulieris coniunctio ad librorũ procreationẽ*, idẽ dicit Chrysol. *ser. 92.* Chrys. *hom. 16 in Genes.* & eius alij Græci assecłæ. Glossa ordinaria, quã sequitur Tho. Angel. *c. 1. Genes. n. 28.* nullo modo sunt damnãdæ nuptiæ cuius rationem dat, *quia eas ad propagationẽ suprema benedictio instituit, dum dixit crescite & multiplicamini & replete terram, & c. 2.* dicit idem Angelus, (non Angelicus,) *si quæritur, quare Deus non fecit, quod solus vir esset generationis principium? dicendũ, quod id magis cõpetebat, & ordini naturæ, & societati humanæ, & proli propagandæ, & sic postquam completa* 13
est subsistentia hominis singularis determinatur de fornicatione mulieris propter multiplicationem speciei hominis, vnde euidens est, quod supposita institutione diuina, quæ & ordini naturæ & societati humanæ & proli propagandæ conueniebat, impleat, quod sit legitima coniunctio maris & fœminæ, quæ matrimonij insolubili vinculo vtrumque constringit, & quod consensus huius coniunctionis expressus nõ sit implicitus in copulã.

Hanc autem coniunctionem egregie enu- 14
cleauit vterque Thomas, Angel. *lect. 10. ad cap. 5. epistol.* ad Ephesios explicans illud *Genes. 2. num. 24. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, &c. his verbis* (ait S. Doct.) *triplex coniunctio viri & mulieris designatur, prima per effectum dilectionis, quia tantus est affectus vtriusque inter ipsos, vt parentes suos relinquant, quia homo respectu patris & matris est inferior non superior, ideo ad vxorem cuius est superior & ad filios naturaliter plus afficitur, quam ad parentes, & etiam quia vxor sibi coniungitur ad actum generationis, altera coniunctio viri & vxoris est in arctissima eorum conuersatione, vnde dicitur & adhærebit vxori suæ, in singulari autem numero dicitur vxori suæ, vt intelligatur pluralitas vxorum per se non esse bona nec congruens perfectæ rationi matrimonij vt*

vt fuit à Deo primitus institutum. Tertia coniũctio est per carnalem copulam, quod significatur illis verbis, & erunt duo in carne vna, idest in carnali opere, in qualibet enim generatione est virtus actiua & passiua, sed in plantis vtrãque simul est in eodem subiecto, in perfectis autem viuentibus distingũtur, & ideo in actu generationis, ita se habent masculus, & fœmina in animalibus sicut in plantis solo eodem vno corpore fit. Hæc ibi in quibus tribus coniunctionibus imbibitus est consensus implicitus in copulã, vt constat, alias nõ esset coniunctio matrimonialis, vt à Deo de facto est instituta, sed alia quam quis ex proprio Marte poterit celebrare, vnde non erit insolubili vinculo adstricta vt §. 4. enodabo.

15 Quod extricauit 2. 2. *q. 26. art.* dicẽs. *Quod ratione coniunctionis magis est diligenda vxor, quam pater, quia vxor coniungitur viro, vt vna caro existens, quia quantum ad vnionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus homo adhæret vxori suæ.* Vnde manifestum est, quod duæ priores coniunctiones tertiam respiciunt, & in illa solidantur, ratione que illius insolubiles sunt iure naturæ, & sine respectu ad illam rumpi possunt, quod
16 egregie enucleauit ibi D. Caiet. dicens † *cum dicitur in calce quod homo diligit vxorem principaliter ratione carnalis coniunctionis non denotatur finis amoris sed species vnionis causantis amorem. Non enim principale bonum, quod homo vult vxori est coniunctio carnalis, cum hoc sit bonum vtile ad generandum & delectabile, & velit ei bonum honestum, quod est maius, sed principalis ratio amoris ad vxorem, vt vnio est ratio amoris est coniunctio carnalis, quia hanc sequitur quæcũque alia est inter eos vnio siue vo-*
17 *luntatum siue rerum.* Hactenus admirandum semper Caietan. eminentissimum ingenium, his enim verbis declarauit nullam esse coniunctionem, aut vnionem insolubilem, & coniugalem quæ à carnali copula implicite volita ex vi cõtractus matrimonij, vt ab adæquata radice, non dimanet, & illo consensu implicito in copulam semoto homo non diliget plus vxorem quam parentes.

§. V.

Rationibus firmatur eadem sententia adductis ex S. Augustino & D. Thoma.

SVMMARIVM.

1. *Quicunque contrahit matrimonium & nuptios celebrat debet habere intentionem eas contrahendi & celebrandi qualiter institutæ sunt à Deo authore naturæ.*
2. *An vbicũque est cõiunctio sit adunatio quædã.*
3. *Quænam sit coniunctio matrimonij essentia.*
4. *Augustini sensus adducitur, & num. 5.*
6. *Vagans concubitus & simplex fornicatio est iure naturæ illicita.*
7. *An à matrimonio honestetur concubitus, & commixtio corporum maris & fœminæ.*

PRima, principalis & à priori sumitur ex Doctrinis traditis ab vtroque S. Doctore *in anteriori.* §. & sic formatur, † quicunque
1 contrahit matrimonium, & nuptias celebrat debet habere intentionem eas celebrandi & contrahendi qualiter institutæ sunt à Deo authore naturæ, rursus conficiendi sacramentum ea intentione, qua à Christo est institutum & euectum matrimonium quatenus est contractus ad rationem sacramenti nouæ legis, atqui Deus vt author est naturæ, & Christus vt inductor gratiæ ille instituit matrimonium, & iste huiusmodi cõtractum euexit ad rationem sacramenti nouæ legis, quatenus ordinatur ad copulam carnalẽ, & filiorũ procreationẽ, ergo qui vult celebrare matrimoniũ implicite debet velle illud perficere, vt Christus Dominus instituit & facit Ecclesia, & D. Th. ait 3. *p. q. 64. art.* 8. egregiè enodat *in solut. ad.* 1. 2. hæc ratio à priori euidens est, cuius minor propositio satis liquet ex adductis Patrum testimoniis.

Secunda est D. Th. *in 4. dist. 27. q. 1. art.* 1. 2
quæstiunc. 1. August. & Hugonis de S. Victore, quia matrimonium essentialiter est coniunctio, vel duarũ legitimarũ personarũ maris, & fœminæ de coniunctione consensus, vt ait Hugo *l. 1. de sacram. p. 11. c. 4.* vbicunque autem est cõiunctio est adunatio quædã, vnde dicitur Genes. 1. *nu.* 28. *& erunt duo in carne vna*, quæcũque autẽ adunantur, in ordine ad aliquod vnũ adunantur, sicut multi homines adunantur ad vnã militiã, vel ad vnã familiã & Religionem, atqui ex vi matrimonij vir & vxor adunãtur, ergo cõiũgũtur, ergo in ordine ad aliquid vnũ scilicet ad vnã generationem, & educationem prolis, & iterũ ad vnã vitam domesticam, ratione cuius coniũctionis dicitur maritus coniungi vxori, & vxor marito, vnde relatio quæ est matrimoniũ ex vna parte habet vnitatem in vtroque extremorum, scilicet ex parte causæ, quia ad eãdem numero generationem ordinantur, sed ex parte subiecti habet diuersitatem secundum numerum, & ideo hæc relatio est vna, & multiplex & secundũ quod est multiplex ex parte subiecti significatur his nominibus *vxor* & *maritus*: secundum autem quod est vna significatur hoc nomine *matrimoniũ*, atqui est vna quia ordinatur ad vnam generationem, ergo matrimoniũ quod est consensus de coniunctione implicite fertur ad copulam, matrimonij autem † essentia est con- 3
iunctio præfata, vt ait D. Th. *ibid. quæstiunc.* 2. & hãc respicit cõsẽsus, qui nõ fertur directe in virũ ex parte mulieris, nec fertur directe in fœminã ex parte viri, sed in cõiũctione ad

virum ex parte vxoris, & in coniunctionē ad vxorem ex parte viri, quæ coniunctio sicut & vinculum matrimonij vnum est, quia ad vnam numero generationem ordinatur.

Tertia ratio sumitur, ex Aug. *lib. 2. de nu-*
4 *ptiis & concupisc. cap.* 4. † vbi sic loquitur approbans tanquam Catholicum, quod dicebat quidam Pelagianus discipulus Iuliani. *Ipse Adam dixit propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna, quod tamen Dominus in Euãgelio Deum dixisse commemorat, quia Deus vtique per hominem dixit, quod homo prophetando prædixit, ergo quæ sequuntur intuere. Prima* (inquit Pelagianus) *compellatione cui operi parata esset, ostendit & dixit crescite & multiplicamini & replete terram. Quis enim nostrum negat ad opus pariendi à Domino Deo Creatore omnium bonorum bono præparatam fuisse mulierem: Adhuc, vide qui adiungat Deus igitur* (inquit) *maris creator & fœminæ conuenientia generationibus membra formauit, & gigni corpora de corporibus, etiam hoc esse Catholicum confitemur, & quod deinde subiungitur, si igitur* (inquit) *non nisi per sexum fœtus, non nisi per corpus sexus, non nisi per Deum corpus, quis ambigat fœcunditatem Deo, iure reputari? Post hæc quæ veraciter & Catholicè dicta sunt, imo in libris diuinis veraciter scripta, &c.* quibus manifestũ concluditur argumentũ, *quia si Deus omniũ bonorum creator ad opus pariendi fœminam præparauit, & tam ipsi quam mari conuenientia generationibus membra formauit.* implicat, quod ex vi præsentis institutionis mas & fœmina matrimonio legitimo coniungantur sine implicito consensu in copulam sine quo matrimonialis residentia licita non subsistit.

5 Quarta sumitur ex eodem S. Aug. *l. 5. contra Iulianum Pelagij discipulum accerrimum c. vlt. Vides ergo quam inconsiderate nuptias definieris, dicendo eas aliud non esse nisi corporum commixtionem tolerabilius, forte diceres eas non inchoari nisi per corporum commixtionem, quia filiorum procreandorum causa vtique ducuntur vxores, & aliter non possunt filij procreari.* quibus verbis clarè docet, quod non potest quis vxorem ducere, nisi implicitè consentiat in copulam sine qua nequeunt filij generari, & vxor ducitur, vt filij generentur.

Quinta est desumpta, ex D. Thoma 2. 2.
6 *quæst.* 154. *art.* 1. *&* 2. quia † vagans concubitus, & simplex fornicatio est iure naturæ illicita, & prohibita, quia mala, vt egregiè enodat Eminentissimus Caiet. *ibi.* §..... huic autem concubitui vago opponitur concubitus coniugalis, qui est licitus ex vi matrimonij, cum sit secundum rationis metas, & regulas, eo ipso, quod sit à matrimonio, ergo matrimonium implicitè respicit concubitum, iuxta regulas rationis, consequentia est euidens, quia † à matrimonio honestatur 7
concubitus, & commixtio corporum maris, & fœminæ, qui sine illo malus est ab intrinseco, consensus igitur ex quo fit matrimonium & diuersi sexus coniunctio, implicite fertur in copulam quam honestat, vt egregiè explicat, Aug. *l. 3. contra Iul. c. 16. & l. 4. c. 3.*

§. VI.

Occurritur fundamentis adductis in oppositum.

SVMMARIVM.

1. *An consensus explicitus de matrimonio contrahendo sit implicitus in copulam & filiorum procreationem.*
2. *Augustini mens adducitur.*
3. *An post contractum matrimonij celebratum possint coniuges speciali pactione obligari ad non se carnaliter cognoscendum, vel voto simplici absoluto, vel solemni.*
4. *Finis primarius matrimonij à Patribus assignatur.*
5. *Quæ obligationes fluant ab essentia matrimonij.*
6. *Ratio difficultatis affertur.*

RObustior euadet sententia nostra, si fundamentis oppositis fiat satis, quod perficere facilè erit ad argumenta quæ in prima continebantur classe ex Patribus deprõpta vnico verbo, respondetur, iam enim abũdè enucleauimus mentem Aug. & Hugonis non enim loquuntur de consensu implicito necessario contento in consensu matrimoniali, quod qua ratione sit intelligendum §. 7. enodo & extrico.

Ad primum argumentum eorum quæ continebat classis secunda. Respondetur, omnes illas definitiones matrimonij continere implicitè ordinem ad copulam; quare † consensus explicitus de matrimonio con- 1
trahendo est implicitus in copulam, & filiorum ptocreationem, vt expressè dixere Patres, & specialiter Alexandrinus Clemẽs, matrimonium definiens, cuius verba §. 4. dedi, vnde etsi in aliis rebus quæ contractibus humanis distrahuntur & non sunt vsu consumptibiles, possit esse diuersus contractus circa dominium directum à contractu circa vsum rei cuius dominium directum, quis transfert in alium, at in matrimonio à principio cum ex sua institutione sit ad copulam & filiorum productionem implicat, quod, dum quis transfert sui corporis dominiũ in coniugẽ speciali pacto excludat copulam, & filiorum generationem, quia hæc exclusio est cõtra institutionẽ cõtractus ex vi præsẽtis institutionis, qua filij non gignũtur nisi per coitum, qui nõ liceret si sine cõmixtione

mixtione carnali possent filij procreari. Au-
2 di Aug. *lib. 5. contra Iulian. c.* 12. † *Dico & aliter bonum esse coniugium vbi proles nisi per concubitum non potest procreari, si tamen aliter posset, & tamen concumberent, coniuges apertissimè libidini cederent, atqui illo malo vterentur malè, cum vero propter quod sexus ambo instituti sunt nisi eorum commixtione non nascitur homo propter hoc mixti coniuges illo malo vtuntur benè.* hæc ibi, & quod illustrius? verum
3 est, vt suprà dicebam, quod † post contractũ matrimonij celebratum possunt coniuges speciali pactione obligari mutuo ad non se carnaliter cognoscendum, vel voto simplici absoluto, vel solemni, & hoc est, quod intendit August. possunt enim coniuges mutuo cedere iuri, quod habent ad exigẽdum, semper tamen retinetur ordo ad copulam, & commixtionem carnalem in qua fundatur, & vinculum matrimonij indissolubile, & matrimonialis residentia.

4 Ad secundùm respondetur, † meliùs assignare Patres Ecclesiæ finem primarium matrimonij ob quem, est institutum à Deo, quam illi Auctores Gentiles, quibus nimiam fidem adhibet Legionens. præterquã, quod isti illos assignant fines præsupponendo illum, qui principalis est scilicet licita filiorum procreatio. Ad illud, quod inducit, quod sicut respectu fundi potest esse duplex contractus, sicut est duplex dominium vnum circa directum, & alium circa vsumfructum, iam diximus, quod dum matrimonium primo contrahitur implicat, quod tradatur dominium directum, excludendo ius circa vsum corporis, quod habet hic contractus ex sua institutione diuina.

Ad tertiùm respondetur verum esse,
5 quod † ab essentia matrimonij fluunt duæ illæ obligationes vna de non cognoscendo alienam, quæ inseparabiliter inest coniugibus, ne sint adulteri, altera de reddendo debito proprio coniugi exigenti, & hæc non inseparabiliter inest matrimonio, quia possunt coniuges etiam in perpetuum à concubitu & copula abstinere ex mutuo pacto & consensu, postquam iam contraxere matrimonium, at in ipso contractu nequeunt excludere per conditionem appositam, quod debitum non reddatur, nec copula intersit, ad filios procreandos, quia hoc est contra institutionem matrimonij.

6 Ad quartum respondetur, quod † iam ex dictis constat ratio discriminis inter matrimonium contractum post, quod manente vinculo & dominio directo in corpus, potest amitti ius ad vsum corporis, & ad copulam, at inter ipsum matrimonium dum contrahitur, in quo nequit separari dominium directum à dominio in vsum & copulam saltem possibilem, quod discrimen ex Patribus constat, & ex Ecclesiæ sensu, quem noluit aduertere Legionens. de hoc iterum redibit sermo infrà, dum de residentia matrimoniali Eunuchorum & impotentium fit sermo.

§. VII.

De residentia matrimoniali inter sanctissimam Virginem Mariam, & eius purissimum sponsum Iosephum.

SVMMARIVM.

1. *Matrimonialis residentia sine vinculo matrimonij non subsistit.*
2. *Patrum sensus affertur. & n.* 3. 4. *&* 5.
6. *Authoris iudicium adducitur. & n.* 7.
8. *Beata Virgo an non opinione, sed reipsa fuerit Iosephi coniux.*
9. *Ruperti sententia.*

CVm † matrimonialis residentia sine 1
vinculo matrimonij non subsistat, huic enim debetur, quod coniuges simul commaneãt, cohabitent, & resideant, & inter B. V. & Iosephum sit cõmunis sententia, quod intercesserit vinculum matrimonij: duo sunt breuiter discutienda in præsenti, primum quam certum sit in Ecclesia verũ fuisse matrimoniũ inter hos duos Sanctissimos coniuges V. Mariã & Iosephum. Secundum, qua ratione componatur qua B. Virgo votum virginitatis absolutum emiserit, antequam contraheret matrimonium cum hoc, quod verum fuerit connubium inter ipsam & Iosephum.

Et quidem † circa primum fuerunt multi 2
& graues Ecclesiæ Patres asserentes, non interuenisse hic reipsa verũ matrimoniũ, sed putatiuum apud populum, sicut Ioseph non fuit verus Christi Pater, sed putatiuus, vnde dicũt, quod B. Virgo nõ fuit vera coniux, & vxor, nec Ioseph verus maritus, & vir eius, ita sentiunt Hilarius Chrys. Hier. *in cap. primum Matthei.* Nisen. *in orat. de Christi natali.* Epiph. *hæres.* 78. Tertullianus omnibus his antiquior. *lib. de velam. virg. c.* 6. Chrys. *serm.* 175. Greg. *hom.* 26. *in Euangel.* Bern. *hom.* 2. *super missus est.* Pseudo-Cypr. *in serm. de passio. Domini.* vbi affirmat Iosephũ sola opinione non reipsa maritũ fuisse, & quod magis est hoc clarè videtur docuisse, Aug. *l.* 1. *de nupt. & concup.* vbi ex professo agit de hoc Beatissimo coniugio V. & Iosephi, vbi ita dicit, *vocari verum coniugium quo Ioseph dicitur Pater Christi Luc.* 2. *n... & erant pater eius, & mater mirantes super his quæ dicebantur ab illo, & n., dixit mater eius ad illum ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* sicut ergo hic Ioseph dicitur absolutè Pater Christi nõ reipsa, sed opinione, ita virgo dicitur cõiũx Ioseph nõ reipsa, sed opinione, quia ita expediẽs fuit,

quod etsi satis efficaciter impugnauerit contra Iulianum *lib. 5. cap. 12. circa finem.*
3 Imponebat ergo Iulianus August. quod ita senserit, & S. Doctor contrarium concludit, sed subdit *verum de isto coniugio* (V. & Ioseph) *quodvis existima nos tamen non, vt calumniaris dicimus*; quare adminus tempore Augustini, ita licitè poterat opinari, quod non esset verum coniugium, sed putatiuum dũtaxat vulgi existimatione, quamuis non fundamento Iuliani putantis nuptias & matrimonium consistere, in carnali commixtione corporum ad filios procreandos, quod tanquam erroneum reiicit Aug. tam in libris contra ipsum editis, quam *lib. 2. de nupt. & concup.*

4 Benè video Patres inductos explicari nõ incongrue, quod loquantur quod non fuerit matrimonium, hoc opere consummatum & ita in hoc sensu non fuisse B. V. verã vxorem, nec Ioseph verum maritum, quia hic & illa propriè videntur dici, quando re ipsa vacant ad filios gignendos, sed hæc interpretatio etsi sit pia, non tamen videtur omnino quadrare, & quod dicunt Patres *opinione, non reipsa, nomine, non conscientia,*
5 Ioseph maritum & virum Mariæ fuisse, sicut nomine non conscientia, opinione, non reipsa fuisse est omnino certum Patrem Christi, vt his verbis dicit Bernardus *hom. 2. cit. virum Mariæ nominat Euangelista Iosephum, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat, nec vir matris nec filij pater Ioseph extitit, quamuis vtrumque ad tempus & appellatus sit & putatus*, nec videtur esse efficax ratio cur cum scriptura, ita dicat Iosephum fuisse Patrem Christi sicut Virginem Iosephi coniugem paternitas Iosephi respectu Christi fuerit putatiua, & non coniugeitas
6 Virginis respectu Iosephi. Vnde † existimo non esse de fide, quod inter B.V. & S.Iosephum fuerit verum matrimonium ratum, cuius contrarium sensit aliis citatis Petrus Morales *in cap. 1. Matth. lib. 2. tract. 3. n. 8.* quamuis sit omnino improbabilis, & temerarium negare, inter B.V. & S.Iosephum verũ & perfectum matrimonium fuisse perfectione essentiali, quæ consistit in mutua coniunctione per vinculum prorsus insolubile, vt bene omnes fere scholastici, cum Magistro *in 4. dist. 37.*

7 Et quidem, quod quamuis Ioseph fuerit Pater Christi putatiuus, reipsa & non solum opinione vulgo fuisse virũ Mariæ, & S. Virginem non opinione simili, sed reipsa cõiugem Iosephi, cui desponsata fuit verbis de præsenti, his verbis, & docuit & probauit S. August. *lib. 5. contra Iulianum c. 12.* asserebat enim hæreticus, quod quasi maritus Ioseph in opinione omnium erat, secundum hanc opinionem, non secundum veritatem locutam fuisse scripturam, vt Virg. Mariam eius coniugem diceret, contra quẽ sic argumentatur S.D. *Hoc putemus Euangelistã facere potuisse, cum vel sua, vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret, vt secundum hominum opinionem loqueretur, nunquid & Angelus loquens vnus ad vnum contra conscientiam & suam, & eius cui loquebatur, secundum opinionem potius, quam secundum veritatem esset locuturus, qui ei dixit, noli timere accipere Mariam coniugem tuã? Deinde quid opus erat, vt vsque ad Ioseph generationes producerentur, si non ea veritate factum est, quia coniugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro* (*lib. 1. de nupt. & concup. c. 11.*) *cui respondes, cũ posuissem, tu prorsus attingere timuisti, dicit autem Euangelista de Domino, quod putabatur filius Ioseph, quia ita putabatur quod per eius concubitũ genitus crederetur. Hanc falsã voluit remouere opinionẽ, non Mariam illius viri negari coniugẽ contra Angelum testem, quamquam & tu ipse etiã ex dispensationis fide eã nomen coniugis accepisse fatearis. Quæ fides vtique inuiolata permansit. Neque enim cũ vidisset iam Virginẽ sacrã diuina fœcunditate donatã ipse aliã quæsiuit vxorem, cum vtique nec istam quæsisset si necessariam coniugẽ non haberet, sed vinculum fidei coniugalis non ideo iudicauit esse soluendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est.*

8 Hæc Aug. quibus in Iulianum profunde argumentatur ipsum cõuincens † B.V. fuisse non opinione, sed reipsa Iosephi coniugem, quod ostendit à priori ex cõmuni & vsitato loquendi more, tũ ex sacra Scriptura, tũ ex stylo populi Hebræorũ, in quo ob viri excellentiã supra vxorẽ genealogiæ ab illo exordiebantur, tũ argumento ad hominẽ ex cõcessis ab hæretico, quæ argumẽta ita cõuincunt difficilẽ intellectũ Catholicũ, vt iam de veritate ista (vt dixi) nullatenus in Ecclesia dubitari liceat, ita vt suspectus de fide mihi videatur, ille, qui negaret verũ matrimoniũ fuisse inter B.V.M. & S.Iosephũ; vnde Rup.
9 † *lib. 1. de gloria & hon. filij hom. c. 18.* tractans hoc punctũ, dixit, *ô coniugium verũ & sanctũ, coniugiũ cœleste, non terrenum! Quomodo enim vel in quo coniuges fuerunt? Nimirum in eo quod vnus spiritus, vna fides erat in eis, sola enim ibi desiit corruptio carnis*; quod multo ante docuerat August. *lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 13. omne* (*ait*) *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles fides, & sacramentum, prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum Christum, fidem quia nullum adulterium, sacramentum quia nullum diuortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit; &c.* quod optimè extricat sanctus Isidorus *lib. 7. ethymolog. cap. 7.* vbi tractat de coniugiis, *coniuges enim* (*ait*) *verius appellantur à prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus; sicut Mariæ Iosephi coniux vocatur, inter quos neque fuerat neque futura erat carnalis vlla commixtio.*

§. VIII.

Extricatur qualis matrimonialis ista B.V. cum S.Ioseph residentia compatiatur cum voto Virginitatis ante matrimonium emisso?

SVMMARIVM.

1. *An votum castitatis simplex etsi non dirimat matrimonium, non impediat.*
2. *Authoris mens affertur. & n. 17.*
3. *An Virginitas ante legem Euangelicam non fuerit in populo Dei opprobriosa. & num. 4. & 5.*
6. *Patrum sensus adducitur. & n. 7.*
8. *An si lege veteri non erat laudabilis virginitas, & Augustini sensus affertur. & n. 9. 10. 11. & 12.*
13. *An nullus ante legem Euangelicam obseruarit virginitatem ex motiuo honestatis suæ.*
14. *An ante Dominam nostram nulla fœminarum in veteri lege siue cum voto siue sine voto obseruarit virginitatem.*
15. *An Maria Moysis soror virginitatem coluerit.*
16. *An votum virginitatis emissum à Domina nostra fuerit absolutum. & n. 27.*
18. *Quandonam officiosissima fuerit propagatio filiorum.*
19. *An B. V. fuerit prima quæ fecerit votum Virginitatis.*
20. *An votum Virginitatis emissum à Domina prima fuerit conditionale.*
21. *Doctoris Angelici mens affertur. & n 22. 26. & 49. necnon Caiet. & n. 23.*
24. *Quid ex traditis veniat colligendum; & num. 26.*
28. *An etiamsi B. V. votum Virginitatis emiserit, nihilominus contraxerit matrimonium.*
29. *Abulensis opinio affertur. & num. 30. vsque ad 33. necnon Scoti. & n. 34.*
35. *An votum emissum B.V. de virginitate perpetua seruanda haberet conditionem imbibitam; nisi à parentibus suis reuocaretur. & num. 37.*
36. *Ad quem finem non esset prohibita Virginitas in lege veteri.*
38. *An B. V. votum virginitatis emiserit ante conceptionem verbi.*
39. *An Virgo antequam dispensaretur cum Ioseph emiserit vorum Virginitatis.*
40. *An virgo vouerit post desponsationem.*
41. *Legionensis sensus affertur.*
42. *An in instanti conceptionis supposito quod in illo fuerit ab originali peccato præseruata diuinitus, & in vtero existens Virginitatem vouerit B.V.*
43. *An B.V. in vtero habuerit plenissimum rationis vsum.*
44. *Authoris iudicium. & n. 47.*
45. *Variorum DD. sententiæ afferuntur, & n. 46. & 48.*
50. *Discrimen inter vsum liberi arbitrij infantibus concessi, & vsum loquendi, venit notandum.*

CErtissimum est inter Catholicos votum 1
castitatis simplex, etsi non dirimat matrimonnium at impedit, ita vt ille qui tali voto adstrictus est, licite matrimonium non contrahat, quamuis sit in opinione positum, an iste si habeat firmum propositum non consummandi matrimonium, sed vel transeundi intra bimestre ad religionem, vel quia scit alterum coniugem simile votum emississe, & sic caste esse victuros, solumque ineant matrimonium ad legitimandam prolem, ante habitam: an iste peccet contra votum, quia periculo ipsum frangendi se exponit, etsi enim hoc sit positum in opinione de qua alibi. Cæterum in præsenti, cum hæc motiua non videantur concurrere, cum matrimonium in veteri lege esset sub præcepto, quo vsque semen benedictum Abrahæ promissum adueniret, non videtur quod B. V. præhabito voto virginitatis potuit matrimonium, contrahere, vel si ipsum contraxit non videtur qualiter votum emiserit.

Ego cum communi antiquorum sententia *tom. 5. de vero Martyrio tract. 9. resol. 54.*
2 §. 4. & 5. duo dixi † efficaciter probaui. Primum, quod virginitas toto tempore quo durauit dispensatio diuina quod maritus posset in lege Moysi & naturali habere plures vxores fuit opprobriosa & implicite prohibita, Secundum; quod B. Virgo votum virginitatis emiserit non simpliciter, sed sub conditione si Deo placeret, vel nisi Deus aliter ordinauetit.

Contra hæc duo late insurgunt Gabriel Vasquez *tom. 2. in 3. p. disp. 124. cap. 2.* Alfonsus Mendoza *in quolib. quæst. 4. expositiua*, & plures ex recentioribus; qui duo ex diametro meis assertis opposita asserta inducunt. Primum, quod † virginitas ante legem Euã-
3 gelicam non fuit in populo Dei opprobriosa aut ignominia digna, quod probant ex multis Patribus an bene perpensis (nescio) ipsi viderint eos enim manifeste extricaui, regula assignata à D. Thom. *in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3.* agens de Laureola Virginibus debita postquam dixit quod in statu Innocentiæ non deberetur virginibus, concludit, *Sed mutata humanæ naturæ conditione virginitas specialem decorem habuit; & ideo speciale præmium ei redditur; etiam tempore*

legis Moysi, cum cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omnino laudabile à commixtione carnis abstinere, vnde nec tali proposito speciale præmium redderetur, nisi ex diuino processisset instinctu, vt creditur de Hieremia, & Helia, quorum coniugia non leguntur.

4 Ex quibus verbis liquida manet Patrum intelligentia quorum cateruam introducunt contrarij vt vel ipsa multitudine relata confundantur legentes; nullus enim Patrum est, qui expresse adfirmet quum multitudo vxorum libebat in Populo Dei, licuisse perpetuo à commixtione carnali ad multiplicandum populum Deum vero cultu colentem, abstinere; nisi id præstaret ex Dei speciali reuelatione, & speciali instinctu diuino (qui subesse falso nequit, vt egregie vterque Th. 5 2.2.*q.*171.*art.*5. Angel. *in corp. art.* & Cardin. §. *in eod. art.*) quo à præcepto nubendi agnoscebant esse absolutos, sicut de Hieremia, & Helia querum coniugia non leguntur & fuerint vitæ sanctitate eximij, prudenter iudicatur virginitatem coluisse ex Dei speciali instinctu, & idem iudicium esto de aliis quos refert Hieronymus *l.*1. & 2. *contra Iouinianum*, & multos etiam retulit S. Ignatius *epist. ad Philadelphos ante medium* & alios Damascenus *lib.*4. *de fide cap.*25.

6 Itaque † horum Patrum intentum fuit docere in natura corrupta post Adami peccatum, quod omnes infecit nos, virginitas secundum se (quæ det specialem excellentiam super omnes alios continentiæ gradus) est perfectior matrimonio, purior ab omni contagione, & fœditate concupiscentiæ, & libidinis; à qua vix liberatur matrimonium consummatum, hoc clare constabit legenti Damascenum *cap.*25. *cit.* vbi post multa concludit. *Ex quo fit vt quanto Angelus hominem antecellit, tanto virginitas quoque matrimonio præstet.* Idem sensit Hieronymus *vbi supra, cõtra Iouinianum*, qui asserebat nuptias æquales esse apud Deum gradus & præmij sicut est virginitas; consentit Ignatius, quibus consentit Iodocus Clitoueus *cap.*25. *cit.* Damasceni, hoc autem asserere est hæreticum; quod Patres intendunt euertere, non tamen 7 dicunt; quod tempore legis in quo erat licita vxorum multiplicitas ad multiplicandum Dei populum eiusque cultum verum augendum, laudabilis esset virginitas, tam in viris quam in fœminis; non enim semper, quod est secundum se melius est magis laudabile; imo in aliquibus circunstantiis potest esse hoc vituperabile, & in ipso dignum opprobrio quis dubitat, quod secũdum se status religiosus est perfectior, quam matrimonium, & tamen si Rex potens habere successorem regni, sine quo magna sequentur inconuenientia in Ecclesiastica pace non nubat, sed religionem profiteatur non erit illi hoc laudabile, nisi id faciat ex speciali diuino instinctu, sicut aliqui fecerunt, vnde Pontifex potest illi præcipere ne statum religiosum accipiat, sed quod matrimonium contrahat, vt regno det successorem, & vitentur inconuenientia, quæ timentur.

Hinc est quod † in lege veteri non erat 8 laudabilis, imo ignominiosa virginitas, imo erat necessarium nubere ad filios procreandos, vt expressè Aug *l.*1. *de nupt. & concupisc. cap.*13. sed audi doctissimum Tostatum *q.*12. *ad cap.*30. *Numerorum. Ipsi qui erant viri multum perfecti desiderabant filios, & qui non habebant eos, erant tanquam ignominiosi inter* 9 *cæteros, & fœminæ steriles in magno opprobrio, sicut patet genes.*30. *cap. Rachel cernens quod esset infœcunda ait marito suo da mihi liberos alioquin moriar, cum vero postea peperit dixit, abstulit Dominus opprobrium meum, quasi antea hoc fuisset in opprobrium, & sic fuit postea communiter in veteri testamento, nam quando Iepte Galadites vouit quod immolaret primum, quod occurreret de domo sua, & occurrente filia dixit ei, quod occideret eam; at filia hoc solum mihi præsta quod deprecor, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis, cumque abiisset cum sociis & sodalibus suis flebat virginitatem suã in montibus; flere autem virginitatem est, quod fleuit quia moriebatur in virginitate non genita prole, si tamẽ apud Iudæos obseruatio virginitatis fuisset aliquid laudabile non plorasset ista, sed magis gauderet, quia moriebatur in virginitate. Dicendum tamen est quod quamquam verissima esset virginitatis obseruatio in veteri testamento, non erat illicitum votum virginitatis. In mulieribus tamen in veteri testamento non reperitur obseruatio virginitatis cum voto aut sine voto, sed omnes accipiebant viros: Domina autem nostra fuit prima quæ virginitatem obseruauit & vouit, & Ecclesia cantat de ea.*

Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo. 10 *idest ante te non fuit aliqua quæ daret tibi exẽplum virginitatis, sed tamen fuisti prima in hoc voto, de viris autem magis reperitur nam quamquam non habeatur expressum votum de virginitate, patet autem quod aliqui obseruauerunt eam, vt fuerunt Hieremias, vt ait S. Hierony. in prolog. ad illum & B. Ioann. Baptista.* Hactenus ibi Abulensis.

Sed ipsemet Illustrissimus *q.* 33. loquens 11 de proposita difficultate *in titulo.* §. sic fatur. *Dicendum est quod Ioseph proposuit obseruare continentiam, quia Deus inclinabat eum ad hoc, nesciebat tamen ad quem finem cum Deus vtatur hominibus tanquam instrumentis, ipsis nescientibus interdum quid Deus per eos velit operari, sic enim fecit in B. V. nam ipsa à principio virginitatem vouit, & hoc manifestum est, quod fuit, quia Deus specialiter inclinauit eam ad*

ad faciendum hoc propter dignitatem Saluatoris inde nascituri, nam nulla fœmina ante hoc 12 *virginitatem vouerat inter Iudæos, aut obseruare legitur conformiter; ergo de Ioseph dicendum est, quod Deus inclinauit eum ad votum cõtinentiæ perpetuæ, & hoc solum erat ad custodiã matris suæ, ex quo infertur, quod Domina nostra firmiter credebat, quod nunquam carnaliter cognoscenda esset, sicut enim Deus inclinauerat eam ad vouendam virginitatem, ita & inclinabat ad hoc suspicandum, ideo quamquam traderetur viro, semper tamen credebat, quod aliter disponeret de ipsa, & sic vtrumque scilicet votum & matrimonium manebat sine præiudicio.*

Ex quibus constat benè me dixisse, *vbi supra* §.4. *vers. hoc inquam* & §.5. *vers. quod* 13 *ostendo* † nullum ante legem euangelicam obseruasse virginitatem ex motiuo honestatis suæ, sine specialis Dei instinctu, & inclinatione interiori ad illã, neque enim Elias, Elisæus, Hieremias, Ioãnes Baptista & alij de quibus Patres citari perfectius obseruarunt, etsi vis vouere castitatem & virginitatem, quam Domina nostra & Sanctus eius sponsus Ioseph, atqui isti etiam satis multiplicato populo Israëlitico non vouerunt virginitatem sine speciali Dei instinctu, & inclinatione quã certo sibi persuadebant non obligari ad filios procreandos, per commixtionem carnalem, vt egregiè Abulensis, & sẽsus omnium ferè Patrum, & videtur colligi manifeste ex eo quod virginitas erat illi genti ignominiosa & magnum opprobrium in lege veteri, apud cordatos & prudentes, ergo ideo quia erat prohibita, & erat maledictus in lege Moysi homo, qui non reliquerit semen in Israël. Quicumque igitur sub lege Moysi, tunc viuens si volebat contemplationi vacare rerum diuinarum & à commixtione carnali ad filios procreandos vacare, liberisque, careret solicitudinibus erga illos & vxores, tenebatur specialem hunc instinctum expectare & sine illo licitè nequibat à matrimonio ad multiplicandum populum tunc præcepto; abstinere in lege tamen euangelica in qua Religiosi solemniter professi, qui nequeunt matrimonium contrahere, ex vi voti castitatis nequeunt illud contrahere dicentes se habere instinctum diuinum ad hoc, quia cum sit ad libidinem explendam non diuinus, sed diabolicus est censendus & iudicandus.

Sed cur dicat & benè Abulensis; quod † ante Dominam nostram nulla fœminarũ 14 in veteri lege, siue cum voto, siue sine voto obseruauit virginitatem, sed omnes accipiebant viros, quod secus est de viris, quorũ multos ex Patribus nominauimus, siue voto, siue sine voto (quod incertum est) Respondetur primò, quia hoc erat reseruatum Virgini Matri Dei, quæ vt mihi est indubitatum, nulla ante ipsam virginitatem seruauit in lege veteri ex motiuo honestatis huius virtutis. Respondetur secundò, quia non ita necessarij erant viri multi, ad multiplicandum populum Dei, sicut erant multæ mulieres, quia fuit dispensatum, quod vnus vir multas haberet vxores in quibus plures conciperet filios, & tamen non fuit dispensatum, quod vna mulier plures haberet viros, quia impediretur multiplicatio, quare stante hac dispensatione Deus inspirabat viris aliquibus, vt abstinerent à concubitu carnali, non tamen fœminis vsque ad B. Virginem, & eius sponsum S. Iosephum, id autem quod quidam dicunt † Mariam soro- 15 rem Moysi virginitatem coluisse falsum est, constat enim ex Iosepho *lib.*3. *antiquitatum cap.*2. vbi Mariæ huic Vronem maritum designat, qui simul cum Aaron manus Moysi Dominum deprecantis indefinenter sustinebant, dum alij pugnabant contra Amalecitas: Iosepho autem maior fides est adhibenda, quam aliis.

Secundum, quod dicunt Vasquez & Mẽdoza quos sequitur Legionens. *lib.*1. *de matr. cap.*19. *num.*8. † votum virginitatis emissum 16 à Domina nostra fuisse absolutum non cõditionale non statim obligaret, sed posita conditione antequam, manet voti obligatio suspensa, at votum B. V. statim cœpit obligare, quia de re licita & honesta etiam tunc temporis, sed Magister sententiarum *dist.*30. *cap.*2. D. Th. *ibi q.*2. *art.*1. *quæstiunc.*2. *ad* 1. & 2. adfirmant votum B. V. fuisse conditionale, quod etiam tenet Gratianus *cap. Beata Maria* 17 *quæst.*2. quod caput, vt docent Correctores decreti compactum est ex variis locis S. August. & Petrus Lombardus vti S. Doctoris sententiam, eam docet.

Ego vero dico quod † fuit hoc votum & 17 absolutum, & conditionale, vtrumque hoc modo explico. Fuit absolutum & statim obligauit B. Virginem ad illius obseruantiã quatenus erat de re licita & secundum se honesta; quamuis, vt ait Aug. *lib.*1. *de nuptiis & concup. cap.*13. *Propagatio filiorum, quæ in sanctis Patribus propter generandum & conseruandum populum Dei officiosissima fuit, nunc iam non habet illam necessitatem, patet enim ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum; vndecumque carnaliter nati fuerint copia filiorum; & quod scriptum est tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu; per illud atque hoc tempus fuisse distributum, illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ad amplexu.* Ex quibus Aug. verbis clare constat, quod quamuis virginitas secundum se honesta sit, & licita, tamen in populo Hebræorum inhibita erat, quia † propagatio filiorum *tunc officiosissima erat* & necessaria ex vi legis, vt populus Dei & generaretur, & conseruaretur

tur, vnde erat tempus amplectendi,& sic vt virginitas amplecteretur,vel cum voto, vel sine voto fuit necessarius specialis instinctus diuinus,quo quis certo sciret se liberum esse à lege de propagatione, quem instinctum B. V. habuisse ex dictis constat,ex vi cuius fecit votum virginitatis,quamuis non esset certa de fine ad quem Deus ordinabat, quod ipsa vouerit virginitatem, quousque salutata fuit ab Angelo, tunc enim reuelatum est illi mysterium Incarnationis,& certificata,quod à viro non esset cognoscenda, imo vt ait D. Tho. *in sol.ad 2. B. V. antequam contraheret cum Iosepho fuit certificata diuinitus, quod Ioseph in simili proposito erat,& ideo non se commisit periculo nubens.* Ex quibus liquido constat, quod votum factum à B. V. fuit absolutum, obligationem inducens independenter ab aliqua conditione à virgine posita, eo ipso quod ablatum est diuina dispensatione impedimentum legis de vacando filiorum procreationi.

Et in hoc sensu intelligẽdi sũt PP.absolutè
19 docentes † B.V. & fecisse votum virginitatis & fuisse primam, quæ illud fecit. Ambr. *lib.de instit.virg.c.*5.Hier. *epist.* 22. *quæ est* 2. *ad Eustoc.* Abdias Babyl. *in vita B.Barth.*(qui etsi Apocryphus ab aliquibus censeatur; ita est, quatenus non est Canonicus liber,at veram Historiam continet, vt enim benè Franciscus de Biuar *in commẽtariis ad Marcum Maximum in Apologetico pro Flauio Dextro* §.2.non omnis liber qui Apocryphus dicitur *cap.sancta Romana* 15. *dist.* authoritate caret,&omnes qui Apocryphi sunt,nõ gaudent authoritate infallibili, id quod etiam adnotauit antea doctissimus Couarr.*in adnotationibus ad præfatum cap.sancta Romana*, quod debuit aduertere doctus Apologista pro historia Eliæ) Bernardus *homil.* 2. *super missus est.* Rupertus *lib.*3.*in Cantica aliquantulum ante finem.* Beda *ad cap.*2.*Lucæ.* Lodulphus Carthusianus 1.*p. vitæ Christi cap.* 2: Origenes *in cap.*13.*Matth.*& alij.

Secunda nostræ sententiæ pars est, quod
20 † votum virginitatis emissum à Domina nostra fuit conditionale, quod latè probaui *tom.*5.*resol.*54.§.4. conditionem tamen dupliciter explicuit D. Tho. primo modo, *si Deo placuerit*, secundo modo;*nisi Deus aliter ordinauerit,aut iusserit*, quæ conditiones votum faciunt conditionale non respectu vouentis, vt falso intelligunt Legionensis & Vasquez, vtique ex parte vouentis Virginis absolutum fuit, vt probauimus,nõ enim B.V. posuit hanc conditionem tanquam suspensiuam ex parte sua voti obligationem. Iam enim sibi constabat & certificata erat, quod Deo placebat votum & quod ordinabat, quod emitteretur, siquidem ex diuino instinctu agnoscebat Virgo se dispensatam esse à communi lege de propagando populo Dei eoque cõseruando libere à procreatione per carnalem copulã, fuit itaque hoc altissimum & singulare votum conditionale,quia non firmum absolutè & simpliciter, quia simplex eius conseruatio pendet à voluntate Dei Legislatoris legis veteris, qui potuit illud irritare,vt sibi placuerit,sed antequam irritet votum obligat,& absolutum est,etsi non omnino firmum.

Quæ doctrina, vt intelligatur notanda 21
est alia D.Tho.2.2.*quæst.*88. *art.*8. *ad* 4. vbi ait, *quod licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum quibus subiiciuntur, non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio scilicet, si suis superioribus placuerit, vel non renitantur, & art.*9.*ad* 2.ait,*quod vota eorum, qui sunt in potestate aliorum habent* 22
conditionem,implicitam, scilicet si non reuocentur à superiore ex qua licita redduntur & valida, si conditio extat, vt dictum est art. 8. *in corp.* tamen dicit, *quod potest quantum in ipso est se obligare,sed votum eius potest irritari per eos quorum curæ manet subiectus*,quam doctrinam manifestat in votis religiosorum, quæ valida sunt & obligant quousque reuocentur à superiore; quam conditionem ex vi subiectionis suæ habent implicitam; quæ non suspendit obligationem voti, sed ipsam facit infirmam, quia eo ipso quod superiori non placet,aut iste renititur votum euanescit,tamen si non renitatur eius obligatio exerit vires suas; & ligat vouentem quousque reuocetur à superiore, cui est subiectus vouens.

Secundo notanda est profunda doctrina 23
Caiet.*art.*8.*cit.* §. *in responsione ad tertium &* §.*ad primum,qui loquens de voto Religiosorum*, vbi dicit,*cum omne votum habeat pro materia operationes ipsius religiosi,constans est, vt religiosus non sit Dominus materiæ voto promittendæ,operationes autem religiosi, quoad duo possunt subiici prælato. Primo quoad exercitationem; quia scilicet Prælatus potest illas, vel earum omissiones præcipere exequendas à subdito, vt sunt ire ad chorum, seruire infirmis, secundo quoad qualitatem operationis,quia scilicet prælatus potest de operatione illicita facere licitam dispensando, vt comedere bis feria sexta, loqui tempore silentij, quæ sunt operationes secundum regulam illicitæ,quas tamen secundum regulam potest, quum ei videbitur prælatus dispensando facere licitas huic suo subdito*, & infra *opera illicita ex regula, quæ prælatus potest facere licita suo subdito dispensando, constat, quod subsunt prælato quoad qualitatem, quia potest secundum regulam de illicitis facere licita, &c.* ex quibus egregiè enucleat D.S. doctrinam *ibi in solutione ad tertium*, qui ex eo dicit, quod nullum votum religiosi est firmum, nisi

nisi consensu prælati, quia religiosus subditus est prælato quantum ad suas operationes secundum professionem regulæ; consensus autem iste non est nisi quod non renitatur quum sciat votum; vel quod ipsum non reuocet aut irritet,quare ex natura subiectionis ad alium sequitur,quod votum factum à subdito habeat hanc conditionem implicitam quousque Superior non reuocat votum tenet, imo etiamsi dispensatione materia voti quæ alias illicita ob humanam prohibitionem, est facta licita semper est imbibita conditio, si superior perseuerauerit in dispensatione.

Ex quibus solidissimis principiis, & doctrinis plura non iniocunda colligere licebit.
24 Primum, quod † Beatæ Virginis votum de virginitate seruanda perpetuo, cum tunc temporis fuit emissum fuit materia voti tũc licita non omni populo, sed virgini præordinatæ à Deo vt esset virgo,& mater ipsius, quia Deus cum ipsa in hoc præcepto legis vt vacaret amplexibus,ad populũ Dei multiplicandum speciali instinctu dispensauit. Vnde votum fuit de re licita B.Virgini,quãuis esset illicita, quia prohibita lege veteri, & secundum illam legem prohibita in qua dispensauit Dominæ Nostræ Deus vt legislator illius.

25 Secundum, quod votum B.V.fuit absolutum, quia B. V. non posuit aliquam conditionem ex parte sua, quæ suspenderet vires voti ad obligandum, fuit tamen in illo voto implicita conditio, si Deo placuerit, si non renitatur, si non reuocetur à suo superiore scilicet Deo, & ratione illius conditionis imbibitæ conditionale dicitur, quia quãuis quantum ad fieri nulla sit posita à vouẽte conditio, tamen quantum ad conseruari dependet à voluntate Superioris cui subdita erat Beatæ Virginis scilicet Deo; vt supra dicebamus de subdito religioso ex
26 D.Thom.& D. Caiet. Hoc explico exemplo Propheriæ,quæ dicitur comminationis; & vt ait D. Thom. 2. 2.*quæst.*174.*art.*1. & *quæst.*12. *de verit. art.*10. respicit veritatem Propheticã secundum ordinem; & inclinationem causarum secundarum, quæ prophetica cognitio absoluta est,vt respicit causas secundas, at vt respicit authorem prophetiæ scilicet Deum non est absoluta, sed conditionalis, scilicet si alia non superueniant quæ ordinem illum immutent & impediant;ne executioni mandetur; vt explicat S.D. *quæst.*171.*art. vlt. ad* 2. Vnde semper intelligitur conditio,nisi Deus aliter disposuerit ordinem causarum secundarum ad suos effectus.

27 Ita pariter philosophandum est de voto B.V. quod secundum quod à Virgine emissum, est vtique absolutum; est enim lex quædam quam sibi B.V.imposuit de seruanda perpetua virginitate, quæ lex ipsam obligabat vt respicit causam secundam vouentẽ,tamẽ cum hæc lex sit lata à persona subdita alteri, semper habet imbibitam conditionem, nisi Superior *aliter disposuerit*, vel si Superiori *placuerit*, & ob hanc conditionem dicitur votum virginis conditionale idest non omnino firmum, sicut dicitur votum factum à Religioso professo. Itaque dicitur conditionale non ex parte vouentis, qui quantum est ex parte sua nullam conditionem suspensiuam obligationis posuit, sed dicitur conditionale ex natura ipsius voti, quod ex vi subordinationis vouentis ad aliũ hanc sibi vendicat essentialem conditionẽ, vnde qui vouit implicite necessario hanc vult conditionem, nec voluntarie illam apponit, imo si apponeret nihil amplius operaretur nec faceret votũ conditionale quod suspenderet eius obligationem, nisi ex speciali motiuo voueret apponendo, quod superior expresse consentiat voto suo, tunc enim votum non obligaret nisi posito expresso consensu superioris, & esset votum conditionale ex parte vouentis, quale non fuit votum B. V. & sui sponsi Iosephi, sed supposita dispensatione legis de propagando populum per commixtionem, votum fuit absolutum ex parte ipsorum, & conditionale ex parte subiectionis ad alium:quam doctrinam valde commendo, quam noluit Vasquez attendere.

Tertium, quo respondetur titulo difficultatis colligitur ex D.Thom. *in* 4.*dist.*30.*q.*2. *art.* 1.*quæstiunc* 1.*ad* 1. & 2. qualiter † etiam 28
si B. V. votum virginitatis emiserit, nihilominus licite contraxit matrimonium. Quia scilicet non fuit solemne;sed simplex *in corde expressum non absolutum*, sed sub conditione, & ideo potuit sine peccato ex speciali Spiritus sancti cõsilio; cuius dispositio in suo voto conditionaliter cadebat in matrimonium consentire, quia B. V. antequam contraheret, cum Iosepho fuit certificata diuinitus, quod Ioseph.in simili proposito erat; & ideo non se commisit periculo nubens.

Quam doctrinam sic mirifice enucleat Doctissimus Abulensis *vbi supra* † *quæst.* 32. 29
sic loquens; *Modus voti & matrimonij B. V. sic fuit quod ipsa à parua ætate cum peruenit ad annos discretionis à Deo multum illuminata voluit virginitatem obseruare, & tunc nihil suspicabatur de contrahendo matrimonium,sed voluit quia Deus inclinabat eam ad vouendum,expediebat enim quod in Genetrice Dei esset perfectio voti virginatis quæ est valde magna cum secundum Anselmum in virgine debuit esse tanta perfectio, vt maior ea sub Deo reperiri non posset. Non tamen est intelligendum quod tum B. V. cognosceret mysterium incarnationis quod in*

in ea celebrandum erat, nam postquam desponsata fuit, & votum virginitatis emisit, reuelatum est ei hoc, vt patet Luc.cap.1. imo quando Angelus reuelauit, ei quod esset conceptura quasi arbitrans hoc repugnare voto virginitatis ait, quomodo fiet istud quoniam virum non agnosco?

30 Et infrà *tale fuit votum virginis* (scilicet simplex.) *Poterat enim simpliciter emitti, ita vt Domina nostra voueret, quod nequaquam vnquam cognosceret virum, & in tali voto emisso si aliquis matrimonium contrahat tenet matrimonium, sed peccat contrahendo, Domina autem nostra non peccauit contrahendo, ideo votum suum non fuit absolutè de seruanda Virgi-*

31 *nitate scilicet, quod voueret nunquam cognoscere virum, sed fuit cum conditione scilicet nisi Deus aliter de ea disponere vellet, & tunc stat matrimonium, & votum de Virginitate, quia si esset votum absolutè peccaret contrahendo, & quia Deus postea de ipsa ordinauit aliter scilicet significando, quod acciperet, non facit contra votum Virginitatis.*

32 *Item non erat istud votum contra matrimonium, neque è contrario; quia quum Domina nostra accepit Ioseph in virum, non consensit expressè in copulam carnalem, ita vt proponeret debitum exigere, & reddere, & hoc, quia intelligebat, quod Deus de ea aliter ordinarat, & nunquam à viro cognoscenda esset, pro qua dicit S.Thom. in 4.dist.30, quod Domina nostra prius certificata fuit de conditione Ioseph, quam acciperet eum in virum scilicet, quod sicut ipsa vouerat virginitatem. Ita quæsuit ab ipso, an ipse vellet in proposito virginitatis, vel saltem in continentia perpetua, & tunc accepit eum in virum cognito, quod etiam Ioseph hoc vellet, si autem noluisset manere in continentia non consensisset in eum tanquam virum, quod aliqualiter colligitur ex verbis eius ad Angelum Luc.c.1. Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?*

33 *idest proposui non cognoscere, & tamen iam acceperat sponsum, nam ibidem dicitur, quod missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro: quæ tamen desponsata est intendit cognosci à viro, siue exigendo, siue reddendo debitum, ipsa tamen intelligebat, quod nunquam cognoscēda erat, ergo iam certificata erat à viro, quod ipse vellet manere in continentia perpetua, & hoc modo apparet, quod Domina nostra non se subiecit alicui periculo virginitatis, quod timeri deberet nisi certificata esset de viro.* Hactenus ibi satis cordatè & prudenter ad nodũ hunc extricandum. Neque enim in his mysteriis enodandis discursus extendendus ad possibilitatem, quæ amplissima est, sed prudentiæ dictamine coercendus & reprimendus, vnde Doct. subtilis Scotus *in 4.dist.30.*

34 *q.3.* dixit † *credendum est, quod sicut Deus locutus per Angelum Iosepho in somnis dicens illi, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Ita etiam dixisse creditur B.V. noli timere accipere Iosephum coniugem tuum, & propterea nubere potuerunt sine peccato, & detrimento communis voti virginitatis, &c.*

Quartum est decisio cuiusdam difficul- 35
tatis, quam apud nullum præpositam nedum decisam vidi † an votum emissum B. V. de virginitate perpetua seruanda haberet conditionem imbibtam nisi à parentibus suis reuocaretur & irritaretur, antequam annos pubertatis impleret, vel postea si ipsum non renouarit transacta pubertate. Abulensis *vbi supra quæst.22.* difficultatem tractat de puella Hebræa in veteri lege si virginitatem voueret, cui quæstioni sic respondet. *In veteri testamento nullum votum erat validum in filiis patre cōtradicente, dum essent in illius potestate, ideo distinguendum est quod cum puellæ sic emitterent votum virginitatis, aut pater sciebat aut non, si autem nescirent tenebantur puellæ semper obseruare votum quo vsque Patres scirent, & repugnarent, etsi contrairent habebantur tanquam violatrices votorum, si autem pater cognouisset votum, aut repugnabat, aut non, si non repugnabat, tenebatur puella obseruare votum, & erat iam simpliciter validum, nec poterat pater postea contraire, si autem pater sciens repugnasset non obligabatur puella ad votum, sed iam cuicunque licite nuberet. Poterat tamen puella obseruare votum si vellet, quia quamquam non obligaretur ex voto ad hanc obseruationem, quia tamen pater non poterat eam inuitam matrimonio copulare obseruaret virginitatem, semper enim matrimonia libera fuerunt, & hoc modo indirectè puella poterat, vouere virginitatem non frangendo votum, quia licet pater posset votum eius infringere non tamen poterat impedire obseruationem vel impellere ad contrarium actum.* Hæc Abulensis.

Sed enim vero doctrina ista Abulensis 36
supponit, quod † in lege veteri non esset prohibita virginitas ad finem multiplicandi populum Dei ob quem etiam dispensatum est in præcepto naturali de monogamia, & concessa polygamia, quamuis illa honestior & sanctior sit, & sic etsi virginitas excellentior sit quam matrimonium, tamen illa prohibita, istud præceptum fuit ob præfatum finem, non ergo virginitas sine speciali instinctu diuino, quo dispensabatur implicite in lege, licita erat, & sic communiter non erat materia voti, sicut est in lege Euangelica, in qua etiam polygamia est prohibita.

Verum etiamsi demus quod licitum esset, cuilibet vouere virginitatem perpetuã, vt vult Baronius *in apparatu*, & alij huius temporis scriptores (an cum D.Aug. & aliis innumeris ex antiquis ipsi viderint) dato inquam hoc, & à me nunquam concedendo,

do, doctrina Abulensis aliqua continet parum veritati conformia. Primum, quia quãuis pater sciret votum puellæ, & non contradiceret pro tunc, imo etiamsi positiue consentiret, & licentiam daret vouendi, adhuc ante transactam pubertatem poterat votum irritare, quia per licentiam non abiecit patriam potestatem, & ita in vi illius valida erit irritatio, sicut si Religiosus fecerit votum cum licentia Superioris, iste tamen decursu temporis potest illud irritare, vt tenet communis sententia. Secundum, quia patre contradicente, & irritante votum, puella etsi posit virgo permanere quia ipsa nollet matrimonium contrahere, tamen nec indirectè tunc voueret virginitatem cum si nuberet non esset rea voti, alias omnes qui virginitatem ex voluntate libera obseruant, eam indirectè vouerent.

37 Igitur ad difficultatem dico † quod votum virginitatis emissum à Domina nostra ex natura rei, quando illud emisit, habebat conditionem, nisi à parentibus irritaretur, quia illi, qui alteri subsunt semper quod vouent habent implicitam conditionem nisi à Superiore reuocetur votum. Pater autem Virginis, ex patria potestate habebat ius, ad quodlibet votum reuocandum, sicut in lege Euangelica potest pater reuocare simile votum aut Religionis à filiis impuberibus emissum, non enim constat, quod hoc ius fuerit ablatum à patre Virginis, quæ quamuis plenissimum habuerit rationis vsum, & votum factum fuerit ex instinctu diuino, semper fuit subiecta patriæ potestati, & sic respectu illius nunquam fuit firmum votũ, nisi accedente patris consensu, vt docet D. Th. 2.2. *q.88.art.8. ad* 3. verum est quod de facto nunquam pater eius illud irritaret, imo si illi constaret factum ex diuino instinctu, nequiret illud irritare; quia se opponeret diuinæ voluntati sic disponenti ob altissimum finem.

Quintum est decisio illius alterius dubij, quando B. Virgo hoc altissimum votum emiserit; de hac difficultate conuenit inter au-
38 ctores, quod † emiserit ante conceptionem verbi, quia ad Virginem desponsatam viro mittitur Angelus, & optime probant patres ex illis verbis ad Angelum. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Ita Aug. *lib. de Sancta Virg.cap.4.* Nissenus *orat. de Christi Natiui.* & late ostendunt Baronius *tom.1.annal.pag.mihi.19. litt.D.* Stapletonius *in promptuario super Euang.2. p.ser.de Ann.* vbi adducit Bernardum *serm.de septem verbis Mariæ & hom.4. super missus est.* D.Thom. *3.p. q.28. art.4.ad 1.*

39 Certum etiam est quod B. Virgo antequam desponsaretur cum Ioseph emisit votum virginitatis, hoc est ita certum vt contrarium plane sit improbabile, & temerarium, vtpote in re grauissima contra omnes fere. Ita Aug. & Nissenus *vbi supra* D. Hieron. *in lib.de ortu B.V.* Bernard. *homil.4. super missus est.* Anselmus *lib. de excellent. Virg.* Beda *ad c.1.Luc.* Albertus Magnus *l.de laudibus V.* Rupertus *lib.3.in cant.* Hugo Victorin. *vbi supra* Scotus *in 4.dist.30.q.2.* & multi alij quos referunt & citant Christophorus de Castro *in Histor.Deip.cap.3.* Suarez *tom.2.disp.6.sect.2.* Salmeron *tom.3.tract.7.ad cap.1.Lucæ.*

Vnde Abulensis *vbi sup. q.34.* inquirit, an
teneri possit quod † virgo vouerit post de- 40
sponsationem. *Respondet quod non conuenienter dicitur Dominam nostram vouisse virginitatem post desponsationem, quia tunc necesse erat dici, quod aliquo tempore illam habuisse intentionem experiendi actum venereum siue exigendo, siue reddendo debitum, quia illa quæ matrimonium contrahit si non habet aliquod impedimentum intendit vacare actui coniugali, sed hoc non est concedendum de Virgine, nam licet non esset peccatum quod ipsa à principio accepisset virum ad gignendum, quia non erat contra legem erat tamen imperfectio quædam cum status virginitatis sit perfectior. De Domina nostra non solum peccata, sed etiam imperfectiones aliquas in moralibus nefas. Dicendum igitur quod Domina Nostra ante desponsationem virginitatem vouerit.* hæc ibi, quæ iuncta his, quæ in superioribus diximus rem manifeste ostendunt, & legendus est Legionensis *lib.1.cap.19.n.5.*
qui *n.7.* dicit † *quo autem tempore virginitatem* 41
vouerit B. Virgo incertum est, illud mihi verosimilius vouisse scilicet quando matura de eo præcessit cogitatio, dumque adhuc in templo degeret Deo inspirante vt cum statum eligeret, suumque votum postea parte fecisse Sacerdotibus, de quo videndus est Baronius in apparatu annalium. Hæc ille, an vero S. Ioseph virginitatem vouerit ante desponsationem cum B.V. adfirmat Morales *l.2.tr.6. à n.13.* sed certius est, quod post despõsationem. Ita Albert Magn. *super missus est cap.38.* & S. Bernardin. Senen. *sermon.de S.Ioseph. cap.1.* Abulens. *ad cap.1. Matth.q.30.* D.Th. *3 p.q.28.art.4.ad* 3. Canisius *l.2. de B.V.c.13.* vbi alios refert.

Superest ergo dubium † an in instanti 42
conceptionis, supposito quod in illo fuerit ab originali peccato præseruata diuinitus, & in vtero matris existens, virginitatem vouerit, voto explicito adfirmat Moral. *vbi sup. n.12.* & probabile reputat Barrad. *to.2.in Euãg. l.6.c.3.* idem potest elici ex sententia quorũdam asserentiũ B. Virginẽ in instanti suæ cõceptionis diuinã vidisse essentiã clare, & intuitiue nõ secus, ac Moyses in mõte, & Paul. in raptu, in quo vidit arcana verba & mysteria occulta aliis viatoribus, & ecce plusquam Paulus, & Moyses B. Virginem cui reuelatam fuisse in primo instanti in

quo vidit diuinam essentiam, quam excellēs fuerit virginitas,& quam acceptum votum de illa Deo, quare cū in primo instanti habuerit rationis vsum, Dei Maiestatē,pulchritudinē & puritatem contēplans,flagrās ardentissimo amore tantæ bonitatis,& puritatis, eum sibi vnicum elegit sponsū perpetuæque virginitatis votum nuncupauit.

Et adminus,quod in vtero existens Virgo statim, ac sanctificata est votum emiserit perpetuæ virginitatis,docent grauissimi viri,quorum sentētiam refert & approbat Iacobus de Valētia Episcopus Christopolitanus *ad illa verba Canticī B.V. Fecit mihi magna qui potens est*, explicans tertiam dignitatem B. V. sic enim loquitur, *dicunt quidam viri contemplatiui, quod Virgo Maria in sua prima sanctificatione consecuta est hanc gratiam simul cum cæteris,& illico incepit vti libero arbitrio, & mereri,& hoc primo probant per rationē iam dictam, quia debuit excedere Ioannem Baptistam, & omnes alios in tali gratia. Secundo per nullum tempus debuit cessare ab actu merendi in vigilia. Et ideo dicunt isti quod Virgo Maria illico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginitatis, quod postea per successionem temporis ostendit, cum autem iuxta opinionem primam fuerit sancta in primo instanti conceptionis,in illo habuit plenum rationis vsum.*

43 Et quidem, quod † in vtero habuerit plenissimum rationis vsum testatur S. Bernardinus Senensis *tom. 1. serm. 61. artic. 3. cap.7.& tom 2.serm.51.cap.2.* his verbis, *Virgo etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij, & lumen perfectum in intellectu, & ratione,& ad tantam contemplationem sublimata est, vt etiam in vtero matris perfectius quam vnquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate, magisque in contemplatione Dei excessit dormiendo, quam aliquis alius vigilando, sicut ipsa Cant.5.versic....testatur,ego dormio & cor meum vigilat.* Idem sentit Dionys. Carthus. *de laudibus Virg. art. 12.* & Iacobus de Valentia *vbi supra*, sic arguit, *si Ioannes in vtero matris existens Christum cognouit, & exultauit vsu rationis miraculosè præuentus, cur non amantissima Dei mater,quæ à nullo illustrium vincitur, imo superat vniuersos, credatur ante solitum tempus vsu rationis frequenter præuenta,&c.*

Quæstio ista cum sit purè de facto,quum scilicet B. V. votum fecit virginitatis nihilque de tempore in quo præcisè factū fuerit Patres dicāt,aut ex sacra pagina colligatur, neque enim quis prudenter iudicare debet, quod in vtero existens quū sanctificata fuit siue in primo suæ conceptionis instanti, vt vult communis hodierna pia opinio,siue in secundo instanti,vt vult opinio D.Th. quæ suo tempore fuit communis, etiam emiserit virginitatis votum,& quid hæc asserere nos cogit? neque enim omne quod secūdum se melius est Virgini tribuendum, in omni instanti vsus rationis,alias votum non peccandi,in primo instanti fecisset,& multa alia tunc fecisset, quæ affirmare non dictat prudentia, etsi deuotio excitet, hæc enim temperanda est discretione.

Quare † existimo B.V.tunc emisisse votum perpetuæ virginitatis, quando matura de eo præcessit cogitatio,& consultatio,dum adhuc in templo degeret Deo inspirante, vt eum statum eligeret, quod reuelauit Angelus B.Amadæo Seraphico *in rapto.4.* qui habetur *in Biblioth. Mariana tom.1.pagin.mihi 679.colum.1.* adstipulatur Baronius *tom.1. annal.in Apparatu pag. mihi 30.* asserēs B. V. parentibus scientibus & consentiētibus votum virginitatis nuncupasse, quare non in vtero & suæ conceptionis primo instanti, sed ante parentum obitum illud emisit,imo non improbabiliter quis dicere potest B. V. dum triennis consentiens suis parētibus in templo est præsentata, votum ipsis consentiētibus emisisse virginitatis †Nissenus enim & Damas.ille *hom.de Natiuit.Christi*, & iste *lib.4.de fide cap.15.*& alij Patres id affirmāt, vnde S.Anton.*1.p.historial.tit.1.cap.6.§.10.* Dionysius Carthus.*1.p.vitæ Christi §.2.* dicūt quod Virgini trienni dū præsentata in tēplo quindecim ascendit gradus sine iuuamine alterius nihil illi tunc defuisse ad perfectam ætatē,& iam tunc ascendisse mēte ad quindecim gradus perfectionis in quindecim Psalmis graduum significatos. Vnde vir doctissimus Lodulph.de Saxonia *1.p.vitæ Christi cap.2.post medium* ait,*gloriosa Virgo Maria cum trium esset annorum portabatur ad templū & à parentibus in templo oblata intra septatēpli, cum aliis virginibus collocata, vt litteras disceret& Domino seruiret,ibidémque vsque ad annū 14.permansit*, & infra, *ipsa etiam prima omnium de seruanda virginitate,nisi Deus aliter ordinaret votum vouit, quod nulla ab initio sæculi ex quo hic factus est mundus Deo obtulit*, &c. in hoc ergo tempore congruentius dicitur emisisse votum virginitatis; præfigurans virginum choros, quæ dum in domo Dei profitentur votum simile emittunt.

Et quidem, quod B. Virgo in vtero matris, ne dum in instanti suæ conceptionis tale virginitatis votum non emiserit, mihi verosimilius, rationi congruētius; & dictamini prudentiæ aptius mihi videtur, itavt oppositum ex deuotione, at non secundum scientiam,dimanare, putem,quod hoc discursu ostendo, quia si in primo instanti Conceptionis B. V. emisit votum virginitatis illi pro illo instanti acceleratus est rationis vsus, itavt perfectè deliberare posset, nam votum sine vsu perfecto rationis & delibe

deliberatione, quæ sufficiat ad mortale non subsistit,atqui in illa ætate,vsus rationis datur, aut per modū propheticæ reuelationis transeuntis, vt multi Sancti dicunt, de B. Ioanne Baptista, aut quia permanenter datur,itavt B.Virgo ab instanti suæ cōceptionis,vel in vtero materno post sanctificationē habuerit semper perfectum rationis vsū, & deliberationem circa quancumque ma-
46 teriam,vt probabile † putat Suarez *3.p.to.2. q.27.disp.4.sect.7.conclus.4.*sed neutro ex his modis datus est vsus rationis B.V. in primo instanti,aut in vtero matris,vt votum emitteret virginitatis, non primo scilicet per modum reuelationis sicut datus est Præcursori,quia etsi,vt optimè Christopolitanusarguat,quod si Præcursori data est reuelatio, vt Christum agnosceret,& agnoscens exultaret in vtero, tamen,etsi virginitatem voueit,vt tenet communis Patrum sentētia, tamen votum hoc non emisit in vtero matris, nec ad hoc deseruiebat reuelatio prophetica,ita etiam B. V. in vtero matris suæ facta est prophetica reuelatio ad Deum cognoscendum ipsumque amandum, etsi vis ad seipsam disponendam ad sanctificationem, tamen non ad faciendum votum explicitum virginitatis,transacta autem ista prophetica reuelatio tam Præcursor, quam B. Virg. manserunt in vtero sicut cæteri pueri.

Vnde in illis non permansit permanenter vsus rationis ad alia opera facienda virtutum, & illarum incrementum in vtero
47 † quod mihi prudenter est indubitatum, quia si ita est quod B. Virg. ab instanti suæ conceptionis, vel in vtero existens liberam habuit potestatē ad vsum rationis, ex duobus vnum dicendum est,quæ sine miraculo non existunt in viatoribus, primum B. V. à præfato instanti intelligere sine conuersione ad phantasmata, per species per se infusas sicut habuit Christus Dominus, quod sine ingenti miraculo non fit, nam istæ species per se infusæ ordinis supernaturalis sine miraculo non infunduntur viatoribus, aut asserendum est secundum videlicet Deum confortasse sensus B. V. quorum organa debilissima erant, vt perfectè possent rationi cooperari,vtrumque autem, etsi possibile sit, tamen quod de facto ita cōtingeret cum necessario deberet interuenire miraculum, nullus Patrum adseuerat, nec vrgens ratio cogit ad id ponendum.

Quare assentior Patri Suarez *vbi supra*,
48 dicenti † *certè saltim ex eo tempore, quo B.V. fuit in templo præsentata* (ipsa consentiente vt supra dedi) *non videtur dubitandum, quin facultatem habuerit perfectè intelligendi, ac diuina mysteria contemplandi.Hoc enim munus semper in templo exercuisse Patres omnes docēt, nec enim ob alium finem, illic oblata est*, vt litteras disceret sicut ex Landulpho tradebam vtrumque sine vsu rationis perfici nequibat,& quamuis id nequiret facere & ratione vti absque speciali gratia & priuilegio illi tenerrimæ ætati,tamen hæc specialis gratia & priuilegium, etsi vires ordinarias naturæ excedat & prouidentiam ordinariā, non tamen est necessarium nouum miraculū, quia ex vi constitutionis & perfectissimi temperamenti Virginis, quæ destinata erat mater Dei sensus virginei in illa triēni ætate consolidati sunt & firmi,vt phantasmata mitterent intellectui agenti subseruiētia, vt B.V.in illis cōtemplationis & lectionis exercitiis cum conuersione ad phantasmata intelligeret,nisi fortè in altissima vnionis contemplatione,qua anima veluti substantialiter Deo vnitur(de qua F. Tho.à Iesu de oratione infusa latè & docte edisserit & F. Didacus à Iesu eiusdē familiæ vir doctissimus in adnotationibus ad noctē obscurā B Ioannis de la Crux)quæ satis peruia erat Virgini Mariæ dum erat in templo, in hac enim oratione Deus dispensat in conuersione ad phantasmata,vt alibi dixi.Igitur in hoc ætatis anno tertio satis pium reor B.V. emisisse votum virginitatis, non in vtero materno existens.

Ex quo colligo S.Doctor.magna prudentia dixisse *3.p.quæst.27.art.3.in corpor.* dixisse *B.V. non habuit vsum liberi arbitrij adhuc in vtero matris existens; hoc enim est speciale priuilegium Christi.* Quæ verba sic altè interpretatur D. Caiet. *ibi §. circa primum, scito, quod dupliciter contigit haberi vsum liberi arbitrij in vtero. Primo ab initio conceptionis, seu infusionis animæ, & deinceps semper & hoc est priuilegium Christi,& hoc negatur cuicumque alteri concessum. Secundo ex speciali gratia ad specialē actum,vt de Ioanne Baptista potest credi cū exultauit gaudio infans in vtero.Gaudere est appetitiuæ partis, & gaudere de spiritualibus motus est appetitus superioris, qui vocatur voluntas, constat autem Ioannis gaudium non de re sensibili, sed de aduentu Christi fuisse & exultasse in gaudio,verum post actum illū Ioannes sanctus perseuerauit,licet non cum vsu liberi arbitrij,sicut & miraculosè quādoque legitur præstitus vsus loquendi ad aliquem actum aliquibus infantibus,qui tamē nesciebant propterea posten loqui, sed erant sicut alij infantes, vt patet in gestis Apostolorum Simonis & Iudæ & Faustini, Simplicij & Beatricis.* Hactenus ibi, verum † notandum est discrimen inter vsum liberi arbitrij infantibus concessi & vsum loquendi, quod ille semper est à Deo miraculosus & nunquā à dæmone fieri potest,at vsus loquendi, etsi miraculosus aliquando sit, tamen fieri potest dæmo

Dæmonis artificio, quare in laudem Virginis sequentia Nazianzeni carmina pono *Carm.2.de Virginit.*

Salue virginitas diuino tradita dono
Mater inoffensa vitæ, bona maxima fundes
Christi pars & spiritibus sociata supernis
Ignaris thalami, nam magnus cõiugis expers
Est Deus, atque Dei rutilans chorus omnipotentis.

Sic & B.Virgo ipsius Dei Mater, expers est thalami etsi conscia coniugalis residentiæ, Mater inoffensæ vitæ, & bona maxima fundens, quod qua ratione fiat iam explico.

§. IX.

Quæ munia residentiæ Matrimonialis exercuerit S.Ioseph in puerum Iesum, & eius Sanctissimam coniugem?

SVMMARIVM.

1. *Quæ munia residentiæ matrimonialis exercuerit S.Ioseph.*
2. *An verum fuerit coniugium inter Iosephum & Mariam, & n.3.*
4. *An ius adoptionis proueniat ab extrinseco, & libera adoptantis voluntate.*
5. *Iacobi de Valentia sensus affertur.*
6. *An coniugium Ioseph & Mariæ ordinabatur, vt Christus ex tali coniugio virginali nasceretur.*
7. *Quid ex præmissis sequatur, & n.8. vsque ad 13*
14. *An Iosephus V.Mariæ sponsus non fuerit pater Christi legalis lege veteri.*
15. *An Iosephus V.Mariæ verus coniux, iure naturæ fuerit verus Christi pater.*
16. *D.Thom.sententia affertur, & n.17.*
18. *Proles non dicitur bonum matrimonij solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum per matrimonium generatur, & educatur, ex eodem S.Thoma.*
19. *Matrimonium inter B.V.& S.Ioseph fuit verum & proprium matrimonium secundum Euangelium, & Augustini mens adducitur, n.20.*
21. *Quid matrimonium ex vi essentiæ suæ dicat, & n.22.*
23. *An B.Ioseph respectu Christi habuerit, quod proprium est patris.*
24. *Christus, vt bonum matrimonij tanquam proles, an vtrumque respiciat & V.M. & S.Ioseph.*
25. *An matrimonium B.V.& S.Iosephi iure naturæ fuerit indissolubile & inseparabile.*
26. *Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, ex S.Thom.*
27. *Ioseph fuit Christi nutritius ex Patribus.*
28. *An iure naturæ tenebatur residere cum B. V. S.Ioseph, & illa cum eo indiuisè commanere, & n.29.*
30. *Ioseph non ad coniugium Mariæ erat electus, sed ad ministerium eius eunte illa in Ægyptum & redeunte, ex Ioan. Chrys.*
31. *B. Ioseph immediatè post B.Virginem maiori gratiæ dono fuit ornatus.*
32. *Dignitas paternitatis Iosephi maior longè fuit quam dignitas Apostolatus, & numer.33.*
34. *Cancellarij Parisiensis dictamen egregium adducitur, necnon S. Bernardi, & n.35.*
36. *Vnde colligat augmentum gratiæ S.Doct.*
37. *B.Ioseph Iesum filium suum immediatè respiciebat, & ab illo gratiam paternitatis accipiebat, simul cum Virgine gratiam maternitatis.*
38. *Maria & Ioseph sunt duæ manus Dei per quas dispensat & dat munus gratiæ, ex Morales.*
39. *An in ordine ad nostram intercessionem & gratiæ munus nobis impertiendum, sit subordinatio Iosephi ad Virginem.*
40. *Deus ab æterno S.Iosephum non solum elegit ex omnibus, sed etiam super omnes præparauit & disposuit, ad tam alta mysteria cognoscenda, & pertractanda, ex Bustos.*
41. *Quid ex Doctrina Iacobi de Valentia veniat colligendum, & n.5.*
42. *Chrysostomi sensus affertur.*
43. *Authoris iudicium, & n.44. & 45.*

NOn est vulgariter loquendum in resolutione præsentis difficultatis,† sed aliqua sunt singulariter depromeda ex penu singularis deuotionis meæ, erga Sanctissimum Patriarcham Virginis Matris castissimum sponsum, & coniugem (in Collegio enim nostro Complutensi (in quo miris laudibus quotannis magnificè celebratur eius festiuitas) primas litteras me docuerunt insignes Magistri,) vt autem non concionatoriè, sed rigorosè scholarum dirigatur sermo noster ponam Aug. *lib.* 1. *de nupt. & concupisc.cap.*11.vbi ex professo de coniugio Mariæ & Iosephi agit, & cur ambo parentes Christi dicantur, sic loquitur. *Neque enim fallaciter ab Angelo dictũ est ad Iosephum. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognouerat, nec fuerat cognitura, nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnalis commixtio. Erat quippe illa Virgo ideo & sanctius & mirabilius iucunda viro suo, quia etiã fœcũda sine viro, prole dispar, fide cõpar. Propter quod fidele coniugiũ parẽtes Christi vocari ambo meruerũt, & nõ solũ illa mater, verũ etiã ille pater sicut coniux matris eius vtrũque mente non carne, siue tamen ille Pater sola mente, siue illa mater & carne parentes tamen ambo*

1

ambo humilitatis eius non sublimitatis, infirmitatis non diuinitatis, & infra, *omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles fides, sacramentum; prolem cognouimus ipsum Dominum Iesum, fidem quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum diuortium.* Hæc ibi quæ repetit, vt se defendat S. Doctor *lib.* 5. *contra Iulianum cap.* 11.

Ex qua August. sententia, *quæ secundum*
2 *Euangelium est*, vt ait ipse, quod † verum fuerit coniugium inter Iosephum, & Mariam, & quod ab isto coniugio, non commixtione carnis Christus Iesus, vt vera illius proles processit, consequitur, quod Ioseph non merè pater putatiuus, vt dicebat Iulianus contra quem arguit Aug. nisi quatenus putabatur à populo, quod esset genitus carnis commixtione, vt dicit Euang. Lucas *cap.*3.*n.*8. quia si Ioseph tantum esset Pa-
3 ter putatiuus Christi, vt optimè arguit Aug. *lib.*5.*cit.c.*11.& ex ipso Episcopus Christop. *super canticum Magnificat. vbi supra in sexta dignitate* §. *sed nunc restat.* nõ saluaretur veritas Euangelij in quo dicit B.V. ad puerum Iesum: *ego & Pater tuus, quærebamus te*, nam illa popularis opinio omnino falsa erat, cuius falsitatem bene norat B.V. quare dicens absolutè, *ego & Pater tuus*, falsum diceret saltem materialiter, quod valdè indecens est.

Neque solum fuit Ioseph pater adoptiuus Christi, vt optimè etiã idem Christopol. hoc non sufficit ad huius veritatis arcanũ extricandum. Quia quemcunque alienũ poterat
4 Ioseph adoptare in filiũ † & ius adoptionis omnino prouenit ab extrinseco, & libera adoptãtis libertate, vt tenet D.Th. 3.*p.q.*23. *art.*1.*& in* 4. *dist.*42.*q.*2.*art.*1.& est cõmunis & certa Iuristarũ sententia *ad tit.D. & C.de adopt.* est enim adoptio admissio alicuius extranei, qui non est in potestate adoptãtis, ad participandũ hæreditatem, siue sit adoptio perfecta, quæ *arrogatio* dicitur, siue sit imperfecta, quæ cõmuni nomine *adoptio* dicitur, at Christus cum natus sit ex Maria, quæ verè coniux fuit Ioseph n ex adulterio, sed ex Spiritu sancto non est extraneus Ioseph, rursus cum sit filius naturalis Virginis, quæ sub eius erat potestate, erat etiã sub potestate Ioseph, quia vt dicit Euangelista *erat subditus illis*, non ergo Ioseph erat dumtaxat pater adoptiuus Christi.

Quare aliter philosophatur satis profũdè & ad Aug. mentẽ Christopolit. Iacobus de
5 Valentia † *sic dicendũ, quod hic latet aliud maximum sacramentum. Nam manifestũ est, quod Christus natus est ex illo sacro & virginali & inuiolato coniugio absque iniuria ipsius Ioseph & fidei coniugalis, & natus est ex Maria Virgine indiuisa sponsa ipsius Ioseph, quia indiuisibiliter erant duo in carne vna, & in tali concepti nunquam V. M. fuit diuisa ab ipso Ioseph, sed semper in fide coniugali coniuncta, quia caro coniugalis non dicitur diuisa, nisi per adulteriũ, ergo sequitur quod licet Ioseph non cõcurrerit officialiter ad generationem Christi, tamen quia talis conceptio & generatio facta est in eius coniuge ipsi coniugaliter & indiuisibiliter coniuncta absque iniuria fidei coniugalis, ergo Ioseph non fuit expers, ne per aliquem specialem modum esse patrem Christi multo magis & dignius quam adoptiuus, & nutricius. Maximè quia † coniugium Ioseph & Mariæ ordinabatur, vt Christus ex tali coniugio virginali nasceretur ad denotandum, quod Christus ex tali virginali & inuiolato & sancto coniugio nascebatur non carnaliter, sed spiritualiter ex spirituali coniugio Ecclesiæ debet filios regenerare, vt inquit August. & dicit Augustinus, quod illud coniugium ordinabatur ad mysterium Incarnationis; & dicit in libro de bono coniugali, quod omnia bona requisita ad bonum coniugium faciunt in illo sacro coniugio.* 6
† *Ex quibus sequitur, quod Ioseph aliquo modo singulari & speciali est pater Christi & Christus filius eius, eo quod de eius coniugio. His igitur habitis ponitur pro conclusione, semper tamen salua fide Catholica, quod licet Ioseph non fuerit Pater Christi naturalis, nec carnalis, fuit tamen pater Christi legalis & per consequens Christus fuit filius Ioseph legalis & secundum legem.* Hactenus ibi. 7

Quam opinionem de paternitate legali 8
sanctissimi Ioseph multis probat, ex veteri testamento; quæ potius allegoriam olent, quam litteram, ad suggestũ enim vtilia sunt & iocunda. Cæterum magis rigorose eam confirmat ex nouo testamento. *Sic Christus ex legitimo coniugio & sponsa ipsius Ioseph absque iniuria coniugali fuit conceptus & natus, & ideo ad hũc intellectũ Matthæus scribẽdo Christi Genealogiã dicit & concludit in fine totius Cathalogi, quod Maithan genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, vnde non dicit, quod Ioseph genuit Christũ ad denotandũ, quod Christus nõ est filius naturalis, nec carnalis ipsius Ioseph, sed dicit, quod Ioseph erat vir, & coniux Mariæ de qua natus est Iesus Christus, ad denotandum, quod fuit filius secundum legem & filius legalis ipsius Ioseph, postquam erat natus ex indiuisa coniuge sua salua fide coniugali absque omni nota adulterij & peccati, & hæc voluit postea confirmare Matthæus, cum subdit generatio Christi sic erat, vt sequitur, nã cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph inuenta est in vtero habens germen ex Spiritu sancto, & nõ ex Ioseph, nec ex scorto nec adulterio, sed ex Spiritu sancto eo modo, quo dictum est. Et ideo quum Ioseph* 10
volebat eam traducere, dixit ipsi Angelus, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quia quod in ea natum est

est, de Spiritu sancto est. Quasi ipsa est verè coniux tua non à te per adulterium diuisa, quia non humano opere concepit, sed opere Spiritus sancti, ideo coniugium tuum nullo modo læsum est, imo magis confirmatum, quia per legem &
11 *prophetas prænunciatum, & per Spiritum sanctum in te confirmatum. Item ad hunc intellectum Virgo Maria dixit Christo ego & Pater tuus scilicet legalis dolentes quærebamus te, & sic patet qualiter Christus est filius naturalis Dei Patris, & filius naturalis & carnalis Virginis Mariæ, & filius Dauid, & Abrahæ secundum carnem & non secundum naturam, & filius Ioseph legalis & secundum legem.*

12 *Hanc autem positionem ego aliquando prædicaui in nostra sede Valentina in conspectu Dominorum Canonicorum & totius populi in festo Beatiss. Ioseph sponsi Virginis, sed quia putabam me solum in opinione, ideo dubitaui ipsam in prioribus meis scriptis relinquere, sed quia postea nouiter vidi sermonem, quem venerabilis, ac famosissimus Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, qui vixit anno 1420. & obijt anno 1429. habuit & fecit in Concilio Constantiensi coram toto Senatu Ecclesiastico, in quo ponit istam positionem, quasi ad litteram, qui quidem sermo fuit pergratus & acceptus toti faciei Ecclesiæ, ibidem congregatæ, propter quod iam publicè celebratur officium B. Ioseph in pluribus Ecclesiis Galliarum, &*
13 *specialiter solemnizatur in Ecclesia nostra Valentina Hispaniæ. Hinc est, quod ego non erubui scribere hanc positionem, in hoc loco vbi mihi videtur necessaria iuxta materiam, & propositum, semper tamen cum correctione Sacro-sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ.* Hæc satis profundè, prudenter, & submisse vir doctissimus, qui vixit *anno* 1490. quare sententiam Gersonis sequitur.

Sed ego meum iudicium duobus asser-
14 tionibus enucleo, prima † Iosephus V. Mariæ sponsus non fuit Pater Christi legalis lege veteri, quæ disponebat Deut. *c.* 25. *à n.* 5. *quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius & suscitabit semẽ fratris sui & primogenitũ ex ea filium nomen illius appellauit, & non deleatur nomen eius in Israël, sin autem, &c.* vnde filius genitus & est filius naturalis & carnalis secũdi fratris, & filius legalis primi cuius hæreditatem consequitur, &c. quæ ibi dicunt expositores, & longè distant à præsenti instituto, vt consideranti constabit; quare nequit dici Christus filius legalis Ioseph, secundum hanc legem Deuteronomij, id autem quod respondit Christopolitanus allegorica sunt, quare non sufficiunt, vt Ioseph dicatur iuxta legem Deuteronomij Pater legalis Christi.

15 Assertio secunda, † S. Ioseph Virginis Mariæ verus coniux, iure naturæ fuit verus Christi Pater, etsi Christum non genuerit ex commixtione carnali. Hoc videtur mihi efficacissime probari illis omnibus, quæ adducit Christopolitanus & supra retuli; est etiam D. Aug. *loc. cit.* in quibus omnia argumenta huius assertionis nobis ministrauit, & modo dabo ad formã strictam reducta. His satis confirmatur D. Th. *locis modo citandis*, vt tamen assertio ista clarior fiat, & efficaciter probetur, noto ex D. Tho. *in* 4. *dist.* 31. *quæst.* 1. *art.* 3. *in corpore*, vbi sic fatur. † *Fides* 16
& proles (quæ sunt bona matrimonij) *considerari possunt secundum quod sunt in suis principiis, vt prole accipiatur, intentio prolis & pro fide debitum seruandi fidem.* (Nota Thomista phrasim S. D. vt ipsum tuearis in materia de peccato originali, vt iuxta ipsius mentem possis dicere, quod B. Virgo contraxit peccatum originale in sua radice scilicet in debito contrahendi, quod potest di- 17
ci peccatum originale, sicut dicitur fides matrimonij, debitum seruandi fidem, & non solum ipsa fides actualis non tamen contraxit peccatum originale in ipso formaliter & actualiter, & iuxta discursum hoc modo factum omnes consonant, & Patres suauiter explicantur) *sine quibus matrimonium esse non potest, quia hæc in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur, ita quod si aliquid contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit non esset verum matrimonium, & sic accipiendo fidem & prolem, proles est essentialissimum in matrimonio, & secundo fides, & tertio sacramentum, sicut etiam homini est essentialius esse naturæ, quam esse gratiæ, quamuis esse gratiæ sit dignius.* Hæc ibi.

Et *distinct.* 30. *quæst.* 2. *articul.* 2. agens de matrimonio Virginis Dominæ nostræ cum Ioseph cum sibi obiecisset, quartum argumentum, *quod non potuit esse perfectum, quia non fuit proles generata, sed educata,* dicit *ad quartum dicendum, quod* † *proles non* 18
dicitur bonum matrimonij solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur, & educatur, & sic bonum illius matrimonij fuit proles illa & non primo modo, nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptiuus, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonij, quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod proles illa susciperetur in eo, & educaretur. Hæc ibi.

Ex his duobus principiis, quæ sunt, sancti Augustini *vbi supra*, & S. Thomæ, qui ex illo accepit tale formo argumentum, quod me quidem iudice rem demonstrat † matrimonium inter B. Virg. 19
& S. Ioseph fuit verum & proprium matrimonium *secundum Euangelium*, vt ait Aug. sed matrimonio est *essentialissimum* proles, hoc est intentio habendi prolem, rursus proles, dupliciter haberi potest, vel generatione ex commixtione vtriusque sexus factam, aut in matrimonio suscepta, & educata atqui proles in matrimonio Virginis non fuit habita ex commixtione vtriusque sexus, ergo fuit in matrimonio illa suscepta & hoc ex vi pactionis coniugalis, cui essentialissimum est intentio habendi prolem vno ex his modis, vt dicit D. Thom. & hoc modo clarissimè intelligitur Aug. *l.* 2. *de*
20 *consensu Euangelistæ cap.* 1. † *Neque enim fas erat vt ob hoc cum* (scilicet Ioseph) *à coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed Virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia posse permanere vocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Præsertim, quia nasci eis etiam filius po-*
21 *tuit sine vllo complexu carnali.* quia † matrimonium ex vi essentiæ suæ solum dicit intentionem habendi filium, & prolem vno ex modis assignatis à D. Thom. & insinuatis à S. Aug. vnde sine tali intentione matrimonium verum non subsistit, quam implicitè habuerunt Sanctissimi coniuges, & sic proles quæ habetur in hoc matrimonio filius vtriusque coniugis dicitur Iosephi, quia cõiux est, Virginis, quia coniux, & quia mater naturalis illius, quia præbuit totum, id quod aliæ matres ad filij generationem. Ioseph tamen solum, quia coniux huius coniugij ex vi sua ordinati ad prolem habendam, non generatam ex seminum commixtione, sed virtute Spiritus Sancti in vtero Virginis, vnde iure naturæ resultat in Ioseph relatio paternitatis respectu prolis sic habitæ, quia paternitas iure naturæ non exigit, nisi prolem habitam in matrimonio, sine matrimonij iniuria, quare resultat ex vi pactionis matrimonialis, quæ ex vi sua non exigit,
22 quod filius habeatur ex commixtione carnali, sed quod non fiat cum iniuria adulterij, neque ex gratia, vt adoptiuus, neque ex vi legis Mosaycæ, vt legalis, & nullo ex his modis Christus respicit Iosephum, tanquam patrem, sed ex vi pactionis matrimonialis, quæ essentialiter respicit prolem, & ista essentialiter respicit coniuges fœminam, vt matrem naturalem, & virum tanquam patrem iure naturæ, quo tenetur ipsum alere, & nutrire, vt hæredem suum, habet enim filius hic, ius *suitatis* respectu talis Patris:

Hoc est, quod eleganter dixit Chrysost. *homil.* 4. *in Matth. etsi nihil habeas B. Ioseph. in hac generatione commune, tamen quod propriũ est Patris, quodque nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo*, atqui quod Ioseph sit verus Christi Pater & non solùm putatiuus, sed quod iure naturæ ex vi pactionis matrimonialis, quæ essentialiter respicit hanc prolem habitam sine commixtione carnali resultet in illo vera paternitatis relatio nihil lædit Virginis dignitatem. Ergo † B. Ioseph respectu Christi habuit, quod 23
proprium est Patris respectu Christi, sicut habuit quidquid proprium est coniugis respectu Virginis Mariæ, vnde etsi ob æquiuocationem Ioseph non dicatur *Pater naturalis Christi*, sicut B. V. dicitur mater illius naturalis, at dicitur verè, & propriè pater legalis secundum legem naturalem pactionis matrimonialis.

Quod amplius illustratur, quia iuxta Aug. S. Thom. & omnes Theologos scholasticos *in* 4. *dist.* 30. & 32. cum Petr. Lombard. Christus Dominus, est bonum huius matrimonij tanquam proles, ergo † vt sic non respicit 24
solum B. V. quia ipsa sola non est matrimonium quod essentialiter est duorum coniunctio, & vt sic proles suscepta sine iniuria matrimonij respicit vtrumque coniugem tanquam bonum matrimonij, ergo sub diuersa relatione pro diuersitate illorum, & sic vnũ respicit tanquam patrem, cui iure naturæ incumbit ipsum educare, & de bono ad vitam degendam prouidere, & alterum tanquam matrem, cui iure naturæ incumbit lactare, & similia.

Totum hoc altius corrobatur ex D. S. doctrina *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 1. ex qua sic arguitur. † Matrimonium V. Mariæ & S. Io- 25
sephi iure naturæ fuit indissolubile & inseparabile; ergo iure naturæ Ioseph fuit pater verus Christus; & habuit quidquid iure naturæ exigitur excepta carnali commixtione an[illegible]edens de fide est supposito quod fuit ve[illegible] matrimonium, quod ita esse nemo d[illegible]tare potest cum sit verum matrimonium *secundum Euangelium*, vt aiebat Augustinus, & consequentiam probat D. Thom. sic. † *Matrimonium ex intentione naturæ ordi-* 26
natur ad educationem prolis non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis, vnde de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent, & filij parentum hæredes sint, & ideo cum proles sit commune bonum viri & vxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indiuisam secundum legis naturæ dictamen. Ex quibus manifeste conuincitur, quod iure naturæ Ioseph. est pater Christi sicut iure naturæ est Christus proles; quæ iure naturæ est commune bonum viri & vxoris, & sic iure naturæ Christus est hæres *suus* respectu Ioseph, & iste iure naturæ thesaurizaret illi, si alias non esset Deus, cuius sunt omnia; tamen iure paternitatis id faceret, sicut ipsum sustentabat, & B. V. suis operis & artis suæ ministeriis, & in hoc sensu, ego intelligo

intelligo Bernardum, & alios Patres dicen-
27 tes, † Iosephum fuisse Christi nutritium,
erat vtique ex iure naturæ ex vi cuius ad id
tenebatur tanquam verus illius pater, quare
B. Ioseph Christum respiciebat tanquam fi-
lium & hæredem *suum*, & Christus S. Iose-
phum tanquam Patrem, & non solum tan-
quam ille, qui habebat dominium eorum
omnium, quæ vxori sunt, altiorem enim
titulum, & ius naturæ habebat respectu
Christi titulum scilicet paternitatis, ratione
cuius si alias Christus Deus non esset, & re-
gnum Dauid non esset ab Herode vsurpa-
tum iure naturæ ipsum hæreditasset, quia
erat filius *suus* Ioseph, & iure *suitatis* de-
bebatur illi ius quod habebat Ioseph ad reg-
num, quod per lineam rectam ad Ioseph.
pertinebat, vt constat *Matth.* 1. qui semine
regio à Dauid descendebat.

Ex dictis plura colliguntur notatu digniss-
sima in laudem Sanctiss. Patriarchæ. Primũ,
28 quod † iure naturæ tenebatur residere cum
B. V. & ista cum illo indiuise com manere,
quia residentia matrimonialis est de iure
naturæ, & obligat quum non est causa suf-
ficiens excusans à tali obligatione, quam ob-
ligationem indixit Deus cum dixit. *Non est
bonum hominem esse solum, faciamus ei adiuto-
rium simile sibi*, quo facto, dixit Adam. *Pro-
pter hanc relinquet homo patrem, & matrem &
adhærebit vxori suæ*, idest cum illa cohabita-
bit, residebit, & commanebit, vnde Ange-
lus dum Ioseph. vellet occulte dimittere eã
& cum illa non residere, siue quia suspica-
batur adulterium, siue quia se agnoscebat
indignum tam alto consortio, dixit, *noli ti-
mere accipere Mariam coningem tuam*, idest
depulsa timoris causam, cum illa cohabita,
& reside, quia ad hoc teneris ex vi coniu-
gij, & matrimonij cum ea celebrati, vnde
ex vi huius præcepti, etiamsi non esset ab
Angelo monitus tenebatur, si sciret perse-
cutionem Hærodis, vt puerum perderet, cum
29 ipso & matre eius fugere, quo securus es-
set, tenebatur etiam omnia necessaria ad
vitam illi tribuere si haberet, & omnia mu-
nia facere quæ necessaria erant ad filij sui
& vxoris tutelam, defensionem, educatio-
nem, nutritionem, & alia ad quæ patres alij
iure naturæ tenentur, quæ præstaret altiore
amore, & reuerentia vtpote cum cognosce-
ret dignitatem filij, & Matris quibus fuit ob-
sequentissimus sicut filius, & Mater extitere
patri & coniugi, quem summo amore natu-
rali, & supernaturali super omne, quod
non est Deus, propter Deum diligebant,
& amabant, vt egregie explicat B. Bernar-
dinus Senensis *serm. de S. Ioseph. art. 2. cap. 1.
tom.* 3. & latius, & valde deuote Isolanus *in
Iosephina sua p. 2. cap.* 9. Iuxta dicta intelli-
gendus est S. Ioannes Chrysostom. *hom. 3. in
Matth. cap.* 2. dum dicit, *quod* † *Ioseph. non* 30
*ad coniugium Mariæ erat electus, sed ad mini-
sterium eius eunte illa in Ægyptum, & redeun-
te, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium
ei tantæ necessitatis impleret, nam in prima qui-
dem facie Maria puerum nutriebat, Ioseph. con-
seruabat.* Quasi diceret, quod B. Ioseph. da-
tus est coniux Mariæ vt coniugalis residen-
tiæ munia, & officia circa ipsam, & filium
exerceret, & hic fuit principalis finis huius
Sanctissimi coniugij, in quo proles accepta
ex vi coniugij est non congenerata opere
viri, sed Spiritus Sancti, quare coniugium
hoc speciali ordinatione fuit à Deo dispo-
situm ad residentiam matrimonialem obser-
uandam inter virginem & Ioseph. vt iste il-
lam custodiret sicut Christus Ecclesiam, vt
ait Isidor. *lib. allegoriar. ex nouo testam. ad prin-
cipium.*

Secundùm † B. Iosephum immediatè post 31
B. V. maiori gratiæ dono fuisse ornatum, &
sicut maternitas V. Mariæ, ita fuit alta, quod
habeat quandam infinitatem ex bono infi-
nito, quod est Deus, & ex hac parte non po-
test esse aliquid melius Deo, vt ait D. Th. 1.
p. quæst. 25. *art.* 6. *ad* 4. & Bonauent. *in speculo
Virginis cap.* 8. Ipsa est Virgo mater, qua maiorem Deus facere non potest, maius cœlum Deus facere potest, maiorem Matrẽ, quam matrem Dei, non potest facere Deus; idem dicendum de paternitate Iosephi respectu Christi hominis, quod Deus ea nihil maius facere queat, propter easdem rationes; quæ
† dignitas Paternitatis maior longè fuit quã 32
dignitas Apostolatus; ex quo fit, quod post Virginem Iosepho data est maior gratia habitualis; quã alteri puræ creaturæ. Hoc manifestè colligitur ex doctrina D. Thom. 3. *p.* 7. *art.* 9: & 10: vbi ex duobus colligit alicui dari plenitudinem gratiæ, vel ex coniũctione ad causam gratiæ; primo ex propinquitate ad causam gratiæ, vnde *quæst.* 27. *art.* 5. *in corp.* dicit; *quod B. V. Maria propinquissima Christo fuit; quia ex ea accepit humanam naturam, & ideo præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* & August. *super cap. secundum Ioannis.* tanto perfectior vnaquæque res appellatur, quanto 33
magis vnitur & coniungitur Deo, qui est summa perfectio, quam rationem ponderãt Ildephonsus *lib. de B. virg.* Laurentius Iustinianus *serm.* 1. *de assumpt.* Carthus. *lib.* 1. *de præconio virg. art.* 8. & sic egregie, deuote, & vere dixit Cancellarius Parisiensis, † *sicut de-* 34
cuit vt Maria tanta puritate niteret qua sub Deo nulla maior qua intelligi vt si (ait) *Anselmus. Ita decuit vt Ioseph tanta prærogatiua polleret, quæ similitudinem & conuenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, & vt potest colligi ex Matth.* 1. *B. Ioseph fuit super omnes*

nes homines puros similis Virgini gloriosæ. Hæc ibi quæ amplius confirmantur, quia nulla creatura fuit Christo propinquior, quam B. V. nulla pura creatura fuit coniunctior B. V. quam Ioseph, qui iure matrimonij factus est cum illa vna caro, ergo post B. V. Ioseph fuit magis iunctus Christo, & sic perfectior in gratia, & sanctitate.

Vnde sicut asserunt patres, quod Christus est caput, & principium gratiæ, quæ omnibus communicatur, & B. V. est collum, & quasi aquæductus per quem omnis gratia ad homines descendit, vt S. Bernardus
35 *serm. de Natiuit. Mariæ.* † *sicut aquæductus exiui à Paradiso, & propterea tanto tempore fluenta gratiæ de fuerunt, quia nondum intercesserat aquæductus: ipsa est collum Ecclesiæ caput, Ecclesiæ Christum corpori eius coniungens. Qui ipsi collo per amorem non adhæret non adhærebit capiti sicut nec corpus adhæret capiti collo amato.* Ita ibi ex quo id accept. S. Bernardinus Senens. *serm.* 1. *de nomine Mariæ art.* 3. *cap.* 2. & *serm. de Assumpt. Virg. quod B. V. fuit plena gratia sibi, & nobis superplena*, hæc autem plenitudo gratiæ sibi, & nobis illi prouenit ex maiore coniunctione, & propinquitate ad verbum, quam habuit S. Ioseph maiorem post Virginem quã alia pura creatura, & forsan quam omnes simul sumptæ, ergo post Virginem *fuit plenus gratia sibi, & superplenus nobis*, & sicut Deus nihil gratiæ nobis confert nisi per Mariam transeat, ita nisi per Iosephum diggestum, est enim Ioseph guttur Ecclesiæ sicut Virgo collum, & Christus caput, quam ordinationem sic videtur disposuisse Euangelista dicens, *cum esset desponsata Mater Iesu, Maria Ioseph.*

36 Secundo † colligit augmentum gratiæ S. Doctor ex officio & statu, ad quem Deus ordinat aliquem in Ecclesia, qui in B. Iosepho maior fuit quam in omni alia pura creatura post Virginem, quia Ioseph est Pater Christi iure naturæ ex vi matrimonialis pactionis, ad quem statum & officium nullus ascendit, & sic nullus ascendit ad gradum, gratiæ, & eius plenitudinem, imò, nec potest ascendere, imò
37 addo vnum valdè singulare; quod † B. Ioseph Iesum filium suum immediatè respiciebat, & ab illo gratiam paternitatis accipiebat, simul cum Virgine gratiam maternitatis, vnde Ioseph non ratione Virginis, etsi cum Virgine Christum respiciebat, tanquam pater, cuius ratio est, quia Ioseph. erat Pater Christi, ipsumque vt talis respiciebat ratione matrimonij, & coniugij inter ipsum, & B. V. atqui in hoc coniugio pares sunt V. sanctissima & Ioseph. nam vtriusque consensus mutuus matrimonium celebrauit, ergo vterque immediate, & simul respiciunt Christum, tanquam filium, & non vnus ratione alterius, nam proles hæc bonum commune est viro & vxori, & non vni ratione alterius, vt aiebat S. Thom. vnde satis pie potest dici, quod hoc beatissimum par Ioseph, & Maria sit Ecclesiæ integrum collum, quod immediate accipit gratiam à capite Christo per quod omnibus aliis creaturis communicatus est influxus capitis Christi in alia membra, vt enim bene notat Mo- 38
rales *lib.* 3. *tract.* 11. *num.* 14. *in Matth.* † Maria, & Ioseph sunt duæ manus Dei per quas dispensat, & dat munus gratiæ, imo, & quod Ioseph est manus dextra iuxta illud *psal.* 79. *versic.* 18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ.* Legendi sunt *homil.* 2. de S. Ioseph Christophorus à Capite Fontio *lib. de perpetua virgin.* Mariæ, & Ioseph *à pag.* 141. *usque ad* 239. Isolan. 4. *p.* Iosephinæ *c.* 8. *Bustos.* 4. *p. serm.* 12. Barradas *t.* 1. *concordiæ lib.* 6. *c.* 8. Gerson *serm. de Natiuit. virginit. considerat.* 3.

Verum est quod in ordine ad nostram intercessionem, & gratiæ munus nobis impertiendum est subordinatio Iosephi ad virginem, quia vt ait D. Thom. *in* 3. *p. quæst.* ... *art.* ... in supernaturalibus virgo non erat 39
subdita Iosepl, quare istum vt aduocatum nostrum coram virgine, & virginem coram Christo, & Christum coram Deo debemus interponere, vnde Salmeron postquam dixit quod B. Ioseph fuit sanctificatus in vtero, & à peccato actuali excellenti gratia præseruatus, *vt munde* (ait) *ac digne conuersari posset cum Maria sibi desponsata coniuge*, & Bustos *p.* 4. *serm.* 12. *p.* 2. *quod* † *Deus ab æter-* 40
no hunc Sanctissimum virum non solum elegit, ex omnibus, sed etiam super omnes præparauit, & disposuit, ad tam altæ mysteria cognoscenda, & pertractanda, taliter quod nihil illi defuit, & hoc dubitare esset quasi sacrilegium. Crimen enim sacrilegij est dubitare an is dignus sit quem Princeps ad aliquod officium eligeret, vt habetur leg. 2. *C. de crimin. sacri.*

Hinc est quod Viguerius de mysterio incarnationis *cap.* 20. §. 9. *versic.* 3. Suar. *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 29. *disp.* 8. *sect.* 2. Morales *lib.* 3. *tr.* 2. bene dixerint quod illo ordine, qui positus est *Matth.* 1. *num.* 14. *Mater Iesu Maria Ioseph*, seruatur in plenitudine gratiæ, & gloriæ, ad quem ordinem Hypostaticum, & altissimam Hyerarchiam gratiæ nullus Sanctorum admittitur; sed omnes sunt sub illo contenti, quod egregie versibus cantauit quidam deuotus apud Isolanum.

Cum similis similem ducat, metuque superno:
Virgo, parensque Dei nupserit alma; Ioseph.
Collige, quatenus erat, merito, quo vicerit omnes.

Et

Et fuerit tantum dignus habere decus.
Et facile accipies, vt primum sponsa sequentem.
In superis sponsum, sic habet ille locum.

41 Tertiũ quod colligo est † (circa verba, quæ supra dedi ex Iaobo de Valentia) prudentia Sapientissimi viri qui sententiam suam, quam dicit se dum eam solum defendere putabat noluit typis dare, quousque agnouit edoctam fuisse coram Patribus constantiensis Concilij à doctissimo Gerson, illique grauissimo cœtui placuisse, & post eam fecit prælo sudare, antea in scrinio repositam O tempora! O mores! huius sæculi in quo vt sententia aliqua publice detur, & imprimatur, quæritur vt nullus eam dixerit, nullus Patrum docuerit, etiamsi res grauissima sit, spernitur antiquitas, nouitas veneratur transgrediuntur termini quos Magistri nostri posuerunt, & vt ait Homerus.

Illam cantilenam magis celebrant.
Quæ audientibus recentissima sit

Cum certum sit quod ait Chrysostom. *homil. 8. super 2. ad Thimot.* † 42 *hi qui nouitatibus student nunquam erroris finem inuenient*, est enim vetustas maximæ gloriæ encomium, sicut nouitas doctrinæ vilipendium, nisi nouitas non sit in principiis, sed in conclusionibus ex antiquis principiis recte perspectis, deductis, nec enim statuendum vt certum, scelus esse nouum aliquod inuenire, & quis hoc dixit aut damnauit! cum S. Doctores Ecclesiæ, & D. Thom. & Aristoteles ex principiis plures doctrinæ conclusiones deduxere, quod illis in vituperium non vertitur, at nouas doctrinas introducere antiquitate spreta, & contra illius decus, & principia hoc est intolerabile inter Ecclesiæ filios, his enim negocia publica, regimen, politia turbantur, ex quo Dæmon, hæretici, & inquieti homines laurum cum damno communi acquirunt, nouis enim commentis dogmata, etsi non deperdantur, at deturpantur, & expoliantur ea puritate qua nitebantur antiquitus.

43 Quare † pernecessarium iudico in qualibet communitate, quæ litteris vacat pro Ecclesiæ defensione contra hæreticos, & vt fideles instruat in bonitate, & securitate morum, quod sibi deligat magistrũ, cuius principia incunctanter persequatur, ex quorum cõprehensione conclusiones eliciat, si enim huius communitatis membra pro magistro habent proprium iudicium, & sequuntur in hoc suos progenitores difficillime veritatem assequentur semper nouitatibus vacabunt, *quia longo tempore nouitatibus insudarunt non solum ipsi, sed & patres eorum & aui, & omnes fere maiores. Non enim facile est horum auferre opinionem, etiamsi manifeste conuincat. Porro hoc ita validum est vt multi mala potius sibi vendicent, & confiteantur aduersum sese, si prius sunt persuasi quam bona post longum tempus audientes. Proinde neque vos (viri Ilienses) mirabor si fide digniorem putaueritis Homerum qui pessima mendacia finxit quam me vera dicentem. Nam si credideritis eum fuisse virum sapientem vestrosque pueros statim à principio illius carmina docueritis, nihil aliud quam exe-* 44 *crationes vestræ Ciuitatis easque non veras, &c.* Hactenus Prusæus *oration. 2.* Tantum interest communitatibus vacantibus litteris, quod recta sit Magistri electio, quẽ eius alumni sequantur in doctrina sana, & irreprehensibili, vt possint eos qui contra dicũt arguere, qua obsecro energia, qua efficacia hæreticum nouatorem conuicit nouitatis amator, qua efficacia ex Patrũ sententia hæreticum eorum caniciem spernentem concludet, illique Patres Ecclesiæ non veneratur, sed parui peritos ad suas nouellas opi- 45 niones decurrit? plus æstimans aliquid noui dicere, quam Augustinum, Hieronymum, & alios pro Ecclesiæ Doctoribus, Canonizatos, sequi, vnde tot abortus faciunt quotidie aut parturiunt doloribus immensis, tanquam Caphi plumis ac pennis copiosi, corpore pusilli ingentia in apparentia pollicentes, & dum premuntur plumæ sunt, & pennæ. Prudentissimè ergo Iacobus de Valentia suam opinionem de paternitate legali Iosephi respectu Christi noluit typis dare, antequam agnosceret sigillo Doctoris Gerson Cancellarij signatam & rubricatam.

DIGGRESSIO I.

Vindicatur Triplex Christi excellentia, quod non habuerit Angelum custodem, quod fuerit plenus gratia, quod sibi gratia habitualis, non promeruerit augmentum.

HÆc tria soli Christo competere hucusque in Ecclesia erat indubitatum, sed nouandi prurigo eo deuenit & in antiquitatem venerandam tantum debachata est, & corrosit firmitudinem vt sub pietatis fucato zelo, hoc etiam ex priuilegio Virgini Matri concedat, quod ex nullo Catholico Archiuio antiquo profert, sed ex proprio Marte cudit, sed ego semper delector sapore pomorũ veterum, & nouorum producto ex malis veteribus, nec placet noua dogmata dicere, sed vetera noue, sic me docuit magnus ille Vincentius Lirenensis qui aiebat *non dicas noua, sed noue.* & Cicero suum Oratorem

torem, & si gentilem sic instruebat *lib. de Oratore ad Brutum, gerendus est* (ait) *tibi mos adolescentibus, qui non Græci alicuius quotidianam loquacitatem, nec è scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium Sapientissimo atque eloquentissimo, at ex eo qui non in libellis sed in maximis causis, sed in hoc domicilij impery, & gloriæ sit consilio, linguaque princeps,* quam instructionem ab incunabulis sum secutus, secutusque sum homines Sapientissimos non eos qui in libellis exercentur, & loquacitatem & *ab scholis* puerilem quærunt *cantilenam.*

Igitur hoc documento imbutus dum me consuleret Reuerendissimus Pater Magister Benedictus à Serna mittens tractatum cui titulus vulgari idiomate est *triumpho de Maria Sanctissima* quem ad me remisit latine conscriptum, vt illi meum sensum aperirem, circa ea quæ in ipso edocebat, proponeremque, si quid dignum nota inuenirem, notaui quatuor. Primum, quod probat scholastice Virginem fuisse præteruatam ab Originali, ex cantico Abacuc in quo dicitur, *collum Ecclesiæ*, quia sensus iste sufficiens est ad suggestum, non ad litigium scholasticam dirimendam, ad quod nihil profuit sensus allegoricus. Secundum, quod B. V. non habuit Angelum Custodem, sicut, nec Christus, cuius contrarium hucusque tenent omnes, qui de Angelorum custodia tractarunt, & ratio D. Thom. 1. *p. quæst.* 113. *art.* 3. id manifeste conuincit. Tertium, quod B. V. habuit eandem gratiæ habitualis plenitudinem, & intensionem, ac habuit Christus Dominus, cum hoc discrimine, quod B. Virgini data fuit tanta gratiæ plenitudo, ob merita Christi, Christo tamen fuit data independenter à Maria. Quartum, quod B. V. non promeruerit augmentum gratiæ habitualis sibi, quod videtur clare contra Trid. *sess.* 6.

His obiectionibus post exaratam, & typis datam meam epistolam, ipse alteram quæ etiam prælo sudauit, respondet, an adæquate videant docti, quare non possum non mereri hunc Sapientissimum virum, vel quemcunque alium (si quis est inter recentes Theologos) qui ita in re grauissima philosophantur contra omnes antiquos propter aliquas Sanctorum Patrum impropriaslocutiones, factas ex deuotione non trutinatas rigore Theologico vt pars est trutinare, quæ aptiores sunt prudenter explicatæ ad populi pietatem, excitandam, quam vt illis nitens Theologus contra communem Ecclesiæ sensum, nouitates introducat, ego vero ostẽdere conabor ista omnia ita soli Christo conuenire, vt nulli etiam B. Virg. adaptari queant ex vi præsentis prouidentiæ nobis notificatæ ex Patrum & Ecclesiæ sensu.

Iam vero quid in præsenti rem hanc degustaui, non possum non manifestare mundo insufficientes esse solutiones adhibitas meis obiectionibus, de prima clarum est, quod nihil probat rigore Theologico, & Scholastico, sed prædicatorio & allegoricõ modo locus ille Abacuc, vt legenti expositores constabit, quare locus iste pro Cathedra nihil conducit ad probandum dogma benè video in raptibus & reuelationibus B. Viri Amadæi Seraphici *raptu* 8. ipsi fuisse reuelatũ, *quod sicut Ecclesiæ caput Christus, ita B. V. collum extiterit.* itaque nullum donum, nullum bonum, nulla gratia, nullum priuilegium, à capite illo in corpus nisi per hoc mirabile collum, quod est V. Maria Dei Genitrix descendit, sed ipsemet etiam dicit, quod non habuit tantam gratiam habitualem ac filius, primũ allegoricè est intelligẽdum, secundũ vero in rigore Theol. vt iam demõstro huius B. Viri raptus & reuelationes latè & piè defendunt, contra Bzouium Reuerendiss. Ildephonsus, Briceno in apparatũ Historico, qui est ante commentaria *in lib.* 1. *sentent.* & Petrus de Alua Astorga in sua Bibliotheca Mariana *in Nota. ad Amadæum Franciscum.*

SECTIO I.

Beatam Virginem Angelum custodem habuisse designatum.

SVMMARIVM.

1. *An B. Virgo non habuerit Angelum custodem.*
2. *An B. Virgo ad vitanda nocumenta exteriora angelum custodem habuerit.*
3. *An persona B. V. longè inferior sit in potestate naturali Angelorum viribus.*
4. *S. Doctoris mens affertur, & numero* 14. *&* 15.
5. *Assignandi sunt Angeli Custodes hominibus ex vi præsentis prouidentiæ naturalis, aut supernaturalis, ex eodem S. Thom.*
6. *In rebus agendis cognitio & affectus hominis multipliciter variari, & deficere potest à bono.*
7. *Licet B. V. specialissimè confirmata in gratia nullatenus deficeret à bono, an ex vi sua, quatenus est persona creata in sensu diuiso poterat deficere.*
8. *An quamuis Virgini sint assignati Angeli in custodiam, non sit illi assignatus aliquis propriè tanquam Angelus Custos.*
9. *An Angelus quilibet etiam infimi ordinis possit docere, & exercere, Magisterium respectu cuiuslibet personæ creatæ quantumuis perfectæ & supremæ.*
10. *D. Caietani sensus adducitur.*

11. *Lumen*

11. *Lumen intellectuale Angelicum longè superius est lumine intellectus Virginei.*
12. *An omnes diuinæ illuminationes perferantur ad homines mediantibus Angelis, ex S.Dionysio.*
13. *Quid veniat colligendum, & n.17.*
16. *Euthymij opinio adducitur.*
18. *Quid Angelis custodibus per diuinam prouidentiam circa singulares personas sit demandatum, ex S.Doct.& n.19.*
20. *An Beneficium custodiæ Angelorum datum sit toti humanæ naturæ in quantum ordinata est ad finem supernaturalem consequendum.*
21. *An Mater Iesu ab Angelis instrueretur, & num.22.*
23. *Bernardi sensus affertur.*

1 SEcundùm, quòd † B.V. non habuit Angelum custodem, quod omnibus antiquis & mihi indubium est, vt ex Suarez *lib.6. de Angel.c.*17.& ratio D.Th. id demõstrat suppolita Patrum, & Ecclesiæ certa doctrina, quod cuilibet homini datur Angelus custos, igitur sic formo argumentũ ex *art.4.q.*113. *p.*1.omnis purus viator est in via cõstitutus, qua tendit ad patriam in quo itinere multa occurrunt pericula, tam ab interiori, quã exteriori inimico, ad huiusmodi autem pericula vitanda, quæ possunt impedire consecutionem patriæ datur Angelus custos, licèt enim B.V. ad pericula vitanda, quæ posset prouenire ab interiori nõ indigeret Angelorũ custodia, quia ipsa confirmata in gratia, nullũ peccatum, nedũ veniale ex priuilegio speciali poterat committere, sicut nec
2 Christus, at † multa nocumenta exteriora poterat pati, ad quæ vitanda Angelus custos ei erat cõcessus, vnde Adã nõ indigebat Angelo custode ad vitandũ periculũ ab interiori, quia interius omnia erant ordinata, indiguit tamẽ ad vitandũ periculũ, quod imminebat ab exteriori, vt rei probauit euentus. Christus vero ad nihil indigebat Angelo custode, quia cum esset intrinsecè, & substãtialiter Deus, & homo immediatè substãtialiter regebatur à verbo Dei. Vnde nõ dabatur ei Angelus custos tanquã superior, sed tãquã minister, vt dicitur *Matth.4.n.*20.*quod accesserunt Angeli & ministrabant ei*, persona autẽ
3 † B.V. lõgè inferior est, in potestate naturali Angelorũ viribus, & sic isti viribus suis, tãquam Superiores possunt Virginẽ custodire non à periculis cõsequẽdi vitã æternã, quod nulla habebat B.V. sed à periculis vitæ tẽporalis, ad tutamen honoris, & bonæ famæ, rursus ad multas cognitiones diuinorũ, & reuelationes, quas Deus facit mediis Angelis custodibus. Hæc ratio demonstratiua est, quamuis Angeli agnoscẽtes Virginis dignitatẽ illi se submitterẽt, tanquã ministri, tamẽ eã considerans Angelus custos sibi designatus, vt est persona creata, qua ipsi in natura se agnoscunt Superiores, verè ipsã custodiebant à periculis, quæ sibi imminere possent, & illi ex Dei imperio multa reuelabat, sicut è contrario Anti-Christus, etsi sit futurus filius perditionis, *cuius aduentus est secundum operationem Satanæ*, vt dicitur 2. *ad Thessalonic.n.*8. illi assignatur Angelus custos, quia vt ait S.Doct. *in solut. ad* 3. † etsi eius custo- 4
dia non iuuetur, ad hoc, quod vitã æternam bonis operibus mereatur, iuuãtur tamẽ quãtũ ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahũtur, quibus & sibi ipsis & aliis nocere possũt, nã & ipsi Dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantũ volunt & similiter Anti-Christus nõ nocebit quantum volet.

Secundò, id ostendo alio argumẽto eiusdẽ S.D. *art.*1.*eiusdem q.*113. vbi probat hoc discursu necessario, † assignãdos esse Angelos 5
custodes hominibus ex vi præsẽtis prouidẽtiæ naturalis, aut supernaturalis, quia in omnibus rebus creatis inuenitur, quod mobilia & variabilia per immobilia & inuariabilia moueãtur, & regulentur sicut omnia corporalia per substãtias spirituales & immobiles, & corpora inferiora per superiora, quæ sũt inuariabilia secũdũ substãtiã, sed & nos ipsi regulamur circa cõclusiones in quibus possumus diuersimodè opinari per principia, quæ inuariabiliter tenemus. Manifestum est autem, quod † in rebus agendis cognitio 6
& affectus hominis multipliciter variari, & deficere potest à bono, & ideo necessarium fuit, quod hominibus Angeli ad custodiam, deputarentur per quos regularentur & mouerentur ad bonũ *& in solut. ad* 2. dicit quod quantum ad inclinationem affectus ad bonum per habitum virtutis Deus immediatè custodit hominẽ infundendo habitum gratiæ, & virtutũ, quantum per inclinationẽ per rationes congruas, Deus custodit hominem tanquam vniuersalis instructor, cuius instructio ad hominem peruenit mediantibus Angelis, vt dicitur *q.*111.*art.*1.

Quæ ratio etiam demonstratio Theologica est, quamuis enim † B.V. specialissimè 7
confirmata in gratia nullatenus deficeret à bono, tamen ex vi sua, quatenus est persona creata, in sensu diuiso poterat deficere, quare, vt non deficiat etiã in venialibus hoc est ex vi doni perseuerãtiæ singularissimi, quo mediis auxiliis specialibus, inspirationibus & illustrationibus nũquã deficit à bono in hoc Deus custodiebat Virginẽ tanquã vniuersalis instructor cuius instructio ad Virginem pertinebat medio Angelo custode, qui tanquam immediatus Magister & Doctor ipsã illuminabat & instruebat, quia liberum arbitrium Virginis in sensu diuiso variari poterat & deficere à bono, & quod non deficiat

disposuit, quod fieret medio Angelo suo custode, nec enim introducendum est miraculum sine necessitate, vt Virgo eximatur à lege vniuersali, quod mobilia creata moueantur & regulentur, quare sicut superiores Angeli illuminant inferiores ex vi diuinæ prouidẽtiæ, ita B.V. illuminatur à Deo medio suo Angelo, qui illius illuminator est constitutus & per consequens Doct. & Mag.

Duo respondet ad hæc manifesta argu-
8 menta primum *p.* 1. §. 11. quod † quamuis Virgini sint assignati Angeli in custodiam ipsorum Reginæ, quæ supra omnes illos erat in donis gratiæ, tamen non est illi assignatus aliquis propriè tanquam Angelus custos, huius enim officium dicit superioritatem, & magisterium quo inferior edocetur à superiore illustrando intellectum, vt sciat quod nesciebat & inspirando voluntatem, vt in virtutum actibus feruorizetur, quod asserere facere Angelum in his Virginis potentiis, indignum est, Virgo enim immediatè edocetur & illuminatur à Deo, vt videntur insinuare Bernardus *super missus est*, & Cyrillus Hierosol. *cateches.*17.

Sed contra est, quia qui hæc obiicit & respondet prorsus videtur ignorare, quid sit Magisterium Angelicum respectu hominum, quod explicuit D.Th. 1.*p.q.*111.*art.*1. *& q.*117.*art.*1.*& quæst.*11.*de verit.art.*3. vbi duo certa in doctrina PP. habet. Primũ quod
9 † Angelus quilibet etiam inferioris ordinis, in fine Hierarchiæ potest docere & exercere Magisterium respectu cuiuslibet personæ creatæ, quantũuis perfectæ & supremæ. Secundum quod nullus purus homo potest esse Magister Angelorum ipsosque docere, quantum ad primum audi D.S. *art.*3.*cit. Angelus naturaliter habet lumen intellectus perfectius, quam homo ex parte luminis quãuis non possit infundere lumen, vt Deus facit; potest tamen lumen infusum confortare ad perfectius inspiciendum* (quomodo autem intelligenda sit
10 hæc confortatio egregiè enucleat † *D.Caiet.* 1.*p.q.*106.*art.*3.) *omne enim quod est in aliquo genere imperfectum cum continuatur perfectiori in genere illo magis confortatur virtus eius, sicut etiam videmus in corporalibus, quod corpus locatum confortatur per corpus locans, quod comparatur ad ipsum, vt actus ad potentiam, vt habetur* 4. *physicorum, ex parte etiam principiorum potest Angelus hominem docere, non quidem ipsorum principiorum notitiam tradendo, vt Deus facit neque deductionem conclusionum ex principiis sub signis sensibilibus proponendo, vt facit homo; sed in imaginatione aliquas species formando; quæ formari possunt ex commotione organi corporalis, sicut patet in dormientibus, & mente captis, qui secundum diuersitatem phantasmatum ad caput ascendentium diuersa patiuntur phantasmata, & hoc modo commixtione alterius speciei fieri potest, vt ea quæ ipse Angelus scit per imagines huiusmodi ei, cui admiscetur attendat*, vt Augustinus dicit *lib.* 12.*de gene. ad litteram cap.* 12. Hæc S. Doctor. hoc autem Magisterium Angelorum posse exerceri in Beata Virgine, quis dubitabit cordatus? cum certum sit † lumen intellectuale Angeli- 11
cum longè superius esse lumine intellectus Virginei; rursus certum etiam sit quod Angelus habet potestatem in phantasiam humanam puræ creaturæ, vt docet S. Doctor 1. *part. quæst.* 111. *art.* 3. negari ergo nequit quod Angelus tanquam superior in natura possit Virginem edocere, & illius Magister esse eo modo quo Angeli possunt alios homines edocere, quod tantum abest, vt sit indignum personæ Virginis, quod illi est valde decorum cum sit iuxta qualitatem suæ personæ, quæ inferior longè est in natura Angelo, nisi hoc negetur quod erit desipere, quamuis enim B. Virg. in gratia & gloria longè excedat Angelos, quia exaltata est supra omnes Angelorum choros, tamen hic gratiæ excessus non mutat naturam personæ, sed eam perficit, quare ex natura sua semper manet Virgo docibilis ab Angelis & nullus istorum ab aliquo puro homine, quantumcunque superiore edoceri quit.

Hoc est secundum, quod D. Tho. probat *quæst.illa* 117.*art.*...tum ex S.Dionysio *cap.*4. *p.*1.*de diuin.nomin.* asserente, quod † omnes 12
diuinæ illuminationes perferũtur ad homines mediãtibus Angelis, isti ergo ab illis nequeũt edoceri, & ratio est, quia licet homo possit cũ Angelis loqui, sicut Angelus inferior cũ superiore, tamẽ superior de rebus diuinis nõ potest edoceri, ab inferiori, quia ex natura sua est iste; illi subditus, & inferioris luminis intellectualis, manifestũ est autem, quod eo modo, quo inferiores Angeli superioribus subdũtur ita supremi homines subduntur etiã infimis Angelorum, & ita de rebus diuinis Angeli nunquã illuminãtur, aut edocentur ab hominibus quamuis cum illis possint loqui de mysteriis supernaturalibus, eo autẽ ipso quod de illis loquantur intellectus Angeli superioris à lumine suo illustratus mysteria ipsa penetrat & agnoscit nõ cõfortatus ab inferiori, sicut cõfortatur homo ab Angelo, quod secus est in Christo Domino in quo etsi natura humana sit inferior Angelica, tamẽ cũ Christus sit Deus homo substãtialiter, & omnes eius operationes sint theãdricæ, idest *Dei viriles* nullatenus indigent alterius adiutorio, cũ nulla creatura, sit illa persona diuina superior, & ita omnes Angeli edoceri posũt à Christo, non tamẽ à B. V. etsi cũ illis familiariter colloqueretur, tanquam ipsorum Domina, & Regina do-

no gratiæ, sed illis longè inferior, natura.

13 Hinc est quod † licet ex prædicatione Apostolorum & ex locutione B.V. cum Angelis aliquæ circunstantiæ mysteriorum fidei innotuerint Angelis, principibus & potestatibus in cælestibus, vt ait Paulus *ad Eph.* 3. & explicat Aug. *lib.* 5. *de Genes. ad litter. cap.* 19. tamen non hoc, ideo, quia Apostoli aut B. V. Angelos illuminarint, aut docuerint, sed quia dum per Apostolos, & B. Virginem impleta sunt Christi & Ecclesiæ mysteria, aliqua Angelis apparuerunt de huiusmodi mysteriis, quæ antea erant eis occulta, vt explicat Hieronymus *super cap.* 3. *ad Ephes.* vbi D. Tho. *lect.* 3. *parum post mediũ* di-
14 cit. † *Non est ergo conueniens nec ratio aliqua vt dicamus sanctos, qui sunt in patria doceri à quantumcunque perfectis viatoribus. Nam licet inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, tamen qui minor est in Regno cælorum maior est illo. Dicere autem quod dæmones doceantur ab hominibus absque præiudicio credibile est, sed quod Beati qui immediatè verbum conspiciunt, quod est speculum sine ma-*
15 *cula in quo relucent omnia à viatoribus doceantur dici non debet, nec conueniens videtur, dicendum est ergo quod innotuit Angelis per Ecclesiam idest per Apostolos prædicantes*, vt dicit Glossa *non quod Angeli hoc didicerint ab eis, sed in eis, &c.* vnde fit quod tam in naturalibus, quam in supernaturalibus, nec Apostoli, nec B.V. potuerunt Angelos edocere, bene tamen Angeli, qui clarius sciunt veritates, in verbo quod intuentur possunt edocere V.S. & Apostolos.

Respondet secundo dum conatur in sua epistola meis obiectionibus satisfacere multa congerens inutilia & quæ ad excludendũ Angeli custodis magisteriũ respectu B.V. nihil cõducunt nisi, vt verbis oppilet veritatẽ ab antiquitate veneratam dicit, igitur quod sicut Christus non habuit Angelum custodẽ, quia erat illis superior persona & immediatè regulabatur à Verbo Dei, ait, at B. V. vtrũque habuit, primũ quia exaltata est super choros Angelorũ. Secundum, quia B.V. immediatè Trinitatis fõtibus irrigabatur & S. Odon dixit, *quod custode Spiritu sancto sine omni labe vixit*, & Franc. Mayron dicit, *quod Deus fuit Angelus custos* V. quod innuit Eu-
16 thymius *super c.* 2. *Matth.* dicens † *quod filius fuit Angelus custos Matris* & sic sicut Christus non habuit Angelũ custodẽ tanquã superiorem, & Magistrũ, sed tanquã ministrũ & inferiorem, ita B. V. *tubo guanda de Angeles aunque notubo Angel de guarda* Rex enim custodiam habet ministrorum, & inferiorũ quales sunt omnes Angeli respectu B. V.

17 Verum enim vero quis non miratur, quod vir prudens ob hæc futilia argumenta Patrum locutiones detorqueat ab intelligentia, quæ semper viguit inter scholasticos, & ab antiquorum indubitabili sententia, sine vrgenti argumento diuertat ad nouitatem introducendã, quæ in Virgine excellentiã non arguit, quare eam Virgini dare contra ferè omnes est, & illi offerre munus inutile; quare hãc solutionẽ, vt omnino futilẽ potius deberẽ contẽnere, quam impugnare, procedit enim ex debili intelligentia muneris & officij Angeli custodis, & ad quod sit à Deo institutũ ex vi præsentis prouidẽtiæ, quod nobis proposuit D. Th. *in* 2. *dist.* 11. *q.* 1. *art.* 3. (quẽ si legisset Antigonista noster non dubito, quod ab intento desisteret) *ea*
18 † (inquit S.D.) *quæ ab Angelis custodibus per diuinã prouidẽtiã circa singulares personas exequũtur, sunt quædã præparationes iuuãtes ad cõsequendũ finẽ vltimum præparans autẽ nõ habet operationẽ circa rem nisi quæ est ordinata ad finẽ ante finis consecutionẽ, & ideo omnibus hominibus ab infusione animæ rationalis per quam ad finẽ salutis ordinatur, custodia debetur vsque ad mortẽ, quæ terminatur via perficiendi in finem, nulli ergo carent custodia Angelorũ nisi vel per hoc quod fiunt impœnitibiles, vt dãnati, vel per hoc quod finem gloriæ consequuntur, hæc in corp.*

Ex qua doctrina colligit *in respons. ad* 1. 19 *quod Adam, quia erat periculũ ex potentia peccandi, & ex dæmone oppugnãte, & similiter erat debilioris cognitionis, quam Angelus, indigebat præsidio custodis Angeli, & in sol. ad* 2. agens de confirmatis in gratia dicit, *quod etiamsi cõfirmati in gratia peccare nõ possint, possunt tamen proficere & eorum profectus potest impediri; & propter hoc indigẽt custodia Angelorũ ad promouendũ in bonum, & remouendũ impedimentũ*, & in solut. *ad* 5. agens de Antichristo, *quod etiã habuit Angelũ custodem, quia lex cõmunis propter vnũ mutari non debet, & in hoc eius pœna iustior apparebit, quia beneficia toti humanæ naturæ prouisa sibi non substrahunt*, quibus verbis duplici argumento cõprimit Antigonistam, primo, quia lex vniuersalis sicut non debet mutari propter vnum malũ & obstinatũ, ita nec propter vnum bonũ scilicet B.V. secundum, quia † beneficium custodiæ Angelorũ 20
datũ est toti humanæ naturæ in quantũ ordinata est ad finẽ supernaturalẽ consequẽdũ, vnde nulli personæ creatæ quãdiu est in via ad consequendũ hũc finẽ auferẽdus est Angelus custos, nisi dicat quod B. V. iam est consecuta vltimum finẽ ab instanti conceptionis, quod dici nullatenus debet, vt infra ostendã, *in solut. ad* 6. loquens de Christo sic fatur. *Christus nõ habuit Angelũ custodẽ*, tũ quia anima sua omnibus Angelis superior fuit immediatè à verbo sibi vnito illuminata, tũ quia erat verus comprehensor; vnde eius bonum, nec impediri, nec iuuari poterat. Dicitur vero à Dionys. *c.* 4. *de cælesti Hierarc.* subdi paternis dispositionibus per Angelos quodam

quodammodo indirectè, in quantum Angeli instruebant Ioseph, & matrem eius, de his quæ circa ipsum puerum existentem agenda, vt habetur *Matth.* 2. dubitari ergo ne-
21 quit, quod † Mater Iesu instruebatur ab Angelis, & sic habebat Angelum custodem, dicitur tamen Christus *Luc.* 22. quod confortabatur ab Angelo non instruẽdo & aliquid imprimendo, sed per modum ministerij in quantum congratulabantur fortitudini eius sicut homo naturaliter in tribulatione confortatur ad præsentiam amicorum.

Ex quibus omnibus lippis, & tonsoribus liquet, quomodo Christus non habuit Angelum custodem & illum habuit B. V. quia Christus fuit comprehensor, & possessor vltimi finis, at B. V. fuit solum viatrix, rursus Christus cum esset substantialiter persona diuina, eius anima immediate illuminabatur, protegebatur, instruebatur à verbo Dei, quare respectu personæ compositæ Christi, cuius operationes erant theandricæ *Dei viriles* omnes Angelorum & spirituum cœlestium chori erant illi longe inferiores, quare Christus sibi ascisebat Angelorum custodiam, qui ad eius nutum erant subiecti, dicentes *esse adsumus*, tanquam ministri, non tamen habebat Angelum custodem designatum, quia sibi habebat substantialiter vnitum Deum Doctorem, & Magistrum defensorem, & protectorem, vt egregie Aug. *in psal.* 62. *vers.* 2. *Protectus est à multitudine malignantium protegente se Deo protegente carnem suam ipso filio & homine, quem gerebat, quia filius hominis est, & filius Dei est &c.*

22 Ea autem quæ adducit hæc secunda solutio friuola omnino sunt, tum quia Authores qui ea dicunt, tam magnæ authoritatis non sunt, vt possint dimouere à communi certáque sententia, tum quia loquuntur impropriè, tum quia filius dicitur custos matris, sed mediis Angelis. Deus etiam dicitur Magister & Doctor noster illuminans intellectum & inflammans voluntatem mediis Angelis nos instruendo, illuminando, & inspirando, quatenus diuinum Magisterium repræsentant ad eum modum quo Deus dicitur apparuisse & loquutum fuisse antiquis Patribus, nõ immediatè, sed mediis Angelis, vt concors est omnium ferè Patrũ sententia, maneat ergo indubitatũ & inconcussum B.V. non solum habuisse. *Guarda de Angeles, sino Angel de Guarda.* & contrarium asserere est honore & cultu indebito Virgi-
23 nem honorare, vt enim † ait Bern. *ep.* 179. *ad Canonicos Lugdunenses* loquens de alia materia de qua hic non disputo. *Miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum nouam inducendo opinionem, quam non probat ratio, nõ commendat antiqua traditio, nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? periculosè præsumimus quidquid ipsorũ in talibus præteriit. Nec verò id tale est quod nisi prætereundũ fuerit Patrum quiuerit omnino diligentiam præterisse. At valdè honorandæ est, (inquis) Mater Domini, benè admones, sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum.* Quæ verba Doct. melliflui, & Theologi profundissimi valdè conueniunt præcedenti Doctrinæ, & multo magis eneruant sequentes responsiones, quæ sunt de materia longè grauiori, quamuis præcedens grauissima sit.

SECTIO II.

In Beata Virgine non fuisse eandem gratiæ habitualis plenitudinem, quæ fuit in Christo.

SVMMARIVM.

1. *An B. Virgo habuerit eandem plenitudinem gratiæ habitualis ac habuit Christus.*
2. *S. Hieronymi dictum affertur, nec non Nazianzeni mens adducitur, & multorum aliorum, & num.* 3. *vsque ad* 9.
10. *An esse per identitatem non sit per substantialem vnionem.*
11. *Christus vnitus fuit vnctione quæ est diuinitas & oleo sanctitatis increatæ ex vi vnionis increatæ, ex Patribus.*
12. *Christi humanitas Deificata & Sanctificata fuit Deitate.*
13. *Bernardi sensus affertur.*
14. *Plenitudo diuinitatis dupliciter fuit in Virgine, ex eodem Bernardo.*
15. *An tota plenitudo diuinitatis quæ est plenitudo gratiæ increatæ respectu humanitatis Christi, & habetur ab ea ratione vnionis hypostaticæ veniat in Virginem.*
16. *Remigij opinio adducitur.*
17. *Sanctissima V. Maria, quem intensionis gradum gratiæ habitualis charitatis & cæterarum virtutum non habuerit.*
18. *Ad quid detur gratia habitualis, & aliarum virtutum infusarum congregatio.*
19. *Per quid B. Virgo dicatur plena gratiæ.*
20. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, ex Apostolo.*
21. *Christus est caput corporis Ecclesiæ.*
22. *Plenitudo gratiæ habitualis Christi tam eminens fuit, quod omnes de eius plenitudine acceperimus.*
23. *An plenitudo gratiæ habitualis quæ fuit in Christo, sit etiam in Maria.*
24. *An idem dicendum de plenitudine gloriæ, quod eadem esset secundum intensionem in B.V. ac in Christo.*

25. *An B.V.æque clarè videret diuinam essentiam ac Christus.*
26. *Visio diuinæ essentiæ conuenit omnibus Beatis secundum participationes luminis gloriæ deriuatæ in eos à fonte verbi Dei, ex S.Thom.*
27. *An B. V. in verbo cognouerit omnia possibilia ac cognouit Christus Dominus.*
28. *Extensio visionis B. V. ad creaturas iuxta quid sit.*
29. *An si in B.V. sit eadem gratiæ plenitudo, ac fuit in Christo ab instanti fuerit Beata sicut Christus.*
30. *Si V. M. in instanti fuit data tota plenitudo gratiæ, quæ augenda non erat data fuerit etiam plenitudo gloriæ sicut Christo.*
31. *Hieronymi & Sophronij sensus.*
32. *An animæ Christi & B.V. erant æquales quantum ad capacitatem obedientialem recipiendi gratiam habitualem.*
33. *Sancti Bernardi Senensis sententia affertur.*
34. *Authoris iudicium & numero seq. vsque ad 38.*

AD tertium, quod notabam in præfato triumpho quem dum vidi latino idiomate erat digestum & modo in vulgarem loquelam doctis, & in doctis communē fuit translatum, vt tonsoribus & sartoribus, & mulierculis nota fiant mysteria, quæ vix docti attingunt, quod enim cōducit, quod sartor & alter homo plebius sciat, quod B.V. nō habuit Angelum custodem, quod habuit eādem gratiam habitualem ac Christus, quod non meruit augmentum gratiæ habitualis, nec gloriam, certè quidem mihi nunquā arrisit, quod huiusmodi difficultates populo alias incognitæ, vulgari sermone euulgētur disputatæ, modo scholastico, sed vtriusque abundet in sensu suo alius iudicet, de hoc quia ego non iudico quemquam.

1 Igitur tertium punctū, quod asterico notaui fuit, quod B.V. habuit eandem plenitudinem gratiæ habitualis, ac habuit Christus, dixi esse contra omnes scholasticos, & quod nullus Pater Ecclesiæ eam expressè docuit, imo nec potuit tuto docere, solum aliqui cōfuse & non ita distinctè loquuntur, quod nō sufficit viro prudenti Theologo, vt in tam absurdam sentētiam prolabatur. Videamus Patrū locutiones quibus nititur huiusmodi
2 inaudita antiquis nouitas S.Hieron.† *in sermone de Assumpt.V.* explicans illa verba, Luc.1. *benè*, inquit, *gratia plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ vero se tota infudit gratiæ plenitudo*, & infra, *in Mariam tota gratiæ plenitudo, quæ in Christo est venit, sed aliter.* Itē in Fulgentio, & Arnoldo Carnotensibus hæc locutio inuenitur, *quod gloria filij cū matre nō tam communis, quam eadē, & vna est Mariæ & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas.* Rursus apud Anselm. *c.11. de excellentia V. quod sicut Deus est omniū Pater sua potentia parando cūcta, ita B.V. Dei genitrix Maria suis meritis cūcta reparādo Mater est, & Domina rerū, & lib. de conceptu Virg. c.18.* ait, *quod decēs erat, vt ea puritate qua maior sub Deo intelligi quit Virgo illa niteret.* Rich. etiā de S.Laur. *lib.9. de laud. Virg. quidquid beatitudinis ab illa infinita bonitate Dei ad genus humanum peruenit totum per istam venam refluxit.*

O bone Deus! dū testimonia ista ita frigida contēplor obstupeo, quod illis nixus aliquis vir doctus audeat ad firmare, quod nullus Patrū, aut Scholasticorū ausus est, vel leuiter insinuare Hoc enim est *vltra malleum loqui*, prudentia enim dictat priusquā ad rē, ita grauē deueniatur in dolio figuralē artem discere, quod prouerbiū egregiè ad propositū enucleat Nazianz. † *orat. de fuga sua alios*
3 *verè edocere prius quā ipsi satis docti sint* (in eo quod docēt) *& in dolio quod aiunt, figulinā in aliorū animis meditari pietatē mihi videtur hominū insigniter insipientiū*, quæ refero ex S.D. nō applico, sed applico & refero egregiā eius S.Greg. doctrinā *epist.26. ad Basiliū*, cui quidam Philosophus obiectabat, quod Spiritus sancti diuinitatem haudquaquam apertè confiteretur. *Neque enim* (ait Greg.) *in verborum sono potius quam in mente & sententia veritas sita est, Ecclesia enim graue vulnus acceptura est, si ob vnius hominis eiectionem veritas profligetur.* Igitur non verborum nudo sono alicuius Patris nitens Theologus nouam doctrinam introducat, sed antiquam defendat, hoc enim est, *pro verbulo acrius pugnare disputandi cupiditas, linguæ prurigo, nouus morbus, auiditásque inexplebilis*, vt idem contra quosdam nouitatum amatores dicebat idem Magnus Theologus, cuius verba grauissima, quæ habet *orat. 33. quæ est prima de Theologia cōtra Eunominianos num. marg.28. quid ergo* (ait) *vir optimè relictis aliis omnibus itineribus, perinde, ac doctrinam nostram paupertatis damnantes ad vnum hoc*
4 *interferimini, quod per disputationes, ac speculationes, vt ipsi putatis, vt autem ego nugas & præstigias, teritur, isto autem sis ipse altus & sublimis, & sublimibus sublimior, atque etiam ipsis nubibus, si ita lubet, altior, rerumque oculorum aspectum superent spectator, quid est quod vnius diei momento Theologos creas, eruditionemque ipsis velut inspiras, & multa imperitè Doctorum conciliabula facis? cur aranearum telis infirmiores illaqueas, ex eoque tibi scitum aliquod, ac præclarum facere videris? cur aduersus fidem crabrones excitat! cur dialecticorum agmen nobis ex tempore producis, non aliter quam olim fabulæ agitantes.* Hæc ibi quibus impingit nouatores Theologos.

De

De quibus conqueritur rescribens idem
5 Greg. Cledonio *orat. 51.* † *scire cupimus* (ait) *quænam hæc tanta sit circa Ecclesiam nouandi libido, vt cuiuis volenti, vt scripturæ vocabulo vtar, prætergredienti oulle præclare ductum & institutum discerpere, ac per furtiuos impetus, vel potius prædatorias & absurdas doctrinas diripere liceat*, in quæ verba sic Nicetas *scire ex te vellemus quænam hac in Ecclesia nouandi libido sit, vt cuiuis liceat Domini gregem discerpere, ac furtiuis & fallacibus sermonibus simpliciores surripere, ac populari vel potius prædatorijs hoc est violentis, ac prodigiosis doctrinis.* Hæc Nicetas nonne prædatorium, violentum & prodigiosum assertum, quod B. Virg. tantam habuit gratiæ habitualis plenitudinem, ac Christus? non ne prodigiosum & prædatorium & prorsus violentum, quod sicut Christus non meruit gratiam habitualem, ita nec B. V. nonne prodigiosum prorsus, quod B. V. æqualem habuerit gloriam essentialem tantaque perfectione & intensione viderit diuinam essentiam, ac filius eius Deus & homo? non ne prodigiosum violentum & prædatorium consentire tacite obiectioni positæ, quod ex dictis manifestè sequatur, quod B. V. simul fuerit viatrix, & comprehentrix, & quod sicut Christus non est promeritus gloriam essentialem animæ, sed accidentalem corporis, ita B.V. quis hæc considerans non proclamat cum Bernardo *honor Reginæ iudicium diligit?*

6 Sed accedamus ad Patres, quos pro se adducit Antigonista: Primus Hieronymus *in serm. de Assumpt.* † sed imprimis sermo iste, vt in impressione de *ann.* 1622. opera & labore Mariani Victorij Episcopi Amerini recognita diligentius multo magis, quam antea sic ponitur titulus *epistola ad Paulam & Eustochium de Assumpt. B. Mariæ Virginis sermo, qui Sophronij esse creditur.* Sophronius autem vixit *anno* 630. tempore Honorij Papæ I. & Heraclij Imperatoris, ducentis ferè annis post obitum Hieronymi, qui ex hac vita nonagenarius migrauit *anno Domini* 422. Et quidem in stylo & phrasi, nec in puncto redolet Hieronymi altitudinem loquendi, habet potius aliquas phrases & modum discurrendi Ambrosianum, quare mihi indubium est epistolam non esse Hieronymi.

7 Verum sit vt dicitur à Sophronio scripta, planus est eius sensus & intelligentia locutionis, loquitur enim manifestè non de gratia habituali creata, sed de gratia increata quæ est ipsa diuinitas, hoc autem ita euidens est, vt cæcutiat, qui non videat. † *Aue* (inquit) *gratia plena* (prosequitur Auctor) *& benè plena, quia cæteris per partes præstatur Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe est quod Dauid canit Psal. 71. vers.... descendit sicut pluuia in vellus. Cælestis planè imber in virgineum vellus placido se infudit illapsu, & tota diuinitatis vnda se contulit in carnem, cum Verbum caro factum est, ac deinde per crucis patibulum expressum terris omnibus salutis pluuiam effudit, & stillicidia gratiæ humanis præstitit mentibus*, & infra, *scit Deus omnia & potest. Propterea quia ita est, sciuit se, ac potuit in vtero Virginis sine sui corruptione miscere ac vnire, vt vnus esset Christus Deus homo, vnaque persona, vnaque substātia ob quod* (nota causalem) *Deo genitrix ele-*
8 *cta & præelecta iure ab Angelo salutatur & prædicatur gratia plena, verè plena per quam largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura, & ideo satis eam deuotissime primum Angelus veneratur & salutat. Miratur itaque & ipse qualū, aut quanta sit quam salutat, non enim simplex, fateor, vel consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna, siquidem veneratione fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequij. Quia etsi in sāctis Patribus & Pro-*
9 *phetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, in Mariam vero totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo, venit, quamquam aliter*, quid illustrius?

Venit ergo plenitudo in Mariam gratiæ increatæ, quæ fuit in Christo in quo (vt ait Paulus *ad Colos. 2. n. 9.*) *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, idest substātialiter vnita in vtero Virginis, in quo etiā venit diuinitatis plenitudo, sed aliter, quia in Virgine nō fuit vnita substātialiter sibi, sicut vnita est in persona Christi & hoc est quod Card. Petr. Damiani dixit, *quod Deus est in Virgine per idētitatē, quomodo in nulla est creatura*, esse autem † 10
per identitatē non est per substantialē vnionē, quia in Virgine est verificata hæc propositio, *quod verbū in vtero eius caro de carne Virginis est factum*, quomodo nullibi exstitit & eodē modo etiā verificatur, quod tota plenitudo gratiæ increatæ, quæ fuit in Christo venit in Mariam, quamquam *aliter*, quia videlicet tota plenitudo diuinitatis, quæ substātialiter vnita fuit in Christo, venit ad Mariā vt eius vtero fieret substantialis vnio, quæ admirabilis excellentia, quā *nec similem visa est, nec habere sequentē*, causa fuit, vt Sophronius se indignū putaret de tanta Virgine loqui, quia videlicet verbi œconomia qua Verbum diuinum filius Dei naturalis totus secundum diuinitatem venit & factus est filius naturalis Virginis, in cuius vtero celebrata est œconomia dicta secundum quā plenitudo omnis diuinitatis & gratiæ increatæ fuit in Christo, & venit in Mariam quamquam *aliter*.

Et quidem quod plenitudo gratiæ in Christo possit propriè intelligi plenitudo diuinitatis, quæ est gratia & sanctificatio in-

creata qua ex vi vnionis hypostaticæ tota humanitas Christi sanctificatur, euidens est in Patribus adeo quod negari nõ possit, sũt enim apud Patres sequentes locutiones pri-
11 ma, quod † Christus vnitus fuit vnctione, quæ est diuinitas & oleo sanctitatis increatæ ex vi vnionis increatæ. Ita Nazianz. *orat.* 36. *quæ est* 4. *de Theolog. n.* 9 3. Cyrill. *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 29. Damasc. *lib.* 3. *de fide cap.* 3. Concil. Francfor. *in epist. ad Episc. Hispaniæ post mediũ;*
12 secunda quod † Christi humanitas deificata, & sanctificata fuit Deitate. Ita Nazianz. *vbi supr. n.* 46. *& orat.* 51. sexta generalis Synodus *act.* 17. *in definit. fidei*, Cyrillus *lib.* 1. *in Isaiam orat.* 4. Et vterque Thomas rigore scholastico loquentes idem fatentur, quod diuina persona ratione vtique diuinitatis est gratia increata, audi S. Doct. 3. *p. quæst.* 6. *art.* 6. *in corp. gratia vnionis est ipsum esse personale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in persona verbi, quod quidem est terminus assumptionis.* Quæ verba sic enucleat Eminentissimus alter Thomas *ibi §. nota secundo, quod cum quis gratiosè dat se ipsum alicui ipsemet vocatur & est gratia iuxta communem vsum loquendi, quo concessum gratiosè donum gratia vocatur, dum dicimus iste fecit mihi hanc gratiam & hoc modo, quia res data humanæ naturæ in mysterio Assumptionis est esse personale filij Dei, ideo ipsum esse personale, vt induit rationem doni gratiosè concessi vocatur gratia; vnionis autem, quia per vnionem habetur à natura cui datum est.* Hæc ibi.

Hanc intelligentiam mihi subministrauit mellifluus Bernardus *hom.* 4. *super missus est, aliquantulum post principium*, vbi sic loquitur.
13 † *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco; & respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obũbrabit tibi? Superius dicta est fuisse gratia plena, & nunc quomodo dicitur Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi? Nunquid potuit repleri gratia & nedum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? si autem Spiritus sanctus erat in ea, quomodo adhuc tanquam nouiter superuenturus repromittitur? An fortè ideo non dixit simpliciter veniet in te, sed addit super, quia & prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc superuenire nunciatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam, at vero cum plena sit illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest quomodo antea fuisse plena intelligenda est? An prior quidem gratia eius tantum repleuerat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debeat quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, quæ ante in illa sicut & in multis sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?* quam intelligentiam in verbis sequentibus latè & profundè enucleat, sentit ergo Bernardus, quod † plenitudo diui- 14
nitatis dupliciter fuit in Virgine, aut spiritualiter per gratiam creatam habitualem, sicut fuit in aliis Sanctis, aut sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitauit, & hoc modo plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo venit in Mariam gratiæ inquam increatæ, quæ est plenitudo diuinitatis.

Ex quibus liquido constat Sophronij sensus, qui est quod † tota plenitudo diuini- 15
tatis, quæ est plenitudo gratiæ increatæ respectu humanitatis Christi, & habetur ab ea ratione vnionis hypostaticæ, hæc eadem tota gratiæ increatæ plenitudo in Virginem venit (nota proprietatem verbi *venit* non dicit fuit) non ratione vnionis hypostaticæ, sed ratione generationis naturalis, qua *Verbum caro factum est* de carne Virginis assumpta & in vtero virgineo celebratæ, & hinc oritur verissimè dictum fuisse à Sophronio, *quod benè Beata Virgo dicitur gratia plena, quia cæteris per partes præstatur Mariæ vero tota se infudit gratiæ plenitudo, quia videlicet ex eo, quod tota plenitudo diuinitatis venit in Mariam*, quia fuit Mater Dei, & in eius vtero celebrata est verbi œconomia, nõ per partes communicata est illi gratia & collectio virtutum, sed in omnibus æquè eminẽs fuit. In aliis enim sanctis, vt ait Remigius
super cap. 2. *epistol. ad Colos.* † *diuinitas habita-* 16
bat per partes in Salomone per sapientiam, in Abraham per fidem, in Dauide per castitatem, in Moyse per mansuetudinem, & sic diuisa quasi est diuinitas in diuersis diuidens se ipsam prout vult, ratione diuersorum effectuum, vt dicitur 1. *ad Corinth.* 12. *num.* 2. *& num.* 30. at in Virgine non per partes, sed tota gratiæ plenitudo, & virtutum se infudit, quia semper est æmulata charismata meliora (legendus est D. Th. *opusc* 8. & Albinus Flaccus, qui vixit *anno* 760. tempore Caroli Magni, vir valdè eruditus *hom.* 2. *in Natiu. B. Mariæ*) non tamen æqualia filio & quis non se cohibet à tali doctrina prorsus in Ecclesia vsque ad nouitatem, introductam inaudita.

Ex clara intelligentia locutionis Sophronij (qui sequendus non esset si vt Antigonista vult sentiret, sed explicandus) liquent aliæ aliorum Patrum, quomodo sint intelligendæ, dicitur quod fuit eadem gloria filij cum Matre, quia honor & gloria filij matri communicatur, sicut dicitur *quod vna est Mariæ & Christi caro*, quia ista de Maria assumpta est, dicitur etiam vtriusque vnus spiritus & vna charitas, per conformitatem, singularem, quæ erat in filio & matre. Aliæ autem locutione Anselmi & Richardi nihil ad præsens deseruiunt cum rectæ verificentur etiamsi B. Virgo non habuerit tantam

tam gratiæ habitualis plenitudinem, & intensionem, ac habuit Christus.

Dirutis iam, & in puluerem redactis fun-
17 damẽtis, quibus nouitas ista satis pernitiosa, & quæ nihil deseruit ad defendendum præseruationem V. Matris ab originali culpa imo rem satis piam, austeram reddit, & odiosam recte sentientibus, nitebatur, probandum est omnino falsam esse sententiam, & nullatenus admittendam cum ex ea magna sequantur absurda. Igitur quod † Sanctissima V. Maria Mater Dei non habuerit eum intensionis gradum gratiæ habitualis charitatis, & cæterarum virtutum, ostensiue probatur non quidem discursibus attinentibus ad Theologum Scholasticum, qui etsi verissimi sint possunt facilius obtenebrari friuolis solutionibus, & subtilitatibus, quas impugnare hic non vacat, & legi possunt apud vtrumque Thomam 3. *p. quæst.* 7. *art.* 10. & apud expositores D. S. sed rationibus de penu dogmatum erutis, & ad Theologum dogmaticum attinentibus.

Prima sit à priori, quia † gratia habitua-
18 lis, & aliarum virtutum infusarum congregatio, vel datur, vt anima Deo coniungatur, per eius participatam naturam, quæ in gratia habituali, & sociis virtutibus splendet, vt sic efficiamur diuinæ naturæ participes, vt ait D. Petrus *epist.* 2. *cap.* 3. vel consequitur ad vnionem substantialem cum Deo quæ vel exigit huiusmodi habitus vt connaturaliter homo Deus potentiis intellectualibus operetur, vel si non exigit, cõgrue dantur animæ sic substantialiter Deo vnitæ, si datur vt anima Deo coniugatur, quanto maior fuerit vnio tanto maior erit quantitas gratiæ habitualis, at nullus Catholicus tuto affirmare queit quod B. V. ita sit Deo per operationem vnita ac Christus, cuius ratio dogmatica est quam tradit D. Thom. 3. *p. quæst.* 7. *art.* 10. *ad* 1. vbi cum obiecisset sibi præcipuum fundamentum nouitatis oppo-
sitæ, quod Beat. Virgin. dicitur gratia ple-
19 na *Lucæ* 1. sic respondet *ad primum dicendum, quod B. V. dicta est plena gratiæ non ex parte ipsius gratiæ, quid non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, sed dicitur esse plena gratia per comparationem ad se ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa à Deo, vt scilicet esset mater vnigeniti eius, & similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister, & testis Dei ad quod erat electus; & idem dicendum est de aliis. Harum autem plenitudinem vna est plenior altera secundum, quod aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem vel inferiorem statum.* Hæc ibi.

Ex quibus dogmatice demonstratur nostra sententia, quia † iuxta Apostolum *ad* 20
Ephesios 4. *num.... vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, siue etiam secundum virtutem in quantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium siue statum, sicut Apostolus dicebat *Ephes.* 3. *n.* 9. *Mihi enim omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes.* Atqui status filij Dei naturalis qualis est Christus longè altior est, & sublimior quam status maternitatis naturalis illius, cuius ratio est de fide, quia vt Christus sit filius naturalis Dei in quantum homo debet esse hypostatice vnitus ipsi Dei filio, non tamen hoc requiritur vt Beata Virgo sit mater naturalis Dei, ratione humanitatis, ergo euidens est dogmatice, quod filius Dei in quantum homo habuit maiorem gratiam habitualem, quam B. V. consequentia me quidem iudice tuto negari non potest, quia vt ratio ipsa dictat naturalis, quanto aliquid receptiuum propinquius est causæ influenti tanto abundantius recipit influxum, cumque anima Christi sit quæ propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationabiles maximam super omnes recipit influentiam gratiæ habitualis.

Secundò probatur, quia de fide est, quod
† Christus est caput corporis Ecclesiæ quod 21
influit in membra mystica gratiam habitualem, cæterásque infusas virtute, & dona supernaturalia, vnde sic respicit gratiam, vt tanquam vniuersale illius principium in omnia membra transfundat, & communicet. Vnde sicut ignis est primus in genere calidorum, ita Christus in genere habenti gratiam, nulla autem causa, etsi calidissima, si non est ignis tantam caloris habet intensionem, ac habet ignis, ergo nullum membrum Ecclesiæ, etiamsi sit illius collum, vt est B. V. ita iuncta capiti Christo habebit æqualem, cum ipso gratiæ habitualis intensionem, sed longè minorem, consequentia est euidens, quia nullum corporis, siue mystici, membrum æquari potest capiti illius in virtute, & gratia, & contrarium est confundere officia membrorum & capitis, vnde de Christo capite dicitur, *vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratia.* quibus verbis S. Euangelista hanc rationem comprehendit, quia plenitudo gratiæ Christi fuit plenitudo vnigeniti à Patre, qui fuit caput Ecclesiæ, & nulla alia potest esse æqualis.

Tertiò, quia † plenitudo gratiæ habitua-
lis Christi tam eminens fuit, quod de ple- 22
nitudine eius omnes acceperimus, vt dicitur Ioann. *cap.* 1. *n.* 12. at de plenitudine Virginalis gratiæ non omnes accepimus, etsi per plenitudinem gratiæ Marianæ omnes

acceperimus de plenitudine Christi, quia ipsa est collum Ecclesiæ, per quod gratia capitis descendit, ad alia membra, quod libenter do Antigonistæ, ideo enim accepimus de plenitudine gratiæ Christi, quia Christus est caput & principium vniuersale gratiæ habitualis ratione suæ plenitudinis,
23 ergo prorsus implicat, quod † plenitudo gratiæ habitualis quæ fuit in Christo sit etiã in Maria, consequentia est euidens, quia Christus constituitur in actu caput, & principium gratiæ respectu aliorum etiam respectu B.V. per gratiam habitualem, ergo eminentior debet esse, & intensior in principio agente quam in B.V. recipiente, quia omne agens etiam ratione virtutis agendi eminentius est & præstantius omni patienti & recipienti, vt ostendit Aug. *lib. 12. de Genes. ad Litter. cap. 16.* & docuit Arist. *lib. 3. de anima text. 19.*

Quartò, idem dogma ostenditur ab absurdis grauissimis quæ ex contraria opiniuncula sequuntur. Primum, quod idem
24 dicẽdum esset † de plenitudine gloriæ, quod eadem esset secundũ intensionem in B.V. ac in Christo sequela manifesta est, quia gratia est semen gloriæ, & ita vbi est plenitudo seminis, est necessario plenitudo fœtus, & fructus si ex parte recipientis semen non sit impedimentum, quale non est in Beat. Virgin. cum immunis fuerit etiam à veniali & qualibet quantumuis minima morali imperfectione, quare sicut est subiectum capax æqualis gratiæ habitualis, cum Christo, necessario est capax æqualis Beatitudinis & gloriæ essentialis cum Christo, quod quantum sit absurdum omni Catholico, quilibet Catholicus videt, ex hoc
25 enim sequeretur, quod † B.V. æquè clarè videret diuinam essentiam; ac Christus Dominus, quod dici existimo non tuto possit, sequela probatur, quia vnus Beatus est beatior aliquo, quia clarius videt Dei essentiam, maior autem claritas oritur ex maiore perfectione substantiali visionis; ergo si ista æqualis in Virgine, ac in Christo, Virgo æquè clarè videt Deum ac Christus. Falsitas autem consequentis probatur à S. Thom. *3. part. quæst. 11. art. 4.* ex Paulo *ad Ephesios 1. num. 15. Deus* (ait) *constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non in hoc sæculo, sed etiam in futuro*, sed in illa cœlesti gloria tanto aliquis est superior quanto perfectius cognoscit Deum, ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam quælibet alia creatura.

Cuius rationem dogmaticam, solidam, & à priori tradit idem S. Doctor. ibidem. *Quia*
26 † *visio diuinæ essentiæ conuenit omnibus Beatis secundum participationes luminis gloriæ deriuatæ in eos à fonte verbi Dei secundum illud Eccles. 1. num. 19. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Huic autem verbo propinquius coniungitur anima Christi, quæ est vnita verbo in persona, quam quæuis alia creatura, & ideo perfectius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur, ab ipso verbo, quam, quæcunque alia creatura, & ideo præ cæteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia, vnde dicitur Ioannis 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre.* O bone Deus? quis non admiratur intellectum Angelicum D. Sancti, qui profundè præuidens hanc nouitatem eam euertit argumento facto.

Deinde sequeretur quod † B.V. in ver- 27
bo cognouerit omnia possibilia, ac cognouit Christus Dominus sequela est manifesta, quia iuxta strictiorem, & obseruantiorem scholã Thomistarum, quam profitetur Antigonista, maior beatitudo, & eius inæqualitas desumitur à cognitione possibilium in diuina essentia, ex vi visionis, vi cuius si plura possibilia cognoscuntur in Deo magis penetratur ipse Deus, & sic clarius, & perfectius attingitur, & sic datur maius lumen gloriæ, vnde si B.V. æqualem visionis plenitudinem habuit, & luminis gloriæ, ea omnia possibilia attigit in verbo ex vi visionis ac Christus, imo sicut Christus Dominus scit omnia quæ Deus scit scientia visionis, per visionem diuinæ essentiæ, eadem etiam cognouit B.V. quod vel insinuare absurdum est, & nullus dixit, vnde amplius sequeretur quod B.V. æqualis esset Christo in scientia per se infusa, in sapientia, & scientia rerum supernaturalium, quia hæc omnia debentur plenitudini gratiæ Christi, si ergo hæc fuit æqualis in Virgine, in cæteris etiam extitit æqualitas.

Hoc argumentum conuincens obieci in epistola Reuereudissimo Antigonistæ, qui respondet, quod † extensio visionis B.V. ad 28
creaturas non est iuxta quantitatem luminis gloriæ, sed iuxta statum cuiuslibet Beati, vnde inferior Beatus potest cognoscere plura per visionem quam alius, qui in altioti gradu Beatitudinis est. Verum enim vero in hoc ab schola Thomistica recedit, quã ipse tueri fatetur in procemio ad lectorem, quamuis enim cognitio futurorum non arguat maiorem perfectionem Beatitudinis, at cognitio possibilium in verbo ex vi visionis euidens est in doctrina D. Thom. quod arguit maiorem beatitudinis essentialis perfectionem vnde S. D. ex cognitione omnium possibilium in verbo ex vi visionis colligit comprehendi Deum; vnde si B.V. æqualem plenitudinẽ visionis habet ac Christus omnia possibilia, quæ Christus cognouit, & ipsa cognouit, quod quidem dicere mihi est omnino absurdum. Rursus licet cognitio futurorum plurium, vel paucorum non arguat maiorem perfectionem visionis & Beatitudinis, at cognitio omnium futurorum & rerum, quæ actu extitere, existunt, aut existent ita vt in numero obiectorum æquetur scientiæ visionis Dei, vt eam habet Christus Teste D. Thom. *vbi supra ad 2.* manifeste arguit maiorem perfectionem visionis, quæ exigit ratione subiecti omnium illorum cognitionem in verbo, dicere autem quod visio B.V. in verbo exigat æquari in numero obiectorum scientiæ visionis Dei plane absurdum est, nec vllus vnquam dixit, & deuotio & pietas directione condita ad hæc concedenda non debet prorumpere, *quia honor Reginæ iudicium diligit.*

29 Tandem obiciebam, quia † si in B.V. est eadem gratiæ plenitudo ac fuit in Christo, etiam ab instanti conceptionis fuit Beata sicut Christus, vnde simul fuit viatrix, & comprehentrix, & solum sibi promeruit gloriam corporis, sicut Christus, & cur hoc non dicitur sicut dicitur, quod non promeruit sibi augmentum gratiæ; hæc ego ibi, quibus ille fere nihil respondet videns ni fallor esse euidentem illationem, quod probo, quia gratiæ plenitudo in Christo fuit consummata, atqui gratiæ consummatæ debetur ex natura rei, visio beata, quia nunquam est gratia consummata, quandiu non terminatur termino viæ quod si isto non consummatur semper potest augeri, & quandiu augeri potest subiectum est in via, & quandiu subiectum est in via, non debet consummatio gratiæ, sicut debita fuit Christo, & ita simul cum plenitudine gratiæ data est illi in instanti suæ cõ-
30 ceptionis plenitudo gloriæ, ergo † si V. Mariæ in instanti est ei data tota plenitudo gratiæ quæ augenda non erat data fuit etiam plenitudo gloriæ sicut Christo; & ita sicut merita Christi solum sibi meruerunt gloriam corporis, & simul fuit viator, & comprehensor, ita de Virgine dicendum, ad quid ergo Virgo indiguit ambulare per fidem, sicut cæteri puri viatores; qui per fidem quæ per charitatem operatur mercatur gloriam, & gratiam, & vtriusque augmentum, sicut ergo B.V. ab instanti suæ conceptionis habuit totam plenitudinem gratiæ, quæ fuit in Christo, nec promeruit augmentum gratiæ, ac per consequens nec augmentum gloriæ, ad quid fides infusa cum visio clara possit concedi; sicut conceditur tota gratiæ plenitudo, quæ in Christo fuit nec video cur ob eius excellentiam quod simul fuit viatrix, & comprehentrix, quod sicut est absurdissimum, ita & illud ex quo infertur:

Sed videamus quid respondeat ad hæc 31
omnia Antigonista hic, dicit enim in responsione ad meam epistolam *num. 12.* quod non est hoc inuentum capitis sui, sed D. Hieronymi aut Sophronij, qui id expresse adfirmauit, quod tota plenitudo gratiæ quæ fuit in Christo venit in Mariam, bene de similibus Theogonetus *apud Atheneum libro 15.*

Terræ loquens, cœloque Philosophatus es.
Sed hisce nulla est cura sermonis tui.

Egregiè quidem dum iste terræ quæ cælo loquitur dicens, rem prorsus absurdam inuentam fuisse Sanctorum, in quorum mentem nec tale venit, quare sui capitis prorsus est chimera inuenta, de qua nulla iura cœlo, vel terræ est, sed à prudentibus spernitur, quid enim illa locutione sentiat. Sophronius iam suprà ex illius contextu monstraui, & locutione mellifluí Doct. illustraui, quæ in præsenti non refero & non dubito, quod si legisset Sophronium *in præfato sermone*, quod & ipse quoque mecum sentiret.

Sed addit, quod † animæ Christi & B. 32
Virginis erant æquales quantum ad capacitatem obedientialem recipiendi gratiam habitualem, quamuis valdè inæquales, quia anima Christi erat vnita hypostaticè verbo Dei, & sic Diuinitati, & primo gratiæ principio vicinior, quam B.V. anima, & sic gratia habitualis in Christo connaturalizata est; fuitque principium actiuum & instrumentum coniunctum Diuinitatis ad producendam omnem gratiam habitualem in omnibus à Christo redemptis, & sic etiam in B.V. quæ fuit solum principium passiuum, tam gratiæ substantialis, & increatæ, (ecce quomodo Antigonista, vel nolens agnoscit in Virgine plenitudinem gratiæ substantialis, & increatæ, de qua absque dubio intelligitur Sophronius,) quam habitualis creatæ ad istam nullo modo se disponit, benè tamen ad substantialem, & increatam, ad quam se disposuit gratia habituali in summo gradu, ac fuit in Christo, & sic dixit S. Bernardus Senens. † *tom. 1. serm. 61. cap. 12. quod oportuit* 33
fœminam eleuari, ad quandam æqualitatem diuinam per quandam quasi infinitatem perfectionum. & Dionysius Carthusianus, *cap. 1. in Lucam, quod B.V. fuit summè disposita & immediatè ad verbi conceptionem per ardentissimum Charitatis actum.*

At ego † subuentanea ista paradoxa 34
prorsus irrideo & amplector solidam Thomistarum sententiam, quæ hucusque viguit in Ecclesia; in qua nihil conducit deuotionis, pietatis, cultus, aut religionis nouitas ista, etsi enim V. Maria vera sit, vt fides docet, mater Dei *lacque dabat illa Deo vbere de cælo pleno*, sicque ipse

Fecit, quod Dominæ nunc quoq; nomen habet.

Domi

Domina quidem omnium quæ Dominus creauit creaturarum est Dei genitrix continēs omnium gratiarum abyssum à qua omnes participant per ipsam, sed non ab ipsa, sed à filio suo, cui gratia erat connaturalis vt Antigonista fatetur, & ab intrinseco illi debita, siue debito naturalis proprietatis, siue debito congruentiæ, vnde manifestè deducitur, quod gratia habitualis alteri præter Christum non est data in eodem gradu, ac Christo, quis enim dicet, quod lux solis
35 alteri præter ipsum in æquali gradu detur, aut calor ignis alteri, quam igni, rursus non est tanta congruentia in pura creatura, quāuis sit mater Dei, cum semper sit persona creata ad hoc quod ei detur gratia habitualis ac est in supposito diuino, qualis est Christus Dominus; quamuis ex ratione maternitatis naturalis Dei hominisque in vna persona vnitorum euecta sit ad quandam æqualitatem cum Deo quatenus filius, & mater æquales sunt in natura, nō vero ad æqualitatē donis supernaturalibus, quæ debita sūt filio Dei, & filio Virginis qui filius Dei est, at Virgini omnino sūt gratuita gratiosequedonata nihil habentia de debito alias nō essent gratia, ipsaque Virgo ad conceptionem verbi disposita est summe, & immediate per actum dilectionis quæ in quantum dispositio supernaturalis ad illam fuit summa, qualis non est possibilis in alia pura creatura nisi verbum Dei concipiat, & hoc modo intelliguntur Bernardinus, & Carthusianus, & si qui sunt alij, qui simili phrasi loquuntur; non vero quod charitas Virginis
36 siue actualis siue habitualis gratia, & cætera Spiritus Sancti dona in intensione æquentur, donis, quæ in Christo sunt, hoc enim asserere ita falsum existimo quod nullus tuto id affirmare queat; quamuis vti dixi. 3. *p. quæst.* 7. *tract.* 2. Beat. Virgo tantam intensionem gratiæ habitualis habuerit vt nulla pura creatura etiam de potentia absoluta maiorem, vel æqualem habere potuerit, simile dixi de gratia habituali Christi, quæ nec de potentia absoluta maior, & intensior esse non possit.

37 Rursus eadem responsio euertitur à radice, ex qua consurgit. Quia etsi quantum ad capacitatem ad recipiendam gratiam habitualē cæteraq; Spiritus S. dona anima Christi, & anima Virginis æquales sint, quia in vtraque æqualis est potentia obedientialis, respectu omnipotentiæ diuinæ, cui omnes creaturæ æqualiter subduntur, etsi inquam æquales sint si hanc potentiam obedientialem mathematice consideremus abstrahendo à fine, sicut quantitati mathematice potest semper sine termino fieri additio, at non quatenus est destinata ab auctore naturæ rebus creatis ad sua munia naturalia exercenda, *nam omnibus natura constantibus signatus est terminus*, siue intrinsecus, siue extrinsecus augmenti, & decrementi, vt dicitur 1. *physico.* & admittunt omnes recte Philosophantes. Ita quamuis si consideretur potentia obedientialis in anima Virginis nō repugnet quod sit æqualis gratia habitualis, ac est in Christo imo, & maior si mathematice consideretur, at omnino repugnat, quod sit æqualis si attendatur finis supernaturalis ad quem ex natura sua ordinatur gratia Virginis, vt congruo fiat digna mater Dei, qui finis longe inferior est, quam quod huma- 38
nitas Christi ad tantam euehatur substantialiter celsitudinem, vt nulla maior excogitari possit, ex qua vnione substantiali animæ Christi cum verbo sequitur necessario maior substantialis vicinitas & approximatio ad diuinitatem quæ est gratia increata, & causa gratiæ habitualis creata quæ Christo datur, & sic euidens est quod in Christo sit maior intensiue, quam in B. V. quare Antigonista sibi implicat in dictis, nam eo ipso quod anima Christi sit vicinior diuinitati & gratia eius sit principium actiuum gratiæ Virginis, quæ est principium passiuum dumtaxat, vt fatetur, euidenter infertur quod in Virgine sit minus intensa, quam in Christo.

SECTIO III.

B. Virginem sibi promeruisse suis operibus gratiæ habitualis augmentum

SVMMARIVM.

1. *An B. V. promeruerit augmentum gratiæ habitualis sibi.*
2. *Tridentini Conc. mens, & n.* 3.
4. *An opera bona hominis iusti non solum erant signa gratiæ habitualis, sed etiam haberent efficaciam, & virtutem ad illam augendam.*
5. *Authoris iudicium affertur.*
6. *An merita & opera hominis iusti augeant gratiam semel acceptam.*
7. *Nazianzeni dictum.*
8. *An intensio habitus supernaturalis celebretur eo modo quo intensio habitus naturalis.*
9. *Triplex gratiæ habitualis perfectio affertur à S. Doctore.*
10. *An gratia secundum se inclinet ad bonum liberum hominis arbitrium, sed defectibiliter & amissibiliter.*
11. *Quandonam gratia habitualis iam habeat perfectionem ex diuina voluntate.*
12. *An terminus & consummatio quæ excludit augmentum sit terminus vitæ æternæ.*
23. *An post verbi conceptionem Beat. Virgo fuerit*

fuerit secura, & confirmata non amittendi beatitudinem.
14. *S. Doctoris sententia adducitur.*
15. *In B. Virgine triplex gratiæ plenitudo est consideranda, & n.* 16. 17. *&* 18.
19. *Prior gratiæ plenitudo mentem B. Virginis impleuerat ex Bernardo, & numero* 20.
21. *Clement. Alex. sensus, necnon multorum aliorum, & n.* 22. *&* 23.

VEniamus denique ad vltimum, quod ego obiiciebam contra id quod asserit
1 *p.* 2. §. 12. quod † B. V. non promeruit augmentum gratiæ habitualis sibi, sed quod ab instanti suæ conceptionis sine meritis suis habuit gratiam totam habitualem, quæ erat habitura in toto suæ vitæ periodo, quæ de condigno promeruit maternitatem Dei, vnde sicut Christus solum nobis meruit gratiam, & gloriam, & sibi gloriam corporis, crescebat gratia, solum quantum ad effectus gratiæ, vt ait D. Thom. 3. *p. quæst.* 7. *art.* 12. *ad* 3. ita B. Virgo *pues por que no sera liciro à nosotros eldecir tambiem conforme a esta doctrina que el augmento que tubola gracia de Maria fue de estos effectos y nodel habito*, ita lingua vulgari ille, sed cantio hæc vulgaris *Agathoneu est*, qua demulcet & prurit aures à veritate auditum diuertit, & ad fabulas conuertit, quare prorsus deridenda, parui pendenda, contemnenda. Opponitur enim ma-
2 nifeste Tridentino † *sess.* 6. *cano.* 24. vbi sic. *si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari atque augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse sanctificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.* quæ dogmatica doctrina nullum excipit, qui sit purus viator, & creatura. Neque B. V. quando enim eam vult excipere ab aliqua veritate dogmatica, ita vt sub illa nō comprehendatur id exprimit, vti fecit *sess.* 5. *in decr. de peccato orig.* sub quo, declarat non esse intentionis suæ comprehendere B. & Immaculatam V. Mariam Dei genitricem, sed obseruandas esse, constitustitutiones Sixti Papæ IV. *& sess.* 6. *cano.* 25. dum à dogmate fidei, quod nullus potest in tota vita peccata omnia etiam venialia vita-
3 re sine speciali Dei priuilegio quemadmodum de B. V. Ecclesia tenet, ast in dogmate, quod iustitia accepta non augeatur coram Deo, per bona opera; sed quod opera sint effectus & signa sanctificationis adeptæ, non autem causæ ipsius augendæ. B. V. non excipit, sed de omnibus iustis viatoribus vniuersale dogma definit. Ergo negari nequit, quod iustitia, & Sanctitas B. V. non augeatur corā Deo, per bona opera, sed quod ista sint fructus significationis adeptæ, & non causa ipsius augendæ.

Sed respondebat, quod intentum Conci- 4
lij contra hæreticos huius temporis fuit definire, quod † opera bona hominis iusti non solum erant signa gratiæ habitæ, vt illi asserebant, sed etiam habere efficaciam & virtutem ad illam augendam, sicut in sententia D. Tho. & Thomistarum, (quam ego pro viribus tutaui in meo Præcursore Theol. *contr.* 4.) actus charitatis remissos de facto non augere gratiam, & charitatem intensiorem, quia nequeunt ob suam debilitatem augmentum physicum gratiæ intensioris inducere. Ita merita B. V. habebant efficaciā, & virtutem ad augendam gratiam si iam ipsam auctam in Summo, non inuenirent, quod si de facto non inducunt augmentum, non est ex defectu virtutis, sed quia iam inueniunt factum, quod poterant, & sic solum merentur nobis gratiam sibi vero dignitatem Matris Dei & gloriæ possessionem.

Verum enim vero quis non videt, quod hic Auctor volantia non solida sectatur, & vt ait Hier. in apologia, primum contra Rufinum, *dum aureos montes pollicetur ne scorteū nummū profert.* Fateor ingenuè † Concil. Tri- 5
dent. contra hæreticos definire bona opera hominis iusti efficaciā, & virtutē habere ad augēdam gratiā & iustitiā, semel habitā quā virtutē negabant hæretici asserētes esse solū signa, non causam sanctitatis augendæ, sed hoc augmentum de facto inferri decernit *cap.* 10. his verbis. *Sic ergo iustificati (per renouationem interioris hominis per voluntariā susceptionem gratiæ, & donorum vt dicitur c.* 7.) *& amici Dei, & domestici facti euntes de virtute in virtutem renouantur, vt ait Apostolus de die in diem hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesia in ipsa iustitia per Christi gratiam acceptam cooperante fide bonis operibus crescunt atque magis iustificantur sicut scriptum est qui iustus est iustificetur adhuc, & iterum ne verearis vsque ad mortem iustificari, & videtis quoniam ex operibus iustificatur homo; & non ex fide tantum. Hoc vero iustitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia cum orat. Da nobis Domine fidei spei, & charitatis augmentum.* Hæc ibi quibus nihil esse potest illustrius, hac enim doctrina determinat vniuersaliter Concilium, quod † merita, & opera hominis iusti nul- 6
lum excipiens, augent gratiam semel acceptam, & non solum quod habeant vim & efficaciam ad augendum quod multis probat scripturæ testimoniis ad hoc ipsum ab eodem Concilio intellectis, *vt qui iustus est iustificetur adhuc, & ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Quis hoc negabit de B. V. aut quis dicet quod B. V. non posset orare dicens *da mihi Domine fidei, spei, & charitatis augmentum*

mentum? & ex hac dogmatica doctrina colligit & definit Tridentin. contra hæreticos, quod bona opera non solum sunt signa iustitiæ, semel acceptæ, sed quod sunt causa illius augendæ, vnde ex eo quod sacra scriptura de facto esse dicit, colligit virtutem & efficaciam bonorum operum.

His accedit quod nullus Catholicorum qui ante vel post Concilium sua scripta typis mandauit, etiamsi prærogatiuas, & excellentias singularissimas de B.V. vt par est dixerit, hanc, quod non meruerit suis eximiis operibus augmentum gratiæ sibi, nec leuiter insinuauit, solum hic author næniis & friuolis argumentis nixus, ausus est sic lingua vulgari publicare, quod nemo alius, nec Græcus, nec Latinus, (ex antiquis, aut doctis Recentioribus) dixit. O quam benè
7 instruit me Nazianzenus *orat. 32. n. 20.* † *Nihil apud Deum ita amplum & magnificum est, vt doctrina perpurgata veritatis dogmatibus instructa, atque perfecta*, si hoc ita est ad quid deseruiunt nouitates istæ, quibus anima non purgatur, sed conspurcatur, etsi sub tegumento pietatis, & deuotionis? quomodo doctrina ista est perpurgata, quæ nullo cribro Catholico est agitata & defucata apolleis & loleis quibus plena est? quomodo anima veritatis dogmatibus instruitur, quando dogmata in hanc imaginationem cæteratim insurgunt, & nullum habet in sui fauorem nisi cogatur & violentetur, valeat ergo solutio ista, & ab scholis & fidelium turmis, à suggestu, & à cathedra eliminetur.

Id enim, quod pro se adducit de actibus remissioribus habitu; qui cum habeant vim ad intendendum & augendum habitum, tamen de facto non intendunt, prorsus est ri-
8 diculum, quia † intensio habitus supernaturalis celebratur eo modo, quo intensio habitus naturalis; qui non augetur nisi per actus interiores, rursus actus remissiores disponunt subiectum, vt intensiores producat, & sic saltem hoc modo concurrunt ad augmentum gratiæ, quod de facto inducitur, posito actu intensiore; at sententia ista etiam per actus, tam intensi & alij intensiores nequeant esse gratiæ B.V. non augēt. Videat ergo Antigonista qualiter satisfaciat Trident. decreto, cum res ista grauissima sit & contra omnes qui hucusque scripsere de laudibus Virginis & eius excellentiis, nescio quo titulo lingua vulgari inoffenso pede currat, videant alij, quia ego fateor debilitatem ingenij mei.

Sed videamus quæ moueant Antigonistam hanc in medium proferre opinionem. Primum fuit authoritas D. Thom. 3. *p. q.* 27.
9 *art.* 5. *ad* 2. vbi S. Doctor. † triplicem considerat in B.V. gratiæ habitualis perfectionem. *Prima est dispositiua per quam se reddebat idonea ad hoc quod esset mater Christi, & hæc fuit perfectio sanctificationis, secunda autem perfectio gratiæ fuit in B. V. ex præsentia filij Dei in eius vtero incarnati. Tertia autem fuit perfectio finis quam habet in gloria*, & infra. *Primo in sua sanctificatione adepta est gratiam inclinantem eam ad bonum, in conceptione autem filij Dei consummata est eius gratia confirmans eam in bono, in sui vero glorificatione consummata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni.* Hactenus ibi, ex quo sic arguit gratia in secunda perfectione scilicet, quum concepit verbum in vtero dicitur consummata, ergo nequit intendi quia consummatum est, cui nihil defuit sicut gratia in gloria consummata dicitur, quia augeri nequit, ergo ideo gratia in secunda perfectione considerata, consummata dicitur, quia quoad habitum augeri nequibat, quamuis illi deficeret vltima consummatio scilicet possessio gloriæ, respondetur, quod obiectio hæc non attigit mentem D. Thom. nec eius phrasim est assecuta, gratia enim † secundum se 10
inclinat ad bonum, liberum hominis arbitrium, sed defectibiliter, & amissibiliter, quia non quælibet gratia habitualis ita inclinat ad bonum, & liberat à malo, quod homine confirmet, & consummet in bono opere, taliter quod per peccatum non possit illam amittere, vt definit Trident. *sess. 6. canon.* 23. † cæterum gratia habitualis iam 11
habet perfectionem ex diuina voluntate quod ex vi illius ita sit homo confirmatus in bono, quod eam inamissibiliter habeat, ita vt non possit declinare à bono, & facere malum; sitque in eo fomes totaliter extinctus, taliter quod non habeat aliam legem contrariam rationi, sed isti totaliter sit ratio inferior subdita, & gratia quæ hoc efficit consummata dicitur, qua consummatione non obstante potest augeri per bona opera, gratia enim qua quis in gratia confirmatur in linea gratiæ viatoris consummata est, quia non potest amitti, quia † terminus, & con- 12
summatio quæ excludit augmentum est terminus vitæ æternæ, qua terminatur via, antequam terminum iam confectum semper est progressus in via, vt perueniatur ad terminum, progressus autem in via ad patriam est secundum augmentum charitatis, vel gratiæ iuxta illud *Prouerb.* 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque in perfectum diem* qui est gloriæ, vt egregie S.D. 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 8. *in corp.* vnde gratia habitualis confirmans in bono consummata dicitur incohatiue, quia sibi ex natura rei debetur vltima, & perfecta consummatio gloriæ, quam nullo modo potest amittere cōfirmatus in gratia, quamuis possit illam habere maiorem, vel minorem, quia potest habere maiorem vel minorem gratiam quæ est semen

men gloriæ, & quidem si B.V. data est gratia habitualis absque merito aliquo, nec illius augmentum meruit de condigno gloria essentialis non dabitur illi tanquam corona, & merces de iustitia debita, sed solum tanquam hæreditas, quod quam absurdum sit non est, qui non videat.

Obiicit secundo authoritatem Damasc. *orat. 1. de dormit. Deipara*, vbi loquēs de B.V. sic fatur. *Mors enim eos perficit beatosque ostēdit, id videlicet ipsis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat. Minimè tamen hoc in te vsurpauimus, nec enim mors tibi beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem conciliauit. Omnium etenim initiū, medīū & finis, securitas, etiam ac vera cōfirmatio in illa seminis experta conceptione posita fuit.* Hæc ibi vbi planè videtur sentire, quod plenitudo gratiæ, tanta fuit in Maria, quod nec post mortem fieret Beata, cum iam esset ante mortē, & post verbi conceptionem omnino secura & confirmata esset in gratia. Respondetur, S.D. nec leuiter insinuasse his verbis; quod B. Virgo non meruerit augmentum gratiæ,
13 solum dicit quod post verbi Conceptionem fuit secura & confirmata non amittēdi beatitudinem, quam secura adhuc viatrix habebat, quod non habent cæteri mortales si in gratia non sunt confirmati, nam illis mors adfert beatitudinem, quia illis adfert, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat, at Virgo etiam ante mortem immutabilis erat in gratia, & sic illi mors beatitudinem non attulit, nec migratio perfectionem conciliauit, & hic est genuinus sensus S.D.

Obiicit tertio duo S. Bernardi loca, quæ me quidem iudice ipse non benè penetrauit cum sint contra ipsum primus locus est, *ex homil. 4. super missus est*, vbi S. D. inquirit quomodo si B.V. dicitur gratia plena, dicitur etiam Spiritus sanctus superueniet in te, nam si plena, quomodo ampliorem recipere poterat, & huic difficultati, respondet S.
14 Doctor † *quod prior gratia eius tantum repleuerat mentem sequens vero etiam ventum perfundere debeat, quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, quæ antea in illa sicut in multis Sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat.* Ex quo sic arguit, quomodo potuit Mariæ gratia habitualis augeri, si anima Virginis plena erat gratia, quia enim prima gratia mentē repleuerat, secunda tum locū in mente non haberet ventrē perfundere debet. Locus secundus eiusdem S. D. *serm.* 2. *de Assumpt. Virg.* vbi explicans Archangeli verba, *Spiritus sanctus superueniet in te*, ait. *Ad quid putamus? nisi vt adueniente iam spiritu plena sibi, eodem superueniente nobis quoque superplena & superfluens fiat*, si autem gratia habitualis Virginis augeri possit, non esset antea plena sibi, at cum plena sibi fuisset, quum Spiritus sanctus superuenit, fuit vt ad nos eius gratia extenderetur, & fieret superplena nobis.

Respondet, quod vt dixi, tuto nequit sic intelligi Bernardus, sitque illi non parua iniuria, quum hoc commentū illi adscribitur, fuit enim prudens B. V. excellentiæ prædicator; quare prudenter est intelligēdus iuxta veram Theologiam, & modum discurrēdi sanctorum. Igitur † in B. Virgine Domina 15
nostra triplex plenitudo gratiæ est consideranda iuxta triplicem statum quem in ipsa considerant Patres, & secunda consummat & perficit primam, & tertia primam & secundam, & prima & secunda ordinatur ad tertiā, in qua est situs terminus & finis creaturæ rationalis, vltra quem progredi nequit, & quo posito non est vltra quid desiderandum à creatura intellectuali, ita repletur gratia sibi proportionata, positis autem prima & secunda plenitudine gratiæ, adhuc est desiderium tertiæ. Igitur plenitudo gratiæ ex parte subiecti non est imaginandū, quod omnem capacitatem & potentiam obediētialem repleat, hoc enim nec S. Tho. nec aliquis prudens dixit, est enim illa potētia obediētialis infinita, sicut & omnipotentia Dei, cui subditur, quare plenitudo gratiæ in aliqua pura creatura dicitur dupliciter, vel quia habet gratiam secundum suam conditionem & intentionem prout in eo est intēsa gratia vsque ad terminum præfixum ei à Deo, vel etiam secundum virtutem in quātum quis habet facultatem gratiæ, ad omnia quæ pertinent ad suum officium siue statum, ad quod homo est diuinitus ordinatus, quam doctrinam egregiè contemplatus est D. Th. 3. *p. q.* 7. *art.* 10. vbi D. Caiet.

Ex qua colligitur, quod in B.V. triplex ple- 16
nitudo gratiæ est consideranda, prima prout est viatrix ad terminū vitæ æternæ & ad cælestē patriā, & hæc plenitudo omnibus sanctis est cōmunis, quatenus omnes præordinati sunt, vt sint ciues cælestis Hierusalem iuxta vniuscuiusque meritorum progressū, & hæc plenitudo fuit in B.V. maior quām in qualibet alia creatura pura, quia in meritis omnes alias antecellit, nec ad hoc potest esse inter Catholicos disputatio, quare plenitudo hæc consideratur secundū præordinationē à Deo factam in executione, quotidie augebatur iuxta meritorum progressum, sēper tamen intra latitudinē plenitudinis præordinatæ à Deo sicut de cæteris prædestinatis lequendum est quibus desiderat Apostolus *ad Ephes. 3. num. 9. vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*, idest gratiæ, & secundū hanc gratiæ plenitudinē B.V. se idoneam constituit tanquā per dispositionē congruā, ad hoc quod esset Mater Dei, secūda † ple- 17
nitudo

nitudo gratiæ est non tam ipsius secundum essentiam, quã secundũ virtutem quatenus scilicet quis habet facultatẽ gratiæ ad omnia quæ pertinent ad suum officium & statum, & hanc plenitudinem non habuit V. Maria vsque ad verbi conceptionem, quia ante hanc non erat Mater Dei, nec officium & statum maternitatis Dei, & Aduocatæ nostræ in possessione acceperat, eo autem ipso quod Verbum concepit ex superuentione Spiritus sancti hanc gratiæ plenitudinem, quoad effectus in totum genus humanũ, & in omnes creaturas tam spirituales, quã corporales; hæc autem plenitudo gratiæ quoad virtutẽ ipsius ratione officij & status potest esse multiplex in vna & eadem persona, v.g.
18 S. Ioan. Euang. triplicẽ habuit gratiæ plenitudinẽ præter illam, quæ communis est omnibus prædestinatis, & quia fuit Apostolus, & quia Euãgelista, & quia filius custos Virginis, quæ officia in lege Euangelica diuersa fuerunt & diuersa munia habebat in quãtum, scriptor Canonicus, in quantum prædicator Euangelij, & in quantum matris Dei custos & filius à Christo illi mater cõmendata. Tertia vero plenitudo in Virgine fuit gratiæ consũmatæ in gloria, quæ est adæquata plenitudo, cum sit finis vltimi possessio.

Ex hac doctrina solida & prorsus vera apparet intellectus Bernardi luce meridiana clarior, est enim verissimus & doctrina, quam tradit Catholica & ab omnibus recepta non nouella, & inaudita, in primo enim testimo-
19 nio dicit, quod † prior plenitudo impleuerat mentem, quia nondum ad officium Matris Dei se extendebat, sed intra mentẽ dumtaxat continebatur ipsam replens, ast secunda quã habuit ex superuentione Spiritus sãcti, etiam ventrẽ perfundere debebat, quia videlicet augmentum gratiæ, quod habuit in conceptione Filij Dei non solum fuit in mẽte, sed virtus eius se extendit, vt & ventrem perfũderet, quatenus in illo miraculosè fuit Verbum diuinum virtute Spiritus sancti cõceptũ, effectaque est ipsius Dei mater. Vnde constat ad secundũ testimoniũ, dicitur enim ex superuentione Spiritus sancti cum *antè fuerit sibi plena, nobis fieri superplena & superfluens*, non quia gratiæ augmentum sibi nõ habuit, quũ Spiritus sanctus superuenit, sed quia tunc accepit plenitudinẽ gratiæ ad officium maternitatis Dei, quod tũc exercuit; & ex consequẽti officiũ maternitatis respectu hominũ & Aduocatæ nostræ, vt eius intercessionibus apud filiũ, quẽ iã habebat ex vi cuius officij secundũ præsentem prouidẽtiam nobis superplena, & superfluens effecta est, cum per plenitudinem matris omnes nos de plenitudine Christi Redemptoris acceperimus.

20 Valeat ergo huiusmodi nouella opinio, cui-
ius triplici nodo, triplex cuneus ex SS. Patrũ & Ecclesiæ communi sensu est appositus, vt nodus aut trica illa penitus dissoluatur & *salis onus*, vnde venit *illuc redeat* in nouitatem à aqua genitus resolutus, nouitate ipsa absorbeatur sub aquis vehementibus; est enim in ea nõ modica superstitio, quatenus defert cultum Virgini indebitum, & sic inanis quemadmodum (ait Clem. Alex. *lib.* 7. *stromat*) † *amygdalæ dicuntur inanes non in* 21
quibus nihil est, sed in quibus id quod inest, est inutile, sunt enim huiusmodi nouitatum in his rebus grauissimis aduersũ communẽ Ecclesiæ doctrinam introductores amari, velut agrestes amygdalæ. Hic autẽ nouitatũ affectus (vt ait Nazianz. *orat.* 1. *de fuga sua in Põtum*) *moderatorum hominum, nec prorsus malorum, qui etiamsi à veritate aberrent tamen, quia ob religionis studium, & quod zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam hoc patiuntur, &c.* nunquid non ex zelo Virginis & pietate erga ipsam mouebantur Colliridiani hæretici, dum illi sacrificium offerebant de quibus Epiphanius *hæres.* 79. qui §. 4. circa finem notat, *quod Christus Virginem Matrem mulierem appellauit, vt nemo Sacro-sanctæ Virginis vehementiore quidem admiratione permotus sese ad illius nugas conuerteretur, &* §. 7. *quæ cum ita sint, vnde nobis Draco iste volubilis emersit? cur obliqua con-* 22
silia renouantur. Honoretur sancta Maria Pater vero, Filius, & Spiritus sanctus adorentur; Mariam adorare nemo velit, adoratione scilicet latriæ, non ergo quicunque cultus qui veræ Theologiæ non sit conformis attribuendus B. V. nisi qui sit secundum scientiam. Vnde idem Epiphanius *hæres.* 78. §. 4 *sit Maria apud te sancta Virgo, sanctum vas; non conuenit colere sanctos vltra decorum. Ne-*
que enim Deus est Maria, de cœlo corpus habet, 23
sed ex conceptione viri & mulieris secundum promissionem vero velut Isaac disposita, quare non omnis honor, qui Christo Filio Dei datur, nec omnis habitualis gratiæ plenitudo illi impingenda; alias & sacerdotium illi esset dandum; vt arguit Epiphanius ipse *hæres.* 79. §. 3. cum rationes ob quas aliis fœminis sacerdotium non cõceditur in B. Virgine omnino deficiant cum summa prudẽtia, constantia, sapientia & aliis requisitis ad hoc officium in illa resplendeant, *at id non placuit*, ait Epiphanius, non placeat, ergo similiter, quod excellentiæ singulares Christi quas nullus antiquorum, aut modernorum, quæ sua scripta prælo dedere Virgini dedere, dentur, sed maneant semper Christo singulares illius proprietates.

RESOLV

RESOLVTIO VIII.

Vtrum Eunuchi vtroque testiculo carentes possint habere matrimonialem residentiam.

GRAVIS, & iucunda est præsens difficultas & scitu dignissima, continet enim grauem doctrinam eaque enucleatius explicatur, qua ratione consensus saltim implicitus in copulam sit iure naturæ requisitus, vt matrimonialis residentia subsistat validè & licitè, vt tamen difficultas penitus comprehendatur aliqua sunt supponenda.

§. I.

Supponuntur aliqua.

SVMMARIVM.

1. *Qui vocentur Eunuchi, ex Abulensi, & num.* 2.
3. *An possint fœminæ esse Eunuchæ.*
4. *Galeni sensus affertur, & n.* 5.
6. *Quis Eunuchismus possit dupliciter inesse.*
7. *An si Eunuchismus superueniat post matrimonium consummatum, sit insolubile matrimonium.*
8. *Ratio difficultatis diluitur.*
9. *An obligatio reddendi debitum, saltem radicalis & implicita sit essentialis, vel ad minus propria passio inseparabiles ab essentia matrimonij.*
10. *Dicastilli mens adducitur, & n.* 11. *necnon Plinij, & n.* 12.
13. *Intentio prolis est quid essentialissimum in matrimonio, ex S. Thoma.*
14. *An ius ad coitum & obligatio reddendi debitum ortum fuerit necessario ex contractu matrimonij.*
15. *Quomodo maneat ius ad copulam radicale.*
16. *Quid ex præmissis sit deducendum.*
17. *Matrimonium essentialiter exigit sexuum diuersitatem.*
18. *Multorum DD. sententiæ afferuntur.*
19. *An consensus necessario & essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè saltem debet ferri in perpetuitatem, prolem & fidem.*
20. *An intentio opposita bono prolis & bono fidei in sua radice consideratis sit opposita matrimonio.*
21. *Consensus essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè debet ferri in copulam, ex Dicastillo.*
22. *Copula est purum obiectum & terminus obligationis & traditionis mutuæ ex eodem.*
23. *S. Thomæ mens adducitur, & n.* 24.
25. *An de ratione & essentia veri matrimonij sit voluntas saltem implicita in ipsius perpetuitatem & insolubilitatem, quam habet matrimonij contractus iure naturæ.*
26. *Cardinalem de Lugo inter & Dicastillum dissidium ostenditur.*
27. *An ille qui vult contrahere matrimonium ignorans vinculum esse perpetuum, possit adhuc validè contrahere ex Suarez.*
28. *Thomæ Sanchez sententia affertur.*
29. *Authoris iudicium, & n.* 30. 31. *&* 32.
33. *Variorum authorum opiniones adducuntur, & num.* 39.
34. *Nunc inter Iudæos infideles non dissoluitur matrimonium virtute legis repudij, ex Perez.*
35. *Cardinalis de Lugo assertio, & n.* 36. *&* 37.
38. *Quid veniat colligendum.*
40. *An Iudæi baptizati si in sua perfidia obstinati existant legem Moysi profitentes, si iuxta hunc ritum matrimonium contrahant, sit inualidum & nullum.*
41. *An Deus potuerit instituere contractum societatis inter virum & fœminam absque ordine ad generationem.*
42. *Quid ex suppositis veniat concludendum.*

INpræsentiarum per Eunuchos intelligi- 1
mus eos de quibus, Deuteronom. *cap.* 23. *n.* 1. dicitur *non intrabit Eunuchus ablatis, vel amputatis testiculis & abscisso veretro Ecclesiam Domini*, in quæ verba sic Abulensis ibi *q.* 1. † *vocantur Eunuchi qui castrati sunt, vel naturaliter tantum frigidi, quod nullo modo coire queãt, etsi dabantur nobiles Dominæ in custodiam Eunuchis idest castratis, vt sæpè patet in Chronicis.* hic autẽ solùm accipitur pro illo qui habẽtes integra genitalia natura prohibente coire non valent, quia de castratis infra dicitur, & per Eunuchos etiam intelliguntur, qui maleficiati sunt ad semper, *quia si hoc constaret, nõ contrahebant matrimonium. Atritis, vel amputatis testiculis vterque prohibetur, quia generare non potest, licet enim ha-* 2
beat virgam quæ eleuari possit & cognoscere fœminam, ita quod claustra virginalia rumpant, tamen semen effundere nequeunt, quia testiculorum officium est, vt in coitu per quasdam cordulas, siue cinasos ascendentes tangant vasa seminaria ad distillationem seminis, quibus non existentibus, vel si læsi sunt, vasa illa immota manentia generationem nunquam complent, & abscisso veretro, idest virga virili, & dicitur veretrum secundum Isidorum lib. 11. *Ethym. quasi virtus tenens, idest seminalem fluxum, qui dicitur virtus, vel veretrum, idest viritium, quia soli viri illud habent.* Hactenus Abulens. eadem etsi non ita explicatius tradit Plin. *l.* 6. *Itaque* (ait) *erant Eunuchi testibus excisis solis, aut etiam cum veretro, & contritis.*

3 Sed † an fœminæ pari modo possint esse Eunuchæ vel quibus elisi sint testiculi. Gaspar Enil. *in apparatu coniugali lib. 1. qui est 3. Epidorpidum pag. in paruulis 41. in Arabia gens est Creophagos vocant quibus nedum viri, sed mulieres excindi solebant; sicut de Andamite Lydorum Rege, qui primus eunuchas fecit mulieres sermo proditus est, quo exemplo in Ægypto aliquando mulieres exscindebantur.* Hæc ibi, Eunuchismus ergo vtrique sexui est communis sicut, & membra genitalia, quamuis differentia, positione, & magni-
4 tudine, vt his verbis † docuit Galenus *lib. 2. de sermone, est enim* (ait) *proportio maxima inter genitalia masculi & fœminæ, omnia siquidem genitalia membra, tum mascula, tum fœminea habere eadem videntur positione tamen & magnitudine differentia. Quin & vasa testes nutrientia vtrique sexui ex eisdem venis & arteriis procedunt, &c.* vnde fit quod si
5 cordæ testiculorum fœminæ abscindantur cum seminaria vasa immota maneant & intacta, semen in fœminis quale quale illud fuerit requisitum non distilletur, nisi euanidum & non laboratum, etiam vt sit principium passiuum generationis, sicut fit in viris dum sunt eorum testiculi auulsi, excisi, atriti, qui nequeunt nisi humorem aqueum vacuum tamen & improlificum instillare, quod agere & perficere nequit generationem, vnde mulier eunucha, etsi quod fœmina tribuit sit passiuum in generatione, tamen si testiculos non habeat non erit passiuum benè dispositum, vt generatio compleatur, sicut contingit in sterilibus, quare impassiuum semen ineptum est, vt simul cum illo semen actiuum viri generet.

6 Suppono secundum, quod † Eunuchismus iste potest dupliciter inesse, vel ante matrimonium initum, vel postquam iam est contractum, quod etiam dupliciter fieri potest, aut post matrimonium dumtaxat ratum, & non consummatum, aut postquam consummatum est, difficultas præsens solum agitatur, quum eunuchismus antecedit matrimonium, nam si postquam contractum est siue sit consummatum, siue dumtaxat ratum, eunuchus quis efficiatur siue per auulsionem testiculorum, aut contritionem, siue per excisionem veretri, aut quocumque alio modo fiat impotens perpetuo ad verum semen intra fœmineum vas immittendum, manet obligatio matrimonialis residentiæ, etsi an possint coniuges isti coire si vas vir penetrare possit adhuc sub litigio sit, de quo dicam.

7 Et quidem quod si † matrimonium sit iam consummatum, & ex accidenti Eunuchismus, aut impotentia perpetua superueniat coëundi, quod perseuerat obligatio residendi matrimonialiter certum est apud Catholicos, quia de fide est quod matrimonium consummatum sit insolubile, est enim inseparabilitas de iure diuino, vt definit Trident. *sess.* 24. & de iure naturæ quidquid aliqui contrarium dicant, contra quos benè insurgit Dicastillus *disput. 2. de matrim. dub.* 28. vbi subuentaneam Caramuelis sententiã circa fornicationem simplicem quod non sit prohibita, quia mala, sed mala quia prohibita iure diuino, sic habet in sua Theologia Morali (ne dicam antimoralis) *lib. 3. n.* 1600.

Idem omnino asserendum est, etsi non cum tanta certitudine si Eunuchismus superueniat matrimonio dumtaxat rato, & non consummato, quod tunc non dirimat matrimonium & contrarium asserere ad minus erit temerarium, quare explodendi sunt pauci Authores antiqui, qui per Eunuchismum superuenientem adseuerare dissolui matrimonium ratum. Ratio est, quia † matrimonium ratum est insolubile taliter, & quod in Ecclesia sit receptum, quod solum dissoluatur per professionem solemnem in religione, aut si mauis iuxta plurium Doctorum sententiam per dispensationem Pontificiam; neque vnquam visum est, quod matrimonium ratum dissoluatur ipso facto per impotentiam superuenientem, nisi Pontifex sequendo opinionem probabilem dispenset, & sic possunt intelligi duo textus, qui alias erant difficiles, primus *cap. proposuisti* 32. *quæst.* 2. qui est Greg. III. & secundus *cap. ex litteris de frig. & maleficia*, qui est Alexand. III. & vterque licentiam dedit transeundi ad aliud matrimoniũ ob impotentiam superuenientem coëundi & consummandi matrimonium, alias interpretationes horum text. adducunt Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 102. Bellarm. *lib. 4. de Pontifice cap.* 12. Menoch. *de arbitr. lib. 2. censur. 5. casu* 420. *n.* 95.

Sed est contra hoc argumentum, quod confusione difficile reddidit Dicastillus *disputat. 7. de matrimon. num.* 468. & non benè intelligens communem solutionem, fingit quem suis argutiis confodiat. Igitur argumentum est tale, quia † obligatio re-
9 dendi debitum saltim radicalis, & implicita est essentialis, vel ad minus propria passio inseparabilis ab essentia matrimonij, atqui hæc obligatio fundatur essentialiter in habilitate naturali corporum, vt possint commisceri ad generationem celebrandam; atqui hæc habilitas etiam radicalis, aufertur eo ipso quod quis Eunuchus fiat post matrimoniũ contractum, imo & consummatũ (si mauis) ergo & obligatio reddẽdi debitũ etiã radicalis, & ius illud exigendi non secus, ac Lot amisit ius exigendi debi

debitum ab vxore sua conuersa in statuam salis, & ius quod ego habeo ad domũ si ista conuertatur in saxum, etsi ex pacto ego & Petrus haberemus ius & mutuo nos visitaremus ambulantes, aut videremus si à Petro oculi eruantur, vel pedes abscinderẽtur iam ius istud etiam radicale expirat; ergo matrimoniũ etiã dissoluitur, consequẽtia ista probatur, quia esse aliqua naturaliter subsistere nequit si ab illa passio inseparabilis auferatur, sed necessariũ est miraculum sicut adest in sacramento altaris, vt quantitas conseruetur sine inhæsione actuali subiecti, quæ est propria passio inseparabilis quantitatis.

10 Hoc argumento conuictus Dicastillus à communi & certa doctrina diuertit, vt vel in rebus certis noua cantio introducatur. Quare dicit *n.* 469. quod in præfato casu siue sit in matrimonio rato, siue in cõsummato nõ remanet obligatio etiã radicalis & remota reddendi debitũ, nec ius ad illud etiã remotũ, quod essentialiter fundatur in potentia coëundi non secus, ac relatio paternitatis, ablata autẽ potẽtia per Eunuchismum superuenientem aufertur fundamẽtum iuris & sic nullomodo manet etiam radicaliter emoritur potentia, & instrumentum essentialiter requisitum ad reddendum debitum, & sic euanescit & desinit esse obligatio omnis, sicut mortua vxore emoritur ius petendi ab illa. Quare sic concludit.

11 *Abolita penitus potentia physica, quæ est fũdamentum essentiale iuris etiam radicalis ad vsum talis potentiæ, non assequor qua ratione possit intelligi ius radicale manere ad omnino impossibile. Quando ergo dicitur adhuc manere ius & vinculum, solum debet intelligi quoad alia primo, quod adhuc maneant coniuges sibi mutuo disiuncti ad seruandam fidẽ coniugalem non admittendi alium ad aliqua turpia, & inhonesta, quæ si fiant sint contra ius alterius coniugis, & contra fidem sibi mutuo datam & quod non solum coniux factus impotens sit propter impotentiam incapax coniugij, sed ille & alter, adhuc fortè potens non possint vtroque viuente citra iniuriam, alieno quacumque ratione carnaliter coniũgi, quod debeant se mutuo amare, foucre, cohabitare, iuuare, & cætera præstare, quæ alioquin debuissent si potentia maneret in vtroque, sola exclusa obligatione & iure ad copulam factam impossibilem.* Hactenus ille.

12 Verum enim vero, vt benè Plin. *lib. 35. hist. c.* 10. *sæpè nocet nimia diligentia*, præcipuè quibusdam scriptoribus, qui vt aliquid noui introducant cõtra communẽ sensum & intelligentiam plus satis acuratè dicta aliorum scrutantur & morosa diligẽtia sine fine premuntur taliter, quod manum de tabula nesciunt auertere nisi antiquorum lucubrationes impugnentur. Hoc accidit Dicastillo in in præsenti argumẽto, omnes enim antiqui

fine discrimine adfirmant, quod, quum aduenit matrimonio iã celebrato siue ratũ sit siue cõsummatum impotẽtia perpetua siue Eunuchismus cũ ex natura contractus, & ex vi illius sit translatũ dominium corporũ tũc aptorum ad coitum & generationẽ sitque acquisitum mutuũ ius inter cõiuges ad debitũ coniugale, siue reddendum siue petendum, ad prolẽ generandam, quæ est bonum matrimonij, sicut & fides, quæ nõ intelligitur actualis, sed debitum seruãdi fidẽ & non diuidendi carnẽ suã cum alio, quod ius semper manet sicut & obligatio, vt fatetur ipse Dicastil. quia ordo ad hæc bona est essẽtialis matrimonio, vt ait egregiè S. Th. *in 4. dist.* 31. 1
q. 2. art. 3. in fine corporis, sic accipiendo prolẽ, *idest intentio prolis est essentialissimũ in matrimonio*, sicut homini est essẽtiale esse naturæ; ergo si quum cõtractum est matrimonium inter personas habiles ad coitum erat essentialissimum ordo ad coitum & commixtionẽ vtriusque sexus si manet matrimonium superueniẽte Eunuchismo euidẽs est, quod maneat ius & obligatio radicalis, qui fundatur in illo ordine implicito & essentialissimo matrimonij, ad copulã & commixtionẽ carnalem, quamuis per accidens extincta fuerit potentia physica ad coitum; sicut paternitatis relaxatio fundatur in potẽtia proxima generãdi taliter, quod sine illa sit impossibilis talis relaxatio subsistere, & tamen si Pater Eunuchus fiat nõ amittit relationem iam habitam, etsi non possit extendi ad nouos filios, quos impossibile est habere, quia deficit potentia generandi. Ita † ius ad coi- 14
tum & obligatio reddendi debitum ortum fuit necessario ex cõtractu matrimonij, imo hoc mutuum ius & obligatio est ipsum matrimonium fundata in potentia physica tanquam in fundamento proximo & subiectata in toto supposito, etiãsi potentia proxima generãdi per Eunuchismum auferatur, per quod aufertur quod ius illud sit expeditum, & obligatio exerat vires ad obligandum ad reddendum debitum, nihilominus viuente vtroque cõiuge manet ius ad petendum debitum, etsi vt dixi impeditum per accidens sicut manet in coniugibus, qui solemniter profitẽtur in religione, & moraliter maneãt impotentes ad coëundem ratione voti solemnis (quod ex natura rei dirimere matrimonium alibi monstraui.)

Ex qua verissima omnium antiquorũ doctrina soluitur argumẽtum præfatũ, & euanescunt futilia argumenta, quæ mouerunt Dicastillum, quod iã cõstat † quomodo ma- 15
neat ius ad copulam radicale quidem & impedimentum per Eunuchismum aduenientẽ matrimonio contracto, semper quod manet vterque coniux in rerum natura in quibus subiectatur ius istud, etsi fundamen-

tum proximum huius iuris fuerit potentia generatiua, qua ablata cum maneat subiectum iuris & obligationis, ista manent etsi impedita ex accidenti superueniente, quod secus est de vxore Lot quæ eo ipso, quod conuersa est in salis statuam corrupta fuit, & dissolutum matrimonium per mortem, similiter si domus ad quam habeo ius existente in specie domus conuertatur in rupem iam domus substantialiter mutata est, quare ius in illam amissi alia omitto, quia nænia sunt & indignæ, vt illius motus quis à communi sententia discedat.

16 Secundùm arguere quis potest, quia † si mulier vir efficiatur, vt sæpius effectum narrant historiæ veridicæ, (quas refert Iorreb Lanca *de iure spirit. lib.5. cap.9.à n.20.*) imo taliter, quod post nuptam, vt fœmina, veretro erumpente, nupserit, vt vir & filios genuerit de quadam fœmina Gaetana referunt Pontanus *in hist.Neapoli.* Sabellicus *l.9. Exemplorum.* Antonius Torquemada *in hort. dialog.*1. & probat idem Iorrebl.) & ex hac transformatione in omnium sententia dissoluitur vinculum matrimonij quoad omnem matrimonialē residentiam, ergo si post cōtractum matrimoniū superueniat Eunuchis. cum auferatur potentia physica coeūdi, non secus ac dum fœmina erumpit in virum, etiam auferetur & totaliter euanescet nedum ius proximum, sed etiam radicale ad exigendum. Respondetur esse disparem
17 omnino rationem, quia † matrimonium essentialiter exigit sexuum diuersitatem iuxta quam cōtrahentes sunt habiles ad copulam ordinatam ex natura contractus ad prolem generandam, quare si mulier ita erumpat in virum, vt inepta efficiatur ad munus ad quod contraxit iam effecta est, quasi aliud suppositum, & sic ius ad exigendum extinctum est, quia subiectum accidentaliter diuersum, at dum erumpit veretrum substantialiter fit diuersum à se ipso, dum con-
18 traxit. Legantur † Perez *disp.*37. *de matrim. sect.*24. Martin. del Rio *lib.2. disquisit. Magic. quæst.*22. existimo, quod (etsi sit impossibile,) vir mutetur in fœmina est tamē possibile, quod fœmina mutetur in virum, id quod mihi est indubitabile ex Hypocrate *lib.6. Epidemiar. cap.*8. Galeno *lib. de vsurpat. & lib. de Ano tom. administra.* Auicenna & omnibus medicis, de hoc enim sunt oculati testes tam antiqui, quam recentiores, quos omnes mentiri nefas est imaginare, quare si ita fortiter erumpat veretrum, quod vas fœmineum ineptum reddatur ad generationem, matrimonium ex natura rei dissoluitur, secus verò si vas fœmineum aptum relinquatur, quare hæc sit generalis regula quoties Ermaphrodita potest ratione sexus validè contrahere, etiamsi fœmina erumpat in virum, taliter quod ipsa possit, vt vir contrahere si potest etiam vt fœmina, non dissoluitur matrimonium, & est obligatio residentiæ matrimonialis.

Suppono tertium † consensum necessariò 19
& essentialiter requisitum ad matrimonium implicitè saltem debere ferri in perpetuitatem, prolem, & fidem & quidem de prole & fide in superiore suppositione & in superioribus, dum de matrimoniali residentia B. V. & S. Iosephi dictum est, cum enim proles & fides id est intentio habendi prolem & debitum seruandi fidem, sit quod *essentialissimum* matrimonio, necessario cōsensus matrimonialis essentialiter requisitus implicitè fertur in prolem & fidem, quamuis non requiratur, quod adsit voluntaria & libera expressa intentio, quæ feratur in hæc duo matrimonij bona, vti diximus de B.V. quamuis
iuxta D.Th. vt mox dicam † intentio oppo- 20
sita bono prolis, & bono fidei in sua radice consideratis sit opposita matrimonio, taliter quod illud euertat, quia sine istis matrimonium esse non potest, quia in matrimonio ex ipsa pactione matrimoniali causantur, ita quod si aliquod contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium. Ita S. D. *art.*3. *cit.* quem sequuntur Thomas Sanchez *lib.2. de matrim. disp.*29. *n.*12. qui optimè distinguit duas intentiones, circa fidem & prolem, vna est quæ opponitur facto, vt si quis dum contrahit habeat intentionem, vitandi prolem, & habitam non educare, vel negandi debitum & adulterari non seruando actualem fidem, & hæc intentio intus retenta, & non in pactum exterius deducta non euertit essentiā matrimonij, hæc enim solum respicit fidem & prolem in suiis principiis, altera intentio est circa obligationem ad huiusmodi bona, ex pactione enim coniugali causatur obligatio ad non impediendā prolem, & non negandi debitum, & non diuidendi carnem suam cum altero, cum ex vi cōtractus immediatè, & primario efficiatur mutua corporum traditio ad commixtionē carnalem, & mutua obligatio in vtroque contrahente ad huiusmodi commixtionem faciendam. Vnde intentio hæc euertit matrimonij cōsensum essentialiter requisitum, non vero altera prior intentio, quæ non respicit obligationem, sed executionem, ita Dicastillus *disp.2. de matrim. à n.*23. Coninch *disp.*24. *dub.*4. & dubio procul est sententia D.Tho. *vbi suprà* quam sequuntur S. Bonauent. *in 4. dist.*31. *art.*1. *quæst.*3. Paludanus *dist.*50. *quæst.*2. *art.*1. *n.*4. S. Anton. 3. *p. tit.*1. *cap.*19. §.1. *in fine.* Tabiena *matrim.*2. *q.*3. *n.*4. Ledesma *quæst.*48. *de matrim. art.*2. *dub.*1.

Ex quo colligitur contra Dicastil. *vbi modo*

21 *do num.*28. quod † consensus essentialiter requisitus ad matrimonium implicite debet ferri in copulam, est expressum D. Thom. agens de matrim. B.V. cum S. Iosepho cuius verba supra dedi, nec existimo posse negari à Dicastillo, qui dicit, *quod consensus essentialiter requisitus directe fertur in mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, & media traditione in mutuam obligationē ad eandē copulam atque ita fieri non potest, quin respectus ad copulam inuoluatur*, ergo fieri non potest quin, ille, qui vult se obligare ad copulam non velit implicitè copulam ipsam, quamuis enim copula ipsa non sit effectus huius obligationis, & traditionis mutuæ corporum sed obiectum, & terminum illarum; in quæ necessario fertur consensus, at fallitur
22 omnino Dicastillus dicens † quod copula est purum obiectum, & terminus obligationis, & traditionis mutuæ, cum copula efficiatur non ab alio quam coniugibus ex vi obligationis, & traditionis mutuæ: & ita euidens est, quod consensus qui fertur in traditionem corporum, & mutuam obligationem ad copulam implicitè fertur in istam, & illam vult implicitè non in seipsa, sed in sua obligatione, quum enim aliquid recipitur, vt purum terminatiuum & obiectum alicuius habitudinis non qui necessariò vult habitudinem, vult terminum & obiectum; Deus enim vult permissionem peccati, & tamen abominatur peccatum.

23 Circa perpetuitatem quæ est bonum sacramenti, sic loquitur D. Thom. *art.*3. *cit.* † *Si autem dicatur principalius, quod est essentialius; sic distinguendum est, quia fides & proles possunt dupliciter considerari. Vno modo in seipsis, & sic pertinent ad vsum matrimonij, per quem & proles producitur, & pactio coniugalis seruatur, sed indiuisibilitas, quam Sacramentum importat, pertinet ad ipsum sacramentum, secundum se, quia ex hoc ipso quod*
24 *per pactionem coniugalem sibi inuicem sui potestatem in perpetuū coniuges tradunt sequitur, quod separari non possint; & inde est, quod matrimonium, non inuenitur sine separabilitate; inuenitur tamen sine fide & prole, quia esse rei non dependet ab vsu suo; & secundum hoc Sacramentum est essentialius matrimonio, quam fides & proles.* Hæc ibi; & est commune Theologorum placitum.

25 Igitur certissimum † de ratione & essentia veri & validi matrimonij esse voluntatem saltem implicitam in ipsius perpetuitatem & insolubilitatem, quam habet matrimonij contractus iure naturæ; ita vt non sit verum matrimonium, si adsit voluntas illud contrahendi ad tempus, vel dandi libellum repudij, nisi illud det vir ex diuina dispensatione, & de Iudaico Populo constat, in quo vera existebant matrimonia; etiamsi contraheretur matrimoniū intentione dandi libellum repudij, secundum quod dispensatio diuina disponebat, licitè enim & validè Iudæi à tempore Moysis vxores repudiabant, & cum aliis contrahebant, vt dicit D. Thom. *in 4. dist.*33. *q.*1. *artic.*2. *quæstiunc.*2. esse probabile (quamuis suo tempore contrarium communis sustineretur, vnde problematicè vtrumque defendit S. Doctor satisfaciens rationibus vtriusque sententiæ, quod satis rarum est in S. Doctor. qui ferè semper iudicium suum determinatum nobis propalauit, quod valde debent aduertere scriptores ad quid refert opiniones aliorum referre, & iudicium proprium occultum reseruare, quod nisi in casu non debet fieri:) etiamsi dum contraheretur matrimonium secundum legem in qua diuinitus erat dispensatum in perpetuitate matrimonij, & licebat ex causa absque culpa, vt ait Chrysost. *hom.*17. *in c.*5. *Matth.* vinculum matrimonij soluere cuius inseparabilitas ex causa diuinæ dispensationis tollebatur.

Ex qua doctrina colligitur quid sentien- 26
dum sit in illo dissidio inter Cardinalem de Lugo *disput.*8. *de Sacram. sect.*8. *à num.*126. & Dicastillum *disp.*2. *de matrim. dub.*4. *à n.*20. Cardinalis enim dicit loquens de Abyssinorum matrimoniis, quod sicuti dum contrahebant ignorabant omnino inuincibiliter vinculum matrimonij esse perpetuum, & insolubile, habebant tamen voluntatem actualem contrahendi matrimonium validum illa ignorantia non est antecedens cum fine illa etiam contrahens matrimonium iuxta naturæ legem, sed est solum concomitans, quæ non limitat intentionem illam generalem contrahendi validè, iuxta naturæ legem, qua matrimonium validum ex natura rei est indissolubile, & perpetuum, quod probat ex doctrina Suarez *tom.*2. *de Relig. tract.*2. *lib.*1. *cap.*3. *num.*9. quod ille qui vult 27
contrahere matrimonium ignorans vinculum esse perpetuum possit adhuc validè contrahere; quia habet generalem intentionem faciendi illum contractum, eo modo quo tenetur; & ita includitur voluntas perpetuitatis.

Sed Dicastillus aliter procedit dicēs, quod 28
si iuxta morem, & consuetudinem nationis alicuius consensus matrimonialis non fertur expresse vel implicite in perpetuitatem matrimonij, quin potius, quis ita contrahit vt liceat quoties vellent contractum dissoluere, cum hoc, & contra substantiam matrimonij si sic contrahatur, nullum est matrimonium, quod si contrahentes nihil de perpetuitate cogitantes contrahant inter nationes, & gentes, in quibus sic est vsu receptum, vt connubia non sint perpetua,

sed dissoluantur dato ex causa à legibus ciuilibus introducta libello repudij, vnde ait consonum rationi fuit quod patres Societatis qui vacabant conuersioni gentium ad fidem Christi, permiserunt quod etiamsi repudiassent, gentiles primam vxorem posse manere cum secunda vel etiamsi haberent plures vxores eligere vnam, quam vellent vt cum illa manerent Christiani iam facti, quia nulla istarum etiam prima vere erat vxor cum non haberent implicitum cõsensum in matrimonij perpetuitatem, imo iuxta patrios mores solubile per libellum repudij existimabantur, quod aduertit Thomas Sanchez *l.5. de Matrim. disp.* 12. *num.* 3. di-
28 cens † quod modo nullum est matrimonium si Iudæi & pagani contrahant ea lege vt possint libellum repudij dare etiamsi in pactum non deducatur, sed sola voluntate interna hoc modo cõtrahat quia lex de libello repudij per Euangelicam est abrogata, & reducta lex naturalis de insolubilitate matrimonij, ad suam primæuam obligationem, & dispensatio facta à Deo Iudæis omnino extincta & abolita.

Ego vero in hoc dissidio (quod non est parui momenti ad praxim Missionariorum
29 ad barbaras gentes, quibus vix lux Euangelij aduenit) magis propendo in sententiam Eminentissimi Cardinal. de Lugo, quæ dubio procul solidior est quam Dicastilli. Existimo ergo, quod si quis non ignorans inuincibiliter matrimonium contrahat sine voluntate interna dumtaxat, siue deducendi in pactum exterorum quod possit dimittere vxorem, & aliam ducere, quod iste talis non contrahit validum matrimonium:
30 Ratio est, perspicua quam adducit D. Tho: verbis citatis, quia habet voluntatem particularem oppositam substantiæ matrimonij, scilicet perpetuitati eius, & insolubilitati, quæ causatur actu ex vi consensus, & pactionis matrimonialis, nec cum hac voluntate particulari compatitur voluntas generalis faciendi quod iure naturæ exigitur ad validitatem contractus & pactionis matrimonialis, quia non ignoratur inuincibiliter, id quod requiritur: vnde hæc voluntas particularis excludit generalem faciendo, quod exigitur iure naturæ, quia hæc voluntas generalis non est, quando vincibiliter ignoratur insolubilitas matrimonio essentialis, & ex ista vincibili ignorantia procedit voluntas particularis de repudio vxoris, etiam iuxta leges patias, quia istæ reipsa sunt iniustæ, & damnabiles cum opponantur legi naturali.

31 Existimo secundò, quod si in aliqua ratione est ignorantia inuincibilis, quod matrimonium habet solubile vinculum, & quod non sit essentialiter perpetuum, & quod possit vir vxorem repudiare, & aliam sibi adiungere, quod iste talis si matrimonium contrahat habens volũtatem particularem contrahendi iuxta morem patrium, valide contrahet cum prima, & secunda inualide, vnde si conuertatur tenetur ad primam redire, quæ est vere vxor & altera concubina, & hic est casus *cap. Gaudemus de diuort. versic. qui autem.* vbi Innocent. III. determinat, *quod cum veritas in Euangelio repudium reprobauerit, ille qui secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem, nunquam ea viuente licite poterit aliam etiam fidem Christi conuersus habere, quod si illa sequatur antequam propter causas prædictas legitimam ille duxerat vxorem eam recipere compelletur.* Ex quibus tale formo argumentum Innocentius determinat, quod etiam post fidem Christi quæ reprobauit repudium, potest aliquis iuxta ritum suum legitimam repudiare vxorem, quæ reprobatio non admittitur iuxta legem Christi, vnde semper manet legitima vxor illa quæ primò ducta est, & sequens, prima viuente est illegitima, & tamen iste iuxta ritum suum, & leges patrias contrahebat iuxta quas eius consensus fertur in non perpetuitatem matrimonij, & insolubilitatem 32
vinculi eiusdem, siquidem iuxta suas leges licebat repudium, & ritu matrimoniali quo celebretur contractus hunc libellum permittit atque ita cõsensus ad contrahendum virtualiter fertur in libellum, vnde non respicit perpetuitatem, & sic vxor ducta ex vi huius consensus non est legitima, & per consequens siue perseuerans in sua infidelitate, siue conuersus ad fidem potest aliam ducere, nec compellendus vt illam si conuertatur, recipiat, atqui Pontifex contrarium definit, ergo supponit quod iste paganus qui secundum ritum suum repudiauit legitimam vxorem quia libellus repudij ei permittebatur, aut conceditur, habebat ignorantiam inuincibilem reprobationis libelli factæ in Euangelio, si enim non haberet istam ignorantiam voluntas, & consensus ferebatur in matrimonialis vinculi solubilitatem, & sic matrimonium nullum erat nec per illud legitimam ducebat vxorem.

Secundò, probatur eadem assertio, quia supposita ignorantia inuincibili reprobationis libelli factæ in Euangelio, cum libellus repudij quasi ex tacita dispensatione licitus esset apud plures nationes, † vt tenent Abu- 33
lensis *ad caput* 19. *Matth. quæst.* 76. *ad vlt.* Veracruz 2. *p. speculi coniug. art.* 13. Basilius Legionens. *lib.* 7. *de matr. cap.* 50. *num.* 2. & plures alij, ergo supposita ignorantia inuincibili de reuocatione cum isti habeant voluntatem contrahendi valide iuxta legem naturæ, isti voluntati generali non opponitur voluntas particularis circa insolubilitatem

tem vinculi quæ licita iudicatur ex ignorantia inuincibili, vnde si hæc ignorantia pellatur & nota sibi sit reprobatio facta in Euangelio de libello, matrimonium manet & subsistit cum prima, & nullo modo cum secunda, quia iste talis virtualiter voluit perpetuitatem, contra quam nullam habuit voluntatem oppositam.

Ex quibus colligitur primum, qua ratione sit verum, quod dicit Perez *disput.* 55. *de*
34 *matrim. sect.* 2. quod † nunc inter Iudæos infideles non dissoluitur matrimonium virtute legis repudij. Si enim vult, dicere quod de facto non est licitus libellus repudij, nec lex illius habet efficaciam, quæ abolita fuit lege Euangelica iam sufficienter promulgata, quà promulgatione iam lex vetus, quoad vitalia & cæremonialia & mortifera, verum est. Si tamen velit dicere, quod Iudæus, qui scit lege Euangelica reprobatum esse libellum repudij, adhuc vult contrahere iuxta ritum iudaicum, putans esse verum, atque ita eius consensus fertur in solubilitatem vinculi matrimonij, & in non perpetuitatem, hoc omnino falsum est, quia consensus essentialiter requisitus ad valorem matrimonij fertur implicitè in eius perpetuitatem, nisi interueniat dispensatio, quæ iam lege Euangelica cessauit.

35 Colligitur secundò, † quod sibi velit Cardinalis Lugo n. 132. dum asserit, quod si contrahentes credebant vinculum matrimonij esse dissoluibile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad illam existimationem, sed habuerunt voluntatem generale contrahendi matrimonium validum, ita vt illa existimatio se ha-
36 beat concomitanter, cum etiam sine illa æquè contraherent, tunc matrimonium videtur validum & obseruandum. Hæc enim doctrina sale explicationis indiget, quia illa existimatio, aut est scrupulosa, & dubitatiua & sic cum illa compatitur voluntas generalis contrahendi matrimonium validum secundum legem naturæ, si autem sit existimatio orta ex deliberatione, quod vinculum matrimonij sit solubile, quia iuxta patrias leges libellus repudij est concessus semper, quod contrahit si non habet voluntatem actualem excludentem illam existimationem deliberatam ista semper virtualiter manet, & ex illa dimanat & quasi imperatur consensus, & pactio matrimonialis quæ virtualiter tendit in vinculi matrimonialis solutionem, & non perpetuitatem & sic matrimonium non subsistit, sed est inualidum, quia existimatio illa non se habet concomi-
37 tanter, sed antecedenter influens consensum, quamuis enim si ritus & consuetudo libelli non subsisteret, forsam iste etiam contraheret, tamen hic & nunc ex vi præsentis regiminis dantis libellum repudij qui hodie semper est contra legem naturæ, tendit consensus matrimonij in vinculi solutionẽ, nec vellet contrahere, si illi proponeretur, quod non posset dare libellum, vel quod renuntiaret legi illum concedenti, & sic existimatio ista deliberata, etsi ex errore dimanet, tamen limitat intentionem, & ideo contrahit hic & nunc virtualiter, quia iuxta suum ritum existimat matrimonium esse solubile & sic existimatio influit in consensum, nec solum se habet concomitanter.

Colligitur tertiò, † qua ratione verum 38
teneat, id quod faciebant Patres illi Missionarij, & refert Dicastillus *vbi suprà.* si enim gens illa Barbara annũtiabatur Euangelium, ignorantiam inuincibilem habebant circa reuocationem dispensationis vel consuetudinis libelli factam à Christo *Matth.* 5. *&* 19. quia illis nunquam fuit prædicata, aut intimata, etsi de Euangelio alias habuerint notitiam, cum supposita hac ignorantia vellent valide contrahere iuxta naturam pactionis matrimonialis quæ perpetuitatem essentialiter imbibit, & vinculi insolubilitatem, matrimonium cum prima semper fuit validum, & sic illa viuente, cum illa si vera sit residere matrimonialiter tenetur, & illi fidem seruare, & non cum alia quacunque, quod si sit dubium, an extiterit talis ignorantia pro matrimonio cum prima standum est, argumento *ex cap. final. de sent. & re iudic.* & in hoc sensu male fecerunt illi Missionarij, si autem non fuit talis ignorantia inuincibilis de reuocato libello repudij per Christum, sic cum nullum fuerit matrimonium bene fecerunt illi patres, quia cum nulla illarum valide contraxit paganus ille, & sic factus Christianus poterat iuxta leges Ecclesiæ, cum qua libuerit, contrahere.

Et iuxta has doctrinas ferendum est iudicium circa dissoluenda vel retinentia matrimonia Abyssinorum, Ætyopum, & aliorum Christianorum Schismaticorum, qui vniuntur Ecclesiæ Catholicæ, vel aliarum gentium in quibus est polygamia introducta, vel libellus repudij receptus, & concessus patriis legibus, vel hæreticorum, qui in ea sunt hæresi, quod matrimonium sit solubile, & quod repudiata prima vxore potest vir cum alia valide contrahere, vt volunt Græci, & Armeni, quod ante Montanus, 39
vt notat Eusebius *l.* 5. *hist. cap.* 18. & Priscilianus, vt dicit Aug. *lib. de hæresibus*, docuerunt quos sequũtur huius temporis hæresiarchæ & Hebræorum qui obstinati in sua lege libellum repudij accerrime tuentur, de iudæis enim, & hæreticis cum illis iam sint manifesta eloquia Dei prolata in Euangelio inuincibiliter nequeunt ignorare, quod lex de repudio sit abrogata per Christum, quare si

si iuxta illam contrahunt virtualiter volentes matrimonij solubilitatem iuxta præfatam legem, & peccant mortaliter, & matrimonium nullum est, nec admittendum nisi denuo contrahat.

Vnde † Iudæi baptizati si in sua perfidia obstinati existant legem Moysi profitentes si iuxta hunc ritum contrahant matrimoniũ istud inualidum, & nullum est, quod tenentur DD. Inquisitores inquirere, etsi conuertantur facere quod denuo contrahant si volunt, etsi non debent separari, quia non coniuges, sed fornicatores sunt in concubinatu existentes, voluntas enim contrahenbi iuxta ritum Mosaycum, in quo est licitus libellus repudij euertit voluntatem valide contrahendi quia limitatur, & coarctatur ista voluntas generalis per voluntatem specialem quæ virtualiter illam euertit.

Et idem dicendum de matrimonio hæreticorum, qui sentiunt vinculum matrimonij esse solubile, quod secus est de baptismo dato ab hæreticis, isti enim, etsi non velint dare baptismum iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ, & ita volunt non dare baptismum quem dat Ecclesia Romana, quia putat illum non esse à Christo institutum, & ita solum vult dare baptismum, quem Christus instituit; quia non est de essentia baptismi ordo ad Ecclesiam Romanam quare etiamsi ista ab hæretico excludatur cum vult facere, quod Christus instituit vere baptizat, at perpetuitas, & insolubilitas matrimonij est de eius essentia, & de iure naturæ ex vi pactionis matrimonialis; & ita, qui virtualiter vult, dum contrahit non perpetuitatem matrimonij; & eius vinculi solubilitatem, deficit illi consensus essentialiter requisitus ad valorem matrimonij, & hæc doctrina valde est obseruanda quia non ita dilucide ab auctoribus traditur; & id quod dixi de baptismo valde notandum est propter quosdã, qui dicebant his diebus, quod hæretici dum conuertuntur, expedit vt sub conditione iterum baptizentur, quibus ego consultus me opposui, quia est contra Ecclesiæ praxim, & præualuit meum dictamen.

41 Vltimo supponendum est † Deum potuisse instituere contractum societatis inter virum, & fœminam absque ordine ad generationem, & filiorum procreationem, sed quod tam vir quam mulier mutuo vnirentur inseparabiliter animorum coniunctione in ordine ad onera vitæ ciuilis, & œconomiæ domus, ita vt mulier esset in adiutorium viri, suis operibus, & vir in adiutorium fœminæ in suis, in ordine ad quæ, & vir haberet fœminæ dominium, & fœmina viri; hunc contractum licitum esse, & de facto quamuis nõ inseparabiliter posse fieri, tenent Scotus *in 4. dist. 34. quæst. vnic. ad 2.* Sotus *ibi art. 2. in fin. corp.* Petrus de Soto *lect. 5. de matrim.* Barthol. de Ledesm. *dub. 48. conclus. 3.* Petrus de Ledesma *q. 58. art. 1. dub. 3.* & alij quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 97. num. 13.* quamuis si adsit incontinentiæ periculum non facile admittendus sit contractus, dicunt tamen quod vir potest transire ad aliud matrimonium vt procreet filios, tenebitur tamen fœminæ cum qua contractum societatis iniit alimenta præbere. Ego vero dico quod Deus potest instituere hunc contractum inter virũ, & fœminam solum in vitæ societatem in ordine ad quam vir habeat dominium fœminæ, & fœmina viri, taliter quod vinculum ex hoc contractu resultans sit insolubile iure diuino, ita vt nequeat valide aliam fœminam etiam in ordine ad generationem sibi iungere, sed quod vterque insolubili societate permaneant inseparabiliter coniuncti non secus ac inter religiosũ solemniter professum, & religionem ex vi votorum contrahitur simile vinculum insolubile iure diuino per contractum inter religiosum, & religionem initum, per quem omnia opera religiosi sunt religionis; & ista tenetur illum alere, neque enim videtur aliqua repugnantia in hoc, quod Deus huiusmodi coniunctionem inseparabilem inter marem, & fœminam ad mutuam societatem, & operum communicationem mutuumque adiutorium instituat absque ordine ad carnale commercium; imo præcipiendo, quod vterque in castitate viuant; vnde tenebuntur ex vi præsentis contractus mutuo residere.

His non inutiliter suppositis † superest 42
dubium valde graue, an Deus de facto talem contractum instituerit, matrimonium, taliter quod valide possint aliud inire etiamsi Eunuchi sint; & potentia perpetua coeundi & immittendi semen prolificum intra vas fœmineum, siue quia carent vtroque testiculo, siue quia veretrum est excisum.

§. II.

Sententia Basilij Legionensis & aliorum adducitur, enucleatur, probatur.

SVMMARIVM.

1. *Quid de Eunuchis sentiat Basilius Legionens.*
2. *Vt matrimonij congressus licitus sit, tria bona assignantur à S.D.*
3. *Sixtus V. Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, & nulla declarari iussit.*
4. *An Eunuchorum coniugia iure naturæ sint valida, si ad castè viuendum contrahant.*
5. *Coniugium ad quid fuit institutum.*
6. *Coniugium fuit institutum ad triplex remedium.*
7. *Quid ex præmissis sequatur, & num. 8. 9. & 10.*
11. *An aliquando fuit verum, & perfectum coniugium sine matrimonio, & n. 12.*
13. *S. Doctoris sensus affertur, nec multorum aliorum, & n. 14. 15. & 16.*

IGitur Basilius Legionensis *lib. 7. de matr.* de huiusmodi Eunuchis fatur, *cap. 67. n. 4.*
1 † *Imprimis istorum Eunuchorum coniugia vtroque teste carentium cum implicito aut explicito cõsẽsu, copulæ inualida esse semperq; fuisse iuxta naturæ leges mihi tam certum est, quam quod certissimum, nec licet de hoc quantum ego iudico vlli dubitare Catholico, nisi Pontificis authoritate refragari velit, ostendo breuiter. Quia consensus in copulam ideo in matrimonio licet, quia ordinatur ad prolem, vnde & effusio illa debet esse verisimilis, quamuis aliquo accidenti sit forsan infœcundum. In huiusmodi autem Eunuchorum connubio, congressus vacuus, & inanis est, nec solum ob accidens aliquod in prolem ordinari non potest, sed quia verum semen non emittunt nec iaculantur, sed forsan elabitur humor aliquus, quem specie diuersum à semine indubium est, non ergo licet illis iure naturæ matrimonium in ordine ad copulam ad bonum prolis minime ordinabilem.* Hæc ille, vt enim ait Augustinus *lib. de bono coniugali. Carnalis vel inuenilis incontinentia etiamsi vitiosa est ad propagandæ prolis redigitur honestatem, vt ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis.* Ex qua doctrina D. Th. *in 4. dist. 31.*
2 *q. 1. art. 1.* dicit quod † vt matrimonij congressus licitus esset assignantur tria illa bona *proles, fides & sacramentum*, quia ista sunt bona, & circunstantiæ, sine quibus non est licitus vsus coniugalis, quem illæ honestant. Etenim electio alicuius quod aliquam iacturam habet annexam (sicut habet matrimonij vsus quo obseruetur ratio) indiget alicuius boni adiectione; per cuius recompensationem ordinetur, & honestetur.

Et *num. 5.* hinc (ait Pontius) *optima ratione desumpta.* † *Sixtus quintus Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, & nulla declarari iussit, itaque non dissoluit matrimonium antea validum, sed declarauit nullum fuisse à principio eiusmodi coniugium, vnde iudices quibus Breuis executio commissa est fœminis nubendi liberam facultatem fecerunt, quia illos non ad castè viuendum contraxisse constabat. Quod efficaci argumento est, ad infirmitatem matrimonij istorum secundum ius naturæ comprobandum.*
4 Vnde *num. 6. & 7.* concludit † *Eunuchorum cõiugia iure naturæ esse valida si ad castè viuẽdum contrahant, secus vero ad generandũ, dicit tamen quod iure Ecclesiastico ex Breui Sixti V. esse nulla. cap. tamen 57.* probat matrimonium contractum ab impotenti impotẽtia perpetua dummodo non sit Eunuchus aut veretro radicitus exciso si sit in ordine ad castè viuendum, secluso ordine ad copulam non solùm esse validum iure naturæ, sed etiam iure Ecclesiastico, in quo differt matrimonium Eunuchorum, quod est licitum & validum, si contrahatur ad castè viuendum, est tamen nullum iure Ecclesiastico nouiori.

Hæc sententia probatur. Primò, quia
† coniugium non fuit institutum ex prima- 5
ria sua institutione, neque ad generationem prolis, aut remedium libidinis, sed in mutuam societatem maris & fœminæ, mutuúmque vtriusque adiutorium in vita fœlice & Beata, castoque connubio, ergo quis etiamsi sit impotens ad generandum poterit contrahere coniugium verum & legitimum, non ad generandum, aut ad mitigandam libidinem, sed ad castè viuendum & ad felix commercium inter virum & fœminam, antecedens latè probat Iacobus de Valentia vir doctissimus & Archiepiscopus Valentinus dictus aliàs Iacobus Perez ordinis S. Aug. *in Cantic. B. V. ad illa verba fecit mihi magna.* in quarta dignitate V. Matris, cuius verba placuit referre, quia grauissima, & quæ si quæ alia argumenta, ad ea quæ adducit sententiam istam reddunt probabilem, sic enim ait. † *Coniugium fuit institutum* 6
ad triplex remedium primo ad remedium personæ, quoad fœlicitatem. Secundò, ad remedium & conseruationem naturæ lapsæ. Tertiò, in remedium libidinis & excusationem peccati. Primò, ergo fuit institutum coniugium propter bonum mutuæ Societatis & amoris & mutui adiutorij, & obsequij, vt patet Genes. 2. nam Deus primo formauit hominem & spirauit in eo spiraculum vitæ, sed facto viro sine fœmina dixit, nõ est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi & sequitur postea, Adæ vero non erat adiutorium simile ipsi misitque Dominus soporem in Adam, tulitque vnam de costis eius, & repleuit pro ea carnem, & ædificauit costam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, vnde surgens Adam de somno dixit hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea, propter hoc dimittet homo, &c.

Ex quibus verbis patet, † *quod coniugium de primaria intentione fuit à Deo institutum propter triplex bonum scilicet propter mutuam Societatem, & mutuum amorem & mutuum adiutorium & obsequium sine quibus nulla potest esse iocunda possessio, vt inquit Boetius, ideo dixit Dominus, non est bonum hominem esse solum, ista ergo tria bona sufficiunt ad verum, & perfectum coniugium, & ista fuit primaria causa institutionis coniugij.*

Secundo autem fuit institutum propter bonũ 8
prolis ad conseruationem speciei & naturæ lapsæ

ad

ad restaurandam ruinam Angelorum, & præuidens hominem peccaturum, & moriturum propter peccatum, ideo ne species humana periret, & ex numero hominum electorum & iustorum restauraretur ruina Angelorum dedit generationem homini ex causa, ergo peccati data est homini generatio scilicet propter peccatum hominis, & Angelorum. Nam si Angeli non peccassent non fuisset necessaria eorum reparat, etsi homo non peccasset non fuisset inflicta ei mors, & corruptio, & sic non fuisset necessaria generatio, quia in illis duobus potuisset humana species in perpetuum conseruari vsque ascendissent in vitam meliorem & æternam, vt inquit Augustinus.

9 *Ex quibus apparet quod generatio prolis accedit coniugio propter peccatum, & ideo iam instituto vero, & proprio coniugio præuidens Deus Adam & Euam peccaturos, dedit eis generationem benedictam, dicens, crescite, & multiplicamini, & replete terram, & tunc coniugium dictum est matrimonium ratione prolis, ex quibus patet quod primi parentes iam erant veri coniuges ante datam generationem, & per consequens coniugium fuit perfectum sacramentum præter datam generationem. Item sequitur etiã quod generatio de primaria intentione fuit data ad restaurandam ruinam Angelorum, & ideo fuit data cum benedictione; & ideo primi parentes genuissent, ante peccatum sine libidine, & consequenter filios Sanctos, qui perpetuantes vitam in sanctitate, per esum ligni vitæ post longum tempus fuissent translati in vitam meliorem ad reparandam ruinam Angelorum.*

Sed quia generatio, quæ ante lapsum fuerat
10 *data benedicta, postea propter peccatum fuit maledicta & vitiata morbo libidinis vnde prouenit corruptio, in tota generatione humana propter quod peccatũ carnis venit diluuium super terram, ideo post diluuium Deus confirmauit matrimonium dicens crescite, &c. Genes. c.8. & tũc confirmatũ est matrimonium in remedium libidinis ad euitandum peccatum in coniugibus, scilicet ne actus venereus, & officium generandi reputetur eis ad peccatum propter libidinem, nam cum libido sit inflicta propter peccatum vltra primariam institutionem generationis, & peruertat veram intentionem, & finem & ordinem generandi, quia generatio non fuit data nisi causa prolis generandæ, tamen libido peruertit illum ordinem, quia semper prouocat ad implendum illicitum appetitum carnis, & ideo solum sacramentum matrimonij excusat peccatum in actu venereo, & sic tertio fuit institutum matrimonium in remedium libidinis, vt patet ex Aug. in lib. de nupt. & lib. de adulterinis coniugiis.*

11 Ex quibus omnibus patet, quod † aliquando fuit verum & perfectum coniugium sine matrimonio idest generatione, & aliquando fuit verum matrimonium sine libidine, nã licet primi parentes non genuerint prolem ante lapsum, tamen iam erat eis collata virtus generatiua & potentia generandi, & ex dicto principio colligit Illustrissimus vir, quod fuit inter B. Virginem, & B. Iosephum verum & proprium coniugium celebratum propter bonum societatis, & adiutorij mutui, & amoris inter eos, sicut fuit institutum ex primaria, & per se intenta institutione, quia nisi interuenisset, Angelorum ruina quæ reparãda erat, ex hominibus electis non esset necessaria hominis generatio. Hãc doctrinam Christopolitani præsulis ita per extẽsũ adduxi, tũ quia grauissime digesta, tũ quia valdè contraducat ad intelligentiam Aug. *in 1. lib. de vitiis & concup. & lib. de Adulterinis coniugiis & l.4. & 5. contra Iulianum.* contra quem disputat qualiter congressus matrimonialis non causa prolis generandæ, sit peccatum veniale, tum quia si coniugium verum de facto est institutum propter bonum Societatis ex primaria institutione Dei instituentis iure naturæ nõ erit inualidum si contrahatur inter impotentes impotentia perpetua, etiamsi sit Eunuchismus, & hoc est præcipuum fundamentum Legionensis, & reuera est efficax, sed de eo suprà egi *Resol.* §.4. & 5. *vbi* §.1. tribus classibus argumentorum omnia eaque à ratione sunt petita, & luculenter dissoluimus, §.6. quare repetenda non sunt; cum ibi soluta videri possint.

Secundò arguit, quia † eodem modo est 12
philosophandum de matrimonio Eunuchorum & carentium veretro, ac de matrimonio impotentium impotentia & frigiditate perpetua, atque horum matrimoniũ iure naturæ, siue ex natura rei non est nullum, sed validum. Ergo & Eunuchorum, antecedens omnes videntur admittere, quoad maiorem propositionem, quoad minorem expresse tenet D. Th. *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 4.* vbi expresse asserit, quod si mulier sciat virum esse frigidum & impotentem ad soluendum debitum non iure, sed facto, si cum eo contrahat tenet matrimonium iure naturæ, *quia* † (inquit) *si sciat cum quo contrahit hanc impotentiam & nihilominus contrahat ostendit, quod alium finem contractu quærit, quia videlicet etsi de facto non possit soluere debitum potest intendere contrahens habere tum illo bonum societatis coniugalis.* 13
D. Thom. sequuntur Paluda. *ibid. quæst. 2. art. 1. num. 9.* Gabrielis supplementum *quæst. 1. vnic. art. 1. & art. 2. conclus. 2.* Celaia *quæst. 1. in sol. replicæ primi arg.* Gerson. *1. part. tract. de matri. Alphabet. 25. titul. 1. cap. 12.* §. 1. & 3. Vera Cruz *1. p. speculi coniug. art. 38.* Metina *de sacror. hominum continentia lib. 5. à cap. 75.* Llomas *in Method. 3. p. cap. 8.* §. 13. Summistæ etiam

etiam id adseuerant Syluester *verb. Matrimon. 6. quæst. 1. versic. qualibet frigiditas.* Tabiena *verbo impedimentum. 1. quæst. 6. num. 7.* Nauarrus *lib. 4. consiliorum tit. de desponsat. Impuberum consil. 4.* (ex occasione, quod Papa dispensauit, quod Filuis Ducis Metinæ cœli Marquio de Cogolludo duodecim annorum possit contrahere cum filia Ducis de Alburquerque, decem annorum dumtaxat) *num. 15.* approbat & sequitur S. D. sententiam, quam amplectuntur Angelus *verb. Matrim. 3. impedimentum 16. num. 2.* Armilla *num. 48.* & multi alij quos non vidi & citat Sanchez, & quod amplius est Tabiena *im-*
14 *dimentum 12. quæst 6. num. 7.* Armilla *num. 51.* Metina *vbi suprà cap. 74.* Palacios *in 4. dist. 34. disp. 1. ante. 4. conclusionem pag. 762. & 763.* vbi hanc sententiam quasi ad oculum euidenter probat & demonstrat, vt ait Gutierrez *num. 12. infrà citandus.* Philiarcus *de officio sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 10.* sentiunt, quod Eunuchi si virgam erigere valeant, ac proinde coire, etsi semen non emittant, aptos esse ad matrimonium.

15 Rursus si Eunuchi semen emittant quãuis ineptum ad generationem, copula enim contenta est semine intra vas emisso etiam inefficaci ad generationem; vt constat in sterilium copula, dicunt verè contrahere iure naturæ plures & graues Doctores Paludanus *vbi suprà.* & D. Ant. *cit.* Veracr. *art. 38. concl. 6.* Turrecr. *33. q. 1. in sum. art. 2.* Barth. de Ledesm. *de Matr. dub. 48. concl. 3.* Gaeta. *c. ad limina. 30. quæst. 1.* §. *4. num. 539.* Matienzo *lib. 3. recop. tit. 1. in Rubric. gloss. 1. n. 195.* Ludouicus Lopez *2. p. instruct. cap. 52.* Ouandus *in 4. dist. 34. disp. vnica proposit. 5. Coroll 2.* Barbos. *leg. 1. p. 1. à num. 92. ff. solut. matr.* Syluester *verb. Matr. 8. quæst. 16. versic. 7.* sic dicit. *de Castrato & Spadone dicit Petrus de Palude, quod si non impediuntur ab actu generationis licèt ab effectu, quia scilicet in eis virga erigitur, & semen emittunt licet inualidum ad generationem, sed si semen non emittant contrahere non possunt secundum quosdam 32. q. 7. cap. his qui, nec contrahitur per hos affinitas,* & hoc saltem intendunt omnes, quod Spado vtroque testiculo priuatus contrahere non
16 potest. Panorm. & Glossa. *in cap. nuptiarum. 27. quæst. 1.* Gofredus & Hostiens. *in Summ.* Hugo. Ioannes Franc. Archidiac. *cap. his qui 32. quæst. 3.* & hæc fuit communis sententia in Hispania practicata *vsque ad annum 1587.* quando Sixtus Quintus P. M. de hac re edidit proprium motum infrà adducendum, ante quem idem sensit Doctissimus Ioannes Gutierr. *lib. 1. Canonic. quæst. cap. 16. à num. 8. vsque ad 18. inclusiue & n. 19.* retractat sententiam, quam sequutus fuerat, propter motum proprium Sixti Quinti, quem ibi ad verbum refert, & ego ad finem huius Resolutionis integrum dabo.

§. III.

Iudicium sapientioribus remissum & Ecclesiæ determinationi subiectum circa Eunuchorum matrimonium in ordine ad coitum, an iure naturæ sit validum.

SVMMARIVM.

1. *An summus Pontifex nullatenus declararit iure naturæ esse inhabiles ad matrimonium contrahendum Eunuchos.*
2. *Authoris iudicium affertur, & num. 3. & 4. & 5. necnon Thomæ Sanch. & n. 6.*
7. *An si senes nonagenarij coire possint validè contrahant.*
8. *An matrimonia Eunuchorum in ordine ad coitum sint nulla.*
9. *An Eunuchi possint contrahere in remedium libidinis.*
10. *D. Caietani sensus adducitur, & n. 11.*
12. *Sixti V. sententia affertur, & n. 13.*

SVmmum Pontificem † nullatenus de- 1
clarasse iure naturæ esse inhabiles ad matrimonium contrahendum huiusmodi Eunuchos, seu Spadones vtroque teste carentes, dummodo coire possint & aliquale semen emittere intra vas, quod virga erecta penetrare possint, quod mihi (seclusa semper Ecclesiæ, & sapientium censura,) ex multis persuadeo. Primò, quia Pontifex non dicit esse declarandos inhabiles iure naturæ, sed solùm iure Ecclesiastico, & Sanctissima lege denuo data. Sic enim ait Pontifex. *Considerantes, quod ex Spadonum huiusmodi & Eunuchorum coniugiis, nulla vtilitas prouenit, sed potius tentationum illecebræ & incentiua libidinis oriuntur eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, vt coniugia per prædictos & alios quoscunque Eunuchos & Spadones vtroque teste carentes cum quibusdam mulieribus defectum prædictum, siue ignorantibus, siue etiam scientibus contrahi prohibeas; eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles authoritate nostra declares, & tã locorũ Ordinariis, ne huiusmodi cõiunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant interdicas, quã eos etiã qui sic de facto matrimoniũ cõtraxerint separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida esse decernas. Eos etiã qui sic iã cõtraxerent, si appareat illos nõ vt caste simul viuãt cõtraxisse, sed actibus carnalibus, & libidinosis operam dare simul in vno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire conuincantur, omnino similiter separari cures.* Hactenus Pontifex.

Circa quæ duo considero. Primũ, † quod 2
Pontifex ex inutilitate coniugiorum huiusmodi, & quia ex eis tentationum illecebræ

dimanant mandat nuntio Hispaniarum, vt talia coniugia contrahi prohibeat, ex vi cuius prohibitionis declarat esse tales Eunuchos inhabiles ad contrahendum, non quidē, quod sint inhabiles iure naturæ, sed prohibitione Ecclesiastica, sicut ad matrimonia clādestina sine parrocho & testibus habiles sunt homines ad valide contrahendum iure quidem naturæ, sed Concilium Tridentinum eos inhabiles reddidit, hæc autem inhabilitas iure humano dumtaxat Ecclesiastico fuit introducta, vnde vbi non est Tridentinum, quoad decreta de reformatione receptum, valida sunt, etsi illicita matrimonia clandestina celebrata, sine Parrocho, & testibus.

3 Secundum, † quòd aliter loquitur Pontifex de matrimoniis contractis ab huiusmodi Eunuchis post intimatam dictam prohibitionem, qua redditi sunt inhabiles ad contrahendum contraxere, ac de illis qui ante illam iam erant coniugati, quod si quis Eunuchus post præfatam prohibitionem contraxit separandus est, & matrimonium nullum, irritum, & inualidum esse decernendum, ille verò qui ante talem prohibitionem contraxit si appareat, non vt castè viuat contraxisse, sed actibus carnalibus, & libidinosis operam dare, & in eodem lecto cū prædictis mulieribus dormire conuincantur omnino similiter separari cures, at non dicit, quod declaret matrimonium contractum esse irritum, nullum & inualidum sicut dixerat in priori specie, ergo ideo est, quia ante prohibitionem iure naturæ erat
4 Eunuchus huiusmodi habilis iure naturæ ad contrahendum, mādat tamen Papa, quod si actibus carnalibus operam dat omnino separetur, non quidem quoad vinculum, sed quoad cohabitationem, quia huiusmodi cōiugium etiamsi iure naturæ illud non irritet, tamen inutile est, & ex illo tentationum illecebræ, & incentiua libidinis oriuntur, quare ad huiusmodi tentationes & incentiua fugienda mandat omnino separari vtens in hoc plenitudinis potestate.

5 Moueor secundò, quia Pontifex eodem modo loquitur de illis qui frigidæ naturæ sunt & habent impedimentum impotentiæ perpetuum, qui secundum Canonicas sanctiones & naturæ rationem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur, ex quo colligit, quod neque huiusmodi Eunuchi & Spadones validè contrahant, siue scientibus, siue ignorantibus fœminis huiusmodi defectum, atqui si impotens impotentia perpetua ex frigiditate dimanante, ita vt semen euanidum iaculetur si mulier sciat hunc defectum matrimoniū validū est iure naturæ, vt plures authores (inter quos est D.Th.) quos suprà dedi & multi alij quos citat ex antiquis † Thomas Sanchez, 6
quod non est præsumendum Pontificem voluisse damnare, sicut nec illos quos etiam supra adduxi quod si huiusmodi Eunuchi, & Spadones vtroque testiculo carentes virgā erigunt, vt possint fœmineum penetrare, & aliquale semen stillare valide contrahant, in remedium concupiscentiæ ipsorum, qui illa valde agitantur, & torquentur quam fœminarum quæ cum illis coeunt, vt bene vidit Sylvester. Impotentia enim coeundi est quæ iure naturæ impedit matrimoniū, & dirimit contractum, non vero impotentia ad generationis effectum, senes enim † nona- 7
genarij, si coire possunt valide contrahunt etsi sint impotentes ad generandum, & filios habendum, sicut & steriles sterilitate cognita si coire possunt, vas penetrando, & intra illud semen stillando, quamuis impotentes ad filiandum, quod secus est si intra vas nequeunt seminare, vel quia virgam nō erigunt præ frigidirate, vel quia præ nimio calore totum semen foras impatienter semper emittunt non expectantes introgredi, vas fœmineum.

Moueor tertiò, quia † si huiusmodi Eu- 8
chorum matrimonia in ordine ad coitum iure naturæ essent nulla, irrita, & inualida non ita communiter practicatum fuisset in Hispania multis retro annis ante sixtum quintum, à multis enim sæculis, viri doctissimi & Præsules Sapientissimi floruerunt qui si intelligerent hoc esse inhibitum iure naturæ non id admitterent, & consensum præberent, vt in facie Ecclesiæ publice hæc matrimonia celebrarentur, vt celebrabantur communi praxi in Tribunalibus Ecclesiæ, quod fiebat, quia iudicabant id esse licitum iure naturæ, quod iam non est post *Motum proprium* Sixtinum.

Moueor quartò, quia isti Eunuchi, etsi impotentes ad filiandum libidine aguntur, mulieres etiam horum coitu satisfiunt, ergo † possunt contrahere in remedium li- 9
bidinis non enim intra ordinem naturæ remedio carere debent, & matrimonium vt supra vidimus ex Christopolitano iure naturæ ordinatum, & institutum est in ordine concupiscentiæ, & libidinis, ne ista mortalis sit coram Deo.

Moueor quintò, quia mulier si Eunucha efficiatur ita vt semen passiuum, & requisitum per se ad generationem, vt egregie adnotauit Dominus Caiet. † 2.2. *quæst.* 154. 10
art. 12. §. *ego autem*, vbi mirabili suo ingenio dicit fœminæ data esse vasa seminalia, & testes ad intra, qui tempore pubertatis distenduntur, & tumescunt, quia videlicet semen fœmineum per se requiritur tanquam materiale, & semen viri tanquam formale, & sicut anima per se componitur

componitur ex materia, & forma, ita semen requisitum per se ad generationem est coagulatum ex semine fœmineo, tanquam passiuo, & virili, tanquam actiuo, & sicut istud diggeritur in testiculis viri, vt sit actiuū ita semen fœmineum diggeritur in ordine passiui in testibus fœminæ quæ non generat ante pubertatem, quia testes non extenduntur nec tumescunt, & sic non disponunt semen passiuum, sicut nec vir ante pubertatem disponit semen actiunm, ex qua doctrina (quæ omnes medicos, & philosophos discordantes an semen fœminæ sit necessarium ad generandum, & filiandum in concordiam redigit, & valde necessaria est ad morales quæstiones circa malitiam veneris in fœminis) eliciebam ego hoc motiuum valde efficax, quia fœmina Eunucha, & sine testibus (quæ vt vidimus supra talis esse potest) non potest semen passiuum proportionatum, & per se requisitum ad filiandum emittere, sicut neque Eunuchus, tamen quia potest coire recipiendo semen viri intra vas iure naturæ si contrahat non est irritum, & inualidum matrimonium, sed validum ergo si Eunuchus virgam erigit fortiter, ita vt coeat vas fœmineum penetrādo, & semen etsi euanidum, & infructiferum iure tamen naturæ valide ineunt matrimonium.

11 Moueor sexto ex alia doctrina satis profunda eiusdem D.Caiet. *ead. quæst.* 154. *art.* 2. §. *superest*, vbi dicit quod id quod per accidens contingit in moralibus, non tollit ex natura rei principium vniuersale in moralibus, *pro quo* (ait) *debemus gratias agere D. Th. qui hanc doctrinam nos docuit*. Ex qua colligit quod de ratione seminationis voluntariæ est quod secundum se ordinetur ad generationem, nec hoc vnquam auferri potest, sed ex accidentibus ægritudinis, ætatis, &c. fit per accidens, vt in hoc non sortiatur effectum generationis. Hoc autem numero accusat concubitum coniugalem *quia per accidens est*, & ius naturæ cum sit lex vniuersaliter de validitate matrimonij per concubitum maris, & fœminæ media seminatione intra vas in ordine ad generationem & filiādum disponens, quod in hoc seminatio sit euanida ex infirmitate, ætate, castratione vtriusque testiculi vel aliquo alio accidente perpetuo aut temporali in hoc particulari indiuiduo non facit, quod matrimonium sit iure naturæ inualidum, quare sicut sterilitas nonagenaria senectus, ita nec Eunuchismus aut spadonismus iure naturæ accusant matrimonium.

12 Ex dictis constat quod † summus Pontifex Sixtus quintus in suo Breui responsiuo ad interrogationem sui in Hispania Apostolici Nuntij, circa Eunuchorum matrimonij validitatem, quantum ad ius naturæ nihil disposuit, hoc enim altius erat negotium pro vniuersa Ecclesia Bulla vniuersali de consensu & consultatione Eminentissimorum Cardinalium, vt mos est Sedi Apostolicæ, decidendum, & definiendum, quare suæ naturæ, vt antea erat reliquit, neque Eunuchos hos inhabiles fecit iure naturæ ad matrimonium, iure enim naturæ habiles sunt, sicut & consanguinei, post primum gradum, & sicut alij ad contrahendum clandestine sine parrocho & testibus, tamen sicut illos ius Canonicum prohibuit coniungi, & inhabiles fecit ad contrahendum, & hos Concilium Trident. *sess.* 24. ob rationes
& motiua grauissima, quæ Patres mouerunt 13
hoc idē & nihil amplius fecit Sixtus Quintus sua lege prohibens Eunuchorum matrimonia ex vi cuius etiam eos declarat inhabiles ad contrahendum, etiam ad castè viuendum ob rationes, quæ suam Sanctitatem mouerunt, vt sic sanctissimè & prudentissimè decerneret; quare de hoc eodem modo philosophandum est, ac de inhabilitate ad clandestine contrahendum. Hæc repeto me dicere sub correctionem S.M. Ecclesiæ & sapientiorum iudicium, an verò hoc Breue Apostolicum suas vires exerat extra ditionem Hispanam in quam extenditur iurisdictio Nuntij, qui illud publicauit, alibi est disputandum, alij iudicent, quia non expedit omnia discutere.

§. IV.

Auctoris Primum assertum. Impotentium matrimoniale vinculum, ipso iure potest ab Ecclesia dissolui, non tamen soluitur, nisi post iudicis sententiam.

SVMMARIVM.

1. *An ante omnem iudicis sententiam irritum sit Eunuchorum matrimonium ab ipsis contractum.*
2. *Ratio difficultatis duplex affertur.*
3. *Quodnam vinculum matrimonij inter impotentes ad coitum rescindatur ab Ecclesia.*
4. *Quodnam vinculum non soluatur nisi ad petitionem partis, & n. 5.*
6. *Lucij III. mens adducitur, necnon Authoris iudicium, & n. 7.*
8. *An Ecclesia declararit, quod vinculum matrimonij cum impotenti possit scindi.*
9. *Quid ex dictis sit colligendum, & numero 10.*
11. *An iure Ecclesiastico & Canonico cognita impotentia perpetua possit quis validè matrimonium contrahere.*
12. *An postquam contractum est matrimonium bona fide in ordine ad coitum, Ecclesia consue*

consueuit, quod detur licentia, vt vinculum non rescindatur.

NOn loquimur de matrimonio Eunuchorum carentium vtroque testiculo, hoc enim irritum est & inane post Diploma Sixti V. quo declauit ipsos & fecit inhabiles, & illegitimas personas ad matri-
1 monij contractum celebrãdum, quare † ante omnem iudicis sententiam irritum est matrimonium ab ipsis contractum, quia incapaces sunt ad matrimonialem residentiam, & sic assertum nostrum procedit & statuitur de matrimonio celebrato cum impotente perpetuo ad coitum, siue hæc impotentia dimanet à nimia frigiditate, aut calore, siue in fœmina à nimia arctitudine, quæ sine mortis proximo periculo vinci nequit, siue à viro, siue à chirurgo. Hoc itaque coniugium & matrimonium dicimus, quod scindi & rumpi potest ipso facto, non tamen rumpitur nisi post iustum iudicium iudicis Ecclesiastici.

2 Duplicem partem † habet assertio, prima est quod potest scindi, & hoc negari nequit, nec vnus Catholicus negabit, siquidem praxis Ecclesiæ, ita obseruat, quæ post experimentum triennale, si vir, & fœmina matrimonio iuncti, si intra tale tempus fieri non possunt *vna caro* per commixtionem, quæ fit per seminationem viri intra vas fœmineum, soluit vinculum si pars petat solutionem, & illi datur facultas vt alteri nubat *cap. accepistis in fine*, ex Bruchardo *lib. 19. decreti cap. 5. cap. ex litteris ex Alex. III. cap. laudabilem, vbi Cœlestinus III.* qui id confirmat ex decreto Gregor. Papæ I. relato *cap. requisisti 2. 33. quæst. 1.* quæ omnia iura habentur *tit. de frigid. & malefic. in Decretal.* vbi habetur, quod si mulier (& idem de viro) per iustum iudicium de viro probare potest, quod cum illa coire non potest accipiat aliam, quare dubitare
3 nemo potest, quod huiusmodi † vinculum matrimonij inter impotentes ad coitũ possit rescindi ab Ecclesia, quia si dat licentiã coniugi petenti, vt alias nuptias contrahat validè, dubio procul prius rescinditur, quia polygamia iure naturæ est prohibita, etiam quoad vincula matrimoniorum, itaque iure naturæ nequit quis plura vincula matrimonialia cum pluribus habere, quia cum pluribus posset coire licitè, quod naturæ legi repugnat, vt est de fide.

4 Secundi asserti pars † quod vinculum nõ soluatur, nisi ad petitionem partis Ecclesia per iudicium iustum id perficiat dans licẽtiam ei, qui potens est, vt cum alio possit cõtrahere; ex duobus etiam in iure certis mihi indubium videtur, primum est quod datur ab Ecclesia tempus *triennij*, vt possint experiri, an fieri queant *vna caro* per coitum, *cap. laudabilem de frigid. & malefic.* quare intra hoc spacium omnibus actibus carnalibus concessis coniugibus, possunt vti licitè; ergo adhuc perseuerat, & est vinculum matrimonij in ordine ad cuius consummationem Ecclesia determinat, hoc tempus, vt huiusmodi actus licitè fiant, consequẽtia videtur manifesta, quia si non esset retinaculum matrimonij nõ fierent licitè huiusmodi actus carnales, qui sine matrimonio & ordine ad illius consummationem illiciti sunt iure naturæ, vt probat vterque Thomas 2.2. *q.* 154. *art.* 1. *&* 2.

Secundum etiam quod est in iure certum, 5
etsi ab aliquibus male perceptum, est, quod si ambo coniuges consentiant simul esse, vir eam si non vt vxorem saltem, vt vxorẽ habeat. Ita *cap. laudabilem cit. cap. requisisti* 2. 33. *q.* 1. in illo Cœlestinus III. & in isto Greg. I. id determinãt, & *cap. consultationi de frig.* † Lu- 6
cius III. dicit, *quod Romana Ecclesia consueuit in consimilibus iudicare, vt quas tanquam sorores habere non possunt, habeant tamen, vt sorores*, ad vitam scilicet indiuiduam & communem matrimonij societatem absque cõmixtione tamen carnali, sicut non est cum sorore; vnde manet retinaculum coniugale non vt commisceantur carnaliter, quia ad id impotentes sunt, sed vt vitam castam gerant inter sese, ac si essent frater & soror, itaque vinculum matrimonij postquam contractũ est, constat, vel ad carnale commertium & hoc nequit esse inter impotentes, vel in ordine ad commertium communis vitæ & societatis, vt quilibet in suo sexu sua exerceat munia vxor domestica & vir forensia, & hãc esse veram intelligentiam huius anxiomatis iuris Canonici *infra* §. 6. monstrabo.

Sed vtramque asserti partem explico 7
exemplo † quia non est implicatorium, quod aliquid sit solubile iure Canonico, & tamen non soluatur nisi data sententia iudicis, antequam verè manet solubile, tamen non soluitur, & quousque soluatur habet eosdem effectus, ac si solubile nõ esset. Itaque Ecclesia declarat, quod impotens est illegitima persona, & inhabilis, vt omnino insolubiliter cõtrahat vinculũ matrimonij, tamẽ simul determinat, quod vinculũ istud nõ dissoluatur, nisi post sententiam & iustũ iudicium, quod non interponit, nisi ad partis petitionẽ, & sic vinculũ istud imperfectè est insolubile, sicut Ecclesia decernit *cap. cum secundum leges, de hæret. in* 6. quod hæreticorũ bona ipso facto sunt fisci; vnde hæretici eo ipso, quod externè fidẽ abiurarũt, dominiũ, quod habebant bonorũ est imperfectũ & rescindibile ab instanti hæresis externæ contractæ, tamen de facto non rescinditur, nisi per sententiã saltẽ declaratoriã criminis, ante

antequam verum dominium manet in hæretico suarum rerum, de quibus potest disponere tuta conscientia, cæterum rescindi potest quicunque contractus ab ipso factus à die criminis, & sic dominium rerum suarum erat imperfectum, & rescindibile, & ex Ecclesiæ ordine hæreticus est inhabilis ad perfectè contrahendum sua bona distrahens, quamuis si distrahat tenet distractio, quia nondum dominium illorum imperfectum, post crimen patratum, est extinctum, & dissolutum, ita pariter in præsen-
8 ti est philosophandum. † Ecclesia declarauit, quod vinculum matrimonij cum impotenti potest scindi, quia de facto soluit, eo ipso, quod est impotens perpetuo ad consummandum matrimonium, tamen vinculum hoc non soluitur, nisi post iudicium iustum ipsius Ecclesiæ ad petitionem partis, quæ si non petat, & non interueniat tale Ecclesiæ iudicium iustum ipsius Ecclesiæ ad petitionem partis, quæ si non petat, & non interueniat tale Ecclesiæ iudicium, semper manet vinculum insolutum sicut in sententia probabili, quod Papa potest dissoluere matrimonium ratum non consummatum, huius vinculũ semper manet insolutũ, quousq; adueniat actualis Pontificia dispẽsatio.

9 Ex dictis colligitur, † quale iudicium sit ferendum de sententia Basilij Legionens. *l.* 7. *de Matr. c.* 8. asserentis quod matrimonium impotentiũ impotẽtia perpetua sit validum iure Canonico, si enim velit dicere, quod est validum idest insolubile iure Ecclesiastico, id dici nequit cum iure Ecclesiastico per iustum iudicium soluatur, & licentia detur coniugi potenti & petenti post transactum triennij spatium ad experimẽtum sumendũ, vt alteri nubat, quod probat vniuersalis Ecclesiæ sensus, & praxis, si verò dicat Legionensis, quod est validum iure Ecclesiastico quatenus ius Canonicum licentiam dat, vt si
10 coniuges, velint se gerere castè viuendo, sicut frater, & soror, vinculum matrimonij perseueret sitque inter illos residentia casta matrimonialis, hoc verissimam (me quidem iudice) doctrinam continet quam latius enucleabo §. 6. etsi non fallor eam expresse docuit Greg. I. & Cœlestin. III. est secutus *in textibus*, suprà relatis.

Ex hac tamen doctrina nullatenus infer-
11 re licebit, quod † iure Ecclesiastico & Canonico cognita impotentia perpetua possit contrahere validum matrimonium, hoc enim nullus concessit, imò nec concedere posse existimo, tum quia nullum ius ad hoc fertur, in quo vel insinuetur, solum enim Summi Pontifices declarant, quod postquam contractum est matrimonium bona fide, & inueniatur quis impotens ad consummandum, possunt coniuges permanere in vinculo matrimonij rati, tanquam frater & soror, vt vidimus non tamen dicunt, quod cognita impotentia ad coeundum sint apti ad contrahendum iure Ecclesiastico, quidquid sit de iure naturæ de quo §. 6. quare hoc mihi videtur declarasse Sixtus Quintus de quo suprà *in Breui* remisso ad Hispaniarum Nuntium in quo sic habetur. *Nos igitur attendentes, quod secundum Canonicas Sanctiones & naturæ rationem qui frigidæ naturæ sunt & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur, &c.* Ergo ex sententia & declaratione Pontificia Canonica Sanctio iusque Canonicum iuxta naturæ rationem, huiusmodi impotentes iure quidem positiuo, determinat ineptos esse ad contrahendum matrimonium; quando impotentia perpetua antea noscitur, neque enim visum est in Ecclesia, quod cognita impotentia perpetua ad coëundum contrahatur matrimonium, vt vir habeat fœminam, vt sororem & non, vt vxorem; hoc enim incredibile videtur, quia matrimonium ex Ecclesiæ & naturæ iuribus est in ordine ad coitum saltem radicaliter, & illum ex pacto matrimoniali excludere omnino est prohibitum iure Ecclesiastico, ex quo matrimonium redditur nullum, & irri-
12 tum, tamen † postquam contractum est bona fide in ordine ad coitum Ecclesia consueuit, quod detur licentia, vt vinculum non rescindatur, sed maneãt in illo coniuges tanquam frater & soror, nec enim sic possent perpetuo manere nisi vinculum matrimonij perseueraret, imò viuente coniuge, quã vt sororem conseruat retinaculum coniugale, quousque ab Ecclesia per iustum iudicium rescindatur, valide nequit coniux potens cũ alio contrahere, vt dicam latius §. 6.

§. V.

Assertum Secundum. Valdè probabile est, quod aliquorum Eunuchorum coniugium sit iure naturæ validum, etsi non omni ex parte perfectum.

SVMMARIVM.

1. *An aliquorum Eunuchorum iure naturæ validum sit matrimonium.*
2. *Authoris iudicium affertur.*
3. *D. Thomæ sensus adducitur.*
4. *Quodnam remedium concupiscentiæ iure naturæ datum sit omnibus iis, qui vrgentur carnis prurigine.*
5. *An steriles etsi à natura sint inhabiles ad filiandum, validè contrahant.*
6. *Ratio difficultatis affertur.*
7. *Quid nomine frigiditatis veniat intelligendum.*
8. *Quid sit dicendum de valore matrimonij*

senis qui ætate & viribus est confectus,& num.9.

10. *Quid item veniat colligendum.*

1 DIxi, † *aliquorum Eunuchorum*, quia illi veretrum omnino excisum habent,cũ non possint commisceri carnaliter ob defectum membri virilis, similiter illi qui, ita frigidi sunt,quod veretrum erigere non valent,nec vas fœmineum penetrare, aliquodve semen etsi improlificum immittere, isti enim nullatenus habent potentiam ad coitum, & copulam, ordo ad quam, est essentialis matrimonio, *vt suprà Resol.*.§.. ex D. Aug.& S.Thom. ostensum est, & videndus est D. Thom. *in 4.dist.34.quæst.1.art.2.ad 1.* vbi id expresse docet.

2 Igitur assertum nostrum intelligitur † de Eunuchis carentibus vtroque teste, qui valent vas fœmineum penetrare Virga erecta aliquod stillare semẽ,etsi euanidum & omnino sterile ad filiandum, quo coitu & ipsi satisfaciunt libidini & mulier pariter satisfacta relinquitur. Hanc conclusionem tenent omnes, quos supra dedi §. 2. vbi adduxi verba Sylueſtri grauissimi Doctoris explicantis auctores dicentes, quod coniugia Eunuchorum sunt inualida & irrita. Probatur tamen valde efficaciter, quia senes decrepiti si possunt erigere, & vas fœmineum penetrare cum effusione aliqua seminis, quod ex natura rei est infœcundum, nec arte medica fieri potest,quod fœcundetur, validè contrahunt, non solùm cum virgine iuuene, sed etiam cum vetula, etiam decrepita, cuius rationem egregiam dedit

3 D.Thom.vbi modo.*ad tertium*, (inquit) *dicendum, quod vetuli quamuis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem ad carnalem copulam, & ideo conceditur eis matrimonium secundum quod est in remedium, quamuis non competat eis secundum ,quod est in officium naturæ.* Hæc ibi,quo nihil illustrius ad præsens, ergo præfati Eunuchi, quamuis non habeãt caliditatem,nec instrumenta in quibus concoquatur semen ad filiandum sufficiens, & vt sit in officium naturæ, habent tamen instrumẽtum aptum & caliditatem sufficientem,vt erigatur & semen incoctum, & humorem emittant seminalem intra fœmineum vas immittẽdum,& sic habent copulam carnalem, vnde eis potest iure naturæ concedi matrimonium, non vt est in officium naturæ, sed vt est in remedium concupiscentiæ.

4 Secundò probatur,quia † hoc remedium concupiscentiæ iure naturæ datum est omnibus illis,qui vrgentur carnis prurigine,& libidine, habentque instrumenta apta quibus coeant, vt hoc remedio curentur. Ergo Eunuchis huiusmodi iure naturæ non est prohibitum hoc remedium: consequentia est euidens, quia isti vrgentur & anguntur infirmitate libidinis. Ergo sunt huius remedij capaces iure naturæ,& sic tam ipsi quam mulieres, qui cum ipsis coëunt & copulantur carnali commixtione hoc remedio curantur, dum satisfaciunt libidini, & sic iure naturæ non sunt inhabiles ad matrimonium,prout est in remedium concupiscentiæ, quamuis Summus Pontifex ob rationes grauissimas ipsos iure Canonico inhabiles fecerit.

Tertiò, quia † steriles, etsi à natura sint 5
inhabiles ad filiandum, taliter quod sine miraculo filios procreare nequeant, quia ipsorum semen infructiferum est, & euanidum, quia non habent sufficientem calorem in testiculis ad semen elaborandum, & prolifice digerendum,quare non exercent officium à natura illis datum,sed illius testiculi est officium vacuum (vt hispane dicitur, *placa capona*) nihilominus valide contrahunt, vt est recepta sententia in Ecclesia, & passim ab omnibus Theologis, & vtriusque iuris professoribus,vt benè notat Sanchez *lib.7.de matrim.disp.92.n.26.* etiamsi mulier natura sit sterilis ita vt spes concipiendi deficiat,& etiamsi vir sterilitate adstringatur, vt optime probat Barbosa *leg.1.p.1.n. 98. D. solut.matrim.* Quia in istis saluatur finis secundarius scilicet remedium concupiscentiæ, ob quem contrahere possunt steriles, etiamsi haberent certam reuelationem de sterilitate sua naturali, quam solum potest euertere, & sanare miraculum, quæ ratio etiam † conuincit in Eunuchis de qui- 6
bus est semen, erigunt enim, penetrant vas fœmineum, stillant semen, etsi sterile vel humorem quo emisso etsi tardius refrænantur à libidine sicut & fœminæ, quare vere coeunt,& copulantur, etsi filios nõ creent, quare existimo ob has rationes quæ me quidem iudice valde efficaces sunt, nec mihi occurrit quid responderi possit, quod sit solidum ad euertendum ius naturæ, & illis satisfaciendum valde probabile esse iure naturæ coniugia horum Eunuchorum valida esse, non quidem ad caste viuendum (hoc enim coniugium absque ordine ad copulam prorsus Platonicum existimo, & nullomodo esse institutum ab auctore naturæ quod sit insolubile, & inseparabile (sed etiam ad remedium luxuriæ, vt contrahunt senes, & steriles, vt enim egregie notat Sylueſter infra citandus, ex Astensi, & Paludano † no- 7
mine frigiditatis intelligitur *omne impediens perpetuo actum generationis, non autem si effectum generationis impedit, & non actum, vnde steriles scienter possunt contrahere. Actus enim generationis non est commixtio corporum, sed seminum idest tenentium locum seminum.* Hæc Sylueſter, quibus tota nostra sententia paucis comprehenditur.

8 Ex dictis infertur primo † quid dicendum sit de valore matrimonij illius senis, qui ita ætate, viribus est confectus vt nunquam possit coire virgam erigendo, & semen etsi euanidum, & sterile intra vas fœmineum immittendo. Quidam sustinent etiam huiusmodi senem validè contrahere, quia semper habitu retinent potentiam intrinsecam seminandi intra vas,etsi senio per accidens sit impedita, ita Tabiena *impedimentum 12 q.3.n.4.* Nauarr.*in Consiliis lib. 4. in meis tit.de desponsat.impuber. consil.4.n.18.* Rodrig.*tom.1.summæ in mea cap.235.num. 5.*

9 Alij probabilius iudicant,quod si non potest vas penetrare virga erecta,itavt sit in remedium luxuriæ nullatenus validè contrahat. Ita Sanch.*multis citatis disp.92.n.24.* dicens esse verissimam sententiam,Sylueſter *matrimonium 8.q.16. dicto 3.* ibi *senex si nullomodo iuuari possit natura, vel arte esset idem sicut de naturali frigiditate, quia talis contrahendo se obligaret ad impossibile.* Idem amplectuntur Scot *in 4.dist.34.quæst.vnic.ad 2.* Sotus *quæst. vnic.art.2.* Palac.*disp.1.* Gutier.*vbi supr. n.13.*

10 Colligitur secundo † quid dicendum sit quum quis ob deformitatem mulieris, ita impotens redditur,vt neque erigere neque seminare intra vas possit,& quidem aut impotentia hæc est perpetua, aut temporalis; & sic cum sit nimis ab intrinseco sicut & maleficium de illa sicut de isto est philosophandum,vt ait D.Thom *dist.34.cit. quæst. vnic. art. 2. ad 5.in fine.* Existimo tamen incredibile & moraliter impossibile,quod homo potens ad coitum contrahat cum aliqua,cum qua vel semel non possit coire propter deformitatem fœminæ, nisi post contractum ante consummationem hanc deformitatem contraxerit, argumento ex his, quæ dicit *Lucius III.cap.cõsultationi de frigid. & malefic.* agens de matrimonio cum muliere, ita clausa, vt non possit marito commisceri,dicit,*quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consueuit in similibus iudicare,vt quas tanquam vxores habere non possunt habeant vt sorores.*

§. VI.

Assertum tertium. Matrimonium contractum à fœmina sciente virum esse impotentem propter frigiditatem, est validum iure naturæ.

SVMMARIVM.

1. *An sint aliqua impedimenta quæ faciant matrimonium illicitum.*
2. *An fœmina contrahens sciens virum esse frigidum & impotentem ad coitum renunciet iuri ad debitum petendum.*
3. *Ius ad debitum petendum & reddendum est essentialissimum matrimonio, & numero 4.*
5. *D.Thomæ sensus affertur, & n.17.18.19.*
6. *In quo consistat matrimonij essentia.*
7. *Quænam sit materia proxima traditionis mutuæ.*
8. *An intentio prolis generandæ sit essentialissima matrimonio.*
9. *Sanchez opinio affertur.*
10. *An tria bona matrimonij quantum ad obligationem sint de essentia illius.*
11. *An inter steriles frustretur matrimonium fine primario.*
12. *Lucij III.sensus affertur, & n.13.*
14. *Matrimonij contractus iure naturæ quid requirat.*
15. *An id quod iure naturæ est validum possit ius positiuum inualidum facere.*
16. *Pupillus est inhabilis ad contrahendum quemcunque contractum.*
20. *Quid veniat colligendum, & n.21.*
22. *Cœlestini III. sensus adducitur.*
23. *Quid sit quod vir habeat fœminam vt sororem,quam nequit vt vxorem habere.*
24. *Gregorij opinio affertur, necnon Clement. Alexand. & n.25.*
26. *Aruernensis Conc. statutum,nec non Turonensis & n.27.28.*
29. *Hieronymi mens adducitur.*
30. *Cardinalis Baronij iudicium, & numero 31.32.*
33. *Quæ sit consuetudo Ecclesiæ Romanæ.*
34. *An iure Ecclesiastico possit fœmina validum matrimonium contrahere cum viro, qui ante matrimonium scit certò esse impotentem, & n.35.*

LOquimur, etiamsi impotentia ex frigiditate proueniens sit perpetua ad coitum. Hæc est perpetua S.Thomæ sententia quam defendere ipse S.Doct. me cogit fundamentis, quæ posuit,sic habet *in 4.dist. 34. quæst.2.art.2.ad 4. & dist.36.quæst.1.art. 1. in corp.& in solut.ad 2. & ad 4.* vbi sic fatur ad quartum *dicendum,quod † aliqua impedimenta* 1
sunt,quæ faciunt matrimonium illicitum, & quia voluntas nostra non facit aliquid esse illicitum,vel licitum,sed lex cui voluntas subdi debet,ideo ignorantia talis impedimenti, quæ voluntarium tollit,vel scientia nihil facit, ad hoc quod matrimonium teneat, & tale impedimentum est affinitas, vel votum & cætera huiusmodi. Quædam autem impedimenta sunt, quæ faciunt matrimonium inefficax ad solutionem debiti, & quia in voluntate nostra consistit debitum nobis relaxare,ideo talia impedimenta si sunt cognita matrimonium non tollunt, sed solum

lum, quum ignorantia voluntarium excludit, & tale impedimentum est seruitus, & potentia coeundi, & ideo quia de se habent aliquam rationem impedimenti, &c. Quibus verbis manifestam rationem subministrauit profundam quidem, & altam, quam contrarij non penetrarunt.

Hanc sententiam tuentur omnes Summistæ antiqui Raynerius 2. *p. tit. de matr.* 27. Tabiena *Impedimentum* 1. *num.* 7. Armilla *verb. matrim. num.* 48. Angelus *matrim.* 3. *impedimentum* 16. *num.* 2. Sylueſter *verbo matrim.* 6. *quæſt.* 1. §. *quælibet frigiditas.* Petrus de Soto *lect.* 5. *de matrim.* Viualdus *in candelabro tit. de matrimonio.* 236. Flamas *p.* 3. *method. cap.* 8. *num.* 13. Philiarcus *tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 10. Metina *de sacrorum homi. cont. lib.* 5. *cap.* 74. *&* 75. Veracruz *in speculo coniug. art.* 38. Nauarrus *lib.* 4. *consil. tit. de desponsat. impuber. cons.* 4. *n.* 55. D. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *cap.* 12. §. 1. *&* 3. Multi Scholastici *in* 4. secuti Magistrum *dist.* 34. *cap.* 1. vbi Ioannes Maioris *q.* 1. *concl.* 3. *& in fin. q.* Palud. *quæst.* 2. *art.* 1. *num.* 9. *& art.* 3. *num.* 18. vbi supplementum Gabrielis *quæst. vnic. art.* 1. Lyra 3. *Reg. cap.* 1. *ad illa verba quæram Domino nostro* vbi Abulens. *q.* 4. Abbas *cap.* 2. *num.* 5. vbi Alexander de Neuo *num.* 5. *de frig. & malefic.* Rosella *impedimentum* 15. *num.* 16. Antonius Cuccus *lib.* 5. *instit. tit.* 12. *num.* 259. Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 7. *num.* 4. sequitur etiam, etsi male intellecta sententia Basilius Legionens. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 56.

Vt autem hæc sententia fundamentaliter comprehendatur supponendum est, quod hæc verissima sententia non adfirmat, quod
2 † fœmina contrahens sciens virum esse frigidum, & impotentem ad coitum renuntiat iuri quod habet ad petendum debitum, & quod vir non teneatur reddere, quantum est de se, & ex vi contractus matrimonialis, taliter quod si per miraculum ei restitueretur potentia coeundi teneretur reddere, vnde semper debet habere in præparatione animi voluntatem reddendi; ad eundem modum, quo D. Thom. (quam sequuntur Summistæ cæterique Scholastici) *in* 4. *dist.* 31. *art.* 3. *in corp.* dicit quod fides, & proles si considerétur in suis principiis, vt pro prole accipiatur, *intentio prolis*, & pro fide *debitum seruandi fidem, sic proles est essentialissimum matrimonio, & secundo fides*, &c. Sic
3 † ius ad debitum petendum, & reddendum obligatio quantum est ex natura rei est essentialissimum matrimonio, & huic iuri nullus contrahens potest renuntiare, quamuis possit renuntiare ei, quod de facto debitum reddat, quia contrahens scit alium contrahentem impossibilitatum esse ad reddendũ, quia sicut de facto reddere non est de essentia sacramenti, sicut nec de facto posse filiare, vt patet in senibus, & sterilibus, in quibus intentio prolis saluatur, quia ex natura coitus potest esse quamuis in istis sit per accidens, quod de facto non sit efficax intentio, ita quod impotens perpetuo ob frigiditatem naturalem (quæ est quædam naturalis defectus, & infirmitas) de facto non reddat nec possit reddere, debitumque soluere, per accidens se habet naturæ matrimonij, & eius essentiali valori, qui essentialiter solum exigit animi præparationem in contrahentibus, vt quantum est ex vi contractus matrimonialis licite possint cõmisceri debitum reddere, & prolem generare, & sicut intentio prolis, etsi essentialissima sit matrimonio in sterelibus est ex natura subiectorum impossibile, quod sit efficax nisi in præparatione animi, & quantum est ex natura contractus ita intentio coeundi in impotentibus, etsi non sit efficax per accidens, ratione subiecti, tamen est in animi præparatione, quantum est ex vi matrimonij, quæ animi præparatio sufficiens 4
est vt matrimonium verum subsistat, quia animi præparatio, & respicit copulam, & prolem, quamuis de facto hæc non sequatur in sterilibus, & illa in impotentibus, vnde si coniux impotens sit ad coeundum, & seminandum intra vas tenetur caste viuere, sed semper in animi præpatatione, si potens fiat (siue naturaliter, siue supernaturaliter) debitum reddere, & intendere prolem, vnde saltem in animi præparatione actu respicit copulam; vnde constat male dixisse, & intellexisse matrimonium sine ordine ad copulam saltem in animi præparatione, quia ordo ad copulam, sicut intentio habendi prolem est *essentialissimum* matrimonio, quã profundissimam doctrinam si calluissent cõtrarij Sanch. Dicastillus, Perez & alij, non ita certo sibi statuissent contra S. D. quod contrahens scienter cum impotente nullum sit hoc matrimonium iure naturæ.

Hoc supposito multiplici argumento probatur assertum nostrum primum sit D. Th. *in sol. illa ad* 4. † & sic formari potest quod quis possit expedite de facto soluere debitum coniugale, sicut & quod de facto possit filios generare non est de essentia contractus matrimonialis, quamuis alter coniux habeat ius vt ille de facto reddat, & finis matrimonij sit proles generanda; ergo si mulier sciens quod vir est impotens propter frigiditatem, non sit soluendo de facto, validum contrahit matrimonium, consequentia videtur manifesta, quia † essentia ma- 6
trimonij consistit independenter ab hoc, quod quis reddat de facto, quia huic iuri potest renuntiare, etiam antequam contrahat, sicut potest, postquam contraxit, vel quia vterque solemniter sunt Religionem professi,

vel quia vterque ex mutuo consensu vouerunt castitatem, vel quia vult contrahere cum impotente, non ob actualem commixtionem, sed ob alios fines, quorum intentio fundatur in traditione corporis diuersi sexus alteri in qua traditione imbibitur & ius ad exigendum, & in altero obligatio ad reddendum, quantum est in se, & in animi præparatione, vt dicebamus, sicut copula sterilium ex natura rei, & quantum est ex se ordinatur ad filiandum, quod tenẽtur ex se intendere, quamuis per accidens finis iste & intentio non sequatur propter impotentiam naturalem seminis sterilium.
7 Itaque materia proxima traditionis mutuæ, quæ fit in matrimonij contractu est, est vtrumque contrahentis corpus diuersi sexus, quod ex se & intentione naturæ apti sint ad generandum & filios procreandos per seminum commixtionem, quæ habent mas & fœmina ex se & sua constitutione, & institutione Auctoris naturæ, quod enim de facto sit hæc seminum commixtio, & quod sit inter coniuges mutuum ius expeditum ad petendum, & obligatio expedita ad reddendum non est ex primaria intentione contractus matrimonij, quod respicit solùm traditionem corporum diuersi sexus, quæ ex sua institutione apta sint ad generationem, quod enim aliquis sit impotens ad reddendum de facto ratione alicuius naturalis impedimenti perpetui, prorsus est per accidens, quod non euertit, nec destruit capacitatem radicalem & specificam materiæ traditionis mutuæ essentialiter requisitæ, ad matrimonium ex vi cuius, vt diximus teneretur reddere debitum si impedimentum illud auferatur, siue naturaliter, siue supernaturaliter.
8 Secundùm, quia † intentio prolis generandæ est *essentialissima* matrimonio, vt ait D. Thom. Magister sententiarum ex Aug. *vt suprà vidimus Resol.*..... ex eo, quod ordo ad copulam (quæ ex primaria intentione ordinatur ad filiandum) est essentialiter requisita ad validitatem matrimonij, quod enim de facto non filiet in sterilibus prouenit ex natura huius indiuidui, & sic non opponitur intentioni prolis quæ intentio est essentialissima, quia quod de facto non exequatur est per accidens sicut sunt monstra; vnde non opponitur essentiæ matrimonij, quæ potest consistere sine eo, quod filij non possint generari, quia ad hoc sunt impotentes coniuges.

Hoc argumentum valdè efficax est, & potest dupliciter ad illud responderi. Pri-
9 mò † Sanchez *disp.* 97. *cit. n.* 5. dicit verum esse non requiri ad valorem matrimonij, quod coniuges habeant potentiam vacandi copulæ coniugali ab sobolem procreandam; at desiderari, vt traddant sibi mutuam potestatem ad copulam, quæ traditio coniugi impotenti impossibilis est. Verum hæc solutio si prematur euanida & inanis inuenietur, quia ipse Th. *l.* 2. *de Matrim. disp.* 29. *n.* 11. *&* 12. vbi sententiam D. Th. sequitur, dicens, quod † tria bona matrimonij quan- 10
tum ad obligationem sunt de essentia illius, obligantur enim coniuges ad vitam indiuiduam, & reddendum sibi debitum prolémque non impediendam, & habitam educandam, & quantum est ex vi matrimonij, vt est in officium naturæ illam procurandam, & tamen steriles naturaliter non possunt prolem procurare, hic est nunc, quia eorum semen est infœcundum ex natura huius indiuidui à quo diggeritur & iaculatur intra fœmineum vas, & tamen nullus negat, quod steriles validè contrahant etiam in officium naturæ ad filiandum, quamuis hæc intentio & obligatio ad executionem non reddatur ob impedimentum sterilitatis, quia hoc est per accidens ratione huius indiuidui, ergo quamuis non possit impotens coire si hæc impotentia sciatur à fœmina validè contrahit, quia quod non possit reddere habet per accidens, per se enim & in animi præparatione obligatur ad reddendum sicut obligatur ad filiandum.

Respondet secundò, *disp.* 92. *n.* 26. *eiusd. lib.* 10. quia † etsi inter steriles frustretur ma- 11
trimonium fine primario, qui est prolis generatio, consequitur tamen finem secundarium nempe satisfacere concupiscentiæ vera copula habita. Cæterùm hæc solutio minus habet ponderis, quam præcedens, quod manifestissimè ostendo, quia finis etiam matrimonij est vita indiuidua inter subiecta & personas diuersi sexus, ad quam ex vi institutionis sequitur prolis generatio, & concupiscentiæ mitigatio; ergo quamuis non consequatur etiam iste finis secundarius subsistet iure naturæ matrimonium, quia est principalis intentio consequuta scilicet vitæ communicatio inter personas diuersi sexus; ex vi cuius sequitur & intentio prolis & mitigatio concupiscentiæ in natura corrupta; qui finis non esset in natura integra, in qua semper esset prolis generatio, quare sicut in natura corrupta etiamsi non sit intentio proxima prolis, subsistit matrimonium, etiamsi non executio finis secundarij qui est mitigatio concupiscentiæ propter impotentiam viri, si hæc sciatur à fœmina validum erit matrimonium iure naturæ, quia consequitur communicatio indiuiduæ vitæ in ordine ad officia & exercitia cuilibet sexui conuenientia. Hoc argumentum meum conuincit intellectum.

Tertium sit ex vera intelligentia *cap. consultationi de frig. & malef.* in quo Lucius III. interroga

interrogatus de quodam qui contraxit cum fœmina mpotente ratione arctitudinis, vel quia forsan non habebat orificium matricis,
12 respondet Pontifex † *Respondemus quod licet incredibile videatur quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consueuit in consimilibus iudicare, vt quas tanquam vxores habere non possint habeant vt sorores*, & Cœlestinus III. *cap. laudabilem eod.* agens de matrimonio ignoranter cum frigido contracto, ait esse separandum subdens: *quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non vt vxorem saltem habeat vt sororem.* Ex quibus Summorum Pontificum responsis colligitur quid sit quod vir habeat
13 fœminam, vt vxorem, & fœmina virum vt fratrem, non enim est, quod non subsistente, iure naturæ, matrimonio simul cohabitent, imo potius est quod subsistente valido iure naturæ matrimonij vinculo (quod iure Ecclesiastico non subsistit nisi inter potentes coire, & semen intra vas emittere) si contrahentes ambo consentiant, manet matrimonij vinculum, sed cohabitare debent; non vt maritus, & vxor, quia horum nequeunt officia exercere, cum vnus coniugum impotens sit ad coitum.

Vt autem hoc plenius percipiatur canonici iuris intelligentia clareat, & Antiquorum sententia enucleetur, notandum est,
14 quod † matrimonij contractus iure naturæ requirit personas habiles vt inter ipsas celebretur, quæ inhabilitas oritur ex lege determinante, quæ determinatio diuersa est (vt eleganter adnotauit S. Tho. *in 4. dist.* 34. *q.* 1. *ad* 4.) secundum diuersam legem. *Matrimonium* (ait S. D.) *in quantum est in officium naturæ statuitur lege naturæ in quantum est sacramentum, statuitur iure diuino, in quantum est in officium communitatis, statuitur lege ciuili, & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima, & quia lex naturalis secundum diuersos status recipit determinationes diuersas, & ius positiuum variatur secundum diuersas hominum conditiones in diuersis temporibus ideo Magister ponit in diuersis temporibus diuersas personas illegitimas fuisse.*

Ex qua vera & indubitata doctrina, con-
15 stat quod † id quod iure naturæ est validum ius positiuum potest inualidum facere declarando inhabilem personam ad contrahẽdum, quod duplici exemplo ex communi & certa sententia explico. Pupillus iure naturæ, seclusa fraude, metu graui, errore, valide potest contrahere cum tutore, & tamen ius ciuile ipsos inhabiles reddit ad contrahendum, ita vt si celebretur contractus nullus sit. Deinde secundum leges Castellæ minor sub tutore constitutus est inhabilis ad contrahendum pecunia credita, ita vt nulla obligatio siue ciuilis siue naturalis ex tali contractu oriatur, vtrumque probat Sanch. *li 6. de matrim. disp.* 38. *num.* 25. 28. & 29. imo iuris peritorum communis est sententia, quã probabilem valde dicit Sanchez *num.* 20. *in fine*, & sequuntur Lessius *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 38.
Quod † Pupillus est inhabilis ad contrahen- 16
dum quemcunque contractum iure ciuili quamuis iure naturali inhabilis non sit. Sic ergo Ecclesia Romana, etsi iure naturæ impotens ad coeundum valide contrahat sitque habilis ad contractum matrimonij, tamen quum impotentia est propter Eunuchismum declarauit ita inhabiles esse, vt nullatenus possint contrahere valide, sicut nec contrahunt consanguinei intra quartum gradum, si tamen sit propter frigiditatem perpetuam; aut maleficium declarat inhabiles ad matrimonium sub conditione, nisi ambo consentiant ad simul habitandum vt frater, & soror, non tamen vt maritus, & vxor, quia ad hoc omnino ipsos inhabiles reddit si post triennium datum ad experien- 17
dum, an impotentia sit perpetua; post quod experimentum si impotentia perseuerat, ita vt intra vas nequeat vir seminare, si volunt ambo possunt manere coniuges, & vinculum matrimonij non rumpere, sed in illo manere matrimonialiter caste viuendo, vt frater, & soror, & quidem quod ante hoc experimentum; & quod nolint permanere vt frater & soror sit verum vinculum matrimonij mihi indubitatum est, quia vbi non adest matrimonium iure naturæ est prohibita seminatio humana siue intra siue extra vas, siue quilibet actus impudicus, vt ostendit S. Thom: 2. 2. *quæst.* 154. vbi Caiet. & Syluius, est igitur iure naturæ verum vinculum matrimonij, sed quia Ecclesia declarauit inhabiles ad matrimonium illos, qui impotentes sunt ad coitum in perpetuũ expectat, quum dubium est de ista impotentia triennium in quo sumatur experimentum priusquam declaret harum personarum inhabilitatem; quam non declarat nisi per iustum iudicium ad exigentiam partis, quæ reclamat, dicens velle esse matrem vel patrem, vt expresse habetur *cap. requisisti* 32 *quæst.* 2. quod si ambo consentiant, & nullus reclamet non scindit Ecclesia vinculum, & retinaculum matrimonij, ipsum relinquens, non ad hoc quod possint actus maritales exercere, quia ad hos, ipsos declarat inhabiles; & impeditos, sed vt sint vt soror & frater, & mutua officia, ciuilia, & œconomica sibi præstent taliter, quod si miraculose aut alia arte homini ignota, dæmoni tamen cognita impotentia auferatur, ex vi præsentis matrimonij cuius vinculum perseuerat possint vacare coitui, & corporum commixtioni.

Rem

18 Rem radicitus enucleo si vir maleficio fiat impotens in perpetuo vt fieri potest docent cum S. Th. *in 4. dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 3. qui dicit esse perpetuum eo ipso quod auferri non possit per remedium humano opere factum, etsi enim per aliud maleficium inuocato dæmone, possit auferri adhuc dicitur impotentia perpetua, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia inuocare, at si quis etsi peccando mortaliter dæmonem inuocet, vt per aliud veneficium auferatur ligatura qua impotens reddebatur vir fiatque potẽs ad coitum, dubio procul prius matrimonij vinculum perseuerat & ex vi illius possunt coire licitè, & obligatio reddendi debitum exerit vires suas, quia Ecclesia nondum declarauit ipsos inhabiles, nec rescidit vinculum matrimonij, imo si se deceptam in probationibus impotentiæ inueniat reintegrat matrimonium, quod eleganter his verbis nos docuit Angelicum ingenium D. Tho. *q.* 1.
19 *cit. art.* 2. *in corp. si post triennium in quo fideliter ex vtraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ inueniatur matrimonium non esse consummatum iudicio Ecclesiæ dissoluitur, & tamen quandoque Ecclesia in hoc erat, quia per triennium quandoque non sufficienter potest experiri perpetuitas impotentiæ, vnde si Ecclesia se deceptam inueniat, per hoc quod ille in quo erat impedimentum inuenitur carnalem copulam cum eadem, vel alia perfecisse reintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamuis de eius licentia factum.*

20 Ex quibus manifestè colligitur † quod si ad petitionem alterius coniugis non dissoluerit matrimonium, ita vt alter possit aliud inire matrimonium, quia vterque coniux vult in illo perseuerare, vt frater vnus, & vt soror alter, quod si impotentia auferatur, quocunque modo siue diuino, siue diabolico, illi, qui vt frater & soror se gerebant, poterunt se vt maritus & vxor gerere, & copula licita matrimonium cõsummare, quod secus est si post triennij experimentum Ecclesia dissoluat matrimonium declarans ad petitionem alterius coniugis propter impotentiam perpetuam verè manet matrimonium dissolutum, & sic ille qui dissolutionem petiit, iam contraxit cũ alio tenet matrimonium, nec dissolui potest etiamsi impotenti reddatur potentia ablato maleficio per dæmonis inuocationem, quia hoc non obstante impotentia & impedimentum est perpetuum, vt aiebat S. Tho. & Ecclesia declarat inhabiles & dissoluit vinculum matrimonij non consummati propter perpetuum impedimentum impotentiæ, vnde factus potens potest cum alia contrahere.

1 Colligitur secundo, vera & germana intelligentia, *capitis requisisti* 33. *quæst.* 1. vbi Magnus Gregorius determinat totum id quod hucusque docuimus, ex ipso enim capitis cõtextu eam doctrinã tanquam securissimam & clarissimam aquam ebibi, dicit enim primum, quod impotens propter frigiditatem se commisceri, si non potest, ea vti vt vxore habeat, eam quasi sororem. Secundum quod si retinaculum coniugale voluerint rescindere maneant vtrique innupti, quod est præceptum respectu viri, & cõsilium respectu fœminæ. Vnde infero tertium quod antequam velint retinaculũ coniugale rescindere istud manebat, vt ipsi coniuges perseuerabant in contractu castè viuẽtes, vnus, vt frater alter, vt soror. Quartum quod si fœmina proclamet & dicat volo esse mater & filius procreare post legitimam probationem, quod nunquam sunt facti vna caro propter impotentiam viri, tunc mulier secundas nuptias contrahere potest, quia per iustum iudicium solutum est vinculum matrimonij declarando, quod fuerũt inhabiles iure Ecclesiastico. Quintum, quod si probatio non subsistit, quia vir inuentus est cum alia coire & copulam habere, peracta pœnitentia priora cogantur recipere cõnubia, quæ ferè omnia adducens testimonium Gregorij confirmauit † Cœlestinus 22
III. *cap. laudabilem de frig. & malefic.* Sextum male Basilium Legionensem vtrumque Summum Pontificem adduxisse, vt probet posse à principio contrahi matrimonium validũ ad castè viuendum absque aliqua habitudine etiam radicali copulam, imo Pontifices declarant, quod si fœmina proclamet se velle esse matrem, & filios procreare (quæ proclamatio copulam essentialiter respicit) per iustum iudicium retinaculum & vinculum matrimonij dissoluendum & rescindendum est, & sic dubio procul matrimonia, de quibus Pontifices radicaliter & essentialiter copulam respiciebant, ad quam habendã, quia incapax & impotens erat vir, fœmina reclamante per iustum iudicium rescinditur vinculum matrimoniale, nisi velint vt soror, & frater in vinculo matrimoniali persistere.

Septimum, quod maximè ad rem præsentem facit † quid sit, quod vir habeat fœ- 23
minam, vt sororem, quam nequit vt vxorem habere, hoc enim non est quod matrimoniũ quod perseuerat non respiciat copulam, hoc enim implicat essentiæ matrimonij, imo eã vt sororem habet ratione retinaculi coniugalis, igitur quod vir fœminam habeat, vt sororem & fœmina virum, vt fratrem, est quod perseuerante vinculo matrimonij castè viuant non se carnaliter aliquo modo cognoscendo, aut commiscendo, hoc enim manifestè dicit Gregorius I. † *in præfato cap.* 24
requisisti, ait enim. *Requisisti de iis, qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse inuicem*

cem operam carni dantes commisceri. Iste vero si non potest ea vti vt vxore, habeat eam, vt sororem. Quod si retinaculum coniugale voluerint scindere maneant vtrique innupti (vt ait glossa *vir ex præcepto, mulier ex consilio*) ecce vbi manifestè antequam de facto rumpatur retinaculum coniugale, dicit Pontifex summus, quod vir eam habeat tanquam sororem, quam non potest, vt vxorem habere, & hæc fuit consuetudo Romanæ Ecclesiæ, vt ait Lucius III. *cap. consultationi de frigid.*

Et quidem quod vir habeat fœminam, vt vxorem sit perseuerante vinculo coniugij antea contracti siue sit matrimonium ratum siue consummatum, contractum, tamen in ordine ad copulam & filios procreandos, mihi manifestissimum est ex phrasi & modo loquēdi Patrum & Conciliorum. Primus sit sanctus Hieronymus *epist. 46. ad Rusticum c. 5.* agens de Artemia illius quondam vxore, imo sorore ex coniuge, quæ votum castitatis emiserat & tunc visitabat loca sancta ad quæ visenda incitat exemplo Artemiæ Hieronymus Rusticum, & inter alia, sic fatur. *Narrauit mihi vxor quondam tua nunc soror atque conserua, quod iuxta præceptum Apostoli ex consensu abstinueritis vos ab opera nuptiarum, vt vacaretis orationi, tuaque rursum vestigia, &c.*

25 Secundus sit † Clemens Alexandr. *lib. 6. stromat. cap. 5. pag. mihi iuxta Herbeti diuisionem 659. num. 30.* loquens de Abraham dum apud Regem Ægypti vocatus est in periculum propter Saram vxorem suam, *quam* (ait) *nondum eadem matre & eodem patre natam propriè appellauit sororem*, cuius rationem antea dederat his verbis, *vxor autem ei soror post liberorum susceptionem, iudicatur tanquam quod sit eodem patre nata, tunc solum viri recordans, quum filios aspexerit, vt quæ sit vera futura soror post carnis dispositionem.* Quæ Clementis verba sic ibi in commentario suo nunquam satis laudato explicat Gentianus Herbetus *litter. L. quod autem Abraham apud Pharaonem vocatus in periculum, Saram appellauit sororem, id verè quidem dixit, verè enim erat soror à cuius contubitu abstinebat. Ita enim Apostoli suas vxores sorores circumducebant, à quarum coniugali congressu abstinebant. Ita erat Sara Abrahæ soror non autem quod esset eodem Patre & matre nata. Ita et qui est cognitione præditus eadem potest esse vxor, dum parit filios, post eorum autem susceptionem, non est amplius vxor, sed soror.* Hæc ibi Gentianus satis ad rem.

26 Quæ conformantur Cōciliis † primum sit Aruernense tempore Vigilij Papæ & Theodobertis Regis Galliæ celebratum *ann. Christi 541. sexto Iduum Nouembris c. 12. cum Presbyteri atque Diaconi sublimi dignitatis apice prorogentur, actibusque omnino sæculi renuntient, & ad sacrum ministerium electi repudient, & quisquis est presbiter, atque Diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris suæ prius frater illico efficiatur ex coniuge: attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos abiecto militiæ singulo, votum pristinum, & inhibita coniugia repetisse*, &c. quæ fere repetit Concilium Matisconense, *tempore Pelagij, & Gunithetammi Regis Francorum celebratum ann. 582. cap. 11.*

Secundum est † Concilium Turonense 27
2. tempore Ioannis Papæ III. & Chariberti Regis Francorum celebratum ann. Christi 570. vbi loquens de Episcopis *c. 12.* dicit. *Episcopus coniugem suam vt sororem habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem tam Ecclesiasticam, quam propriam, vt nulla de eo suspicio quaque ratione consurgat, & cap. 19. vt hoc omnino seruetur in Achipresbyteris, Diaconis & subdiaconis, quia de pluribus populus suspicatur quod mancant cum coniugibus suis non vt sororibus*, sed vt vxoribus, disponit, quod Archipresbyter, *secum semper habeat vnum, siue Canonicorum suorum, siue certum clericorum qui cum illo ambulet, & in cella vbi ille iacet lectum habeat pro testimonio.*

Quæ Concilia irritarunt imo secuta sunt. *canonem 6. Apostolorum* in quo sic. *Episcopus* 28
aut Præsbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat, si vero reiecerit excommunicetur; sed si perseuerauerit, deiicitur. quo canone cum sit certum in fide quod illo non præcipiatur quod clericus coniugalis vxori suæ naturali commercio cohabitet, liberisque procreandis, & generandis incumbat, sed quod illam non dimittat, sed quam non potest, vt vxorem habere, eam teneat vt sororē, quam sustentare, & alimenta præbere tenetur, iuxta id quod dicit Paulus *1. ad Corinth. 9. num. 6. numquid potestatem non habemus mulierem sororem circunducendi sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* quibus verbis clemens Alexandrinus *lib. 3. stromatum* probat Paulum fuisse vxoratum, sed post Apostolatum, eam non habuisse vt vxorem, sed vt sororem, id quod tenuit etiam S. Ignatius *in Epistola ad Philadelphos*, vbi Paulum sicut, & cæteros Apostolos vxoratos facit, sed abstinentes à commixtione carnali; vt † docet Hieronymus *epist. 50. ad* 29
Pamachium in fine. Apostoli (inquit) *vel virgines vel post nuptias continentes, Episcopi, Præsbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici*; & certè quidquid sit de Paulo Apostolo, an alij Apostolorum plures essent vxorati, mihi verisimilius est vxores habuisse, sed post Apostolatum eas habuisse vt sorores abstinentes ab omni carnali commercio, quia aut facile erat inter Hebræos sicut, & inter Gentiles, qui recenter nomen Christo dedissent adultum hominem cœlibem, & non vxoratum inueniri.

30 Audi Cardinalem Baronium *tom. 1. anno Christi 58. pag. mihi 503.* sic loquentem. *His igitur omnium Orientalium Ecclesiarum consuetudine, atque Sanctorum Patrum testimonio testatis, quam Nisseni Concilij authoritate firmatis, scilicet vxoratos in sacros Ordines coaptatos, tam imposterum ad continentiam seruandam adstrictos fuisse, non est vt de Canone Apostolorum rursum quis moueat quæstionem, quod eo statutum sit, ne Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vxorem suam prætextu Religionis abiiciat. Quia nec ibi sic ne abiiciat admonetur, vt det operam liberis procreandis, nam Apostolos (quod dictum est) quantumlibet coniugatos post Apostolatum consecutum ab his temperasse antiquorum testimonio certum habetur; sed quod Paulus admonuit. 1. ad Timoth. 5. si quis suorum & maximè domesticorum curam non habebat fidem negauit & est infideli deterior, illarum curam agerent. Nam & Petrum vna secum vxorem*
31 *circumduxisse tradunt; de quo & Paulus, nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli fratres Domini & Caphas? non aliter quidem canonem illum interpretatos esse maiores nostros certo argumento est, quod Dionysius Græcorum scriptorum suorum temporum nobilissimus in sua collectione Sacrorum Canonum, quibus singulis summarium præfixit titulum eidem hanc inscriptionem proposuit, vt Episcopus, aut Presbyter vxorem suam quam debet caste regere non relinquat, &c.*

32 Quibus Eminentissimus vir & germanā intelligentiam loci Pauli inducit, & nostram doctrinam de coniuge tanquam sorore habenda non vt vxore manifestè confirmat. De quo legendi sunt Turrianus *lib. 1. cap. 1. pro Canonibus Apost.* Binnius & Coriolanus *tom. 1. concil.* ille & iste *in sum. Concil. in notis ad Canon. 6. Apostol.* Bellarm. *lib. 1. de Clericis cap. 12.* quare S. Gregor. *lib. 1. epist. 42.* constituit vt non solum Episcopi, sed nec Subdiaconi, ad Sacros Ordines recipiantur, nisi qui cum vxoribus ante habitis continentes deinceps vixerint, quod & Sanctos Apostolos docuisse & in Ecclesia antiquitus ab omnibus obseruatum esse, ingenuè fatentur Patres *Concilij Carthag. 2. cap. 2.* id quod definierunt Innocentius I. *epist. 2. c. 9. ad Victrisium, & epist. 3. ad Exuperium*, & egregiè confirmauit Leo I. *epist. 90. cap. 3. ad Rusticum Narbon. Episcopum, vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores & quasi non habeant, sic habere, quo & salua sit charitas, & cessent opera nuptiarum.*

Sed non possum non inducere egregium testimonium Humberti Cardinalis legati, à latere missi à Leone IX. de quo latiorem feci sermonem alibi, *qui in illa doctissima responsione ad libellum Nicæti Presbyteri, & Monachi aduersus Latinos editum* sic fatur. *Omnino confitemur, non licere Episcopo Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam vxorem causa religionis abiicere à cura sua scilicet, vt ei victum & vestitum largiatur, non vt cum illa ex more carnaliter iaciat, sic & sanctos Apostolos legimus fecisse, Beato Paulo Apostolo dicente, nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sunt Apostoli fratres Domini, & Cephas? vnde insipiens; quia non dixit, nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi scilicet, vt de merce deprædicationis sustentaretur ab eis; nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium*, ita ibi quo nihil illustrius, cui concordant ea quæ dicit S. Gregor. Magn. *lib. 4. Dialog. cap. 20.* & egregiè explicat Glossa *cap. presbyter 18. dist. 32.*

Hæc omnia latiori calamo adduxi pro- 33
pter duo valdè necessaria. Primum vt explicetur id quod dicit Lucius III. *cap. consultationi de frigid. quod † consuetudo Ecclesiæ Romanæ est, vt qui cum impotente ad coitum; si ambo consentiant possunt persistere in matrimonio, vt frater & soror non dissoluto vinculo*, quod dissolui non potest nisi ab Ecclesia, quæ si probetur impotentia perpetua ad petitionem partis, potest illud dissoluere & rescindere, si autem non rescindit, sed manent coniuges, vt frater & soror non manet inter eos amplius carnale coniugiū, sed *de carnali matrimonio fit spiritale coniugium*, vt aiunt Leo Papa I. & Humbertus Cardinalis; sed cum discrimine notando, quod Presbyter vxoratus non potest non coniugem suam, vt sororem habere præbens illi alimenta necessaria ad victum & vestitum, etiam ex bonis Ecclesiæ si nō habet alia; ad hoc enim tenetur velit, nolit, at vir impotentem fœminam probata impotentia, potest dimittere recisso ab Ecclesia retinaculo coniugali, nec tenetur post recissionem vinculi, ei alimenta præbere.

Secundum vt manifestius appareat quam falso dixerit Legionensis, quod † iure Ec- 34
clesiastico potest fœmina validum matrimonium contrahere cum viro qui ante matrimonium certo scit esse impotentem, perpetuo ad coëundum, hoc enim incredibile est, vt ait Lucius III. *cap. consultationi cit.* rursus est contra Ecclesiæ praxim & me quidem iudice post Breue Sixti V. nullatenus defendi potest, mouetur enim Pontifex ad reddendum inhabiles ad quoquomodo contrahendū Eunuchos carētes vtroque teste, *quia secundū canonicas sanctiones & naturæ rationem* (non dixit ius naturæ) *qui frigidæ*

naturæ sunt & impotentes ijdem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur. ex quo euidenter deducitur, quod iure Ecclesiastico validè non contrahitur, cum scienter impotente perpetuo, sicut nec cum Eunucho carente vtroque teste, aut veretro abscisso, aut secato, taliter quod non possit intra vas semen iaculari, quod secus est quũ bona fide contrahitur matrimonium & inuentus est alter coniux minus habens, &
35 impotens ad coëundum, tunc enim factum est matrimonium ratum, cuius retinaculum vtroque coniuge consentiente manet insolutum, & licèt fuerit introductum *carnale*, quia in ordine ad carnalem copulam, tamen factum est *spiritale coniugiũ*. ne deinceps exerat vires suas carnale commercium, vt salua existente charitate & perseuerante ciuili societate, cessent opera nuptiarum nisi miraculosè & præter naturam restituatur coëundi potentia, aut ope Dæmonis auferatur ligamen quo ligata tenebantur virilia, ne opus suum exercerent, multa alia omitto in confirmationem huius tertij asserti, quia inducta mihi sufficere videntur, etsi quæ sunt alia scitu digna §. 8. adducam, inferens varia ad praxim Corollaria, ex hoc principio.

§. VII.

Satisfit Christopolitano, & Legionensi.

SVMMARIVM.

1. *Matrimonia Eunuchorum cum consensu implicito, aut explicito ad copulam iure naturæ sunt valida, ex Legionensi.*
2. *An supposita declaratione Pontificia iure naturæ sint inhabiles Eunuchi ad quoquomodo contrahendum.*
3. *Sixtus V. non fecit declarare Eunuchorum matrimonia fuisse irrita, quæ contracta erant ante suum Breue, & n. 4.*
5. *An matrimonium contrahi possit cum impotente perpetuo validum iure etiam Ecclesiastico.*
6. *An iure naturæ per se ex institutione sua coniugium dicat intentionem prolis saltem implicitam.*
7. *An coniugium de primaria intentione sit institutum propter mutuam societatem, & num. 8.*
8. *Quid ex præmissis sit deducendum.*

SVprà §. 2. huius grauissimæ Resolutionis sententiam Basilij Legionensis adduxi, suis fundamentis munitam & armatã, quam exarmare cõuenit, ne aliquando, etsi vincta, si arma non minuuntur in pugnam iterum
1 resurgat. Igitur, ad id quod dicit † matrimonia Eunuchorum cũ consensu implicito, aut explicito ad copulam iure naturæ esse inualida, quod sibi ita certum iudicat, vt non liceat vlli dubitare Catholico, nisi Pontificis authoritati refragari velit, ego quidem gratia Dei Catholicus sum nec refragor authoritati Pontificiæ, sed ipsam manifestam propono, & veneror, & ore prostrato
& calamo suscipio, & assero, quod † suppo- 2
sita declaratione Pontificia iure naturæ sunt inhabiles Eunuchi ad quoquomodo contrahendum sicut supposito Decreto Trid. Iure naturæ sunt homines inhabiles ad contrahendum sine Parrocho, & testibus, tamen in sensu diuiso hoc est seclusis his Decretis Sixtino, Tridentino iure naturæ non sunt Eunuchi, & alij ad contrahendum etiãsi non possint illi coire, si id sciatur ab alio contrahente, & isti non sint coram Parrocho, & testibus, quod in superioribus satis declaratum, & enucleatum est; nec fundamentum quod adducit aliquid habet ponderis, quia totum illud est per accidens respectu iuris naturæ, quia eo ipso quod sit sexuum diuersitas iure naturæ ordinantur ad generationẽ prolis, & sicut in sterilibus, est per accidens quod proles non sequatur, etsi id proueniat ex natura indiuiduali sua, ita in Eunuchis quod ex defectu testium semen euanidum emittant, vel etiam sit veretrum abscissum vt iam explicatum relinquimus, ex Magistro Pet. Lomb. quem sequuntur D. Th. & grauiores Scholastici antiquiores.

Neque † Sixtus Quintus fecit declarare 3
huiusmodi matrimonia Eunuchorum fuisse irrita, quæ contracta erant ante suum Breue, sed quæ post ipsum, imo dicit quod si aliqui, qui ante contraxere inueniantur, *sed carnalibus, & libidinosis actibus operam dare simul in vno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire conuincantur omnino similiter separari cures separari, separari* dicit quoad cohabitationem carnalẽ, & commercium libidinosũ, non tamen dicit quod irrita declaret matrimonia, vt supra dicebamus iuxta *canon. 6. Apostol.* & PP. ibi citatos Baronium, Binnium, & alios iuxta *canon. 3. Concil. Nicæni*, optime consultum est vt sanctis fun- 4
ctionibus mancipari non dum extranearum sed coniugum vitarent contubernium propter periculum coeundi, quod illis est prohibitum lege Ecclesiastica, ita quia Eunuchis prohibita sunt matrimonia etiã ad caste viuẽdũ, ea quæ ante hoc breue Sixtinum fuerunt contracta, si ambo consentiunt permanere in coniugio ad caste viuendum separari non debent, sed manet retinaculum coniugale, si tamen vacant operibus carnis separandi sunt omnino, si tamen ipsi volunt sic permanere nunquam Ecclesia rescissit vinculum matrimonij, & sic permanserunt in Hispania post Breue Sixti Quinti, &

& quia caste viuebant, non fuerunt separati, sed perseuerant coniuges, tanquam frater, & soror, vnde vir tenebatur sororem coniugem alere, & illi alimenta necessaria præbere, hodie tamen nec ad caste viuendum illis licet valide contrahere, quia non possunt ordinem habere ad copulam, sicut de impotentibus, ob frigiditatem dicebam.

Ad ea quæ ex Basilio adduximus quod
5 † matrimonium contrahi potest cum impotente perpetuo validum, iure etiam Ecclesiastico, respondetur, ad id quod bene discursum diximus à Christopolitano, solum probat quod iure naturæ sit validum coniugium absque ordine explicito in copulam & ad filiorum procreationem, & absque expressa intentione prolis habendæ per congressum maris, & fœminæ, tamen eo ipso quod Deus hominem creauit ante peccatum masculum, & fœminam, & illis dixit etiam ante peccatum *crescite & multiplicamini, & replete terram*, etiamsi Angeli, & homines non peccarent, sed isti permanerent in statu innocẽtiæ confirmati in gratia adhuc vacarent generationi in illo statu, vt supra contra quosdam patres Græcos cum Aug. S. Th. & aliis Patribus latinis non leuiter compro-
6 baui, vnde † iure naturæ per se ex institutione sua coniugium dicit intentionem prolis saltem implicitam, & ordinem etiam implicitum ad generationem, & copulam, sine qua intentione, quæ essentialissima est coniugio, istud non subsistit validum iure naturæ,

Nec verum est, sed omnino falsum, & cõtra omnem Ecclesiæ Latinæ sensum quod
7 † coniugium de primaria intentione sit institutum propter mutuam societatem, amorem, & adiutorium solummodo, imo hæc societas mutua, mutuumque adiutorium perpetuum, & immutabile vinculum non causarent, sed solubilia ad libitum essent naturæ iure, nisi ad filios procreandos, & nutriendos ordinarentur; quare ad societatem istam perpetuo conseruandam homines fecit Deus exprimaria intentione masculum, & fœminam, vt fierent *vna caro*, & vnus alteri adhæreret inseparabiliter, illisque potentiam generatiuam ex prima illorum creatione est impertitus; vnde dixit Adam *cap. 3. Genes. n. 23: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*; vel vt legit Chrysostomus *homil. 12. ad Colossenses*; *in carnem vnam*, scilicet prolis generandi, & infantis coniuncti, quam interpretationem & verborum Geneseos intelligentia mira conditione, & elegantia enucleat, vnde ad Litteram illa verba ex primaria Dei intentione, & matrimonij institutio- 8
ne ordinem denotant ad copulam & prolem generandam, & in hac intentione prolis generandæ fundatur immutabilis mutua amicitia, Societas, adiutorium atque coniunctio maris & fœminæ, ex qua doctrina ea quæ Christopolitanus scitè & sapienter discurrit moderamine prudenti excludenda, aut amplectenda sunt, ne verò Ecclesiæ sensui obstent, & qualiter saluandum est verum coniugium inter B. V. & S. Iosephum absque expressa intentione habendi copulam ad filios procreandos, quod *Res*... anteriori à me explicatum est.

Ad secundum, iam constat qualiter est 9
philosophandum de matrimonio Eunuchorum †, & ob frigiditatem impotentium ad coëundum, siue loquamur iure naturæ, siue iure Ecclesiastico, & qualiter intelligendæ sunt doctrinæ Antiquorum Theologorum, & Iuristarum, quare opus non est ea repetere.

§. VIII.

Varia deducuntur Corollaria ad praxim valdè vtilia.

QVia ea quæ hucusque diximus maiori ex parte speculationem Theologiæ Moralis & illius principia, in vniuersum respiciunt opusque hoc de residentia, praxis directionem intendat (scriptores enim hodie non debent esse contenti tradere principia moralia, quæ ferè semper recuduntur in antiquis, sed ex illis varias deducere nouas conclusiones morales ad varios casus resoluendos) operæ prætium iudicaui varia ex dictis Corollaria deducere.

SVBRESOLVT. I.

Vtrùm si se gerant, vt soror & frater coniuges tenentur ad simul residere?

SVMMARIVM.

1. *Administratio rei familiaris quantum ad commercia & negotiationes forenses competit viro.*
2. *Quantum ad residentiam personalem & commanentiam non est per se aliquod strictum præceptum.*
3. *S. Ioannis Chrysostomi sententia adducitur.*
4. *Vir quandiu non rescinditur retinaculum coniugale tam dotis, quam cæterorum bonorum, est legitimus administrator.*

PRimum sit decisio cuius difficultas, an si retinaculum coniugale iusto iudicio

ad petitionem alterius coniugis non rescindatur, sed perseuerent in vinculo insoluti matrimonij tanquam frater & soror teneãtur ad residentiam, & commanendo simul si absit periculum incontinentiæ. Existimo
1 primo, quia † administratio rei familiaris quantũ ad cõmercia & negociationes forenses competit viro, qui quantũ ex vi contractus matrimonij, etsinõ consũmati, est caput mulieris, quare in specie huius casus eadem officia & iura cõmpetunt viro, qui vxorem habet, tanquã sororem, ac si vterque post cõsummatum matrimonium, votum emitterent continentiæ, & castitatis absolutæ.

2 Existimo secundo, quod † quantum ad residentiam personalem & commanentiam non est per se aliquod strictum præceptum, quia non possunt habere carnale commercium ratione cuius cohabitare & personaliter residere simul adstringebantur, quare solum tenentur simul commanere quatenus requiritur, vt vnus sit respectu alterius iuuamen & adiutorium in œconomica gubernatione & familiæ directione, quod egregiè explicant Patres Nissenus *cap.* 13. *de Virginit.* & S. Ioannes Chrysostomus sua solita eloquentia multis in locis rem tractat,
3 sed elegantius † *homil.* 34. *ad Corinth.* 1. vbi sic, *vt autem in singulis domibus multa sit concordia, cum virum quidem imperio honorasset, & excellentia, mulierem vero armasset cupiditate, multa tamen alia constituit, quæ charitatem conciliarent. Neque enim omnia viro permisit, neque omnia mulieri, sed ea vnicuique diuisit, vt qui mulieri quidem domum, viro autem forum tradiderit, & viro quidem dedit, vt aleret, nam agros colit, mulieri autem, vt vestiret, tela enim & colus sunt mulieris. Ipse enim dedit mulieri texendi artem, & industriam, sed pereat auaritia, quæ non sinit hoc apparere discrimen. Nam multorum ignominia, & mollities, etiam viros ad telas deduxit, & radios eis in manus tradidit, licetque & stamen, sed tamen sic quoque administrationis diurnæ resplendet prudentia, nam & muliere valdè opus habemus in magis necessariis, & minoribus indigemus, in his quæ vitam continent, vsusque tanta est necessitas, vt etsi quis sit omnium hominum ditissimus, nec sic quidem sit liber ab hac coniunctione & opus habeat inferiori*, &c. vnde puto
4 quod † vir quandiu non rescinditur retinaculum coniugale tam dotis, quam cæterorũ bonorum est legitimus administrator, quãuis si non adest necessitas cohabitationis & residentiæ in eadem domo, nisi adsit scandalum non teneantur simul cohabitare, imo existimo posse quemquam ex illis etiam alterum inuito ad religionem, imo & ad Sacros Ordines conuolare, quia eo ipso cogitur peccare coram iudice rescissionem vinculi propter impotentiam si sacrum Ordinem accumat, secus vero si ad religionem conuolet, quia transacto triennio ad experiendum destinato, & non consummato matrimonium, manet libertas conuolandi ad religionem etiam altero inuito, vt aliquando consultus respondi, & alibi latius doceo.

SVBRESOLVT. II.

Vtrum fœmina Eunucha validè contrahat?

SVMMARIVM.

1. *An si fœmina sit Eunucha, vel à natura vel ab arte, itavt non possit seminare, validè contrahat.*
2. *Authoris iudicium affertur.*
3. *Breue Sixti V. an Eunuchas non comprehendat.*

SEcundum † an si fœmina sit Eunucha, 1
vel à natura, vel ab arte, itavt non possit seminare licet possit virile semen recipere in matrice, validè contrahat. Dicastillus *disputat.* 7. *num.* 479. dicit quod huius difficultatis resolutio pendet, an requiratur necessario, quod fœmina semen conferat ad generationem, nam si hoc requiritur necessario non validè contrahit, secus vero si non requiritur necessario, addit tamen cum Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 92. *num.* 9. quod cum sit probabilis sententia, quod non requiratur fœmineum semen, etiam erit probabile, quod valide contrahat, etsi semper iudicandum in fauorem matrimonij, *cap. final. de sent. & re iudicata.*

Sed † ego aliter discurro de Eunucha à 2
qua vel arte sunt tracti testiculi, vel à natura eos non habet, aut de ea quæ accidentaliter non seminat; non tamen est Eunucha, si tamen testiculos habeat etsi non seminet, existimo validè contrahere in omni philosophia & medica sententia, ratio est apud me satis efficax, quia etsi non mittat semen in cuius resolutione delectationem sentiat, quã multæ in multis actibus ex quibus grauidæ euasere, non sentiunt, tamen in omnium Medicorum & Philosophorum sententia requiritur sanguis menstruus purus fœmineus, vt sit capax subiectum receptiuum actiuitatis seminis virilis, quod fouetur calore prolifico & virtuoso fœminæ, hunc autem virtuosum calorem infundit præfato sanguini fœmina mediis testiculis, quibus digeritur sanguis ille, vt sit benè dispositus, quamuis semen decoctum in cuius resolutione sentitur delectatio nõ emittat, quare tã in sentẽtia Galeni dicẽtis requiri semẽ fœmineũ, quam Aristotelis negantis huius

huius seminis necessitatem, ad generationẽ, semper mulier testiculata validè contrahit, secus verò si testiculis careat, quia inepta est ad sanguinem disponendum fructuosè, & ad fouendum prolificè semen viri. Vnde si constet de ista, quod careat testiculis sicut constat de viris, quibus abscinduntur de validitate matrimonij eius, eodẽ modo est philosophandum, ac de validitate Eunuchorũ, quia par videtur ratio vtrorũmque, quod sit validum iure naturæ, & inualidum iure Canonico, vt explicatum relinquimus, quam-
3 uis alicui videri possit, † quod Breue Sixti Quinti Eunuchas non comprehendat; quia odiosa videtur, & solum comprehendit viros, quos nominat & non fœminas etsi istas videatur etiam comprehendere propter rationem, quam dat ad viros inhabiles reddẽdos, quia scilicet non præbent semen prolificum quæ ratio etiam tangit fœminas Eunuchas quæ sanguinem menstruum diggestum & benè dispositum non præbent, sed in hoc puncto aliorum iudicium expecto.

SVBRESOLVT. III.

Vtrùm defectus veri seminis obstet valori Matrimonij?

SVMMARIVM.

1. *An Eunuchi vtroque carentes testiculo validè contrahant iure naturæ.*
2. *An non obstet defectus veri seminis ad generandum apti, vt ob id neganda sit copula vero matrimonio coniunctis.*
3. *An coitus intra vas ad sedandam concupiscentiam tam viri quàm fœminæ etsi ille orbatus testiculis, licitus sit, si hæc orbatio post matrimonium contingat.*
4. *An si Eunuchus, aut frigidus fornicetur, teneatur hanc Eunuchismi, aut impotentiæ circunstantiam confiteri.*
5. *Quænam commixtio dicatur esse contra naturam.*
6. *An Castratus vtroque testiculo si extra matrimonium fornicetur peccet mortaliter.*
7. *An circunstantia Eunuchismi, aut impotentiæ perpetuæ sit necessario aperienda in confessione.*
8. *Dicastilli sensus affertur.*
9. *Qui duo matrimonij fines dicantur diuersi.*
10. *Homini impotenti ob frigiditatem perpetuam num repugnet essentialiter generario.*

TEctium & valdè necessarium est ad cõfirmandam eam sententiam, quam dux
1 & alios neotericos, quod † Eunuchi vtro-

que carentes testiculo validè contrahant iure naturæ, etiamsi semen prolificum non emittant, sed euanidum sit, & inane, ipse enim Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 102. *n.* 6. & 7. dicit, *quod si matrimonio inito vir vtroque testiculo orbetur est incapax emittendi verum semen culpa vacat, siue petat, siue reddat, quia iure suo vtitur vacans actui coniugali, quẽ matrimonium permittit; semen autem verum non emitti contingit per accidens, sicut si apertè constaret viro, præ morbo, semen esse corruptum, aut sterile, vel copula sit prope tempus partus in quo non est possibilis generatio, adde senibus decrepitis ad generandum impotentibus à nullo negari vsum coniugij, si coire valeant, quia obtinetur finis matrimonij secundarius, nempè ardorem concupiscentiæ.* † *Non ergo obstat defectus veri seminis, ad generandum apti, vt ob id neganda sit copula vero matrimonio coniunctis. Neque est simile de copula extra vas. Quod ea non sit coniugalis, nec iure matrimonij nitatur, qualis est habita intra vas*, & ita tenet Toletus *lib.* 7. *Summ. cap.* 12. *num.* 4. *loquens de facto Eunucho post matrimonium. Vnde tunc vterque poterit petere, & alter reddere tenebitur, quia petit alter ius suum quo orbatus non est.* Hæc Thomas Sanchez quem sequitur Perez *disp.* 37. *de Matr. sect.* 10. *num.* 4.

Ex qua vera doctrina, ego pro nostra sententia manifestum induco argumentum, quia † coitus intra vas ad sedandam 3
concupiscentiæ flammã tam viri, quam fœminæ etsi ille orbatus testiculis non possit verum semen emittere licitus est, si hæc orbatio post matrimonium contingat, quia consequitur finis secundarius matrimonij, etsi impossibilis sit generatio, ergo iure naturæ, etiam poterit validè contrahere Eunuchus, vtroque testiculo, carens consequentia euidens est, quia si ratione matrimonij contracti licitus est vsus carnalis, etiamsi fiat sine vero semine, hic vsus non est contra naturam matrimonij secundum se, atque ita in ordine ad illud iure naturæ validè contrahitur matrimonium.

Sed contra hanc doctrinam forsan præsentiens difficultatem nostri argumenti insurgit argutiis quibusdam P. Dicastillus summariè & remissiuè *disput.* 7. *de matrim. num.* 480. & ad longum *disput.* 9. *de pœnitentia num.* 374. arguens ad hominem contra Sanchez qui *lib.* 7. *de Matrim. disput.* 5. *num.* 14. vbi asserit, *quod* † *si Eunuchus, aut* 4
frigidus fornicetur tenetur hanc Eunuchismi, aut impotentiæ circunstantiam confiteri, quia est fornicatio contra naturam coitus, & generationis, vt tenent etiam Lessius *lib.* 4. *de iustitia capite* 3. *numero* 45. Cardinalis de Lugo *de pœnitent. disputat.* 16. *numero* 175. & alij quos citat Diana 3. *part. tractat.* 4. *re-*

sol. 139. *ex quo sic arguit, esse vel non esse contra naturam non prouenit ex matrimonio, aut ex defectu matrimonij, sed quia quoad substantiam, non est naturalis copula, atque adeo non est copulatio coniugalis, nec actus coniugij, seu matrimonij, nec enim matrimonium præbet ius ad actum contra naturam, vel ergo actus est contra naturam vel non, si dicatur esse contra naturam falsum est, quod ait num.* 7. *quod vir ille vtitur iure suo, nec enim habet ius ad actum contra naturam ex vi sui matrimonij, si vero dicatur non esse contra naturam, ergo nec inter non coniugatos est contra naturam in quibus tantum deest vinculum matrimonij, quod vinculum non facit, quod actus alioquin contra naturã desinat esse cõtra naturam.* Hæc ferè ille.

Verum enim vero obiiciuncula hæc nec in se nec contra Sanchez energiam habet
5 sed friget in se quidem, quia † commixtio dicitur esse contra naturam, quia est contra generationem & prolis procreationem ad quam natura inclinat ex primaria institutione matrimonij, non tamen est contra naturam, quatenus ordinatur matrimonium ad mitigandum incendium concupiscentiæ, vnde cum matrimonium sit ordinatum secundario ad hoc incendium extinguendum, quod ius habet maritus, etiam orbatus post matrimonium vtroque teste, illo vtitur dum exigit debitum, & alteri exigen-
6 ti reddit, vnde fit, quod † castratus, vtroque, si extra matrimonium fornicetur peccat mortaliter & circunstantiam Eunuchismi tenetur confiteri, quia est contra naturam talis coitio, quam circunstantiam honestat matrimonium eo ipso, quod dat ius ad exigendum debitum, etiamsi sit impossibilis generatio ob alium finem, scilicet ad extinguendam libidinem, vnde fit, quod nec ad hominem argumentum Dicastilli vrgeat Sanchezium, præterquam quod non
7 est omnino certum, quod † circunstantia Eunuchismi, aut impotentiæ perpetuæ sit necessario aperienda in confessione, vt tenet Fillucius *tom.* 1. *tractat.* 10. *p.* 2. *cap.* 1. *numero* 23. Quare licitè iste, cui Eunuchismus contigit post matrimonium consummatum & etiam ratum debitum petere & reddere intra vas, quale quale semen immittendo, quod si contingat post matrimonium ratum, & non consummatum poterit illud Eunuchus consummare ob finem secundarium matrimonij taliter, quod iam non possit dissolui per ingressum Religionis, nec Papa poterit illud dissoluere, vtpotè consummatum ob præfatum finem, etiam in sententia, quæ asserit, quod Papa potest dissoluere matrimonium ratum, quamuis de hoc nullum vidi tractasse.

8 Quod enim † addit Dicastillus contra nos & Sanchez de fine secundario matrimonij, *qui est sedare libidinem non probat ad huiusmodi finem posse adhiberi media, quibus essentialiter repugnet generatio, quæ est primarius finis, tale autem medium est administratio humoris, qui ex essentia sua non est semen, cui non per accidens, sed per se conuenit non esse prolificum, quod nõ conuenit semini morboso, aut senis mariti, quod est verum semen, & per accidẽs vitiosum, est quidem per accidens, quod Eunuchus fuerit castratus, sed non est per accidens, sed essentiale, quod eius humor nõ sit, quia essentialiter non est semen, senis vero, vel morbosi semen essentialiter est semen, sed per accidens minus aptum.* Hæc ille.

Cæterum hæc frustanea sunt ad propositũ & petunt manifestè principium, cũ enim
9 † hi duo fines matrimonij diuersi sint, quilibetque sufficiẽs ad honestandũ matrimonij congressus, & sexuũ commixtiones, vt finis secundarius consequatur necessariũ non est iure naturæ, quod primarius per accidẽs ratione alicuius accidentis indiuidui non consequatur, dũmodo hoc accidens non sit contra naturã congressus, etiamsi sit præter, nec enim essentialiter repugnat generatio semini Eunuchi & humori quẽ immittit, sed solũ naturaliter, ratione indiuiduitatis, quia nõ est benè digestũ, sicut etiam semini corrupto, & semini senis ratione indiuidui substãtialiter naturaliter repugnat generatio, taliter, quod vt hæc fiat ab illo in coniuge iã vetula sit necessariũ miraculũ, vt est necessariũ in sterilibus, medio quo miraculo etiã semẽ Eunuchi poterit generare, vnde mihi indubium est, quod si Eunuchismus adueniat post contractũ matrimonij licitè Eunuchus potest reddere & petere ad sedandam libidinẽ, & sic etiã iure naturæ Eunuchi ob hũc finẽ possunt cõtrahere Eunuchi, quãuis iure Ecclesiastico inhabiles sint, ad contrahẽdũ.

Sicut enim † homini impotenti ob frigidi- 10
tatẽ perpetuã non repugnat essentialiter generatio & potẽtia, hoc enim asserere ridiculũ est, sed tantum repugnat naturaliter ex vi indiuidualis tẽperamenti, ita nec semini hominis impotentis siue ob frigiditatẽ siue ob Eunuchismũ repugnat essentialiter generatio, sed solũ ratione defectus caloris testiculorũ, quibus semẽ digeritur prolificũ, & virtuosũ, qui defectus accidẽtaliter euenit huic indiuiduo, & quamuis supposita castratione vtriusq; testiculi nõ sit accidentale, quod semen sit infœcundũ, tamẽ hoc sufficit, vt possit vti matrimonio prout est in remediũ libidinis, quia finis hic secũdarius solũ requirit, quod primarius essentialiter non repugnet vtrique sexui, qui ad hoc est ordinatus per se quamuis per accidens ratione alicuius superuenientis accidentis naturaliter repugnet generatio, vt in superioribus explicatum relinquo.

SVBRE

SVBRESOLVT. IV.

Quid sentiendum de eo qui membrum virile habet radicitus abscissum?

SVMMARIVM.

1. *Quid veniat dicendum de eo qui habet membrum virile omnino abscissum.*
2. *Authoris iudicium affertur.*

1 QVartùm, quod infero est, † quid sit dicendum de illo, qui abscisso veretro, ita vt virga membri deficiente non possit vir per illam ingressam intra vas fœmineum immittere semen, cuius casus speciem sic proponit Dicastillus *disp.* 9. *de pœnit. num.* 174. arguens contra Thomam Sanchez, *quod Eunuchus sic factus potest licitè petere & reddere ad sedandam libidinem. Adde* (inquit Dicastillus) *melius posse viribus naturæ seruire ad generationem adiutus arte, ille cui amputata fistula relictis testibus in scroto* (idest propria illorum bursa,) *quam qui vtroque teste caret, experientia enim docuit prolem fuisse susceptam imò proles aliquot à tali homine, emisso & deriuato semine in matrice per caniculum scutubulum, & in facti contigentia pro quibusdam contugatis consulti fuimus in Hispania Collega tunc meus P. Hieronymus de Riuera, & ego dum profiteremur Theologiam, pluréſque aliarum Religionum Theologi qui tamen non putabant huiusmodi actum licere, quia modus ille generandi non erat institutus à natura, nec copula naturalis.* Hæc ille.

2 Sed ego aliter, quia † existimo, quod si modo isto artificioso semine recepto intra fœmineum vas per illud, quare fuerit artificium tubuli in longitudine proportionatum ne frigeat, aut euanescat semen proles concipitur, quod tales congressus inter coniugatos licent, quia congressus isti per se & ex primaria intentione ordinãtur ad prolem concipiendam si per accidens defuit instrumentum, quod ars potest inuenire, quæ multoties supplet naturæ defectum imo perficit naturam quamuis congressus non sit naturalis, quantum ad vasis penetrationem, quæ à natura est instituta, vt medium generationis media via, & fistula carnea, tamen congressus ille naturalis est, quantum ad finem principalem, & primarium qui est prolis generatio propter quam congressus perficientur.

SVBRESOLVT. V.

Quid si vir ingrediatur religionem declarato nullo matrimonio; si post inueniatur sententiæ error.

SVMMARIVM.

1. *An matrimonium ratum tantum, non consummatum dissoluatur professione solemni.*
2. *Ioannis XXII. sensus adducitur.*
3. *An si fœmina emittat votum castitatis, & vir manens laicus putans matrimonium esse nullum fornicetur, si postea restauretur detecto errore sententiæ latæ de nullitate, fœmina non teneatur reddere debitum.*
4. *Dicastilli, & Sanchez opiniones afferuntur, necnon Authoris iudicium, & n.* 5. *& numero* 14.
6. *An ad matrimonij valorem desideretur copula, per quam coniuges vna caro efficiantur.*
7. *An ante matrimonium consummatum possit quis coniugum altero inuito religionem ingredi, dummodo carnalis commixtio non fiat inter eos.*
8. *Vt matrimonium dicatur consummari quid essentialiter requiratur.*
9. *Tabienæ sensus adducitur.*
10. *An coniunctio viri & vxoris dicatur naturalis propter prolis productionem.*
11. *S. Doctoris Angelici mens affertur.*
12. *Vnde pendeat valor matrimonij.*
13. *Quandonam impotentia penetrandi vas fœmineum erit impedimentum dirimens.*

QVintum sit, quod si propter arctitudinem fœminæ matrimonium sit declaratum nullum, & vir professionem emiserit solemnem in Religione approbata, si postea detegatur error sententiæ inueniaturque, quod illa arctitudo non est perpetua, non est faciendą aliqua restitutio, quia † cum matrimonium non fuerit consummatum, sed tantum ratum dissolutum est professione solemni *cap. ex publico de conuers. coniugat.* & in hoc euentu dicitur resolutio *cap. fraternitatu de frig. & malefic.* quod secus est si ad sacros ordines transierit, tunc enim restituendus est vxori, quia cum semper perseueret vinculum matrimonij, quod non dissoluit ordo sacer, vt † definit Ioannes XXII. *extrauag. Antiquæ de voto inter extrauag. huius Pontif.* restitutus teneretur debitum reddere vxori quamuis non posset petere, quæ doctrina verum tenet nisi mulier fornicata sit, tunc enim potest ipsam repellere maritus factus Sacerdos, quia ob fornicationem non tenetur ei reddere debitum, quod existimo verum contra Dicastillum *disp.* 7. *cit. de matrim. num.* 591. *versic. solum mihi*, quia licet illa bona fide putans matrimoniũ nullum fuerit fornicata, & sic videatur non commisisse formaliter adulterium, at commisit malitiam fornicationis, quæ reipsa est contra matrimonij fidem, vnde peccauit

contra matrimonij fidem, etsi non ratione modi, quia bona fide putabat solutam à lege viri, at peccauit ratione rei idest vin-
3 culi reipsa detenti, & idem existimo † si fœmina emittat votum castitatis, & vir manens laicus putans matrimonium esse nullum fornicetur, si postea restauretur detecto errore sententiæ latæ de nullitate, fœmina non tenetur reddere debitum propter eandem rationem, quod secus est, si vxor prudenter iudicans maritum mortuum, & iudicis authoritate matrimonium aliud ineat, si compareat vir qui mortuus existimabatur, illi restituenda est vxor vt maritalem cum eo habeat residentiam, teneturque vir vxori reddere debitum, quia ipsa non est fornicata, sed licite coibat cum secundo marito, quare re ipsa non peccauit contra matrimonium cum secundum bona fide contraxit, quam doctrinam verissimam non aduertit Dicastillus.

4 Sed circa hoc corollarium † aduertunt Dicastillus *à num.* 585. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 99. *de matrim. num.* 37. Quod si fœmina ita arcta sit aut vir debilis aut calidus vt non possit vas fœmineum penetrare, aut intra illud semen immittere, si fœminæ matrix attraxerit semen, aut arte intra illud immittatur si tamen semper maneat in viro impotentia, aut in fœmina arctitudo, matrimonium nullum, & irritum est, quia (inquiunt) valor matrimonij non potest pendere ex casu raro, & fortuito. Accedit quod vir ille vere est impotens ad seminandum intra vas, & alioquin nunquam talis impotentia posset dirimere matrimonium, quod est contra innumeros auctores relatos à Sanchez *disp.* 92. *num.* 7. semper enim semen illud vase aliquo vitreo receptum, posset in vas fœmineum immitti, addit Dicastillus *num.* 587. Quod si semẽ viri attrahatur à matrice fœminæ & intromittatur, etiamsi fiat grauida, vterque coniux facti sint vna caro, si non superueniat viro potentia penetrandi vas fœmineum, matrimonium esse nullum, & non consummatum, secus vero si postquam matrix attraxit semen superueniat viro potentia penetrandi.

Sed hæc doctrina mihi vsquequaque non
5 placet. Primò, † quia illa mulier est effecta mater non per coitum illicitum, quia non peccauit, ergo per licitum, ergo ex vi matrimonij, ergo facti sunt ambo *vna caro*, vel *in vnam carnem* ratione prolis ab vtroque genitæ vt aiebat Chrysostomus, omnes consequentiæ manifestæ sunt, ergo consummatum fuit matrimoniũ, probatur consequentia, matrimonij consummatio nõ tam fit vasis penetratione quæ est via ad consummationem, quam seminum connaturali commixtione, qualis est quum matrix vi sua naturali semen virile attrahit, non vero quando vase vitreo semen virile cõtentum in os matricis immittitur, hic enim modus naturalis non est, vnde dicere, quod fiant vnà caro post matrimonium ratum, & quod non sit matrimonium consummatum est implicatio in terminis.

Secundò, vtor argumento quo vtitur Thomas Sanchez *lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 7. quia
† ad matrimonij valorem desideratur copu- 6
la per quam coniuges *vna caro* efficiantur, vt constat ex *cap. laudabilem. de frig. & malefic.* ibi. *Vterque iureiurando dicat quod nunquam per carnis copulam vna caro effecti fuissent, & tunc videtur quod mulier possit ad secundas nuptias conuolare*, quod idem habetur, ex epist. Greg. relata *cap.* 2. 33. *quæst.* 1. at non fiunt coniuges *vna caro* absque seminatione intra vas, ergo. quod etiam clare significauit Alexander III. rescribens Archiepiscopo Salernitan. *c. verum de conuers. coniugat.* Quando dixit, quod † ante matrimonium con- 7
summatum potest quis coniugum altero inuito religionem ingredi, dummodo carnalis commixtio non interueniat inter eos, cuius rationem subdit, *quia cum non fuerint vna caro effecti, satis potest vnus ad Deum transire.* atque isti duo in specie nostri casus effecti sunt vna caro, ergo matrimonium fuit consummatum, quia matrimonium consummari in omnium sententia est, quod per seminum commixtionem factam post matrimonium ratum celebratum, fiant coniuges *vna caro*, vnde ex illa commixtione sanguinis propinquitas, & affinitas oritur quod nullus negare nequibit *cap. lex* 27. *quæst.* 2. Quod est Benedicti Papæ *epist. ad Grandesem Patriarcham.*

Tertiò, argumentor, quia † vt matrimo- 8
nium dicatur consummari, non est essentialiter requisitum, nisi quod semen non euanidum recipiatur intra vas fœmineum etiamsi vas non penetretur, siquidem copũla illa sufficiens est generationi per eamque sponsi vna caro efficiuntur, qui eo ipso faciunt matrimonium consummatum, vt tanquam indubitatum supponit, & docet Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 21. *num.* 2. (qui sui oblitus contrarium dixit in specie nostri casus) sequuntur Sotus, D. Antoninus, Henriquez Corona Confessorum, Alexander de Neuo, Rosella, Sylvester, Tabiena, & Gregorius Lopez, quos citat ipse Sanchez, nec est hucvsque aliquis Antiquorum, qui contrarium dixerit. Imo Tabiena *verb. impedimentum* 4. *quæst.* 2. *num.* 3. *in fine* † sic fatur. *Quocunque* 9
igitur modo semen viri misceatur cum sanguine vel semine mulieris, siue veniat per Dæmonem deferentem siue per ipsum virum intrantem vel prope locum seminantem, dummodo semen intret causatur affinitas, & consummatur matrimonium, ita quod non amplius potest ingredi Religionem vxore inuita & Sylvester *matrim.* 8. *quæst.* 15. *dict.* 2. *versic. imo fortius*, eleganter loquitur ad propositum ex Paludano, Zabarell. Matt. & aliis. *Si vir solus seminet extraordinarie idest extra vel circa vas natura, vt ponit Glossa cap. extraordinaria* 35. *quæst.* 3. *& semen subintret claustra, esset contracta affinitas, & matrimonium consummatum si præcessissent verba de præsenti, quia hic est seminum commixtio, & inde sequi potest generatio sicut fit in balneis vel per dæmones incubos qui ex semine virorum infuso matricibus mulierum generant qui vtique hominum, & Dæmoniorum sũt filij, & in Gallia quædam mulier saluis claustris, imo cum esset arcta impugnata est.* Ita ille, dubitari ergo non potest quod cum in specie nostri casus sponsi facti sint *vna caro* ex vi commixtionis seminum, quod matrimonium sit consummatum.

Huius veritatis rationem à priori dedit Angelicus Doctor *in* 4. *quæst.* 41. *art.* 1. *quæ-*
10 *stiunc.* 3. quia ex Arist. 8. *Ethico.* † coniunctio viri, & vxoris dicitur naturalis propter prolis productionem, vnde bene Sylvester, *coire est simul ire, quia scilicet tam vir, quam mulier in vnum conferunt id quod requiritur ad prolis generationem idest vir sperma, & mulier sperma vel aliquid loco spermatis*, & Thomas Sanchez ex hoc sic argumentatur *disput.* 21. *cit. num.* 5. *Etiam sine corporum commixtione, virili semine recepto intra vas consummatur matrimoium iuxta omnes, vt dixi nu.* 2. *ergo tota consummationis ratio est seminis receptio, & carnium cõmixtio est omnino impertinens.* Hæc ille, & satis bene, vnde S. Thom. *ad* 1. *quæ-*
11 *stiunc. citatæ* ait, † quod quantumcunque aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat nisi commixtio seminum sequatur non contrahitur ex hoc affinitas, ratione carnalis copulæ, etsi contrahatur alia ex matrimonio rato ratione societatis coniugalis, vnde ad contrahendum affinitatem ratione copulæ carnalis per accidens se habet vasis fœminei penetratio, aut potentia, & valentia ad illud frangendum, & penetrandum, & sic siue superueniat potent a hæc siue maneat impotens ad ruptionẽ vtique tale matrimonium validum est, & insolubile vt potest vere, & proprie consummatum significans per honestam seminum vtriusque sexus coniunctionem, eam, quam habet Christus cum sua sponsa Ecclesia.

12 Ex quibus constat, quam friuola † sint fundamina Dicastilli, & Sãchez, valor enim † matrimonij essentialiter pendet ex hoc, quod sponsi de præsenti fiant *vna caro* per seminum commixtionem prolificam ex se, vt est apud omnes certum siue hæc cõmixtio fiat vase fœmineo penetrato à virga viri, siue per attractionem naturalem matricis, siue Dæmonis ope, vt supra ex ipso Sanch. & omnibus, (& sequitur ipse Dicastillus *disp.* 2. *num.* 432.) vidimus, quod enim hoc raro contingat nimis per accidens est, & non euertens formalem matrimonij consummationem, ad secundum respondetur, quòd impotentia penetrandi vas fœmi- 13
neum tunc erit impedimentum dirimens. Primo, quum non emittit verum semen, nec penetrat vas fœmineum. Secundò, quum etsi habeat semen fœcundum, tamen non fortiter erigitur virga viri, quod claustrum pudoris nequeat rumpere, etsi os vuluæ riget semine tamen matrix fœminæ non habet efficaciam semen viri attrahere & intus intromittere attractione naturali, ad quod experiendum Ecclesia determinauit spatium temporis triennalis, post quod per iustum iudicium dissoluit matrimonium, quo dissoluto, & fœmina iam alteri iuncta per verum matrimonium, si vir cum alia coniũgatur, quam impregnauit non penetrato vase, sed quia matrix attraxit semen, non est dissoluendum matrimonium posterius fœminæ, cuius matrix inualida fuit per triennium ad illius viri semen attrahendum ad generationẽ, huius casus resolutionem, † 14
ita certam existimo, vt nullatenus possit negari, sed quod iuxta illam teneantur iudices ferre sententiam in fauorem matrimonij, quod enim fœmina attraxerit euidenter constabit si ipsa grauida efficiatur quæ post partũ iam vir poterit intra vas eius immittere semen nisi sit per ligamen maleficium impediens de quo §. *sequenti.* plura & notanda, dicam, *Resolut....*

SVBRESOLVT. VI.

Vtrùm Sponsus teneatur totum legale bimestre residere cum Sponsa, quam de præsenti duxit?

SVMMARIVM.

1. *An sponsus totum legale bimestre residere teneatur cum sponsa, quam de præsenti duxit.*
2. *Sylvestri mens adducitur, necnon Authoris iudicium, & n.* 3.
4. *An licet per solam defloratione m absque seminum commixtione non sit perfectè consummatum matrimonium, per illam sponsus amittat ius ad religionem transuolandi.*
5. *Manuelis Rodriguez opinio.*
6. *Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus vnius sub potestate alterius, sed sub conditione, ex S. Thom.*
7. *Per Vasis solum penetrationem non contrahitur affinitas, ex Sylvest.*

Sextum

SExtum est,† an si sponsus Virginem deflorauit cum qua contraxit de præsenti, non tamen vas penetrans intra vas seminauit, vel quia non potuit ob debilitatem, vel quia impeditus est ex aliquo accidenti superueniente, vel quia sponsa præ dolore nequiuit amplius subesse, vel aliquo terrore, vel alicuius aduentum, ob quem honestatis causa cessauit ab incepto opere, vel quia tactus est ab Spiritu sancto, qui in ipsũ irruit vt religionem acciperet, an iste teneatur ad residendum cum illa, itavt intra bimestre à iure concessum nequeat ad Religionem inuita vxore transuolare. Pater Th. Sanchez *disp. 21. lib. 2. cit. num. 7.* dicit quod quum sponsus de præsenti sponsam defloraut malitiose habens animum deflorandi dumtaxat & non seminandi, vt religionem ingrederetur, nequit licitè religionem ingredi, licet valida esset professio, & matrimonium dissolueretur, quia nondum est consummatum, si vero ex causa non seminauit potest licitè & valida erit professio. Ita
2 Syluester *vbi supra* sic dicens † *si Iuuenis deflorauerit sponsam & aperuit seras eius, sed non spermatizauit si erat sponsa de præsenti poterit maritus intrare religionem, licet Ecclesia se possit opponere ex præsumptione cap. infantes de desponsat impub. in 6. si vero erat soluta consanguineus defloratoris poterit contrahere cum ea.* Fundamentum est, quia quum absque dolo id accidit & iuuenis accessit animo consummandi nulla iniuria verè irrogatur sponsæ, cum nihil fraudulenter egerit sponsus, nec delicti reus sit & iure suo vtatur, cum ius illi concedat bimestre, vt consummet, vel si velit ingrediatur religionem.

3 Sed ego valdè dubito † de hoc non solum in foro externo, in quo dubio procul non dabitur fides sponso dicenti, quod non seminarit, & sic cogetur residere cum sponsa deflorata, sed etiam in foro conscientiæ in quo nequit sponsus religionem ingredi, & validè in ea profiteri sine consensu sponsæ. Ratio, quæ mihi dubitationem vehementẽ incussit, est, quia licet ratione actionis non incusserit damnum sponsæ, tamen ratione rei, claustri scilicet virginalis rupti damnum ingens illi intulit, ratione cuius manet sponsa in deteriori valdè statu, ac antea; ergo cũ hoc damnum sit passa ex vi contractus matrimonialis, ex vi cuius sponsus ad aliam accessit, ex vi illius ius acquisiuit sponsa in spõsum, vt ipsam corruptam non relinquat, sed quod in residentia per sistat matrimoniali; quamuis enim non sit perfectè consummatum matrimonium vsque ad seminationem viri, tamen est inchoata consummatio & corporum mixtio iam perfecta per vasis penetrationem & intromissionem virgæ, quæ est vltimum medicum ordinatum ad consummationem, quod secus est de osculis & actibus quæ remotiora valdè sunt & non ita indecoram sponsam relinquunt, quare cum bimestre concessum in fauorem religionis non in damnum sponsæ, dari intelligendum necessario est.

Licet enim † per solam defloratione absque seminum commixtione non sit perfectè consummatum matrimonium, tamen per illam cum fiat corporum carnalis commixtio iam sponsus amisit ius ad transitum ad religionem, nam *in cap. ex publico de conuers. coniugat.* hoc priuilegium datur, *si vir eam carnaliter non cognouerit* idem statuitur, *cap. verum, & cap. ex parte tua eod.* atqui per deflorationem carnaliter cognoscit vir fœminam, etsi non perfectè, siquidem penetratio vasis fœminei animo carnali, carnalis copula, carnalis commixtio est, etsi vt dixi nõ perfecta; ergo cum hoc priuilegium, quod Christus Dominus concessit, vt matrimoniũ iure naturæ insolubile possit religionis ingressu dissolui, sit contra ius naturæ in quo dispensauit, non est præsumendum illud concessisse contra ius, & damnum sponsæ, quæ incurrit defloratione, ad illud vitandũ abrogauit libellum repudij, quo dissoluebatur etiam matrimonium cõsummatum, nec enim præsumendum est nisi id exprimatur, quod Princeps etiam supremus priuilegium concedit in damnum tertij, maximè cum notabile est, qualis reputatur defloratio, quare ita tenent multi discipuli D. Thom. quos sequitur Petrus de Ledesma *quæst. 61. de matrim. art. 1.* Manuel Rodriguez *in summa* (qua vtor) *tom. 1. c. 237. n. 2.* ibi † *sera consummado quanto à este effecto por la copula imperfecta y sin la seminacion dentro del legitimo vaso conformelo resuelue*, Ledesma *vbi supra folio 583. & 584. diciendo ser esta opinion muymas probable*, facti enim sunt etsi imperfectè ambo coniuges vna caro per carnalem & effectu carnali factam coniunctionem per vasis penetrationem.

Quæ sententia valdè vrgetur ex doctrina D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2.* dixerat *enim in corpore, quod † ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spirituale vinculum*, quod explicans dicit ad secundum *dicendum, quod † ante carnalem copulam nõ est omnino translatum corpus vnius sub potestate alterius, sed sub cõditione, si interea alter coniux ad frugem melioris vitæ non conuolet, sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat vterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis.* Hæc ibi ex quibus valdè efficax desumitur argumentum, quia eo ipso, quod fœmina, & vir voluntariè se supposuerunt, illa vt patiens & iste, vt agens, & eorum membra genitalia mixta sunt, & coniuncta animo maritali ad generandum, & mulier præstitit, quod suũ erat, ex parte sua accepit corporalem & carnalem possessionem, corporis viri, ex vi potestatis sibi traditæ, ergo non mansit purum spirituale vinculum, sed transiit etsi ex parte & imperfectè ad carnale, quod enim vir non seminarit quacunque ex causa prorsus per accidens est, vt fœmina non dicatur ex parte sua non accepisse possessionem carnalem & corporalem corporis viri, & cum in matrimonio paria sint iura vtriusque coniugis etiam vir possessionem accepit corporis fœminæ & sic transiit ad vinculum corporale, etsi imperfectè hoc argumentum existimo valdè vrgere.

Verum est id quod dicit Syluester, quod
7 † per vasis solum penetrationem non contrahitur affinitas nisi seminis viri, fiat commixtio cum eo quod requiritur ex parte fœminæ ad generationem, ex hac enim commixtione actiue ex parte viri & passiue ex parte fœminæ resultat propriè vna caro vtriusque *cap. lex 27. quæst. 2.* & expressè docuit D. Tho. *in 4. dist. 41. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2.* vrgetur amplius secundo, quia præfata copula per vasis penetrationẽ absque seminatione viri repræsentatur coniunctio Christi cum Ecclesia, & quãtum est ex se est in damnum prolis ad quam ordinatur vasis penetratio, & fœmineæ materiæ exhibitio, quod autem de facto non sequatur viri seminatio, quam ex se exigit vasis penetratio & quod non sequatur, est per accidens, quia iam vterque dederunt operam generationi, & ita illa coniunctio, & membrorum genitalium intromissio, proximè exigit generationem & prolem, quod si non sequatur ex parte viri non obest significationi sacramenti Christi cum Ecclesia, & damnum infertur proli generandæ, & ex vi illius membrorum coniunctionis, vnde constat quam friuola sint motiua Sanchez, quem vt in multis aliis sequitur Gutier. *in 2. editio. de matrim. cap. 54. n. 24.*

SVBRESOLVT. VII.

Vtrum fœmina coacta ad consummandum teneatur residere cum viro cogente?

SVMMARIVM.

1. *An fœmina coacta ad matrimonium consummandum teneatur residere cum viro cogente.*
2. *Authoris iudicium, necnon Ledesmæ & Dominici Soto & n. 3. & 4.*
5. *Coniuges matrimonio duntaxat rato coniuncti, potest vnus intra bimestre altero inuito ad religionem conuolare.*
6. *An non liceat fœminæ religionem ingredi viro inconsulto.*
7. *An si fœmina consentiat intra bimestre in copulam, qua consummetur matrimonium, metu in constantem virum, nequeat inuito marito religione ingredi, & n. 8.*

SEptimum sit † vtrum si vir intra bimestre concessum à iure fœminam violenter cogat, vt consummet matrimonium ista vi cognita teneatur matrimonialiter residere cum viro cogente, vel possit ad Religionem transuolare inuito marito, affirmat Sanchez *lib. 1. disp. 22. num. 6.* & idem dicit etiamsi non vi & violentia, sed metu cadente in constantem virum, & pro vtraque parte plures citat, fundamentum præcipuũ est, quia sponsus grauem intulit iniuriam sponsæ, quæ habet ius, vt non extorqueatur ei copula intra bimestre, ergo si intra bimestre siue metu graui siue violentia consummet semper manet ius suum illæsum, & illud meliori modo potest recuperare contra iniustam coactionem factam à viro, nulli enim sine eius consensu auferendum est priuilegium sibi concessum, *cap. indultum de reg. iur. in 6.* & nemo sine sua culpa iure suo debet priuari *cap. discretionem de eo qui cogn. consang.* & idem diceret Sanchez (quod miror non expressisset) de precibus importunis, quæ si iungantur cum metu reuerentiali incutiunt metum grauem cadentem in virum constantem, vt ipse Sanchez probat *lib. 4. de matrim. disp. 6. n. 5. & 7.*

Sed ego consultus *ann. 1647.* in hac ciuitate Hispalens. contrarium tenui † quod approbarunt viri docti, ex antiquis sequuntur Durand. *in 4. dist. 27. q. 2. n. 15.* Sotus *quæst. 1. art. 4. pag. 120. col. 1.* Ledesma *2. p. 4. quæst. 63. art. 3. vers. sed adhuc pag. 517. col. 1. & 2.* Barthol. de Ledesma *dub. 64. de matr.* Ludouicus Lopez *2. p. de matrim. cap. 57.* Vega *lib. 1. sum. casu 500.* D. Antonin. *2. p. tract. 5. cap. 7. §. 1. & 3.*

Quadruplex huius veræ, vt puto sententiæ fundamẽtum habeo, quod iecerunt tres insignes Thomistæ è Dominicana familia. Primum posuit Ledesma, *vbi supra pag. 2.* † his verbis, *mihi videtur probabilius, quod prædicta vxor non potest ingredi religionẽ marito illo reclamante. Ratio est, quia ibi est vinculum carnale, & non tantum spirituale, & argumentum in oppositum concedo, quod malefecerit vir, & quod peccauit inferendo illi vim, tamen non debet puniri illa pœna, nempè priuatione rei suæ; nam postquam illa erat sua sibi imputet mulier, quæ libere illi nupsit, & non cauit ab illo, & quod intrauit religionem antequam posset ab illo vis, aut timor inferri.*

Secundum posuit Dominicus Soto sic. 4
Media via incedit veritas (erant enim adductæ duæ extremæ sententiæ) *est enim peccatum*

catum mortale ante duos menses sponsam adfirmantem in animo habere religionem comprimere. Quoniam licet consenserit in copulam, semper tamen consensus intelligitur cum beneficio iuris, quo sibi conceduntur induciæ bimestres ad religionem. Nihilominus illo pacto consummata copula religionem ingredi nequit altero inuito. Quia matrimonium ratione consummationis fit natura sua simpliciter indissolubile; & ideo quod per vim, vel sponte consummatur, accidens est quod naturam mutare non potest. Ipsi ergo imputetur, quod non satis sibi cauit, nec mirum quod quis absque sua culpa ius amittat ingrediendi religionem, vt si aliam infirmitatem incurreret, quia fieret ad id inhabilis. Hæc in vtroque fundamenta annotata quibus opposita comminuuntur, hoc vidit Thom. Sanchez, qui nostram sententiam satis probabilem dicit.

Tertium sit ex iure petitum, & ni fallor efficax, quia ratio qua moti Pontifices di-
5 xerunt, quod † cõiuges matrimonio dumtaxat rato coniuncti potest vnus intra bimestre altero inuito ad religionem conuolare, est quia nondum matrimonium est consummatum, neque effecti ambo vna caro. Ita Alexander III. *cap. verum.* 2. ibi. *Quia cum non fuerint vna caro simul effecti satis potest vnus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere*, & Innocentius III. *cap. ex parte tua* 14. *de conuers. coniugat.* ibi. *Qui* (Summi Pontifices) *respondere consulti antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum licere alteri coniugum reliquo inconsulto ad religionem transire*, atqui per copulam habitam violentia illata aut per metum cadentem in virum constantem, matrimonium est omnino consummatum, & factum omnino insolubile, vt est indubitatum, teste San-
6 chez *n.* 4. ergo † non licet fœminæ religionem ingredi viro incõsulto, quia iniuria illi facta non æquiualet consummationi matrimonij, etsi factæ per vim, nam iniuria facta non est contra ius matrimonij, & eius vinculum imo absolute in eius fauorem, at ingressus religionis est contra ius matrimonij ad exigendum debitum quod acquisiuit vir ex vi consummationis, etsi indebite.

7 Quartum est, quia † si fœmina consentiat intra bimestre in copulam, qua consummetur matrimonium metu in constantem virũ nequit inuito marito religionem ingredi, vt est communis, & probabilior Iuristarum sententia, quos citat, & sequitur Barbosa *Rubricæ ff. solut. matrim. p. 2. n.* 106. Ioannes Andreas Regula *quæ contra ius de Regulis iuris in* 6. Sylvester *verb. diuort. n.* 8. *q.* 5. *vers. similiter*, & mihi indubitatum, quia hic metus non tollit simpliciter volũtarium, sed facit inuoluntarium *secundum quid*, vt dum quis vt liberet vitam proiicit merces in mare, & fœmina illa dũ metu consentit simpliciter consentit, vt bene Sylvest. ergo etiam dum violentia cogitur, cõsequentia probatur, quia vt ait Sylvest. *vir est tam absoluta violentia quin fœmina consentiat*, tum quia fœmina si grauida fiat nequit ingredi etiamsi absoluta, & præcisa violentia fuerit coacta quia iure naturæ tenetur prolem alere, ergo etiamsi grauida non fiat, quia ex vi matrimonij iam cõsummati tenetur reddere, quia violentia ista nõ est contra aliquod bonũ matrimonij, iam consummati tenetur reddere, quia violẽtia ista non est contra aliquod bonũ matrimonij, quãuis enim violentia ista impediat ma- 8
ius bonum consequi scilicet religionẽ, tamẽ hoc est per accidẽs, vt bene Sotus dicebat, & sic iniuria illata fœminæ non debet compẽsari cũ hoc quod vir priuetur in perpetuum re cuius habet iam possessionem etsi indebito modo, illam sumpsit, & quidem cũ ius canonicum absolute dicat, quod consummato matrimonio, non licet alicui coniugi ad religionem ire, & non distinguat, (cum sit res grauissima) an consummetur vi, aut metu aut volũtarie, nec nos distinguere debemus.

SVBRESOLVT. VIII.

Quando mortaliter peccet vir cogens coniugem.

SVMMARIVM.

1. *Quandonam peccet mortaliter vir cogens coniugem.*
2. *Variorum DD. sensus adducitur.*

OCtauum est quod deduco ex doctrina fundamenti positi à Soto, quod † tunc 1
dumtaxat mortaliter peccat vir cogens violentia aut metu cadente in virum constantem sponsam intra bimestre, quum ista affirmat se habere propositum ingrediendi religionem, quod si hoc propositum non exprimat sponsa, sponsus mortaliter non peccabit, etsi simile faciat, hoc est contra Sanchez *disp.* 22. *cit. n.* 16. Ratio quæ me mouet, est, quia priuilegium concessum eo tendit vt possit quis ad meliorem frugem scilicet statum religiosum conuolare, cum autem matrimonium ex sua institutione ordinetur ad hoc quod coniuges fiant vna caro in ordine ad prolis generationem, nisi sponsus certior fiat quod spõsa vult vti hoc priuilegio quod habere non ignorat, sed dum vir exigit debitum ipsa tacet, & repugnet congressui si non exprimat se velle vti priuilegio sibi cõcesso, prudẽter iudicat sponsus quod ex aliis motiuis id faciat non ex motiuo Religionis capessendæ, vnde si vim inferat adhuc ipsa taceat de priuilegio, nõ peccat mortaliter vir cum tacẽti nulla inferatur considerabilis iniuria

iuria; vnde nullatenus nequiuit ad religionẽ viro inconsulto & repugnante conuolare, quod enim fortè eo bimestre concesso sibi à iure, Spiritus sanctus inspirabit religionẽ ingredi, cui sponsus obstat extorquens copulã, nõdum sibi debitam, nullius põderis est, quia non tam sponsus obstat, quã sponsa tacens cũ sciens priuilegiũ se habere nõ id notificet viro, velle ipso vti, quod si non faciat sibi imputet, nam tacens renunciare iuri videtur, & vir prudenter id iudicat, & quod ex alio motiuo ex quo sibi non licet negare debitum, quare puto quod si coniux deliberauerit, non ingredi religionem tenetur etiam intra bimestre debitum reddere, nisi
2 deliberationẽ mutet. Ita † Nauarrus *in manual. cap.* 16. *n.* 26. *in Hispano, & in latino n.* 27. Coninch. *disp.* 26. *concl.* 2. Perez *disp.* 20. *n.* 14. & quidẽ *cap. ex publico de conuers. coniug.* hoc videtur explicasse, dũ datur huiusmodi priuilegiũ fœminæ cogitanti de statu religioso, priuilegium enim Christi eo modo est intelligẽdum, quo ius canonicum enucleauit.

SVBRESOLVT. IX.

V. sponsa vi oppressa possit semen viri expellere.

SVMMARIVM.

1. *An sponsa per vim oppressa à sponso ante bimestre possit semen expellere.*
2. *Variorum DD. sensus afferuntur.*
3. *Facere aliquid vt prolis conceptio impediatur est mortalis culpa, ex Sanchez.*
4. *Culpam mortalem admittit fœmina, quæ statim post coitum vrinam effundit.*
5. *An sponsa vi oppressa à non sponso possit semen expellere.*
6. *Sanchez sententia adducitur.*
7. *Si effundere semen licet statim, ac infusum est in fœminam vim passam, liceat etiam aliquantò post.*
8. *Quid ex præmissis sequatur.*

1 NOnum cõtra Sanch. qui *disp.* 22. *cit. n.* 17. sic loquitur † *vtrũ sponsa per vim oppressa à sponso ante bimestre possit semen expellere? videtur non posse, quia est intrinsecè malum & contra naturam ordinantẽ semen ad sobolis propagationẽ, sed si loquamur de fœmina, quæ à nõ sponso vim passa est, certum reputo nisi incontinenti semen expulerit non possit postea, incontinenti autẽ valdè probabile est mihi posse. Ducor ea communi doctrina, quam amplectuntur*, Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 1. *art.* 8. *vers. de bonis autem*, Bannez 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *dub.* 3. *nd* 2. Aragon. *ibid. fol.* 382. *§. in hac difficultate ibi*, Salon. *cõtrouers.* 2. *§. ex his sequitur.* Manuel *to.* 1. *sum. c.* 136. *n.* 15. *quæ habet licere priuata authoritate furem incontinenti, vbi furtum arripuit do-*
2 *nec in loco tuto constitutus sit percutere: & eam reputari defensam; similiter ergo reputabitur defensa cum incontinenti & statim, ac semen receptum est fœmina vim passa expellit, secus vero quum iam semen habet possessionem, & est quasi in loco tuto constitutum, tunc enim non erit defensa, sed intrinsecè malum, & confirmatur, quia posset fœmina illa vim passa quocunque tempore membrum virile extrahere, si posset quamuis semen effundendum esset, non enim tenetur id pati, ergo incontinenti, ac effusum est, potest similiter expellere, quia cum nondum semen habeat pacificam vasis possessionem adhuc quasi in fieri & in ipsa effusione reputatur esse. De sponsa autem de præsenti per vim cognita id non adfirmarem, quia iniuria est multo leuior, nec infamiam patitur, & damnũ non est adeo graue. Nec de fœmina per metum cognita, quia copula fuit volũtaria & cũ peccato admissa.* Hæc ille qua cõsequẽtia ad dicta & in dictis ipse, viderit & mox ego videbo.

Cæterum doctrina hæc nisi frangatur, ouum est totũ à concupiscentia, ex quo plures doctrinæ perniciosæ oriri possunt, quare rẽ hãc satis absurdam aliorũ picturis frustra exornare satagit & conatur, & contra eam sic argumentor primo, ex doctrina eiusdem Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disputat.* 20. *nu-*
mero 2. vbi ait quod † facere aliquid, vt 3
prolis conceptio impediatur est mortalis culpa, itavt actio nullo bono fine honestari possit, quia (inquit) *data opera impeditur semen à suo naturali fine generationis parumque & solum secundum magis & minus distat à seminis effusione extra vas.* Ita D. Thom. *in* 4. *distinct.* 31. *in exposit. litteræ in fine*, & constat *ex c. aliquando* 32. *q.* 2. quod est Aug. & est omnium antiquorum & egregiè D. Caiet. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 1. §. *ad singula autem*, ibi, *si seminando intra vas naturale detur opera, vt non sequatur conceptio, aut ex parte viri, aut ex parte fœminæ, quacumque id arte, vel industria fiat, quoniam tunc ex intentione seminatio impeditur à naturali suo fine, & parum differt à procuratione, quod seminetur totaliter extra vas naturale, differt enim secundum differentiam magis & minus & propterea ad eandem speciem spectant, & est peccatum mortale ex suo genere, quia ex intentione contrariatur fini naturali concubitus.* Hæc Card.

Ex qua doctrina, Sanchez infero *num.* 3. *similem* † *culpam mortalem admittere fœminã,* 4
quæ statim post coitum, vrinam effundit, aut se erigit, aut quidquam aliud facit quo semen exceptum expellat, quia similiter frustrat ex intentione semen suo debito fine. Ita Sylvester, & Margarita *confessorum num. præcedenti allegati* Henriq. *lib.* 11. *de matrim. c.* 16. *n.* 8. *Nec audiendus est Angelus verb. debitũ n.* 27. *dicẽs, posse sustineri non esse mortale, quãdo ex iusta causa fit, tribuitq; Sylvester hãc sententiã Paludano, sed falso nõ enim eã tenet.* Hactenus Sãch.

qui pari ratione ob eandem rationem, quà ipse arguit contra Angelum, audiendus non
5 est, dum dicit, quod † sponsa vi oppressa à non sponso potest semen expellere, esse sibi valdè probabile, hæc enim probabilitas nullatenus est audienda.

Secundo, quia illico an semen recipitur statim, iaculatur semper est in loco tuto destinato ab auctore naturæ, ad sui conseruationem, vt proles generetur, quia vel statim paucissimo post tempore ac iaculatur, est in vulua cuiùs os ita stricte obturatur, post ingressum seminis, vt nec acus cuspidem ca-
6 piat, vt ipse † Sanchez dicit *n.*4. vel est intra vas fœmineum, quod etiam idem auctor naturæ Deus tanquam naturale receptaculum destinauit, ita vt quamuis semen sit infœcundum, & sterile, & intra vuluam, non ingrediatur non liceat semel in vas fœmineum ingressum foras emittere, ergo semen statim ac iaculatur à viro in vas fœmineum possessionem pacificã habet, quia ex natura sua & per se, aut ingreditur statim vas fœmineum, aut matrix per vim naturalem quam habet, illud attrahat intra se, quæ omnia ordinantur ad prolis generationem, nullo ergo modo potest honestari, quod mulier vim passa possit statim ac recipit maris semen illud emittere ex intentione, quia frustrat illud suo debito fine, quare in hoc Th. Sanch. audiendus non est, etsi in multis aliis semper mihi venerandus.

7 Tertiò, quia † si effundere semen licet statim ac infusum est in fœminam, vim passam ergo etiam id licebit aliquanto post, etiãsi nõ fiat incontinenti, cõsequentia probatur, quia malitia actionis expulsionis seminis non sumitur in ordine ad tempus, sed quia semen priuatur fine suo primario, qui est prolis cõceptio, hæc autem malitia perseuerat eo ipso, quod semen recipiatur in vase fœmineo iam enim est finitus terminus motus, & semẽ est in facto esse receptum in suo naturali subiecto, à quo expelli nequit absq; iniuria, ante verò quam recipiatur semẽ potest fœmina vim patiens si potest membrũ virile extrahere etiãsi sit periculũ effusionis illius, imò in ipsamet effusione, quia eo ipso, quod vim patiatur, & cogatur ipsa potest renitens reniti, & impedire violentiã, quæ sibi infertur, ast transacta violentia iam non est amplius semen receptum, in eius potestate, aut eius dominio subiectum, ob hanc enim rationẽ communis & certa de fide sententia, (quam rationem enucleat ipse Sanchez *l.*9. *de Matr. disp.*17.*n.*15.) adfirmat pollutionem voluntariam esse mortale & contra ius naturæ, quod ex Clem. Alex. egregiè probat Legionens. *l.*7. *de matr. c.*17.*n.*20.

8 Ex quo constat quam friuola sint argumenta Sanchez quæ ipsum impulerunt, vt in re grauissima sententiam sequeretur ex qua tot absurda & inconuenientia sequuntur, idem enim posset quis adfirmare de sponsa de præsenti, cognita per vim à sponso intra bimestre, quia in eius sententia si grauida relinquatur nequit ad religionem transire, quare in hoc damnum sibi inferret semẽ posset illud incontinenti expellere, similiter & illa quæ metu graui impulsa consensit. Semel enim admisso, quod semen expellere in continenti, ac est receptum, non est intrinsicè malũ, sed quod potest aliquo titulo honestari, quod sit licitum semper, quod iniuria, aut damnum, quod sequi potest ex semine retento grauissimum sit, poterit id fieri sicut licet percutere latronem fugientem, vt res meas, & damnum illatum recuperem, quod est argumentum Sanch. hoc autẽ quã magnum sit absurdum, & contra totius Ecclesiæ sensum quisque Catholicus videt.

Igitur ad motiuum huius Auctoris respõdetur esse longe diuersam, quæ ex dictis satis colligitur, quia latro quandiu fugit cum re sublata, adhuc est furtum in motu, nec rei possessio perfectè habetur, quare possũ priuata authoritate illam recuperare, & vim vi repellere, quia res illa mea est, & illius administratio mihi incumbit quare si necessaria latronis percussio, mihi licita est, ast iam deciso semine & in vas fœmineo recepto, non potest fœmina illud expellere propter suam specialem conuenientiam, cum multo magis præponderat generatiò prolis, quæ respicit totam spem, & illius conseruationem ad quam ordinatur semẽ ex natura rei aliàs in multis casibus id liceret: quod adfirmare omnino est temerarium.

SVBRESOLVT. X.

Si transacto bimestre coniux cogatur consummare nequit ad Religionem manere.

SVMMARIVM.

1. *An si transacto bimestri, quod ius concessit ad deliberandum de ingressu religionis, sponsa cogatur consummare, nequeat inuito sponso religionem ingredi.*
2. *Multorum D. opiniones afferuntur, necnon Alexandri III. mens, & n.*3.
4. *An bimestre sit spatium determinatum à iure ad omnem casum.*
5. *An bimestre sit lege vniuersali determinatum.*
6. *Basilij Legionens. mens adducitur.*
7. *An ex eo quod matrimonium non sit consummatum perseueret priuilegium transuolandi ad religionem.*

Decimum,

1 Decimum, † quod si transacto bimestri, quod ius concessit ad deliberandum de ingressu religionis sponsa cogatur consũmare, & violentia sponsi illi illata de facto consummetur, nequit sponsa inuito sponso religionem ingredi. Ita sentio contra Dicastillum *disp.*2. *n.* 413. 430. etiamsi velit statim ingredi, nisi intra bimestre iam deliberarit ingredi, remque tractarit, & inceperit, & ob aliquod accidens superueniens non sit ingressus executus, nisi malitiose differatur. Ratio est perspicua, quia hoc priuilegium Christi determinatum est à iure solum ad bimestre in quo non habet ius sponsus ad exigendum debitum à sponsa, nec ista teneatur reddere, transacto autem bimestre, iã ius sponsum quod habet ex vi contractus matrimonij, & erat ligatum à iure, solutum est, & expeditum, ergo transacto bimestre quãuis sponsa dicat se velle statim ingredi religionem, non tenetur sponsus adsentire, sed vi, & vi armata potest consummare matrimonium, quo consummato neuter sine alterius consensu potest ingredi religionem.

Quod corollariũ vrgeo, & simul vrgẽtur
2 corollarium septimum, & octauum, quia † vt dicunt Suar. *tom.*3. *de Relig. l.*9. *de voto castitatis c.*25.*n.*3. Coninch. *disp.*26.*n.*44. Perez *disp.* 20. *sect.*5.*n.*2.4. quos citat & sequitur Dicast. *vbi sup. n.*406. *ex c. ex publico* 7. *de conuers. coniug.* in quo solum agitur de quadam fœmina, quæ dicebat se velle ingredi religionẽ, quare nõ erat obligãda marito, illique debitũ cõiugale reddere, de quo interrogabat Episcopus Brixiensis, an cũ ista esset excõmunicata, vt resideret cũ marito illique cohabitaret, quid faciẽdũ, & respõdet Alexãder III. *Quod si ita est eã absoluerit à cẽsura, data cautione quod intra bimestre vel religionẽ esset ingressura vel ad*
3 *virum reditura.* Vnde præfati auctores colligunt nõ esse ius scriptũ, & legẽ generalẽ de præfato bimestre cõcedẽdo, sed quod iuxta iudicis arbitriũ debet hoc cõsiderari attẽtis variis circũstãtiis, quãuis omnibus cõsideratis iã cõsuetudine, & Doctorũ intelligẽtia, hoc sit datũ bimestre, infra quod nõ cogãtur coniuges consũmare, quare transacto bimestre, etiamsi fœmina, dicat se statim velle ingredi religionẽ, potest nihilominus sponte, huic non assentire, sed vti iure suo, etsi non velit reddere, cogere, quod quamuis, irreligiose faciat, tamen iure facit, quod ius vt expeditum sit, ponit pro termino Pontifex bimestre.

Verũ nõ possum nõ mirari, quod citati auctores dicãt, quod ex vi textus *in c. ex publico.*
4 non colligitur esse bimestre spacium determinatum à iure ad omnem casum, sed id solum colligi ex communi intelligentia Doctorum ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ introducta post illud *cap. ex publico*, & sic solum loqui Pontificem in casu illo singulari non vero dedisse legem vniuersalem scriptam extra illum casum. Hoc enim omnino falsum est, si enim hæc doctrina admitti-tur, fere omnes determinationes Summorum Pontificum, quæ sunt in sex libris iuris canonici non essent leges vniuersales scriptæ, cum sint responsiones ad casus singulares, de quibus summi Patres & legislatores ab inferioribus interrogantur, vel sententiæ latæ ab eisdem in specialibus litibus, quare non essent leges vniuersales totam Ecclesiam concernentes, sed solum, quia consuetudine & praxi sunt sic receptæ, quod dicere absurdissimum esset, eo enim ipso quod in corpore iuris canonici sunt positæ, sunt leges generales scriptæ, & vt tales publicatæ in illo, & vt sic non ad casum particularem restrictæ, qui mouit Pontificem sic rescribere, nisi ex alia lege vniuersali constet, quod decisio illius casus non diuagatur ad alios, nec faciat ius commũne, quod notari valde oportet, ne introducatur arbitrium iudicis, vbi iudicium & sententia ferri debet iuxta ius scriptum.

Negari enim non debet, quod † bimestre 5
sit lege vniuersali determinatum, quod semper debet amplecti à iudice, ita vt illud ampliari aut restringere nequeat, vt bene Sylvester *debitum n.*2.*q.*1.*v.*4. *causa* ex Panorm. & Glossa *cap. ex publico*, quos sequitur Thom. Sanch. *lib.*2. *disp.*24.*n.*12. est enim terminus determinate à iure præfixus à quo tamen licet raro, & maxima ex causa recedere, vel coarctando, vel extendendo, quod rarissime debet fieri præcedente tamen causæ cognitione, vt bene † considerat, & probat egre- 6
gie ex iure ciuili, & canonico Basilius Legionens. *lib.*9. *de matr. c.*9. *n.*8. & 9. legatur. Qui *n.*7. quod si transacto bimestri, etiamsi multi transierint anni, vt aduertit Dicastill. *n.*412. sequutus Sanch. *vbi sup. n.*27. alter coniux si matrimonium non sit consummatum, etiam si iniuste sit denegatum debitum, ad consummandum, etiamsi sub excommunicatione sit præceptum vt reddat, & consummet, ad religionem transierit, ibi professionem emiserit professio tenet, nec restituendus est alteri petenti vt restituatur quia eo ipso quod matrimonium non sit consummatum 7
perseuerat priuilegium transuolandi ad religionem, assignatur tamen bimestre vt possit cogi ad consummandũ ante ingressum quod si cogatur per excommunicationem, & ingrediatur ante consummationem etiamsi ob cõtumaciam sit excommunicatus debet absolui, vt bene Sanchez *vbi supra num.*26. & Basilius *num.*7. intra bimestre tamen nullatenus potest excommunicari, nec cogi à iudice vt consummet, quia semper licet ei de Religione deliberare.

SVBRESOLVT. XI.

Si coniuges annis pubertatis completis si adhuc non sunt apti, tenentur residere simulque cohabitare.

SVMMARIVM.

1. *An si puer & fœmina contraxerunt matrimonium statim ac impleuerunt annos pubertatis & nondum inueniantur apti ad consummandum matrimonium, teneantur simul residere.*
2. *An non possit peti separatio residentiæ matrimonialis, nisi vir sit maior 18. annis.*

1 VNdecimum sit, quod † si puer, & fœmina contraxere matrimonium statim ac impleuerunt annos pubertatis, & nondũ inueniuntur apti, & potentes ad consummandum matrimonium, adhuc tenentur ad residentiam matrimonialem (si nolint religionem ingredi) vsque ad annum 14. in fœmina & vsque ad 18. in viro, in quo tempore licite possunt copulæ, & actibus maritalibus vacare, vt videatur an impotentia dimanet, ex ætatis imbecillitate an ex frigiditate, aut maleficio perpetuo. Etenim etsi in fœmimina annus 12. & in viro annus 14. sit ætas à iure destinata vt intelligantur, & iudicentur ordinarie puberes, tamen ætas pubertatis omnino plena est 14. in fœminis & 18. in viris, vt habetur expresse *l. arrogatio. D. de adoptio & §. minorem inst. eodem*, & ratio est quia quum non est plena pubertas completa, potest præsumi quod impotentia proueniat, ex debilitate ætatis, & sic separari non debent, sed commanere, & residere simul, quod secus est quum iam plene puberes coire non possunt, tunc enim trieunium est expectandum *cap. laudabilem de frigidis* Ita Sylueſter. *matrimonium 5. q. 6.* Panormit. *cap. impuberes de desponsat. impub.* contra Glossam *ibi* quam sequuntur Anton. de Butrio *n. 3* & Couarr. 4. *decret. p. 2. cap. 5. n. 2.* qui expresse dicunt expectandũ trienniũ, sed quod diximus verius est quod sequitur Sanchez multis citatis *l. 7. disp. 104. n. 18.* qui optime aduertit † nõ posse peti separationem residẽtiæ matrimonialis nisi vir sit maior 18. annis, quia vsque ad hoc tẽpus nõ est adeptus plenã potestatẽ, & ita semper præsumit ius impotentiã prouenire ex ætatis debilitate, nisi radix impotentiæ ad oculũ pateat vt si vir habeat veretrũ abscissum, aut careat vtroque testiculo, aut fœmina ita arcta, vt penetrari nequeat, dixi si vir careat vtroque testiculo, quia si non sunt abscissi sed vel occulti vt nõ videãtur, vel sic ei appareant, expectandum est tempus, à iure statutum & medici considerandi, & anatomici.

SVBRESOLVT. XII.

A quo tempore computandum sit triennium.

SVMMARIVM.

1. *An triennium non sit expectandum à die plenæ pubertatis.*
2. *Ætas 18. annorum si vir sanus existat non est debilis.*
3. *An triennium experientiæ designatum debeat esse continuum moraliter loquendo.*
4. *Dicastilli mens affertur, & n. 7. necnon Authoris iudicium, & 5.*
6. *Ad quid experiendum Ecclesia determinet expectandum esse triennium continuum.*

SEd dubium est, an triennium, quod ius decernit expectandum computetur à die plenæ pubertatis, ita vt post completã plenã pubertatem quæ requiritur, vt tractetur de dirimendo matrimonio propter impotentiã debeat transire triennium experientiæ præscriptum. Th. Sanch. *lib. 7. disp. 110. n. 16.* sequutus solum Cardinalem, *cap. puberes cit. n. vnic.* dicit † expectandum non esse trienniũ à die plenæ pubertatis, quem sequitur Dicastill. *disp. 7. de matr. à n. 582.* sed verius est oppositum, quod sequuntur ferè omnes Antiqui Canonistæ, & Summistæ, qui hoc punctum tetigere, & citat Sanchez *num. 8. & 9.* quare Sylueſter *vbi supra* dicit quod *iste adolescens debet expectare vsque ad pubertatem plenam quæ est 18. annorum, quæ adueniente si generare non potest, & mulier instaret propter dissolutionem matrimonij, dissolutio fieri posset, quia tunc præsumeretur esse impedimentum perpetuum, & hæc opinio Doctorum videtur esse æquior.* Ita Sylueſter, quem ex Neotericis sequuntur Perez *disp. 37. de matr. sect. 11. n. 11.* Hurtado Complect. *disput. 12. diffic. 11. n. 41.* ætas enim † 18. annorum si vir sanus existat non est debilis ita vt prudenter præsumatur ex debilitate ætatis dimanare impotentiam coeundi, quare ad summum expectandus erit mensis aut bimestre iudicis arbitrio, vt tenent Hostiensis *c. puberes n. 5.* Ioan. Andr. *n. 8.* Anchar. *n. 6.* Henrric. *n. 8.* Alex. de Neuo *n. 19.* ea autem quæ in sui fauorem adducit Sanch. & Dicastill. cum non fundẽtur in iure, sed in aliquali congruentia vim non habent cõtra iuris Canonici ferè omnes interpretes antiquos, quibus magis deferendum est, quum non est textus, & ex alio capite ad experiendũ, an impotentia sit perpetua triẽniũ dũtaxat sit à iure præfixũ. Vnde fit, quod si iuuenis matrimonium cõtraxerit *à 16. vsque ad 19.* expectãdum est iuxta *c. laudabilẽ. de frigid.* vbi Pont. dicit, *vt à tempore celebrati coniugij si frigiditas prius probari non possit cohabitent per triennium.*

Duo

Duo aduerto circa hoc Corollarium pri-
3 mum, quod † triennium hoc experientiæ designatum debet esse continuum moraliter loquendo, ita vt ferè semper coniuges matrimonialiter resideant, ita Pont. *c. fin. de frigidis.* & benè probant Dicastill. *n. 575. & 576.* Sanchez *lib. 7. disp. 109. n. 4. & 5.* qui dicit, quod etiamsi constet certo de impedimento maleficij concedendum triennium est, vt vacent actibus coniugalibus cũ enim impotentia ex maleficiis etsi sit perpetua non sit naturalis, sed accidentalis præsumitur fore, vt decursu temporis mediis adhibitis remoueri posse, atque ita non esse declarãdum irritum matrimonium, ante triennialem experientiam, imo iuxta *cap. fin. de frig.* iudex arbitrio suo potest hoc matrimonium differre maleficiatis, *vt ageret pœnitentiam de commissis etsi fortè placeret Deo, vt opus matrimonij consummarent.* ait Pont.

Secundum notat Dicastil. *di. illa 7. n. 563.*
4 vbi ait. † *Certum est pro foro conscientiæ, quum in eo satis constat impotentiam esse perpetuam, aut quum ferè certo id creditur, ita vt probabilissimum sit esse perpetuam impotentiam absque probabilitate oppositi non posse coniuges se maritaliter cognoscere, seu id intentare, & conari, etiamsi per censuras ad id compellantur. Ratio est, quia pro foro conscientiæ comparatione illorum, aut certum, aut ferè certum est, matrimonium esse nullum & non habent probabile ius.* hæc ille.

Sed non vsquequaque arridet hæc sen-
5 tentia, quia † nego, quod nisi ad oculum constet virum esse impotentem, quia caret vtroque teste, aut quia veretrum est abscissum, aut quia à peritis in Medicina, & Anatomia probatione iuridica constet impotentiam esse naturaliter perpetuam possit, ita certo constare de illa, vt nulla omnino sit probabilitas oppositi, ita vt nec remediis, orationibus, & aliis mediis non possit recuperari potentia coëundi, argumento *ex tap.*
6 *fin. cit.* quare † ad hoc experiendum Ecclesia determinat expectandum esse continuum triennium quo transacto Ecclesia fundata in præsumptione, quod illa impotentia est perpetua, dissoluit matrimonium, taliter quod si experiatur, cum alia coit restituatur priori, quare mihi dubium non est, quod isti coniuges possunt per totum triennium (nisi probetur iuridice contrarium) conari ad copulam, quia ante istud tempus ab Ecclesia præfixum semper possunt formare iudicium probabile, quod impotentia naturalis non est perpetua, vt non possit auferri sicut de impotentia orta ex
7 maleficio dicit † ipse Dicastillus: si per reuelationem certam impotentiam esse perpetuam constaret cum ista vinceret præsumptionem, tunc teneret verum sententia præfata, quare etiamsi vterque ante triennium fateatur impotentiam non constat ex hac confessione, an sit perpetua vel ad tempus, & ita concedendum est triennium, vt experimentum fiat. Legantur Hurtado *disput. 12. diffic. 17. num. 38.* Perez *vbi supra n. 5.* Basilius *lib. 7. cap. 66.*

SVBRESOLVT. XIII.

Si coniux propria authoritate non resideat ob impotentiam alterius, restituendus est.

SVMMARIVM.

1. *Si alter coniugum propria authoritate ob alterius impotentiam nolit commanere, sed recedat, an sit coniux spoliatus restituendus, non obstante quod matrimonium non esset consummatum.*
2. *An ante matrimonij consummationem non sit verum spolium, & num. 3.*
4. *Cœlestini III. sensus affertur.*
5. *An ante carnalem copulam, & matrimonij consummationem non detur vera restitutio spolij.*
6. *An consensus qui matrimonium facit sit consensus in matrimonium.*
7. *An consentire in matrimonium sit consentire in carnalem copulam implicitè non explicitè.*
8. *An ministeria & habitatio coniugalis debita sint inter coniuges quatenus est debita copula.*
9. *An ante consummationem matrimonij non sit translatum omnino corpus vnius coniugis in corpus alterius, sed sub conditione.*
10. *An possessio quam habet coniux ante matrimonij consummationem, non sit possessio absoluta sed conditionalis.*
11. *Quid ex traditis veniat resoluendum, & n. 12 & 13.*

DVodecimum est corollarium quod † si alter coniugum propria authoritate ob alterius impotentiam nollit commanere, & residere, sed recedat, est coniux spoliatus restituendus non obstante, quod matrimoniũ non esset consummatũ. Hoc corollariũ vt rectius intelligatur (fui enim consultus de eo Neapoli *ann. 1625.* an scilicet tuta conscientia posset quidam vir nobilis recedere à residẽtia coniugis suæ, quã penetrare non valebat & factis multis experiẽtiis, remediis adhibitis valide erigere nequibat, vi si semẽ effunderet) supponẽdũ est cõtra Th. Sanch. *l. 7. de matr. disp. 112. n. 8.* quẽ sequuntur Gutierr. *to. de matr. in meis c. 121. à n. 10.* Barb. *c. ex transmissa. cit. n. 4.* quod † ante matrimonij cõsummationem non est verũ spoliũ, atque ita non esse locum remedio restitutionis spoliatorũ

sed solum quod ex vi contractus matrimonij iudex officio suo cogat, quod simul habitent & resideant, ad intentandam copulam, valdè enim differunt, hi duo modi, nam modus restitutionis non patitur aliquam exceptionem, sed ante omnia spoliatus restituendus est *cap.ex transmissa de restit.spol.* & tradunt Canonistæ *ad cap. ex parte eodem tit.* vbi Innocentius *num.*4.Hostiens.*n.*11.Ioannes Andreas *num.* 7.Butrio *num.*31.Card.*num.*5.at modus ex officio iudicis cogentis, vt stetur contractui, non ita rigidus est, & executiuus,nam obiici quæcumque iusta exceptio ab spoliante, potest quæ prius Iuridice examinanda est, quam coactio fiat, ita *cap.1.de ordine cogn.* vbi iuris Canonici expositores.

3 Et quidem verè & propriè non dari spolium ante matrimonij consummationem mihi longè probabilius est,& iuris Canonici Interpretibus conformius ad *cap.ex trãsmissa & cap.ex parte de restit.spoliat.*quos refert ipse Sanchez *n.*6.estque expressum, *in cap.ex transmissa*, vbi ita clare deciditur, vt miror virum doctissimum non aduertisse, motumque fuisse argumento friuolo,à contrario sensu, *ex cap.ex parte*,cum argumentum huius figuræ in iure valdè debile sit maximè,quum est textus,expressus in contrario,vt contingit in præsenti in quo non est efficax, vt benè viderunt ipse Sanchez *lib.6.de matrim. disp.*21.*n.* 9. multis citatis, quos etiam refert & sequitur Barbosa *de locis communi loco.*27.*num.* 5.Sayrus *de censuris lib.*5.*cap.*18.*n.*18.ex Euerardo *in topicis loc.*4. vbi rem egregiè discutit, neque enim locus & argumentum à contrario sensu sufficiens debet esse ad iura expressa corrigenda,quorum correctio semper fugienda est, tanquam iuris interfectio.

Tum præcipuè,quia neque *ex cap.ex parte* plenum argumentum sumitur à contra-
4 rio sensu,ibi enim † Cœlestinus III.scribens Vulterano Episcopo solum dicit,quod si nõ præcesserunt sponsalia de futuro, aut consensus de præsenti, nec subsecuta fuere ad traductionem in domum, nullum inter eos vinculum obligatorium est, quod quidẽ verissimum est,tamen ex hoc non benè infertur à contrario sensu adæquato,quod si sint sponsalia, & traductio in domum, quod sit vinculum obligatorium, & iuris possessio, quamuis sit possessio facti, ad hoc autem, quod sit in casu matrimoniali facienda restitutio spoliati, necessaria est iuris possessio,quia vt optima glossa *ad hoc singularis ibi* verbo *commodo destituta,ex sola possessione facti nulla seruitus, vel obligatio hinc inde contrahitur,nec restitutio peti potest, cũ nulla possessio iuris hic fuerit;vnde hæreticus non potest in iure petere rerum Ecclesiasticarum restitutionem c.1.& 2.23.q.7.nec laicus restitutionẽ decimarum, licet de facto possideat,quia aliud est possidere,aliud detinere, cap.causam de præscriptione,nec enim sufficit probare spoliationem nisi probet, quia possederit cap.consultationibus de offic.deleg.& cap.olim de rest. spoliat.*

Ex qua Glossæ doctrina,quæ satis iuridica &rationi cõsona est tale formo argumentũ, vbi non est iuris possessio non est restitutio facienda,atqui † ante carnalem copulam,& 5
matrimonij consummationem non est iuris possessio perfecta, ergo non datur vera restitutio spolij,minorẽ & docuit & probauit D.Th.*in 4.dist.*27.*q.*2.*art.*3.*quæstiunc.*2.*ad* 2. *sic,ante carnalẽ copulã non est omnino translatũ corpus vnius sub potestate alterius,sed sub conditione si interea alter coniugũ ad frugẽ melioris vitæ non conuolet,sed per carnalẽ copulã cõpletur dicta translatio,quia tũc intrat vterque in corporalẽ possessionem sibi traditæ potestatis*, quibus verbis si adiũgas ea quæ dicit *dist.*28. *q.*1.*art.*4. vbi inquirit,an cõsensus,qui causat matrimoniũ sit consẽsus in carnalem copulã,& respõdet,*quod † consensus, qui matri-* 6
moniũ facit est consensus in matrimonium, quia effectus proprius volũtatis est ipsũ volitũ; vnde se habet carnalis copula ad matrimoniũ, ita cõsensus,qui matrimoniũ causat, est in carnalem copulam,matrimonium autẽ non est essentialiter ipsa coniunctio carnalis, sed quædam associatio viri & vxoris in ordine ad carnalẽ copulam,& alia quæ ex consequenti ad virum & vxorem pertinent,secundũ,quod eis datur potestas inuicẽ respectu carnalis copulæ,vnde patet, quod benè dixerunt illi,qui dixerunt, quod † *consen-* 7
tire in matrimoniũ est consentire in carnalẽ copulam implicitè,non explicitè. Non enim debet intelligi nisi sicut implicitè continetur effectus in causa,quia potestas carnalis copulæ in quam consentitur est causa carnalis copulæ, sicut potestas vtendi re sua est causa vsus,hactenus ibi.

Ex quibus manifestè ostenditur deceptio Tho.Sanch.quia ante carnalem copulã non habet aliquis cõiugum possessionẽ iuridicã, ad solũ habitationẽ & alia ministeria inter coniuges mutuo debita præter copulã,ratio D.Th. perspicua est,quia†ministeria & ha- 8
bitatio coniugalis debita sunt inter cõiuges quatenus debita est copula, quæ est principalis effectus cõsensus;ergo vbi copula est impossibilis,& nõ est executa nõ est iuridica possessio potestatis datæ ex vi contractus, ergo si non potest peti restitutio ad copulã, non potest peti restitutio ad alia ministeria inter cõiuges debita,consequẽtia est euidẽs, quia accessoriũ sequitur principale Regula, *Accessorium de reg.in 6.leg.etiã C. de iure dot.* & latè Tusc.*to.*1.*litt.A.cons.*76.Marius Ant. *lib.* 1.*resol.*72.*n.*6.& alij quos citat Barbos. *Axiomate* 4.*per totum*,vnde fit quod si non est restitutio spolij faciẽda circa principale, scilicet

scilicet circa copulam, nec circa accessorium, scilicet habitationem, & ministeria alia quæ sequuntur copulam.

Secundum argumentum sumitur ex eo-
9 dem S.D.quia†ante consummationem matrimonij non est translatũ omnino corpus vnius coniugis in potestatem alterius, sed sub conditione si inter ea alter ad frugẽ melioris vitæ non conuolet,ergo ante consummationem matrimonij non datur spolium, verè & propriè etiam in ordine ad alia ministeria inter coniuges mutuo debita, consequentia est manifesta, quia ista non sunt debita ante consummationem; nisi ex mutuo consensu velint habitare,vt fratres,tunc enim mutua ministeria debita sunt, at non datur etiam verè spolium circa illa,quia sẽper possunt olim potentiam petere, quod matrimonium,quod non est cõsummatum,
10 ob illam dissoluatur, quare † possessio illa quam habet coniux ante matrimonij consummationem non est possessio absoluta, sed conditionalis si alter ad meliorem frugẽ conuolare,aut petere resolutionẽ vinculi,& sic illi possessioni non debetur restitutio,sicut neque possessioni, quã habet hæreticus bonorum suorum & dominium imperfectum illorum ante sententiam declaratoriam criminis,neque enim traductio coniugis in domum dat traducenti ius aliquod possessorium absolutum, etiam ad ministeria coniugibus debita,quia hoc debitum, vt sit absolutum fundatur in consummatione matrimonij.

Hoc supposito facilis est resolutio corol-
11 larij, aut enim coniux recedit propria authoritate ob impotentiam alterius, antequã triennium ad illam experiendam,esset completum & sic cogendus est coniux recedẽs, vt cohabitet & consentiat toties quoties copulam intentare velit alter;itavt si nolit non possit absolui in foro conscientiæ, etsi sub excommunicatione id præcipiatur à iudice absolui etiam nequit à censura.Ita Sanchez *vbi supra n.*12. Gutierrez *de matrim.c.*122. Rodriguez *tom.*1.*summ.cap.*235.*n.* 3.Sylvester *diuortium n.*13.*q.*20. nam cum in dubio melior sit conditio possidentis & ad hoc dubiũ excludendũ ius detrectauerit hoc triennium,vt experientia facta dubium excludatur, ante illud completum ius habet coniux, vt alter sibi commaneat,resideat, & cohabitet,& ita potest ad id cogi etiam per censuras, non quidem per remedium restitutionis spolij,sed inuocato auxilio iudicis, vt obligatio ex vi contractus matrimonialis orta adimpleatur.

21 Si verò triennio iam transacto coniux recedat ab impotente absque iudicis decreto & sententia,sed propria authoritate,non cogatur spolians redire ad impotentem,sed exceptio impotentiæ admittenda est, vt lis decidatur,quia vt vidimus non est locus iudicio possessorio, & restitutionis spolij cum nulla sit iuris possessio ante matrimonij cõsũmationẽ.Neque est simile,quod adfertur, *ex cap.Litteras de restit. spoliat.*vbi Pontifex mandat,quod sponsus spoliatus restituatur, quoad habitationem, imò & quoad copulam, si in incontinenti non offerantur probationes de impedimẽto consanguinitatis, quia in specie huius textus matrimonium erat consummatum, & sic agebatur de possessorio,cum esset iuris possessio in coniuge spoliato,& sic iste omnino restituendus,nisi in continenti probetur impedimentum consanguinitatis, vel quodlibet aliud post cõsummatũ matrimonium,vt dicit Th.Sanchez *lib.*10.*de Matrim. disp.*12. & ego alibi disputo, quod secus est de impedimento impotentiæ propter quam non consummatur matrimonium.

Ex his doctrinis, quæ mihi probabiliores & æquitati iuris conformiores semper visa sũt,respondi ad casum Neapoli mihi propositum. Equitem illum qui ante elapsum triennij recessit à coniuge quam penetrare nequibat non posse tuta conscientia,non residere cum illa, & non reddere debitum quoties ipsa exegerit ad tentandam penetrationem vasis, ad idque posse cogi à iudice Ecclesiastico etiam sub censuris.

RESOLVTIO IX.

Quali obligatione teneatur ad residentiam matrimonialem, veneficiatus, & maleficiatus.

SVMMARIVM.

1. *Quid differat veneficium à maleficio.*
2. *An Dæmon, vel per se immediatè, vel per suos maleficos ministros possit virum, vel fœminam impotentes reddere ad copulam, & congressum carnalem.*
3. *Variorum DD. sensus adducuntur,& n.*4.
5. *Quæ impotentia sit temporalis, aut perpetua.*
6. *Maleficium inter & frigiditatem; quod discrimen intercedat.*
7. *An impotentia ex maleficio dimanans possit esse perpetua tam in viris quam in fœminis.*
8. *Maleficium est perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, ex S.Doctore.*
9. *An impotentia orta ex maleficio perpetua non dicatur quum humano opere licito auferri*

ferri possit.

10. *Caietani opinio affertur, necnon Delrij, & n.11.& 12.*

14. *Lessij mens adducitur.*

VAMVIS impotentia ad coeundum & ex veneficio, & ex maleficio dimanare queat, & æque ex quocunque dimanet si sit ante contractum matrimonium ipsum ex iudicio Ecclesiæ dirimat, tamen
1 †aliud est veneficium aliud maleficium, etsi enim omne veneficium maleficium sit, tamen non omne maleficium veneficium est, etenim veneficium est quum adsumitur aliquid per os, vel applicatur inseparabiliter corpori quo sumpto, vel applicato intrinsecus per aliud corporis orificium impotens redditur ad coeundum coniux maxime vir, qui seminare intra vas nequit, vel virga emarcuit ita vt erigere se nequeat, ad penetrandum. Maleficium autem, etsi eundem inducat effectum, tamen non est per aliquid venereosum sumptum, intus corpus, per os vel aliud orificium; sed per aliquid, quod fabricãtur malefici, aut maleficæ, quo fabricato ex dæmonis pacto implicito aut explicito, dæmõ ipse assistens maleficiato ex vi præfati pacti facit, & causat impotentiam coeundi non est huius loci hanc differentiã amplius explicare, legi possunt Martin. Delrio *lib.3. disquisitio p.1. quæst.1. sect. 1. & aliquibus sequentibus, & q.3.sect.2.&* 8. Franciscus Torreblanca *iuris spirit.lib.12.cap.11.12. & 13.* vbi erudite, etsi indigeste quidquid ad hanc materiam pertinet ex Auctoribus congessit, vt autem titulo Resolutionis fiat satis, aliqua sunt prælibanda, ex quibus enucleatio constabit.

2 Primum sit, indubitate tenendum † Dæmonem vel per se immediate vel per suos maleficos ministros posse hominem siue virum siue fœminam impotentes reddere ad copulam, & congressum carnalem, ita vt inter ipsos post triennij experientiam valide possit si ipsi id exigant dissoluere matrimonium. Hoc libamen pono verbis grauissimis D.Thom. *in 4.dist.34.quæst.1. art.3.* vbi rem totam probans, & comprehendens sic fatur. *Quidam dixerunt quod maleficium nihil erat in mundo nisi in æstimatione hominum, qui effectus naturales quorum causæ sunt occultæ maleficijs imputabant, sed hoc est contra auctoritates Sanctorum Patrum qui dicunt quod homines habent potestatem supra corpora & supra imaginationem hominũ, quando à Deo permittuntur, vnde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, siue incredulitatis, quia non credunt esse Dæmones nisi in æstimatione vulgi tantum, vt terrores quos homo sibi ipsi facit ex sua æstimatione imputet Dæmoni, & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in sensu tales quales homo cogitat, & tunc creduntur Dæmones videri, sed hæc vera fides repudiat per quam Ãngelos de celo cecidisse, & Dæmones esse credimus, & ex subtilitate suæ naturæ multa posse quæ nos non possumus, & ideo illi qui eos ad talia facienda inducunt malefici vocantur.* Hæc ibi.

Quam doctrinam contra huius temporis Atheistas, qui substantias inuisibiles, & immortales existere negant † pro- 3
bant Doctissimus Rangolius *ad cap.1. geneseos ad illa verba n.1. in principio creauit Deus.* Cæterique patres ex variis scripturæ sacræ locis, Aug. *lib.2.de doctrina Christiana c.19. & lib.8. de ciuit. cap.19.* Isidorus *lib.8. originum cap.9.* Chrysost, *lib. de fato* D. Antoninus *p.2. tit.12. cap.1.* Origenes *lib.3. in Iob,* Scholastici cum Magistr. *in 4. dist.34.* vbi D. Bnauent. Scotus, Paludanus, Ricardus Maioris, & alij Expositores D.Tho. *1. p.q.115.* vbi Banez, Nazarius *2.2.quæst.96.art.1.& 2.* vbi Dominus Caiet. Syluius, Torre, Valentia late Bubalus *1.p.quæst.50.art.1.quæst.1.* Suarez *lib.8. de Angelis cap.13. & tom.2. de Relig. lib.2. cap.9.* Thom. Sanchez *lib.7. de matrim. disp.94. num.1. & seqq.* eruditissimus Valle de Moura *de incantationibus sect.2.c.1. à num.24.* Decretistæ *caus.33. quæst.2. & 26. quæst.1.& 2.* Canonistæ ad titulum *de sortileg.* & ad titulum *de frigid. & maleficiat.* Legistæ *ad leg.multi eorum C.de malefic.& Mathem.* Regnicolæ nostri *ad tit.27. part.7. & tit.3. lib.8. Recopilationis* Medici inter omnes Doctissimus Petrus Garzia Regius Protomedicus, & huius æui intra medicos Princeps *de locis disp.74.* vbi plures refert. Valles *de sacra Philosop.c.27.* Quare id negare sine errore nequit, cum experientia doceat, praxis Ecclesiæ, Conciliorum, & Summorum Pontificum decreta, quæ referuntur in præfatis titulis determinent, ex quo errore valde grauia inconuenientia sequerentur, & loca sacræ scripturæ extorquerentur, quibus autem modis hæc maleficia, aut veneficia ligaminaue fiant.

Remigius *lib.2.de monomag.* plusquã quin- 4
quaginta enumerat, Thomas Sanchez *vbi supra*, sequutus Martin. Delrio *lib.3.p.1. q.4. sect.8.* ad quinque reduxit, sed hoc non pertinet ad præsens institutum, quare omitto, legi possunt Raphael de la Torre *vbi supra disp.10.circa art.2.* Doctissimus Malderus *2.2.tract.10. cap.8.lib.9.* Vldericus Molitor. *de Pithonisa muliere cap.7.* Campanill. *in diuersorio iuris Rubric.11.cap.17. à num.19.* Hoc certum debet esse quod quocunque modo fiat huiusmodi maleficium, veneficium, aut ligamẽ vt ex eo sequatur impotentia coeundi. † Impotentia hæc aut est temporalis, aut 5
perpetua. Hoc est contra quosdam qui (vt refert D.Tho. *vbi supra*) dixerunt, quod per maleficia præstari potest impedimentum carnali copulæ, sed nullum tale est perpetuum, vnde non dirimit matrimonium contractum, & dicunt iura, quæ hoc dicebant esse reuocata, sed hoc (inquit D.Th.) *est contra experientiam & contra noua iura, quæ antiquis concordant, & ideo distinguendum est, quia impotentia coeundi ex maleficio, aut est perpetua & tunc matrimonium dirimit, & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus præfigit triennium, scilicet sicut de fri-*
6 *giditate dictum est, tamen hæc est † differentia inter maleficium & frigiditatem, quia qui est impotens ex frigiditate sicut est impotens ad vnam ita ad aliam, & ideo quum matrimonium dirimitur non datur ei licentia, vt alteri coniungatur, sed ex maleficio homo potest esse impotens ad vnam, & non ad aliam, & ideo quum in iudicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur, vtrique datur licentia, vt alteram copulam quærat.* Hæc ibi, quæ doctrina certa est, & indubitata ita vt opposita sit omnino improbabilis, & temeraria, cum sit contra Ecclesiæ praxim, & iudicium & contra omnes ferè scribentes paucis exceptis, quos refert Sanchez *num.7.* & pro sententia S.Tho. adducit plus quam 66. Authores ex Theologis vtriusque iuris interpretibus, Summistis, & aliarum facultatum.

7 Negari ergo nequit, quod † impotentia ex maleficio dimanans possit esse perpetua tam in viris, quam in fœminis, etsi in istis non ita communiter fit, nec à maleficis practicatur, at posse in fœmineo sexu reperiri docent Delrio *vbi supr.* Abulensis *ad cap.19. Matth quæst.90. post medium.* Henriq. *lib.12. de matr.cap.7.num.3.* Ioan Garcia *vbi supra disp.74.* quod duobus modis fieri potest, aut per læsionem imaginationis, & phantasiæ, quia dum potens veretro erecto ad fœminam decedit ipsa subdito illud horrescit quasi improportionatæ magnitudinis & sic fugit, renititur; cum re vera improportionatum non sit, sed huius improportionis dæmon excitat in fœmina, speciem. Secundo, quia tam in ossibus quam in carne, ita comprimitur os vuluæ & fœmineum vas, vt à viro quantumuis potente nullatenus valeat penetrari, & ita fœmina viro omnino fit inutilis, & membrum eius impeditum, ita quod vir ei commisceri non possit, vt dicitur *cap.ex litteris de frig. & malefic.*

Secundum prælibandum est, quod dicit
8 D.Tho. *vbi supra in solut. ad 3. quod † maleficium est perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, quamuis Deus possit remedium præstare, dæmonem cogendo, vel etiam à dæmone, desistendo. Non enim oportet semper, vt id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, vt ipsi malefici confitentur, & tamen si possit per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur, quia nullomodo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia inuocare. Similiter non oportet, quod si per peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem, quod cessante peccato cesset potestas, quia pœna interdum remanet, culpa transeunte. Similiter etiam exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendum dæmones semper, quantum ad omnes molestias corporales iudicio diuino hoc exigente, semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter instituta sunt.* Hæc ibi.

Sed hæc doctrina etsi verissima indiget 9
enucleatione. Itaque † impotentia orta ex maleficio perpetua non dicitur quum humano opere licito auferri possit, etiamsi ab ipso maleficio auferatur, licito tamen modo quo licet ab ipso id exigere, vt docet Thom. Sanchez contra quosdam Iurisperitos *vbi supra num.12.* imo ad id cogi potest maleficus verberibus, & aliis pœnis, vt modo licito soluat maleficium impotentiæ, siue hæc coactio inducatur à particulari persona, siue à iudice. Ita tenet Delrio *lib.6. disquisitio. cap.2.sect.1.quæst.2.concl.5.* quæ doctrina duplici temperamento astruenda est, primum
posuit D.Caiet. † *tom.2. opusc.12. quod est de* 10
maleficiis, vbi sic fatur. *Quamuis liceat debita prudentia adhibita ire ad maleficum & rogare, vt factum maleficium destruat simplici dissolutione non tamen licet ire ad eum petendo, vt alio maleficio, aut inuocatione dæmonum primũ destruat, neque enim licet absolutè ire ad maleficum, & absolutè petere, vt succurrat maleficiato. Tum quia malefici opus, vt sic petitur sicut cum quilibet alius artifex exposcitur, tum quia particulare opus necesse est petere, & non vage relinquere arbitrio viri diabolici petitionem propriam.*

Sed Delrius *concil.5.* dicit quod † doctri- 11
na cautoria Caiet. necessaria est, quum petitur à maleficio, qui non primo fecit maleficium, quia hic vir sine peccato potest id facere, secus vero si petatur ab eo, qui primo maleficium intulit, iste enim potest licitè auferre maleficium, vel per medium naturale, si nouit, vel destruendo signum appositum, ab isto enim maleficio absolutè potest exposci, vt nocere desinat, sicut ab exposito vsurario possum absolutè exposcere mutuum.

Ast Delrius, non penetrauit profunditatem ingenij Caiet. quia si in primo casu necessaria est cautio, ita & in secundo cum in vtroque maleficus possit benè tollere maleficium. Tum secundo, quia opus malefici est intrinsecè malum propter dæmonis inuocationem & pactum cum ipso initum; vnde quousque ego sciam, vel sim persuasus, vel protestationem & dictam cautionem

nem faciam, quod ex vi pacti non est auferendum maleficium, nequeo tuta conscientia absolutè ad maleficium accedere, exposcens ab eo, vt maleficum auferat, quia semper maleficus ex vi amicitiæ,& pacti initi præsumitur, & re ipsa est ita quod amicabiliter ad dæmonem aufert maleficiũ, quare ego teneor protestare ne id faciat ex vipacti,sedhoc clarius elucebit diggressione prima ex triplici, quod in hac materia modo disputabo. Ast mutuum dare secundum se licitum est etiam respectu istius, qui pe-
12 cuniam suam dat ad vsuram, & sic mutuare bonum est ex natura rei, tamen non est bonum ex natura rei dæmonem, siue implicitè siue explicitè, siue formaliter, siue virtualiter inuocare, aut amicabiliter cum eo tractare qualiter tractat maleficus, ars enim malefica est intrinsecè mala, ast ars mutuataria bona, & ita licet adire absolutè ad mutuatariũ,quamuis iste nõ mutuet sine vsura,at non licet absolutè adire maleficum nisi protestando & cauendo, quod tollat maleficium absque dæmonis inuocatione aliqua, quia eius ars hanc respicit ex natura rei,at ars mutuataria nõ respicit vsuram, etsi vsuarius eam respiciat, quare hoc mihi per accidens est.

13 Secundum temperamentum præfatæ doctrinæ posuit Delrius ipse *concl.* 5. quod quãdocũque probabiliter maleficum posse tollere maleficium modo licito & ipsum cogere, vt tali modo auferat minis & verberibus verbera ista leuia & non atrocia debẽt esse, si enim atrocia sũt videor cogere, vt quocũque modo siue licito, siue illicito maleficium auferat, vt se à crudelibus plagis liberet, quod non licet nisi in ipsa verberatione crudeli exprimatur, quod fit vt modo licito maleficium auferat, & sic intelligo Lessium *lib.* 2. *de iustitia cap.* 9. *num.* 48. *si*
14 *malefica* (ait) † *positis certis signis magicis assiduè per dæmonem noceat. Hoc casu si aliud remedium non suppetet vti poterimus iure defensionis cogendo eam verberibus, vt ab iniuria cesset si tamen certo constet eam esse mali authorem, & putetur sine maleficio prius maleficium tollere posse. Ratio est quia illa perinde facit, ac si Tyranus aliquis per suos satellites torqueret: vtitur enim dæmone tanquam instrumento eum assiduè instigans signis illis, quibus se dæmon adstruxit ad noxam inferendam. Nihil autem interest per te, an per ministros tuos noceas.* Hæc ille, verum est, quod si subsit grauissima causa possit grauissimè cedi, & pœnæ mortis minis, vt maleficium auferat maleficus, si iste alias potest sine nouo pacto auferre, iuxta dicta à me loco citando *à numer.* 140. legatur Raphaël de la Torre *tom.* 2. *quæst.* 95. *art.* 4. *disp.* 2. §. *ex hac doctrina.*

APPENDIX
AD
LIBRVM TERTIVM,
In qua ponitur triplex Diggressio, non iniucundæ lecturæ.

RIPLICEM hanc diggressionem requisitus ab amicis, aliquibus abhinc annis elaboraui, quarum duæ priores non mediocrem lucem dabunt iis, quæ iuxta doctrinam. D. Tho. dixi resolutione præterita de impotentia orta ex maleficio. Vltima vero quæ de curatione Tauri in die. S. Marci Euangelistæ tractat, eruditionis gratia & vt consuetudo in Hispania à sancto Inquisitionis officio tolerata tueatur, à me discussa fuit, & vt ea quæ *tom.* 1. Moralium de eadem materia, dixi benè concipiantur, quare eas in hoc tomo decreui, prælo sudare, in gratiam & oblectamen meorum Lectorũ.

DIGGRESSIO I.
Vtrum liceat, à malefico exposito petere, vt maleficium, maleficio euertat?

SVMMARIVM.

1. *An nunquam liceat inducere maleficium ad pactuizandum cum dæmone ad maleficij destructionem.*
2. *An posito quod maleficium non inueniatur, consulendus sit maleficus de loco, vbi sit.*
3. *An licitum sit à malefico parato & exposito petere, quod maleficium maleficio euertat, & n.* 25. 26.
4. *SS. Augustini & Thomæ afferuntur sententiæ, & n.* 19. 22. & 23.
5. *An si à meretrice exposita consensum ad fornicationem exposcam, non peccem peccato scandali.*
6. *Variorum DD. sensus afferuntur, necnon D. Caiet. & n.* 7. 8. 9. 10. & 11. & 38.
12. *Minus malum licitè consulitur, vt maius vitetur.*
12. *Suadere minus malum quatenus minus respectu maioris, an nihil aliud sit, quam dissuadere maius malum, saltem moraliter.*
14. *An liceat à malefico exposito petere, quod maleficium, quod fecit aliquo pacto & dæmone inuocato soluat, & num.* 15. 16. & 17.
18. *Quid ex traditis veniat dicendum.*

20. *An*

20. *An soluere maleficium alio maleficio sit secundum se prauum, & n.* 21.
24. *Authoris iudicium adducitur, & num.* 31. 35. 39.
27. *Quid ex præmissis veniat inferendum, & n.* 28. & *n.* 33.
29. *Quandonam inuocatio dæmonis, & incamentum sit permissum.*
30. *Abulensis sententia affertur, necnon Gotiphredi, & n.* 32.
34. *Quæ acceptatio quæ sit actus voluntatis maleficiati sit omnino illicita.*
36. *An si maleficus sciat media licita, & illicita ad tollendum maleficium factum, liceat absolutè petere ab illo vt tollat, & n.* 37.
40. *Angelici Doctoris sensus adducitur.*

DE hoc puncto per transennam egi *tom.* 1. *Moral. tract.* 1. *num.* 136. vbi & Cardinalem Aureolum vindicaui communi sententiæ subscripsi vtrumque in præsenti enucleatius est peragendum igitur Eminentissimus Cardinal. Petrus Aureolus vir accerrimi ingenij *in* 4. *dist.* 34. *quæst. vnica art.* 1. duo statuit. Primum, *Quod* † *nunquam licet inducere maleficium ad pactuizandum cum dæmone ad maleficij destructionem, quia sicut maleficium fuit factum per pactum, sic eius destructio hoc modo fieret per pactum cum Dæmone, & hoc modo qui secundum maleficium facit ad destructionem primi pactuizat cum Dæmone, ac per hoc peccat peccato infidelitatis, cum fieret particeps qui illud fieri procurauerit. In tali ergo casu vbi aliter non posset maleficium destrui, deberet quilibet potius sustinere mortem, quàm agere ad eius destructionem hoc modo, si vero maleficij destructio non procuretur per maleficium, sed alio modo cum de testatione maleficij, & Dæmonis non puto quod sit peccatum eo quod sit ibi Diaboli detestatio.*

2 Dicit secundum, † *posito quod maleficium non inueniatur, nunquid consulendus esset maleficus de loco vbi esset? Dicunt quidam quod sic: & ratio est, quia licet inducere ad peccatum sit malum, tamen vti peccato alterius in bonum est quandoque licitum, sicut dicit August. epist.* 154. *ad Publicolam, & serm.* 30. *de verbis Apostoli de iuramento infidelis iurantis in nomine Dei sui, quod respiciendum est propter bonum veritatis, & fidelitatis sic dicunt quod si ille velit facere suum maleficium, dato quod peccet faciendo ego tamen si vtor illo in bonum alterius puta in euasionem mortis non videtur peccatum. Non puto quod hoc sit recte dictum, secus enim est de illo qui inducit ad actũ, & secus de illo qui vtitur alio existente actu iam posito. Primum enim sẽper peccatum est, & illicitum secundum vero potest esse licitum, & sic est in proposito, si inducam maleficium ad pactuizandum cum Dæmone, ad maleficij destructionem; non video quod fiat sine graui peccato, quapropter consulere maleficium cum hoc modo inducatur ad exercitium actus peccati, omnino puto quod sit illicitum. Quod ergo consilium de remedio adhibendo? Respondeo esset in tali casu maleficiatus exorcizandus, & præsumendum est quod in hoc casu Deus assisteret ad Dæmonem reprimendum.* Hæc Eminentissimus Cardinal.

Ex quibus liquido constat quod Angelus *verbo superstitio num.* 13. quem sequuti sunt Vngarellus ibi *litter.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 95. *num.* 6. Delrius *lib.* 6. *disquisitio. cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 2. *concl.* 3. & alij communiter imponunt Aureolo, quod asserat † licitum esse à malefico parato, & exposito, petere quod maleficium maleficio euertat, huius enim contrarium constat docuisse, solum enim dicit, quod si maleficium non inueniatur, & maleficus dicat locum in quo est, potest quis illud euertere, quia iam pactum fuit initum à malefico, & cum iam constet locus in quo est signum maleficij possum illud euertere, quia non induco ad pactuizandum, quod omnino est illicitum vt dicit aureolus, sed pacto iam facto existente, & actu iam posito ex quo constat signum maleficij vtor ad liberandum maleficiatũ. Quare præfati auctores Aureolum in fonte non legere, & non miror, quia vsque ad annum 1605. non dum erat typis datum opus eius *in* 4. *sent. libros*, nisi illorum frustra apud Capreolum eius impugnatorem, ex quibus forsan id collegerunt, sed non bene nec iustitiâ patitur, quod hic error Cardinali Sapientissimo imponatur, ad Sanchez vero, Delrium & alios modernos scriptores forsan hæc Aureoli Romana impressio non peruenit, & in fide Angeli Clauarij Aureolum pro hoc errore citarunt, quod vero ipsum non viderint constat, quia ipsum citant *in* 4. *dist.* 34. *quæst.* 1. cum non sit, nisi *quæst. vnica articul.* 2.

Igitur cuiuscunque sit hæc sententia duplici probatur non inermi argumento, primo, quia vt constat † ex August. *locis citatis* 4
& ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 79. quia infidelis expositus ad iurandum per idolum vt confirmet contractum cum ipso initum licet ab eo petere iuramentum confirmatorium, etsi de facto fiat, per idolum, cui defertur cultus & reuerentia, quia in hoc attenditur cõfirmatio veritatis, vt ait Augustinus, ergo cum à malefico exposcitur vt destruat maleficium maleficio intendatur salus, & vitâ maleficiati, quam præcipue intendo non inuito per se maleficium ad pactuizandum, quamuis id per accidens sequatur sicut non inuito infidelem, vt deferat cultum idolo, dum exposco ab eo iuramentum, quod ex vi religionis suæ non potest facere, nisi per idolum, ergo quamuis maleficus ex vi pacti,

&

& officij sui non possit destruere maleficiũ nisi per reuerentiam exhibitam Diabolo, cum hoc ego non intendam malitiæ maleficiest tribuendum non meæ petitioni, quia non expresse exposco pactum, sed destructionem maleficij, vnde dixi loco citato *n.* 140. Princeps & iudex Ecclesiasticus possunt cogere maleficium, vt destruat maleficium maleficus, & striga.

5 Confirmatur, quia † si à meretrice exposita cõsensum ad fornicationem exposcam, non pecco peccato scandali, vt contra Sanchez *lib.*1 *summ.cap.*6.*num.*14. docui *vbi supra num.* 166. & me citato tenet Magister Prado *in qq.moral. cap.*15.*quæst.*12.*num.*4.ergo si petam à malefico, quod maleficium destruat, quod nisi alio maleficio aut pacto solui nequit, ergo nec pecco contra religionem, hæc consequentia probatur, quia non induco ad peccandum, siquidem ipse maleficus paratissimus est ad illud perficiendum, alias si induco ad peccandum est ibi circunstantia scandali, quod negat communis sententia, vt vidimus.

Secundùm valde vrgent, quia malefico, qui fecit maleficium, quod conseruat cum grauissimo damno maleficiati, & nequit hoc damnum impedire nisi fiat aliud pactũ cum Dæmone à quo exposcatur, quod cesset, & damnum non inferat possum consilium dare, vt faciat hoc pactum quod est minus malum, vt cesset prius quod est maius, ergo possum illud petere, consequentia probatur, quia quod licet consiliare licet petere, antecedẽs probatur, quia quando quis est determinatus ad faciẽdum aliquod damnum grande possum consilium dare, vt patretur minus damnum, etiamsi ad illud non sit determinatus, vt si quis est paratus occidere vxorem, vt aliam ducat possum consulere vt adulterium committat, & non vxori-
6 cidium, † vt expresse docet August.*lib.*2.*de adulter. coniug. cap.*15. relatus *in cap.si quod verius* 33.*q.*2.cuius fundamẽtum sequuntur Patres *Concilij Tolet.* 8. *cap.* 2. relatum *cap. duo mala dist.* 13. ibi. *Duo mala licet omnino cautissime sint præcauenda, tamen si periculi necessitas vnũ ex his perpetrare compulerit id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligare.* id quod etiam traditur à S.Gregor. *lib.* 32.*Moral.cap.*18.S.Ambrosius *lib.*1.*de Abraham c.*6.Chrysost.*homil.*43.*in Genes.* D.Aug. *lib.de mendacio cap.*7. agentes de Loth, quando vt vitaret Sodomiam obtulit filias suas ad stuprum, quod licuit, quia vt ait.D.Th.*q.*1.*de malo art.*5. *argumento* 14. *elegit minus malum ostendens ordinem esse seruandam in fuga culparum, & illa prior est fugienda quæ est grauior, & minor quando aliter fieri nequit eligenda.*

In hac doctrina recte intellecta perpetuus
7 fuit † D.Caiet. quamuis enim 2.2. *quæst.* 18. *art.*4.§.*in art.*4.*versic.aduerte.* Hanc ponat vniuersalem regulam. *Si peteret quis ab aliquo actum, quem non potest exercere absque peccato, proculdubio ad peccatum eum induceret, quantumuis paratissimum, ac per hoc particeps peccati esset consentiens peccato alterius. Aduerte ergo in casibus, vt discernas si actus petitus po-* 8 *test ab eo à quo petitur sine peccato fieri, quia hic radix est illiciti, vel liciti cum de vsu peccati alterius agitur*, quam doctrinam probat exemplis *Loth.Gen.*19.*& Leuitæ Iudicum* 19. ex quibus sic colligit, *& hæc dicta sint, vt non putet quis licere inducere ad minus malum, paratos, vt euitetur maius malum, si enim non sũt faciẽda mala, vt eueniant bona multò minus facienda sunt, vt non fiant maiora mala, quod non in boni positione, sed in mali negatione consistit. Magna namq; differentia est inter inducere ad minus malũ, vt vitetur maius & offerre ac tradere materialiter materiam minoris mali. Primũ nulla ratione licet propter raticnem dictã, secũdum autẽ fecit Lotho, fecit Leuites, facimus quotidie redimentes captiuitatem, vel vexationem nostrã iniustam & soluentes vsuras. Dixi autem offerre, seu tradere materialiter, hoc est non ad inducendum ipsum ad explendam suam malam voluntatem circa oblatam materiam, sed ad redimendum vexationem suam, vel proximi tali* 9 *oblatione, vel traditione vtendo alterius iniquitate, non inducendo aliquem ad peccãdum. Vnde nõ licuisset ipsi Loth, qui obtulit materiam liberi arbitrij filias, consulere filiabus suis, vt consentirent in stuprum, sed vt illatum violenter constanti patientia sustinerent ad coronam vt leuia dixit.* Hæc ibi, quibus videtur oppositus *quæst.*95.*art.*8.§.*ad euidentiam versic. ex parte vero* dicens. *In quodam casu per hoc offerendo duellum abducuntur à maiori malo, auferendo materiam maioris mali non vt faciant totum hoc minus malum, sed vt facturi malum peccent minus quod est officium Angelorum, vt patet de decem viris qui occisuro eos obtulerunt vt acciperet suos thesauros.* Hæc Card.22. cuius commentarium finiuit *ann.* 1517. *ætatis suæ* 49. *inchoante.*

Sed cum sibi esset hæc doctrina antinomia obiecta dissonantiam excludit *tom.* 1. *opusc.*31.*Resp.*13. *ad Magistr.Conradũ Koclin.* §. *tertium est.* ibi. *Soluitur hoc dubium declarando differentiam, quam non penetrarunt mo-* 10 *uentes hoc dubium, aliud est enim inducere ad totum hoc scilicet minus peccandum, & aliud est inducere solummodo ad Ly minus. Primum nunquam est licitum, & hoc in primo loco dicitur* (scilicet *art.*4.*quæst.*78.) *secundum est non solum licitum, sed sanctum imo, & Angelorum officium, & hoc in secundo loco dictum est* (scilicet *art.*8. *quæst.*95.) *& hinc fit vt adulterium cum aliter non valemus retrahere, ad simplicem fornicationem licite prouocemus, non hortando vt fornicetur, sed si suæ vult satisfacere voluptati, alieno non iniurietur thoro. Nec tamen oportet huiusmodi conditionalis semper exprimere, sed sufficit quandoque eas mente retinere pro loco & tempore prout sapiens iudicabit: hoc enim non est inducere ad malum maius, aut minus, sed est secundum rem retrahere à malo maiori. Fitque frequentissima exercitatione hoc à redimentibus vexationem suam, vt fecerunt decem illi viri apud Hieremiam.* Hæc Caietan. *an.* 1521. *ætatis suæ* 53.

11 Et *in Summa verbo Tyrannus, numero secundo.* sic fatur. *Sed nunquid Gubernante Tyranno (qui scilicet non habet legitimè dominium, sed tyrannicè occupat illud) peccent illi qui recurrunt ad ipsum pro iustitia? quia inducunt illum ad actum quem non potest licite exercere. Respondetur, quod excusantur à peccato inducendi tyrannum ad actus, & opus sibi illicitum petentes ab illo iustitiam, quia non petunt actum illicitum, sed iustitiam actus, illi illiciti, sicut enim luxurioso sancte consulitur, vt non adulteretur, sed fornicetur, hoc est minus malum committat, quia subintelligitur si luxuria vti vis. Ita occupatori dominij sancte suadetur, quod minus male vtatur dominio illo constat autem, quod minus malè vtitur, qui vsurpato dominio vtitur in actibus, & operibus aliàs iustis, quàm si actibus & operibus, aut etiam omissionibus iniustis, & pernitiosis Reipublicæ, aut particulari personæ. vteretur.* Ita ibi, quod fuit vltimum iudicium, quod de hoc puncto scriptum reliquit, finiuit enim summulam inter Hungaricæ Legationis discrimina. *Posonij die S.Cæciliæ anno* 1523. *ætatis suæ* 55.

Hoc igitur iudicio mentem suam ex-
12 plicuit, & clarè docet, quod † minus malum licitè consulitur, vt maius vitetur, *si quidem luxuriosè sanctè consulitur si luxuria vti vult, vt non adulteretur, sed fornicetur*, id quod multis citatis ego docui *vbi suprà à n.*154. quibus addo Villalobos *tom.*2.*tract. vndecim. difficult.septim. numero sexto.* Trullench. *libro septimo, in Decalog. capit. decimo - tertio. dubio secundo. paragrapho primo, numero sexto.* Syluium *secunda secundæ. quæstione quadragesimæ - tertia. articulo quarto, quæstion.secunda. conclusione tertia.* & Sanchez *qui libr. septim. de Matrimon. disputatio vndecim.numero decimo quinto.* vbi pro hac sententia triginta & plures Doctores, & citat & sequitur, qui loquuntur non ex suppositione, quod homo velit committere vnum è duobus, vt falsò existimat Magister Prado. *vbi suprà numero decimo.* sed ex suppositione, quod homo velit suæ voluptati luxuriæ satisfacere, vt constat ex Caiet.*locis citatis.* Armilla *verbo Tyrannus in fine.* Syluestro *verb. Matrimonium septimum.quæst.*5.*dict.*9.*vers. sed istud est verum.* & multis aliis ibidem citatis, quamuis enim multi illorum loquantur de eo, qui simul vult maius maius & minus malum, tamen etiam loquuntur cum vult maius solum & de isto dicunt, quod si aliter diuerti nequit nisi consulendo minus, hoc est licitum, & re vera eadem in vtroque ratio, quam ex Caiet.dedi *num.illo* 153.quia † suadere mi- 13 nus malum quatenus minus respectu maioris, nihil aliud est quam dissuadere maius malum saltem moraliter, argumento, *ex cap.Nerui* 14. *dist.* §. *hinc autem Paulus.* Vnde primario non intendit minus malum, & peccatum minus, quatenus hoc complexum dicit, *& minus, & peccatum*, sed euitare maius peccatum, quatenus hoc complexum dicit *& maius & peccatum*, quod reipsa & quatenus *maius*, & quatenus *peccatum*, vitare curat, & ad hoc subministrat ex parte sua *materialiter materiam.* minoris mali & hæc fuit profundissima doctrina Caiet.quam omnes velint nolint tenentur admittere, etsi sub diuersis nominibus, & terminis, cum nullus Catholicus possit dicere, quod dum consulo minus malum ad vitandum maius, ego consentiam in malitia minori, quia eam, vt sic non consulo, sed propono, vt materiam in qua diuertatur quis à maiori malitia facienda, nec enim ego possum consilium dare, vt quis consentiat in minorem culpam, vt de Loth. (dicebat Cardin.) respectu filiarum, quibus non poterat consilium dare, vt consentirẽt in copulam, & stuprum, ergo dum eas obtulit Sodomitis, id solum fuit materialiter volens minus malum quatenus esset materia ad impediendum maius, & hoc est obiectum bonum, honestum, & licitum illius oblationis, quam profundissimam doctrinam, non benè enucleat Mag.Prado.

Ex qua tale efficax deducitur argumentum pro sententia Angeli de Clauasio qui solus asserit, quod † licet malefico exposito 14 petere, quod maleficium, quod fecit, alio pacto & Dæmone inuocato soluat, quia vt dicebam, quod licet conciliare, licet petere, at licet cõciliare malefico, quod tollat prius maleficium per aliud minus malum damnosum, ex doctrina tradita de consilio minoris peccati ad vitandum maius, & ratio est, quia hoc consilium habet obiectum per se bonũ, quod est vitatio maioris mali, iuxta ea quæ in superioribus discussi. Vrgetur, primò, quia si maleficus nolit soluere modo licito, vt nouit maleficiũ, potest quis acceptare, vt alio maleficio soluat, vt tenẽt Sanchez *disput.*95.*citat.num.*12.*vers.ita si.*

Dicastillus *disp.7.dub.50. numer.540.v. Neque etiam.* asserens, quod id etiam docent multi Recentiores Doctissimi ex Societate, cum quibus de hac re disputauit Perez *disput.37.section.8. numer.9.* & ex parte sequitur Raphaël de la Torre *vbi suprà §. superest*, quia non cooperatur peccato malefici, ergo qui conciliat, vt maius maleficium soluat, minori non cooperatur maleficio, quia re ipsa solum intendit vitare maius damnum, maiusque peccatum.

15 Vrgetur secundò, quia si maleficus esset determinatus ad faciendum maleficium, quo homo necaretur & ab illo non possem auertere, possum illi consilium dare & inducere, vt faciat maleficium minus damnosum. ergo sub eodem motiuo, si iam est operatus maleficium, quod suo pacto conseruat si non possum inducere, quod modo licito faciat possum conciliare, tanquam minus malum ad vitandum maius, quod alio maleficio maleficium tollat.

16 Vrgetur tertiò, quia si maleficus est determinatus ad perdendas omnes segetes alicuius oppidi possum consilium dare, quod alio tempestates deferat Diabolo ministrante, quo damnum non inferant, quia est consilium de minori malo exequendo.

17 Vrgetur quartò, ex doctrina quadam Dicastilli. *tom.2. de Iustit. & iure libr.2.tractat.11. disput.4. numer.15.* vbi agens, an liceat petere mutuum ab vsurario dicit. *Assero secundo. Non licet petere mutuum sub vsuris etiamsi vsurarius sit paratus ad sic dandum. Fundamentum est, quia hoc esset petere, quod alter non potest licitè petere ab infideli, quod iuret per falsos Deos, & sic non possum petere ab vsurario, vt sub vsuris det, nisi fortè existens in extrema necessitate, in quo casu possum, vt suprà dicebam, & docent Innocentius cap. super. 10. de vsuris & alij citandi.* Nauarrus *in Summ.cap.17, numer.263.* Rebellus *libr. 8. quæst. 16. section.6.numer.27.* Reginald. *in praxi libr. 23. numer.102. Quia in eo casu ponit materiam minoris peccati ad vitandum maius, minus malum est accipere vsuram quam permittere, vt intereat proximus quando liberari potest.* hæc Dicastillus, in quibus sistit fundamentum conclusionis, secundo, nec video cur liceat aliquando petere sub vsuris, quod non potest facere vsurarius sine peccato contra legem naturæ, & non liceat ob idem Malefico, quod maleficium, maleficio dissoluat consulere, quando aliter dissolui nequit, vt non intereat proximus.

Sed dicendum est primò † nunquam licet petere etiam à malefico parato, & exposito, quod maleficium maleficio euertat etiam pro salute Regia, hæc est omnium fere Catholicorum sententia, qui fere omnes oppositam Angeli de Clauasio erroris censura inurunt, & iure optimo, Huius veritatis duplex est fundamentum. Primum posuit Vngarelus *in notis ad Angelum*, quem deserit dicens *in hoc non esse Angelum tutum neque sequendum.* Quare ex S. Bonauentura *in 2.dist.7. art.3. quæst. vltim.* concludit, quod ille, qui petit à malefico vt maleficium maleficio euertat peccat in Ecclesiam, quia habet commercium cum Diabolo, qui est omnino præcisus, & Ecclesiæ aduersarius immutabiliter obstinatus, in eius damnum peccat etiam in maiestatem diuinam, dum recurrit ad Diabolum quasi non sit omnipotens, & sufficiens Deus Christianorum, vnde ad pacta Dæmonũ reccurrere, & eorum ministeriũ Deo vero magna infertur iniuria & offensa, quod enim nõ recurratur immediate ad Dæmonem, sed ad sagas, & maleficos nihil confert, vt excusetur offensa, quia istæ solicitantur vt ad Dæmonem recurrant, quod est intrinsice malum, & quia malum prohibitum lege diuina, & humana. Hinc ortum duxit dictum illud celebre Augustin. relatum *cap.qui sine Saluatore 22.quæst.2.* quod omnis curatio, quæ à diuinis vel magis, vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur mors potius dicenda est quam vita, & quia ea sectantur si se non correxerint ad æternam perditionem tendunt, quod eleganter, vt assolet D. Ioannes Chrysost. *homil.3. Thessalonicensis*, vbi illum, qui maleficio, & incantationibus sanari non vult, *corona martyrij redimitum dicit.*

Secundum fundamentum huius veritatis est à priori, quod posuit D.Caiet. *in summa verbo veneficium numer.* 3. his verbis. † *Soluere maleficium alio maleficio, est secundum se prauum, & nulla potest intentione bene fieri, & similiter inducere maleficum paratum ad maleficia perpetranda ad soluendum maleficium alio maleficio est peccatum mortale, quid nulla ratione licitum est inducere hominem quantumcumque paratum ad offendendum Deum. Neque habet locum in proposito distinctio inter inducere ad peccandum, & vti iniquitate alterius parati ad peccandum, vt distinguitur in vsura, & iuramento Infidelium. Quoniam illa distinctio non habet locum, nisi in illis, in quibus actio petita potest ab alio parato fieri sine peccato, si vult, & ex iniquitate sua prouenit, quod apponat ipse peccatum, tunc enim petens petit opus bonum, sed quia ille à quo petitur non vult nisi cum peccato efficere, ideo petens vtitur iniquitate, parati, & non cõmunicat peccato illius, verbi gratia, petens vsurã ab vsurario petit opus bonum, scilicet mutuum, quod vsurarius si vellet posset sine peccato concedere, & similiter petens iuramentum ab infideli petit opus religionis sanctum, scilicet iurare, quod idololatra potest si vult sine peccato concedere recognoscendo verum Deum & per illum iurando. In proposito autem petitur à malefico, vt soluat maleficium, quod ille non potest etiamsi vult præstare sine peccato, & propterea conuincitur, quod petit peccatum & inducit paratum ad peccandum. Digni autem sunt morte, inquit Apostolus non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Hæc ibi.

Quam doctrinam altius repetiit *tom. 1. opuscul. tractat. 31. respons. 14. ad Magistrum Conradum in dubio* 3. quod erat an circa id quod dixerat 2. 2. *quæst.78. articul.* 4. vtentem malitia alterius semper petere debere aliquid absque peccato præstabile, & respondet *solidissimum esse iactum fundamentum, scilicet nunquam licitum esse petere peccatum & implicare contradictoria petere peccatum & non agere in præindicium salutis, quoniam ipsum petere peccatum est, peccatum, quod ex eo patet, quia quidquid licet petere, licet appetere, cum petere actus humanus sit ab appetitu rationali, qui voluntas est procedens, sed constat, quod non licet appetere peccatum alterius, quantumcumque parati, scriptum est enim de charitate, quod non gaudet super iniquitate, ergo non licet petere peccatum alterius quantumcunque parati. Augustin. autem, vt patet in epist. ad Publicolam non dicit Barbari iuramentum si velit iurare per vnum Deum non esse admittendum, sed vtentem fide Barbari firmato iuramento per falsos Deos non communicare peccato illius, quo per falsos Deos iurat, sed fidei, idest fidelitati, qua dicta fiunt, vnde petens iuramentum ab idololatra petit opus sanctum, quod ille si vult potest absque peccato præstare*, & infra, *falsum supponitur, dicendo, quod si vellet Barbarus iurare per verum Deum iuramentum non admitteretur, nisi fortè obiicientes referant hoc ad irrisoriam iurationem, quasi idololatra non vt iuramento, sed vt vana & superstitiosa iurandi adinuentione illo vteretur iuramento per Iesum Christum, iuxta hunc enim sensum fateor, quod non admitteretur, non ex defectu Christianorum, sed ex defectu idololatrarum exhibentium hoc non vt iuramentum, sed ex ista refutatione, si accideret non sequitur, ergo petendum esset, vt iurarent per falsos Deos, sed, ergo petendum esset, vt iurarent & non irriderent veram fidem, & tunc vt prius dicebatur non petitur, nisi iuramentum quamuis sciatur, quod iurans iniquitatem apponat iurando per falsos Deos.* Hæc ibi, quibus mirabile Caiet. ingenium rem radicitus enucleauit, & à suis primis principiis induxit, ex quibus liquido constat solutio primi argumenti oppositi, ad confirmationem etiam constat, quod licet dum maleficum expositum & venalem ad maleficium maleficio euertendum non scandalizem, dum illum induco ad hoc peccatum, sicut de meretrice exposita dum consensum ad meretricandum exposco dicebam, tamen non ob hoc excusor ab alio peccato contra Religionem, sicut in exemplo de meretrice non excusor à peccato mortali, contra temperantiam habens malitiam simplicis fornicationis.

Dico secundo † licitum est, malefico qui maleficium fecit ex quo sequitur magnum damnum, vel reipublicæ, vel alicui personæ particulari, consilium dare, vt illud dissoluat & euertat, etiamsi dicat quod nequit id facere, nisi nouo pacto & inuocatione dæmonis, imo ad illam quatenus minus malum inducere. Hoc non expresserunt scriptores; quos ego viderim, tamen manifestè colligitur ex illo principio morali, quod supra probaui; quod est ab omnibus receptum; quod ad vitandum maius malum ad quod quis est paratus facere; potest quis faciens Angelicum opus (vt aiebat Caiet.) consulere minus malum non quatenus est totum hoc complexum *minus malum*, itavt consensus in vtrumque feratur, sed quatenus est impeditiuum maioris mali; cumque maleficus per prius maleficium actu conseruet malitiam & ingens damnum, quod euertere potest & non continuare si dæmonem inuocet, vt tollat, & aliter nolit dissoluere; imo possibile est quod ex vi pacti aliter non possit dissoluere, ergo licet consiliare minus malum, vt à maiori desistat, sicut si quis habet concubinam vxoratam, quam, quia luxuriosus non deserit, possum consulere, vt solutam accipiat si vult suæ libidini satisfacere. Hanc conclusionem probant omnia ea, quæ in secundo fundamento adduxi.

Neque ex hoc sequitur † quod liceat à malefico etiam exposito & parato petere, vt maleficium maleficio tollat absolutè loquendo, quia hoc esset peccatum petere, vt egregiè aiebat D.Caiet. sicut etiam pro salute totius mundi non licet petere ab aliquo, quod fornicetur, quamuis liceat conciliari, vt fornicetur, tanquam minus malum,

malum, quo impeditur maius, quare hæc consiliatio primario tendit ad vitationem maioris mali, quod petit vitare, & petitio ad hoc tendit non ad fornicationem, ita dum concilio, quod minoris maleficio maius tollatur, non peto minus maleficium, sed vt maleficus, qui maleficium fecit, & conseruat ab illo desistat, & ad hoc tendit petitio hæc, quæ habet per se obiectum honestum, quod respicit minus maleficium, non quatenus maleficium, sed quatenus minus, medio quo desistitur à maiori. Vnde alteri malefico, qui maleficium non fecit & conseruat non possum consiliare, quod maleficio minori maleficium euertat maius, quia iste non est determinatus ad faciendum maius damnum, & peccatum. Vnde si illi concilio, quod ma-
26 leficium maleficio tollat, ab illo peccatum peto, quod non licet, quia *non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, nec minora mala, vt vitentur maiora, quum enim alicui qui determinatus est, ad faciendum maius peccatum, consilium do de minori nolo minus malum, vt vitetur maius, sed volo vitationem maioris & ad hoc consequendum propono alteri minus malum, ad quod propositione sua induco, quatenus ex illo vitari potest maius ab eo qui patraturus est illud, si verò à malefico qui non fecit maleficium peto, vt maleficium maleficio soluat, id ad quod induco semper est respectu mei consilij malum, cum non habeam motiuum, quod iste vitet in se maius peccatum. Hæc dixerim deducendo ex principio illo, quod licet conciliari minus malum ad vitandum maius, quia tamen hanc illationem apud aliquem non viderim eam subiicio Sacro Tribunali & Ecclesiæ iudicio, si enim consona non est sanæ doctrinæ illam abiicio, & reprobo, quia nolo nouitatem in re tam graui introducere.

27 Ex dictis infertur. Primò, † qualiter sint intelligendæ ciuiles leges, *leg. eorum. 4. Cod. de Maleficiis & Mathem.* vbi Imperator Constantinus *& leg. 3. titul. 23. part. 7. Nostri Catholici Reges immunes faciunt Maleficos, qui innocenter*, adhibent remedia humanis corporibus, aut agrestibus locis suffragia innocenter, explicat lex nostra *los que hicieren encantamentos con intencion buena, asi como de sacar Dæmonios de los cuerpos de los homes, ò para des ligar los que fueren marido è muger, ò para descatar nube que hecha granizo porque no corrompalos fructos, ò para otra raçon probechosa semejante a estas si debe auer pena, antes decimos que debe auer galardon porello.*

28 Multiplex adhibetur his legibus interpretamentum & moderamen, & primum posuit Torreblanca *in Epitome de Magia libro 2. cap. 50. numer. 29. &* 30. & Emanuel de la Zerda *libr. de pulueribus Mediolanens.* lingua Lusit. scriptus *part. 2. cap. 1. fol. 80.* adfirmant has leges ortas fuisse ex ignorantia, ex qua legislatores errarunt ignoranter iudicantes licere maleficia & Dæmonum inuocationes, quum fiebant ob bonum finem publicum, cum certi iuris diuini & naturalis sit huiusmodi pacta & incantationes, siue explicitè, siue implicitè esse malas, vt tradunt Thomas Sanchez *lib. 2. Summ. capit. 42. numer.* 5. Maiolus *tom. 1. dierum colloquio.* 3. Fagundez *tom. 1. in Decalogum libr. 1. capit.* 41. Delrius *lib. disquisit. capit. 1. section. 2. quæst.* 4. Arist. *tractat. de superstitio. numer. 70. &* 71. Ciruelo *libr. 3. capit. 6.* Bonacina *in Decalog. disput. 3. quæstion. 5. punct. 5.* Lessius *libro 2. cap.* 44. *numer.* 25. Suarez *de Relig. tom. 1. libr. 2. cap. 18.* Syluius *2. 2. quæst. 95.* D. Caiet. ibi. Raphael de la Torre *disp. 1. circa artic. 5.* Verum enim vero, etsi hoc, quod dicit Torreblanca certissimum sit, tamen dicere, quod Principes Religiosi hoc principium in moribus certum ignorasse omnino est incredibile, & ita illis non parua iniuria infertur, dum de ignorantia in re notissima notantur, quæ de Principibus & Legislatoribus vir præsumi debet, dum leges quas maturo consilio & deliberatione faciunt, in publicum edunt, maximè ignorantia iuris naturæ, & diuini.

Quare secundum moderamen ponunt Bartholus, Saluctius, Biniſledus *ad leg. eorum 4. citat.* Gregorius Lopez *ad leg. 3. citat.* & Azeuedo *leg. 5. numer. 13. titul. 1. lib. 8. recopilat.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 95. num. 2.* Suarez *vbi suprà cap. 19. numer. 14.* dicunt, quod † licet hoc incantamentum & inuo- 29
catio Dæmonis sit peccatum contra ius diuinum, & naturale, tamen ob bonum publicum, tunc permittebantur ad vitanda damna, quare impune lege ciuili huiusmodi malefici permittebantur, quia ex eorum peccato damnum publicum vitabatur, sicut permittebatur olim lupanar ad vitandam sodomiam, hæc est valdè probabilis interpretatio & honorifica legislatoribus, qui vbi non interueniebat damni publici vitatio, etiamsi aliàs interueniret aliquali tempore commodum vsus istæ magiæ maleficæ, non permittebatur, sed huiusmodi incantationes prohibebantur, *lege vnic. Cod. de Thesauris libr. 10.* & notat Farinacius *de hæreticor. quæstion.* 181. §. 1. *n.* 11. & sortilegia etiam pro rebus Ecclesiæ inueniendis, *cap. 2. de sortileg.* & hodie post

post erectum sanctissimum Fidei Tribunal, quod omnes de hæresi suspectos iustissimè punit, impunè non permittuntur huiusmodi malefici, qui quodcumque damnum publicum dæmonis inuocatione, ex pacto implicito siue explicito, aut quacunque societate, commercio, aut amicitia impediunt, etiamsi sit Regis salus, & totius Regni liberatio, quodcumque enim pactum, amicitia, societas & commercium cum dæmone nobis inhibita est iure diuino & naturali *Leuit. 19. num. 8. lib. 4. Reg. cap. 1. num. 10. & Paralip. 2. cap. 20. num.* 18. in
30 quibus locis egregiè, vt assolet † Abulensis, quare hæc omnia suspiciones causant in fide, vt latè probaui *tom. 1. moral. tractat. de delictis gener. suspect. in fide.* Quare egregiè Ciruelo *lib. 3. cap. 8. & 9.* dicit & probat quod huiusmodi coniuratores tam dæmonum, vt egrediantur à corporibus, quam nubium, & tempestatum nullatenus debent permitti, nedum salarium dare, à iudicibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, etsi permittunt mortaliter peccant, legatur doctus & pius vir, qui summa sinceritate veritatem enucleat & proponit.

31 Hæc interpretatio si alia non subesset admittenda est, tamen mihi alia genuina & legibus ipsis germanior occurrit, quod videlicet tam Imperator Constantinus, quam Reges Hispani loquantur de illis hominibus, qui per incantationes licitas, & liberas à dæmonis inuocatione, & pacto aliquo, etsi implicito, illa quæ referunt leges, operantur, quod colligo ex ipsis legibus, nam Imperator dicit *nullis criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia & Reges nostri. Losque hicierem encantamentos con intencion buena*, at dum quis ex pacto cum dæmone, aut eius inuocatione implicita, vel explicita aliquid operatur, neque *innocenter*, neque *con intencion buena*, id faciunt, possunt enim hi dæmones aliquos ensalmos inuocatiuos habere ad id perficiendum, quos ensalmos licitos esse ex genere suo latè cum multis & grauibus Authoribus probaui *tom. 1. moral. tractat. 5. resolut. 44. à num. 546.* & hos ensalmos lex encantamentos dicit factos *con intencion buena*, incantatio enim aliquando in bonam partem sumitur excludens omne dæmonis pactum, argumento *manifesto, ex leg. qui venenum 236. D. de verbor. significat.* vbi Paulus Iurisconsultus ait, *qui venenum dicit adiicere debet vtrum malum, aut bonum; quod monet Homerus dicens.*

Venena multa quidem bona mixta, multa
32 *autem mala.* Vnde Gotifredus *ibi litter. D. veneni appellatio media est*, sic enim incantationis appellatio *media est*, sicut & ensalmi inuocatiui. Legatur Lorinus *in Psal. 57. vers. 6.* ad illa verba, *quæ non audiet vocem incantantium & venefici incantantis sapienter*, & tam Imperator Constantinus, quam Reges nostri incantationes, *encantamentos* sumunt in bonam partem, & has approbant non dæmoniacas, eas tamen examinare diligenter oportet, ne diabolus se ingerat, vt de salutatoribus & ensalmatoribus dixi *tom. 2. tract. 5. resol. 44. citat.*

Infertur secundo, qua ratione vera sit 33
doctrina Thomæ Sanchez, Dicastilli & & aliorum scriptorum è societate asserentium, quod si maleficus non vult soluere maleficium, quod modo licito potest soluere, nisi per aliud maleficium possum acceptare, nec mihi tribuetur culpa, vtporè qui minimè cooperor peccato malefici, sed vtor vt propriæ saluti conferam, sicut petens mutuum ab vsurario, & iuramentum ab infideli accepta conditione dandi sub vsuris, & iurandi per idola, nec apparet, cooperatio aliqua, sed solum vsus peccati alterius, qui culpa sua praue facit. Sed Magister Raphaël de la Torre *2. 2. tom. 2. quæst. 95. artic. 4. disputat. 2. §. superest respondere*, dicit quod huiusmodi † accepta- 34
tio, quæ sit actus voluntatis maleficiati, est omnino illicita, quia habet pro obiecto actum inuocatorium dæmonis tanquam amici, & familiaris, quod est iure naturæ malum, si tamen maleficiatus nihil approbans, sed tacens videat maleficium accingi ad magicam artem exercendam pro sanitate restituenda, & non resistat, sed sanitate restituta, de ea gaudeat, si eius conseruatio non pendeat à pacto aliquo non peccat peccato superstitionis, secus vero peccabit, si ex officio tenetur impedire, semper tamen tenebitur maleficium denunciare sancto Officio, neque nisi denunciet poterit absolui iuxta regulas generales in materia denunciationis ad sacrum Tribunal.

Sed existimo hos modos dicendi oppositos non esse, nam primus separat ab acceptationis obiecto malitiam superstitionis, quia non fertur directè, & per se ad sanitatem quatenus à maleficio dependet, quia hæc dependentia est ex malitia malefici, qua supposita illa vtitur maleficiatus in vtilitatem suam, quæ non pendet per se ab actione malefica, sicut constat dum quis acceptat mutuum ab vsurario sub conditione dandi vsuras, quæ est conditio iniqua tenens ex parte vsurarij, at secundus modus, qui tutior est considerat, quod acceptatio respiciat per se salutem maleficiati, vt

vt hic & nunc dependet ab actione maleficа, & in hoc sensu verum dicit, & re vera valdè difficile est moraliter loquēdo, quamuis nō acceptet actionem maleficam; quam hic & nunc, etsi ex malitia malefici scit esse medium ad salutem consequendam, quāuis enim ista possit consequi sine actione magica, tamen hic & nunc per istam consequitur, quare illam actionem maleficam vult, nisi dicas quod illam vult tanquam minus malum ad vitandum maius, vt supra dicebam, hæc etiam secunda sententia conformior est D.Tho. *q.13. de malo art.4. ad 17.*

36 Infertur tertio, quid sentiendum † an si maleficus sciat media licita & illicita ad tollendum maleficium factum, liceat absolutè petere ab illo, vt tollat maleficium, etiamsi mihi certo moraliter cōstet, quod illud dissoluet medio illicito, & dæmonis inuocatione, ad firmant Doctores societatis commuter *vbi supra*, Lessius *lib.2. de iustitia cap.44. n.35.* Sanch. *disp.95. cit. n.11.* Suar. *tom.1. de relig. lib.2. de superstit. c.18. n.9.* Henriq. *lib.12. de matr. c.8. n.3.* Fagund. *vbi sup. c.42. n.10.* & ex familia Dominici Ledesmæ *de matr. cap. 58. dub.2. ar.3.* Raphaël de la Torre *2.2. q.95. art.4. disp.2. concl.5.* Delrius vero media via incedit *lib.6. disq. c.2. sect. 1. q.2.* dicit enim sententiam Caiet. eiusque cautionem prorsus necessariam esse, quum solutio maleficij petitur ab eo malefico, qui maleficium non intulit, vix enim sine peccato (ait) talis potest maleficium auferre, secus vero si quis ab ipso, qui nocuit, medelam petat, tūc enim necessarium non est addere illam protestationem, quod licito modo, quo scit soluat, sed sufficit absolutè petere, vt nocere desinat, quia res quæ petitur iusta & honesta est, nempe non nocere proximo, & potest, & tenetur maleficus id licito modo facere, nempè per medium aliquod naturale (si nouit) vel per signi destructionem. Huius sen-

37 tentiæ fundamentum est, quia existenti in necessitate nummorum licet petere mutuū ab vsurario, quem certo scit non daturum nisi sub vsuris & peccādo, & similiter licet à Barbaro idololatra petere absolutè, vt iuret pacta, quem tamen certo scit iuraturum per falsos Deos, ergo licet petere à mago, vt soluat maleficium, quod potest præstare medio licito, quamuis sciam illud soluturū per medium magicum, & superstitiosum, non enim teneor vitare peccatum sagæ, & malefici nisi ex charitate, cuius præceptum non obligat cum tanto patientis maleficium detrimento, quod latè probaui *tom.1. moral. tract.1. de occasione proxima.*

38 Sed dominus Caiet. *tom.2. opusc.12.* aliter sentit valdè profunde, sic, *quamuis liceat debita prudentia adhibita ire ad maleficum & rogare, vt factū maleficiū destruat simplici dissolutione, non tamen licet ire ad eum petendo, vt alio maleficio, aut inuocatione dæmonum primū destruat. Nec enim licet absolutè ire ad maleficum, & absolutè petere, vt succurrat maleficiato. Tum quia malefici opus, vt sic petitur, quum absolutè petitur, sicut cum quilibet alius artifex exposcitur, tum quia particulare opus necesse est petere, & non vage relinquere arbitrio viri diabolici petitionem propriam.*

Hanc sententiam verissimam puto, probatur ex manifesto discrimine inter maleficum ex vna, & mutuantem & iurantem ex alia parte, actio enim mutuantis & iurantis ex obiecto suo est honesta, & religiosa absolutè & secundum se, quare illam absolutè petere licet, etiamsi certissimè sciā mutuum non dandum sine vsuris & iuramentū non faciendum nisi per falsos Deos, at opus malefici, vt malefici est absolutè malum, & malefica ars ex natura rei illicita, quare qui absolutè petit à malefico, quod maleficium soluat, quod potest soluere, & licitè vt homo & illicitè, vt maleficus, si certo sciat, quod illicitè est soluturus dum absolutè petit, petit absolutè opus malefici, vt malefici, quod nullatenus licet, quia opus malefici vt malefici est intrinsecè malum, sicut opus vsurarij, vt vsurarius est. Dices etiam ablatio & destructio maleficij est secundum se licita, quæ potest fieri & licitè & illicitè, ergo absolutè potest exigi à malefico, etiamsi sciam ab illo faciēdam illicitè: respondetur, quod dū fit à malefico, vt maleficus est non est absolutè bona, sed mala, quare non licet petere absolutè à malefico, quem certo scio vsurum maleficio, vt maleficium soluat, quia peto opus artis suæ, quod est absolutè illicitum, nisi ipsum admoneam me nolle, quod soluat maleficiū, nisi per medium licitum, qua admonitione declaro me ipsum non adire tanquam ad maleficum, sed tanquam ad hominē scientem remedium licitum consequendæ sanitatis, quod si non fiat hæc admonitio accedo ad maleficum, vt maleficus est, & ita ab illo peto opus illius proprium, scilicet ablationem maleficij per dæmonis inuocationē, at dum absolutè peto mutuum ab eo quem scio non daturum sine vsura peto actionem secundū se licitā scilicet mutuationem, vnde accedo ad ipsum, vt mutuantem, non vt vsurarium, qui per accidens fit malitia sui vsurarius, quare si mutuans nolit dare pecuniam nisi sub vsuris; ego illi non tribuo materiam peccandi, sed eam sibi assumit, ex malitia sua, & ego succurro necessitati meæ, quia accedo ad ipsum, vt mutuantem non vt vsurarium, & illius proprius actus honestus est, & iustus, ipsum vt hominem ratione naturali ductum respicio, non vt sua malitia deturpatum, quare ab illo possum

possum mutuum petere, at dum accedo ad maleficum, & ipsius adiutorium, peto absolutè, vt soluat à maleficio sciens, quod vsurus est Dæmonis inuocatione, ad illius solutionem, iam ipsum, vt maleficum

40 considero, sicut S.Thom. dicit † *quæst.13. de malo art.4. ad 18.* qui *concedit pecuniam suam scienter, ei de quo credit, quod vtetur ea ad vsurarium lucrum, quod aliàs exercere non posset, absque dubio peccaret tanquam consentiens in peccatum.* hæc S.Doct. ergo qui scienter, quod maleficus maleficium inuocatione Dæmonis tollet, etsi posset licitè tollere, & ab ipso absolutè petit, vt tollat absque dubio peccat, quia consentit eius inuocationi illam tacitè approbans, & virtualiter intendens, & sic peccat contra Religionem, ac maleficus ipse, sciens enim præbet antecedenter materiam voluntariam arti maleficæ, cuius exercitium virtualiter exposcitur.

DIGGRESSIO II.

Vtrùm liceat tollere signa maleficij à malefico fabricata.

SVMMARIVM.

1. *An signa maleficij à malefico fabricata tollere liceat.*
2. *Francisci Syluij sensus adducitur.*
3. *Duo sunt signa diabolica quibus homines magica operatione affliguntur, & numero 4.*

GRAVISSIMA est præsens difficultas & à paucis, vt par est discussa, quia à paucis vt suspicor comprehensa, præterquā à DD. Illustrissimæ Vniuersitatis Duacænæ in qua Doctissimi viri extitere Doctori Angelico valde affecti eiusque Doctrinæ accerimi defensores. Vt autem huius difficultatis sensus omnibus manifestus fiat, & punctū in quo sita, & excitata est dignoscatur aduertere fas est, omnibus Catholicis cer-

1 tum esse † licere, ex omni latere, signa quæcunque malefica auertere, & destruere in odium, & detestationem artis diabolicæ pacti, societatis, & inuocationis dæmonum; non secus ac licet euertere, & destruere aras & templa idolorum, illisque dicata, hæc enim euersio valde est Deo grata, & meritoria, euertere enim materiam cultus, & venerationis alicuius inimici Dei, qualis est Dæmon, dubio procul honestum, & religiosum est. Quare Doctissimus Franciscus Syluius Insignis Duacensis Doctor. *2.2. q.69. art.4.* sic sensum huius quæstionis proponit enucleatum † *an ei qui nouit vbi sit huiusmodi* 2 *signum, siue sit ipse maleficus qui illud posuit, siue is, qui affligitur siue quispiam alius, liceat illud tollere, vel destruere sub spe vel expectatione seu desiderio cessationis nocumenti.*

Sed vt clarius in hoc sensu ventilando & certa ab incertis separemus notare maximè opus est, † duo esse signa diabolica qui- 3
bus homines Magica operatione affliguntur. Primum, quōd naturaliter valet ad nocendum, vt sunt venena, quæ maleficus alicui in cibo, vel in potu, aut in vnguento dederit, vel cuipiam instillare curauerit, aut in puteo, vnde familia haurit aquam iniecerit, vel pecorum alimentis, siue in prato, siue in præsepio strauerit. Secundum, signum dicitur tale, quod per se non est venenosum, neque noxium hominibus, aut animalibus, eorumve rebus. Quamuis dum illud est alicubi positum detrimenta & damna sequantur Dæmone propter pactum cum malefico 4
initum inferente rebus, & hominibus, de quibus inter Dæmonem & maleficum facta est conuentio. Igitur dubium procedit non de signis quæ naturalem vim habent ad dānum inferendum, hæc enim destrui possunt etiam spe, & desiderio, vt damnum cesset, sicut possum auertere ignem desiderio ne vrar ab eius efficacia, dummodo non fiat inuocādo Dæmonis adiutorium. Quare super est difficultas de signo nudo, hoc est de signo, quod solum infert damnum ex Dæmonis pacto, siue implicito, siue explicito.

SECTIO I.

Sententia Delrij, Suarez, Sanchez, Lessij & plurium Doctorum Societatis enucleata.

SVMMARIVM.

1. *Ex quo signi diabolici amotio sub spe & expectatione cessationis maleficij effectus sit illicita.*
2. *An liceat maleficos de medio tollere ea spe ne hominibus amplius noceant.*
3. *An Exorcista iubeat dæmonē dicere, an detineatur in corpore ob aliquam operationem magicam, aut malefica signa.*

MARTINVS Delrio *l.6. disquisit. c.2. sect.1. q.3. §.2.* & Leonardus Lessius *lib.2. de Iustitia cap.44. dub.6.* Primi fuere, qui hanc ventilarunt quæstionem interrogati, quid in ea sentirent, & sensum suum aperientes affirmatiuam partem sunt amplexi, quos sequuti sunt fere omnes suæ familiæ scriptores, Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. cap.17. à n.9.*

Sanchez *lib.7.de Matr.disp.69.à num.3.* vbi plures ex Antiquis citat, sequutus in hoc Delrium de quorum vera intelligentia infrà edisseram Fagundez *lib.1. in 1.Decalog.c.43. cit.* D.Caiet.*tom.2.opuscul.12.*Syluester *verbo Maleficium n.2.*Castro *de iusta hæretic.punit.c.15.* Sotus *in 4.dist.34. quæst.vnic.art.3.* Bannez *2.2.q.78.art.4. dub.2.ad 4.* Lop.*2.p. instruct.c.52.de Matrim.vers.concluditur ergo.* Ioannes Nider eam amplectitur *lib.5.formicarij cap.3.*

Hoc placitum multis confirmant.Primò,
1 quia †non videtur ex quo capite hæc signi diabolici amotio sub spe & expectatione cessationis maleficij effectus, sit illicita, vel assignetur, hunc discursum latissimè extendit Delrius *in tertia suæ opinionis probatione.* Secundò, quia si scio posito veneno aliquo naturali, locum esse noxium, licet mihi ab illo declinare,vt effugiam noxam,ergo licebit mihi venenum illud ab illo loco tollere, ne quem amplius lædat, igitur similiter si scio sub limine positum maleficium,vt quicumque limen illud culcauerit moriatur licebit mihi per aliam domus portam egredi, & limen vitare, ergo licebit mihi quoque maleficium illud sub limine positum amouere.

2 Tertiò,† licèt maleficos de medio tollere ea spe, & desiderio ne hominibus ampliùs noceant per Diabolum, cuius sunt viua instrumenta,licet ergo signa maleficorum tollere,ne per Diabolum illa ampliùs noceant, cuius sunt multa & fictitia instrumenta moralia, sicut enim tubæ, tympana, vexilla in bello sunt quædam moralia instrumenta militiæ, sic huiusmodi signa sunt quædam, quasi nequitiæ & malitiæ Diabolicæ non operantia, sed eam ad operandum excitantia. *Huic argumento* (ait Delrius,) *nondum responsum est ab his qui contrarium sentiunt.*

Quartò, quia ab antiquo Ecclesiæ ritu quem renouauit Paul. V.in suo Rituali præ-
3 scribitur & ordinatur, vt † exorcista iubeat Dæmonem dicere, an detineatur in corpore ob aliquam operationẽ magicam,aut malefica signa,vel instrumenta,quæ si obsessus ore sumpserit euomat,vel si alibi extra corpus fuerint, reuelet, & inuenta comburantur, id quod tradunt Zammarinus in Thesauro Sacerdotali *p.1. tit.de exorcismo cap.2. de maleficiis.* & est res indubitata ex praxi Ecclesiæ.

Quintò, quia si non liceret tollere ea signa, maleficus volens resipiscere, erit perplexus, quia licitè nequit tollere, rursus nequit licitè ea relinquere, quia esset causa damni,quod cogetur restituere.

SECTIO II.

Antiquorum, statera Religiosa, ponderatur Auctoritas.

SVMMARIVM.

1. *Vtrum in dissoluendis maleficiis licitum sit, vel tolerabile retundere vana vanis, idest aliquibus de se non illicitis, & numer.2.*
3. *Authoris iudicium affertur, & n.27.*
4. *An obseruare somnia habendo illis fidem tanquam certis signis futuri euentus sit illicitum.*
5. *An non sit licitum habere pactum tacitum & implicitum cum dæmone.*
6. *Quandonam pactum implicitum interueniat, & n.7.*
8. *Vti pacto cum dæmone est profiteri se indigentem dæmone ex Caiet.*
9. *Thomæ Sanchez opinio affertur, & numer.22.*
10. *In quo sita sit malitia pacti cum dæmone, siue explicitè, siue implicite, & numero 11.*
12. *An in homine non possit distingui duplex genus voluntariorum.*
13. *Omnis dæmonis inuocatio,vt aliquid faciat, siue bonum, siue malum est per se illicita, ex S.Doct.*
14. *August.sensus adducitur, & n.15.*
16. *An destructio maleficij in se bona esse possit.*
17. *An licitum sit verbo petere à diabolo,vt desinat nocere, modo id non petatur deprecando, & n.18.*
19. *D. Caietani mens adducitur, & n.20.21. & 26.*
23. *An licitum sit rumpere, soluere, euertere signum magicum ea intentione, quod maleficium cessabit ex vi talis destructionis.*
24. *An liceat tollere maleficium intentione curandi infirmum maleficiatum.*
25. *An spe curationis infirmi possit destrui maleficium.*
28. *Aubulensis sententia adducitur.*

GLoriatur Delrius pro se habere Antiquorum agmen in re tam graui, vt exinde inferat,quæ retuli *argumento 6.*sed ipsi oppono Doctissimum Ioannem Nider. *in formicario lib.5. cap.3.* vbi dicit agens de hac *quæstione. Antiqui negant,Moderni concedunt,* quare Antiqui Scriptores Theologi, nec per somnum id quod intendit Delrius adfirmarunt, & ipse in hoc illusus est, vt constabit.

Vt tamen hoc luce clarius constet iterum enucleandus est huius grauissimæ controuersiæ

uersiæ sẽsus,& cardo in quo vertitur. Quod præstitit Doctissimus vir Syluester Prieras
1 *verb. Maleficium quæst. 9.* vbi sic. † *Vtrum in dissoluendis maleficiis licitum sit vel tolerabile retundere vana vanis idest aliquibus de se non illicitis, vt dicit Hostiens.in cap. litteræ vestræ §. mulier de frig.& malef. & pro solutione quæstionis declaro, quum sit illitum credere maleficis., & dico hoc non esse quasi sit illicitum credere,quod malefico faciente opera sua sequatur aliquis effectus puta sanitatis, quia hoc aliquando est verum ad sensum, sed peccatum est credere. quod effectus qui videntur sint à malefico virtute verborum suorum aut eorum quæ facit, si talia sunt quæ de sui natura,non sint nata sic efficere, quia talia fiunt à Diabolo mediante aliquo pacto cum malefico, & ista est mens Henrici de Gandauo quolibet.5.art.33. Scoti (in 4.dist. 34.) & patet idem 26.q.5.cap.nec mirum iungendo finem principio.q.2.cap.illud.*

Ad quæstionem igitur dico,quod illud dictum habet veritatem. Primo quum quis fecerit illa vana idest indifferentia, at de se non illicita credens, aut volens experiri, an per talia soluatur maleficium non per operationem Diaboli,sed per eius cessationem ab operando,vtpote qui habebat pactum cum malefico, vt à vexando desisteret, si fieret tale quid ablatiuum signi prioris, talia enim aliquando Diabolus aliquibus reuelat, & deinde veniunt in notitiam hominum.

2 *Secundo qui talia facit nosciens esse illicita, & peccat a quia tunc tolerari potest, quasi non mortaliter peccans, & credo istam fuisse mentem Hostiens. est tamen falsum illud dictum si quis talia indifferentia exerceat superstitiose quasi credens talibus eo modo quo,& alis incantationibus, quia omnia remedia vana non naturalia sunt illicita, & pernitiosa 26.quæst.2. cap. illud,& multo magis est falsum si quis credat quidem talia vana esse vana, sed tamen ad exercitium talium Diabolum cooperari ad solutionem maleficij.*

Hæc Syluestri Catholica doctrina nobis explanat securum iter,per quod sine periculo declinandi à veritate possimus incedere.
3 Itaque nullus dubitare iure potest, † quod quis ad sumendum experimentum an Dæmon cesset à damno, quod infert maleficiato, sicut multoties cessauit,frangat & euertat maleficium, nullam fidem dans Dæmonum signis, & sacramentis ab ipsis in perniciem hominum fabricatis imo ea abiurans, & vt ex sua institutione inefficacia reddens, imo etiamsi hoc modo alia vana redactiuet, vt priora non nocere experiatur, sic enim Diu.Caiet. aliquando dicit se fecisse experientiam de annuli motione renuntians cuicunque pacto, & inuocationi, quare si quis talia vana faciat, quæ alias sciat à Diabolo esse reuelata, vt si fiant, priora euanescant, quod sæpe contigisse ad sensum patet, iste talis non mortaliter peccat,quia non operatur vt viuum Diaboli instrumentum, cuius sacramentis fidem non adhibet credens,hoc ita futurum, quia Diabolus instituit,sed volẽs experiri effectum qui alias expertus est, sic enim dixi *tom.1. Moral.tract.5.Resol.56. n.1171.* cum Caietano, & multis aliis quos ibi dedi, quod † obseruares omnia habendo 4
illis fidem tanquam certis signis futuri euentus est illicitum, & superstitiosum mortale crimen, at illa obseruare ob experimentum quod fere sem per habet timens malum effectum aut gaudens de bono, quem est sæpe expertus, non est mortale crimen sed ad summum veniale, quam doctrinam ibi accuratius extricaui.

Igitur cardo nostræ controuersiæ vertitur in vanitate signorum positorum ex vi pacti Dæmonis ad nocendum,an si quis credens, & certo sciens (quod tanquam Catholicus tenetur scire) vana esse, & ex se nullius efficaciæ siue vt posita noceant, siue ablata desinant nocere, an possit ea euertere, & destruere cum certa expectatione, quod destructis, Dæmon cessauit nocere. Et in hoc sensu adfirmo firmiter nullum antiquorum docuisse licitum hoc fore. Quia nullus antiquorum dixit † licitum esse habe- 5
re pactum tacitum, & implicitum cum Dæmone, atqui rumpens, aut euertens maleficium ea spe, expectatione, & certa credulitate, quod ruptis istis signis Dæmon cessabit à maleficio moraliter cooperãs ad eius solutionem habet pactum implicitum cum illo, virtuale commercium, societatem, & amicitiam, ergo maior cum sit de fide eius opposita edoceri nequit ab aliquo Doctore Catholico, minor manifeste ostenditur sequentibus doctrinis inter Christianos Catholicos certis, & indubitatis, quas deduco ex Aug.& vtroque Thoma cæterisque Scholasticis.

Prima est,quia † pactum implicitum tunc 6
interuenit, quum quis mediis, quæ nõ sunt efficacia, vel ex natura sua vel ex diuina institutione,aut Ecclesiæ ritu, & ordinatione, quare sunt vana, & ad effectum inducendũ euanida, & inefficacia, eo enim ipso Dæmonem inuocat, eius consortium, & amicitiam efflagitat, & solicitat. Ratio horum est manifesta, quia eo ipso quod effectus certo speratur futurus, siue sit negatiuus siue positiuus, aliquam illius causam agnoscit,actio enim aut actionis suspẽdium aliquod agens necessario exigit, vel quid influat vel quid influere desinat, at dum ex medio aliquo vano effectus speratur, aut desideratur causæ influxus speratur, & desideratur, atqui causa ista non est Deus nec Angelus bonus, ex Dei imperio, nec Ecclesia instituens,ergo est Angelus malus ex Dei permissione, effectusque

effectusque siue positiuus sine negatiuus à Dæmomis pacto descendit ex vi cuius, aut Dæmon, vt causa moralis, & physica operatur, si positiuus sit, aut vt causa moralis positiua,& physica negatiua cōperatur suspendens influxum, quem habere pactizauit posito signo, vnde qui signum euertit, credens certo quod ex euersione futura sit
7 damni cessatio credit sacramentis Dæmonis, illisque tacite assentitur, si id non faciat in odium Dæmonis,& abominationem signorum, & abominandæ superstitionis quæ in illis latet, quare nisi hæc abominatio intersit,tacite assentitur illis, & cooperationi morali quam habet Dæmon,vt destructo signo non noceat.

Tota hæc doctrina est D.Thom.2.2. *q.*95. *art.*2.vbi D.Caiet.§.*in resp.ad.*1.hoc profun-
8 dè probat,*quia*† *vti pacto cum Dæmone est profiteri se indigentem Dæmone, ac per hoc illi subditum, omnis enim indigens quatenus indigens subiicitur illi cuius opera indiget.* Quæ ratio me quidem iudice rem in proposito euincit, quia qui destruit signum (non abominando opera Diaboli) sed cum spe, & credulitate quod illo destructo Dæmon cessabit, profitetur se indigere Dæmone vt cesset moraliter influens in cessationem à maleficio,quod est signum influxus in damnum maleficiati, ergo tacite illi subiicitur, quia omnis indigens vt sic subiicitur illi cuius opera indiget, & quidem opera Dæmonis cessare maleficium, destructo signo, nulli dubium cum cesset, & non ex opera agentis naturalis.

9 Neque obstat † (notat sapienter Pater Thomas Sanchez *lib.*2.*summ.cap.*38.*num.*4.) hos euersores signorum, *non intendere opem Dæmonis implorare. Quia satis est ad hanc tacitam inuocationem his vanis vti, quæ vim humanam superant, cum enim ea vana secundum solam secretam Dæmonis opem ad id conferant, eo ipso quod quis eis vacat, ad eum effectum consequendum,affectat tacite, & virtute se velle eam Dæmonis opem,* vt bene docet Suar. *to.*1. *de Relig.c.*9.*l.*2.*de superst.n.*13.qui *n.*17.addit *interdum per crassam ignorantiam vel in aduertentiam velle hominem contraria,vnum in se & formaliter, aliud in alio, & virtute vt contingit in hoc casu. Quamuis enim vtens his vanis dicat explicite se nolle pactum cum Dæmone, vult tamen illud tamen implicite, & quamuis nolit expressum pactum vult de facto tacitum. Quia vult vti illis mediis ex se inutilibus, & vanis ad eam rem, quasi illa vtilia sint cum tamen vtilitatem habere nequeant nisi Dæmonis interuentu.* Hæc Sanchez ex Suarez & vterque ex Caiet.2.2.*quæst.*95.*art.*2.§.*ad euidentiam,* vbi rem radicitus enucleat.

10 Secunda doctrina est,quod †malitia pacti cum Dæmone siue expliciti, siue impliciti, aut cuiuscunque inuocationis,in eo sita est, quia Deus inter homines, & Dæmones inimicitiam induxit perpetuam *genes.*3.*num....* eamque spondent vniuersi in baptismo renuntiantes Dæmoni, & eius operibus, cuius elegantem subministrauit rationem D. Caiet.2.2.*quæst.*9.*art.*1.§. *ad euidentiam vers.* 11
Nam habere (ait) *socialem actum cum Dæmone est mortale peccatū ex suo genere, quia actus socialis habet materiam repugnantem non qualitercunque, sed pernitiose, & quod sit materia repugnans,patet ex eo quod socialis actus terminatur ad hostem Dei,cælestis patriæ,& nostram, constat enim hostem repugnare societati,cum societas omnis sub amicitia comprehendatur honesti,delectabilis,vel vtilis. Nulla autem cum hoste amicitia est concessa,quod autem sit repugnans pernitiose constat ex eo quod est cum hoste in his in quibus est hostis. Nam non potest in homine* † *distingui duplex genus voluntariorum,* 12
quoddam pertinens ad hostilitatem, & quoddā nō vt inter homines ad inuicem inimicos contingit,sed omnia voluntaria Dæmonis hostilia sunt propter eorum peruersam, & obstinatam voluntatem in malo, in tantum vt in quolibet suo voluntario opere peccent mortaliter. Omnis autem amicitia cum hoste in his, quæ hostilia sunt est pernitiosa vtpote hostilitati contraria, &c.

Tertia doctrina est S.Doctor.2.2.*quæst.*95. *art.*4. vbi † asserit, † quod omnis Dæmonis 13
inuocatio, vt aliquid efficiat siue bonum,siue malum siue vtile, siue proximo, siue toti Reipublicæ Christianæ est per se illicita, & prohibita quia mala, quia eo ipso, quod Dæmon inuocetur pactum initur cum illo,circa quam doctrinam admirabili ingenio sic solide discurrit D.Caiet.*Inuocatio expressa est pactum expressum, & inuocatio tacita est pactum tacitum, constat autem quod inuocatio est actus societatis,*& infra.§.*amplius. Quādo legeris pactum vel fœdus initum,intellige societatem initam expresse per inuocationem tacite per opus cui merito Dæmone immiscet,& bene hac nota quod actus inuocationis seu cuiuscunque discursus ad Dæmonem est saltem societas inita quia est initium societati cum Dæmone, & vocatur pactum initum,sicut etiam societas ini-* 14
ta, quoniam societas claudit in se pactum, fœdus, seu conuentionem, etsi non verbo saltem facto ipsius societatis. Hæc Caiet. quæ prius docuerat August. † *lib.*2.*de doctrina Christiana cap.*23. sic *omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum, & Dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda,& fugienda Christiano, non quod idolum sit aliquid,vt ait Apostolus, sed quia quæ immolāt,Cæremoniis immolant, & non Deo, nolo autem vos socios fieri Dæmoniorū. Quod autem de Idolis, & immolationibus quæ honori eorum adhibentur dixit Apostolus hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel quæ ad creaturam eiusque partes tanquam Deum colendas trahūt, vel ad remediorum aliarumque obseruationum curam pertinent, quæ non sunt diuinitus ad dilectionem Dei & proximi tanquam publicè instituta, sed per priuatas appetitiones rerum tēporalium corda dissipant miserorum.In omnibus istis igitur doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est,qui nihil cum princi-*
15 *pe suo diabolo, nisi reditum nostrum claudere, atque obseruare conantur, & cap.*24. *Quæ omnia tantum valent quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestiferæ curiositatis,enueniētis solicitudinis mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando facturæ est, vt valerent.Et ideo diuersis diuersa proueniunt secundum cogitationes & præsumptiones suas, illi enim spiritus, qui decipere volunt talia procurant cuique, qualibus cum irretitum per suspiciones & contentiones eius viderint.* Hæc August. quibus plura & grauia obtulit argumenta pro veritate sententiæ nostræ.

Quarta doctrina est quam ex Patribus & Ecclesiæ vera praxi ponunt Sanchez *vbi supra cap.*4. *n.*17 Suar.*etiam vbi sup. cap.*18. *n.*5.cuius verba placuit adducere, sic enim
16 loquitur, *licet* † *destructio maleficij in se bona esse possit, tamen postulare eam à dæmone intrinsecè malum est, quia inuoluit societatem & pactum cum ipso dæmone, & quendam cultum eius. Nam rogare dæmonem, vt aliquid non faciat, sed petere ab illo, quodlibet bonum, vel medium alicuius mali intrinsecè malum, ergo & petere ab illo, vt à maleficio cesset intrinsecè malum est.* Vnde Leo papa *serm.* 29. *de Passio.ait de dæmonibus. Multis quod dolendum est ita per nequitiam simulationis illudunt vt quidem illos & timeant pati infensos & velint habere placatos, cum beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini inimicitiam dæmonis meruisse, quam pacem. Nihil ergo ab eis licet petere, seu rogare, ergo neque solutionem maleficij.* Atque ita docuit Sotus *in* 4.*distinct.*34.*art.*3.§. *quod si quis,* Delrius ac Sanchez *supra contra quendam Brianſonium, quem referunt in Collect. super* 4.*sent.quæst.*13.*concl.* 3. noster etiam Lessius
17 *dict. lib.*2.*cap.* 44. *dub.* 10. dicit † *licitum esse verbo petere à diabolo, vt desinat nocere,modo id non petatur deprecando,sed est sano modo intelligendum, nam petere & deprecari parum differunt,vnde petere per modum supplicationis non licet, petere autem per modum obiurgationis, & contemptus licitum est, vt si dicas Abi hinc,cessa maleficere,in hoc enim nulla est societas cum dæmone;nec aliquid ab eo propriè postulatur,nec honor ei defertur.*

Et ita nihil contra hoc obstat ratio supra facta, quia quum Angelus, vel sanctus homo præcipiunt dæmoni imperando, id faciunt virtute diuina,vt ministri Dei eiusque obsequentes voluntati, at quum homo rogat dæmonem tanquam supplex,& indigens eius ope,planè illi se subiicit,eumque quodāmodo Deo præfert, iuxta illud 4. *Reg.* 1. *Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub. Deus ergo orandus est, vt liberet à maleficio, non dæmon. Quod si Deus liberare noluerit non propterea, orandus,aut colendus est Deus, vt in simili dixerunt tres pueri Danielis cap.* 3. *eo vel maxi-* 18
mè, quod si quis rectam fidem teneat non potest cum fiducia petere à dæmone aliquod remedium etiam in proprio maleficio, cum sciat eum esse mandacem, & pernitiosum hostem, qui bonum etiam corporis non confert,nisi in ordine ad animæ malum,& ideo etiam ratione periculi mortalis non potest hoc fieri sine grauiпeccato. Hactenus vir doctissimus.

Quarta doctrina sit ex D.Caiet. † *q.*95. 19
*cit.art.*2.§.*ad euidentiam versic.si vero,si fiant (vana)vt vtilia, cum non sint secundum veritatem vtilia ratione sui, sed ratione secretæ virtutis dæmoniacæ inquisitiones istæ ex genere suo sunt pernitiosæ: quoniam vti vanis, vt vtilibus secundum secretam vim dæmoniacam manifestè pernitiosum est. Nec obstat si dicatur quod inquisitiones istæ,vt vtiles non fiunt secundum secretam vim dæmoniacam, sed secundum secretam quandam vim nobis incognitam. Dicunt enim Inquisitores isti, quod non inuocant, nec inuocare intendunt dæmonem, sed vti talibus, quia experiuntur esse vtilia ad huiusmodi cognitionem occultorum.Hoc inquam non obstat: quoniam ex quo secreta illa virtus in veritate, est virtus dæmoniaca,nisi homo vtens illa excu-* 20
setur propter ignorantiam,diabolicæ se societati immiscet tacitè ex hoc ipso, quod vtitur vanis,vt vtilibus secundum secretam vim ignotā. Debet enim curam habere operum suorum, vt sciat quid facit,& infra *sunt igitur huiusmodi vana quatenus pro vtilibus habentur secundum genus suum superstitiosa, ac per hoc in quantum vana & in quantum superstitiosa,ideo sunt prohibita,quia mala,& non è conuerso,& post multa valde vtilia concludit.Timens Ecclesia ne ad superstitiosa filij sui declinent,horret, damnat, punitque hæc,non iniiciendo laqueum animabus, sed prohibendo, quæ mala sunt & monendo ne etiam licitis in huiusmodi se implicent,ne paulatim declinent in pernitiosa, & si Christiani intelligerent celsitudinem gradus sui(quā diuini facti consortes naturæ asciti sunt in membra Christi, & datum est ei præesse omnibus naturalibus & dæmonibus iuxta Domini promissionem Marci vlt. vbi dicitur, signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur, &c.*) neque à 21
signis cæli,neque ab aliis,quæ gentes, quæ homines non Christiani timent, metuerent sibi;

sibi, sed Christianitatis virtute super omnia se ipsos agerent, fœlicissimè omnia calcantes.

Quam doctrinam, quæ certa est secutus P. Thomas Sanchez *vbi supra cap.* 38. 22 *n.* 10. dicit † *quod intentio operantis & vtentis huiusmodi vanis spectanda est, si enim* (*ait*) *serio per media illa vana certum effectum quærat inest pactum tacitum cum dæmone secus, quum vanitatis causa sciens illa media vana esse & inutilia.*

Ex his selectis doctrinis ex penu Catholico collectis mihi persuasum habeo, nullum antiquorum, aut modernorum, vsque ad Delrium & Lessium eam docuisse senten-
23 tiam, scilicet † *licitum esse rumpere, soluere, euertere signum magicum ea intentione & credulitate, quod maleficium cessabit ex vi talis destructionis & euersionis*, hæc enim secundũ se vana est ad hunc effectum, certo consequendum, & prorsus inutilis & inefficax, nisi quatenus nititur pacto dæmonis, & eius virtuti secretæ, quæ virtualiter inest in illa signi amotione.

Quare Sotus *in* 4. *dist.* 34. *quæst.* 12. (quem sequuntur Bassolis Antonius Andreas, Orbellis Angles, ibidem cæterique eius disci-
24 puli) *inquirit* † *an liceat tollere maleficium intentione curandi infirmum maleficiatum?* & respondet his verbis. *Non solum licet, sed est meritorium, destruere opera diaboli, nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis, sed credit dæmonem posse & velle fatigare dum tale signum durat, & destructio talis signi imponit finem tali vexationi.* Hæc ille, quæ prius docuerat Henricus de Gandauo *quodlibet.* 5. *quæst.* 33. dicens Catholicum esse destruere opus superstitiosum dæmonis, & in hoc ei contrariari, & sic dico, *quod licitum est maleficium deponere simpliciter, quem admodum licitum idolotytum in cloacam proiicere, & etiam vt curetur infirmus maleficiatus non credendo, quod virtute illius maleficij morbus ille contingat, hoc enim credere infidelitatis est, sed credendo contrarium, & quod fiat solum dæmonum actione ex diuina permissione, qui non consueuerunt secundum pactionem suam maleficiatum vexare, nisi stante illo maleficio.* Hactenus profundè Tornacensis dignitas, quibus totum negotium pro dignitate enucleauit, nullus enim Catholicorum negat, quod
25 † spe curationis infirmi potest destrui maleficium credens, quod dæmon vexat permissione diuinâ, hoc enim credit Ecclesia dum hunc maleficiatum orationibus, & exorcismis intendit curare, dum etiam præcipit, quod si maleficium inueniatur comburatur, & destruatur, hoc enim Catholicum & meritorium est, sicut est & idolum destruere, & opera diaboli euertere, & contrarium dicere erit error in fide. Pũctum ergo difficultatis præsentis non est hic, an absolutè & simpliciter possit destrui maleficium, *sed an possit destrui, cum spe, expectatione, & desiderio* (non quidem, quod sanetur infirmus, huius enim salutis & liberationis à vexationibus diabolicis, spes, expectatio, & desiderium, sanctissima est ex obiecto suo) *sed quod dæmon cessabit illico, ac signum frangetur*, hoc enim dicimus esse omnino illicitum, & quod nullus antiquorum vsque ad Authores societatis, dixit licere, imo oppositum omnes adfirmarunt, vt manifestè constat ex doctrinis traditis.

Hoc docuerunt Caiet. † *tom.* 2. *opusc.* 12. 26 dum dicit, *maleficium tollere per simplicem, destructionem pacti soluendo ligaturas sine dubio est licitum.* Sotus *in* 4. *distinct.* 34. *quæst. vnica articul.* 3. asserens, *quod potest quisque conuenire maleficum & rogare, & pecunia ab eo extorquere, vt illas ligaturas quas habet sepultas, aut suspensas, aut alicubi asseruatas, inde dimouere, quia illud maleficium facere virtus est*, quibus verbis rationem subministrat veritate nostræ sententiæ, quia maleficus tenetur ad illud ligamentum, aut maleficium tollere abiurando pactum & intentione sana, sicut infidelis tenetur iurare per verum Deum, quod si iuret per idolum mihi non tribuitur, & maleficus malefaciet si ligaturas rumpat firma spe, quod dæmon cessabit illis ruptis nocere, non secus, ac malefacit dum ligaturas facit spe & desiderio, quod dæmon damnum inferat.

Vtrobique enim dæmon est principalis 27
causa, dum damnum infert est causa physica medio instrumento morali, scilicet signo à se instituto ad maleficiendum, cum tamen cessat à maleficio ex fractione ligaturæ, aut idoli, influit tanquam causa moralis in curationem maleficiati, sicut enim ligatura est signum ex se vanum, & inefficax ad damnum inferendum; ita fractio ligaturæ, aut idoli est etiam inutilis ex natura sua ad inferendum sanitatem, vnde fractione vtitur tanquam medio ad sanationem maleficiati, cum expectatione & credulitate, quod ex vi illius dæmon cessabit; euidens est quod vanis vtitur, vt vtilibus; quod tacitè à dæmone aliquid petit, quod ipsum tacitè inuocat in adiutorium, quod non renunciat dæmoni & eius operibus, & vltimo cum illo pactum tacitum, & virtuale, societatem & amicitiam iniit, quæ omnia doctrinis præfatis sunt exclusa.

Agnosce ergo Christiane dignitatem tuam, & ne timeas à signis; quæ malefici faciunt, quæ homines non Christiani & Catholici timent, ea ne destruas, spe posita quod dæmon cessabit, quia signum est destructum

structum & sacramentum magicum euersum, sed Christianitatis virtute, Saluatoris documentis, oratione, ieiunio, eleemosynis, insta opportunè, importunè, per exorcismos Ecclesiæ, & sic felicissimè omnia calcabis. Destrue quidem malefici diabolica sacramenta, sicut Ecclesia præcipit destruere, & comburere, vt eius imperij virtute à Deo sibi indita dæmon cesset, coactus altiori diuina vi, non voluntaria ipsius dæmonis cessatione, quam ipse coactus fingit facere, quia non existit eius sacramentum, vt sic annuat, confirmet, & alliciat
28 homines. Quæ omnia † egregiè dixit Abulensis ad *cap.* 19. *Matthæi quæst.* 90. §. *nisi obiiciatur, de Ecclesiasticis exorcismis, sed tunc dicendum, quod dæmones coguntur ad aliquid scilicet ad recedendum de corporibus obsessorum, vel ad non nocendum, sed hoc fit per Deum in quantum ipse instituit id, quod ab Ecclesia fit, & est ibi virtus diuina latens operatrix, sicut est in operatione sacramentorum, & tamen in operibus maleficorum quibus dæmones cogere volunt, non operatur Deus cum potius sint contraria diuino honori, ideo non possunt malefici cogere dæmones ad aliquid, sed ipsi dæmones mentiuntur & simulant se cogi, quia in hoc stat maxima virtus suasionis eorum, quod eleganter enucleat in sequentibus.*

SECTIO III.

Sententia Ætij Syluij, Guagerici Hispani, & aliorum Doctorum Vniuersitatis Duacensis, vt vera defenditur authoritate Augustini, & D. Thomæ.

SVMMARIVM.

1. *Vtrum liceat tollere ligaturas & alia signa malefica à maleficis posita eo fine, vt diabolus desinat nocere, ex Lessio, & numero* 2. 3.
4. *Quibus portentis illudatur humana curiositas.*
5. *Nunquid teneat gentilium traditiones, qui sperat & fidit, quod rupto signo à dæmone imposito ad nocendum, cessabit nocumentum.*
6. *Quænam obseruationes pertineant ad superstitionem ex S. Thoma.*
7. *Duplex genus diuinationis distinxit S. Doctor.*
8. *Quandonam vana diuina sit superstitiosa & pernitiosa.*
9. *D. Caietani sensus adducitur, necnon S. Doctoris, & n.* 10.
11. *An ablatio & destructio signi quo posito dæmon nocet & non posito vel destructo cessat nocere, non habeat naturalem virtutem ad non nocendum.*
12. *D. Augustini mens adducitur, necnon Authoris iudicium, & n.* 13. *&* 14.

PAter Leonard. Lessius *tom. illo celebri de iustitia & iure lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. cuius titulus est † *vtrum liceat tollere ligaturas, & alia signa malefica à maleficis posita eo fine, vt diabolus desinat nocere?* sic fatur, *hæc quæstio ante cõplures annos ad me à longinquo missa fuit multis argumentis pro parte negante (quam viri quidam docti & pij tenere dicebantur) instructa, quã deinde tractaui in materia de matrimonio cap. de impedimento maleficij, verum, quia propria est huius loci, quæ ibi dicta, huc transferenda, bona illorum, qui aliter sentiunt venia, putaui solius enim veritatis & proximi iuuandi amore hæc à me tractantur, & eos qui secus sentiunt non damno, sed pietatis, & doctrinæ, & dignitatis causa v eneror.* Hæc prudenter Lessius. 1

Viri autem isti pietate, doctrina, & dignitate conspicui sunt Ioannes Heuclius magni nominis Theologus in 4. *sententiarum, quem ab eo dictatum & D. Ætij manu scriptum vidi, ac legi dist.* 34. *cit. & sequitur Ioannem Prouensalẽ, docentem, non licere talia signa auferre, vt dæmon non noceat amplius, atque ita ratiocinatur. Quicunque tollit in sua actione seruit diabolo, vel pacto diaboli, quod ipse instituit, qui enim tollit signum credit, quod illo stante nocebit diabolus & eo remoto cessabit, ergo illud tollere, vt diabolus voluntarie cesset, est sequi institutũ & sacramentum diaboli, quia cessare, quũ illud signũ remouetur, & nocere quãdiu stat institutum est diaboli.* Hactenus Syluius 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *concl.* 3. §. *ad postremũ*, qui & eandẽ sententiã firmiter amplectitur probat & omnia opposita fundamẽta euidẽter soluit secutus Magistrũ suũ Estium *in* 4. *dist.* 34. horum omniũ placitũ. Sequitur Guageric. Hispanus *in notis ad summã Caiet. verb. malefic. litt. A.* etsi non benè dicat Caiet. contrariũ nobis esse, cum Cardin. nõ tractet, quæstionẽ in eo sensu in quo à nobis agitatur, idem docetur communiter in vniuersitate Duacensi, quæ equus Troianus est ex quo validissimi propugnatores D. Th. prodeunt.

Hæc sententia variis est adstruenda fun- 3
damentis, *in hoc* §. ea quæ authoritatis pondus, in *sequenti*, ea quæ rationum momenta continent, iacienda, igitur hoc sensit Aug. ita clare, vt eius claritudinem solus cæcus non videat. Imprimis S. Doct. quem refert Rabanus Maurus *in lib. de præstigiis magorum* relatus *cap. nec mirum* §. *final.* sic fatur, *si aliquis mihi opponit & dicit quomodo eueniunt illa, quæ illi diuini prædicunt futura, aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis, aut potestatis non habent? Hoc à me recipiat responsum, quod ideo quisque non debet*

bet eis credere, quia aliquando eueniunt, quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, aut lædere sanos, quia hoc permissu Dei fit, vt ipsi qui hæc audiunt, vel vident probentur, & appareat qua fide sint vel deuotione erga Deum, &c. at ille qui tollit ligaturam capillorum inuolucrum, idolum ex cera confectum accubus infixum, & similia non fide in Deum & deuotione, erga Ecclesiam, sed credulitate & expectatione, quod dæmon cessabit ab inferendo malum, non expectat sanitatem à Deo, nec in ipsum apparet fiducia, & deuotio, sed potius erga dæmonem, quem voluntariè cessaturum sperat fracto signo ab ipso instituto, ad ipsumque occurrit tanquam ad cooperatorem moralem cessationis, ipsumque inuo-
4 cat. *His enim † portentis illuditur humana curiositas, quum id imprudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit inuestigare. Hæc enim potestas immundis spiritibus ideo datur, vt per vasa sibi apta hoc est per prauos homines seducent illos, qui spernunt veritatem & credunt mendacio*, ita ibidem Augustinus & quid obsecro faciunt, nisi mendatio credere, qui idolum cereum accubus transfixum euertunt spe, quod dæmon voluntariè cessabit à maleficio ex vi fractionis, nisi credere mendacio pacti prius initi? quid faciunt nisi coaceruare sibi magistros prurientes auribus, vt à veritate & praxi Ecclesiæ auditum euertant, & ad fabulas & vana tanquam, ad vtilia se conuertant.

Hinc est quod in Concilio Aquerensi, vel Ancyrensi (vt volunt Richardus & Panoplia) *cap.* 1. dicitur, *subuersi sunt & à diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore suo, diaboli suffragia quærunt*, non suffragium quærit à diabolo, qui idolum frangit, sperans voluntariè cessaturum à malo inferendo per maleficium factum? certè non video qua ratione id fieri possit; vnde Martinus Bracharensis *in Concilio suo cap.* 72. relatus *cap. non liceat* 3. 26. *quæst.* 5. dicit, *quod non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, scriptum est enim ad Colos.* 4. *omnia quæ facitis, aut in verbo, aut in opere omnia in nomine Domini Iesu Christi facite gratias agẽ-*
5 *tes Deo* † nonne tenet gentilium traditiones qui sperat & fidit, quod rupto signo à dæmone imposito ad nocendum cessabit nocumentum, quia pactum cessat, dæmone sic pactizante, qui enim sic sperat non abiurans ipsum dæmonem, & eius opus, & ex vi huius abiurationis fidens Deo frangit signum, id non facit in nomine Domini Iesu Christi, imo potius virtualiter in dæmonis nomine, quem cessaturum sperat fracto signo §. *seq.* idipsum ex rationibus Aug. confirmabo.

Non minus clare id docuit D. Th. qui 2. 2. *q.* 92. *art.* 2. *ad* 2. dicit, *quod † obseruationes ali* 6
quæ pertinent ad superstitionem in quantum pendent ab aliquibus operationibus dæmonum & sic pertinent ad quædam pacta cum eis inita, quibus verbis rationem manifestam nostræ sententiæ subministrauit, quia ratio superstitionis formaliter sita est in quantum aliquid obseruatur, quod pendet ab aliquibus operationibus dæmonum, atqui quod nocumẽtum cesset ex vi fractionis signi à dæmone instituti ad nocendum, pendet à dæmonum operationibus, quatenus instituerunt hoc signum, quo amoto ipse etiam dæmon se amouebit à nocendo, ergo qui signũ frangit expectans, quod dæmon cessabit à nocumento inferendo vane obseruat, superstitiosè agit, pactum tacitum init, siquidem expectat auxilium dæmonis, vt non noceat ad quod dæmon ipse concurrit, vt causa positiua moralis.

Secundo idem S.D aliud non minus euidens argumentum nobis dedit *q.* 95. *art.* 2. vbi † duplex genus diuinationis distinxit, 7
vnũ cum expressa dæmonis inuocatione, alterum cum tacitè inuocatur, *quia* (ait) *dæmones se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate, de qua vanitate dicitur in psal.* 39. *non respexit in vanitates, & insanias falsas; vana autem inquisitio futurorum, est quum aliquis futurum cognoscere tentat, vnde prænosci non potest.* Ex quibus tale induco argumentum, tunc est † vana diuinatio superstitiosa & pernitiosa, 8
quum aliquis prænoscere tentat aliquod futurum, siue rei positiuæ, siue negatiuæ per medium per quod nosci non potest, quia tunc se ingerit dæmon his vanis inquisitionibus, vt mentes hominum implicet vanitate, & sic est ibi pactum tacitum cũ inimico initum, atqui fractio signi à dæmone instituti non est medium aptum ad sperandũ dæmonem cessaturũ à damno inferendo, nisi quatenus signum ipsum est à dæmone institutum, quod est omnino vanũ & inutile, & sic ex fractione signi sperare futuram cessationem damni omnino vanum est, & quis tentat cognoscere futura, vnde præcognosci non potest, & sic illi fractioni cum spe cessationis se ingerit dæmon, quod egregiè animaduertit D. Caiet. *ibi* §. *in eodem art.* † *diuinatio vana, quæ est quum aliquis futurum* 9
præcognoscere tentat, vnde cognosci non potest, & hæc propter admistionem occultam dæmonum est pernitiosa, sed occulte, vt amplius infra patebit, & hoc oportet seruare pro fundamentis in tota materia diuinandi, quoniam in his cõsistit formale ad quod oportet resoluere. Ex his nõ scimus an talis inquisitio puta per sõnia, per sortes, per astra, &c. sit vana, sed tãtũ in quo formalis ratio dæmaniacæ inquisitionis respectu futurorũ cõstat scilicet, aut in expressa inuocatio

uocatione, aut tacita per hoc, quod vana sit futuri inquisitio. Si nosse autem vis an talis inquisitio sit vana oportet formale ad talem materiam applicare & videre si inde futurum potest, vel non potest præcognosci. quo nihil illustrius.

Tandem tertiò, S. Doctor *quæst.* 96. *art.* 2. vbi hanc doctrinam traditam in vniuersum de variis diuinationum speciebus & de superstitione in communi applicat superstitionibus obseruantiarum, & tam *in corpore*
10 quam *in solutione ad* 1. dicit, † *quod si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos ad quos putantur naturalem habere virtutem non est superstitiosum, vel illicitum, si vero adiungantur, vel caracteres aliqui, vel aliqua nomina, vel quæcunque variæ obseruationes, quæ manifestum est naturaliter effectum non habere, erit superstitiosum & illicitum, & in solut. ad* 3. *ex bello indicto contra Dæmones colligit, quod nullo modo licet homini Dæmonum auxilio vti per pacta tacita, vel expressa.* ex quo clarum deducitur argumen-
11 tum, † ablatio & destructio signi quo posito Dæmon nocet, & non posito, vel destructo cessat nocere, non habet naturalem virtutem ad non nocendum. Ergo sperare, quod ex vi destructionis signi cessabit Dæmon vana est obseruatio, & sic Dæmon tanquam agens morale suspendens actionem, se illi ingerit, & sic superstitiosum est, & illicitum.

12 Vltimo † D. Aug. *lib.* 21. *de Ciuitat. Dei, cap.* 6. *Illiciuntur* (ait) *Dæmones ad inhabitandum per creaturas, non vt animalia cibis, sed vt spiritibus signis, vt autem illiciantur ab hominibus prius eos ãstuãtissima caliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos discipulos suos faciunt, plurimorumque Doctores, neque enim potuit nisi primum ipsis docentibus disci quid, quisque illorum appetat quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur, &c.* quid clarius si Dæmon horret signi sui destructionem, qua cogitur cessare hoc fit ipso primum docente, ergo vane fit si ex vi ablatione, & destructione signi speretur quod cessabit, & absque dubio ipsius nomine inuitatur, vt desistat à malo inferendo, quia huius signi destructione fingit se coactum cessare & illam exhorrere, vt nos seducat, vt egregiè Henriquus de Assia *in Genesim*, cuius verba dat Delrius, *lib.* 2. *disquisit. quæst.* 30. *sect.* 3. *versic. infertur tertio.* & prius dedit Sybillanus *peregrinarum quæstiunc. Decad.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 1. *Ipse* (ait Henriquus) *simulat se captum, vt te capiat, se vinctum, vt te vinciat, se tuo Imperio subditum, vt te sibi subdat; à te inclusum, vt contra te finaliter concludat, fingit se tua arte, vel imagini, vel lapidi ligatum, vt funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat.* hæc sapienter Assia.

Ex quibus argumentor, † vel ille qui fran- 13
git signum institutum à Dæmone ad nocendum credit re ipsa & vere, Dæmonem cogi ex vi illius signi ad nocendum, & hæc credulitas, & existimatio erronea est, quia Dæmon non potest cogi ab homine nisi diuina virtute, quare credit Catholicus, quod Dæmon fingit se cogi tali signo ad nocendum, ergo dum illud destruit expectando, quod Dæmon cessabit ex vi fractionis à nocumento inferendo Dæmoni credit, & fidem dat, & est infidelis Deo, consequentia euidens est, quia credit quod dæmon libere cessabit à nocumento non virtute diuina, sed ex vi fractionis signi, quod si frangit credens, quod virtute diuina cessat à quo cogitur vt cesset, hoc Catholicum est, & meritorium, & hoc nos docet Ecclesia, sed hîc non est difficultatis nostræ punctum, & est falsitatem cum veritate confundere, & ex medio licito, quod Ecclesia instituit transire ad medium inutile, & vanum, quod tacite instituit Dæmon, sicut Raynaldus, & alij solent facere, qui vt excuset restrictionem mentalem à mendacio, & seductione proximi audientis, confugiunt, & secretum sigilli confessionis sacramentalis quod omnino est inuiolabile, & qualibet æquiuocatione vtendum priusquam aperiatur, quam fallax sit hoc argumentum monstraui *tom.* 5. *de vero martyrio fidei Diggressio.* 6. *sectio.* 8. *&* 9.

SECTIO IV.

Rationibus, Syluij & Guagerici Hispani, eadem vera comprobatur sententia.

SVMMARIVM.

1. *An sit superstitio cum mediis inutilibus & à diuina prouidentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus.*
2. *Quis effectus non sit positiua aliqua dæmonis actio.*
3. *An liceat effectum priuatiuum à dæmone expectare.*
4. *Guagerici Hispani sensus adducitur, & numer.* 5.
6. *Vnde liberatio maleficiati expectetur.*
7. *An alicuius agentis ope & auxilio speretur salus maleficiati.*
8. *An si signum maleficij destruatur in odium dæmonis illud instituentis ad inferendum damnum, non speretur à dæmone salus ex*

vi destructionis signi, sed à Deo.

9. *Quidnam dimanet vt ex signi à dæmone instituti destructione pactum dissoluatur.*

10. *Malitia superstitionis in quo consistat.*

11. *Homines quas obseruationes attendant non, vt quasdam causas, sed vt signa quædam futurorum euentuum bonorum, vel malorum.*

12. *Amotio & destructio signi & expectatio, quod ex vi illius cessabit dæmon nocere, vbinam fundetur, ex Delrio, & numero 13.*

13. *Dæmon etsi aliquando stet pactis nunquam tanquam fidelis & verax.*

DOctissimus Franciscus Syluius, *loco in superioribus citato conclus.* 3. sic ratiocinatur. *Ipsi qui huic conclusioni aduersantur*
1 *B.Thomam sequuti, affirmant* † *esse superstitionem quum mediis inutilibus, & à diuina prouidentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus, vt Sanchez lib.2.in Decalog. cap.* 40. *& lib.*7. *de Matrim.disp.*95. Lessius *lib.*2. *de Iustit. cap.*43. *dub.*10. *sed per dictam signi amotionem procuratur effectus medio inutili, & à diuina prouidentia non constituto ergo admittitur superstitio. Minor videtur clara. Quoniam nudi signi amotio nullam habet vim, vel à natura, vel à positiua Dei ordinatione, vel ex Ecclesiæ instituto ad causandum effectum qui expectatur.*

2 *Dices* † *effectus, qui in præsenti expectatur non esse positiuam aliquam Dæmonis actionem, sed cessationem & priuationem actionis quem effectum licet à Dæmone expectare, sicut dum gestamus Agnus Dei, & reliquias, dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domus & templa hoc facimus, vt Diabolus nocumentum non inferat, vel cesset inferre. Respondetur, etiamsi effectus expectatus non sit actio Dæmonis positiua, est tamen aliquis effectus & is vel positiuus, vt lac & butyrum, quod cum per signi præsentiam impeditur per istius signi amotionem expectatur futurum. Item amissæ valetudinis recuperatio per hoc, quod Diabolus desinat eam lædere, morbosque causare, vel est tale priuatiuum, quod loco beneficij haberi possit, velut quod equi non moriantur, quod fruges non impediantur & similia, nullum autem beneficium licet expectare à Dæmone cum beneficia Dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, vt ait S.Leo serm.* 19. *de passio. Vnde & ne-*
3 *gandum est,* † *licere effectum priuatiuum à Dæmone expectare idque satis indicat D.Thom. locis iam allegatis quum nullam distinctionem facit inter effectus positiuos & priuatiuos, absolutéque docet esse superstitiosum expectare aliquem effectum à Dæmone. Neque enim dubium esse potest quin ad superstitionem pertineat expectare à Diabolo non lædi, non vulnerari & similia.*

*Dum autem gestamus Agnus Dei, vel reliquias, vel dum vtimur aqua benedicta, aut benedicuntur templa, aut domus, non hoc facimus expectantes à Dæmone vt desinat nocere, sed quidquid speramus à Deo expectemus, qui intuitu benedictionum, & precum Ecclesiæ, ac etiam meritorum Sanctorum quorum Reliquiæ gestantur Dæmones velit fugare, & coërcere, ne noceant, vt ex formulis benedictionum liquet & etiam ex huius quæst.*96. *art.*4. *ad* 3. hæc Syluius.

Ferè eodem argumento & paucioribus verbis, † vtitur Guagericus Hispanus *in no-* 4
tis ad Caiet. verb. Maleficium, contraria tamen & tutior & rationibus vtrinque bene perpensis non immerito probabilior videri potest. Cum enim talium signorum amotio nullam vim naturalem, aut supernaturalem habeat ad illum finem scilicet cessationem nocumenti (vti neque eorum positio similem aliquam vim obtinet ad nocendum) videtur vanum esse & superstitiosum ea tollere, aut destruere ad dictum finem consequendum. Neque excusat, quod finis qui intenditur per signi amotionem non sit aliqua actio positiua Dæmonum, sed cessatio, 5
aut priuatio actionis, licet enim possimus impedire Dæmonem, ne noceat per remedia ad eam rem à Deo, vel ab Ecclesia instituta, vel vim aliquam naturalem contra nocumentum ab eo nobis illatum, habentia, non videtur tamen id licere per media, quæ ad hunc effectum neque naturalem, neque supernaturalem virtutem obtinent, sed moralem dumtaxat fundatam in pacto cum Dæmone inito, qualis est amotio signi. Hactenus Guagericus Hispanus.

Hæc argumenta manifesta sunt nec video quid ad illa, quod subsistens sit, & non verborum Lussio responderi possit abutendo vti dixi veritate, vt falsa introducatur doctrina, sed Martinus Delrius *quæst. illa* 3. *lib.* 6. *citata*, respondet duo. Primum in solutione ad primum argumentum, quod † libe- 6
ratio maleficiati non expectatur à Deo, neque à Sanctis, vel à Dæmonibus immediate, sed ab amotione signi, quæ est causa moralis liberationis à malo, hæc autem signi à Dæmone instituti abrasio, destructio idem est ac pacti cum Dæmone à malefico initi dissolutio, qua dissolutione facta iam amplius nocere non tenetur Dæmon, quare à Dæmonis cessatione in agendo pendet, quod maleficiatus sanetur dependet quidem mediate non immediate expectare autem effectum priuatiuum è Dæmone licet, quum hic effectus dimanat ab ablatione, & destructione signi, quod explicat hoc exemplo si quis cũ hoste foret pactus quod suspẽsa de muro vitta coccinea occurrat, & portã occupet vrbeque potiatur, & tertius quispiã ciuiũ hoc rescisset nõne tollere licebit, imo

merebitur

merebitur si fecerit? quis quæso illum proditoribus consentire dicat recte æstimantes iudicabunt cum pacta conuenta eorum non stabilisse neque approbasse, sed abominatum ea rescidisse. Cur igitur non eadem ratione, & iure, qui rescindit pactum Dæmonis, & malefici, de olla, in familiæ perditionem defossa, potens illam tollere, & tollendo censendus erit ab eorum pacto alienus? an cum ille non consentiat proditioni qui illam destruit, huic censendum est maleficium qui illud destruit.

Hoc primum dictum Delrij, inutile est, & vt Apollonius dixit, est lutum luto purgare, & abstergere vt magis polluta vestis maneat, & contra illud sic insurgo primò,
7 quia † alicuius agentis ope, & auxilio speratur salus maleficiati, ex vi destructionis signi, non à Deo, non à Sanctis, non ab aliquo remedio ab Ecclesia instituto, non ab Angelo bono, ergo à Dæmone, & ab homine qui amouet signum illud, qui rumpit cũ expectatione, quod Dæmon cessabit à nocendo ex vi amotionis signi, ergo cum hæc signi amotio quæ morale instrumentum nõ influat moraliter per virtutem naturalẽ aut supernaturalem, neque ex institutione diuina manifeste influit per pactum implicitum Dæmonis, qui cessat ex vi amotionis, & destructionis signi à se instituti, cui fides adhiberur virtualiter ab illo qui sperat salutem aut cessationem à malo inferendo, ex vi destructionis signi. Neque exemplum quod adducit est ad rem, imo potius manifeste est contra ipsum. Ciuis enim suæ Reip. amator sciens proditionem, & ne sequatur signum proscribit, euertit, & auertit, facit in odium traditionis, à quo non sperat salutem patriæ, & damni alicuius quod de facto à traditore inferatur ex vi alicuius pacti, ablationem, si autem hoc ita esset ablatio signi ex vi cuius infertur damnum si non esset in odium inferentis malum, erat consentire virtualiter pacto, quod non licet si autem signum auertur in odium proditoris, & pacti ab eo initi vt ciuitas liberetur, iam nõ speratur à proditore salus, sed meritorie speratur à Deo, cui fides datur, & in quo spes reponitur, ita
8 † si signum maleficij destruatur ia odiũ Dæmonis illud instituentis ad inferendum damnum (quod nullus Catholicus negat posse fieri meritorie) non speratur à Dæmone salus ex vi destructionis signi, sed à Deo, ob quem odio prosequor Dæmonem, & eius opera, quod odium mihi præceptum est tanquam inimici, cuius omnia opera sunt hostilia in genus humanum.

Secundò, quia quod ex signi à Dæmone instituti destructione dissoluatur pactum
9 † non dimanat ex aliqua virtute physica naturali aut supernaturali, aut ex diuina institutione vel Ecclesiæ, vt dissoluto pacto nõ inferatur damnum, quia etiam soluto signo potest Dæmon nocere sicut posito signo, ergo expectare quod ex vi signi pacti destructione Dæmon cesset, est expectare auxilium & iuuamen à Dæmone siquidem hæc expectatio dimanat ex obseruatione alicuius rei vanæ ad talem cessationem inferendam, si enim destruitur in odium Dæmonis, & operum eius, iam hæc destructio pertinet ad reuerentiam Dei, eiusque amicitiam ad quam pertinet odio prosequi eius inimicũ, quod si non fiat in odium Dæmonis, & eius operum destructio signi, est aliquod vanum, vt ex vi illius expectetur effectus, siue positiuus sit siue priuatiuus, hoc enim nihil conducit vt pactum implicitum sit illicitũ, sicut est illicitum ex pacto explicite expectare à Dæmone effectũ positiuum, aut priuatiuũ, malitia enim superstitionis eadem est in specie siue dimanet à pacto implicito, siue explicito, quia vt ex vtroque Thoma, & 10
communi sententia dixi † malitia superstitionis in hoc consistit, quod speretur, effectus à medio aliquo inutili siue naturaliter siue supernaturaliter ad illum inducendum, quare obseruare fractionem signi, sperando quod ex vi illius Dæmon cessabit à nocendo (cum hoc non habeatur ex institutione diuina aut Ecclesiæ) etiamsi omnes communiter experiantur, quod Dæmon cessat à nocendo fracto signo, & maleficio destructo, superstitiosum est & illicitum, vt de similibus obseruantiis obseruat D.Tho. *q.*96. *art.* 3. dans huius euidentem rationem, *quia*
11 † *homines huiusmodi obseruationes attendunt, non vt signa quædam futurorum euentuum* (non dicit effectuum sed euentuum) *bonorum vel malorum non obseruantur autem tanquam signa à Deo tradita cum non sint introducta ex authoritate diuina, sed magis ex vanitate humana cooperante Dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare, & ideo manifestum est omnes huiusmodi obseruationes esse superstitiones, & illicitas.* Quid clarius & illustrius.

Secundum dictum, & responsum Delrij
12 est. Quod † amotio, & destructio signi & expectatio quod ex vi illius cessabit Dæmon nocere, non fundatur in pacto, nec datur fides Dæmoni, quod pactum suum seruet, sed tantum destruitur pactum, & eius obligatio soluitur, quare iam amplius non tenetur Dæmon nocere, & sic speratur non nociturum amplius, quia cessauit causa ad nocendum alliciens, nempe signi positio, vnde Dæmon, aliquando stat pactis conuentis, non sit verax, & fidelis, sed quia censet hoc sibi esse vtile ad homines

decipiendos sicut solent debitores minus debitum soluere, vt in grandiori summa creditoris simplicitate abutantur.

13 Verum enim vero responsum hoc est ab instituta controuersia alienum, & longe inferius quam res exposcat, & vt Tertulianus *lib. de carne Christi de calcaria ad Carbonariũ digreditur*, & ex vno malo in aliud incidit primò, quia si expectatio quod rupto signo Dæmon cessabit à malo inferendo nõ fundatur in pacto inito, quod malum inferat ex positione signi tanquam in prima radice, & motiuo in quod resoluitur huiusmodi expectatio, dicat nobis Delrius in quod vltimo resoluitur huiusmodi expectatio, certe quidem nihil assignat nisi quia cessat causa ad nocendum alliciens, atqui non allicit ad nocendum nisi ex pacto ex vi cuius signum allicitur cum non alliciat vi naturali, aut supernaturali, ergo euidens est quod hæc expectatio futuri euentus cessationis à damno inferendo resoluitur in pactum initum, & ita qui expectat futurum hunc euentum ex vi fractionis signi pactum approbat, & vane pernitiose obseruat id quod ex vi cuius, euentus non est futurus nisi Dæmon se immisceat huiusmodi obseruationi.

14 Secundò, ad hominem, quia † Dæmon, etsi aliquando stet pactis nunquam tamen est fidelis, & verax cum sit pater mendacij, sed stat pactis quia iudicat sibi hoc esse vtile ad homines finaliter decipiendos, hoc enim certissimum est inter Catholicos, ergo non licet aliquem euentum expectare futurum dependentem ab eius voluntate, ex vi fractionis signis ab illo instituti ad nocendum, consequentia est euidens, quia hæc cessatio illationis mali fit à Dæmone mendace eam ordinante in nostrum damnum, nisi cogatur cessare altiori virtute diuina, vel nisi fiat in odium ipsius Dæmonis, & omnium operarum eius.

SECTIO V.

Aliis argumentis eadem veritas fulcitur & confirmatur.

SVMMARIVM.

1. *An quod licet sperare liceat petere.*
2. *S. Augustini iudicium adducitur.*
3. *An qui sperat Dæmonem cessaturum ex vi fractionis signi ab ipso instituti, vtatur vanis ac si essent vtilia.*
4. *Syluij mens affertur.*
5. *An qui tollunt signa maleficij non per hoc auferant à diabolo potestatem nocendi.*

1 PRimo quia quod † licet sperare licet petere, cum spes quædam species petitionis sit rei speratæ, ergo si licet expectare à Dæmone quod cesset male facere ex vi fractionis signi à se instituti vtique licebit ab eo petere, & exorare vt cesset, consequens autem omnino falsum est, vt constat ex doctrina 4. *posita* §. 2. quare eo modo, quo licet petere à Dæmone quod cesset, scilicet per modum obiurgationis, eodem, & licebit expectare scilicet ab iurando pactum, & odio prosequendo Diabolum, & opera eius in hoc enim odium, & abiurationem vltimo resoluenda est hæc expectatio, vt licita sit alias vana, superstitiosa, & pernitiosa est.

Secundò, quia vt optime S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 23.* † adductus doctrina 3. *& cap. 24. & 25.* hoc signum quod est ruptio signi, qua posita Dæmõ cessat nocere non est institutum ab hominibus vt inter ipsos homines valeret, & tantum valeret quantum ipsis placuit, vt valeat ex libera hominum institutione, sed tantum valet hæc ruptio signi ad cessationem damni, quantum præsumptione rumpentis, vnde institutũ est signum hoc à Dæmone vel homine ex Dæmonis societate, & conniuentia, & cũ Dæmonibus confederatione. *Quæ omnia* (ait Aug.) *plena sunt pestiferæ curiositatis cruciantis solicitudinis, mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando factum est vt valerent.* 2

Tertiò, sumitur valde vrgens argumentũ ex *doctrina 5. adducta* §. 2. quia † qui sperat Dæmonem cessaturum ex vi fractionis signi ab ipso instituti, vtitur vanis ac si essent vtilia quod fieri nequit, nisi credat in tali fractione inesse pestiferam Dæmonis occultam virtutem, & sic perniciose expectat euentum ex vi fractionis, cuius ratio est perspicua quam dedit Augustinus *lib. 21. de ciuita. cap. 6.* quia si ex vi fractionis Dæmon desinit nocere, ergo allicitur ad non nocere, atqui non allicitur rebus, sed signis, ergo illa fractio signum est Dæmonem alliciens ad voluntarie cessandum, sicut idolum cereum signum fuit ad malefaciendum, at omne signum quo Dæmon allicitur ad euẽtus futuros est ab ipso institutum, nisi cogatur diuina virtute, vel per remedia ab Ecclesia instituta, & orationibus sanctorum, abominatione Dæmonis, & omnium eius operum, quibus inclinetur Deus ad ipsum coercendum, & ex hoc motiuo vt sanetur maleficiatus, signum, & idolum rumpatur. 3

Quartò, arguit satis vrgenter Syluius quo præcluditur illa Delrij imaginatio de vno vel duplici pacto, quod voluntarie dictum est non solide. *Quia qui tali fine signa tollit miscet se pacto quod Dæmon habet cum malefico, ergo malefacit. Antecedens probatur.* 4

Quoniam

Quoniam pactum aliquando quidem est huiusmodi, quod signo manente Dæmon nocebit, eo vero sublato tenebitur non nocere, quando autem pactum est simplex nimirum quod manente signo perget nocere, nihil expresse continens, quid facturum sit eo amoto, implicitè tamen continet, quod tunc cessabit nocere. Ideo enim ipse maleficus & alij signorum conscij ea tollunt, quia existimant nocumentum, tunc cessaturum, cuius existimationis nulla esset ratio, si non putaretur in esse saltem tacitum pactum de tũc cessando nocere. Confirmatur, † *qui sic tollunt signa maleficij non per hoc auferunt à Diabolo potestatem nocendi cum Deus non tantum vsque ad illum terminum nocere permiserit alioquin non esse signa Diaboli, sed Dei, ergo à Dæmonis voluntate expectãt cessationem nocumenti, idque ex pacto inter illum & maleficum inito.* 5 hæc ille.

SECTIO VI.

Non licere alia ponere signa per quæ præcedentia signa posita, vim suam amittant, contra Suarez, & Fagundez ostenditur.

SVMMARIVM.

1. *An non solum fas sit tollere signa magica, sed etiam ponere res aliàs, quibus positis expiret pactum prius, & dæmon desinat nocere, & sanitas statim restituatur, & n. 3. & 4.*
2. *An repercussio sagæ, lauatio in tali flumine & si sit actio positiua, sit de se indifferens, & ordinetur ad auferendum signum Diaboli.*
5. *Guagerici Hispani sensus affertur.*
6. *Necnon SS. August. & Thom. & n. 7. 9. 13. 14. 16. 17. & 18.*
8. *Ratio difficultatis affertur, & n. 10.*
11. *An maleficium liceat maleficio tollere.*
12. *An quamuis sagam repercutere & ei panem cum sale porrigere sit quid adiophorum quatenus subsunt pactioni dæmonis, sit illicitum, & n. 21.*
15. *Vtrum Deus possit assumere dæmonem in verum ministrum ad predicandum, reuelandam, seu declarandam aliquam supernaturalem veritatem, cui tuto assentiri possimus, remissiuè.*
19. *An animus & intentio euertendi artes dæmonis exequatur per medium vanum & inutile.*
20. *Reliquiarum portatio, aspersio aquæ Benedictæ & Sacrificiorum oblatio nihil vani habent.*

STephanus Fagundez *l. 1. in 1. in Decalog. cap. 43. n. 6.* sequutus Suarez *t. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap 17. n. 16. & 17.* Lessium *l. 2. cap. 24. n. 45.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 96. n. 3.* citat Syluestrum *verb. Maleficium quæst. 9.* sed malè, quia ipse contrarium dicit, vt vidimus §. 1. Igitur Fagundez & alij dicunt, quod non solùm fas est tollere signa magica, destruere, & comburere, sed etiam per se loquendo ponere res alias quibus positis expiret, & destruatur pactum prius & Dæmon designat nocere, & sanitas statim restituatur. Exemplis res declaratur. Ponamus pactum cum Dæmone fuisse hoc quandiu hæc olla ex terra non extrahatur, & loco illius aliquid ponatur, verbi gratia lapis, hæc tegula aut locus ille aquæ benedictæ aspergine non leuatur non cessabit maleficium, nec recuperabitur sanitas. Item si saga te percusserit à tergo, inficieris, si illam repercusserit cessabit maleficium. si domo egressus fueris per talem portã maleficio ligaueris, si corpus laueris in tali flumine vel aqua maleficium soluetur. Item si annulum gestaueris in tali digito ægrotaueris si illum inde abstraxeris, vel illo alium digitum ornaueris, continuo sanaueris, licitum erit tibi ollam eruere, & loco illius res aliàs ponere, aqua benedicta locum aspergere, sagam repercutere, annulo alium digitum ornare & his similia facere, modo hæc omnia fiant non animo colendi dæmonem, sed destruendi pactum illius, nec affectu amicitiæ, erga illum, sed ex odio ipsius. Ratio est, quia hæc omnia non fiunt modo deprecatorio, & effectu aliquo beneuolentiæ, erga Dæmonem, sed animo & intentione destruendi artes Dæmonis, & tollendi signũ, cui adstrictus est ad nocendũ. 1

Secundò probatur, quia † repercussio sagæ, lauatio in tali flumine etsi sit actio positiua tamen de se indifferens est & ordinatur ad auferendum & impediendum signũ Diaboli, & sic nec est illicita, nec superstitiosa cum non fiat animo colendi Dæmonem, nec in honorem ipsius, nec ad continuandam priorem pactiorem, sed potius ad destruendam. 2

Tertiò, quia si pactum esset tale quandiu hæc illa sub terra fuerit ægrotabit Petrus, vbi primum se signo crucis munierit, tales reliquias gestauerit, talésque orationes ad Deum fuderit, aut tot missas dixerit statim sanabitur, nunquid propter prauam Dæmonis conditionem & intentionem non licebit hoc facere, licebit sine dubio, nunquid id censebitur continuatio pacti & amicitiæ cum Dæmone? non profecto, sed censebitur destructio illius si recta intentione fiat, & id licebit non solum propter specialem sanctitatem talium rerum, sed etiam ad destruendum signum à dæmone datum vt dicit Suarez *vbi supra num. 16.* 3

4 Quarto, quia mutata intentione dum hæc fiunt nõ expectatur sanitas à dæmone, hoc enim illicitum est, & intrinsecè malum cum sit dæmonem inuocare, & excitare illum, sed solum intendi debet, vt dæmon non habeat signum per quod excitetur, ad nocendum, quod naturali virtute ipsa saga aut quilibet alius destruere potest, quod enim hoc fiat actione positiua, vt dæmon non solum, vt cesset à malo inferendo, sed etiam operetur aliquid ad salutem maleficiato inferendam est per accidens, & qui talem positiuam actionem facit solum se habet permissiuè non deprecatiuè, & honorificè.

Verum enim vero Authores isti rem grauissimam & nouam de *turri & mœnibus* iudicant, eam non satis accurate consideratam & perspectam, quare in eos sic insurgit Guagericus Hispanus *vbi supra*, dicẽs † *quod liceat repercutere sagam, vel ei dare*
5 *panem cum sale, aut ab eadem accipere panem, non videtur vllo modo admittendum, quid enim istud aliud est, quam vti sacramentis ipsius dæmonis, vtpotè cum talia non sint ab alio, quam ab ipso dæmone ad prædictum effectum instituta. Non enim à Deo, nec ab Ecclesia, neque vero à natura suam habent institutionem, vt manifestum est, ac proinde sunt merè superstitiosa, sed nec verbo licet petere à dæmone, quod nocere desinat. Tanta enim debet esse nobis cum illo inimicitia, vt non nisi imperiosè cum illo agere debeamus in virtute Dei per salutaria media ab ipso non vero à dæmone instituta, iuxta id quod auctor* dixit *supr. verbo interrogation. 6. versic. sextum de inuocatione dæmonum.* Hæc ille satis sapienter, quæ confirmant omnia ea, quæ in superioribus adduximus.

6 Et quidem contra hanc sententiam expresse militant Aug. & D. Tho. ille *lib. 2. de doctrina Christiana cap.* 20. vbi hanc sententiam & exẽplis refutat & ratione, sic enim loquitur *his adiunguntur millia immanissimarum obseruationum. Si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit, atqui illud, quod lapidem calcant tanquam direptorem amicitiæ minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho cedunt si pariter ambulantibus interuenerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur à canibus; nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem qui medius interuenerit ferire audeant, non impunè, namque à vano remedio cito interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt illa, limen calcare cum ante domum suam transiit, redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutauerit, redire domum si procedens offenderit.* Hæc Aug. quibus nihil illustrius contra Sanchez, & Suarez, August. sunt secuti quotquot de superstitione scripsere antiqui, *quid est obsecro lapidẽ calcare, puerum, aut canem repercutere, si per medium duorum ambulantium transierit, quid si dum quis se calciat sternuiet, iterum ad lectum redire?* nisi si saga percusserit, iterum repercutere si annulum in tali digito ponas sanabis, qui prius positus, in alio intulit infirmitatem, & similia quæ licere dicunt isti, & August. dicit *esse immanissimas obseruationes, & vanum remedium.*

Rationem dat S. Doctor *cap. 25. quia hæc* 7
omnia tantum valent quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmone fœderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis, quam benè, *mortiferæ seruitutis*, qua eo ipso, quod vano isto remedio à dæmone solum instituto ex pacto inito cum hominibus aliquis vtatur, velit, nolit, se seruum diaboli profitetur ipsum honorat, & veneratur, tacitè saltem. Ratio est perspicua † quia quãuis dum quis sciens esse dæmonis pactum, quod si sagam repercusserit non infirmabitur, vel si ei dederit panem cum sale, aut ab eadem acceperit panem non infirmabitur, intendat non honorare dæmonem, tamen vt diximus §. 2. *doctrina* 1. ex D. Tho. Sanchez & Suarez eo ipso, quod talia faciat, quæ vim humanam superant, & non habent virtutem ex diuina institutione ad effectum consequendum affectat tacitè & virtute se velle dæmonis opem, & profitetur velit, nolit se dæmone indigere, legantur ea quæ dixi *doctrina* 1. *cit.* quæ veritatem istam conuincunt.

Secundo idem asseruit D. Tho. 2. 2. *q.* 96. 9
art. 3. & 4. vbi & probat ratione & S. Augustini authoritate, & quidem *in corp. artic.* 3. hac ratione sententiam istam modernorum præcludit, *quia homines huiusmodi obseruationes attendunt, non vt quasdam causas, sed vt signa quædam futurorum euentuum bonorum, vel malorum, non obseruantur autem, vt signa à Deo tradita cum non sint introducta ex authoritate diuina, sed magis ex vanitate humana cooperante dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare, & ideo manifestum est omnes huiusmodi obseruationes esse superstitiosas & illicitas*, & in solutione ad secundum rationem radicalem tradit cum enim sibi obiecisset, quod communiter omnes experiuntur, quod ex huiusmodi obseruantiis habent aliquod præsagium boni, vel mali futuri. Respondet, *quod hoc à principio in istis obseruationibus si aliquid verè homines experti sunt hoc accidit à casu, sed postmodum cum homines incipiunt suum animum huiusmodi obseruantiis implicare multa secundum huiusmodi obseruationes eueniunt per deceptionem dæmonum, vt in his obseruationibus homines implicati duriores fiant, & se magis inferant multiplicibus laqueis pernitiosi erroris*, vt ait August. *lib. 2. de doctrina Christiana cap.* 23. cuius verbis ita clarescit vtriusque S. D. sententia, vt proteruus sit qui neget, quod amplius confirmat *art.* 4. rationibus quas iam subiicio.

10 Probatur deinde argumentis à ratione & absurdo petitis primo, quia si facto pacto cum dæmone, quod si quis à saga panem accipiat, vel illi det panem cum sale, & quod si exieris per talem portam ligaberis, si corpus laueris in tali flumine, soluetur maleficium, & sanitas restituetur, si inquam facto hoc pacto licet facere ea, quæ pactum exigit manifestè sequitur, quod licet absolutè & simpliciter maleficium, maleficio soluere, consequens autem est omnino falsum & contra omnes Catholicos excepto Angelo, qui non est multum curandus, vt enim ait Sylvester *verb. maleficium n.* 8. *q.* 8. §. *in hoc tamen suo more in determinando audax, & periculosa dicit, hoc esse licitum*) sequela probatur,
11 quia ideo † non licet maleficium maleficio tollere, quia ad secundum maleficiũ requiritur nouum pactum, cum dæmone initum, quod est intrinsecè malum ex vi cuius pacti secundi cessat dæmon facere malum, quod intulit ex vi prioris pacti, id autem quod fit per duplex pactum fit in præsenti per duas partes eiusdem pacti, prima est nocebo, si saga tetigerit. Secunda cessabo à nocendo, vel non inferam nocumentum si sagam repercusseris, vel si ab ea panem accipias, vel illi tribuas panem cum sale. Dicere autem, quod hoc fit sine animo colendi dæmonem, ipsumque excitandi, & ordinetur ad auferendum & impediẽdum primum diaboli signum ab ipso institutum ad nocendum. Hoc inquam dicere prorsus est verbis ludere cum idem diceret, qui maleficium maleficio tolleret, quod scilicet hoc secundo maleficio non colet dæmonem, cum ipsum ordinet ad auferendum & impediendum prius maleficium, & pactum ita enim se habet vnum pactum ad aliud sicut pars vnius pacti ad aliam compartem, & pactum, secundum omnes sui partes illicitum est.

12 Quamuis enim iterum † sagam repercutere & ei panem cum sale porrigere sit quid adiophorum, & indifferens, tamen vt subsunt pactioni & institutioni dæmonis omnino illicitum est, ea exercere, siquidem vtitur quis illis rebus vanis ad hunc effectum & inutilibus ac si vtiles essent, in quo consistit pernitiosa superstitio; vnde ille, qui eas facit velit, nolit, ea exercet animo deprecatorio & affectu beneuolentiæ, & seruitutis mortiferæ erga dæmonem, & illo se indigere profitetur, dum vtitur suis sacramentis institutis ad ipsum alliciendum.

Secundo idem probatur ab inconueniẽti, quia si licet partem pacti exequi ad impediendum damnum, quod illatura erat prima pars pacti non animo colendi dæmonem, aut se illi subiiciendi, ergo si dæmon in pacto cum malefico dicat si hoc idolum cæreum sit accubus trãsfixum sub terra infirmabitur Petrus vsque ad mortem, nisi secum portet toto vitæ spacio reliquias S. Laurentij in vase triangulari poterit quis illas portare non intendens dæmonem colere, sed impedire damnum sibi futurum, at consequens est omnino falsum, vt probat 13
D. Tho. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 3. dicens, *si reliquiæ portentur ex fiducia Dei & sanctorum quorum sunt reliquiæ non erit illicitum, si tamen circa hoc attenderetur aliquod vanum, puta quod vas esset triangulare, aut aliquid huiusmodi, quod non pertinent ad reuerentiam Dei, & sanctorũ esset superstitiosum, & illicitum.* Hæc ibi, quod non est ex alio capite, nisi quia figura triangularis, etiamsi secundum se sit adiophora, & indifferens, tamen in ordine ad effectum est vana & per consequens, illi se ingerit dæmon, & qui illam portat pacto illius assentitur.

Tertio ex eodem S. Doct. nihil sanctius 14
quam proferre verba diuina & nomen Domini inuocare, quia hoc ad reuerentiam Dei pertinet à quo expectatur effectus, si tamen dum nomen Domini inuocatur habeatur respectus ad aliquid vane obseruatum illicitum est, & prohibitum, quia malum: similiter si dæmon pactum ineat si idolum transfixum accubus existat Petrus infirmabitur, nisi dicat missam pro infirmis, cum viginti candelis accensis & vna inaccensa quamuis totum hoc sit secundum se & bonum & adiophorum, tamen nullatenus licet facere, quia à dæmonis pacto dimanat, & tot luminaria esse & non plura vanum est, imo nec dicere missam licebit si sit respectus ad dæmonis pactum, quia vt sic vane obseruatur dum missa dicitur, quia in hoc dæmoni obtemperatur & spes habetur in eo velit, nolit, qui sic operatur, dicere enim missam, reliquias portare, nomen Domini inuocare secundum se licitum, Catholicum, & meritorium est, tamen quum fiunt ex dæmonis pacto non licet, ex hac circumstantia illicitè fiunt, quia dæmoni assentitur, cui neque in bonis prosit ab ipso assentiendum est, quia semper intendunt nostram perditionem, etiam dum bona dicunt.

Quod latè dixi *tom.* 1. *moral. tract.* 5. *res.* 61. 15
vbi inquisiui † *vtrum Deus possit assumere dæmonem in verum ministrum ad prædicandum, reuelandam seu declarandam aliquam supernaturalem veritatem, cui tuto assentire possimus?* & negatiuam partem tutatus sum multis

multis, & grauissimis fundamentis,& contrariam proximam errori, scandalosam, & temerariam iudicaui, quam censuram grauissimis viris placuisse postea noui contra Ioannem Vortmant Dominum de Quiromont *in Historia de tribus Energumenis in partibus Belgij, & de quibusdam aliis Magiæ cõplicibus, &c.* Et ex dictis & non cum paruò studio collectis,ibi tam in probationibus quã in solutionibus argumẽtorum vrgentissima ratio colligitur, pro hac conclusione, quia scilicet exequi id quod Dæmon dicit esse remedium, non ex natura rei,sed ex pacto,& promissione ipsius licebit vtique assensum præbere, iis, quæ ab ipso dicuntur tanquam vera prout ab ipso dicta, consequens autem omnino falsum est,quia, etsi vera dicat non est illi assentiendum, vt ibidem monstraui, ergo multo minus est vtendum remedio ab ipso instituto,sic enim Dæmoniacis sacramentis vtemur,quod sine illorum reuerentia saltem implicita, implicat.

16 Audiant authores oppositæ sententiæ quãta grauitate cõtra eos loquatur Aug. *ser.* 241. *qui est in Appendice de diuers. ser.* 68. *Quid facimus eo quod Auguria ipsa, & caragi, vel diuini nobis vera annũtiãt. De hac rescriptura nos contestatur, & monet, dicens, etiam siqua vera vobis dixerint,nolite credere. Tentat enim vos Dominus Deus vester vtrum timeatis eum vel non, sed iterum dicitis aliquoties si præcantatores non fuerint, aut de morsu serpentis aut de qualibet alia infirmitate prope vsq; ad mortẽ multi periclitantur,verum est fratres Charissimi, quia permittit hoc Deus diabolo ad probandum Christianum,vt in illum interdum per illa sacrilegia aliqua remedia in illa infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere facilius diabolo credant, sed qui totam Christianam Religionem desiderat custodire,oportet vt hæc tota animi virtute contẽnat,* & infra id multis confirmat. *Hæc attendite fratres, quia cum omnem substantiam diabolus euertisset Beati Iob,non dixit Iob Dominus dedit diabolus abstulit, sed Dominus dedit Dominus*
17 *abstulit,vir enim Sanctus noluit istam gloriam dare diabolo,vt aliquid potuisset tollere, quod Dominus nõ permisisset auferre, & ideo certissimè credentes quod nihil possumus perdere, nisi quãtum Deus nobis permittit auferri,toto corde nostro ad illius misericordiam eamus, & sacrilegas obseruationes fideliter relinquentes de illius adiutorio semper præsumamus.*

18 Et infra hoc idem probat tali argumento. *Contestor vos coram Deo, & Angelis eius ac denuntio, vt neque ad illa diabolica conuiuia quæ ad fanũ ad fontes q; aut ad aliquas arbores fiunt veniatis,etsi vobis aliquid inde transmissũ fuerit, tanquam si ipsum diabolum videatis perhorrescite & respuite, & ita repudiate vt neque in domum vestram permittatis de illo sacrilego conuiuio aliquid exhiberi propter illud Apostol.* 1. *ad Chorint.* 10. *num.* 20. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorũ, nec mensæ Domini participare, & mensæ Dæmoniorum, & quia solent aliqui dicere. Ego me signo, & sic manduco. Nullus hoc facere præsumat quomodo se signat in ore, & gladiũ sibi mittit in pectore? nam quomodo gladio corpus occiditur, & illo cibo sacrilego anima occiditur*, quid illustrius ad intentum.

Ex quibus liquida conspicitur argumentorum oppositæ sententiæ dilectio. Ad primum respondetur,quod † animus ille,& in- 19
tentio euertendi artes Dæmonis exequitur per medium vanum, & inutile quod iudicatur vtile ad illam euersionem, & hoc est illicitum ex natura rei, qui est tacita,& virtualis dæmonis veneratio, & inuocatio, eo ipso quod vtatur quis remedio vano vt aiebat Aug. *lib.* 2. *de doctrina Christiana.* Ad secundum respondetur, quod illa actio physice est indifferens,tamen vt est signum à dæmone institutum illo vti est intrinsice malum sicut dicebamus ex D. Thom. de inuocatione Nominis Dei, & portatione Reliquiarum.

Ad tertium respondetur, prorsus esse friuolum,quia † si reliquiarum portatio, asper- 20
sio aquæ benedictæ, & sacrificiorum oblatio non habeat aliquid vanum,quod ordinarie apponit Dæmõ dum illa instituit tanquã signa, quibus allicitur ad operandum, vel cessando ab operatione,imo nequit ob suam obstinationem hæc sancta præcipere vt fiãt, nisi in executione aliquid vanũ misceatur; quamuis malefico non manifestet, cuius ratio est manifesta, quia huiusmodi sancta vt sic odio prosequitur Dæmon, & abominatur, & ita ea nõ præcipit aut instituit, vt signa suæ malitiæ nisi aliquid addat vanũ ratione cuius ea instituat tanquam signa eum allicientia ad operandum vel cessandum ab operatione, & sic sacrificium missæ offerre, quia Dæmon pepigit vt offerretur nullatenus licet, nisi offeratur in odium ipsius dæmonis,& operum eius,quia vt sic non offertur ex vi pacti, si autem non offeratur ex vi pacti extra quæstionem itur, quis enim dubitat quod ego possum me lauare in flumine,aspergere me aqua benedicta, reliquias Sanctorum portare,& missas dicere?

Ad quartum respondetur, quod eo ipso quod quis repercutit sagam,quia sic pepigit Dæmon vt sanetur infirmus, vel sequatur 21
maleficium non mutat intentionem omninò,sed eam retinet virtualiter inuocandi dæmonem eo ipso quod vtitur sacramento ab ipso instituto quod secundum se vanum est & inutile, & solum habet vim ex vi pacti initi, vnde non per accidens sed per se expectatur salus, & cessatio nocumenti à dæmone

mone institutore talis remedij vani.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta oppositæ sententiæ Delrij, & aliorum.

SVMMARIVM.

1. *An illicitum sit soluere idolum acubus transfixum & alia similia signa magica ad inferendum damnum maleficiato.*
2. *An non sit peccatum superstitionis dissoluere, aut auferre signa magica per actiones quæ naturalem habent oppositionem cum signis delendis.*
3. *Quæ naturalis oppositio cum signis magicis delendis multipliciter possit intelligi.*
4. *An Dæmonium sustinenti liceat petras habere, vel herbas sine incantatione.*
5. *Augustini sententia adducitur, & n.* 11. *nec non Chrys. & n.* 12.
6. *Quomodo dignoscatur quum est signum magicum, vel naturale ex Valentia.*
7. *Tobiæ exemplum affertur, & n.* 8.
9. *Variorum DD. sensus adducuntur.*
10. *Quæ oppositio inter actiones humanas & signa diabolica possit intelligi.*
13. *An effectus veneni sit naturalis.*
14. *An malefici non tollantur de medio, sed pœna mortis puniantur.*
15. *An in odium Dæmonis & operum eius possint destrui signa malefica.*
16. *Maleficus potest sicut quiuis alius signa maleficij tollere in odium & detestationem tã dæmonis quam pacti, quod cum illo habuit, modo sic agat, vt omnis scandali periculum absit, ex Syluio.*

IN, *solut.* prima, huius Diggressionis fundamenta scholæ societatis adduximus, quæ euertere facilè quisque poterit, ad primum respondetur, ex dictis constare caput ex eo,
1 quod † illicitum est soluere idolum acubus transfixum, & similia signa magica ad inferendum damnum maleficiato, quia hoc nõ fit sine pacto tacito Diaboli eiusque inuocatione implicita, si expectetur effectus ex vi fractionis signi, si enim non expectatur sic fractio signi meritoria est, & Catholica, vt benè aduertit Magister Raphaël de la Torre *tom.* 2. *quæst.* 95. *art.* 5. *disput.* 3. *conclus.* 2. vbi ea quæ dicit sale prudentiæ sint condienda,
2 dicit enim sic *p.* 229. *colum.* 2. † *non est peccatum superstitionis dissoluere, aut auferre signa magica per actiones quæ naturalem habent oppositionem cum signis delendis, quamuis & ipsæ actiones sint signa magica conuenta inter Dæmones, & Magos, si tamen delens non habet intentionem positiuam vtendi actibus, vt signis, vel vt Dæmon cesset à malo, aut largiatur bonum, sed dumtaxat tollendi & destruendi signa priora. Probatur, quia actiones hæpostiuæ habent natura sua incompossibilitatem cum signis prioribus sicut affirmatio cum sua negation e opposita, ergo vtens illis ad eum finem nullam superstitionem committit, sicut nec ille qui poterit, & conculcat signa magica. Etenim qui vtitur aliqua re quem naturaliter præstare potest non est dicendus superstitiosus.*

Hæc doctrina verissima est verum indiget explicatione non parua, nec parum necessaria ne Dæmon in huiusmodi se implicet, etenim † naturalis ista oppositio cum 3
signis magicis delendis multipliciter potest intelligi primò, si fit inter effectum naturalem quem causat Dæmon illectus signis istis, cui effectui naturalisi aliqua medicina,& remedium naturale quod expellit effectũ causatum à Dæmone quo effectu ablato, quod quod est tanquam complementum signi allicientis Dæmonem etiam, & maleficium cessat ligatura aut impotentia, quæ causabatur ab effectu, quem Dæmon inducebat, eamque conseruabat allectus tanquam à signo per effectum illum, cui effectui naturaliter potest esse alius inductus à medicina illi naturaliter oppositus, solet enim Dæmon per maleficium causare in homine melancholicum humorem, frigiditatem nimiam, aut calorem superabundantem, quibus effectibus sunt alij oppositi naturaliter, quos causat naturale medicamentum, quare ablata dispositione naturali, quam Dæmõ exigebat ad causandum suum effectum, & ipse cessat à male faciendo,& sic intelligo *cap. Dæmonium* 26. *quæst.* 7. ibi. † *Dæmonium susti-* 4
nenti licet petras habere vel herbas sine incantatione. Multoties etiam Dæmon in locis in quibus inhabitat requirit aliquem odorem, aut dispositionem in corporibus, aliquos humores, & affectiones, quibus existentibus, & ipse malefactor existit,vt constat de Lunatico illo *Matth.* 17. *num.* 20. de hac oppositione non dubito, quin liceat ponere remedium hoc naturale etiamsi alias à Dæmone sit institutum signum, vel à cessando à malo inferendo, vel ad causandam sanitatem. Ratio est quia, qui scit tale remedium habere vim naturalem oppositam illi rei, & effectui,quem Dæmon ex malitia sua instituit tanquam signum non expectat à dæmone sanitatem, sed à virtute naturali remedij, quare est per accidens, quod Dæmon illud naturale remedium instituerit signum magicum, quia illo vt sic non intendo vti, sed naturali remedio.

Verum est quod si quis sciens hoc remedium naturale simul esse magicum signum illo vtatur vt citius quam natura operaretur, & sic applicat maleficiato, illo vtitur non vt remedio

remedio naturali, sed vt vano, & Dæmoniaco, quia in modo operandi magicum est? etiamsi alias modo naturali operans effe-
5 ctum saum causaret, & sic † intelligo Augustin. *lib.21.de ciuitat.cap.6.* dum dicit. *Dæmones inhabitare in hominibus illecti, per varia genera lapidum, herbarum, animalium,* quia istis mouentur ad citius operandum salutē, & sic ratione modi operandi magica signa sunt, & ex hac intentio vt citius causent salutem non licet eis vti. Vnde egregie Pater
6 Valentia 2.2. *disp.6.quæst.13.punct.2.* † vt dignoscatur quum est signum magicum, vel naturale, sic fatur *vers. Primo igitur ex modo operandi cognoscitur in hoc genere vanitas, & superstitio, tunc enim certo iudicari potest, vt minimum illico esse commercium cum Dæmone expressum, aut tacitum, illico enim se immiscet, vndecumque vanitas operationis contingat, siue ex parte rei adhibitæ, siue ex parte modi. Vnde si quum modus est vanus simul etiam contingat rem esse insufficientem ad effectum intentum, erit non solum commercium cum Dæmone, sed etiam superstitio, si autem contingat rem adhibitam esse alioquin sufficientem ad effectum, tunc tantum erit commercium cum Dæmone propter vanum modum.* hæc ille, quibus addo, quod eo erit certior præsumptio auxilio Diaboli operatam sanitatem, aut incolumitatem, quo citiùs ea consequatur etiam adhibita causa naturali lentius deberet dimanare, sic enim D. Tho. *quæst....de potent.art....* dicit, quod contingit miraculum verum quum producitur effectus citius, quam à causa naturali modo sibi debito deberet produci.

Ad hunc primum modum naturalis oppositionis, forsan posset quis reducere expulsionem Dæmoniorum, de quibus Tobiæ *cap.6.n.8.* dum Angelus dixit Tobiæ Iuniori
7 † *Cordii eius* (scilicet piscis Cerniuori) *particulam si super carbones ponas fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos, & fel valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* Vnde sicut in felle est naturalis vis ad consumendam oculorum albuginem, ita fumus eiusdem piscis de par-
8 ticula cordis prunis imposita accendens, valet ad aliquem effectum naturalem inducēdum oppositum humori illi aut affectioni naturali, sine qua Dæmon non inhabitat in aliquo loco, aut corpore, & ita valet indirectè ad extricandum Dæmones, ita vt quandiu talis fumi effectus duret Dæmō vlterius non accedat ad personam, aut locum fumigatum, nec enim video cur in felle piscis sit virtus naturalis ad abstergendam oculorum albuginem & in particulæ cordis fumo, non sit virtus virtualis ad causandum effectum naturaliter oppositum effectui, affectui sensitiuo, aut dispositioni, quam exigit Dæmon ad inhabitandum, & nocendum, quam virtutem hominibus post lapsum ignotam, Deus pisci illi indidit, & Angelus Raphael medicus noster reuelauit Iuniori Tobiæ, sic etiam possunt conducere lapides, herbæ, & radices, & 9 similes naturales causæ. † Legendi sunt Valesius *de sacra Philosophia c.28.* vbi perdocte id tractat ex principiis veræ medicinæ. Gregorius Tolosanus *in Sytagmat.iurs l.24. cap.22.* Franciscus Georgius *tom.6.problem. 119.* Mengus *in flagello Dæmonis cap.6.vers.8.* Abulens. *in cap.16.lib.1.Regum q.46.* ego ipse *tom.1.tract.5.resol.48.& 49.*

Secundò modo † potest intelligi hæc na- 10
turalis oppositio inter actiones humanas, & signa diabolica, ita vt ista deleantur ex illarum positione quatenus homines faciunt aliquid aut ponūt naturalem aliquam rem, quæ directe agat in Dæmonem ipsumque expellat aut compellat ad sanitatem operandam aut infirmitatem repellendam, & hoc modo nisi virtus aut eleuatio interueniat diuina, aut Angelus bonus aut Ecclesia ille sua potestate supra Dæmonem omnem etiā superiorem, ista vero suis exorcismis, precationibus, & intercessionibus, omnino implicat, tum quia Dæmon spiritualis est creatura in quam nulla corporea queit agere, nisi vt instrumentum diuinæ omnipotentiæ aut ex diuina institutione assumptum vt bene adnotant Valesius *vbi sup.* Dauid Amauden. *in Tobiam cap.6.sect.8.* Seranus *ad cap.8. quæst.3.* vnde si quis ad tollendum vel impediendum maleficium re aliqua vtitur, aut actionem positiuam facit, quæ non ex natura sua vim habeat ad effectum contrarium inducendum, illi quem Dæmon vt inhabitet, requirit, aut vt damnum inferat, dubio procul salutem procurat vano remedio, & dæmonis auxilio.

Vnde *additione 3.ad capitula Caroli Magni & Ludouici cap.61. editio.* Pithæi dicitur. *Admoneant Sacerdotes fideles populos, vt nouerint non ligaturas ossium, & herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos, & insidias antiqui hostis,* quod qualiter sit intelligendum multo ante docuerat † Au- 11
gustinus *lib.2.de doctrina Christiana cap.29.* his grauissimis verbis quibus rem hanc extricauit, enucleauit, explicuit. *Aliud est* (inquit) *dicere tristam istam herbam collo si suspenderis venter non dolebit? ibi enim probatur contēperatio Salubris, hic significatio superstitiosa damnatur. Quamquam vbi præcantationes, & characteres non sunt, plerumque dubium est vtrum res quæ alligatur, aut quoquomodo adiungitur sanando corpori vi naturæ valeat, quod libere adhibendum est, an significatiua quadam obligatione proueniat, quod*

tanto prudentius oportet cauere Christianum quanto efficacius prodesse videbitur, sed vbi latet qua causa, quid valeat, quo animo quis vtatur interest duntaxat in sanandis, vel temperandis corporibus, siue in Medicina, siue in agricultura, quæ vltima verba quomodo sint intelligenda antea dixerat *cap.20.*

12 Sed audi Chrysostom. *homil.8.in cap.3.ad Colossens.* hoc argumento vtentem, quod dicitur à minori ad maius negatiuè. *Dic mihi* (ait) *si diceret quispiam, duc ægrotum in templum simulachrorum, ferres ne illum? Non inquis, quare? quia ad simulachrorum cultum dirigeret, inquis, hic vero nō est simulachrorum cultus, sed impliciter incantatio. Hæc satanica cogitatio est; istæ sunt insidiæ Diabolicæ, ad occludendum seductionem, & ad porrigendum sub melle venenosum pharmacum, sciens enim te ad simulachrorum templum persuaderi nō posse hac via ingreditur amuleta & aniles fabulas adducens,* & infrà. *Quomodo non ridebunt nos Græci? Quomodo non subsannabunt, quum illis dicimus magnam esse crucis virtutem, quomodo credent, cum videant nos istis egere, quæ ipsi derident?* quæ satis ad rem præsentem attinent, quo enim titulo, quove motiuo actionem facio de se inutilem ad maleficiū consopiendum, nisi, quia facto ipso iudico vtilem ex tacita Dæmonis pactione.

13 Ad secundùm respondetur, concedo antecedens, quia † effectus veneni naturalis est, quare distinguo consequens, si maleficium euerto pactum abiurando & expectans salutem à Domino vera est illatio, si autem pactum non abiuro, sed ex vi fractionis ollæ sub terra posita, aut idoli cerei acubus transfixi expecto salutem consequendam, & dæmonem cessaturum à malo inferendo, falsa est omnino consequentiam, & Dæmonem cessaturum à malo inferendo falsa est omnino consequentia, vt satis liquet ex dictis.

14 Ad tertiùm respondetur (quamuis Delrius dicat non fuisse à defensoribus nostræ sententiæ solutum,) quod † malefici non tolluntur de medio & pœna mortis puniuntur, quia sunt signa diaboliba, sed quia sunt ex malitia sua viua instrumenta inferni & malefactores qui Rempublicam suis malefactis conturbant, quare occiduntur, cremantur, suspendunt palo, quia peruersores boni communis & pacis publicæ.

Ad quartum respondetur probari, quod
15 † in odium Dæmonis & operum eius, quod expectans salutem à Dæmonio nullus Catholicus negat posse destrui signa maleficia, quare Delrius, qui hoc argumento vtitur rem falsam cum veritate vult confundere.

Ad quintùm respondetur ex Syluio *in so-*
16 *lut.ad 7.* dicente. *Quod † maleficus potest si-*

cui quiuis alius signa maleficij tollere in odium & detestationem tam Dæmonis, quam pacti, quod cum illo habuit, modo sic agat, vt omnis scandali periculum absit. Quod si forte contingat eum non, posse ita tollere non idcirco erit causa nocumenti, postquam serio pœnitentiam egit, quamuis fuerit antea eius causa per pactū & inuocationem Dæmonis; per seriam enim pœnitentiam, & pacto, quod cum Dæmone habuit renunciat, & ipsi Dæmoni, adeo vt si adhuc aliquod nocumentum sequatur id soli Dæmonis malitiæ, quam iustum Dei iudicium ex causa permittit sit adscribendum, non autem ei qui ex Malefico factus est iam pœnitens. hæc ille satis benè.

SECTIO VIII.

Vtrùm sententia opposita nostræ sit aliqua graui censura digna?

SVMMARIVM.

1. *An ex vi destructionis signi speretur Dæmonē cessare à malefaciendo, nisi dæmon ipse abominetur, simul cum suis operibus.*
2. *An non liceat destruere maleficium cum expectatione, quod Dæmon cessabit ab operando malum.*
   Item an non liceat reductiuare maleficæ, vel illam percutiendo, aut aliquid ei dando, ne maleficium efficax sit.
3. *Guagerici Hispani sensus adducitur.*
4. *Quomodo confessor se debeat gerere in absolutione malefici & sagarum, & n.5.*

DElrius *quæst. illa 3.cit. §.1.* in fauorem suæ sententiæ, sic fatur. *Hæc est communis sententia Hispanorum, Germanorum, Italorum, Gallorum, Britannorumque Theologorum quidem Scholasticorum omnium, Nominalium, Scotistarum, Thomistarum, ex quibus multi Cardinales, Episcopi, & Magistri Sacri Palatij, cæteri dignitatibus aliis, aut eruditione saltem & pietate conspicui. Quare cum sit incredibile tot Academiarum præcipuarum professores in hoc dogmate ad mores pertinente vsque ad Hesselium errasse, & hodie quoque errare, tum in lectionibus, tum in ipsa praxi quotidiana, idque errore tam periculosè sanè non videtur carere temeritate, qui hos omnes inscitia & errore condemnare audit.* Hæc ille, verum hic Auctor de fæce haurit patrocinium. Neque enim Hispani, Germani & aliarum Catholicarum Nationum scriptores in consensu, quem intendit Delrius sequutus Lessium quos sequuntur Scriptores, alij Societatis, sunt locuti, sed alio longe diuerso vt nos explicuimus, quem amplectitur praxis Ecclesiæ

quæ semper abominatur, † quod ex vi destructionis signi speretur Dæmon cessare à maleficiendo, nisi Dæmon ipse abominetur, simul cum suis operibus, vnde non ex vi destructionis signi, salus speranda est, aut Dæmonis cessatio hoc enim, vt diximus est Dæmonis pactum tacitè approbare, quod non licet sicut neque dicere verbo tenus, quod à malefaciendo cesset.

Igitur cum nostra sententia duplicem
2 contineat partem, primam quod † non liceat destruere maleficium cum expectatione, quod Dæmon cessabit ab operando malum secundum, quod non liceat redactiuare maleficæ, vel illam percutiendo, aut aliquid ei dando, ne maleficium efficax sit, quia ita in Dæmonis inito pacto statutum & conuentum est, si de prima parte loquamur, eam tanquam probabiliorem defendimus & tanquam magis immunem & securiorem à superstitione iuxta principia August. & vtriusque Thomæ, & toti antiquitati conformiorem, contrariam tamen sententiam, quam viri docti & pij defensarunt, censura non inuro, at securam non asseuero à periculo superstitionis, vt in nostris fundamentis liquido apparet, si enim signum maleficij, potest euerti abominando Diabolum, eius opera, & pacta expectans ob hunc actum, salutem à Domino cur expectare licebit, quod Dæmon cessabit ex vi fractionis signi, & quod ex vi huius retrocedat à pacto voluntarie, quia non obseruatur signum, quod ipse instituit, certè quidem si hoc syncerè consideretur non videtur mundum ab omni Dæmonis obseruantia, siquidem exigitur, quod Dæmon aliquid voluntariè ponat in vtilitatem nostram, & non coactè ex vi alicuius sanctæ operationis, aut exorcismi.

Si tamen de secunda parte sententiæ
3 nostræ sit sermo, de ea sic loquitur Guagericus. *Non videtur vllo modo admittendum non solum licere signa maleficij destruere spe cessationis nocumenti, sed etiam licitè poni alia per quæ præcedentia vim suam amittant, puta quod liceat repercutere sagam ad auertendum maleficium, vel ei dare panem cum sale, aut ab eadem panem accipere, quid enim istud, aliud est quam vti sacramentis ipsius Dæmonis, vtpotè cum talia non sint ab alio quam ab ipso Dæmone ad prædictum effectum constituta, &c.* Cui Auctori assentior, existimo enim hoc nullatenus esse admittendum, id quod dicunt quidam, quos retuli *sect.* 5. eorumque sententiam in praxi neque in docendo, neque in consiliando tutam esse, aut practicam habere probabilitatem cum vsque ad Lessium quem sequuti sunt Suarez, Sanchez, & Fagundez nullus antiquior eam docuerit, contra quos sunt manifestè August. & vterque Thomas locis citatis & omnes qui asserunt, quod non licet maleficium maleficio tollere, etiamsi intentio destruendi & rescindendi pactum cum Dæmone primo initum.

Ad finem huius dubij aduertendum est,
cum Guagerico Hispano vbi suprà † *quo-* 4
modo Confessor se debeat gerere in absolutione Malefici & sagarum, si enim isti miserabiles eo deuenere, quod Christum & eius Sacramenta & fidem Catholicam abiurarint nequeunt ab aliquo quam ab Inquisitoribus delegatis Summi Pontifices, vtpote cum incurrerint casum hæresis reseruatum in Bulla cœnæ & in edictis Sancti officij, rursus si per maleficium damnum intuleris, vel in bonis fortunæ, vel in vita, vel ineptum faciendo maleficiatum, vt victum sibi & suis quærat obligandi ad restitutionem iuxta principia tradita de restitutione si vero maleficiatus sit Clericus incurrit excommunicationem Canonis, & tandem ex-
communicandus est maleficus & saga, an adhuc 5
habeat maleficia vspiam posita ad nocendum. Quæ si per se noxia sint tenebitur ea destruere, aut amouere, si autem ex pacto dumtaxat nocent, potest ea destruere eo modo quo suprà dictum est, videlicet in odium & contemptum pacti superstitiosi. Hæc bonus Hispanus.

DIGGRESSIO III.

Vtrùm cicuratio Tauri in die S. Marci libera sit à superstitione.

Homo 1. *tractat.* 5. *Resolut.* 25. Taurus *hic in Syluam abiit*, & meum sensum circa illius cicurationem etsi non omnino manifestum proposui, cogor tamen è *Sylua in forum* adducere iterum exagitandum, quia his diebus aliquatenus murmuratum est de meo dictamine, quod nec pietati, nec Religioni, aut cultui opponitur, nec alij quid, quod superstitiosum sit defendit. Igitur præter Auctores quos dedi loco citato, qui Magiæ Dæmoniacæ cicurationem animalis huius ferocissimi tribuunt & non miraculo & deuotioni populi immemoriali idem sentiunt alij recentiores Theologi.

* * *

SECTIO

SECTIO I.

Opinio Reuerendissimi Magistri, Ioannis, à S. Thoma, confirmata adducitur.

SVMMARIVM.

1. *Circuratio tauri in die S. Marci ad quam speciem incantationis & superstitionis spectet.*
2. *Variorum DD. sententiæ afferuntur.*
3. *An potestas miraculorum nullis adstringatur vocibus, nullis legibus.*
4. *An Deus permittat dæmoni facere miracula falsa, etiam prætextu sanctitatis ad decipiendum, ex Torreblanca.*
5. *Grillandi opinio adducitur, necnon Mag. à Sancto Thoma, & n.* 6.
7. *Authoris iudicium, & numer.* 8. *vsque ad* 13.
14. *Quæcunque in nomine Dei & Christi fiebant, licitè operabantur, ex Malleolo.*
15. *Quando agitur de animarum salute, & de re illicita iure naturæ vitanda, tunc quod leuius videatur, sed quod reuera sit animæ tutius, an sequendum & consulendum.*

REuerendissimus Pater & valdè amicus meus Magister Ioannes à S. Thoma *in quadam quolibetica quæst. Compluti recitata pro gradu Doctorali obtinendo & habetur in* 22. *commentariis ad finem & est in ordine.* 7. post multa, hinc inde eruditione adducta. Sic circa finem quæstionis concludit.
1 *Quare* † *res ista.* (tauri circuratio in die S. Marci) *sine dubio ad speciem illam incantationis & superstitionis spectat, quæ verbis quibusdam nullam aliam virtutem habentibus, quam nudam significationem sine vllo Dei promisso, aut operatione effectus aliquos mirabiles, verè tamen Magicos circa animalia, efficit, sicut est, serpentum incantatio, quæ dæmone procurante, ita illos stupefacere & edomare solet, vt innoxiè manibus attrectent; & magorum nutibus sine vlla resistentia obediant.* Hæc est huius grauissimi Magistri sententia indu-
2 bitanter prolata † in qua secutus est Moure *opusculo de incantation. & ensalmis sect.* 2. *cap.* 2. *numer.* 13. *& cap.* 3. *num.* 16. *& cap.* 9. *numer.* 2. *& cap.* 16. *numer.* 15. quam non ita in dubiè secuti sunt Raphaël de la Torre *tom.* 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *disp.* 1. §. *huius argum. occasione in fine*, vbi asserit, *Cupio videre leges & obseruantias requisitas, vt inde possim venari quid sit de hac re sentiendum, vbi aliquid pietatis in D. Marcum miscetur.* Franciscus Torreblanca *lib.* 4. *iuris spiritualis cap.* 6. *numer.* 34. *approbare* (ait) *non audeo consuetudinem Confratrum S. Marci, qui à vesperis eius festiuitatis ferocissimum Taurum ex armento vocant, vt processioni assistat. Ipseque statim obtemperans ciuitatem petit & deposita ferocitate à pueris & virginibus se tractari patitur. Nam licet ad inebriationem referat laguna ad discordiam, capit.* 119. *fol.* 450. *& ad fici alligati occultam proprietatem Alexander de Angelo lib.* 1. *contra Astrologos cap.* 18. *& ad aliam causam (scilicet ad ligationem dextri Tauri genu.) Pierius in Commentar. ad Hieroglyphica titul. de bonorum obsequio folio* 13. *Talis ritus, vt superstitiosus damnatur à Clemente VIII. in Bulla ad Episcopum Ciuitatens. data Romæ* 10. *Martij* 1598. Hæc ille referens verba Breuis Apostolici, sed non fideliter, vt ego totum ad verbum referens, *lib.* 6. *huius tomo* 2.

Sed hæc sententia vrgentius, quam vnquam confirmata à me est proponenda, & quidem Magister Raphaël de la Torre, sic argumentatur. *Magna me tenet formido superstitiosa. Primò, quia* † *potestas miraculorum nullis adstringitur vocibus, nullis legibus,* 3
quas dicuntur seruare isti D. Marci Confratres. Secundò, quia iam stabilita fide, maximè apud Hispanos non est opus credulitatem Sanctitatis Diui Marci corroborare, sicut nec deuotionem nutrire magis quam aliorum Sanctorum, illa miraculosa bestiæ ferocis mansuefactione. Tertiò, quid D. Marco cum tauro? cum ex illa mystica quatuor animalium visione potius sibi obtigerit figura Leonis.

Torreblanca sic arguit. *Non repugnat.* † *Deum permittere Dæmoni facere miracula falsa etiam prætextu Sanctitatis ad decipiendũ,* 4
vt tradunt D. Th. ad Thess. 2. *lect.* 2. *&* 22. *q.* 178. *art.* 2. *Suar. t.* 2. *in* 3. *p.* 1. *disp.* 31. *sect.* 2. *Valle de Moura, & quidem multos esse qui arte Dæmonis bruta huiusmodi incantant, tradunt Delrio l.* 2. *q.* 13. *Laguna ad Dioscori. lib.* 6. *c.* 54. *Arnobius l.* 1. *Cassiod. l.* 3. *ep.* 31. *Grilland. de sortileg. q.* 8. *de crocodillis à piscatoribus tradit Villamonte l.* 3. *itinerar. c.* 12. *de leænis Syluius Italicus.*

Hæreolo non pauidus fœtas mulcere leænas
De Trigidibus & Dracon. Petronius arbiter

Hircanique Tigres & iussi stare Dracones
Nec solum sisti cogebantur, sed exarmabantur veneno, vt eos tractantes non morderent; aut si morderent nil mali adferrent, vt de viperis hac arte incantatis, & in coronam Romæ adductis à nebulonibus, (quos ego vidi ann. 1624.) *vt pecunias extorquerent, narrat Laguna vbi suprà nam, vt ait Syluius Italicus.*

Serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyx, tractuque graues sopire Chelyndros.

Hæc Torrebl. quibus addo, *id quod in* 6. *Synodo Trullana cano.* 61. dicitur de quibusdam

qui vrsas & huiusmodi animalia ad ludum & simpliciorum noxam circunferunt, quæ verba Theodorus Balsamon, etsi schimaticus non ineruditus intelligit sic, *Vrsas trahere dicuntur ij, qui Arctotrophi idest vrsorum altores appellantur, qui quidem in capite & totius animalis corpore, tincturas appendentes, & pilos, ex ipsis tondentes, eos vna cum tincturis dant, perinde ac remedia, & amuleta & tanquam in morbis, ac fascinantibus oculis conferre possint.* Hactenus Balsamon qui huiusmodi vrsorum cicurationes tanquam superstitiosas cum Patribus Trullanis censet,

Seneca etiam in Medea *act.* 4. sic fatur

Taurus coërcet frigore Artoo rigens,
Et omne monstrum tracta magicis cantibus.

Grillandus pariter † *vbi supra ad finem quæst.* 8. dicit se vidisse Romæ hominem
5 natione Græcum & magum, qui tempore Adriani VI. antequam Pontifex in vrbem veniret taurum ferocissimum verbis compressisse & humiliasse, sic quod cordula quò vellet ligatum duceret, forsan hic Græcus Magus idem est, qui tempore Clementis VII. idem fecisse legitur, isti enim duo Pontifices paucis interpositis, vnus alteri successit, nam Adrianus vixit *annno* 1522. & Clemens euectus est ad summam Ecclesiæ dignitatem *ann.* 1523. vixit enim Adrianus in sede Apostolica anno vno, & mensibus octo, diebus sex.

6 Magister à Sancto Thom. † sic procedit calamo eloquentiæ, vt est vsus in huiusmodi quodlibetis, *cæterum in hac quã narramus Tauri cicuratione, sicut fieri solita est nihil accidere, quod diuini miraculi, vel tenuiter odoretur vestigia, sed quod superstitiosæ maculæ tingatur fuligine, hoc asserimus, hoc firmamus. Nec nos solum, sed testimonium perhibet de his, Sacro-sancta Sedes Apostolica, cuius oraculo supremoque iudicio inclinare caput cogimur, cum Papa Clemens VIII. Ciuitatensi Episcopo in cuius diœcesi oppidum illud huic prodigio vacat situm est, per suas litteras commisit, vt talem abusum, quasi superstitiosum prorsus euelleret & extirparet, nec amplius fieri pateretur.* Huius summi Pontificis Breue *lib.* 6. *integrum dabo, in cuius diplomatè manifeste cernitur sacerdotalis pectoris robur & neruosa veritatis censura, qua tanquam ancipiti & acuto cælestis authoritatis gladio omnis superstitio conciditur, omnis impostura detegitur, & falsæ pietatis vmbræ penitus dissoluuntur.*

Certè Syluius ipse cicurandi belluam, longè à veri miraculi maiestate grauitateque recedit, miraculorum enim fulgor in eum finem sollimare videtur, vt vel in fidei confirmationem, vel in commendationem sanctitatis alicuius personæ, vel Ecclesiæ fiant. Fides autem satis apud nos confirmata & altis infixa radicibus, signis, & miraculis amplius non indiget, vt confirmetur, sed miraculorum loco ipsa sine signis firma credulitas succedit, hoc enim mirabile in fide nostra est, vt semel fundata sine miraculorum radiis propria tantum luce splendeat, & firmitate sua stabilis, atque immobilis obscuram caliginem sola illustret face certitudinis.

Personæ autem, quibus superstitio ista per- 7
agitur nullius sanctitatis nota insignes habentur, vt miraculorum authoritate indigeant commendari, sed prout fortuito contingit Præfectum sodalitatu illo anno reperiri ad tantæ actionis solemnitatem, cuiuscumque vitæ ille fuerit æquis passibus animatur. Multo minus ad Ecclesiæ ipsius vtilitatem, aut venerationem res ista conducit, cum potius, vt ipsius Ecclesiæ vniuersalis Pastor nos admonet, non sine ipsius Ecclesiæ conspurcatione, & labe non sine indecentia Officiorum sacrorum non sine populi dissolutione, risu, & inquietudine in totius Ecclesiæ indignitatem spectacula ista celebrentur. Quorsum ergo hic miraculi vis, aut potestas, vbi tanti vndique infunduntur abusus?

Ipsa denique forma, & cæremoniæ stylus 8
inanitatem miraculi ostendit, quid enim ad cicurationem istam, solicitudo illa, & præuentio refert, vt prius suffragiis communibus eligatur taurus, & electus Marci nomine insigniatur, ac deinde denudato capite in festi ipsius peruigilio à sodalitatis Præfectis, dicto nomine euocetur? quid hæc ad veri miraculi patrationem conducunt, aut quid ad sancti venerationem, cultumque diuinum? vbi autem aliquid vanum & de se nihil conducens ad finem religiosi cultus adhibetur, ibi maximè superstitio locum habet, & maximè timenda est.

Tum quia stylus iste & forma cicurandi tau- 9
rum, nisi ab ipso Deo, aut Ecclesia approbante præscriptum sit, sine dubio tanquam humanum commentum, aut inane commentum, & mera fictio habenda est, quod vero ab ipso Deo præscripta sit, aut annuente Ecclesia comprobata non constat, imo oppositum ex relata Pontificis sententia manifestè colligitur. Si vero ex hominum placito & humana tantum voluntate res ista subsistit, cum ex sola sermonum & vocum significatione virtutem illam cicurationis sortiri nullomodo possit, restat, vt ab aliquo prauo spiritu vim suam aliquo pacto tacito, vel expresso verbis illis alligante effectum istum procedere teneamus.

Et certè qualis cultus censeri potest & 10
non potius irrisio, & maxima Christianæ Religionis indecentia, fortassis à dæmone ad diuinum cultum minuendum procurata, brutum animal & ferocissimam belluam tanto strepitu & concursu tantis clamoribus, tam prophano ludo intra ipsam Ecclesiam induci, ibique toto festiuitatis tempore quasi in stabulo immorari omnium animos, & oculos ad se conuertere, & à diuinorum attentione debitaque reuerentia, & grauitate auertere, popularibus mentibus quasi ludricum reddere quidquid tunc in Ecclesia geritur, ne videlicet ad Dei laudes, & religiosam modestiam animus erigatur, sed tota Ecclesia confusa clamoribus irreuerenter tractetur, puerorum, ac iuuenum circa taurum discurrentium inquietudine ferueat, vbi nihil modestum, nihil religiosum, nihil ad pietatis ac Religionis augmentum, sed totum ad euagationem mentis, & iocularem tumultum compositum, efformatumque videatur. Hæc ad verbum vir satis cordatus, & prudens, quibus videtur *Argiueum Clypeum*, abstulisse discerpsisseque consuetudinem, hanc tanquam conchylium, sed vt ait Plutarchus.

Est Pylus ante Pylum siquidem est Pylus altera sane.

11 Cæterum antequam Pylum nostram in medium adducamus placet amplius, & forsan vrgentius cicurationem tauri S. Marci, vt immunem à superstitione impugnare; primò, quia vel hæc tauri cicuratio fit tunc temporis quum à Confratribus emittitur; aut acceptatur illius oblatio ab aliqua pia, & deuota persona, & insignitur nomine Marci ab ipsis confratribus sine aliquâ alia cæremonia, aut signo, ritúve speciali (vt fit in Oppido huius Diœcesis Hispalensis dicto *la Puebla*, distante ab Oppido dicto *Loria*, triplici aut quadruplici iactu lapidis, & hoc errore ductus dixi *in Resol. illa* 21. quod hæc cicuratio fiebat in Oppido dicto, *Coxiæ*) ab Hispali autem distat per duas leucas & dimidiam, & tunc aut cicuratio fit ex vi impositionis nominis, aut ex designatione ad diem festiuum, solum & sic tempus obseruatur diem scilicet S. Marci, & non alium in quo cicurationem faciendam autumant, at temporis, diei, horæ, & anni obseruatio tanquam vana, & superstitiosa damnatur à Patribus, super illud *ad Galat.* 4. *num.* 10. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne frustra laborauerim in vobis.* Ambrosius, *ibi: Tempora sic obseruant cum dicunt hodie festiuitas est.* Sequuntur Augustinus, *epist.* 119. *& in Inchiridio. ad Laurentium, cap.* 79. Anselmus *ad cap.* 4. *epistol. ad Galat.* & legendi sunt Ciruelus *p.* 3. *de superstit. cap.* 6. Arles *in simili tract.* Martinus del Rio *lib.* 3. *disquisit. p.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 7. vbi id eruditè confirmat.

12 Si vero hæc cicuratio ferocissimi animalis fit ex vi nominis impositionis pro audiendum est in syluis suæ oblitus ferocitatis, vocatur vt suæ satisfaciat obligationi, sic enim vocabitur ab his qui eum trahunt ad Ecclesiam: *Ven Marcos a complir con la obligacion.* Hæc enim, & nullum aliud verbum proferunt portitores illius quo audito quasi ouis venit sine fune, sine fustibus, sed solum dirigitur virgula, concluditúrque in loco subsidio quoúsque iterum vocatur, vt assistat processioni, quæ fit per vicos & plateas Ciuitatis, neque enim assistit in loco *de la Puebla*, sacrificio Missæ, & verbi Dei prædicatione, etsi audio in Diœcesi Salmantina etiam in Ecclesia sit, dum fiunt officia omnia diuina. Si inquam hæc cicuratio fit ex vi verborum, aut nominis impositione, via & ostium magnum aperitur superstitioni ex vi verborum horum efficaciæ & virtutis.

Primo ensalmus ille quo vtebantur milites Hispani de quo, & quem referunt Martin. del Rio *lib.* 3. *disquisit. p.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. & vt superstitiosum suo tempore Episcopus Iprensis in Flandria vnà cum suis Theologis, & Consiliariis damnauit, & multis impugnat ibi Delrius ipse, quamuis in illo non nisi verba sacra & sancta contineantur, quia effectus huius ensalmi totus expectatur à Deo per modum miraculi, sed miracula sic assidue & quasi ex consuetudine poscere est Deum tentare. Deinde sancti viri ad miracula edenda non sunt vsi determinatis verbis, & nominibus, sed prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, & inspirabat, nec enim gratia miraculorum datur sub conditione, vt certis vtatur verbis.

Secundò, ex hoc magnam accipient oc- 13
casionem Discipuli, Felicis Malleoli Canonici Tigurini, vt defendant opus eius duobus libris digestum de exorcismis, quorum verbis aliam virtutem confert admirabiles operationes; quas ex Magia Dæmoniaca dimanare nulli Catholico dubium est. Quare opus istud & nomen Ecclesia Romana inter primæ classis prohibitos Auctores, quorum cuncta scripta sunt vetita, retulit, & quidem ipse Malleolus eo vtebatur argumento, quod † quæcunque in nomine Dei, 14
& Christi fiebant, licitè operabantur, iuxta illud Pauli *ad Colossens.* 3. *num.* 17. *omnia quæcunque facitis, in nomine Domini Iesu Christi facite*, quare si hæc mira fiant in nomine Christi licitè fiunt hoc enim promissum est nomine Christi, *Marci. capit. vltim. in nomine meo, Dæmonia eicient, &c.* si enim ritu priuato ab Ecclesia non instituto licet cicurare ferocitatem animalis, cur similibus ritibus & cæremoniis non licebit etiam vti, vt infeliciter prætendebat felix ille qui formulas ex verbis sacris confectas proponens, vt illis licitè quis vti possit

ad sanitatem & alia mira faciẽdi, *fortassis* (inquit) *est arcanum Dei, quod Sancti viri per reuelationem acceperunt*, quod etiam dicunt defensores Cicurationis Tauri.

15 Tertiò, quia † quando agitur de animarum salute, & de re illicita iure naturæ vitanda, tunc, non quod leuius videatur, sed quod reuera sit animæ, tutius est sequendum & consulendum, *nam in dubiis tutior est eligenda pars, & relicto incerto, quod certum est amplectendum.* vt ius Canonicum, Patres & Doctores adfirmant, cum ergo in præsenti agatur de vitanda superstitione, & occludenda via animabus perniciosissima id, quod tutius est amplectendum.

Quartò, quia teste D.Tho. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 2. tam *in corpor.* quam *in solut. ad* 3. si ad aliquem effectum inducendum adiungantur, vel Caracteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque variæ obseruationes, quæ manifestum est naturaliter efficaciam, non habere erit superstitiosum & illicitum.

SECTIO II.

Praxis Hispana de Cicuratione Tauri S. Marci in eius pervigilio, & Festo propugnata, adducitur.

SVMMARIVM.

1. *Cicurationis tauri exemplum adducitur.*
2. *D.Th. mens adducitur, & n.* 3.4. *necnon D. Caietani, & n.* 5. *vsque ad* 11.
12. *Authoris iudicium affertur, & n.* 14.20.
13. *An sit relatio, quod fœminæ & popularis multitudo tauro venerationem, aut cultum diuinum tribuant, aut deferant.*
15. *In Toletanis Conciliis prohibentur choreæ fieri in Ecclesia.*
16. *Sixti V. prohibitio de Taurorum agitatione sine funibus in Hispania.*
17. *An hodie sint in Ecclesia multa miracula continuata miros effectus causantia, qui licet possint refundi in magiam damoniacam, refunduntur in Deum mediis Angelis & hominibus.*
18. *Ex tempore quo Paulus Malitæ viperam excussit, insulæ illi diuinitus impertitum est, vt in ea serpentes omnes veneno careant.*
19. *Quid veniat aduertendum.*
21. *Quandonam propriè Deus tentetur.*

1 HVius † cicurationis ferocis animalis in præfatis diebus non solum mirum, sed miraculum experitur Hispania nõ solum in hoc Oppidulo *de la Puebla*, sed in multis aliis Diœcesibus expertũ agnoscimus, ipsũ tamẽ cùm in medio sole fiat, & sciẽtibus S. Officij Tribunalibus, quæ in extinguendis incantationibus, & superstitionibus assiduo inuigilant, & pernoctant; quare cum DD. Inquisitores id non prohibeant durum est, quod alij, quibus potestas iudicandi tradita non est, ita acerbe in hanc consuetudinem insurgant, cuius principium, & origo non pactum Dæmonis, sed sancta, & pia deuotio videtur extitisse, & in dubio non est ita facile damnanda. Audi D.Caiet. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. fundamentum huius propugnationis nobis proponentem his verbis.

In art. 4. *eiusdem* 96. 9. † *aduerte quod multa obseruantur in iis quæ pro Dei reuerentia aguntur, quæ superstitiosa apparent, & tamen fiunt & dicunt se excusari quia habent talẽ deuotionem, verbi gratia patientes contractionem neruorum accipiunt primum Carlinum (moneta est argentea Neapolitana) oblatum Crucifixo in parasceue cum adoratur, & ex eo fit annulus qui gestatus, valet contra illam passionem. Dicunt quod habent deuotionem ad hoc quia sic didicerunt, & experiuntur. Ego nescio hos excusari à vanitate, nisi putet quis expertus effectum ex deuotione, quod Deus alicui Sancto viro hoc inspirauerit, sicut hodie quia S. Gregorius triginta diebus orare fecit pro defuncto, missæ numero triginta dicuntur pro defuncto, videntur enim simplici corde similia credentes, & facientes ex deuotione excusandi, quia non peccant aut venialiter tantum, ex quo principale puta, quod diuina assistat virtus potest sustineri, licet nesciant aliam reddere rationem. Quare has conditiones quæ vanæ sunt, obseruant, nisi quia sic acceperuut à Maioribus. Difficile namque est confutare, quod seniorum traditione, & authoritate firmatum vulgares acceperunt. Non sunt tamen hæc extendenda, sed prudenter declaranda vbi fructus speratur ne deteriora eueniant, videtur enim hæc sic simplici corde ex deuotione facta valde imperfectè superstitionem sapere sicut mendacium iocosum imperfectum est in genere peccati in proximum.* Hactenus Eminentiss. ingenium.

In quæ nondum perueneram (quotidie enim edoceor ex Caietano) quãdo primo exagitaui Taurum istum, vt licite cicurarem, & mansuetum in conspectu fidelium redderem, quod præfatis verbis securius possum in forum exire, tot enim sunt propugnacula fere quot sunt Caiet. † verba quod præsto singula exponendo. Primum. *Obseruantiam de primo Carlino oblato crucifico in Parasceue, & non in alio die, quod manifeste superstitionem videtur inuoluere, & tamen excusantur à mortali si annulus ex illo factus fertur contra illam infirmitatem, quia habent deuotionem ad hoc, quia sic didicerunt, & experiuntur.* Idem prorsus dicunt Incolæ horum Oppidorum in quibus Taurus cicuratur, quod sic didicerunt, & experiuntur ab immemorabili.

Secundum

6 Secundum *ergo nescio hos excusari à vanitate, nisi putet quis expertus effectũ ex deuotione, quod Deus alicui sancto viro, hoc inspirauerit*, idem dicunt incolæ, quod ex immemorabili consuetudine habent, quod sit in Hispania alicui viro sancto inspiratum, & in aliquibus Oppidulis non in omni Hispania executum.

7 Tertium *videntur enim simplici corde similia facientes ex deuotione excusandi, quia non peccant, aut venialiter tantum, ex quo principale puta, quod diuina virtus potest sustineri.* Excusantur igitur à mortali incolæ horum Oppidorum cum expressè fateantur, quod hîc diuina assistat virtus meritis & intercessione S. Marci expressè renunciantes & odiẽntes omne pactum, siue implicitum, siue explicitum.

8 Quartum *hoc esse verum propugnaculum consuetudinis immemorialis, licet nesciant aliã rationem reddere, quare has conditiones, quæ vanæ sunt obseruant, nisi quia sic acceperunt à maioribus*, hoc idem proclamant incolæ præfati, vident taurum ferocissimum mansuefactum & tanquam ouem ducere etiamsi zelotypus inter baccas existat, vocatum vt interfit processioni & festiuitati S. Marci aduenire huius mirabilis nullam rationem dant, nisi quia à maioribus acceperunt.

9 Quintum *difficile est namque confutare, quod seniorũ traditione & authoritate firmatũ vulgares acceperunt*, sic dicunt oppiduli isti, qui simplicitate ducti in deuotionem Euangelistæ Marci, tauri in eius honorem mansuefacti in processione solemni circunducunt per calles, vicos & plateas dicentes se bono zelo facere & secundum scientiam, *quia seniorum traditione & authoritate firmatum accepere*; hoc autem quam difficile confutetur experientia constat siquidem non obstante Breui Clementino, quod sinistra informatione factum, dicunt, impetratum, huic consultationi intendunt, tacitè supplicantes de illo cui supplicationi videntur Pontifices annuisse, siquidem non insistunt in ea obseruantia euertenda & prohibenda.

10 Sextum *non sunt tamen hæc extendenda, sed prudenter declaranda, vbi fructus speratur ne deteriora eueniant.* Prudens vtique propugnaculum, non enim est hoc facile extendẽdum, nisi declarandum non licere similia fieri à particularibus personis, hoc enim priuilegium cicurandi Taurum confraternitati S. Marci concessum est, vt tenet immemorialis consuetudo, non alicui particulari personæ, nisi quatenus nomine confraternitatis, id faciat, vocans Taurum nomine Marci sibi imposito, quare magna prudentia in similibus exemplis approbandis est necessaria.

11 Septimum *videntur hæc sic simplici corde ex deuotione facta valde imperfectè superstitionem sapere, sicut mendacium iocosum imperfectum est in genere peccati in proximum*, quæ addit D. Caietanus, qui hoc excusans dixit, *quod non peccant, aut venialiter tantum*, quod non peccent explicuit, quod venialiter tantum si peccant, enucleat, quia cum ex deuotione fiant valde *imperfecte superstitionem sapiunt*, & sic est peccatum veniale, sicut est mendacium iocosum. Hæc sunt propugnacula non enormia ex doctrina D. Caietani eruta, quæ non facilè expugnantur & diruuntur, sed sunt alia ex aliis quadris lapidibus fabricanda, non minus fortia.

Primum desumitur † à destructione 12
præcipui fundamenti, cui oritur contraria sententia, quod est Breue Clementinum rescriptum Episcopo Ciuitatensi ad cuius informationem fuit editum & publicatum, quod fateor valdè vrgere si Pontifex procederet tanquam definiens, rem esse superstitiosam, quia sic non posset aliqua communitas Catholica amplius taurum hunc cicurare esset enim pernitiosum in fide, & contra illam operaretur, qui contra definitionem Pontificiam ageret, vt est inter fideles certum dogma, tantum enim procedit Pontifex in hoc Breui, tanquam Legislator, qui ad instantiam, & informationem Episcopi Ciuitatensis legem fert, quia prohibet ne amplius cicuretur taurus iste in festo S. Marci ob rationes quas affert & Episcopi Ciuitatensis proposuit, & examinauit sacra rituum congregatio, ex cuius sententia tale dimanauit decretum, & Episcopus multa tacuit, quæ huius consuetudinis obseruantiam poterant releuare, & excusare, & aliqua forsan retulit, quæ vera non sunt, vt constat ex verbis ipsius Breuis, *ibi statim à principio, exponi nobis fecisti apud nonnullos istius diœcesis Ciuitatẽsis populos inoleuisse abusum quendam in festo S. Marci Euãgelistæ, quo die Taurus ferocissimus publice admissas & processionẽ à vicinis perducitur Marci nomine, cãdelam & panem in cornu gestãs, magno sane cum diuini honoris & animarum periculo, cum ipsimet belluæ, à fœminis præsertim, ac reliqua vulgi multitudine quasi è cælo à Deo, vel à S. Marco ad processionem missæ, veneratio, ac diuinus cultus tribuatur, ad quod periculum. Quoniam hæc scandala, atque incommoda accedunt, primum gentilica illa superstitio affinis ac simillima idololatria, deinde etiã mortis discrimen, tum etiam virtutis diuinæ, ac miraculi cuiusdam efflagitatio, &c. Tu propterea pro tua in Deum pietate, &c.*

Imprimis vera non est relatio facta, quod
† fœminæ & popularis multitudo *Tauro ve-* 15
nerationem, aut diuinum cultum tribuant, aut deferant, imo potius S. Marcum venerantur & colunt in eius honorem à maioribus ac-

ceperunt, & est immemorialis consuetudo fieri hanc ferocis animalis cicurationem, quo supposito nullam speciem idolatriæ habet, & hoc dixit, Pontifex ex falsa relatione Episcopi, sicut & quod sit mortis periculum, nunquam enim visum est taurum istum quandiu cicuratus exitit aliquē, aut vulnerasse, aut occidisse, rursus non petitur, aut efflagitatur nouum miraculum, sed nixi immemoriali experimento ab immemoriali à patribus in filios traditio petunt continuationem eiusdem & quod diuina virtus, sicut astitit primis illis hominibus, assistat modo præsentibus, non propter merita propria, sed propter merita S. Marci Euangelistæ, quare scandala cessant, & gentilitia superstitio hic nō adest, sed deuotio & dulia in S. Marcum, quæ nullatenus defertur Tauro, qui illius est prorsus incapax, neque enim Taurus iste tanquam Osyris Ægyptius veneratur, sed tanquam miraculosè mansuefactus aspicitur, & admiratur, mouens animos fidelium ad Deum laudandum, qui non solum est mirabilis in sanctis suis, sed admirabilis etiam in brutis animalibus propter sanctos.

14 Quare dum Pontifex breue hoc edidit & diuulgauit processit tanquam Legislator, prohibens hanc cicurationem propter aliqua incommoda, quæ circa mundiciem Ecclesiarum, & templorum & circa deuotionem fidelium, qui diuertuntur dum assistunt diuinis officiis videntes bestiam, ita ferocem inter homines habitantem absque damno & periculo multitudinis, quod secundum se potius erat motiuum ad sacrificandum Deo hostiam & sacrificium laudis, quare lex ista non fuit admissa, neque in Ciuitatensi diœcesi, sicut fit in multis aliis Pontificiis legibus & constitutionibus, quia magis ponderat, quod consuetudo ista immemorialis obseruetur, quam vitare aliqua minora incommoda, quæ ex assistentia tauri cicurari in Ecclesia possunt sequi. In Con-
15 ciliis enim † Toletanis prohibentur choreæ fieri in Ecclesia, & aliqui dicunt esse mortale si ibi fiant, vt tenet Sylvester *verbo choreæ n.2.quæst.1.versic.secundo debitus locus*, Ioannes Angelus *argum.ex cap. decet de immunit. Eccles. in 6.* & tamen in tota Hispania in Ecclesia fiunt etiam dum celebrantur diuina officia, quia iura illa abierunt in desuetudinem.

16 Deinde declaratur amplius, quia † Sixtus V. Breui speciali prohibuit agitationem taurorum sine funibus in Hispania, dicens esse *gentilicam consuetudinem & dæmonum spectaculum* & tamen Clemens VIII. concessit huiusmodi ludum *propter insitam Hispanæ gentis ad illum, inclinationem*; ergo cum cicuratio tauri in die S. Marci possit liberari à peccato mortali, & à superstitione pernitiosa, cum huius sit in Hispania immemorialis consuetudo, nisi hæc expressè derogetur censetur non prohiberi, vt est communis sententia, præterquam quod cum sit lex ista humana & potest non admitti, & de illa supplicari, vt allegentur à populis motiua, quæ habent, vt cicurationem istam à superstitione liberent, & sic legis obligatio suspēditur quousque æqua lance librētur & ponderentur; nō ergo ita viuus est sermo Clemētinus, vt tanquam gladius acutus ex vtraque parte taurum nostrum eneruet, quin effugi valeat eius acies. Cum enim fratres Confraternitatis S. Marci sint in possessione conuocandi taurum Marcum & sic illum cicurandi, nisi patenter sit superstitiosum talem cicurationem perficere, Breue Apostolicum ipsis inauditis, etiamsi esset ex motu proprio non spoliat sua possessione immemoriali, nec tollit quin fratres prædicti eum defendant & exceptiones præfati Breuis faciant, vt ait Seraphinus *decis.280.* quem sequitur Barb. *de claus. vsufreq. claus. 79.n.48.* imò etiamsi Pontifex excluderet omnem consuetudinem, non comprehenderet immemorialem hanc, nisi expressaret, vt multis citatis decisum tenet Gonzalez *ad Regulam 8. gloss.33.nu.5.* Gratianus *in disceptatio.cap.491.n.6.* & censuit Rota apud Farinacium *part.2.decis.610.n.1.coram Coccino Decano 5.Decemb.1614.* & alibi sæpè, quare Breue Clement. loquitur de facto, quod tueri potest.

Secundùm argumentum est, quia † hodie 17
sunt in Ecclesia multa miracula continuata miros effectus causantia, qui licet possint refundi in Magiam Dæmoniacam, tamen refunduntur in Deum mediis Angelis, & hominibus, vt instrumentis operantibus, & aplicantibus diuinam virtutem alicui subiecto in speciali, & quod non tribuatur in Dæmonis auxilium, non ex alio colligitur, nisi quia ex se augent deuotionem excitant ad laudem Dei, & Sanctorum venerationem, roborant fidem, confundunt hæreticos, & confirmant fidem nostram, etsi illis iam non indigeat, tamen maximè conducit, quod fiant in Ecclesia, vt monstretur contra hæreticos Ecclesiam Romanam, veram, & Catholicam esse, conuentus autem hæreticorū ex proprio Marte congregato non à Christo institutos, & quamuis Resolutione citata horum miraculorum plura induxerim exēpla, tamen inpræsentiarum alia ex multis quibus sunt plenæ Ecclesiarum Historiæ. Primum, sit in insula Malta Magno Magistro S. Ioannis subiecta in temporalibus nullum noxium, aut venenatum animal est postquam Beatus Paulus, dum se calefaceret & ad ignem post naufragium à vipera morsus est, vt refert ex multis & sequitur Lerinus *ad cap.28.act. Apost.n.6.* alia refert Cornelius à Lapide ibi, sic loquens. *Porrò ex hoc*
18 *tempore † quo Paulus Malitæ viperam excussit insulæ illi diuinitus impertitum est, vt in ea serpentes omnes veneno careant, & quantumlibet aliquem momorderint nihil prorsus inferant nocumenti, eamque insulam vocant gratiam S. Pauli, qui hac ratione abundè eis hospitij & hospitalitatis compensauit. Malitæ, ergo nullum maleficum serpentis genus nascitur, nec nocet aliundè ad rectum, imò gleba Melitensis antidotum est contra venena, adeoque ipsi Melitenses quasi terrori sunt serpentibus. Ita Thomas Fazellus de rebus Siculis decade 1.lib.1.cap. Baronius Ganeius & alij sic de S. Phoca Martyre in Romano Martyrologio, die 5. Martij, ita legimus. Qualiter de antiquo serpente triumphauit hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quod si quispiam à serpente morsus fuerit, vt ianuam Basilicæ Martyris credens attigerit confestim euacuata virtute veneni sanatur, quæ refert Gregorius Turonensis lib. de glor. Martyr. cap.99. ergo ante S. Paulum Malita ebnoxia erat veneni, Paulo ergo hanc immunitatem debet, & vltro acceptam refert.* Hæc Cornelius. Cur ergo idem non possunt confratres S. Marci hanc Tauri cicurationem debere, & vltro ab eo eius meritis acceptam referre, simile quid refertur in Archiepiscopatu Toletano meritis, & intercessione S. Ildephonsi.

Sed circa miraculum hoc de immunitate veneni tam in Malita, quam in Archiepis-
19 copatu Toletano aduertendum † quod viperæ, & cætera venefica animalia in his locis vere habent venenum, est enim illis naturalis proprietas orta ex specifico temperamento, quod immutatum manet sicut, & species horum animalium, & priuilegium his locis concessum à Deo meritis Pauli, & S. Ildephonsi Conciuis mei, in hoc consistit, quod venenum non noceat, nec vires suas, & efficaciam exerat, in ciues insulanos, & Toletanos si enim vipera Maltensis aliò deferretur, vbi non est tale priuilegium noceret vtique veneno à se effuso.

20 Secundum sit quod audiui à viris grauibus, in montanis quæ dicuntur de Xaca est quædam heremitiola erecta in honorem S. Ludouici Episcopi in cuius profesto, in quocunque tempore in quo missa dici inchoetur, statim florent omnia, quæ sunt ibi, portæ, altare, imo & calix, & patena, & portarum claui, quis hoc in magiam referat cum sit in honorem Sanctorum, vt enim ait D. Thom. 2.2. *quæst.178. miracula ea fiunt, à Deo, vel vt ipse honoretur.* & laudetur in Sanctis, vel vt ministeria supernaturalia credibilia reddantur, vel sanctitas alicuius manifestetur, vel tandem, vt conseruetur veneratio & cultus, tum Dei in Sanctis, tum ipsiusmet sancti ob quod hodie multa continua miracula conseruantur, vt est ebullitio sanguinis concreti aliàs, vt lapis *S. Ianuarij*, ad præsentiam capitis, manna quod effluit ex corpore S. Nicolai Episcopi Barensis, & cur non eodem modo non est tribuenda Tauri ferocis cicuratio diuinæ virtuti sic operanti in honorem S. Marci, quod enim ille qui vadit ad euocādum taurum, siue sit Maiordomus, siue quilibet alius nomine confratrum non sit vir sanctitate præditus, imò aliquando peccator & moribus dissolutus, hoc non obstat veritati miraculi, quia, vt ait D. Thom. *quæst. cit. art.2. in fine corp. Nihil prohibet per aliquem peccatorem miraculum fieri ad inuocationem alicuius Sancti, quæ tamen miracula non dicitur facere ille, sed ille ad cuius Sanctitatem denuntiandam, hæc fierent.*

Neque in hac Tauri quotanna miraculosa cicuratione tentatur Deus dum petitur, & exequitur, quia vt aiunt D. Th. & Dom. Caiet. 2.2. *quæst.97.* † tunc Deus proprie ten- 21
tatur, dum quis ea intentione aliquid à Deo postulat, vt exploret Dei scientiam, potestatem, aut voluntatem, vel dictis vel factis, experimentum sumens de Deo, dubitans an velit, possit, aut sciat, vel dicitur Deus tentari interpretatiue, quum, etsi quis non intendat experimentum sumere de Dei potentia, scientia, aut voluntate dubitans, aliquid tamē petit vel facit quod ad nihil, aliud est vtile nisi ad probandum Dei bonitatem potestatem, vel cognitionem, quum enim propter aliquam necessitatem aut vtilitatem committit se aliquis diuino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est tentare Deum, quæ omnia in præsenti verificantur sine eo quod Deus tentetur implicite vel explicite, aut interpretatiue cum hoc miraculum à Deo petatur à confratribus non dubitantes, imo certi, & certificati, ex traditione maiorum, quod ita fiet, quia sic semper factum est, & in eo intendunt vtilitatem scilicet honorem, & venerationem S. Euangelistæ Marci, & quod Deus laudetur in sanctis suis.

SECTIO III.

Eadem Hispana praxis confirmatur ex solutione rationum in oppositum.

SVMMARIVM.

1. *Leges quas obseruant Confratres S. Marci quæ sint?*
2. *An Taurus in die S. Marci in nomine eius curetur, & n.3.*

4. *An aliquando Deus permittat per dæmones, & eorum ministros mira facere.*
5. *Miraculorum diuersitas affertur ex S. Thoma.*
6. *Ex quo Arctotrophi damnentur.*
7. *Mali Christiani operantur miracula per signa publicæ iustitiæ ad excitandum deuotionem, & cultum in sanctos, & laudem Dei.*
8. *Quis sit stylus, & forma taurum cicurandi.*
9. *Vnde cicuratio tauri fiat.*
10. *Nazianzeni mens adducitur, necnon authoris, & n. 11. 12. & 14.*
13. *Vnde Malleolus superstitiones suas confirmabat.*

MVltipliciter confirmata est opposita sententia sectione prima, at praxis Hispana non inefficaciter est solidata cuius soliditas magis clarescet si opposita argumenta euanescant, quod præstare operosum non erit. Ad primum, Raphaëlis de la Tor-
1 re respondetur, quod † leges quas obseruant cõfratres S. Marci nullæ aliæ sunt nisi in honorem Sancti, Taurum nomine eius insigniri, & vocare. Ad secundum respondetur, quod etsi miraculum cicurationis Tauri non fiat vt credatur vera Sanctitas Euangelistæ voluit Deus illud facere, vt eius veneratio crescat, & sacrificium laudis in sanctis feruẽtius Deo offeratur, vt contingit in exemplis à me positis sectio 2. Ad tertium respondetur magnam congruentiam interuenire
2 in hoc quod † in die S. Marci taurus in nomine eius cicuretur, & mansuetus fiat in ipsius honorem, dum enim Alexandrini idolatræ festum suum infaustũ Tauri Osiridi Egyptio celebrarent in eodem die S. Marcũ fune ad collum alligato, tanquam Taurum deportarent ad locum, qui Bubalorum erat in quo ipse S. Euangelista Ecclesiam fundauerat, quæ refert Symeon Methaphrast. *in eius vita apud Lipomanum die 24. Aprilis. Factum fuit* (inquit) *vt beatus, & festus dies noster hoc est sanctum Pascha die Dominico celebraretur octauo Calendas Maij hoc est vigesimo-quarto die Aprilis mensis, qui ab Ægyptiis Pharmutius vocatur, illo autem tempore, & serapidis illorum Dei debacchatio celebretur. Cũ igitur eam temporis opportunitatem nacti essent, homines quosdam subornatos miserunt,*
3 *qui Apostolum sanctas diuinæ oblationis preces, & ministerium facientem inuenerunt. Quem cum apprehendissem fune in eius collum iniecto trahebant*, ita dicentes; *Trahimus bubalum hunc ad bulet stabulum*, & infra. *Idem refert & cum magna tempestas orta esset impediens ne corpus Euangelistæ in cineres redigeretur. Quidam irridentes dicebant: beatissimi illorum Serapidis prouidentia hæc in illo viro fuisse facta propter natalem ipsius diem.* Legantur Ado. 7. *Calendas Maias* Baronius *tom. 1. anno Christi* 64. Calixtus *lib. 2. Hist. c. 43.* Beda *in Martyrol. die 24. Aprilis*, vnde egregius ille verbi Dei Concionator eruditus *serm. 2. in festo S. Marci* dixit, *quod ob hæc verba infidelium, & quod tanquam taurus ductus est B. Marcus, abiit in prouerbium taurus S. Marci*, & quidem nõ est hæc tauri ferocis cicuratio absq; ratione facta diuina virtute, in significatione, quod sicut S. Marcus velut taurus agitatus est in honorem Osiridis Egyptij in eius festiuitate, ita taurus qui Deus erat fictitius Ægyptiorũ mansuefactus existat, & humiliatus ad pedes S. Marci in eius festiuitate. Quare iam constat ad illam interrogationem. *Quid Diuo Marco cum Tauro.*

Argumenta etiam Francisci Torreblancæ non magis vrgent. Ad primum respondetur, verum esse † aliquando Deum permittere per Dæmones, & eorum ministros 4
mira facere vt seducant homines id, quod nullus Catholicus dubitat, sed an hæc mira sint apparenter miracula, sed vera virtute diuina edita, cognoscere ad varias circunstantias pertinet, quibus consideratis diiudicatur quid sit verum miraculum, vt egregie ad notauit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 178. *art.* 2. *ad* 3. vbi ex August. *lib. qq.* 83. *quæst.* 76. *Quæ habentur to.* 4. dicit † *quod aliter Magi faciunt* 5
miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per priuatos contractus cum Dæmonibus: boni Christiani per publicam iustitiam, mali Christiani per signa publicæ iustitiæ. Publica autem iustitia (vt ait D. Thom. *de potentia q. 6. art. 9. ad* 13.) *est ex fide per quam tota Ecclesia iustificatur secundum illud Roman. 3. iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.*

Ad secundum respondetur, quod † illi Ar- 6
totrophi damnantur à Patribus Trullanis, non quia arte humana vrsos mansuefaciunt, hoc enim fieri potest, & experientia constat de multis qui leones, & lupos cicurant, & mansuetos ostendunt, sed quia superstitione ducti quædam amuleta ex pilis vrsorum certis filis contexta venditabant, quæ superstitiosa esse, dixerunt Patres.

Argumenta magistri à S. Thoma vrgentiora possent alicui videri sed si bono affectu trutinentur absque passione impellente facillima apparebunt. Primum enim desumptum ex Pontificio Clementino Breui satis abundeque dilutum & sectione 2. nec indiget alia solutione.

Ad secundum respondetur, quod hæc tauri cicuratio in eum finem dirigitur non vt fides Hispana inter Hispanos confirmetur inter quos iam à multis annis altissimas, & solidissimas radices iecit Deo sic disponente in suæ Ecclesiæ Romanæ defensionem, cicuratur tamen taurus ad excitandam feruidam deuotionem.

deuotionem, & duliam in S. Euangelistam Marcum, & ad confundendos hæreticos falso putantes apud ipsos veram existere Ecclesiam, quod hoc, & similibus prodigiis, & portentis diuinis fit euidenter credibile.

Ad tertium respondetur, quod vt vidi-
7 musex D. Tho. & Aug. † mali Christiani miracula operantur *per signa publicæ iustitiæ* ad excitandam deuotionem, & cultum in sanctos, & laudem Dei in sanctis suis mirabilis & per consequens in Ecclesiæ vniuersalis vtilitatem, quod enim ex Tauri mansuefacti in Ecclesia aliqua sequantur incommoda, puerorum vociferationes, & aliqualis diuersio attentionis ad officia diuina per accidens est, nam ex repræsentationibus sacramentalibus, ex choreis publicis, & ballationibus ab hominibus personatis factis cũ instrumentis inusitatis in Ecclesia similes puerorum, iuuencularum, & similium sciũtur, & tamen quia finaliter per se ordinantur in Dei cultum, & sanctorum venerationem non sunt hodie prohibitæ in Hispania, & similiter quod ex Tauri stercore aliquando spurcetur Ecclesia, hoc non est magni momenti, vt praxis ista extirpetur similis spurcitia euenit in Ecclesia c.....Vlisipone ex coruis quorum successio multis ab hinc annis, ibi conseruatur ex communi Ecclesiæ annona aluntur, & sustentantur.

8 Ad quartum respondetur, quod † stylus, & forma taurum cicurandi est eadem ipsa quæ à maioribus immemorialiter confratres acceperunt, & id faciunt in reuerentiam, & deuotionem S. Marci, animal nomine proprio appellando vis autem cicurandi non est à nomine deriuata sed à diuina potentia in honorem S. Marci, nec enim existimamus nomina à sua institutione vim naturalem habere ex significatione sua, cum non à Deo sed ab hominibus libere, & ad placitum deriuetur, quamuis à Deo vocum significationes omnium linguarum immediate fuisse impositas non ab hominibus nouiter existimet Francisc. Bruarius *in commentariis Apodicticis in Marcum Maximum in Disquisitione de verâ origine linguæ Hispanæ* §. 4. *à pag.* 315. Si enim ita est quod nominum significationes à Deo immediate dimanauit non ab hominum placito, vt omnes Peripatetici cum *Aristot. 1. lib. Persarm.* sequuntur; non video, cur nominibus non insit virtus specialis ad hominum salutifera remedia sicut inest herbis, lapidibus, fructibus arborum, & animalibus; quod non vidit perdoctus pater, & alibi latius ipsum impugno.

Ad quintum respondetur, quod abunde vidimus quanta sequatur veneratio, & excitetur deuotio per se ex huiusmodi tauri cicuratio assistentia in Ecclesia, excitantur enim fideles ad sacrificium laudis Dei, & duliam in S. Marcum illi enim rumores, & puerorum vociferationes ab ætate indomita proueniunt, & à timidis fœmellis, quod est per accidens.

Ad ea quæ ex nostra penu, & pylo in confirmationem huius sententiæ adduximus non est difficilis responsio. Ad primum respondetur, quod † illa cicuratio fit ex vi des- 9
signationis tauri, vt assistat festiuitati in die S. Marci, & dum nomine Marci vocatur de armento exequitur mansuetudo, vt inter populum sit sine alicuius detrimento aut periculo, eo quod ita securi homines ipsum pertrectent, vt nec gemellæ nobiles, aut ignobiles, aut teneri infantes ferocitatem animalis alias timeant aut formident, quod autem hæc designatio tauri à confratribus, & nominis impositi vsus hanc cicurationem inducunt ex deuotione quam ex maiorum traditione, & immemoriali consuetudine obseruant, nec amplius disquirendum est, aut verbis explicandum ne (vt ait Nazian- 10
zenus † *orat. in laudem Basilij de quodam miraculo*) *miraculum deprimatur, & extenuetur eiusque quam vnusquisque de eo conseptam habet opinionem per eos qui laudare conati fuerint aliqua diminutio fiat, commodius fuerit silentio potius in nobis augere miraculum, quam oratione imminuere.* Ita S. D.

Neque ostium & via aperitur superstitioni onomasticæ ex vi scilicet verborum, & nominum significationis. Nam respondetur ad primum, de ensalmo illo quod memoratur, & damnat Delrius Raphaël de la Torre *vbi supra* §. *ad quartum*, & ego etiam reieci *tom. 1. Moral. tract. 5. Resol.* 43. per totam quamuis enim alicubi à iudicibus sæcularibus impune permittantur; tamen DD. inqui- 11
sitores ensalmatores, quam ensalmos ipsos trutinantur, & examinant, & vix aliquem permittunt; quod secus est de Tauri Sancti Marci cicuratione, quam permittunt, & cui aliquando assistunt, nec prohibent, etiam non obstante Breui Clementino, quod argumento est, nullatenus Diabolicam esse, sed diuinæ virtutis effectum.

Ad secundum respondetur, quod Ma- 12
iolus ille fuit valde superstitiosus, & dæmoniacis pactis deditus, & vndequaque irretitus, & sic iure optimo malleo S. Eccles. percusus damnatus est, & omnia eius opera dãnata tanquam perniciosa fidelibus, & contraria omnibus patribus, quare eius argumenta quibus vtebatur ad vniuersalem istam superstitionem comprobandam, & introducendam futilia sunt, vt egregie monstrat Delrius omnia referens, & refellens, neque enim fit nomine Christi nisi nominaliter, quod fieri tali nomine non approbat Ecclesia tacite, dum non resistit vel reprobat,

bat, vel explicite dum approbat; ast tauri S. Marci cicurationem reprobauit Pontifex male informatus, quod illi animali cultus, & veneratio datur, sicut Osiridi dabant Ægyptij, quæ informatio veritati non nitebatur, quare eam hodie tacite approbat, dum veri-
13 tate cognita non repellit. Rursus † omnes superstitiones suas Malleolus confirmabat ex eo quod forsan erant alicui Sancto viro reuelatæ formulæ, quas ipse vel alius Dæmoniacus confinxit ex Dæmonis instructione, quod vniuersaliter dicere temerarium est, at quod cicuratio ista fiat ex priuilegio concesso confratribus S. Marci ob eius insigne martyrium temerarium nõ est, neque scandalosum, imo permissum, & tacite approbatum in Ecclesia.

14 Ad tertium respondetur, quod stante dubio in praxi *tutior pars est eligenda*, & quæ non sit exposita animæ periculo, ast si dubium excludatur in operando, & formetur iudicium, quod hic, & nunc bene operatur, etiamsi iudicium hoc sit probabile dumtaxat, & perseueret in speculatione pro vtraque parte, quis anceps, & dubius recte operatur, sequens iudicium probabile vt est certa & indubitata sententia in materia *de conscientia dubia, & probabili*, quæ doctrina in præsenti verificatur, nam cicurantes taurum superstitiosi non sunt, quia formant iudicium probabile, quod hoc liceat, quod iudicium penetrant ea omnia quæ hucusque adduximus; vnde constat ad 4. quia hæc cicuratio non dimanat ex vana obseruatione, sex ex confirmata ex maiorum traditione, & diuina virtute.

SECTIO IV.

Proprium Auctoris iudicium, & sententia.

SVMMARIVM.

1. *Cicuratio tauri in festo S. Marci non est sinẽ dubio superstitiosa.*
2. *Non est fas, quod Hispanis aliquid suspicionis de fide, vel diabolicæ superstitionis imponatur, & n. 3.*
4. *Cur tauri cicuratio sine dubio non sit superstitiosa.*
5. *Martini Delrio sententia adducitur.*
6. *Authoris mens propalatur, & numero 7. & 8.*

MVlta aspera quidem in taurum S. Marci attuli per multa sum vagatus aliorum sententias commemorans, quod aliquibus non insuaue aut inutile vibebitur, vt tamẽ de vsu isto vel abusu colophonem imponam dico, quod † res ista (cicuratio scilicet tauri in festo S. Marci) non est sine du-
1 bio superstitiosa vt existimat pater Magister Ioannes à S. Thom. vt ex ipso retuli *sectio. 1.* tum quia sub dubio eam relinquunt Torreblanca, & Raphaël de la Torre, qui non audent rem decidere, sed ancipiti manent hærentes, & quidem iure optimo hæsitant, cum vt vidimus principale fundamentum cui nititur opposita sententia scilicet Apostolicum Breue non damnat, id quod hodie virtute diuina meritis S. Marci in Hispania circa tauri cicurationem fit. Neque enim fas, † quod Hispanis in quibus, & fi- 2
des, religio, cultus Dei, & veneratio Sanctorum ita splendent immunes ab omni suspicione vel de fide, aut diabolica superstitione imponatur, quod à confraternitate religiosa erecta in S. Euangelistæ honorem, & venerationem aliquid superstitiosum geratur, & quod inter ipsos alter Osyris Ægyptio reuiuiscat, & veneratione colatur. Hoc enim facto tota Catholicissima natio apud exteros infamatur à propriis. *Neque enim* (vt ait Cyprianus *epist. 42. ad Cornelium Papam*) *facile sunt promenda, & incaute publicanda quæ scripta audientibus scandalum moueant, & fratres longe positos, ac trans mare constitutos, in certa opinione confundant.* Nonne exteri conturbantur dum vident Hispaniæ filios de- 3
honorare Matrem suam, adfirmantes publicè exercere superstitionem; & Diabolo, etsi tacite inseruire? Nonne scandalizantur Hæretici, & alij trans mare constituti, dum legunt Catholicorum libros, qui tuentur arte Magica diabolica taurum hunc cicurari, & nihilominus quod Hispani in hoc perseuerant? certe quidem satius est id non operatione Dæmonis, sed virtute diuina fieri, defendere, ne ex hoc hæretici ansam sumant parui pendendi miracula ea tribuentes diabolo, si hoc quod maiorum traditione approbatum tenemus Magiæ Dæmoniacæ attribuitur à nobis.

Quid ni? † si huius tauri cicuratio sine 4
dubio est superstitio ex pacto Dæmonis descendens; de fidiæ arguitur tacite sacrum inquisitionis Tribunal, dum publice in conspectu, totius populi factam, non reprimit, imo dum non reprehendit, videns cum possit cohibere tacite in eam consentit iuxta regulam *tacite consentire videtur*, quæ indubitata est si is qui tacet dissentire, & suum dissensum manifestare queit, hoc argumentum me conuincit, vt saltem in praxi sit probabile hanc tauri cicurationem, immunem esse à superstitioso ritu, & cæremonia. Dum enim festum S. Marci celebratur insignes verbi Dei Præcones, hoc vt miraculum prædicant, & exaggerant, & quamuis hoc miraculum non sit in ea classi certitudinis, in qua sunt ea quæ in Canonizationibus, & beatificationibus diligenti trutina, & sanctuarij

ctuarij pondere appenduntur, tamen fidem meretur in suo ordine & gradu, quia illud v. tale antiquitas Catholicorum tenet & maiorum deuotione firmatum est, quos omnes deceptos à Dæmone, & superstitiosos fuisse mihi dicere non arridet, nec prudenti arridet, & quidem cum hæc tauri cicuratio, ita sit in Hispania & Portugallia antiqua, quod non sit hominum memoria, quando inceperit & in retro ante temporibus viri fuerint in omni Religione quæ in Ecclesia est, valde zelantes veritatem, Doctissimi & omni sapientia repleti, nullus tamen vsque Valle de Moura eam superstitio-
5 sam dixit, quid amplius? † Doctissimus Martinus del Rio *in opere illo eruditione pleno disquisitionum Magicarum*, in quo ad minutissima quæ superstitionem olent descendit, cicurationem istam, (quam non ignorasse certissimum debet esse) non attigit, quia videlicet miraculosam agnouit, & immunem à Dæmonis arte & auxilio. Quare non abusus est censendus, sed vsus licitus virtutis diuinæ, quæ mirabilis est in sãctis suis & ad illorũ sanctitatem & venerationẽ fouẽdã, & deuotionem excitandam, mira facit.

Cæterum etsi hoc tutum in praxi, vt hodie fit, existimem † tamen in Resolutione 6
illa dixi indeterminatus. Si secludatur indecentia diuini cultus, & immundities Ecclesiarum, non videtur superstitiosa huiusmodi consuetudo, maximè vbi non est receptum Breue Clementinum cui standum est sine tergiuersatione, ea enim quæ adduxi in confirmationem, & defensionem con- 7
suetudinis disputandi gratia intelligantur, quare sententia, quæ in ancipite posita fuit, iam determinatè pro foro tanquam probabilem & liberam à superstitione saluo tamen S. Tribunalis iudicio cui sine tergiuersatione standũ esse pronuntio, ab ipso enim claram aquam semper haurio, vt semper bibam. Multa alia omitto disputanda in hoc amplissimo tractatu de Residentia Matrimoniali, vt de Residentia Matrimoniali Hæretici & Catholici coniugium, de seruo- 8
rum Residentia vxoraria, an semper vsus matrimonialis residentiæ per coitum sit admixtum veniali culpæ, quæ alibi disputata ad longum promitto, & hic non do, ne tomus iste posterior de Residentia nimium excrescat.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS,

De alia specie Residentiæ Regularis, quæ dicitur filiatio.

SVMMARIVM.

1. *Filiatio & Paternitas sunt relationes oppositæ & ita connexæ in diuersis subiectis, vt implicet dari vna sine alia.*
2. *Filij nati ex fornicatione simplici sunt naturales, nõ legitimi, at spurij nati ex adulterio, aut stupro, nec sunt naturales, nec legitimi, ex S. Thom. & de hoc diuersa ratio affertur, & n. 3.*
4. *An Filiatio & Paternitas fundentur in actu virtutis generatiuæ.*
5. *Quinque species filiorum & totidem Patrum admittuntur, & n. 6.*
7. *Duplicem admittit carnalem natiuitatem S. Thom.*
8. *In Sacramento pœnitentiæ propriam legitimam spiritualem filiationem negat dari idem S. Thom.*
9. *An circumstantiæ filiationis spiritualis in Sacramento pœnitentiæ sit necessario confitenda, & n. 10. & 11.*

FILIATIO, † & Paternitas relatio- 1
nes sunt oppositæ, & ita connexæ in diuersis subiectis, vt implicet dari vna, sine alia; sed ea ratione propria, vel impropria, qua fuerit vna debet, esse, & alia, & vtraq; fũdatur in generatione, filiatio in passiua, qua filius generatur & Paternitas in actiua, qua P. generat iure enim naturæ P. est, qui generat & filius qui generatur in similitudinẽ naturæ paternæ, vnde venit intelligendus S. Th. *in 4. dist. 41. art. 3. quæstiunc. 1. in corp.* dũ asserit, *quod* † *filij nati ex fornicatione* 2
simplici sunt naturales, non tamen legitimi, at spurij nati ex adulterio, aut stupro, nec sunt naturales, nec legitimi, quia nascuntur contra legem positiuam, & expresse contra legem naturæ; quæ ratio difficilis est, qui etiam filij qui nascuntur ex simplici fornicatione nascuntur ex coitu damnato ex iure naturæ, vt est de fide, quia simplex fornicatio est contra legem naturæ, ergo isti, nec sunt legitimi, nec naturales. Respon-

3 detur, † esse diuersam rationem, quia spurij
nascuntur contra legem naturalem specialē
in materia luxuriæ, quia adulterium & stu-
prum sunt species determinatæ, in materia
luxuriæ habentes specialem repugnantiam
ad naturam in materia luxuriæ, & sic non
sunt filij naturales, vt sunt qui nascuntur
ex simplici fornicatione, quæ est coitus ille-
gitimus, non in quantum est actus virtutis
4 generatiuæ. Igitur † Filiatio, & Paternitas
in actu virtutis generatiuæ fundatur, cum-
que ex vi generationis actiuæ Pater habeat
patriam potestatem in filios, istique illi sub-
diti sint quandiu sub illius potestate existūt,
illi corresidere & commanere tenentur in-
tra domum Paternam, quia sunt de Patris fa-
milia, *leg. congruentia. 4. C. de Patria potest. &
leg. si hi qui cum Patre 3. C. de filiusfamil. l. 10.*

Hinc est, quod legaliter & canonicè lo-
quendo, vt ait Sylvester *verb. Filius n. 1.* quod
5 † sunt quinque species filiorum, & totidem
Patrum scilicet legitimi tantum, id est lege
probati, non tamen naturaliter geniti, vt sūt
adoptiui, & arrogati, quia sola legis insti-
tutione sunt filij, aut, sunt legitimi spirituales,
vt suscepti ex baptismo, vel cōfirmatione, &
generaliter omnes in spiritualibus subditi,
sicut omnes Christiani sunt filij Papæ, &
omnes de Diœcesi, Episcopi, & omnes de
6 Parrochia curati *cap. omnes 30. quæst. 1.* natu-
rales tantum & isti, aut spurij qui nascuntur
ex coitu lege reprobato, aut nothi qui nas-
cuntur ex soluto, & soluta, aut tandem sunt
naturales, & legitimi, qui nascuntur ex coi-
tu naturali habito in legitimo matrimonio.
Quare totidem sunt generationes & filia-
tiones, legitima tantum, naturalis tantum,
spiritualis legitima, & spuria, & naturalis
legitima.

Sed cur dentur huiusmodi filiationes le-
gitimæ legales, ciuiles, & legales canoni-
cæ egregiè enucleat D. Th. *in 4. dist. 42. q. 1.*
7 *art. 2. ad 1.* dicens, *quod † duplex est carnalis
natiuitas prima in vtero in quo adhuc, id quod
natum est, est adeo debile, quod non possit extra
poni sine periculo, & huic natiuitati assimilatur
generatio, quæ est per baptismum in quo rege-
neratur aliquis adhuc quasi fouendus intra vte-
rum Ecclesiæ. Secunda est natiuitas ex vtero
quum iam id quod natum erat in vtero, tantum
roboratum erat, quod potest sine periculo ex-
poni exterioribus, quæ nata sunt corrumpe-
re, & huic similatur confirmatio per quam ho-
mo roboratus exponitur in publicum ad confes-
sionem nominis Christi*, Ecce duplex natiuitas,
duplex filiatio legitima spiritualis in baptis-
mo, & confirmatione, sed *in solut.*
8 *Ad 8.* † negat dari in sacramento pœniten-
tiæ propriam legitimam spiritualem filia-
tionem, cuius rationem egregiam dat, *quia
licet per pœnitentiam tollatur peccatum actua-
le, tamen hoc nō est per modum generationis, sed
magis per modum sanationis. vbi autem non est
generatio non est filiatio propria spiritualis*,
Vnde detegitur falsitas cu usdam sententiæ
aliquorum Canonistarum asserentium † cir- 9
cunstantiam filiationis spiritualis in Sacra-
mento pœnitentiæ esse necessario confiten-
dam in Sacramento pœnitentiæ, quia con-
trahitur agnatio spiritualis ex vi huius Sa-
cramenti, sicut ex vi Sacramenti baptismi
& confirmationis, falsum enim est hoc, quia
in Sacramento pœnitentiæ talis cognatio
non contrahitur sicut in duobus relatis Sa-
cramentis, quamuis contrahatur quoddam 10
fœdus inter sacerdotem, & mulierem con-
fitentem simili cognationi spirituali, & tan-
tum peccat eam carnaliter cognoscens, ac
si esset sua filia spiritualis. Vnde hoc pro-
hibetur, *cap. omnes 8. cap. si quis 9. cap. non
debet 10. 30. quæst. 1.* non quia sit ibi spiri-
tualis cognatio, sed ac si esset ad vitandam 11
& tollendam occasionem peccati, quod
enim quis sollicitet fœminam in confessio-
ne, non est circunstantia mutans speciem
etsi sit, ita grauis, quod in foro fori inducat
suspitionem iuris & à iure, quod malè sen-
tiat de fide, sed de hoc latius, *t. 1. Mor. tr. 3.*

RESOLVT. I.

Vtrùm in Religione approbata à sede Apostolica detur propria filiatio spiritualis.

SVMMARIVM.

1. *Vtrùm religiosi professi solemni professione sint veri filij spirituales Religionis, in qua professionem solemnem emittunt.*
2. *Pater spiritualis dicitur ad similitudinem Patris carnalis ex S. Thom.*
3. *Quid exigat filiatio religiosa.*
4. *Variorum DD. opiniones afferuntur.*
5. *In filiali seruitute qua quis voluntariè & totaliter Deo mancipatur, & abrenuntiat totaliter secularibus pompis & nouis perterita vota solemnia in religione à sede Apostolica confirmata, quid colligatur, & n. 6.*
7. *In quo iure fundetur regularis filiatio.*
8. *Quomodo se habeat filiatio Religiosi solemniter professi.*
9. *Quid sit ius diuinum quo tenentur Episcopi regere Ecclesiam sibi commissam.*
10. *An Summus Pont. possit alicui religioso solemniter professo auferre ius filiationis, & seruitutis actualis.*
11. *An Pontifex de plenitudine potestatis possit facere, quod quis sit Religiosus solemniter professus non determinata aliqua religione.*
12. *Suarez, Azorij & Canonistarum opiniones adducuntur, necnon Authoris iudicium, & n. 13. & 14.*

1 SENSVS est † vtrum Religiosi pro-
fessi solemni professione sint veri filij
spirituales Religionis in qua professionem
solemnem emittunt, Notat egregiè D. Th.
distinct. 42. cit. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. quod
sicut in generatione carnali aliquis nascitur
ex patre & matre, ita in generatione spiri-
tuali aliquis nascitur filius Dei sicut Patris
& Ecclesiæ sicut matris. Vnde in propria fi-
liatione spirituali Pater & mater debent
concurrere exercendo ea spiritualiter, quæ
Pater & mater carnales exercent, sed quæ
sint ista sapienter nobis proposuit D. Tho.
2 *vbi supra art. 2. ad 9.* dicens † *Pater spiritua-
lis dicitur ad similitudinem Patris carnalis,
Pater autem corporalis, vt dicit Philosoph. 8.
Ethicorum cap. 11. tria dat, esse, nutrimentum,
& instructionem, & ideo Pater spiritualis ali-
quis alicuius dicitur ratione alicuius horum
trium*, cum ergo ille qui profitetur solem-
niter habeat ex vi professionis esse nouum
in Religione à qua nutritur, & instruitur
manifestum est, quod est filius Religionis,
in qua profitetur solemniter; quæ iure di-
uino tenetur ipsum intra se gestare, nutrire
in naturalibus, & instruere in supernatura-
libus, vnde & ipse filius mutuo tenetur
matri obtemperare & illi acquirere, quia
Religiosus solemniter professus nunquam
emancipatur, aut fit sui iuris & sic semper
manet minor & pupillus, qui nec de asse
possit disponere sine consensu eius, cui se
per professionem solemnem subiecit.
3 Hoc enim † exigit filiatio hæc religiosa,
quæ etsi in iure Canonico quantum ad ali-
qua fundatur, tamen à iure diuino originem
ducit, & in illo simpliciter fundatur cum à
iure diuino descendat solemnitas votorum
quibus quis substantialiter cōstituitur Reli-
giosus omnino immutabiliter, per quæ, quis
abrenunciat sæculo illique totaliter mori-
tur, & consepelitur Christo in professione
solemni, quæ est Patrum sententia & Ec-
clesiæ traditio assimilatur Baptismo † Bea-
tus Bernardus *lib. de præcepto & dispens. ad
finem*, ex Hieron. *epist. 8. & 15.* D. Athana-
sius *in vita S. Anton.* Leontius Cyprius *in
vita Simeonis Abb.* Anselmus *lib. de similit.
cap. vltim.* quos sequitur S. Thom. *2. 2.
quæst. 189. art. 3. ad 3. & in 4. quæst. 3. artic-
cul. 3. quæstiunc. 3. ad 3.* ibi *in vitis Patrum di-
citur, quod quidam Patrum vidit eandem gra-
tiam descendentem super eum, qui habitum re-
ligionis assumit, ac super eum, qui baptizatur;*
sed hoc non est, quia talis à satisfactione ab-
soluatur, sed quia eo ipso, quod suam volun-
tatem etiam in seruitutem redegit, propter
Deum plenariè *pro omni peccato satisfecit*, &
ita fuit apud veteres Monachos reuelatio
ista communi consensu & traditione rece-
pta, quæ receptio etiam hodie perseuerat
inter Catholicos, vt alibi enucleaui.
In hac filiali seruitute † qua quis plenariè 5
& totaliter Deo mancipatur & abrenunciat
totaliter sæcularibus pōpis & curis per tria
vota solēnia in Religione à Sede Apostolica
cōfirmata, colligitur enucleatio veteris Axio-
matis iuris Canonici, quod *quidquid acquirit
Monachus acquirit Religioni*, Axioma verita-
tem continet Catholicam, quia de fide est,
quod Religiosus solēniter professus hodie ex
vi voti paupertatis solemnis facit se incapa-
cem acquirendi aliquid sibi siue titulo do-
minij, vsusfructus, aut alicuius proprietatis;
vnde valide de nihilo quit disponere sine
sui superioris facultate concessa, vnde ex vi
huius voti solemnis incapax est dominij,
sicut est incapax valide contrahendi matri-
monium, ex vi voti castitatis, quod si ex vo-
to simplici castitatis, est incapax matrimo- 6
nij, vt sūt Scholares Societatis post bienniū,
hoc non habēt ex vi voti simplicis (sicut nec
ex vi voti paupertatis simplicis sunt inca-
paces dominij, quod suarum rerum retinēt
& conseruant) sed ex priuilegio speciali, sibi
à Sede Apostolica concesso, ante quod vali-
da erant huiusmodi matrimonia, vt alibi ex
authoribus societatis probatum est, vnde fit
quod sicut quidquid acquirit seruus acqui-
rit Domino, vt est certissimi iuris gentium,
ita quidquid acquirit Religiosus solemniter
professus acquirit Religioni, cuius est filius
non mancipatus, & seruus.
Hinc deciditur etiā difficultas illa † in quo 7
iure fundetur regularis filiatio Pellizar. *to. 2.
manualis tract. 8. c. 6. sect. 4 subsect. 3. n. 267.*
Bord. *to. 2. resol. 58. n. 10.* dicunt fūdari in iu-
re Canonico. Ast ego in filiatione Religiosa
triplicē respectū considero, ad Religionē in
quaquis solēnem professionem emisit, cuius
caput est Sum. Pont. & vnus generalis su-
perior, ad Prouinciā & superiorē Prouinciale,
& ad speciale monasteriū & conuentū, eius-
que superiorē localē, & de filiatione diuerso
modo est philosophandū secundum diuersū
respectū, si enim loquamur de filiatione re-
spectu totius Religionis, etiā diffusæ per to-
tū vniuersum est de iure diuino. Probatur,
quia † ita se habet filiatio Religiosi soleni- 8
ter professi in hac Religione à Sede Aposto-
lica approbata sicut se habet paternitas, &
Pastorale officiū Episcopi respectu subdito-
rū, & ouium quas vt filios dirigit, & guber-
nat. Hoc expressit D. Th. 2. 2. q. 184. *art. 5. in
corp.* atqui paternitas & Pastoris officiū est in
Episcopo de iure diuino, vt est indubitatū

iuxta illud Pauli *capit.20. Actuum Apostolor. num.30. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

9 Ius autem † diuinum quo tenentur Episcopi regere Ecclesiam sibi commissam, & cum qua indissolubiliter coniunguntur, est vel votum factum ab Episcopo solemnizatum consecratione, vt vult D. Tho. vel est præceptum diuinum, vt explicat D.Caiet. *ibi §.in art.5. in fine.* in filiatione autem Religiosa & seruitute quà quis se mãcipat Deo oritur ex tribus votis substantialibus solemnibus status religiosi, quem, quis profitetur in hac Religione. Vnde sicut ex vi ordinationis & consecrationis Episcopi resultat obligatio iuris diuini regendi Ecclesiam sibi commissam à Pontifice in eáque residendi, vt egregiè D.Caiet. *2.2.quæst.184.art.6.§.ad obiecta.* assumunt enim curam animarum, vt agentia principalia, & ita iure diuino illis incumbit obligatio eas regẽdi & iurisdictionaliter gubernandi, ita Religiosi solemniter professi, ex vi professionis, quam vt agentia principalia emittunt, se constituunt iure diuino & naturali in statu filiationis, & seruitutis Religiosæ, quam filiationem, & seruitutem nequit Pontifex auferre, etiam de plenitudine potestatis, sicut, nec potest liberum facere religiosum solemniter professum, ab obligatione trium votorum solemnium in quibus dispensare nequit, vt sæpius à me dictum est cum D.Thom. & communi Thomistarum.

10 Verùm est, quod † Summus Pontifex potest aliquem Religiosum alicuius Religionis in qua professionem emisit, & cuius est iure diuino filius & seruus auferre ius filiationis & seruitutis actualis, vel per transitum ad aliam Religionem, siue strictiorem, siue laxiorem, vel per exclusionem ab illa, ita vt sit habitu retento in sæculo immediatè subditus ipsi Pontifici cui acquirat, & non Religioni sicut acquirunt expulsi à Religione, cuius non sunt actu, sed habitualiter filij, & serui. Nequit tamen Pontifex auferre filiationem, & seruitutem radicalem, quia ista acquiritur ex vi professionis solemnis, quæ omnino indelebilis est vsque ad mortem, non secus ac potestas absoluendi à mortalibus in sacerdote, etiamsi actu nequeat absoluere, quia non approbatus, vel quia ob crimen priuatus sit, semper tamen manet in illo radicaliter & habitu. An ve-

11 ro † Pontifex de plenitudine potestatis possit facere, quod quis sit Religiosus solemniter professus non determinata aliqua Religione cuius Regulam profiteatur, sed sit ipsi Summo Pontifici immediatè subiectus ipsiúsque filius, & seruus & vt dixi non alicuius Religionis in specie. Res est Metaphysicæ disquisitionis, sicut est, an possit consecrari Episcopus non alicuius Ecclesiæ determinatæ, etiamsi non habeat actu oues quas regat, de quo legendi sunt † Suarez *lib.10. de legibus cap.6. num.14.* Azor *part.2. lib.3. cap.29. quæst.3.* Canonistæ *ad cap. inter corporalia de transl. Episcopocum.* sicut in hoc vtraque pars probabilis est, ita & in Religioso isto, qui si postquam sic professus applicetur à Papa, vt regulam specialem obseruet & subiiciatur, fiatque filius alicuius Religionis, verbi gratia S. Benedicti ex vi huius applicationis, etsi à voluntate humana Pontificis dimanantis, iure diuino erit filius, & seruus huius Religionis sicut à voluntate Papæ pendet vt quis sit Episcopus Tarraconensis, tamen supposita confirmatione iure diuino tenetur residere *vt l.1.* latius dixi. 12

Si tamen loquamur de filiatione respectu Prouinciæ, aut specialis Conuentus, iuxta variarum Religionum constitutiones, statuta & consuetudines agendum est, iuxta quas filiatio habet speciales conditiones, specialia iura, quantum ad bonorum acquisitionem partitionem, hæredationem, officiorum distributionem & alternatiuam dignitatum quæ pro diuersis Prouinciis & Conuentibus diuersæ sunt ex dispositione humana dimanantes, & de filiatione respectu Prouinciæ & Conuentus particularis, loquuntur *Gregor. XIV. Constit. quæ incipit circunspecta*, quam refert Quaranta *in Bullario suo pag.mihi 316.* & Clemens VIII. *in Instit. Nouitiorum §.quia vero.* quam confirmauit Vrbanus VIII. apud Peyrin. *to.2. Priuileg. sui Ordinis.* Vnde *cap.fin.de Religiosis Domibus.§.vlt.* Summus Pontifex Inno- 14 centius III. in Concilio suo Lateranens. *prohibemus* (ait) *ne quis in diuersis Monasteriis locum Monachi habere præsumat, nec vnus Abbas pluribus Monasteriis præsidere.* ad quæ verba Glossa singularis *ibi. nec Abbas cum fratribus potest dispensare, vt Monachus haberet locum in diuersis Monasteriis, cap. constitutis de electio.* vbi iterum Glossa *in casus formatione & verb. vocem.* Vnde nequit iure communi habere vocem actiuam, aut passiuam in duobus Conuentibus, aut Prouinciis, vt determinat Honor. III. *in præfato Capitulo constit.* habere enim locum in duobus Monasteriis est habere vocem actiuam, aut passiuam, vt quis possit eligi, aut eligere.

RESOLVT. III.

Vtrùm sit perfecta filiatio Religiosa, vbi non est votorum solemnitas?

SVMMA

SVMMARIVM.

1. *An perfecta sit religiosa filiatio, vbi non est votorum solemnitas.*
2. *Religiosa filiatio cui dicatur similis.*
3. *An filiatio Religiosa simillima sit adoptioni, quæ est legitima legis filiatio.*
4. *Qui sit filiatio adoptionis ex S. Doct.*
5. *Quandonam dicatur perfecta adoptio.*
6. *An vbi non est votorum solemnitas, non sit perfecta filiatio Religiosa.*
7. *Quæ secunda filiatio sit aliquantulum præcedenti perfectior.*
8. *Quæ filiatio Religiosa dicatur arrogatio, & num.9.*
10. *Thomæ Sanchez sensus affertur, & num.11. necnon Valentiæ & Henriq. n.12.13.*
14. *Inter Religionem in qua solum emittuntur vota simplicia, & Religionem in qua solemnia, discrimen affertur.*
15. *An cognitio comprehensiua quæ totum obiectum totaliter comprehenditur non differat essentialiter à cognitione quidditatiua dumtaxat eiusdem, & n.16.*
17. *Inter statum Religiosum ex votis simplicibus oriundum, & statum Religiosum ex votis solemnibus natum est substantialis & essentialis differentia.*
18. *Quid ex traditis veniat colligendum.*

1 NOTAT Bordonus *vbi suprà num.4.5. & 6.* quod † sicut per generationem naturalem filius dicitur totus Patris, cum ab eo recipiat totum suum esse, ex quo cum illo vnica reputatur persona in multis, *leg final. Cod.de impuber.* & dicitur persona corporis Patris, *leg.cum scimus §.fin.de Agricol. & cens. lib.10.* & docet *Ar.6. Ethic.cap.5.* Ita Nouitius effectus Religionis filius professione, non amplius Patris est, sed Religionis, cui se totum tradit mancipando se diuinis obsequiis, & seruituti Religionis à qua quidquid

2 habet agnoscit. Hæc † Religiosa filiatio similis est filiationi ex adoptione, sicut enim adoptione arrogatus transiit cum suis iuribus in potestatem arrogantis, ita & professione Religiosus transfert se totum & omnia sua iura in potestatem Religionis, si aliter ante professionem non disposuit *Authent. ingressi C.de sacros.Eccles. Authent.de Monach.cap.si quæ 9.19. quæst.3.* Bordonum sequitur Pellizarius *vbi suprà q.1.n.26.5.*

3 Igitur † filiatio Religiosa simillima est adoptioni, quæ est legitima legis filiatio de qua satis ad rem eius materiam comprehendẽs, sic Sylvester. *verb. Adoptio. Adoptio est personæ extraneæ in filium; vel nepotem & deinceps legitima assumptio, secundum Raynaudum S.Tho. & Ricardum in 4.dist.42. vel adoptio est legitimus actus per quem, qui filius non est pro filio habetur pene naturam imitans. Institut. de Adopt. in glossa, & persona extranea intelligitur omnis qui non est in potestate adoptantis, siue sit de eius carnali cognitione, siue non: & per masculinum intelligitur etiam fœmineum, vt per filium filia & per nepotem neptis. Adoptare autem secundum S.Tho.3.p.quæst.23. & in 3. dist.10. est admittere ex gratia ad participandum hæreditatem.* Hæc Sylvester.

Sed D.Th. agens de adoptione *in 4.dist.* 4
42.q.2.art.1.ad 1. sic fatur. *Filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis & ideo duplex est adoptionis species, vna quæ perfectè imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur arrogatio per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit Patri adoptanti ex intestato, nec potest eum Pater priuare sine culpa quarta parte hæreditatis: sic autem adoptari non potest nisi ille qui sui iuris est, qui scilicet postquam adoptatur non habet potestatem, aut si habet est mancipatus, & hæc adoptio non fit nisi authoritate Principis. Alia est adoptio quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè quæ vocatur simplex adoptio perquam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Vnde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta, & secundum hanc potest adoptari etiam ille qui non est sui iuris, & sine authoritate Principis ex authoritate Magistratus, & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit.* hæc ibi.

Quæ omnia stillata sunt ex iure ciuili tam Digestorum, quam Codicis, vt enim ait Sylvester *vbi suprà.* † *Adoptio perfecta* 5
est quum is qui non habet Patrem, vel est emancipatus, vel generaliter qui est sui iuris transit cum iuribus, & rebus suis in potestatem arrogantis authoritate Principis, quod ita verum est quod filius adoptatus adoptione perfecta siue arrogatione non possit sibi alicuius rei dominium reseruare, sed quidquid habet transit in potestatem arrogantis, vt probe vidit Barthol. Auth.ingressi C.de sacros. Eccles. institut. lib.1. tit.11.§.3. Hinc est quod Vlpianus leg.si paterfamilias 15.D.de adoptio. dicit si paterfamilias adoptatus sit omnia quæ eius furunte, & acquiri possunt tacito iure ad eum transeunt qui adoptauit. Quare attentis iuris ciuilis principiis, nequit perfecta adoptio quæ arrogatio dicitur *leg.1.D.eodem* subsistere vbi arrogatus omnia iura quæ habet transfert in potestatem arrogantis nec sibi alicuius rei dominium reseruare potest.

Ex his clare colligitur, quod † vbi non est 6
votorum solemnitas non est perfecta filiatio religiosa, non dico quod non sit vera filiatio, sed quod nõ sit perfecta. Igitur in Religionibus à sede Apost. approbatis triplex filiatio adoptiua religiosa potest cõsiderari. 1. Nouitiorũ qui admittũtur ad habitũ religionis,

& commune exercitiorum consortium, & hæc est valdè imperfecta & dispositio ad perfectam. Nouitij enim filij sunt Religionis priuilegiis, & Religiosi status, indultis, & exemptionibus, quamuis non immobiliter, neque ex parte sua, neque ex parte Religionis, sed quandiu sunt in illa perseuerantes, etiamsi emittãt intra annum nouitiatus tria vota simplicia, hæc non tribuunt aliquam status immutabilitem solemnem, sed semper manet simplex stabilitas quæ via ordinaria dissolui potest.

7 Secunda filiatio † est aliquantulum præcedenti perfectior, sed non simpliciter perfecta, quia semper manet simplex adoptio, & dispositio ad adoptionem perfectam, & est quum post nouitiatus tempus determinatum in aliqua Religione approbata à Sede Apostolica emittantur tria vota obedientiæ, paupertatis & castitatis, simplicia quidem taliter, quod ex vi votorum non amittat rerum suarum dominium, sed quod validè etsi illicitè possit quis sine Superioris licentia disponere, donatione, testamento, aut aliter. Similiter ex vi horum votorum non reddatur quis incapax contrahendi validè matrimonium, nisi adesset specialis Bulla Apostolica eos reddens incapaces, tales sunt Religiosi Scholares Societatis Iesu, qui post biennium nouitiatus emittunt tria vota simplicia ex vi quorum non habent perfectam filiationem religiosam adoptiuam, sed manet simplex adoptio & filiatio, sicut & Religiositas quam habent etsi sit vera ex priuilegio Pontificis simplex est non solemnis sicut & vota ex quibus dimanat, vnde sicut Religiositas istorum perfecta non est, etsi sit vera, ita & filiatio religiosa, sed vt aiebat S. Tho. *manet simplex adoptio, simplex filiatio, simplex religiositas*, non perfecta & solemnis.

Tertia filiatio adoptiua Religiosa est per-
8 fecta † & omnibus numeris absoluta & dicitur *arrogatio*. & contrahitur ex vi trium votorum solemnium, quæ emittuntur in professione Religionis approbatæ à sede Apostolica, hæc enim solẽnitas essentialis est de iure diuino introducta & indispensabilis à Pontifice, vt alibi à nobis ostensum est, nec in eius probatione hic immorandum, ex vi enim huius professionis, qui ita arrogatur à Religione, vt ista nequeat illum hæreditate Religiosa priuare, habitu, alimentis, & instructione, nisi culpa sua id mereatur propter eius incorrigibilitatem, tamen etiamsi priuetur, semper tamen filius adoptiuus arrogatus, in habitu & radicaliter, quia semper manet adstrictus triplici solemni voto,
9 quod secus contingit in secunda specie adoptionis à qua si quis spolietur & dimittatur ab vmbra & protectione paterna omnino liber manet à votis, quæ emiserat, à seruitute, quam promiserat & de filio clerico religioso, fit non filius & sæcularis eodem prorsus modo ac dum nouitius intra nouitiatus tempus, vel exiit, aut demittitur, vel spoliatur habitu, vnde sicut adoptio nouitij est dispositio ad adoptionem professi, ita adoptio Scholarium emittentium post biennium tria vota simplicia est dispositio, sed proximior quam nouitiatus, ad professionem solemnem quam emittunt, in qua arrogantur à Religione sicut in aliis Religionibus fit, & sic ante arrogationem imperfecta est filiatio religiosa, sicut & religiositas ipsa, & sic euidens est, quod non est perfecta filiatio religiosa, vbi non est votorum solemnitas.

Vnde constat minus benè Thom. San- 10
chez *lib.* 5 *sum. cap.* 1. *num.* 27. dixisse cautè esse intelligendos Valentia 2. 2. *disp.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 5. *numer.* 8. *iuncto commento litt. N.* asserentes verissimè, duos esse gradus status Religiosi & per consequens filiationis, religiosæ adoptiuæ vnum perfectissimum, qui solum votis solemnibus constituitur, alterum verum & proprium, sed non ita perfectum, qui votis simplicibus constat, *quia* (inquit) *hoc dictum est intelligendum de perfectione accidentali & non necessaria statui Religioso*, hæc enim maior est in votis solemnibus, quibus magis immobiliter traditur vouens Reli-
gioni, non tamen intelligendi sunt de per- 11
fectione essentiali, nam tunc essentialiter esset imperfectior status Scholarium emittẽtium post biennium tria vota simplicia, quod *clare pugnat* (ait) *cum extrauagante ascendente Greg. XIII.* vbi decreuit eos esse vere & proprie Religiosos, non secus, ac professos; vnde colligit, posse constare veram & propriam religionem omnibus numeris absolutam, quantum ad substantialem Religionis perfectionem, si ex authoritate Apostolica solum constaret ex votis simplicibus, etiamsi nulla esset solemnis professio.

Verùm enimverò † rectissimè dixerunt 12
Valentia & Henriquez, sequentes omnem antiquitatem & Ecclesiæ à suis incunabulis consuetudinem, iuxta quam nulla fuit à sede Apostolica confirmata Religio, neque ab Apostolis, & Religionum antiquis Patriarchis nisi votis solemnibus, quibus quis totaliter mancipatur Deo, & offertur in holocaustum ipsi, totaliter abrenuntians præfatis solemnibus votis sæculo, illi moriens, vt totaliter Deo, viuat ipsique, inseruiat immobiliter, hanc autem totalem immobilem mancipationẽ & sæculi abrenuntiationem non habent vota simplicia ex natura sua, sed si habent in Societate est ex particulari priuilegio,

priuilegio, & concessione Apostolica, quod enim eam non habeant præfata vota ex obiecto materia sua fatentur ipsimet societatis authores, & Alumni siquidem in illis perseuerat dominium rerum suarum, de quibus possunt valide disponere ad libitum, rursus si non esset speciale indultum quod prohibet matrimonium contrahere, valide contraherent, quod indultum non facit votum solemne, in societate siquidem hoc tantum datum est pro illisque emittunt solẽnia quæ
13 ex obiecto suo, & materia quæ est totalis renuntiatio sæculi talia sunt, vnde si quæ sunt decreta Pontificia annullantia matrimonia, & testamenta professorum, hæc tradita sunt tanquam declarantia vim, & naturam votorum solemnium, quæ sunt solemnia, & irritant matrimonia, & testamenta, non quia sic decretum est à Pontificibus (vt fit in votis simplicibus, quæ iure solum positiuo habent irritare matrimonia) sed ideo decreuerunt, & declararunt Pontifices, quia votum solemne id habet ex natura sua, quia eius obiectum est totalis sæculi ab renuntiatio, & Deo mancipatio totalis, quod non habet votum simplex, etiam in Religione approbata, sed ideo irritat matrimonium, quia ius Pontificium sic disponit, at in voto solemni ideo disponit Pontifex irritare, quia id habet ex natura sua, sicut sunt aliqua mala, quia prohibita, & alia sunt prohibita, quia mala.

14 Ex quo apparet † qua ratione sit substantiale discrimen, & essentialis differentia inter Religionem, in qua solum emittũtur vota simplicia, & Religionem in qua solemnia manuncupantur, & similiter inter filiationem vnius, & filiationem alterius seruitutem vnius, & seruitutem alterius, statum religiosum vnius, & statum religiosum alterius, quod ex eo fit manifestum, quia mancipatio diuino seruitio, & abrenuntiatio sæculi, quæ fit votis solemnibus substãtialiter differt, & essentialiter discriminatur ab ea, quæ fit votis simplicibus, siquidem istis nuncupatis etiam in religione approbata à Sede Apost. non est totalis, & totaliter facta, sicut est quæ fit votis solemnibus, quorum materia est totalis, ista abrenuntiatio, nuncupatio; atqui totalis nuncupatio, & totaliter facta substantialiter, & essentialiter differt ab ea quæ totalis non est, nec totaliter fit.

15 Quis enim dicat, quod † cognitio comprehensiua qua totum obiectum totaliter comprehenditur non differat essentialiter à cognitione dumtaxat quidditatiua eiusdem, cuius possunt plura ex vi huius cognitionis latere, rursus quis dicet quod actio qua res tota, & totaliter producitur, & est creatio, non differat à generatione, qua res tota producitur à generante, at non totaliter cum generans non producat materiam primam? ita emittens tria vota simplicia totum quidem se dicat Deo, at non totaliter sicut, qui emisit vota solemnia iste enim nihil quod ad sæculum pertineat sibi retinet, neque in vsu, neque in dominio, & proprietate, sicut retinet qui emittit vota simplicia: nullatenus potest ad sæculum redire liber est omnino absolutus à votis, sicut redit qui vota simplicia nuncupatur, & quamuis verum sit quod dicunt Societatis Filij, hoc non dimanare ex parte nuncupantis vota simplicia qui quantum est ex se obligatur ad perpetuo perseuerandum in Societate, ex qua prouenit quod
dimittatur, & ad sæculum liber à votis re 16
deat; sed ex hoc ipso quod Societatis institutum manifestè conuincitur intentũ, quod non sit totalis totaliter facta mancipatio Deo in Religione, & totalis abrenunciatio sæculi absoluta, sicut fit vobis solemnibus siquidem vota simplicia emissa in Societate habent implicitè quod tamdiu iuret eorum obligatio, quamdiu sit, illa emittens in Societate, at quod sit in societate votis adstrictus Religiosus non pendet ab ipso, sed à Generali qui ipsum di mittere potest, vt ineptum societati, ergo euidens est, quod dum post biennium vota præfata emittit, non totaliter se dicat, & consecrat Deo, fitque illius holocaustum cum possit ab hac consecratione, dedicatione, & mancipatione liber existere, & in sæculum iterum ire ac si Religiosus non fuisset aliquando.

Quare † inter statum Religiosum ex vo- 17
tis simplicibus oriundum, & statum Religiosum ex votis solemnibus natum, est substantialis & essentialis differentia, quia status solemnis est absolutè immutabilis, quod est de ratione status, vnde est perfectus omnibus numeris absolutus substantialiter, & hoc habet ex natura sua, & obligatione votorij solemnium, at status ex simplicibus votis ex natura rei non est status immutabilis, sed ex indulto Pontificis, qui ipsum fecit esse religiosum proprie, & vere, sicut id quod est malum quia prohibitum vere & proprie malum est morale, sed non ex natura rei; sed quia prohibitum ita Religiosus in societate Iesu emittens tria vota simplicia Religiosus est proprie & vere quod ex lege humana, sic disponente, sed non ex natura rei, sicut est qui emittit vota solemnia vnde Pontifex potest abrogare legẽ qua fecit scholares Societatis tribus dumtaxat votis simplicibus esse vere Religiosos; qua abrogata non erunt vere tales, ast nequit facere, quod Religiosus solemni professione talis non sit vere Religiosus; perseuerantibus solemnibus votis quia hoc habet ex na-

tura rei, & votorum quidquid sit an Pontifex possit de plenitudine potestatis dispensare in votis solemnibus sicut quidquid sit an possit Pontifex dispensare in matrimonio rato, non consummato tamen certum est apud Catholicos iure diuino esse insolubile.

18 Ex quo † ad intentum colligitur verum esse quod diximus, filiationem religiosã quæ resultat ex tribus votis simplicibus emissis societate, etsi sit vera, non tamen est omnino perfecta sicut est quæ resultat ex votis solemnibus, quæ est perfectissima arrogatio, ex vi cuius totaliter quis transfertur in arrogantem, vt ex dictis constat.

RESOLVTIO III.

Qualiter stabilitas sit de ratione filiationis Religiosæ, & Residentiæ, species?

GRAVISSIMA difficultas, & à paucis vt par est exagitata quam diffusius tractarunt Rota Romana in varius decisionibus circa reformationem Ordinis Præmõstatensis (cuius institutor fuit B. Nombertus in cuius festiuitate hæc laboro (datis ab *anno* 1629. *vsque ad annum* 1633. quas adferam in fine tomi huius. Caramuel in Theolog. Regular ad Regulam S. Bened. *disp.* 44. de hac enim radice vix tractarunt Pellizarius, & Bordonus in suis elucubrationibus de filiatione, cum ex huius difficultatis decisione plures possint deduci conclusiones morales ad praxim regularem deseruientes, vt tamen iuxta dignitatem, difficultas hæc digeratur aliqua sunt prælibanda:

§. I.

Primum libamen quid stabilitas Religiosa?

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur stabilitas religiosa.*
2. *An status non exigat obligationem in quocunque statu, & n.* 3.
4. *An Archidiaconi, & curati possint ad religionem conuolare.*
5. *Quid ex dictis D. Thomæ veniat colligendum, & n.* 6.
7. *Vt sit perpetuitas quid requiratur.*
8. *An status seruitutis sit introductus iure respectu personæ domini cui obligatur, & n.* 9. *&* 10. 11.
12. *An votum solemne dirimat matrimonium, & faciat incapacem dominij.*
13. *S. Doctoris Angelici sensus affertur, & numero* 14.
15. *An exhibitio sui ipsius, & statutum Ecclesiæ possint dupliciter considerari.*
16. *Quid ad solemne votum exigatur.*
17. *Quandonam sit perfectus status religiosus, & n.* 18.
19. *Quid ad statum Religiosum requiratur.*
20. *Quod votum simplex dicatur triplex?*
21. *Authoris iudicium propalatur, & numero* 22. *&* 23.
24. *Quis dicatur in statu perfectionis.*
25. *Quis status dicatur imperfectus.*
26. *Quis dicatur status perfectus religionis, & n.* 27.
28. *Quid de statu veniat dicendum, & numero.* 29.
30. *D. Caietani sententia adducitur, & n.* 33. *&* 34. 35. *&* 36. *&* 37.
31. *An curati sua voluntate possint relinquere curam.*
32. *Quis curatus dicatur in statu perfectionis.*

PRimum sit, † quod stabilitas ab statu vel 1
status ab stabilitate originem ducit, & primordium, vnde cum status teste D. Th. 2.2.*q.* 183. *art.* 1. *&* 2. dicat *rectitudinem immobilem, pertinens ad rationem libertatis, & seruitutis cum obligatione sic permanendi.* Vt mox explicabo, hinc fit quod stabilitas, vt notauit Rota *in vna Trulens. Reformat. coram Duconetto* 10. *Ianuarij* 1631. *num.* 5. dicit permanentiam, perseuerantiam, & residentiam in loco. Igitur tam status, quam stabilitas dicunt immobilem permanentiam in Religione, & modo illo standi cum obligatione sic permanendi, siue liber sit quis, siue seruus; neque enim liber est, qui non seruit cum sit obligatus ad seruitutem, nec seruus est qui actu seruit, cum sit liber ab obligatione seruiendi, vt egregie docuit *S. Thom.* cuius mentem probe enucleat Dom. Caiet. ibi *art.* 1. *§. ad horum. Sciendum est* (ait) *quod auctor nunquam* dicit, *quod † status exigat obligatio-* 2
nem in quocunque statu, sed dicit quod, quilibet status respicit obligationem, quæ duo assistãt sicut cœlum, & terra, nam ad primum requiritur quemlibet statum habere obligationem ad id quod sui status est. Ad secundum vero sufficit quod obligationem respiciat, ita quod penes obligationem distinguantur affirmatiue, vel negatiue, hoc est penes habere obligationem, & penes non habere illam, & hoc modo distinguitur status liberi, à seruo, quia seruitus respicit obligationem affirmatiue, libertas vero negatiue Hoc etiam modo distinguitur status sæcularis à regulari, quia regularis habet vinculum, quo caret sæcularis, &c. & infra agens de statibus proficientium, & incipientium, dicit. §. ad hoc dicitur. Quod status tam incipientium quam proficienttium non nisi imperfecte habet rationẽ status, sunt enim hi status. In genere status sicut

sicut formæ *in embrione succedentes sunt in genere viuentium, non enim sunt velut species depensæ, sed vt vitæ ad aliud, & similiter status incipientium, & perficientium, vt ipsa ipsorum nomina ostendunt, viam ad aliud, hoc est ad perfectionem seu perfectionis status significant, &c.* & infra explicans D. Anselmum *lib. de similitudin. cap.* 46. vbi dicitur. *Quatuor sunt status humanæ naturæ, &c.* explicat S.D. *Quod non ita stricte, & proprie status nomine vsus est sed per statum intelligit conditionem, quasi diceret quatuor sunt conditiones hominum in qua significatione frequens videtur vsus esse.* Hæc ille, quibus mens Angelici Doctoris enucleat.

3 Vtrumque Thomam quantum ad vtramque rationem constituentem statum, *quod sit cum obligatione immobilis permanentia, & stabilitas*, est omnium indubitata sententia, vt latè probant Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 2. *de Monach. cap.* 4. Valent. *in Analysi Fidei.* Platus *de bono statu Relig. lib.* 2. *c.* 20. Vasq. 1. 2. *disp.* 165. *à num.* 44. Azor. *lib.* 11 *c.* 23. *quæst.* 5. Thom. Sanchez *lib.* 5 *summ. cap.* 1. qui etiam dicunt quod hæc obligatio debet esse perpetua quod manifestè confirmat D. Thom. *loc. cit.* & ex ea deducit duo, quæ valde conducunt ad stabilitatẽ enucleandam: Primum, quod quia Episcopus nequit dimittere curam animarum ad quam voto perpetuo se adstrinxit dimittere, & ad Religionem transuolare, iuxta *cap. cum pridem de renunciatio.* vbi Innocent. III. sic alloquitur Episcopo..... *Si pennas habeas quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum, soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo quo quis se ad curam subditorum se adstrinxit Episcopatum suscipiens.* Hæc ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 4. *in fine corp.*

4 Secundum *quæst.* 189. *art.* 7. in quo dicit, quod † Archidiaconi, & curati possunt ad Religionem transuolare, quia non obligantur voto perpetuo, & solemni ad curam animarum retinendam sicut obligantur Episcopi, & ita illam possunt deserere, & ad Religionem ire etiam contradicente Episcopo, *cap. duæ sunt leges*, 19. *quæst.* 2. *& in solut. ad* 1. ideo dicit, quod Archidiaconi non sunt in statu perfectionis, & ita possunt religionem intrare, quia Presbyteri, Archidiaconi, & curati obligauerunt se ad curam agendam subditorum quandiu retinent Archidiaconatum, vel Parrochiam non autem obligauerunt se, ad hoc quod perpetuo Archidiaconatum, vel Parrochiam teneant. Vnde ex vi officij curati, aut Archidiaconatus non sunt in statu, quia possunt liberè illa relinquere.

5 Ex quibus duobus D. Th. assertis † colligitur, quod non est stabilitas, nisi respectu illius à qua nequit quis ex vi obligationis, quã habet se liberum exhibere, si enim liber esse potest via ordinaria, nequit habere proprium statum si rationem status ex natura rei, & eius ab omnibus recepta quidditate consideremus, quamuis alias status iste, de potentia extraordinaria, possit dissolui ex altiori priuilegio à Deo Sũmo Pontifici dato, & concesso. Quæ doctrina mihi est indubitata sicut fuit omnibus antiquis Scholasticis, & Summistis Alphabetariis, & constat in matrimonio rato, & non consummato, hoc enim iure diuino est insolubile ex natura rei, quia dissolui nequit ex consensu contrahentium, vel alicuius eorum sicut contractum est, si enim huius contractus vinculum posset ex mutuo vel alicuius ex contrahentibus consensu dissolui, nullatenus esset insolubile ex natura rei nec constitueret stabilitatem matrimonij, vt liquido constat ex Trident. *sess.* 24. & tamen certum est pos- 6
se dissolui per solemnem Religionis professionem, alterius coniugum vt habetur *sess. ead. canon.* 6. & iuxta probabilem sententiam potest Pontifex vtens de plenitudine potestatis illud dirimere, & nihilominus constituit stabilitatem, à qua recedere non possunt via ordinariæ prouidentiæ, quam Christus in Ecclesia reliquit contrahentes, ergo vbicunque quis via ordinaria potest se liberum videre ab obligatione quam sibi imposuit in votis non constituunt statum, quia de huius ratione, & quidditate est perpetuitas.

Sed respondet Pater Thomas Sanchez *vbi* 7
supra num. 26. quod † vt sit perpetuitas ad rationem status requisita non obest, quod quis possit ab statu liberari ex voluntate alicuius superioris, vt contingit in societate à qua dimittũtur aliqui, & liberantur omnino à votis à patre generali, sed sufficit ad rationem status religiosi, quod ille qui emittit vota simplicia, in Religione approbata non possit sua sponte ab obligatione resilire, sed si resiliat sit vere apostata, & vt talis omnes pœnas Apostasiæ incurrat, sicut seruus in vero, & immobili seruitutis statu est, eo quod se liberare propria sponte nequeat; quamuis possit ex Domini beneplacito liber effici, quod fortius in dictis Religiosis procedit, qui non ex solius Generalis beneplacito possunt dimitti, sed concurrente iusta expulsionis causa.

Verum enim vero, etsi solutio ista plausibilis alicui videatur, at si prælo sudet sua inuenietur, & imprimis exemplum quod adducitur non est ad rem, quia † status ser- 8
uitutis introductus est iure respectu personæ Domini cui obligatur seruus, & sic Dominus prout sibi libuerit potest manumittere, & seruum ad statum natiuæ libertatis reducere,

reducere soluens obligationem sibi factam, si ergo scholaris societatis post emissa vota simplicia transacto nouitiatus tempore potest liber manumitti ad sæculum, & pristinã libertatem ab obligationibus votorum omnino absolutũ sicut seruus manumissus, manifestum est quod status huius religiositatis & seruitutis non est ex natura sua, sed ex speciali lege, & constitutione Apostolica solummodo, at status Religiosi professi votis solemnibus, ex natura horum votorum est status immutabilis, & perpetuus ex parte Religionis, & ex parte Religiosi, quia ex natura sua votum solemne facit personam inhabilem ad rerum dominium, & ad contrahendum matrimonium, vnde ad statum Religiosum qualis fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum vsque ad statum Religiosum societatis Iesu essentialiter requirebatur votorum solemnitas sine qua nullus erat perfectus filius Religionis, nec verus Religiosus.

9 Vtrumque docuerunt vterque Thomas, & omnium antiquorum chorus in iure etiã canonico nihil apertius reperitur, quã quod quis sola professione solemni fit Religiosus cum effectu *cap. Religioso. ad finem de sententia excommunicationis in 6. c. porrectum de Regular. Clement. 1. de Relig. Dom.* vbi glossæ, & omnes Canonistæ, Summistæ veteres *verb. Religio*, & late Nauarrus *cap. non dicatis 12. quæst. 1. num. 15.* vnde D. Caiet. *2. 2. quæst. 188. art. 1. §. ad hoc dicitur* sic fatur. *Cum appellatione Religionis proprie intelligatur status personarum tria vota solemnia emittentium, & in proposito vota, quæ ab huiusmodi mulieribus sic emittuntur sunt tantum vota simplicia, & non solemnia istæ personæ emittentes talia vota non fiunt propterea ex non religiosis, religiosæ*, vnde ex Caiet. sententia euidens est quod vota simplicia vt sic, nisi accedat indultum S. Apostolicæ, non constituit verum religio-
10 sum quod ipse Cardin. explicuit *q. 88. art. 7. §. sed neque hæc opinio. Quoniam* (inquit) *mutatio status mãcipando hominum ad diuinum cultum, & religiosa opera stare potest cum voto simplici vt patet si Ecclesia instituerit, quod in sacro ordine, & Religione aliqua votum simplex fuerit.* Hæc Caiet. quæ nos non negamus, quod Sacra Congregatio Generalis Inquisit. Eminentiss. Card. coram Sixto V. decreuit Teste Riba de Neyra *lib. de instit. societ. c. 17. ad 8.* dicens. *Sacra Congregatio quod substantia Religionis regulariter consistit in votis solemnibus, at posse Summum Pontificem aliter indulgere seu statuere*, vnde certissimum est quod iure communi non fit quis verus religiosus nisi emissa professione solemni quia hucusque Romanus Pontifex verum statum reli-
11 giosum veramque in Religione approbata stabilitatem admisit sine votorum solemnitate, vt constat ex iuribus citatis in quibus cautum est, & consuetudine totius Ecclesiæ, quæ consuetudo ius introduxit ne aliquis fieret verus religiosus, nisi in religione approbata à potente approbare solemnem emitteret professionem, & sic si in societate veri sunt religiosi ante solemnem professionem, hoc est non ex natura votorum, quæ emittunt in religione approbata, sed ex indulto, & priuilegio Apostolicæ sedis indulgentis contra vniuersalem consuetudinem Ecclesiæ, & iura canonica quod quis sit vere religiosus sine professione solemni cum solis votis simplicibus in societate emissis quæ ex natura sua non habent statum constituere sicut habet votum solẽne quod, quidem tale non est nisi emittatur in religione approbata.

Id quod mihi certissimum est, probo ex vtroque Thoma, & quidem quod D. Tho. senserit quod † votum solemne ex natura 12
rei dirimat matrimonium, & faciat incapacem dominij, & per consequens quod ex natura rei constituat statum religiosum immutabilem in religione approbata lippis, & tonsoribus manifestum, id enim docuit S. D. tam in summa, vbi dicit quod summus Pontifex nequit dispensare in votis solemnibus Religionis *2. 2. quæst. 88. art. 12.* quam *in 4. sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. & art. 3. quæstiunc. 3.* vbi dicit quo votum solẽne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum † *in quantum scilicet* 13
homo per ipsum amisit sui corporis potestatem Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, & ideo non potest illud tradere in potestatẽ vxoris ad matrimonium contrahendum, & in solut. ad 3. dicit, *quod votum solemne habet actualem exhibitionem proprij corporis, quam non habet votum simplex.* vnde *art. 2. quæstiunc. 3.* distinguit votum simplex, & solemne quia *istud habet completam vim obligandi ponens eum cui fit promisso in possessione rei promissæ sicut si quis promitteret seruitium, & se in seruum daret, at votum simplex ex sua natura id non habet quia ex se non ponit in possessione.*

Nota tu Thomista D. Tho. nec somniasse votum solemne posse consistere, & sta-
tum religiosum ex natura rei constituere, 14
sine speciali authoritate Ecclesiæ, & Summi Pontificis confirmantis, & approbantis religionem, in qua votum solẽne emittitur, imo hãc conditionem vt essentialiter requisitam exegit, dicit enim *quæstiunc. 3. modo cit. quod votum solemnizari dicitur per professionem certæ Regulæ debito modo factæ, scilicet in manu eius qui debet recipere, & aliis circunstantiis seruatis quæ secundum iura determinãtur, alias non esset votum solemne, quantumcunque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum, qui Religioni præsunt,*

præsunt, quod expressius dixit *in solut. ad 3.* quod erat quod in Ecclesia poterat esse votum solemne ante constitutionem certarum regularum, ergo potest solemnitas voti consistere sine professione certæ Regulæ, *ad 3.* (inquit) *dicendum, quod antequam essent istæ Regulæ, quæ modo sunt, erat aliquis modus viuẽdi ab Ecclesia approbatus quo aliqui ad ea, quæ super erogationes sunt se obligabant, & certi tẽporis obligatio ad alium modum viuendi idem faciebat, quod nunc obligatio ad certam Regulam.* Hæc ibi, vt omnibus notum sit S. Doct. ad voti solemnitatem exegisse, quod modus viuendi in quo emittitur sit ab Ecclesia approbatus sine cuius approbatione votum solemne non subsistit.

Quare appono doctrinam grauissimam D. Caiet. *quæst. 88. cit. art. 6. Quantum vero non contradico authori* (S. Tho.) *ad cuius euidentiam scito, quod † exhibitio sui ipsius & sta-*
5 *tutum Ecclesiæ possunt dupliciter considerari, scilicet seorsum, & sic neutrum sufficit ad solemnitatem voti, & propterea secunda opinio ponens in sola exhibitione solemnitatem voti refutata est, & ab ipso authore refutatur in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. dum dicit, quod quãcumcunque, quis profiteatur nisi seruato positiuo iure hoc faciat, non est votum solemne, propterea quoque tertia opinio, ab authore ibidem refutatur, quod scilicet super simplici statuto Ecclesiæ fundatur. Oportet namque iuxta secũdum distinctionis propositæ membrum, ambo, scilicet concurrere, scilicet, & Ecclesiæ authoritatem, & ex parte vouentis, impotentia tradendi se ipsum alteri, quæ impotentia, quia negatio est, fundatur super affirmatione, aut approbatæ exhibitionis sui ipsius, vt author vult & rationi consonat, quia Ecclesia propter hoc inhabiliter ad carnis seu mundi opera, quia approbat exhibitionem ad Dei cultum, seu famulatum; aut approbati sic voti, vt ex hoc ipso quod votum est sic, hoc est cum inhabilitate vouentis ad matrimonium, &c. approbatum prius ab Ecclesia, impotentia ista sequatur, vtroque scilicet modo Ecclesia facere potest.*

16 Ex quibus patet primo, quod † ad solemne votum duo exiguntur tantum. Nam ex parte vouentis requiritur, quod voueat, ex parte autem Ecclesiæ, quod votum sit inhabilitans hominem ad matrimonium, &c. Hanc enim inhabilitatẽ vim non posse votũ ex priuata authoritate habere, sed ab Ecclesia solum manifestè patet, ex eo quod sublata Ecclesiæ approbatione & institutione, quãtumcunque aliquis suscipiendo subdiaconatum voueret castitatem, & quicumque alius professionem alicuius religionis faceret, nunquam solemni voto ligaretur, nunquam inhabilis esset ad matrimonium, quamuis peccaret contrahendo, vtpotè contra votum simpliciter faciens, & in hac vi consistit solemnitas voti.

Ex quibus omnibus liquido & manifestè 17
constat, quod † nunquam est status perfectus religiosus sine solemnitate, quæ solemnitas est vis inhabilitans hominem ad matrimonium, & reddens ipsum incapacem, ad dominium, & aliam quamcunque proprietatem, aut vsum rei tanquam suæ, hæc autem vis inhabilitans duo dumtaxat exigit primum, quod Religio in qua fit professio, vel in qua quis dicatur diuino famulatui & seruitio, sit approbata ab Ecclesia, vel in Concilio generali legitimè congregato, vel à Summo Pontifice, qui sibi hanc approbationem reseruauit, sine hac enim approbatione nulla est votorum solemnitas, sicut nulla est Religionis legitima authoritas, quæ à capite Ecclesiæ dimanat, vt à primo fonte priuatiuè ad omnem alium iure diuino. Secundum quod requiritur est, quod posuit D. Tho. scilicet, quod quis totaliter exhibeat se ipsum in holocaustum Domino tradens se in possessionem Dei, ita vt nihil reseruet, quod Domino non dicetur, mancipetur, & offeratur. Quæ duo si separatim cõsiderẽtur non faciunt statum religiosum perfectum ex natura rei faciens subiectum incapax ad matrimonium, & acquirendum rerum dominium, at si coniungantur iure diuino, & ex natura rei & ipsius status Religiosi emittens solemnem professionem est incapax matrimonij contrahendi, aut dominij, quia ex vi totalis huius mancipationis, quæ est obiectum voti emissi in Religione approbata, nequit quis alteri se tradere, aut acquirere aliquid sibi proprium, de quo ad libitum possit validè disponere, rem explico manifesto exemplo, quia Episcopus iure diuino est obligatus ad residendum in sua diœcesi, vt latè probatum est *lib. 2. resol. 2.* vt autem hæc obligatio iuris diuini exur- 18
gat, requiritur, quod ius humanũ, & institutio Pontificia antecedat, qua diuidatur diœcesis, quibus diuersi Episcopi præsint & residean, tamen supposita diuisione Pontificis (qui diœcesim potest extẽdere, aut coarctare) Episcopus iure diuino & non humano tenetur residere. Ita contingit in præsenti ad ius humanum & Pontificium attinet, religionem instituere & confirmare, at supposita confirmatione vota, quæ in illa nuncupantur, dum professio fit iure diuino sunt immutabilia & faciunt statum religiosum perfectum ex omni latere, & ex omni respectu, immutabilem.

Cuius rationem dedit S. Tho. *2. 2. q. 186.* 19
in qua postquam, *art. 3. 4. & 5.* probauit † requiri ad statum perfectum religiosum, paupertatem, obedientiã, & charitatem *art. 6.* probat hæc vt statum religiosum constituãt debere voto firmari, *quia nisi voto firmentur*

non

non habent immutabilitatem quam status iste si perfectus est exigit, quia status perfectus religiosus, vt ait Greg. *homil.* 20. *in Ezechiel.* est per modum holocausti, quia cum quis omne quod habet omne quod viuit, omne quod sapit omnipotenti Deo voueret holocaustum, est quod pertinere ait ad eos qui præsens sæculum deserunt. Quare si qui per vota religiosa totaliter non dicetur Deo & abrenuntiat sæculo, sed ea quæ habebat renuntiet in Domino, & tanquam sua, & ex vi voti simplicis castitatis (nisi adesset specialis prohibitio) poterat ducere valide vxorem, dubio procul non fit holocaustum Domino, sed sacrificium, vt supra dicebam.

20 Vnde fit quod † votum simplex triplex, castitatis, paupertatis, & obedientiæ etiam in Religione approbata non habet vim cõstituendi perfectum statum religiosum, neque Ecclesia id potest facere quod statum perfectum religiosum constituat, implicat enim in terminis quod sit status religiosus, & quod non sit ex vtraque parte immutabilis, & perpetuus, quia status religiosus perfectus exigit quod vota quibus perficitur sint immutabilia in religione approbata, vt ea acceptet de re totaliter mancipata Deo per modum holocausti, at vota simplicia emissa vt talia, & acceptata à religione approbata nõ habent vim in habilitatem cum qui vouit ad matrimonium, & ad acquirendum, & retinendum rerum dominium, ergo nõ faciunt statum religiosum perfectum quod ex tribus votis perfectis, quibus homo totaliter se Deo vouet, dicat, & consecratur, constat, & ex natura sua conflatur.

21 Quamuis † Ecclesia possit lege sua, & speciali institutione disponere, quod ille qui in religione approbata emittit tria vota simplicia sit vere, & proprie Religiosus, at si vota ista intra lineã simpliciũ maneant, nequit Ecclesia facere, quod iste sit in statu perfecto religioso, vnde poterit etiam Ecclesia instituere religionem quæ vere, & proprie sit religio ex iure positiuo, & ex particulari indulgentia Pontificia, in qua solum emittãtur vota simplicia, quibus aliquo modo mutatur status de sæculari in religiosum, quantum ad religiosa opera ad quæ facienda obligatur in tali religione approbata à sede Apostolica, at sæcularitas status manet in radice, & potentia, qua iste talis non
22 se dicat, & consecrat Deo totaliter, nec vt sic admittitur in tali religione quæ ipsũ potest ad sæculum remittere, & sæpissime sic factum est, non enim vota ista simplicia emissa in hac religione approbata ex se habent vim inhabilitantem subiectum ad opera sæculi, quãlia sunt rerum dominia, & matrimonium ad quæ capax manet subiectũ, quantum est ex vi horum votorum, vnde ex vi illorum non resultat status perfectus religiosus, sed quidam modus seruitutis, & subiectionis religiosæ approbatæ à S. Apost. similis quantum ad multa seruituti sæculari, à qua sicut liberatur seruus manumissione spõtanea, vel ex causa facta à Dom. ita à seruitute, & subiectione ista religiosa via ordinaria liberat Generalis illa ligatum tribus catenis simplicibus, quæ facili ex causa hodie rumpũtur, manetque ille, qui ligatus existebat ab omni vinculo absolutus, ac si nunquam fuisset ligatus.

Vnde manifestum est quod Ecclesia hu- 23
ius sancti instituti approbatione, & confirmatione, & tot priuilegiorum largitione, non determinat quod vota ista simplicia faciant statum perfectum religiosum, qualis ab initio nascẽtis Ecclesiæ immutabilis omnino institutus est, appage? quis hoc sõniare quibit? esset enim statum perfectum religiosum triplici modo solemni insolubilem, solucilem facere via ordinaria, sed quod faciant verum & proprium Religiosum, ad quod sufficere determinat, quod ex vi votorum simplicium faciant opera religiosa, ita vt contraria facientes faciant contra veram religionem votorum, vnde ea facientes sunt veri Religiosi, quia Religioni veræ approbatæ obsequuntur.

Totum hoc declaratur ex certa, & indubitata sententia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 184. vbi *art.* 4. ex professo ostendit, *quod non quicunque est perfectus est in statu perfectionis, & sic*
† *in statu perfectionis proprie dicitur aliquis es-* 24
se non ex hoc quod habeat actum dilectionis perfectæ, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis, quod repetit *art.* 3. *in corp. & ad* 2. vnde *art.* 6. *in corp.* dicit, *Quod ex hoc quod aliquis accipit sacrum ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis etsi enim accipiant statum clericalem, & Ecclesiasticum non tamen obligantur ad ea quæ sunt perfectionis, vt sunt castitas, paupertas, & obedientia, nisi quatenus in occidentali Ecclesia, in susceptione sacri ordinis emittitur continentiæ votum, quod est vnum eorum quæ ad perfectionem pertinent*; ergo vbi non est votorum solemnitas nulla est perfecta stabilitas, nec ista cadit sub voto nisi solemni, sine quo, etsi possint esse opera religiosa facta ex voto, non tamen est perfectus religiosus status, sed † est status quidam imperfectus, qua- 24
tenus emittens sua simplicia vota ex parte sua resilire nequit, aut absolui à votis, at cum possit absolui ab alio via ordinaria, & sic nõ totaliter Deo mancipetur euidenter consequitur, quod non est status perfectus, nec habet ea quæ requiruntur essentialiter ad rationem status perfecti religiosi, iste enim ex sua ratione perfectionẽ dicit in linea status, vnde

Vnde debet dicere, omnem immobilitatem, & totalem illius obligationem imbibere, quare si ex aliquo capite potest immobilitas ista auferri via ordinariæ prouidentiæ, iam ratio status perfecti amittitur, quia bonum ex integra causa & malum ex quocumque defectu, status enim seruitutis cum sit oriundus ex peccato & defectu ab statu Innocentiæ potest subsistere, etiamsi non sit obligatio cum solemnitate aliqua nisi in seruo, qui liber euadit à seruitute ex voluntate Domini manumittentis.

Tota hæc doctrina ex aliis principiis
26 confirmatur, quia † status perfectus religiosus est quoddam matrimonium spirituale, quod professus contrahit cum Religione, sicut Episcopus cum Ecclesia, vt benè Euerardus *in suis Topicis, loco à matrimonio spirituali*, atqui matrimonium carnale dicit status tantam firmitudinem & perpetuitatem, vt indissoluibile sit, ex parte vtriusque coniugis, ita vt via ordinaria ex nullo consensũ contrahentium possit dissolui, vel ex natura rei, vt vult communis sententia, vel ex iure
27 diuino, vt alij autumant, etiamsi sit dumtaxat matrimonium ratum, quos citant & sequuntur Thom. Sanch. *l.* 2. *de matr. disp.* 13. Coninch. *de Sacrament. disp.* 26. *dub.* 2. Perez *disp.* 20. *sect.* 2. ergo status perfectus religiosus similem dicit insolubilitatem, ex parte vtriusque contrahentis, vnde si via ordinaria solui potest, & absolui à vinculis votorum, manifestum est, quod vota ista non faciunt perfectum religiosum statum, sicut si matrimonium esset solubile via ordinaria & non ex dispensatione diuina, (vt posse fieri existimant qui dicunt esse insolubile lege duntaxat diuina, & non naturali,) ex parte alicuius contrahentis sicut dispensatum est viro in lege Moysi, vt repudiaret vxorem, dubio procul matrimonium non constitueret statum perfectum, quem modo constituit, ergo vota simplicia etiam in Religione approbata, emissa, cum ex vi constitutionis & via ordinaria possint dissolui, ita vt illorum, nec vmbra remaneat, ab illisque totaliter sit absolutus, qui illa emisit, à Generali Præposito, & sub hac implicita conditione dissolubilitatis nuncupentur manifestum est, quod non constituunt perfectum statum Religiosum. Quare si contrarij abu-
28 tentes nomine status, † statum verum & perfectum dicunt hæc tria vota constituere æquiuocè vtuntur nomine status & non in propria eius notione, quam proposuit Diu. Thom. vt benè notauit Caiet. *quæst.* 184. *citat. articul.* 6. contra quosdam qui asserebant Præsbyteros qui habebant ex officio suo animarum curam esse in statu perfectionis, quod negat Diuus Thomas, ibi, quia in hac cura sunt amobiliter, & eam possunt relinquere, quod repugnat rationi status.

Secundò, ex Doctrina D. Thomæ, quam 29
egregiè enucleat Caiet. *art.* 6. *citat.* contra Henriquum de Gandano, *quodlibet.* 12. *q. penult.* quia curati etiamsi dum sunt in officio, circa animarum curam sint ex vi officij ad illam ita totaliter, quod sint veri officiales Episcopi, ipsorumque vicarij, at non sunt in statu perfectionis, qua possunt se liberare ab officio, vel manentes sine illo in sæculo, vel transeuntes ad aliam Præbendam sine cura, vel ad Religionem, siue cum licentia, siue sine linentia Episcopi. Vnde non sunt obligati vinculis perpetui voti ad hoc, quod curam animarum retineant si autem essent in statu perfectionis non liceret sine Papæ dispensatione officium dimittere, quia non esset in statu sine voto perpetuo per se, votũ autem perpetuum per se solus Papa ex causa dispensat, votum autem per se est Castitatis, Religionis, curæ animarum in Episcopis, vt † benè vidit Caiet. *ibi-* 30
dem §. *ad hoc dicitur*. Atqui vota simplicia emissa in Societate per se non sunt absolutè perpetua, sed sub conditione, nisi dimittatur à Societate, ergo non constituunt statum absolutum religiosum de facto, quia perpetuitas est de essentia status & perpetuitas conditionalis, nihil ponit in esse. Ergo non facit statum religiosum simpliciter & absolutè perfectum etsi faciat, vti diximus seruitutem & subiectionem veram religiosam, à qua potest liberare eos Superior Generalis, quare quandiu non liberantur sunt serui verè Religiosi sicut curatus, quandiu non dimittit curam est verus officialis Episcopi & verus curator animarum, at non est in statu perfecto perfectionis.

Hæc ratio ita manifesta est, vt nesciam, quid possint respondere, quod solide satisfaciat, quod enim † curati sua voluntate possint 31
relinquere curam, quia ex nullo voto tenetur ad illam, sicut tenentur Scholares Societatis emittẽtes tria simplicia vota ex vi quorum, vt sunt in Societ. emissa post biennium, non possunt ipsi retro aspicere & relinquere Religionem, hoc inquã omnino est per accidẽs ad rationẽ perfecti status religiosi, qui prorsus à fundamento suo euertitur eo ipso, quod dissolui possit via ordinaria, & ex vi constitutionum approbatarum à sede Apostolica, status enim perfectus religiosus inconcussibilem exigit immutabilitatem, via ordinaria, quamuis extraordinaria possit dissolui (de quo modo nõ disputo) sicut Angelus ex natura sua æternus est, quãuis de potẽtia extraordinaria annihilari valeat à Deo.

Quare aliter hoc conuictus Henricus

asseruit

32 asseruit, *vbi supra*, † quod Curatus in statu perfectionis erat, quia obligatur ex vi officij curam animarum non relinquere, nec posset ad Religionem transuolare, nisi ex indulgentia Summi Pontificis, sicut nec Episcopus, sed cum discrimine, quod respectu Episcopi requiritur indulgentia spe-
33 cialis, *cap. cum pridem de renunciat.* at respectu Parrochj & Curati sufficit indulgentia generalis data illis, *cap. Domine 19. quæstion. 2.* sed hoc egregiè diluit Dom. Caiet. *vbi supra*, §. *ad obiecta* prius tamen, quam eius verba adferam, obiter noto, quam certum sit apud omnes antiquos, quod ad rationem status perfecti requiratur omnimoda immutabiliras via ordinaria, siquidem Henricus, vt tueretur curatum esse in statu perfectionis fundatur, in hoc quod via ordinaria nequit soluere se, ab animarum cura, sed necessaria est Pontificia indulgentia sine qua immutabilis perseuerare tenetur ex vi voti perpetui, adnexi officio Curati, vt vult Henricus sicut tenetur Episcopus ratione voti adnexi Episcopatui, vt tenet D.Tho.

34 Sed Henrico satisfacit D. Caiet. egregia doctrina, quæ valdè enucleat ea, quæ diximus: sic enim fatur Cardinalis. *Ad id quod dicitur, quod dupliciter intelligi potest iuris indulgentia. Primo vt à iure statuta, alio modo vt à iure ostensa, ita quod ius positiuum non facit, id monstrat illam. Cum autem dicitur, quod Curati de iuris indulgentia religionem ingrediuntur, non intelligitur de iuris indulgentia primo modo, vt argumentum prætendit, sed de indulgentia iuris secundo modo, quoniam Curati ex eo ipso, quod Curati sunt, nulla egent positiui iuris indulgentia ad hoc quod transeant ad religionem, sed ex propria possunt libertate ad religionem, vtpotè meliorem vitæ transigere, quæ libertas indulgentia in iure ostensa dicitur, & ne putet quispiam voluntariam hanc esse distinctionem, affero manifestum iuris textum extr. de renunciatio. cap. nisi cum pridem vbi expressè dicitur, facilius indulgetur, quod Monachus ad præsulatum ascendat, quam præsul ad monachatum descendat. Vbi expressè habes liberum perfectionis ascensum, quo monachus ad Episcopatum promouetur sub indulgentia comprehendi, constat enim quod nulla opus est in huiusmodi ascensione iuris dispensatione, sed decretalis ista monstrat indulgentiam, non facit qua monachus fit præ-*
35 *sul.* Hactenus ibi, quæ doctrina admirabiiis est ad enucleandum id quod supra diximus, quod illi qui in Religione approbata emittunt dumtaxat tria simplicia vota, sunt Religiosi propriè & verè ex indulgentia statuta à iure, ex vi cuius non possunt solui ab obligatione manendi in Religione, nisi ipsa dimittat à votis absolutos, quod enim isti sint veri Religiosi ius positiuum, id facit, at Religiosos votis solemnibus Deo dicatos ius positiuum non facit eos immutabiles in Religione, nec incapaces ad matrimonium & rerum dominia, sed eos sic ex natura rei immutabiles & incapaces ostendit.

Tertiò confirmatur ex alia doctrina eius- 36
dem Caiet. *ibidem* §. *ad obiectionem*, vbi ex eo probat & benè. Curatum non esse in statu perfectionis, bene tamen Episcopus, quia vt iste ad Religionem transuoler, requiritur licentia & indultum Pontificis, qui solus potest dispensare in votis perpetuis. Curatus autèm passim potest ab Episcopo licentiari ad Parrochiæ suæ desertionem, & hoc ostendit ipsum non esse in statu perfectionis, atqui passim Scholares Societatis licentiantur à Patre Generali, vt ad sæculum redeant à Religiositate & votis omnino absolutos, ergo signum euidens est, quod non sunt in statu religioso perfecto.

Quartò probatur ex conditionali Diui Thom. qua veritas ista valdè enucleatur, quia si Curati sunt in statu perfectionis, nullomodo liceret sine licentia Papæ ad religionem, vel ad simplicem præbendam transire, via ordinaria; ergo si Scholares sunt post tria simplicia vota in societate in statu perfecto Religioso, non possunt via ordinaria ad sæculum redire; ergo si redeunt hac via non sunt in statu perfecto religioso. Quod enim isti non possint sua sponte ad sæculum & matrimonia contrahere & iterum dominia habere, non habent ex vi votorum simplicium, sed ex speciali Bulla, qua facti sunt incapaces matrimonij, dum sunt in societate, & quod non possint societatem deserere, nisi dimittantur. oritur ex fidelitate qua illi obligantur sicut de Curato respectu Episcopi egregiè † adnotauit 37
Dom. Caiet. *vbi supra* §. *ad confirmationem*, cuius rationem dedit D. Thom. *in solutione ad secundum, quia plebano & Curato committitur animarum cura cum simplici iniunctione, at cura Episcopalis cum solemnitate committitur.* Ita Religiositas & permanentia Scholaribus Societatis simplici iniunctione datur per simplicium votorum nuncupationem, ast aliis Religiosis solemniter professis cum solemnitate impartitur, vnde isti perfectam habent stabilitatem, illi vero etsi vero religiositatem, at non stabilem ex vi votorum suorum.

§. II.

Quotuplex sit stabilitas Religiosa?

SVMMA

SVMMARIVM.

1. *Tot sunt stabilitatis species, quot solemnis professionis.*
2. *Quæ dicatur secunda species solemnis professionis, quid item tertia, & n.3.*
4. *Triplex admittitur stabilitas ex Doctoribus.*
5. *Quid veniat notandum circa primum modum professionis, & n.6.*
7. *Authoris iudicium affertur.*

1 STabilitas eamdem habet spheram, ac solemnis professio, quare † tot erunt stabilitatis species, quot solemnis professionis. Vnde Rota in *vna Tullen. reformatio. coram D.Duzonetto sub* 10.*Ianuarij* 1631. triplicem distinguens professionis solemnis speciem, sic fatur, *ex Calderino consil.*23. *de Regular.* qui triplicem modum professionis recenset. *Primus quo aliquis Deo vouet in manibus Episcopi, aut alterius Superioris, se obseruaturum Religionem, quoad tria substantialia vota Castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & sic profitetur Religionem in genere generalissimo, vt inquit Calderinus, de quibus videtur loqui textus in cap. super eo, & cap. consulti de Regular.*

2 *Secunda species professionis † est illa per quam quis profitetur non quidem in genere & in abstracto, prout faciunt professi primo modo, sed in specie promittendo se seruaturum certam Regulam Prædicatorum nimirum, Minorum, aut Cisterciensium, & hi dicuntur professi in specie, seu in genere subalterno; qui debent perpetuo in eodem ordine Deo famulari.*

3 *Tertio verò modo † alij profitentur in indiuiduo idest certam Regulam, & certum Monasterium, vt si quis profiteatur Regulam S.Benedicti in Monasterio S. Proculi, quo casu eius professio implicaret stabilitatem in illo præciso monasterio cui Religiosus adscribitur in limine professionis, quæ distinctio sumitur ex cap. in singulis, cap. ea quæ, de statu Monachorum, & cap. cum deportati de iudiciis, cap. cum plantare de priuileg. Clement. attendentes de statu Monachorum, prout pulchre declarat idem Calder. dict. consil.*23. *de Regular. versicul. professi in genere. Butrius in cap. in præsentia.num.*64. *vers.puto tamen.vbi Abbas n.*65.*de probat.* hactenus Rotæ Domini.

4 Ex quibus colligunt DD.*num.*4.triplicem stabilitatem iuxta triplicem professionem in Religione, & concludunt, quod Præmõstratenses, post Bullam reformatoriam Gregorij XV. non profitentur stabilitatem in genere generalissimo dumtaxat, vt faciunt professi primo modo, neque stabilitatem in indiuiduo Monasterio, vt faciebant iidem Præmonstratenses iuxta antiquum rigorem suæ Regulæ, quem mitigauit Gregor. XV. in sua Bulla, ipsum expressè derogans. Vnde solùm profitentur stabilitatem, secundo modo scilicet in Religione sua, scilicet permanentiam in eadem Religione in qua professionem emittunt. Quæ doctrina valdè notãda est pro aliis omnibus Religionibus, in quibus Religiosi etsi non profiteantur expresso voto stabilitatem, eam tamen vouent implicitè respectu Religionis, cuius superioribus obedientiam promittunt, atque ita tacitè stabilitatem in eadem Religione promittunt, quod, quomodo fiat, infrà latius enodo.

Cæterum † circa primum modum pro- 5
fessionis in genere generalissimo quem ex Calderino ponit Rota, notare opere prætium est, quod etsi antiquitus, quum Episcopi Religiones, & regulam aliquam Canonicè approbabant, sicut & Canonizationem Sanctorum celebrabant, ille modus faciendi professionem solemnem verum teneret, qua quis ex vi professionis solemnis se obligabat ad tria vota substantialia religionis, quamuis non determinaretur Regula iuxta quam illa obseruare teneretur, sed ipse profitens consulto Episcopo poterat illam eligere, vt ex vi votorum teneretur obedire Episcopo, esset que incapax Dominij, aut
alicuius proprietatis condendique testa- 6
mentum, sine indulgentia ipsius Episcopi, rursus esset inhabilis ad contrahendum matrimonium; quia vota solemnia ex natura sua hoc exigunt. Verùm iam hic modus profitendi sine determinatione Regulæ fieri non potest in manibus Episcopi, sicut nec iste potest iam Sanctos canonizare, vtrumque enim sibi Summus Pontifex reseruauit, quare iam solemnitas voti solum respicit priuatiuè ad omnes alios Summum Pontificem, in cuius manibus solius potest quis sine regulæ alicuius ex approbatis, determinatione, tria vota solemnia nuncupare, quem modum nuncupationis solemnis solus Pontifex poterit approbare, & ipse solus determinabit regulam, iuxta cuius obseruantiam tria illa vota sint ad executionem reducenda.

Nisi † velimus aliter intelligere pro- 7
fessionem & stabilitatem *in genere generalissimo*; quatenus dum quis profitetur solemniter in aliqua Religione determinata, obligatur quidem tribus substantialibus votis sine quibus essentia Religionis non subsistit; quæ obligatio sequitur personam, quocumque ierit, siue transferatur ad aliam Religionem, siue ad Episcopatum, quæ etiam obligatio votorum

independens est ab stabilitate in ordine in quo professionem emisit, quare stabilitas solum simpliciter promittitur quatenus habet implicitam conditionem, nisi ex licentia Superiorum transferam me ad aliam Religionem, vel fiam Episcopus, aut Cardinalis.

§. III.

Filiatio Religiosa perfecta non subsistit, sine stabilitate in Religione.

SVMMARIVM.

1. *An perfecta Religiosa filiatio non subsistat sine stabilitate in Religione.*
2. *Aliud est promittere expressè, aliud implicitè, aliud directè & aliud indirectè, ex Caramuele.*
3. *Authoris mens adducitur.*
4. *Quomodo stabilitas & clausura voueantur.*
5. *An stabilitatis promissio si directè consideretur habeat vim iuramenti homini facta, sed coram Deo, ex eodem Caramuele.*
6. *An votum stabilitatis idem sit ac votum professionis.*
7. *An omnia vota Deo facta vt sic æqualia sint in sua bonitate, & n.8.*
9. *Vouere stabilitatem, & vouere clausuram sit quid diuersum.*
10. *Bordoni sensus affertur, & n.11.*
12. *Quid ex præmissis sit colligendum.*

1 NOn dixi quod † posita stabilitate, quæ oritur ex professione solemni statim ponatur filiatio perfecta cum omnibus iuribus filiationis, & capacitatibus ad omnia iura, quæ ex dispositione Sacrorum Canonum filiis suis conferre potest mater Religio, vt §. 4. dicam, sed dixi, quod non est perfecta filiatio sine stabilitate, quia non est filiatio perfecta, vbi non est solemnis professio, vt vidimus & vbi non est solemnis professio, illico est necessario requisita & voto implicito inuoluta stabilitas, & sic filiatio religiosa perfecta, quæ est perfecta adoptio & dicitur *arrogatio* exigit stabilitatem sub potestate arrogantis. Quam doctrinam benè digessit Caramuel *in Regulam sancti Benedicti disputat. 44. numer. 528.*
2 his verbis † *aliud est promittere expresse, aliud implicitè, aliud directè & aliud indirectè.* Promittitur implicitè quando expressè aliquid, quod commitari aliud debet necessario: vnde idem est promittere implicitè & promittere concoitanter. Promittitur autem aliquid indirectè, quum est medium vnicum, & condispensabile, aliud quod directè promittimus, & vt specialiter rem totam explicem. Apud Dominos Benedictinos vna & sola promittitur obedientia, si formulæ expressum rigorem spectemus, atqui obedientia solemnis, sine paupertate & castitate stare non potest (nulla enim ex his tribus virtutibus solitariè sumpta solemniter voueri potest) vbi obedientia solemniter vouetur, intelliguntur aliæ duæ virtutes per conco mitantiam conuouere, non quidem expressè, sed implicitè. Cum igitur obedientia sine stabilitate obseruari non possit (quo enim modo regam absentem subditum, quem vbinam habitet, aut degat, ignoro?) nec castitas sine clausura (stabilitas locum respicit, clausura peregrinorum colloquia) oportet Religiosos vtriusque sexus indirectè promisisse stabilitatem, vt medium in ordine ad obedientiam, & clausuram in ordine ad castitatem tantam nimirum & talem, quæ sufficiat his finibus non maiorē.

Vnde † non credimus ita stabilitatem, 3
ita clausuram vouisse, vt non possimus omnino, aut è monasterio egredi, aut externos admittere etiam ex Abbatis aut præcepto, aut licentia sicut in castitate relucet, nam Monachus nequidem de licentia Prælati potest vxorem docere, sed credimus stabilitatē vouisse, vt medium ad obedientiam, clausuram, vt medium ad castitatem. Deque ex vi huius directi voti possumus è monasterio egredi, quoties hæc ipsa egressio contra obedientiam non est, & possumus fœminas in clausuram introducere quoties hæc ipsa introductio non militat contra castitatem, aut speciale aliquod mandatum superiorum. Vnde cum † sta- 4
bilitas & clausura sic expositæ non voueantur propter se, nec vt finis, sed vt medium non vouentur quarto, aut quinto voto, sed eodem quo vouetur obedientia, vouentur omnia illa media, quæ sunt præcisè necessaria ad illius obseruantiam inter quæ præcipuè est loci stabilitas, & consequenter eodem quo vouetur castitas omnia illa vouē-tur, quæ ad eius obseruantiā necessaria sūt, & inter ipsa præcipuè clausura, atqui nec castitas, nec panpertas promittūtur, vt media ad obedientiam, neque hæc vt medium ad alias, diuersis promittuntur votis, quia singulæ promittuntur propter se & vt finis saltem comparata cum reliquis.

Hæc doctrina postquā discurreram in Caramuele inueni & lætatus sum nimis, ex ea enim aliqua colligebam, quæ subinseram si prius impugnationi tradam, quæ idem Caramuel dicit *num. 529.* asserit quod † stabili- 5
tatis promissio si directè consideretur habet vim iuramenti homini facta, sed coram Deo *est enim* (ait) *contractus irritus inter Monachum, & incorporantes ipsum Monasterio confirmatus iuramento*, etenim D Bernardus *lib. de præcepto, & dispensat. cap. 20. stabilitatem, pactum esse dicit, quod præuaricatur qui illegitimè migrat è monasterio.*

Verum hæc doctrina omnino falsa est, & contra omnem praxim Religionum Monachalium in quibus profitetur stabilitas in loco, quo fit voto speciali facto Deo non memorato iuramento facto homini coram Deo, sed dumtaxat voto facto Deo de stabilitate in loco & in conuentu speciali coram homine, coram quo profitetur & nomine Dei & Ecclesiæ votum de stabilitate acceptat, vt clare docet Rota Romana *in decis. 19. cit.* statim in principio agens de Religione Præmōstratensi, vnde ni fallor † votum stabilitatis idem est, ac votum professionis, quod vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst. 186. articul. 9. in corp.* principaliter respicit tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam; vnde *in solut. ad primum* dicit, *quod ille qui profitetur regulam non vouet seruare omnia, quæ sunt in regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis*; eo autem ipso quod quis voueat regularem vitam, secundum hanc regulam vouet stabilitatem in ea regula iuxta regulam ipsam, siue in Religione dumtaxat, siue in speciali, & indiuiduo monasterio, cui tanquam filius incorporatur; quod si in aliqua Religione expressius promittatur stabilitas, in loco, hæc expressa promissio non iuramentum homini factum coram Deo, sed votum Deo factum coram homine acceptante est, & propter hoc stabilitas pactum dicitur à Diuo Bernardo. Vnde idem Sanct. Doctor *epistol. 7. ad*..... hoc quod vocat *stabilitatis pactum* in explicatione Regulæ sanctæ, dicit *votum stabilitatis*, quare in hoc paralogizauit Caramuel.

Fundamentum quo nititur Caramuel multa inculcat, quæ non est locus hic impugnandi, falsum tamen est omnino, quod
6 † omnia vota Deo facta, vt sic æqualia esse in sua bonitate & irreligiositates contra ipsa commissas pari & æquali malitia esse perfusas, hoc enim falsissimum est, quis enim dicet non grauius peccare, qui frangit votum paupertatis solemnis, aut obedientiæ, quam qui non ieunat obligatus ad ieiunandum, sed de hoc alias dixi, & dictam amplius *ad summam Caiet. verb. votum*; vnde fit quod etiamsi stabilitas in lo-
8 co expresso voto promittatur, sed & obediē-tia cū huius materia grauior sit, & magis cōducat ad essentiam status religiosi, nullatenus licet non obedire, vt seruetur stabilitas, quia ista vouetur semper subordinata obedientiæ, & iuxta discretam, & prudentem Prælati dispositionem, & imperium, vnde votum stabilitatis non est censendum quartum votum in Religione Benedictina, sed expressio, & extensio explicita eius, quod continebatur in voto obedientiæ, vt bene aduertit *Vallo Campellius lib. 3. instit. Monast. cap. 1.*

Hac refutata nouitate contra praxim, vt dixi omnium Religionum ex doctrina tradita colligitur. Primum, quod cum inobedientiæ religiosæ voto imbibatur promissio stabilitatis in Religione, vel in conuentu hoc indiuiduo, eā ratione qua votum obedientiæ expressum nuncupetur, nuncupabitur implicite, siue indirecte (ad præsens enim nihil refert vnum vel aliud dicatur) stabilitas, si enim votum sit solemne, perfecte etiam vouebitur stabilitas pariter, & solemniter, si votum fuerit simplex in Religione emissum, stabilitas in Religione simplici tamen voto implicito vouebitur, & sic non erit perfecta stabilitas, siquidem ab illa sicut ab obedientia potest vouens totaliter absolui via ordinaria, & ex vi constitutionum regularium.

Secundùm, quod, † aliud est vouere sta- 9
bilitatem, aliud clausuram, qui enim vouet clausuram vouet stabilitatem in determinato loco, & conuentu extra cuius claustra nequit diuagare, vt constat in Monialibus quæ vouent clausuram, at qui vouet stabilitatem in loco, non vouet clausuram, & permanentiam intra claustra cum negatione exeundi extra, potest tamen quis clausuram obseruare, etiamsi non voueat stabilitatem in loco, vt constat in Carthusianis, qui vt ex Nauarro *Comment. 4. de Regular. à numer. 30.* notat Rota *decis. 10. coram Duzonetto in causa Tullens. Reform. 6. Febr. millesimo sexcentesimo trigesimo secundò.* Et è contra stabilitatem, etiamsi de licentia sui Superioris ex causa ad aliud monasterium transferatur, imo hoc est vnum ex exercitiis promptæ obedientiæ, in quibus tanto magis exercetur Religiosus, qui pluribus successiue Superioribus in diuersis locis cogitur obedire, & ire ad infidelium conuersiones vltra mare lōge latéque diffundi, etiam vbi non sunt conuentus sui Ordinis, sed solum Barbaræ, & incultæ nationes, etiamsi iuramento vel voto stabilitatis in loco essent adstricti, sed plura de obiecto voti stabilitatis; & de his quæ illi opponuntur dicam *infra Resolutione* ..... *difficult. 5.* habet enim hoc votum particulares nodos extricandos circa filiationem, quam sibi connectit, & inseparabiliter iungit.

10 Tertiùm, quod falsum est, quod † dicit Bordonus *Resol.59.cit.num.27.* quod si quis Regularis in vna Religione professus transferatur ad aliam legitimè ibi prfessionem emittat solemnem, fiatque huius Religionis filius, ita extinguitur & eradicatur filiatio prioris religionis, quod si ad istam iterum reuertatur, vt in illa filiationem acquirat requiritur noua professio, sine qua non incorporatur illi à qua fuit absolutus ex vi professionis in alia Religione emissæ, sed vt dixi, hæc doctrina mihi non arridet etsi enim, vt quis sit filius Religionis ad quam fit legitimus transitus, siue laxior sit,
11 siue strictior requiratur, quod in illa fiat noua professio solemnis, (vt certa sententia tenet,) siue qua illi non incorporatur, at post quam, quis est solemniter professus in aliqua Religione, etsi transeat ad aliam solemnis professio in alia non extinguitur & abolet-ur radicitus, sed suspenditur eius efficacia, & vis, vt non exerat vires suas, dum professus in hac transfert se legitimè ad aliam ibique professionem emisit. Vnde si habet quartum votum solemne, quod emisit in priori, iure communi non obligat in posteriore, non quia extinguatur professione secunda, sed quia suspenditur eius obligatio quæ iterum reuiuiscit si reuertatur ad priorem, sicut in facti contingentia successit de quodam Religioso satis graui & virtutis nõ vulgari qui è Religione Minimorum se trãstulit de licentia Superiorum legitimè obtenta ad Sacrum Ord. Prædicatorum, à quo conseruans odorem quo priùs fuerat imbutus, à primæua ætate iterum rediit professione emissa in Religione Dominicana, ad ordinem Minimorum in quo nouam professionem non emisit, sed habitum antiquum reassumens ex vi huius assumptionis filiatio antiqua reuiuixit, & suspensa ea quæ in ordine Prædicatorum acquisierat. Tota hæc
12 † doctrina clarissimè patet si Episcopus Regularis de licentia Summi Pontificis dimissa animarum cura, ad quam ex voto solemni tenebatur ad religionem à cuius obligatione erat absolutus ex vi Episcopatus, redeat, vt fiat Religionis filius, non indiget iterata professione in illa Religione de qua assumptus fuit ad insulas dignitatis, sed solùm requiritur, quod iterum actu Religioni incorporetur, per habitus antiqui reassumptionem, ex vi cuius tacitè reuiuiscit vitã priorem. Idem etiam constat in expulsis perpetuo à Religione, qui si iterum admittantur quamuis per expulsionem exfiliati fuerint, tamen, vt filiationem reassumant non indigent noua professione.

* *
*

§. IV.

Filium Religionis strictioris posse de legitima licentia, filiari in Religione laxiori ostenditur.

SVMMARIVM.

1. *An legitima filiatio in laxiori Religione non sit sine legitima licentia.*
2. *An etiam subsistente causa iusta & rationabili nullus Superior Regularis Pontifici inferior possit concedere licentiam transcurrendi ad filiandum in laxiori Religione.*
3. *Variorum DD. sensus adducuntur.*
4. *Quæ sint causæ, vt quis legitimè adfilietur in Religione laxiori, ad quam transit à strictiori, & n.5. vsque ad 9.*
10. *An si professio emissa fuerit tempore minoris ætatis sit facilior causa legitima ad dispensandum de transitu strictioris ad laxiorem.*

DIxi † de *legitima licentia*, sine qua non 1
erit legitima filiatio in laxiori Religione, sed notha & spuria atque illegitima, vtpotè contra Sacros Canones & Concilia *Clement. viam de Regular. Concilium Trident. sess.25. de Regular. Pius V. const. quæcunque edita an.*1569. similiter est contra specialia priuilegia Bullata concessa specialibus Religionibus, quæ participant alij Ordines, sic Clemens VIII. *constit. sua. Quæ incipit Apostolici §.10. die 11. Februar.*1602. concessit fratribus excalciatis S. Augustini, vt nullus prædicti Ordinis filius ad laxiorem Religionem transiret sine speciali sedis Apostolicæ licentia, idem concessit Vrbanus VIII. Capuccinis constit. sua incipit *Iniunct.* data 19. Ianuarij ann.1628. ex Fratribus discalciatis Sanctissimæ Trinit. idem Pontifex idem indultum concessit constit. quæ incipit *commissi die 9. August.* 1624. Quæ Bullæ Vrbanæ habentur *tom.*4. Cherub. & in appendice illius habetur etiam alia eiusdem Pontificis constitutio, vniuersaliter prohibens transitum ex vna Religione in aliam sine consensu vtriusque Religionis Prælatorum, hoc quidem hodie indubitatum est.

Sed videntur nimium probare huiusmodi Bullæ & priuilegia Apostolica nimirum, quod † etiam subsistente causa iusta & ra- 2
tionabili nullus alius Superior Regularis Summo Pontifici inferior posset huiusmodi licentiam transcurrendi ad filiandum in laxiore matre Religione, concedere. Sed respondetur negando, quod infertur, quia Bullæ istæ solùm loquuntur, quum non subest iusta & rationabilis causa, si autẽ hæc subsit cõmunior & secura in praxi sentẽtia docet, quod etiãsi Pont. possit facile adiri, imo etiãsi transitus debeat fieri in Vrbe Roma, potest subsistente causa iusta superior, qui sit Papa inferior (vt Protector, Nũtius Apost. legatus à latere, Prouincialis, aut Generalis, & in aliquibus Religionibus Monachalibus Abbas Monasterij) dare huiusmodi licentiam tran-
3 seundi ad laxiorem & ibi filiandi, sic † absolutè docent Sanchez *lib.6 sum.cap.*7. vbi citat Sà emendatum, Rodriguez Lessium, Azorium, quibus addo ego Mirandam *tom.*1. *manualis quæst.*31. *art.*6. Barthol. de Bechis *in praxi noui. disp.*15. *dub.*5. Barthol. à S. Fausto *lib.*5. *thesaur. quæst.* 345. Sanctar. *de Apostas. cap.*8. *n.*7. Hieron. Rodrig. *in comp. resol.* 123. *n.*63. & 64. Barbos. *in collect. ad c.* 19. *sess.* 25. *de Regular.* vbi Trident. dicit, *quod nemo Regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*, quæ verba Authores citati & citandi intelligunt, si id fiat sine iusta & rationabili causa. Lezana *in sum. cap.*22. Peirinis *de Religioso subdito q.* 1. *c.*24. §. *dico* 6. Pellizar. *tom.*1. *manualis tract.* 3. *c.* 5. *num.*65. Suarez *tom.*4. *de religio. tract.*8. *lib.*3. *cap.* 11. estque vt dixi hæc sententia hodie communis & inter scribentes receptissima.

4 Sed † quæ sint causæ legitimæ, vt quis adfilietur in Religione laxiori ad quam transit ab strictiori elegantissimè pariterque prudentissime congessit Pater Tho. *vbi supr. num.*72. Prima est infirma, aut incommoda valetudo, & fragilis corporis natura contracta siue ante professionem siue post, taliter, quod non sit moraliter certa spes, quod conualescet & roborabitur ad austeritates Religionis strictioris tolerandas, & sufferendas, si enim spes ista adsit, quod exẽptus ad tempus poterit vires reassumere, vt sufferat rigorem ordinis, nequit dari hæc licẽtia, sed est obligatio talem Religiosum eximendi ab Ordinis austeritatibus præcipuis, vt fortior fiat, neque obstat, quod in aliis tristitia oriatur ex hac temporaria exẽptione, aut superueniat nota scandali, vtrũque enim sine fundamento prudentiæ oritur, & sic à superioribus vilipendendum. maius enim est inconueniens, quod quis Religionis primam vocationem deserat, & ad laxiorem vadat, maximè si vir singularis scientiæ, & prudentiæ sit.

5 Secunda † est senectus iis austeritatibus inepta si in Religione est acquisita, vel homo iam senex receptus est putans posse in austeritatibus viuere, sed hæc conditio grano salis est condienda, quia alias senes omnes alicuius austeræ Religionis, quia austeritatibus incumbunt quas non possunt supportare possent licentiari, vt ad laxiorem transirent, ibique adfiliarentur, quod in magnum vergeret Religionis detrimentum, quare satius est, & Religioni conuenientius cũ illis in aliquibus dispẽsare, quàm licentiã istam præbere; quare existimo, quod senectus ex se inepta ad austeritates non est sufficiens causa, vt superior, qui non sit Papa, vel Legatus à latere licentiam det, vt ad laxiorem fiat transitus, & filiatio.

Tertia † est si à cæteris fratribus aut in- 6
digne, aut male tractetur verbo, aut opere si in illa religione est infamatus ob graue crimen à se commissum, aut quia est publica vox siue sit vera siue falsa, quod non habeat sanguinis puritatem ob crimen Patrũ suorum, ob quod semper est pudore suffusus, & tristitia magna affectus vitam transigit, hanc causam iustissimam reputo, & quæ sola sufficiat vt hæc licentia, conferatur vt iste Religiosus in alia laxiori adfilietur.

Quarta, † si inconsulta prudentia, & ani- 7
mi leuitate ductus, qui professionem emisit quadam simplicitate, putans Religionem non esse ex regula sua ita austeritatibus honestam, quas postea sufferre nequit. Sed hæc causa valde est disquirenda, cum sit exposita multis erroribus, & imaginationibus, quas immittit dæmon qui se transfigurat vt decipiat sub his prætextibus vt auocet religiosum à via quam semel est ingressus quæ etsi arcta, est secura, vt ipsum incedere faciat latiorem, & sic periculosiorem viam, quare hæc causa per se sola non est sufficiẽs, vt inconsulto Pontifice ab inferiore Superiore licentia ista filiandi in alia laxiore religione concedatur.

Quinta, † si aër insalubris sit, & noxia in- 8
temperies ita Menochius *de Arbitrar. cent.*5. *casu* 421. *num.*26. Rodriguez *tom.*4. *quæst.*52. *art.*9. Hieronym. Rodriguez *Resol.*123. *numer.*68. quos sequitur Sanchez, cum limitatione à Manuele tradita, si non sit aliud monasterium eiusdem ordinis ædificatum sub aëre, & constellatione salubri, sed hæc doctrina sic absolute prolata non vsquequaque arridet: si enim dum quis professus est religionem, & stabilitatem in hoc determinato monasterio, & non sit aliud eiusdem instituti quod sit in salubri solo constructum, & hoc ipsi notum fuit dum professionem emisit, non potest ex hac causa dari licentia ad transitum ad laxiorem religionem, quia iam cessit iuri suo, quod habebat ad fugiendam intemperiem aëris sibi noxiam, sic enim volebat S. Bernardus, quod in locis lacunosis, & insalubris intemperiei imonasteria Cistercensia construerentur, vt sic Monachi debilioris essent salutis vt ea infirmitate corporali robustiores fierent spiritu, sic etiam quis dum Religionem excalciatam profitetur vt Capucinorum, & Rapezzatorum, scit hoc insalubre esse non minus quam aër, & tamen hæc non est sufficiens causa, vt ad aliam

aliam laxiorem transeant.

9 Sexta † est necessitas magna parentum cui in ea Religione, in qua quis primo professionem emisit, commodè subuenire non potest, at poterit in laxiori, quæ causa verissima est, & magis conueniens Religioni, quam quod Religiosus existens in priori parentibus subueniat, quod fit cum magno detrimento obseruantiæ regularis & occultatione eleemosynarum, quæ datur intuitu religionis, cum maximo odio prælatorum localium, & occasione rixarum cum religioso. Addo, quod hæc causa etiam iustificatur in necessitatibus sororum, neptum, filiarum, & similium, quibus alias tenetur tit. sanguinis religiosus succurrere, necessitas ista intelligitur sufficiens causa, etiamsi professioni factæ superuenerit.

10 Addit Sanchez & benè *num.* 73. quod † si professio emissa fuerit tẽpore minoris ætatis nempe ante vigesimum quintum annum facilior causa erit legitima ad dispensandum in hoc transitu, quia faciliùs prospicitur gestis in ea ætate, in qua nõ tam maturum cõsilium adest, & ita sentiunt Innocentius *cap. significatum in fine de Regular.* & ibi Hostiensis *numer.* 2. Abbas *ibi in fine.* Francus *cap. cum singulæ §. prohibemus num.* 5. *de præbendis in* 6. quod intelligo ego si licentia ista petatur ante vigesimum quintum annum, si enim transacto illo in gesta sua prospexit & rata habuit, & se in illis firmauit.

SVBRESOLVT. I.

An translatio ista filiationis possit esse in Ordinibus militaribus.

SVMMARIVM.

1. *Vtrum in Ordinibus Militaribus possit esse filiationis translatio, & n.* 2.

1 Addo ego contra ipsum Sanchez *n.* 75. quod † licet licentia Pontificia absolutè data de transitu ad laxiorem non sit sufficiens, vt quis filietur in Religionibus Militaribus, vt declarauit Sacra Congregatio *die* 17. *Nouembr.* 1578. id quod antea decreuerat Pius V. *in constit. sua* 89. *quæ incipit. quæcunque pridie idus Octobr.* 1569. *t.* 3. *Bullar. in meis pag.* 290. quod ego intelligo de Religionibus militaribus quæ non emittunt votum castitatis, & paupertatis absolutè, sed coniugalis, non vero de illis quæ tria illa vota, vt

2 sunt equites Hierosolymitani quos verè & propriè esse religiosos sæpius determinatum est in Rota, & est indubitata sententia. Vnde soluit matrimonium ratum non consummatum. Similiter potest fieri transitus ad religiosos *Freiles* Ordinum militarium, qui verè & propriè sunt religiosi, neque de illis est varietas opinionum. Assumpti enim sunt ex ordine Canonicorum regularium.

SVBRESOLVT. II.

Vtrùm eiectus à Religione possit se filium facere laxioris Religionis.

SVMMARIVM.

1. *An eiectus iuridicè à Religione possit se transferre in Religionem laxiorem, sine licentia Religionis.*
2. *Ratio difficultatis affertur.*
3. *An Religio non habeat ius ad impediendum eiectum ne statum religiosum acquirat, & n.* 4.

1 Addo secundò, quod † eiectus iuridicè à Religione seruata forma Vrbana, & nulla sit spes, quod emendetur, vt Religio ipsum benignè excipiat, iterum sub alis suis tanquam filium, quod inquam iste talis sine licentia Religionis potest se transferre ad laxiorem religionem & forsan militarem, quod absolutè possit se ad laxiorem sine licentia sui Ordinis imo isto repugnante, tenet Thomas Sanchez *l.* 6. *Summ. cap.* 9. *n.* 36. & 37. D. Antonin. 3. *p tit.* 16. *c.* 4. *in fin.* affirmans se vidisse consilia peritorum sic tenentium. Nauarrus *lib.* 3. *consil.* 71. *aliàs* 78. *de Regul.* Rodrig. *t.* 1. *q.* 30. *art.* 7. & *to.* 2. *Sum. cap.* 6. *n.* 11. & multi alij. Ratio † quæ me mo-

2 uet est, quia iste est absolutus à subiectione & obedientia Ordinis, ita vt si non est spes emendationis, nec ipse habet voluntatem se emendandi in tali Religione, à qua est eiectus Religio non possit ipsum cogere, vt ad Religionem redeat, quia iuridice, & legitime est ab illa absolutus, & eiectus, nec amplius manet sub obedientia Prælatorum, sed potest in sæculo permanere, ergo si iudicet quod melius viuet Religiosus in laxiori, potest inuito superiore Regulari ad illam se conferre, non secus ac ille qui lata diuortij sententia si innocens requisitus, nolit sibi adulterum reconciliare, iste potest religionem profiteri, etiam renuente innocente, vt late probat ipse Thomas Sanchez *lib.* 10. *de Matrim disp.* 10. *n.* 16. & nos diximus esse probabile. Vnde † Religio non 3

habet ius ad impediendum eiectum, ne statum religiosum acquirat, sed habet ius sibi illum reconciliandi si habet emendam vitæ, vt Regulam pristinam velit obseruare, si tamen hanc voluntatem non habeat, sed benè viuendi in alia Religione laxiori, non video cur id non possit facere independẽter ab

ab suis antiquis superioribus. Dixi, quod etiam ad militarem, quia Bulla Pij V. & Decretum Congreg. supra adductum commode possunt intelligi de Religiosis, qui expulsi non sunt, sed qui adhuc manent in obedientia, & subiectione suorum superiorum, & quidem satius est, quod sub superiori regulari viuat, quam omnino sit in sæculo independenter viuens, sed hoc apud nullum expressum vidi, & sic subiicio prudentioribus.

SVBRESOLVT. III.

Vtrum qui sæpius fugit à religione, animo consequendi licentiam transitus ad laxiorem, si transit non est tutus in conscientia?

SVMMARIVM.

1. *An ille qui fuit pluries fugitiuus à Religione animo consequendi licentiam transitus ad laxiorem, si transeat, non sit tutus in conscientia.*
2. *Authoris iudicium affertur, & numero* 3. *&* 4.
5. *An si quis habeat causas sufficientes ad consequendam dispensationem de transitu strictioris Religionis ad laxiorem, non teneatur exprimere quod dimiserit habitum.*
6. *An etiamsi solum detur pro causa habitus dimissio, & hæc facta fuerit animo facilius consequẽdi dispensationem transeundi ad aliam Religionem, hæc sit valida dispensatio in vtroque foro, & n.* 7.
8. *Ratio difficultatis adducitur, & numero* 9.
10. *An Monachus Carthusiæ qui triplicem fecit fugam habeatur pro derelicto, & numero* 11.
12. *An ex vi professionis solemnis Religio acquirat ius ad patriam potestatem.*
13. *An Monachus derelictus non sit sub dominio aut patria potestate Religionis.*
14. *Quomodo hæc derelictio fieri debeat, & n.* 15.

1 Addo tertium, quod ille † qui semel vel pluries fugitiuus fuit aut habitum demisit spe, & animo facilius sic consequendi dispensationem ab eo, qui potest eam dare, tacendo animum istum non est legitime dispensatus nec tuta conscientia potest transire ad laxiorem, imo si animus iste alias constet, & quod in supplica non fuit expressus potest cogi, vt ad priorem redeat Religionem, Ita late Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio disp.* 25. *num.* 38. sed quamuis doctrina Sanchez verum teneat in dispensationibus ad matrimonium, quia vt ex Gutierr. *lib.* 1. *Canon.* 99. *cap.* 15. *num.* 20. Stylus curiæ in his dispensationibus declarauit Pontificis mentem, quam esse suo tempore declarauit *Pius V.* at in aliis dispensationibus de aliis materiis si ad impetrandam dispensattonẽ allegentur aliæ causæ sufficientes, vt dispensetur, & simul cum illis habitus dimissio aut commissio delicti, etsi hanc dimissionem, aut commissionem fecerit quis eo animo, vt facilius dispensetur, non est necessario hic animus exprimẽdus. Moueor quia † sty- 2

lus curiæ cum sit pœnalis solum extenditur ad eam materiam de qua stylatur, non vero ad aliam iuxta vulgares textus, & doctrinas de lege pœnali non extendenda, quia odia sunt restringenda, & est specialis ratio in dispensationibus matrimonialibus, quæ non currit in aliis materiis non ita grauibus, vt scilicet præscindatur omnis occasio sic contrahendo matrimonia copulando se prius quod semper est malum vt facilius dispensetur, quare vult Pontifex vt etiamsi aliæ causæ sufficientes allegentur, si tamen præcessit hæc intentio, & animus, quod exprimatur in pœnam ne quis ex delicto commodum consequatur.

Moueor secundò, quia † etsi Concilium 3

Trident. *sess.* 24. *de matrim. cap.* 5. dicit. *Quod si quis scienter intra gradus prohibitos matrimonium contraxerit separetur, & spe dispensationis consequendæ careat.* Vnde ex omnium sententia tenetur quis dum petit dispensationem exprimere in supplica quod contraxerit matrimonium, & illud consummauerit, vt late Sanchez *vbi supra à num.* 21. quia hoc quod ante Tridentinum facilitabat dispensationem, & inclinabat Pontificem ad facilius dispensandum, post decretum præfatum iam retrahit Pontificem, & difficillimam reddit dispensationem, adeo quod si Pontifex passim dispensasset, in hoc casu absque iusta causa reus erit culpæ lethalis, & tamen cum hoc Decretum ita sit efficax, & vniuersale, non intelligitur si affines vel cõ- 4

sanguinei, in gradu prohibito clandestine sine Parrocho, & testibus, vt tenet ipse Sanchez *num.* 34. & 35. Vnde non est necessarium exprimere hoc matrimonium, & eius consummationem in supplica ad Papam ergo minus est necessariũ exprimere ad alias dispensationes in aliis materiis consequendas, quod aliquid prohibitum sit factum cum spe facilioris dispensationis, nisi à Principe id exprimatur in lege.

Moueor tertiò, quia † si quis habet alias 5

causas sufficientes ad consequendum dispensationem non tenetur exprimere, quod dimiserit habitum, ergo etiamsi dimissionem exprimat, non tenetur exprimere, quod dimiserit animo consequendi facilius dispensationem, quia expressio dimissionis habitus

habitus concomitanter se habet vt Pontifex dispenset, cum alias habet causas sufficientes ad dispensandum.

6 Moueor quartò, quia † etiamsi solum detur pro causa habitus dimissio, & hæc facta fuerit animo facilius consequendi dispensationem transeundi ad aliam Religionem, nihilominus valida est dispensatio hæc in foro vtroque, quidquid dicat Sanchez *n.* 38. *versic. vnde*, quia vbi Princeps, & legislator id non requirit, non est imponendum onus hoc dispensato, cum alias animus iste prorsus fuerit occultus, id explico quia si quis ex confidentia Bullæ positiua, quia scilicet peccatum reseruatum non committeret, neque votum faceret nisi spe consequendæ absolutionis, & commutationis, ita quod confidentia hæc positiue instiget, & moueat ad peccatum committendum, & votum faciendum, Nihilominus illi prodest Bulla, & virtute illius potest absolui à reseruatis, & commutari votum factum, nec tenetur necessario exprimere quod hæc commiserit ex confidentia positiua Bullæ, ergo etiamsi quis habitum dimiserit animo, & spe consequendi facilius dispensationem ad transitum ad laxiorem, non tenetur hunc animum exprimere, & dispensatio facta valida est, & non subreptitia; minorem huius discursus docet communis sententia quam mordicus defendunt Trullench. *lib.* 1. *in Bulla* §. 1. *dub.* 1. *num.* 5. Villalobos *clausul.* 9. §. 2. *num.* 19. Diana *p.* 2. *tract.* 21. *Resol.* 16. Ludouicus à Cruce. *disp.* 5. *in Bullar. à n.* 5. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 6. vbi testatur de communi Palao *tom.* 5. *tractat. de cruciata punct.* 2. *n.* 6.

7 Quod confirmo, quia vbi Pontifex vult quod confidentia absolutionis, & compositionis ex vi Bullæ impediat, explicat, vt constat de illo, qui confidentia Bullæ negligens fuit confiteri peccata sua tempore ab Ecclesia statuto, vnde illi non prodest indulgentia concessa pro articulo mortis, similiter bonorum incertorum compositio, non prodest illi qui confidentia Bullæ ea bona surripuit, ergo in aliis prodest Bulla, etiamsi sint commissa ex confidentia Bullæ, quia exceptio firmat regulam &c.

8 Ratio † horum omnium est quia priuilegium Principis, quod est quædam iuris cõmunis dispensatio, vt tradunt omnes Summistæ Alphabetarij. *verb. Priuilegium.* Canonistæ *ad Rubricam de priuilegiis.* Theologi cũ D. Th. 1. 2. *q.* 92. *art.* 5. Theologi Morales dũ tractant de legibus. Bonaccina, Palao, Salas, Suarez & alij, atqui si aliàs non constat de voluntate Principis, quod nolit dispensare & priuilegium concedere, quum sit aliquid aliàs prohibitum ex confidentia priuilegij concessi, aut concedendi, etiamsi adsit hæc confidentia, aut animus positiuè influens in actum prohibitum, vt consequatur dispensatio, aut vsus priuilegij non est quis obligandus animum exprimere, vt validè consequatur priuilegium, aut dispensatio, sed si sine huius animi expressione consequatur, dispensatio consequitur suum effectum iuxta proprietatem verborum, quibus conceditur. Hæc autem voluntas Romani Pontificis solùm constat ex stylo curiæ, & Trident. in dispensationibus matrimonialibus, propter specialem rationem, quæ ibi reperitur, at in casu nostro non est textus, aut stylus qui requirat expressionem huius animi, ergo vt valida sit dispensatio, exprimi non est necessarium.

9 Imò cum Principis liberalitas semper, quod non sit contra ius Tertij, vel ab ipso Principe coarctetur sine restrictioue, & ample est interpretanda, sicut & potestas dispensandi quæ in ipso residet, & sic dispẽsationi ab ea promananti non est apponenda conditio ad suum valorem, quam Princeps non ponit. Vnde cum in Bulla antiqua cruciatæ poneretur conditio, quod illa non vteretur, qui ex confidentia Bullæ committeret delicta à quibus virtute illius absolueretur propter quod aliqui antiqui, ita senserunt & benè supposita additione, tamen in nouissimis hæc clausula ablata est & sic mansit liberalitas Apostolicæ sedis illimitata, etiamsi ex confidentia, qui peccaret, vt facilius absolueretur à reseruatis. Vnde quũ non adest, vel stylus curiæ, vel alio modo voluntas Principis cognita iuridicè & authenticè non est, quod ita facilè dispensaret, si cognosceret animum committendi crimen, vt facilius dispensetur, necessarium non est, quod exprimatur in supplica, sed etiam sine illius expressione valida est dispensatio.

10 Ex quibus respondi consultus à quodam Reuerend. Pat. Priore Carthusiæ in qua est constitutio approbata à sede Apostolica, quod † Monachus qui triplicem fecit fugam habeatur pro derelicto; aut sit obligatio ipsum amplius conquirendi, sed dimittatur ac si non fuisset ex familia & Religione Carthusiana filius possit alterius Religionis fieri filius, quia vt habetur, *leg. si res.* 1. *ff. pro derelicto, si res pro derelicto habita sit statim nostra esse desiit, & occupantis statim fit, quia eisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus acquiruntur.* Vnde iste habitus pro derelicto à Carthusia, potest in alia Religione etiam laxiori profiteri *leg.* 2. *eodem.* vbi Paulus. 11 *Pro derelicto rem à Domino habitam si sciamus, possumus acquirere, & leg.* 4. *id quod pro derelicto habitum est, & haberi putamus vsucapere possumus, etiamsi ignoratum à quo derelictũ sit.* Horum omnium rationem subministrauit Iurisconsultus Pomponius *leg.* 5. *eodem* §. 1. *Quia id quod quis pro derelicto habuerit continuo meum fieri, sicut cum quis ès sparserit, aut aues amiserit quamuis incertæ personæ voluerit eas esse tamen eius fierent cui casus tulerit eaque cum quis pro derelicto habeat simul intelligitur voluisse alicui fieri.* Hæc Pomponius. Vnde Gothifredus ad eas leges sic egregiè adnotat, *Causa corrumpentes vnius causæ sunt constituentes alterius. Corruptio vnius generatio alterius est, & è contra interitus obligationis liberationis causa est, sic modus tollendæ patriæ potestatis causa est..... Vnde pro derelicto res habita à vero Domino statim desinit esse ipsius, etiam antequam per alium occupetur, & efficitur occupantis si sciuit eam pro derelicto habitam, si autem non erat eius, sed aliena, tunc qui occupat non statim acquirit rei ipsius dominium, sed vsucapiendi possessionem.* Hæc ille.

12 Ex quibus constat iustitia illius constitutionis Carthusianæ, cum enim † ex vi professionis solemnis Religio acquirat ius ad patriam potestatem, & iste sit illius filius ad alimenta, & honores Religionis, potest quidem Religio sicut ob delicta expellere à commercio, alimentis, & honoribus extra communitatem ad sæculum remittẽdo, istẽque expulsus iuridicè potest aliam Religionem etiam laxiorem capessere, ita ex vi suarum Constitutionum, si quis tres commiserit fugas, potest pro derelicto haberi, iuxta formam traditam in præfatis legibus, quam ius Canonicum, aut aliqua Bulla Pontificia non damnat imo confirmat, in præfa-
13 ta Religione. Vnde eadem ratione † Monachus derelictus iam non est sub dominio, aut patria potestate Religionis: quia statim ac derelictus est desinit esse ipsius etiam antequam in alia Religione recipiatur, quod si recipiatur statim acquirit ius Religio recipiens quamuis resistat quæ dereliquit: quia iam resistere nequit cum derelictus desierit esse suus, & sub eius dominio & potestate.

14 Cæterum † hæc derelictio debet fieri iuxta formam in Constitutionibus præscriptam, taliter quod constet de triplici fuga illicita, & non propter recursum ad superiorem, quia fugere propter recursum ad superiorem, quum quis est grauatus iniustè non est illicita. Vnde respondi ad præfatum Priorem: quod si fuga ista triplex fuerit notoria, & quod non fuerit animo adeundi ad Superiorem maiorem, vt à grauamine liberaret, quod poterat istum fugitiuum pro derelicto habere iuxta normam, & potestatem traditam in Constitutionibus: & addidi, quod iste datus vt derelictus, tutus est in conscientia, si ad aliam Religionem etiam laxiorem se conferat, ibique professionem solemnem emittat, etiamsi triplicem hanc fugam commiserit eo animo, vt haberetur à Religione 15
pro derelicto, quia hic animus non coarctat potestatem, & ius quod habet Religio, vt triplici fuga infectum pro derelicto habeat, quamuis rationabile esset, quod non derelinqueretur ne commodum ex delicto suo acquireret, istis enim hominibus perditis, & morum pessimorum pro commodo habent infamiam, qualis est pro derelicto haberi, si tamen fugiant Religionis reclusionem, & exercitia austera.

SVBRESOLVT. IV.

Vtrum ad hunc transitum ad laxiorem requiratur causæ cognitio?

SVMMARIVM.

1. *An ad transitum strictioris ad laxiorem causæ cognitio requiratur. & n.* 2. *&* 3.

1 Addo quartum, quod dicit Sanchez *l.* 6. *summ. cap.* 7. *num.* 69. non desiderari † in Prælatis inferioribus Pontifice, vt dent licẽ tiam transitus faciendi ad laxiorem religionem iudicialem legitime, transitus, causæ cognitionem, sumptis testibus iuramento adstrictis coram Notario, sed satis est si superior extraiudicialiter informetur; certiorque fiat de causæ veritate, quod nullo iure caueatur præmittendam eius causæ cognitionem; sed tantum desideretur legitima causa ad valorem dispensationis ab eis Superioribus concessæ, ea informatione iudiciali legitimæ causæ non indigent. Tandem quia dispensationes commissæ à Pontifice in foro externo Ordinariis non indigent ea veritatis precum, iudiciali informatione, vt probat *lib.* 8. *de matrim. disp.* 35. *num.* 15. ergo nec hæc licentia, ea informatione iudiciali indigebit.

2 Verum enim vero, etsi hæc sententia huius sapientissimi viri satis probabilis sit, & in praxi secura; oppositam velim à Superioribus obseruari, vt in re grauissima, & in qua valde oportet ostium transitus ad laxiorem occlusum esse imo mutatum, nec alij facile inquietentur ad similes transitus faciendos, non cum parto Religionis detrimento, facile enim Medici & Chirurgi sine iuramento adfirmabunt inesse infirmitatem, Parentes, sorores, aut nepotes, necessitatem habere, qua cogatur ad aliam Religionem 3
transire, adfirmabunt testes, nisi iuramento adstringantur, isto enim dato timebunt conscientias suas; & ne, vt periuri possint puniri: & Superior securius procedet in re magni ponderis, quales nõ sunt aliæ dispensationes, quæ fiunt intra claustra, sic etiam se

se continebunt, qui transitus huiusmodi intentant, hæc enim dispensatio publica est, & pro foro externo, quare maius aliquid exigit, quam simplex testium informatio. Sed de his aliàs.

SVBRESOLVT. V.

Vt Generalis det licentiam ad huiusmodi transitum, non indiget consensu Capituli.

SVMMARIVM.

1. *Vt Generalis det licentiam ad transitum Religionis strictioris ad laxiorem, an non indigeat consensu Capituli. & n.2.*
3. *Quid veniat colligendum.*
4. *Pellizarij sensus affertur. & n.7.*
5. *An electio Summi Pontificis etiamsi requirantur duæ partes Cardinalium si in conclaui remaneat tantum vnus, iste solus possit rite, & validè electionem perficere, & de hoc ratio affertur. & n.6.*
8. *Authoris iudicium affertur. & n. 9. & 13. & 18.19.*
10. *An Religiosus Carthusianus solemniter professus possit adfiliari in alia Religione laxiori. & n.11. & 12.*
14. *De hoc transitu exemplum adducitur.*
15. *Vrbani VIII. sensus affertur.*
16. *An infirmitas quacumque corporalis non sit sufficiens causa vt detur licentia à superiore, qui sit Papa inferior, vt Religiosus solemniter professus in Carthusia, ad aliam laxiorem transeat. & n.17.*
20. *Variorum Authorum sensus adducuntur. & num.21.*

ADdo quintum contra Thomam Sanch. *vbi supra num.56. & 57. & n.66. & 67.*
1 quod † cum Generalis aut Prouincialis priuatiue ad alios superiores locales dent licentiam pro transitu ad laxiorem, non indigent consensu Capituli, aut Generalis, aut Prouincialis, aut Localis, vt talem licentiam de facto impertiantur, sed sufficit quod adhibeat consultationem generalem, si Generalis sit, & Prouincialem si Prouincialis constantem ex diffinitoribus Generalibus, aut Prouincialibus, siue assistentibus, aut sociis iuxta diuersarum communitatum statuta, iis enim simul cum capite suo commissa sunt grauiora totius Religionis, aut Prouinciæ negotia, & magis graue est dare huiusmodi licentiam ad talem transitũ, quã receptio, ad habitum, quæ requirit consensum Capituli localis, vt multis probat Th.
2 Sanch. *lib.5. sum.c.4. à n.64.* quare talem dare licentiam ad Generalem cum sua consultatione vel ad Prouincialem cum sua attinebit non ad aliquod locale Capitulum, nisi vbi id habetur ex lege aut consuetudine, dixi locale Capitulum quia Capitulum Generale, aut Prouinciale similem licentiam impartiri valebit, quia in his Capitulis residet plenaria potestas Generalis aut Prouincialis, excipio Generalem Societatis, cuius Regimen est pure Monarchicum absque admissione Aristocratiæ, solus enim ipse habet votum decisiuum in Societate, hic enim ex priuilegio sibi concesso, & aliis Religionibus non concesso etiam per communicationem (quia in nulla alia est regimen pure Monarchicum sed mixtum Aristocratiæ) quod solus ipse possit, & iam professus solemniter in Societate licentiam dare vt ad laxiorem religionem transeant.

Ex hac additione † colligitur decisio cu- 3
iusdam casus de quo interrogatus, his diebus fui, de nouitiis receptis à Superiore legitimo cuiusdam Domus Carthusiæ, in qua ipse solus Rector existebat cũ vno alio Monacho, quiibi faciebat Procuratoris officiũ, non tamen erat illius domus filius, ipse tamen votum suum renuntiauit in Rectorem, qui solus voto suo recepit ad habitum, & ad professionem aliquos nouicios, dubitabatur an huiusmodi receptiones, & professiones validæ essent? Hoc punctum in genere tractauit Pellizarius *tom.1. Manual. tract.2. c.2. quæst.10. num. 16.* & respondet, † quod vel 4
ista admissio debet fieri capitulariter, prout ius commune antiquum exigit, & sic est valida cum totum ius Capituli residere possit in vno solo, vt notant Glossa *cap.1. de postul. Prælat.* vbi Panormit. *leg. sicut. § final. ff. quod cuiuscumque vniuers.* quod adeo verum est, quod † electio Summi Pontificis, etiamsi 5
requirantur duæ partes Cardinalium, si in Conclaui solum remaneat vnus iste solus possit ritè, & validè electionem perficere, & quem voluerit eligere Glossa, *Clement. Ne Romani, §. Porrò. verb. omnes. de electio.* & latè defendunt Laudensis *tract. de Cardin. conclus.22.* Nauarr. *lib.4. consil.6. num.1. de elect.* Bonacin. *de legib. disp.1. quæst.1. punct.3. n.27.* qui alios citant. Huius ratio est, † quia licèt 6
Collegium, aut Communitas iure Ciuili non subsistat de nouo, nisi ex tribus resultet, *leg. Neratius. ff. de verb. significat.* & iure Canonico requiratur ad minus duæ personæ tamen semel instituto Collegio, & Communitate iura, & priuilegia illius in vno dumtaxat subiecto conseruantur, & sic ius eligendi, nominandi, præsentandi, alienandi, &c. Vnde dubio procul, si attendamus ius commune eiúsque dispositionem, receptio, & professio horum Nouitiorum valida fuit.

Si tamen inquit Pellizarius † attendamus 7
Bullas Apostolicas Sixti V. qui edidit, *Constit.6. Kalend. Decemb.1585.* incipit, *Cum de omnibus*

omnibus. & aliam quæ incipit, *ad Romanum, edita 12. Kalend. Nouembr.1591.* quæ fuit moderatiua prioris & Gregor. XIV. *in Bulla edita 12. Kalend. Aprilis 1591.* moderatiua Bullarum Sixti prædecessoris sui; similiter priuilegia concessa Religionibus quæ referunt Rodriguez *tom.3. quæst.54. artrc.6.* Peyrinis *tom.2. priuileg. constit.2. Sixti quinti num.9. & 19.* Lezana *tom.1. cap.24. nu.14.* si inquam attendantur huiusmodi Bullæ & priuilegia, quibus potestas recipiendi nouitios redacta est ad certum personarum numerum in quo resideat præfata potestas, talis receptio facta ab Abbate, aut Rectore solo valida non est, & per consequens neque professio, quia iure nouo potestas admittendi non conceditur Regularibus, nisi cum limitatione dictarum Bullarum, sine qua si quid fiat inualide, fit ex defectu potestatis.

8 Sed existimo † huiusmodi Bullas & formam in illis expressam recipiendi nouitios non esse in Hispania & multis aliis Regnis vsu receptam, sed obseruari formam iuris communis, vel scripti, vel consuetudinis præscriptæ, quod Prælatus simul cum maiori parte Capituli nouitios admittat ad habitum, & professionem eo modo quo disponitur in suis constitutionibus, & statutis, quare non dubito, quod formæ, quas introducunt præfatæ Bullæ, & priuilegia non practicantur propter innumera inconuenientia, quæ quotidie experiebantur. Præterquam, quod hæc statuta Ordinis, & Bullæ Apostolicæ ipsæ confirmantes non disponunt aliud, quam quod disponit ius commune, vt scilicet requiratur consensus conuentus ad receptionem nouitiorum, quando, scilicet adsunt alij Conuentuales, in quibus residet ius suffragij, *cap. ea noscitur de his quæ fiunt à Prælatis.* vt latè probant Gratianus *disceptat. 440. num.20.* Thomas Sanchez *lib.5. Summæ cap.4. num.65.* Bonacina *de claus. quæst.2. punct.10 difficult.2. §.6. num.6.* Tamburinus *tom. 3. de iure Abbatis disput.6. quæst.15. à num.7.* Vnde vim inducunt nouam formam, sed intelligi debent iuxta ius commune, vt latè ex multis probat Sanchez *lib.3. de Matrim. disp.33. n.3. & lib.8. disp.35. n.19.*

9 Igitur existimo, quod si non sit speciale statutum, aut constitutio, aut Generalis, aut Prouincialis prohibitio irritans, ne in casu in quo sit in Conuentu solus Prior, Rector, aut superior nouitios ad habitum admittat, si solus recipiat, aut professionem admittat, & admissio & receptio valida sunt, nec irritari possunt à quocunque superiore maiori, quia Prior & Rector vsus est iure & potestate sibi tradita à iure in ipsoque maneant iura Conuentus, quia sicut ipse, & potest acceptare hæreditatem & alienare aliqua Conuentus bona, etiamsi ad vtrunque requiratur consensus capituli, imò hoc verum teneret, etiamsi ipse Rector, aut Prior non haberet votum in capitulo, quia in casu in quo ipse solus remaneret in ipso manet sicut omnia Conuentus iura manet in illo non, vt superior, sed vt membrum illius, ita sub eadem ratione manet ius suffragij, quod in aliis debet esse, si essent, quatenus membrum est, sed non quatenus superior, legendi sunt Sylvester *verb. elect.1. n.2.* Barb. *de iure Ecclesiastico. lib.5. cap.19. num.46.* Miranda *tom.2. quæst.23. art.5. num.38.* Pasqualig. *tom.1. Decisio. 253. num.1. & 7.* vbi plures refert. Loterius *de re Beneficiaria quæst.14. numer.109.* Vichius *in praxi Nouitio. disput.7. dub.2. num.11.* Tamburinus *de iure Abbatis tom.3. disput.6. quærit.1. num.13.* Quibus adde, quod ex consuetudine iam in præfata Religione, Superior habet in capitulis ius suffragij, hoc enim illis non est ablatum, sed tantum dicitur, quod teneatur sequi maiorum suffragiorum, partem sic respondi, & placuit viris Doctis responsio.

Hæc omnia ex decisis in tituli resolutione decucebam, & addebam, vt præambula ad casus grauissimi decisionem de quo interrogatus fui, † an Religiosus Carthusia- 10
nus solemniter professus, possit adfiliari in alia Religione laxiori, quamuis sit Hospitalaria, dummodo non sit Militaris. Respondi posse iuxta communem doctrinam, traditam in superioribus, quam probabilissimam esse & securam in praxi nullus dubitare potest iuxta quam in facti contigentia, ita licitè fecit Antonius Bezzerra laicus conuersus expressè professus in Domo Carthusian. Hispalensis S. Mariæ *de las Cueuas*, qui ob causam infirmitatum maximæ anginæ consultis Medicis & de consultatione Reuerend. P. Generalis Prioris Magnæ Carthusiæ, Procurator Generalis Prior S. Mariæ Angelorũ de Vrbe P. Christophorus Puteanus dedit licentiam in scriptis, vt trãsiret, & adfiliaretur in alia Religione laxiori confirmata à S. Apost. *sub die 10. Febr.1653.* quam licentiam confirmauit in forma Illustr. D.D. Francisc. Caet Archiep. Rhodiens. Nuntius in Hispan. Regnis cum potestate Legati à latere *die 18. April.1654.* & est registrata *l.2. Registri Abbreu. f.10.* qua vtens præfatus Antonius Bezzerra, adfiliatus est, & receptus in Ordine Hospitalario S. Antonij Vienens & 11
factus præceptor noua instituta præceptoria in hoc Hospitali S. Ant. Hispal. professúsque est factum membrum huius Religionis, & sic dubio procul desinit esse membrum Carthusiæ, siquidem cum legitima

licentia se transtulit, & bona fide professionē nuncupauit, in Religione S.Antonij, & hunc transitum validum, & licitum esse audio subscripsisse plures viros Doctos in Vrbe coram Summo Pontifice, inter quos erat P. Antoninus Diana de hoc casu consultus, ab eodem Antonio Bezzerra: hanc meam resolutionem secuti sunt quotquot in hoc Ciuitate Hispalensi sunt consulti.

12 Et ex ea inferebam dicendum fore necessario quod cum præfata licentia legitima sit, & authentica forma prior huius domus Carthusianæ, imo nec Prior Generalis potest inquietare præfatum Antonium Bezzerra cum legitimè sit exfiliatus à Carthusia, & factus filius Ordinis Sancti Antonij, quam filiationem possidet, & sic in ea debet conseruari, & tueri, nec in hoc potest esse difficultas, quia possessor bonæ fidei expoliatus ante omnia est restituendus, nec audiendus est expoliatus in principali ante restitutionem, etiamsi vnus obolus deficiat restituendus, vt est certum axioma in iure totis titulis *de restitutione expoliatorum*, tam in ciuili, quàm in canonico iure.

13 Fateor † magnum sequi inconueniens ex huiusmodi licentia concessa, & quod si ego essem huius strictissimi Ordinis aut Generalis, aut Procurator Generalis, prius sinerem me in partes dissecari, quam quantumuis grauissimam sicut non darem licencentiam comedendi carnes. Si quidem si porta ad exitus laxatum viarum aliarum religionum aperitur, rigor Carthusiæ valde friget, & animantur inquieti ad tales exitus procurandos, non cum paruo Religionis, quæ ob sui singularem præ omnibus aliis vitæ rigorem iuri communi ex omni alia licitus est transitus. Minus enim inconueniens est, quod Religionis illius infirmitate pereat, quam quod tota Religio relaxatione rigoris tepescat, & frigeat, & quod dum Religioni, solitudini, & contemplationi debent vacare ex vi regulæ inquietudine turbentur, & ab exercitiis huiusmodi, vt oportet retarden-
14 tur. Ego enim † tempore Gregorij XV. valde restiti quod alius conuersus Religionis nostræ ad Religionem hospitalariam sancti Spiritus in Saxonia de Vrbe transiret, quamuis Eminentissimus Cardinalis *Desti*, id procuraret cum Sanctissimo mihique summis precibus persuaderet, vt consentirem imo,& ipsemet summus Pontifex,quod facerem illi *pontem aureum* dixit, at fortiter restiti quod alij multi contenti essent ponte luteo aut bitumineo, vt ad laxiorem ripam transirent, quod attendens prudentissimus Rector Vniuersalis nunquam dum rexit licentiam hanc est impertitus; quod multo maiori motiuo id facere in Carthusia. Quare Innocentius X. dum speciali Breui expedito ad instantiam præfati Antonij Bezzerra *ann.1653.die 10. Maij Pontificatus sui ann.8.* ei licentiam concessit vt transiret ad præfatum Ordinem S.Antonij, si huius Superiores admitterent, & sui ordinis superior Carthusianus licentiam impartiretur, sine qua ipse Pontifex nunquam vtitur, aut rarissime de plenitudine suæ potestatis, & sic Vr- 15
banus VIII. *in Decreto edito 21. Septembris 1624.* quod habetur *tom. 4. Bullarij*, statuit, quod etiam transitus ad strictiorem non fiat sine præfata licentia præhabita Superioris à quo, cui legitime constare debet licentia, & admissio superioris, *ad quem* fit transitus, quæ dispositio obseruari debet etiam dum fit transitus strictioris ad laxiorem, vt bene notant Lezana *tom. 1. summ. cap. 22. num. 15.* Pellizzarius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 102.*

Fateor etiam (nihil enim occultare quod 16
ratio dictat volo), quod † infirmitas quæcunque corporalis non est sufficiens causa, vt detur licentia à Superiore qui sit Papa inferior, vt Religiosus solemniter professias in Carthusia, ad aliam laxiorem transeat, moueor quia nulla infirmitas corporalis quantumuis grauissima, & acutissima à qua de consilio omnium medicorum non potest Carthusianus liberari nisi carnes saltem in infirmitate manducet, nullus superior etiam Prior Generalis potest licentiam dare carnes comedendi, quia huic iuri renuntiauit in professione in hac Religione in qua hæc vitæ austeritas profitetur, ergo multo minus ob periculum infirmitatis, quam sæpe passus est, vel podagræ, aut chirargræ, anginæ, & similium, potest dari licentia transeundi ad aliam laxiorem, cum possit multis cibis non ita nociuis vti, quæ, etsi non totalem sanitatem inferant, tamen temperabunt infirmitatem, & ad illam sustinendam tenetur, ex vi professionis in hac Religione, quare cum huiusmodi infirmitates, & similes virtualiter sint præuisæ, dum quis profitetur vitam, ita austeram, quod illas sit quis assuetus pati, non est sufficiens causa vt licentia à Superioribus Carthusiæ ad transitus ab illa ad aliam laxiorem concedatur.

Addo † quod cum hic Antonius sit filius 17
huius domus, quæ in ipsum habet speciali ius & potestatem potest reclamare, quod ipsa inaudita, & inconsulta priuata est iure suo in præfatum Antonium, non minus quam si ipsa inconsulta Generalis alienaret aliquam possessionem, posset vtique reclamare, atque ita supposito, quod sit specialis filiatio, vt est in Carthusia, potest

test agere actione rei vindicatione, *l.in rem. ff.de rei vindicat.* Vnde Monasterium potest prætendere illicitè factum fuisse transitum, quod potest facere etiamsi non sit appellatum petens restitutionem in integrum, vt tradunt Hostiensis, Innocentius, Ioannes Andreas, Ancharan. Antonius de Butrio, Cardinalis, *ad cap. licet. de Regul.* allegans, quod non potuit dari præfata licentia ipso conuentu inconsulto, quia non potest priuari iure suo, non tamen poterit Ant. Bezzerra turbari à possessione, quam habet Religiositatis & filiationis in Ordine S. Anton. in qua bona fide professionem emisit, ex vi licentiæ datæ à Procuratore Generali Consulto Patre Generali.

Et quidem quod domus Hispalensis Car-
19 thus.S.Mariæ *de las Cueuas*, possit restitutionem petere. Constat, quia potest prætendere ex hoc transitu magnam iacturam, ingens damnum, & non mediocrem notam incurrat, si enim Ecclesia in temporalibus læsa restitui potest, *cap.1. de in integrum restit.* à fortiori restituenda est in spiritualibus, ac in personæ alienatione læsa, vt arguunt Innocentius *ad cap.licet.cit.n.1.* † Hostiens.
20 *n.5.* Ioan.*n.22.* Anton.*n.14.* Anchar.*num.11.* Bil.*n.7.* Card. *n.3.q.4.* Antonin. *3.p.tit.1.c.4.* Angel.*verb.Religios.n.34.* Tabiena *verb.Religio.q.23.n.24.* Turrecrem. *cap.1.n.3.19.q.3.* Syluester *verb. Religio. 4.q.1.versic. aduerte.* vbi sic eleganter ad propositum: *Aduerte quinto secundum Anchar. post Innocent. quod si ex transitu ad eam quàm certum esse arctiorem, prior tamen incurrat graucm iacturam, vel infamiam non licet transire, argum. 2. quæst.8. cap.si quis vero, & de regul.iuris.cap.licet quia nec debet esse causa scandali, nec grauatam vtilitatem debet præferri communi, puta vnius Monasterij, etsi transitur secundum Doctores, vt dicit Parnomit. Debet fieri restitutio.argum.*
21 *dict.cap.licet.de Regular.verb.iacturam.de quo licet Panormit. dubitet & cum eo summ. Rossel. quia propter læsionem Monasterij, non debet impediri propositum diuinitus inspiratum, tamen non est dubitandum, quum illa infamia, vel iactura non venit ex culpa Monasterij, sed ex rerum qualitate, quia non est adeo propositum illicitum.* Hactenus Doctissimus Syluester cuius doctrina fortius absque dubio procedit si transitus fit ad laxiorem, & maximè, ex Carthusia. quæ non parua nota inuritur si Religiosus in ea professus Hospitalarius fiat, qui alias tam strictam reclusionem profitebatur, & quis dubitat magnam hoc generare admirationem, & in aliis Religiosis Carthusianis inquietudinem & scandalum.

RESOLVTIO IV.

Variæ difficultates circa iura filiationis Religiosæ, tam in communi, quàm in speciali enodantur, & enucleantur.

SVMMARIVM.

1. *Filiationis iura maiori ex parte iure humano sunt interpretata.*
2. *Diuersa filiationum iura adducuntur, & num.3.*

VM † filiationis Religiosæ iura 1
maiori ex parte iure humano sint interpretata, etsi filiatio ipsa à iure ipso diuino, sicut & professio solemnis dimanat, hæc interpretatio varia est iuxta vniuscuiusque Religionis statuta, & constitutiones, quas omnes percurrere difficillimum, & valde esset laboriosum. Quare in genere agendum est de triplici filiationis iure, iuxta triplicem modum filiandi, qui in genere reperitur in Religionibus,quæ hucusque sunt cōfirmatæ in Ecclesia † in aliquibus enim non 2
est ius filiationis nisi respectu Religionis, etsi latissime diffusæ, in aliis est ius filiationis respectu Prouinciæ, in aliis respectu huius conuentus in speciali, & istæ duæ vltimæ filiationis species, aut sunt ab initio professionis introductæ, & post ex occasione quis filius alicuius alterius Prouinciæ, aut conuentus authoritate eius, qui ipsum ab vna matre exfiliare, & alteri applicare, & iura, & priuilegia ipsius habeat, rursus respectu Religionis totius filiatio, aut firmatur voto non admittendi extra Religionem dignitatem, aut prælationem, aut solum habetur firma ex tribus substantialibus votis in hac Religione iuxta suam re- 3
gulam nuncupatis, ita vt ex vi horum votorum ab hac Religione nequeat eius filius ad aliam transmigrare, sine licentia eius, qui potest dare, siue Religio sit strictior, siue laxior, militaris, aut Regularis, horum filiorum iura; & Religionum in ipsos actiones breuiter, & in genere enucleanda sunt, quibusve modis filij isti exfiliari à sua primæua matre possint.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum possit Religiosus solemniter professus dignitate extra Religionem assumpta, exfiliari sine Religionis Prælati consensu?

SVMMARIVM.

1. *An Religiosus solemniter professus possit dignitate extra Religionem assumpta exfiliari sine Religionis Prælati consensu?*
2. *Authoris iudicium affertur, necnon variorum Doctorum sensus adducuntur. & n.* 3.
4. *Quenam licentia requiratur ad transeundum statum perfectiorem?*
5. *Qua licentia possit dari à solo Abbate, vel à Generali, vel à Prouinciali.*
6. *Vrbanus II. requirit ad transitum ad aliam religionem consensum Abbatis, & totius Congregationis.*
7. *De alterius electione requiritur Superioris consensus.*
8. *Suarez sententia adducitur. & n.* 9.
10. *Cuius consensus requisitio dimanet solum ex iure positiuo, aut ex vi filiationis acquisitæ ex professione solemni, in qua emittitur solemne obedientiæ votum.*
11. *Bonifacij mens adducitur. & num.* 12. 13. *&* 14.
15. *An si Prælatus Prouincialis nolit dare licentiam, sit adeundus Generalis ad compellendum Prouincialem ad illam dandam.*

1 NOn loquimur † de Religioso solemniter professo, qui voto siue solemni, siue simplici in professione, vel extra emisso est adstrictus ad non acceptandam extra Religionem Prælationem aliquam, vel dignitatem, de hac enim resolutione sequenti loqui reseruo, quare in præsenti sermo est dumtaxat de Religioso solemniter professo, qui liber est ab huiusmodi voto, & inquirimus an iste talis possit extra Religionem sine Religionis consensu prælationem aliquam, vel dignitatem accipere.

Et quidem circa primam difficultatis par-
2 tem. † Mihi omnino indubitatum est nullum religiosum solemniter professum cum ex vi solemnis professionis Religio acquirat in ipsum ius patriæ potestatis, & plenissimi dominij ipséque Religiosus solemniter professus acquirat perfectam filiationem respectu Religionis, posse tam iure antiquo Gregorij Magni, quàm iure nouo Bonifacij VIII consentire in sui electionem ad Episcopatum, aliámve dignitatem siue Cardinalitiam, siue aliam inferiorem, ex vi cuius exfilietur à Religione, in qua professus est: & cuius filius est constitutus, ex vi professionis, de iure nouo sexti nullus dubitat. Canonistarum, aut Theologorum Moralium, & Alphabistarum. † Le- 3
gantur Viuianus *in rationali, lib.* 1. *pag.* 188. Sanchez *lib.* 7. *summ. cap.* 29. *num.* 56. *&* 57. Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 58. *artic.* 1. Paulus Layman *de Prælat. Ecclesiast. electio. quæst.* 189. Acugna *ad cap.* 1. *distinct.* 58. Sigismundus à Bononia. *de elect. dub.* 4. Castro Palao *tom.* 3. *disputat.* 4. *punct.* 5. *num.* 2. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 14. vbi dicit, quod hæc prohibitio non est inducta iure antiquo Gregor. I. relati. *cap. quam sit.* 5. *quæst.* 2. vbi Sanct. Pontifex in Concilio suo Lateranens. dicit: *Nullus Monachus sine testimonio, & concessione Abbatis sui in Ecclesia, aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoueatur honorem.* quare male eluantur verba ab ipso Suarez, non enim dicit: *Nullus Episcopus ad aliquem promoueat honorem*, sed, *nullus Monachus promoueatur*, quia scilicet iste non est sui iuris, nec aliquid de se potest disponere sine consensu Abbatis, sicut sine illo nullum queit contractum facere, quia semper tanquam pupillus sub Abbatis patria potestate: quare quantum ad hoc Bonifacius VIII. *cap. si Religiosus.* 27. *de electione*, non statuit nouum ius: sed antiquum renouauit, quamuis addiderit nouum ius quantum ad nullitatem consensus in quantum ad hoc quod electio facta ipso facto viribus euacuetur omnino: quare tam iure decreti, quam sexti nullus religiosus solemniter professus, nequit sine consensu Abbatis acceptare electionem in quamcunque prælationem, aut dignitatem.

Sed aduertit Glossa, *ad cap. si Religiosus.* 4
Primum, quod hic est casus in quo † ad transeundum statum perfectiorem requiritur licentia non solum petita, sed obtenta, scilicet vt reprimatur Religiosorum ambitio: quia, vt ait Ioannes Monachus animus hominis generosus, de se tendit ad alta, scilicet honores & officia, quem animum reprimunt iura, vt hîc, *& cap.* 2. *de testam.* Sed non sic homo aspirat ad onera, vnde etsi Episcopatus sit altior status & perfectior, tamen non est aptus ad perfectionem acquirendam, & non parum habet periculi propter magnam obligationem sibi impositam de animarum cura ad quam se obligat ex voto, sed cum maiore vitæ libertate, potentia, honore, & rerum abundantia, & ideo illum non acceptare multum expedire potest, quod illum non acceptet sine obtentu consensus Prælati, quia status Religiosus solemnis ad perfectionē acquirēdam per tria vota essentialia paupertatis, castitatis &

& obedientiæ quare dum quis solemniter profitetur non habet conditionem implicitam, nisi eligar ad Episcopatum sicut est nisi transeanm ad strictiorem Religionem, in qua sunt media magis proportionata tribus votis, quibus obligor ad perfectionem acquirendam, vnde communior sententia tenet, quod votum Religionis non adimpletur in susceptione Episcopatus, sed quod, qui illum fecit nequit illum acceptare, nisi prius impleat votum, & tamen si quis fecit votum Religionis laxioris illud implet, si in strictiore habitum adsumat.

Secundum, quod † hæc licentia potest
5 dari à solo Abbate, vel à Generali, vel à Prouinciali, quibus hoc negotium vtpote arduum, & magnæ considerationis (non localibus Superioribus, quidquid dicant multi, quos citat, & sequitur Barbosa *cap. si Religiosus n.* 4. quamuis in hoc attendendæ sunt Religionis constitutiones, & consuetudines) reseruatum est, non tamen requiritur conuentus, & Monasterij consensus, etsi enim Ioannes Andreas *cap.* 2. *dist.* 58. & Bernard. *c. post translationem, de renunt.* teneant requiri etiam Capituli consensum, vt persona alienetur ab obedientia, & dominatione Religionis, sicut requiritur vt alienetur res immobilis, & pretiosa quæ seruando seruari potest *cap. Abbati de verb. significat. cap.* 2. *de stat. Monach. cap. statuimus* 19. *quæst.* 3. vbi
6 † Vrbanus II. *epist. ad Abbatem* 5. *Ruffi.* requirit ad transitum ad aliam Religionem consensum Abbatis, & totius Congregationis, postquam qui vice Dei supra caput sibi hominem imposuerit, vnde à maiori idem requiritur, vt ad statum Episcopalem migret, in contrarium est argumentum *ex cap.* 2. 48. *dist. cap. post. translationem de renuntiat. cap. quam sit eodem*, vbi Superioris, & Abbatis fit mentio non Capituli, sed Glossa *ad cap. si Religiosus verb. sint varia*, has antynomias concordat, quod opinio Ioannis, & Bernardi sit vera iure antiquo, at contraria sit vera iure nouo Sixti vbi statuitur, quod solus Prælati consensus sufficiat, ob celerem Ecclesiarum receptionem.

7 Sed cum certum sit † loquendo de electione, requiri Superioris consensum, vt subditus illam acceptet, at de præsentatione, & postulatione, & collatione dubium est, an requiratur consensus Superioris, vt illi assentiatur subditus solēniter professus negat requiri ad consentiendum electioni, & collationi, Castro Pala. *vbi supra vers. aduerte*, sed Suarez *num.* 17. sic distinguit. *Quia vel prouisio (quocunque vocetur nomine) talis est vt per eam acquiratur*; ius personæ prouisæ ad Episcopatum, aut dignitatem extra Religionem à qua exfiliatur per prouisionem, vel nullum ius ei acquiritur, vt in pura præsentatione. In priori casu requiritur consensus Prælati si subditus eligatur, siue postuletur, siue conferatur collatione Canonica dignitas *cap. quorumdam de electione*, & quidem in iure æquiparatur postulatio, & electio, si fermo sit de postulatione solemni, quia admissa acquiritur ius postulato, nam postulatio simplex, qua postulatur aliquis ab eo qui super omne impedimento Canonico dispensare nequit, vt si Canonici postulent filiumfamilias à Patre, vel ab Abbate monachum obligandum, vt enim monachus huic simplici postulationi consentiat non requirit consensum Abbatis, sicut nec ad præsentatiouem, quia ex vi huius nullum ius acquirit postulatus, etiamsi postulatio acceptetur sicut nec acquiritur, ex præsentatione.

Horum rationem † subiungit Suarez, 8
quia ex vi sui status nullum contractum facere, aut ius firmum acquirere potest sine licentia Prælati, item quia illa promissio habet vim cuiusdam electionis, ita vt noua electio non requiratur, vt dicunt Panormitan. *cap.* 1. *& cap. postulationem de postulat. Prælat.* Syluester *verbo Postulatio quæst.* 6. *&* 7. Angelus *num.* 4. Tabiena, & cæteri Alphabetarij Morales. Vnde non procedit doctrina de requisitione consensus Prælati in præsentatione, aut simplici postulatione, procedit tamē in collatione Canonici & postulatione solemni, quamuis si postulatio fiat Papæ, & ipse acceptet cum ante acceptationē nullum ius acquiratur postulatus, videtur eodem modo dicendum, & philosophandum, ac si electio ad dignitatem fiat à Papa de quo dicit Suar. ipse *num.* 13. quod
9 † eo ipso ac Pontifex eligit aliquem Religiosum, cum sit illius proprius Superior dat illi licentiam, & nomine Religionis consentit, cum possit facere Episcopum subditum etiam repugnante Abbate. Quod secus est dum Papa simpliciter consentit, quod aliquis Religiosus fiat Episcopus, qui vt sit præsentatur à Principe iure Patronatus laici, quia Papa consentit præsupponens habere quidquid de iure requiritur nisi expresse dispenset. Vnde existimo quod Religiosus Hispanus, qui à Rege Catholico præsentatur Papæ, vt fiat Episcopus nequit acceptare hanc præsentationem, nisi Prælatus consentiat, quia ex vi huius præsentationis, cum fiat iure Patronatus laici aliquam actionem acquirit, vt eligatur à Papa, & confirmetur repræsentatio.

Sed modo superest examinandum, an
† huius consensus requisitio dimanet so- 10
lum ex iure positiuo, an ex vi filiationis acquisitæ ex professione solemni, in qua emittitur

emittitur solemne obedientiæ votum? Castro Palao *vbi supra*, negat hanc necessitatem oriri ex filiatione, & voto obedientiæ, *Quia* (inquit) *consensus absque Superioris licentiâ, prohiberi, & irritari potest iure Ecclesiastico, vt de facto prohibetur, & irritatur, absque eo quod ex voto vlla sit prohibitio, & irritatio.* Adde Episcopatum, statum esse Religione perfectiorem nullo modo dispositioni Prælati regularis subiectum, ergo ex vi voti regularis obedientiæ non prohiberis eius electioni tuum consensum præstare. Verum etsi hoc ita sit, negari non potest te potuisse voto obedientiæ, ad id obligari, cum sit res honesta & iuri communi conformis.

Sed miror hominem aliàs in materia morali eruditum in hanc opinionem absurdam meo iudicio dilapsum; cum Pontifex, *cap. si Religionis citat.* hanc rationem vnicam suæ
11 decisionis tradidisse. Sic enim † ait Bonifacius (referens verba iuris Decreti dati ab Vrbano II. relati, *cap. statutum supra adductum*) *si Religiosus (cuius arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet) electioni de se ad prælationem aliquam extra suum monasterium vel suam Ecclesiam celebratæ, sui Superiori, qui dare ipsam valeat non petita, & obtenta licentia præsumpserit consentire, consensus sic petitus non teneat, & in pœnam præsumptionis ipsius electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino.* Hoc totum caput. Vnde egregiè notat Pater Suarez *num.* 15. quod
12 † hic Pontifex non facit nouum ius; sed declarat vim, & efficaciam voti solemnis si Religiosus acceptet Episcopatum nulla & irrita erit acceptatio, electio vero irrita est, & ipso facto viribus vacua, in pœnam talis acceptationis præsumptuosè factæ sine consensu Prælati, & quantum ad hoc est nouum ius, quia ex vi votis obedientiæ non erat irrita electio, quia electores non sunt subiecti Abbati, sicut Monachus qui nullum ius maxime ex vi cuius eripitur à patria potestate, & exfiliatur à Religione.
13 Vnde iam directa sunt fundamenta opposita, nam acceptatio ista irritatur, & prohibetur, qui ex vi voti solemnis, & filiationis erat irrita & prohibita, rursus, etsi status Episcopatus sit perfectior statu religioso tamen periculosior, & quia acceptio fit à Religioso ista, est irrita & prohibita ex vi obedientiæ regularis, quæ præstringit media ad perfectionem acquirendam, & sic abdicatio proprij velle & nolle absoluta fuit respectu acceptationis cuiuscumque iu-
14 ris extra religionem. Vnde fallitur Suarez dum dicit, quod acceptatio non est irrita ex vi obedientiæ solemnis (quidquid sit de obedientia simplici etiam religiosa) est quidem irrita, neque quantum ad acceptationem est ius constitutiuum, sed quantum ad electionem, quam in pœnam constituit Pontifex esse ipso facto viribus vacuandam.

Sed nunquid † si Prælatus Prouincialis 15
nolit dare licentiam? adeundus est Generalis, vt Prouincialem compellat, si iniustè denegat, etsi adhuc nolit, poterit dare ipse Generalis ad quem deuoluitur potestas, exfiliandi, & licentiandi. Ita Lambertinus *de iure Patronatus, lib.1.part.2.quæst.7.artic.19. num.13.* Sanchez *lib.7.summ.cap.29.num.69.* Glossa *cap. si Religiosus versic. sed quid si Superior.* non tamen sufficit licentia tacita, quid quid dicat Caldas Pereyra, *de Resolut. emphyteutic. cap.11. num.15.* quia requiritur licentia petita, & absoluta, *cap. si Religiosus,* sufficit tamen si sit virtualis.

DIFFICVLT. II.

An requiratur consensus Prælati Regularis, vt quis acceptet electionem de se factam in Summum Pontificem Romanum.

SVMMARIVM.

1. *An ex vi Cardinalitiæ dignitatis sit quis exemptus ab obedientia regulari.*
2. *An ad electionem in summum Pontificem sit consensus Prælati Regularis requisitus.*
3. *Authoris iudicium affertur.*
4. *Ratio difficultatis adducitur, & n.5.*
6. *An ex natura filiationis religiosæ, & seruitutis quam quis solemniter profitetur possit sine consensu Abbatis, & sui superioris consentire in sui promotionem.*
7. *An Religiosus solemniter professus ex vi professionis sit eius filius sub patria potestate constitutus.*
8. *Bonifacij VIII. & Vrbani II. sensus afferuntur.*
9. *Sanchez, & Suarez opiniones adducuntur, & n.10.*
11. *An ante consensum tacitum aut expressum Prælati Regularis, Religiosus electus non acquirat aliquod ius in re in summum Pontificatum.*
12. *An si Religiosus acceptet summum Pontificium absque licentia requisita, teneatur ad monasterium redire in conscientia.*
13. *An electores facta electione possint cogere nomine totius Ecclesiæ Prælatum, vt licentiam largiatur, eam denegando contra bonum commune.*
14. *Non acceptatio summi Pontificatus an sit obiectum honestum.*
15. *Suarezij sententia affertur, & num.16. & 17.*
18. *An per Summum Pontificatum non substrahatur quis Religioni, & n.19.*

QVamuis, vt modo fit Summi Pontificis electio quæ arctata est solum, tam quantum ad vocem actiuam in electoribus, quam quantum ad passiuam in eligendis, quod fiat ab Eminentissimis Cardinalibus, & quod de ipsorum numero sit electus in conclaui existentibus omnibus, tam electo quam electoribus, difficultas præsens locum
1 non habeat, quia † ex vi Cardinalitiæ dignitatis est exemptus quis ab obedientia Regulari. Cæterum, quia modus electionis cum sit iure humano introductus, & variatus pro temporum varietate, & exigentia circunstantiarum, potest modus qui de præsenti est alterari, & quod sit capax electionis passiuæ non Cardinalis solùm, sed alius qui Religiosus professus sit vocetur qui à Deo tanquam Aaron, vt euehatur ad apicem dignitatis, & vt impleat Apostolicam sedem, in hoc casu procedit difficultas præsens, vt ex illa clarescat, quanta sit dignitas, & altitudo voti solemnis obedientiæ.

2 Igitur prima, sententia negat, quod † sit requisitus consensus Prælati Regularis, quã sequitur Thomas Sanchez *lib.7.Summ.c.29. num.*58. qui citat aliquos Canonistas & DD. antiquos de quorum sensu mox dicam, Pater Suarez *tom.3.de Relig.l.10.cap.10. à n.8.* latè, vt assolet discurrit circa hoc punctum & latius *to.4.tract.10. lib.6.cap.9. à num.11.* vbi multa dicit in sequentibus enucleanda maximè *difficult.4.* Secunda sententia est, adfirmatiua Glossæ *cap. quam sit. verbo ad ordinem.* & absque dubio fuit inter antiquos Canonistas communis, quam sequũtur sexdecim Auctores grauissimi, quos citat Sanchez, *vbi suprà.* & ex recentioribus sunt Gregorius Lopez *leg.22.verb. Ecclesias tit.7. part.1.* Graffis *part.1.decisio. lib.3.cap.20.n.1.* Manuel Rodriguez *tom.1.quæst.34.articul.5.* Sà Emendatus *verb.Relig.n.63.* Hieronymus Rodriguez etsi priorem dicat probabilem & posteriorem probabiliorem, & magis piam, & rigori iuris magis consonam *Resolut.15. num.54.*

3 Ego vero † hanc sententiam veram existimo ex vi filiationis Religiosæ, quam, quis habet ex professione solemni ex qua Religio habet patriam potestatem, & ius in personam Religiosi solemniter professi, quod ius nunquam amittit nisi renuntiet, nullus enim spoliari potest re sua sine consensu eius cuius est, hoc enim est fundamentum D. Tho. & Iuristarum, cur filius impubes manens in patria potestate nequit patre repugnante ad religionem admitti à qua potest extrahi, ab ipso Patre, & de seruo, qui nequit ad religiosum statum obligari sine consensu Domini, in cuius potestate est, quod si obligetur, Dominus rescindere queit obligationem.

Vt autem hæc sententia lucidior appareat † punctum difficultatis est aperiendum, 4
non enim est situm, an electores validè eligant in Papam Religiosum non præhabito prius consensu Religionis possunt quidem illo non præhabito, eligere, quem magis expedire iudicauerint ad Ecclesiæ vniuersalis regimen, & gubernamen, etiamsi voto solemni sit adstrictus, non acceptandi extra Religionem dignitatem, aut prælationem, etiamsi sit Summus Pontificatus nisi de licentia sui regularis Prælati. Electores enim Summi Pontificatus totam Ecclesiam repræsentant, vt eligant caput illius, quod conuenientius iudicarint; ad quod parum refert, quod electus sit Religiosus, & præfato voto adstrictus, quia ex vi electionis personæ hæc obstaculæ euanescunt, & votum non obligat, etsi obligat tenetur Superior licentiam dare, & dum emittitur votum, non 5
cõsentiendi in electionem nisi coactus obedientia Summi Pontificis, quantum ad acceptationẽ Summi Pontificatus, sat est obedientia electorum, quibus quatenus repræsentant in hac electione, totam Ecclesiam, potest quis obedire, & acceptare Pontificis Summi dignitatem, neque electio est irritanda, etiam non habito prùs consensu Prælati regularis, vt decernitur, *cap. si Relig. de elect. in 6.* vbi tantum agitur de aliis dignitatibus, & prælationibus, & illa lege non tenentur electores.

Quare cardo in quo vertitur & controuertitur difficultas est, † an ex natura filia- 6
tionis religiosæ & seruitutis, quam quis solemniter profitetur, possit sine consensu Abbatis & sui Superioris consentire in sui promotionem & electionem sine licentia sui Prælati, ita vt iste possit illi præcipere, vt in virtute Sanctæ obedientiæ ne Summum Pontificatum acceptet ipsique teneatur ex vi voti solemnis obedire? & in hoc sensu loquuntur Auctores secundæ sententiæ, & Auctores antiqui pro prima non loquuntur in hoc sensu, sed in alio longè diuerso, dicunt enim, quod potest quis promoueri ad Summum Pontificatum sine consensu Superioris, quod verissimum est. Nam electores & Eminentissimi in hac electione non tenentur lege Canonica *in cap. si Religiosus,* nec huic electioni potest aliqua exceptio præter hæresim poni; non tamen loquuntur de acceptatione, sine hac enim Pontifex electus, nequit munus suum exercere. Vnde postquam electus est eius acceptatio expo-scitur, quod si nolit acceptare ad alium eli-

gendum progreditur, & sic ante acceptationem adhuc manet sub potestate Prælati, & filius, ac seruus Religionis.

Probatur, ergo hæc nostra sententia. Primò, quia † Religiosus solemniter professus
7 ex vi professionis est eius filius & sub eius patria potestate constitutus, ergo ipse nequit ab illa se subtrahere sine eius consensu, consequentia videtur manifesta, quia si inuita Religione ab ea refugit pietatem illi debitã nõ agnoscit, *leg. si filius C. de patr. potestate, si filius tuus*, (ait Imperator Alexander) *in potestate tua est res acquisitas tibi alienare non potest. Quem si pietatem Patri debitam non agnoscit castigare iure patria potestatis non prohiberis acriori remedio vsurus si in pari contumacia perseuerasset.* Si enim non consentiente Patre res acquisitas patri alienare nequit, quanto minus alienari se potest à patria potestate & ab ea exfiliari.

Secundò probatur ex ratione qua vtitur
8 † Bonifacius VIII. *cap. si Religiosus citat.* & Vrbanus II. *cap. statuimus* 19. *quæst.* 2. quia *arbitrium Religiosi professi non ex sua cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei suprà caput suũ posuit, & cuius imperio, se subiecit, voluntate dependet.* ergo Religiosus quãdiu manet subiectus, & filius Religionis nõ habet proprium velle, & proprium nolle, sed in vtroque pendet à voluntate eius cuius se subiecit imperio in professione solemni, à quo non est exemptus, ex vi præcisæ electionis, ante suum consensum & acceptationem, quæ iure naturali exigitur ad munus Pontificium exercendum, ergo vt istum præstet necessario exigitur influxus voluntarius Superioris, cui se subiecit, & *quem vice Dei super caput suum posuit.*

Huius argumenti emergiam & efficaciã
9 conantur euertere contrarij, quare † Sanch. & Suarez respondent *vbi suprà*, quod quum dicitur, quod Religiosus non habet consensum, est quædam iuris fictio, ex qua dimanat, quod cum Religiosus non sit sui iuris, sed sub alterius potestate, non secus ac pupillus, sicut iste fictione iuris dicitur non habere consensum nisi tutor, aut Pater, habet tamen, tam pupillus, quam Religiosus consensum & dissensum naturalem qui ex natura rei sufficit ad acceptandum Pontificatum, & aliàs cum hic consensus non sit irritus iure humano sicut respectu aliarum dignitatum extra Religionem, licitè Religiosus acceptat supremam Ecclesiæ prælationem, etiam sine consensu sui Prælati.

10 Verùm enim vero hæc solutio ex alta radice etsi infecta dimanat, quasi solemnitas votorum Religioni essentialium, non sit iure diuino ex vi cuius, & non ex fictione iuris humani Religiosus solemniter professus est sub patria potestate Religionis & sub illius seruitute, ipsiusque filius iure diuino, vnde suum velle, & nolle cum sit religiosum, non potest non pendere à voluntate eius, cui se solemniter subiecit, & nomine Dei super caput suum posuit, huic enim totaliter se supposuit, vt eius imperio in omnibus annuerit & nihil faceret contra & sine eius voluntate tacita, vel expressa hoc enim exigit totalis ista subiectio, quare quãdiu ab ea non est exemptus eam in omnibus suis actibus requirere, nec potest acceptare tuta conscientia aliquid iuris, vel actionis intra, vel extra Religionẽ sine voluntate eius, cui se, vt seruus, & filius quoad iura seruitutis, & filiationis subiecit, est enim religiosus ex vi status religiosi acquisiti per tria solẽnia vota iure diuino subiectus, & eius arbitrium iure etiam diuino subordinatum arbitrio & voluntati superioris, causa autem subordinata in his actionibus in quibus subordinatur, vt lumine naturæ notum est imò magis influit in effectum causa subordinãs, quam subordinata, quod in moralibus & in physicis certum est, vnde consensus naturalis religiosi solemniter professi, non sat est, vt acceptetur Summus Pontificatus, sed debet esse, vt licita sit acceptatio consensus Religiosus, qui talis non est sine consensu Prælati.

Quare egregiè Villadiego *de origine & præstant. Cardinal. quæst.* 5. *num.* 33. habetur *tom.* 3. *tract. part.* 2. quod † ante consensum 11
tacitum, aut expressum Prælati Regularis Religiosus electus non acquirit aliquod ius in re in Summum Pontificatum. Ratio est perspicua ex dictis, quia non acquiritur ius in re ante acceptationem, & consensum electi, atqui consensus naturalis, & non Religiosus non sufficit, quia iure diuino arbitriũ Religiosi solemniter professi est subiectum, & subordinatum arbitiro sui superioris, quãdiu non est exemptus ab eius subiectione & dominio, quare nequit acquirere ius in re ad Summum Pontificatum, non secus, ac seruus nequit acquirere ius ad dignitatem, vel hæreditatem quandiu manet sub seruitute, & in hoc se fundarunt, Glossa *citata.* & Bonifacius *ibidem.* & Clementina *final. num.* 30. & 31. dum asserunt, quod † si Re- 12
ligiosus acceptet Summum Pontificium absque licentia requisita, tenetur ad monasterium redire in conscientia & monasterio restituere, quod suum est, ad quod ipsius conscientia tanquam iudex sui compellit iuxta illud Pauli. 1. *ad Corinth.* 10. *numer.* 29. *quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia.* Sicut tenetur aliis facere iustitiam; quia iure diuino nequiuit sine licentia acquirere ius ad Pontificatum. Vnde tenetur ad postliminium reuertere.

Verum

13 Verum est quod † electores facta electione possunt cogere nomine totius Ecclesiæ quam in hoc actu repræsentãt dominio, & potestate alta qua fulgent Prælatum, vt licentiam largiatur, & consensum præstet requisitum, cum iniuste contra bonum commune videant denegare, sicut si domus mea necessaria est ad defensionem ciuitatis, & nolim eam dare possum cogi, vt illam dem, & à me inuito auferri, ad hoc autem requiritur quod sit simpliciter necessaria, quia consensus ad bonum commune, altior est, quam ad bonum particulare, quod *diffic.* 4. luculentius enodabo.

14 Tertiò probatur quia † non acceptatio summi Pontificatus est obiectum honestum quod quis potest non acceptare, sicut, & resignare vt de facto aliquando resignatus est vt constat in Cœlestino V. *cap.* 1. *de renunciat. in* 6. ergo vt accepter tanquam Religiosus, & maiori securitate indiget sui Prælati consensu, antecedens probatur quia, etsi Summus Pontificatus sit status perfectissimus omnium qui sunt instituti à Christo Domino in Ecclesia, supponit tamen, non confert perfectionem per se loquendo, cum tamen illam requirat ne illum multis, & grauissimis periculis se exponat, & ideo quandiu homo potest sine peccato illum recusare melius facit illum recusando, quam acceptando saltem moraliter, & vt in plurimum. Etenim non acceptare in ordine ad propriam salutem est securius, & quoad propriam æstimationem sui ipsius est humilius, & à propria præsumptione maxime distans, ergo ex his capitibus hoc melius est magis quam cõsentaneũ perfectioni. Aliunde autem sufficienter prospicit quis vtilitati aliorum, si paratus est illud onus accipere, quando vel charitas vel obedientia obliga-
15 uerit, ergo &c. † quæ omnia fere sunt verba Suarez *tom.* 4. *de Religio. lib* 7. *cap.* 8. *num.* 14. agens de non acceptando Episcopatu, quæ ratio ob egregia motiua in ea posita multo magis vrget in Episcopatu Romano, cui annexus est summus Pontificatus, cuius honor & altitudo dignitatis, oneraque ipsa, quæ humeris suis imponit longe maiora sunt, quam cuiuscunque alterius hominis quantuncunque fulgeat altissima dignitate, quæ semper limitatum respicit terminum, at summus Põtifex nullum in terris terminum agnoscit, sed eius iurisdictio totum ambitum mundi continet, & gubernat, quantum ad animarum salutem, vnde eius acceptatio multo oculatior, & attentior debet esse, & per consequens eius renuntiatio humilior, securior magis distans à præsumptione, hæc autem omnia media sunt ad perfectionem acquirendam, ergo sunt obiecta honesta talis obedientiæ, quam quis solemniter est professus, ergo sine consensu Prælati acceptari nequit.

Vnde minus bene Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 10. *cit. n.* 10. dixit quod dum quis se totaliter donauit Religioni, intelligitur in- 16
clusa conditio, nisi sit assumpturus meliorẽ, & altiorem statum præsertim pertinentem, ad totius Ecclesiæ bonum, qualis est summus Pontificatus. Hoc inquam minus bene dictum est, quia hoc gratis dictum est, hoc enim ipso quod quis se totaliter donauit religioni huic totali donationi solũ repugnat, quod non potest cum ea compati, attento bono communi Ecclesiæ, ad quod quis est obligatus, vel ex iustitia legali, vel ex charitate, quod in præsenti non contingit, vt quis- 17
que iudicabit, quod si contingat etiamsi quis sit ex voto solemni adstrictus illo non obligatur, quia est maior obligatio tuendi, & conseruandi bonum commune. Secundò, quia etsi sit iste status perfectior, at est periculosior, & illius renuntiatio propriæ saluti securior, & respectu propriæ æstimationis humilior, & maxime distans à præsumptione, ergo horum mediorum honestas continetur in totali donatione facta Religioni sine cuius consensu nequit quis, ex vi voti solemnis ea subterfugere.

Neque etiam placet, quod ibidem dicit 2.
quod † per summum Pontificatum non sub- 18
trahitur quis Religioni, sed altiori modo illi coniuncta manet tanquam illius caput, & Supremus Gubernator, vnde manet intra & supra Religionem. Hoc aliquando mihi arridebat, dum hanc quæstionem in scholis disputabam, sed modo nullatenus arridet, quia etsi iure diuino summus Pontifex sit religionum primus gubernator, & Rector, & illarum supremum caput, cui ex vi voti solemnis obedientiæ tenemur obedire, tamen est dignitas extra Religionem, & ab illius subiectione, & filiatione eximitur, & à patria illius potestate, quam habebat in illum, acqui-
ritque ius extra Religionem cuius accepta- 19
tio debet fieri, prius, & antequam fiat vniuersalis Religionum Rector, & Gubernator, ergo pro illo priori eius arbitrium subordinatum est voluntati eius, cui se subiecit, & quem vice Dei super caput suum posuit, quare ipse nequit esse vice Deus in terris, nisi ille quem ex vi professionis vice Deum constituit, & cui suam subordinauit voluntatem, consentiat.

DIFFICVLT. III.

Vtrum Superior Regularis possit cogere sibi subditum, illi imponens formale obedientiæ præceptum, vt dignitatem extra Religionem acceptet, & sic exfilietur?

SVMMA

SVMMARIVM.

1. *An possit esse Religio approbata à sede Apostolica in qua emittatur votum obedientiæ, vel expressum verbis, vel implicitum.*
2. *Votum de non acceptando Episcopatum sine præcepto formali Superioris Regularis, an non sit de materia licita & honesta, & num.3.*
4. *In Summo Pontifice residet potestas præcipiendi, vt quis acceptet Episcopatum.*
5. *Multorum Doctorum opiniones adducuntur, & n.10.24.*
6. *An si in Religione fiat speciale votum, siue solemne, siue simplex accipiendi Episcopatum, si Summus Pont. id præcipiat ex vi huius voti Regularis teneatur obedire Sum. Pontifex tanquam Superiori Regulari.*
7. *Cardinalis de Lugo sensus affertur, & num.13.*
8. *Ratio difficultatis triplicitèr venit enodanda.*
9. *Prælatus Regularis etiam generalis nequit ex vi præcepti obedientiæ imponere præceptum sibi subditis, vt Episcopatum acceptent, aut dignitatem extra Religionem.*
11. *Ante Bullam Gregorij XI. an Scholares Societ. validè etsi non licitè poterant contrahere matrimonium.*
12. *An non possit obedientia debita Prælato Societatis extendi ad præcipiendum consensum, quo subditus redderetur inhabilis, vt maneret sub obedientia & filiatione Societatis.*
14. *An ante acceptationem Episcopus electus & confirmatus à Sum. Pont. sit indifferens, vt sit subditus, vel non.*
15. *An Religiosus solemniter professus nequeat esse Episcopus nisi prælatus regularis consentiat in sui electionem.*
16. *An dum subdito præcipitur à Superiore, quod acceptet Episcopatum per se non præcipiat.*
17. *Papa nequit cum Religioso dispensare, vt nulli prælato teneantur obedire in his quæ ad perfectionem vitæ pertinent, ex S. Thom.*
18. *An hoc sit per accidens, quod Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non teneantur.*
19. *S. Doctoris mens adducitur, & num. 20. 21. & 22. 32. & 42. Necnon S. Bernardi, & num.23.*
25. *Quantum in acceptando Episcopatu onus suscipiatur, & n.26.*
27. *An Prælatus regularis possit obligare præcepto declaratiuo, quod quis teneatur acceptare Episcopatum ex obligatione charitatis.*
28. *Quid ad inordinationem voluntatis pertineat.*
29. *An accipere Episcopatum non sit necessarium ad salutem.*
30. *Superior cuius imperio subditur quis ex voto obedientiæ, potest præcipere accipere Episcopatum, quem accipere de se non erat necessarium ad salutem, si autem necessarium ex superioris præcepto ex S. Doctor.*
31. *Quid nomine superioris, & Prælati intelligat S. Thomas.*
33. *S. Petri mens affertur.*
34. *An aliquando sit obligatio sub mortali accipiendi Episcopatum.*
35. *An ex obligatione charitatis teneatur quid ad acceptandum Episcopatum ipso iure diuino.*
36. *Authoris iudicium affertur, & numero 43.*
37. *An Prælatus regularis ex vi obedientiæ quam solemniter subditus vouit non possit præcipere, vt mortaliter non peccet transgrediendo præcepta iuris diuini, naturalis, & Ecclesiastici. & n.38.*
39. *D. Augustini iudicium adducitur.*
40. *Quid veniat aduertendum.*
41. *Greg. sensus affertur. necnon Vrbani VIII. & n.44.*
45. *An præceptum, vt quis possit obligari ad acceptandum Episcopatum, nullus alius possit imponere superior nisi Sum. Pont. & num.46.*

HÆc grauissima difficultas, vt refert Cardinalis de Lugo *in Responsis Moralibus l.3. dub.4. num.1.* valde fuit controuersa Romæ *ann.*1643. & vtramque partem defendẽtes fuerunt Theologi docti. Vt autem meum in ea aperiam sensum iuxta D. Tho. doctrinam, duo tanquam certa in omnium rectè sentientium opinione ponenda sunt, quare primam difficultatis partem in hac difficultate, secundam in sequenti diligenti calamo discurram.

Primum, † posse esse Religionem approbatam à sede Apostolica, in qua emittatur votum obedientiæ, vel expressum verbis, vel implicitum iuxta constitutiones approbatas, quod quis acceptet Episcopatum sibi oblatum, absque ambitiosis diligentiis quæsitum, si superior Regularis præceptum iniunxerit acceptandi, siue votum hoc sit solemne, siue simplex. Hoc suppositum, ita mihi certum est, vt mirer, vel leuiter contrarium insinuasse Eminentiss. Cardinalem de Lugo *vbi suprà num.*12. Ratio est perspicua, quia votum de non acceptando Episcopatum sine præcepto formali superioris Regularis est de materia licita & honesta, hoc enim negari non potest, votum enim solemne multæ Religiones emittunt non admittendi dignitates extra Religionem, nisi coactus quis sit obedientiæ præcepto Summi Pontificis, quo præcepto coactus & ipse Lugo dignitatem Cardinalitiam accepit ab Vrbano VIII. vt ipse refert, *dub.5. num.7.* id, quod dicit de Cardinali Bellarmino & aliis aliarum Religionum, ergo si quis emittat votum non admittẽdi dignitatem Ecclesiasticam extra Religionem nisi id sibi præcipiatur à Superiori Regulari iuxta suas constitutiones, quæ cõfirmatæ sunt à sede Apostolica in quibus est statutum, quod quis faciat hoc votum non acceptandi Episcopatum nisi ex præcepto Superioris Regularis, ex vi cuius voti sicut cæteræ constitutiones determinant materiam obedientiæ, & non solùm virtutis Religionis, ita & acceptatio Episcopatus est materia specialis obedientiæ, sicut quis, qui fecit votum simplex, siue solemne non acceptandi nisi coactus obedientia Summi Pontificis acceptat Episcopatum illum acceptat ex vi voti obedientiæ debitæ Summo Pontifici, & non solum quatenus illi est commissa totius Catholici gregis cura. Neque iste qui ex vi præcepti formalis impositi à suo Superiore Regulari acceptat Episcopatum & dignitatem aliquã extra Religionem est putandus ab Ordine egredi, si quantum in ipso est semper appetat, in sinu ordinis confoueri, vt ait S. Bonauent. *super Regulam, cap.2. circa medium.* Vnde hanc suppositionem tenet Suarez *tom.3. de Religione libr.10. cap.10. num.5.* agens de voto transeundi ad Religionem strictiorem.

Secundum, *quòd* † *in Summo Pontifice residet potestas præcipiendi, vt quis acceptet Episcopatum, quæ potestas illi inest iure diuino, quatenus Ecclesia debet habere in se potestatem necessariam ad sui conseruationem, & gubernationem ad quam necessaria est potestas cogendi aliquando ad hæc munera acceptanda, sicut potestas secularis, aut ciuilis propter bonum publicum potest cogere ciues ad munera publica obeunda, leg. si Magistratum C. de Decur. l.11. & toto tit. de excusat. de muner. eodem libr.11. Quod multo magis in Republica Ecclesiastica necessarium, in qua qui meliores, & aptiores sunt ad prælaturas Ecclesiasticas magis eas effugient, & dignitates abhorrebunt prout fecerunt plures Sanctissimi viri, quorum alij eas omnino refutarunt, alij non nisi coacti acceperunt, debet igitur esse potestas in Ecclesia ad eos obligandos, ne careat pastoribus & prælatis.* hactenus † Lugo *dub.5. cit. num.6.* quæ exstillauit ex S. Thom. *2.2. quæst* 185. *art.2.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.2. num.*49. Lessio *lib.2. cap.*41. *num.*76. Miranda *in Manuali tom.2. qu.*23. *art.*31. Suarez *tom.3. de Relig. lib.*10. *cap.*10. Lezana *tom.1. cap.4. n.*18. qui bene addunt, quod dum Religiosus huius præceptũ exequitur non est, ex vi præcepti obedientiæ solemnis, quod emisit in professione, hoc enim, vt ait D. Thom. solum obligat ad obseruandam vitam regularem, vt mox dicam verba S. Doctoris adducens, sed est ex vi subiectionis ad Summum Ecclesiæ gubernatorem, qui ex iurisdictione sibi data à Christo Ecclesiæ institutore, & fundatore, id potest præcipere, tanquam caput cui tenentur membra obedire.

Cæterùm † si in Religione fiat speciale votum, siue solemne, siue simplex accipiẽdi Episcopatum, si Summus Pontifex id præcipiat ex vi huius voti Regularis tenetur obedire Pontifici tanquam Superiori Regulari, adeo quod si Pontifex non haberet potestatem iurisdictionis, ex iure diuino, quã modo explicuimus, ex vi huius voti specialis teneretur obedire ex vi cuius Pontifex acquirit nouam potestatem, ad præcipiendum taliter, quod non obediens, non solùm peccaret contra Religionis virtutem, sed contra obedientiam, sicut Pontifex iuxta communem sententiam ex vi voti obedientiæ emissi in professione cõmunis nequit præcipere, vt quis vadat ad remotissimas regiones, ad disseminandum Euangelium, at si Religio aliqua speciale votum habeat quo se obliget ad huiusmodi missiones, si Papa præcipiat, tenetur ex vi huius voti specialis obedientiæ obedire, aliàs votum esset vanum & nullius obligationis, vt benè † adnotat Card. de Lugo *vbi modo n.*5. ergo si dum quis vouit in professione acceptandi Episcopatum, si Sum. Pont. præcipiat, ex vi huius voti nouã potestatem accepit Pont. ad præcipiendum, & non solum præcipiet ex vi iurisdictionis, quam habet, vt supremum Ecclesiæ caput cui competit gubernatio, & conseruatio Ecclesiæ, si enim solum posset præcipere, vt caput vniuersale cum huic teneamur obedire iure diuino, votum speciale, quod emittimus non induceret specialem obligationem intra lineam obediẽtiæ, quod est omnino absurdum, nec esset materia voti obedientiæ regularis accipere Episcopatum, quod tuto dici nequit, etsi enim Pont. iudicet, quòd ego non sim necessarius ad gubernandam aliquam Ecclesiam, cum sint alij æquè digni, potest tamen ob alias rationes bene sibi visas, mihi præcipere, vt acceptem, & ex vi huius voti quarti emissi in professione mea, teneor obedire, & peccabo contra specialem obedientiam, quam promisi.

His igitur positis † difficultas proposita tripliciter potest intelligi, an Prælatus Regularis maximè Generalis, qui totius Religionis clauum tenet, illiúsque bonum vniuersale respicit, possit via ordinaria ponere præceptum

ex vi ſtatus matrimonij fit inhabilis ad ſtatum Religioſum, ſi ſit conſummatum, ſiue ſit ratum etiam opponitur Religioſitati, quam profitentur Scholares, ita vt quandiu manet in illa nequit Generalis etiam ob grauiſſimas cauſas diſpenſare, vt aliquis Scholaris licitè contrahat matrimonium, quia diſpenſare in voto caſtitatis etiam ſimplici ſoli Summo Pontifici eſt reſeruatum: poteſt quidem Generalis illum dimittere à Societate, & conſtituere ex vi dimiſſionis in ſæculo omnino abſolutum à voto caſtitatis: tamen manendo in Societate, nequit illi præcipere, quod contrahat matrimonium, etiam ratum: quia ſine diſpenſatione, id contrahere eſt intrinſecè malum.

22 Quare dicere, quod Prælatus Regularis ſolum poteſt præcipere, id quod intra Religionem debet exequi ſi dicatur de eo quod immediatè præcipitur, ſcilicet acceptationem verum eſt, quia hoc exequitur à ſubdito, tamen ſi dicatur, quod nequit præcipere acceptationem alicuius dignitatis cuius exercitia ſunt extra Religionem, eſt petitio principij cuius quærimus rationem efficacem.

Ratio enim, quæ mihi efficax videtur, & à priori eſt, quæ deſumitur ex Axiomate D.Bernardi, & S.Thom. quod, *ſupra* adduxi,

23 *quia* (inquit Bernardus) † *lib. de præcepto, & diſpenſatione; votum meum non adaugeat Prælatus ſine mea voluntate, nec minuat, ſine certa neceſſitate.* & D.Thom. dicit hoc axioma quaſi enucleans, quod *Religioſi per votum obedientiæ in his quæ pertinet ad religioſam vitam alterius imperio ſubduntur.* Etenim validè augetur votum obedientiæ, ſi ex vi illius Superior præcipiat opus quale eſt acceptatio Epiſcopatus, ita excellens, & arduum ſi prout oportet debet exerceri, vt nihil difficilius, aut maioris excellétiæ ſit in hac vita, id quod latè explicant Patres agentes de hac in Eccleſia dignitate, qua quantum ad curam, & obligationem nihil excellentius, & ſublimius, poſſit eſſe. Excellit enim Principum, & Imperatorum dignitatem, ita †

24 Chryſoſt. *hom.5. in Iſaiam*, Ignatius *epiſt. ad Smirnenſ.* Ambroſ. *lib. de dignit. Sacerd. cap.3. & 6.* Dionyſius *cap.7. de Eccleſiaſt. Hierarch.* Nazianz. *orat.1. de fuga ſua*, Gregor. Magn. *lib.7. epiſt.123.* Auguſt. *epiſt.148. ad Valerium.* vbi dicit cæterum omnes ſequens, *Nihil difficilius, laborioſius, & periculoſius eſſe Epiſcopi officio.* Vnde egregiè Bernardus poſt multa alicubi dicit: *Neque enim adeo deſperatus, & perditus erit animus qui ſi maieſtatem, & amplitudinem earum rerum ſecum diligentius conſiderauerit & expenderit, qui non concidat, qui ſe dare præcipitem velit qui ſententiam futuri iudicis quam veluti manu ſua ſubſcribit non exhorreſcat.* Hæc Bernard.

Videat ergo vnuſquiſque quantum † in 25
hoc acceptando, onus ſuſcipiat, quantumque votum obedientiæ regularis adaugeat Superior, dum præcipit acceptare. Legendus omnino Bernard. *epiſt. 24. ad Epiſcopum Londonenſ. & epiſt.8. ad Brunonem.* Eſt enim officium quod ſolis gigantibus, qui etiam ſub aquis gemunt curarum proprium, quare nihil magis timendum, ne ſit ſal infatuatum, & lucerna ſub modio quando tenetur ex voto ſolemni, & populos condire, & eos exemplo & doctrina illuſtrare, & tanquam bonus Paſtor ponere in periculis animam ſuam pro ouibus ſuis, & ad hæc quis tam idoneus? vt obligari poſſit ex vi voti regularis obedientiæ, vt acceptet: cum purgatum debeat eſſe calculo ignito, vt ait Gregorius *in Paſtorali.* quia tamen ait D.Thom. *quodlibet.5. art.22.* valdè difficilis eſt purgatum ſe quemlibet poſſe agnoſcere prælationis officium tutius declinatur. 26 Neque enim Prælato Regulari, niſi id quod intra Religionem opus eſt prouidere, quare poteſt præcipere, vt prælationes intra Religionem, quis accipiat, de his enim quæ foris ſunt non eſt illi cura, aut iuriſdictionem habet, vt ſuo ſubdito præcipiat immediatè prælaturam extra Religionem accipere, iuriſdictio enim extenditur ad præcipiendum, id quod ad Religioſam vitam attinet immediatè, in ordine ad quam eius imperio ſubditur.

Exiſtimo ſecundo, quod † Prælatus regu- 27
laris (quis ille ſit conſulendæ ſunt vniuſcuiuſque ordinis conſtitutiones) poteſt obligare præcepto declaratiuo, quod quis tenetur acceptare Epiſcopatum ex obligatione charitatis, & ſic ſubditus tenetur obedire illi ex vi voti obedientiæ Regularis. Hoc aſſertum dubio procul fuit plurium Antiquorum, & expreſſum à D.Thom. *2.2. quæſt.185. art.2.* in quo duo dicit primum, quod ſecundum propriam voluntatem conuenit homini ex diſpoſitione alterius dirigi, vt dictum eſt, *art.1. ad 3.* *Quare* † *ad inordinationem vo-* 28
luntatis pertinet, quod aliquis omnino contra Superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuſet, propter duo. Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum quorum vtilitati ſe aliquis debet exponere pro loco & tempore, vnde Auguſt. *lib.19. de ciuit. cap.19.* dicit, *Quod negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Secundo, quia hoc repugnat humilitati per quam aliquis Superiorum mandatis ſe ſubiicit.* Vnde Greg. dicit *in Paſtor. p.1. cap.8.* *Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas cum ad reſpuendũ hoc quod vtiliter ſubire præcipitur pertinax non eſt.* Vnde *in ſolut. ad 3.*
† dicit, *Quod accipere Episcopatum non eſt ne-* 29
ceſſarium ad ſalutem, ſed fit neceſſarium ex Superioris præcepto: & ſubdit; *qui autem votum emittit de nouo ſuſcipiendo Episcopatum,*

ſi per hoc intendat ſe obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris prælati accipiat illicitè vouet. Si autem intendit ad hoc ſe obligare, vt quantum eſt de ſe Episcopatum non quærat, nec ſuſcipiat niſi imminente neceſſitate licitum eſt votum ſe facturum, id quod homo facere debet. hæc D.Thom. quibus doctrinam corporis manifeſtè enucleat vide-

30 licet, *quod* † *Superior cuius imperio ſubditur quis ex voto obedientiæ poteſt præcipere accipere Epiſcopatum quem accipere de ſe non erat neceſſarium ad ſalutem, fit autem neceſſarium ex Superioris præcepto*, atqui hoc præceptum non eſt inductiuum obligationis ad accipiendum Epiſcopatum immediatè, vt vidimus aſſerto primo. Ergo eſt declaratiuum obligationis, quam aliàs, quis habet ex præcepto charitatis.

Sed reſpondent Cardinalis de Lugo, vbi ſuprà & alij ex Soto *lib.10. de Iuſtit. quæſt.2.*

31 *art.2.* quod † D.Tho. nomine Superioris & prælati intelligere ſolum Summum Pontificem, at toto cœlo errant, quia S.Doct dicit, *quod quis, vt Episcopatum acceptet ſe mandatis Superiorum ſubiicit*, at ſi loqueretur de ſolo Summo Pontifice illum exprimeret, vt exprimit quando de illo ſolum loquitur. Deinde manifeſtè hoc præcluditur effugium ex *ſolutio ad 2. eiuſdem art.* in quo clarè docet, quod Archiepiſcopus, poteſt præcipere, ſibi ſubdito, quod Episcopatum accipiat quis, niſi ligatus impedimento in quo ipſe Archiepiſcopus non poteſt diſpenſare, quia in tali caſu cum præcipiat illicitum, non tenetur ſubditus illi obedire, ſecus tamen ſi impedimentum poteſt auferre, quod ſi manifeſtum, auferat, tenetur humiliter obedire, & concludit in hæc verba. *Quandoque vero non poteſt auferri impedimentum, nec per iniungentem, nec per eum cui iniungitur, ſicut ſi Archiepiſcopus non poſſit in irregularitate diſpenſare, vnde ſubditus non tenetur ei obedire ad ſuſcipiendum Episcopatum, vel ſacros Ordines, ſi ſit irregularis.* Hactenus ibi: quare mihi videntur cæcutire in media luce qui dubitant de mente D.Th.

32 Idem ſentiunt cæteri Patres qui de hoc aſſumpto tractarunt Auguſt. *epiſt.81.* quem adducit S. Doctor *in argumento*, *ſed contra neque otium veſtrum* (inquit) *neceſſitatis Eccleſiæ præponatis cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent quomodo naſceremini non enim inueniretis, & lib.32. contra Fauſtum cap.* 10. dicit, *in opprobrium haberi ab Eccleſia eum qui electus ab Eccleſia miniſterium Euangelizandi*, (quod ſolius Episcopi proprium eſt,) *renuit & qui curam lucrandorum refugit aliorum, & lib.19.* vbi agens de Episcopo, poſtquam eius Ethymon induxit, concludit dicens, *otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis, quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ, vacandum eſt, veritati. ſi autem imponitur ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem, ſed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deferenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas & opprimatur iuſta neceſſitas.* Gregorius *lib.6. epiſt.5. Cynaco Episcopo relatus, cap. in ſcripturis 8. qu.1. ſi is qui valet omnipotentis Dei, oues, renuit, paſcere, oſtendit ſe Paſtorem ſuum minime amare.* & Clemens Papa, *epiſt.1.* refert, quod ſibi reſiſtenti eligi in Epiſcopum, dixit † S.Petrus, *ſi periculum pec-* 33
cati timens ſuſcipere refugis Eccleſiæ gubernacula certus eſto, quod amplius peccas qui populum Dei veluti in fluctibus poſitum & periclitando cum iuuare poſſis, ſubterfugis tui tantummodo habens conſiderationem, & non quod in communi omnibus expedit prouidens. Vnde Innocentius III. *cap. licet de Regularibus, ſicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præfertur.*

Ex quibus omnibus tale formo, argu- 34
mentum ex Patrum ſententiis † aliquando eſt obligatio ſub mortali accipiendi Episcopatum, id quod ex illis deducunt, Gloſſa *c. in ſcripturis verb. minime.* Sylueſt. *verb. Epiſcopus, num.4. q.3.* ibi, *eſt autem mortale hoc recuſare cum quis probabiliter credit ſe idoneum, vel saltem dubitat & ad ſuſcipiendum aſtringitur præcepto Superioris, quia in dubiis tenetur ſubditus obedire, & idem videtur ſi non adſtringatur præcepto, ſed conſilio, & probabiliter credat, quod per alium æque bene prouideri non poteſt, quia eſt cõtra fraternam charitatem* hoc ibi, quod latius confirmaſſe dicit *in Roſa aurea Domin.17. poſt Trinitatem.* Vnde Pater Suarez *tom.3. de Relig. lib.10. cap.10. n.19. certum eſt* † *ex obligatione charitatis poſſe aliquem* 35
teneri ipſo iure diuino ad acceptandum Episcopatum, quia lex charitatis obligat ad procurandum commune bonum, præſertim ſpirituali prætermiſſo quocunque priuato commodo illi repugnante, quia iuxta ordinem charitatis publica vtilitas priuata præferenda eſt, vt ad hoc propoſitum, dixit Innocentius III. cap. licet de Regul. & hoc ad minimum probant, ea quæ ex Patribus diximus. Vnde ſi Pontifex præcipiat quaſi declaratiuo præcepto declarans nimirum eſſe caſum eminentis neceſſitatis, tunc omnino obligari niſi omnino euidenter conſtaret non eſſe veram talem neceſſitatem & Pontificem ex falſa informatione, vel informatione id facere, quod vix poteſt in tali materia contingere in omni alio caſu etiam dubio ſtandum eſt iudicio & declaratio Pont. nam hoc ad minimum debitum eſt ius poteſtati & authoritati. hæc ferè ex Suar.

Ex quibus, † ego deſumo ea quæ præſen- 36
ti inſtituto deſeruiunt, nam omnino falſum puto & moraliter impoſſibile, quod ſi Pontifex declarat mihi incumbere ex obligatione charitatis accipere Episcopatum, hæc præ-

ſumptio, aut informatio falſa ſit, cum id declaret tãquam ſupremus legiſlator, cui competit declarare obligationem iuris diuini in qua declaratione iuridica ſi poſſet errare multis & grauibus inconuenientibus aperitur oſtium, quare nunquam eſt concedendum, quod poſſit eſſe euidentia de contrario ei, cui nititur Pontifex in declaratione iuris diuini in ordine ad bonum commune, & maxime ſpirituale Eccleſiæ, ſed in omni dubio ſtandum eſt eius declarationi tanquam de cœlo miſſæ & inſpiratæ.

Igitur his poſitis modo ſic argumentor,
37 Prælatus Regularis ex vi obedientiæ, quam ſolemniter ſubditus vouit, non poteſt præcipere, vt mortaliter non peccet tranſgrediendo præcepta iuris diuini, naturalis, & Eccleſiaſtici, de hoc nullus poteſt dubitare, quia poteſt præcipere; vt obſeruet Regulam, quam eſt profeſſus, atqui Regula non ſolùm continet opera ſupererogationis, ſed etiam ex aliis præceptis diuinis & humanis obligatoria, quia vt ait vterque Thom. 2.2. *quæſt.* 186. *art.* 9. in Regula quacunque approbata à Summo Pontifice, cum ſit medium ad conſequendam perfectionem continentur omnes actus virtutum, & per conſequens omnia præcepta naturalia, & diuina, quæ de illis dantur. Vnde ſi Prælatus Regularis præcipiat alicui, quod occidat inimicum ſuum, & peccabit contra legem naturalem de non occidendo, & contra obedientiæ præceptum ſibi impoſitum, ex quo fit, quod ſi Prælatus Regularis probabiliter iudicet aliquem ſubditum ſuum, cui oblatus eſt Epiſcopatus ligari præcepto charitatis ad illud acceptandum, & illi imponat præceptum declaratiuum talis obligationis, tenetur illi obedire ſicut in omnibus aliis præceptis impoſitis iuxta probabilem opinionem Superioris, cui ſubditus tenetur ſub mortali ſe conformare, vt eſt hodie indubitata ſententia vt late dixi *tom.* 2. *Moral. tract.* 5. Etenim præceptum Superioris declarantis ſubditum eſſe obligatum ſub mortali ad aliquid faciendum, vel omittendum ſemper eſt iuſtum, & illi obtemperandum.

38 In hac doctrina veriſſima ſe fundarunt duo illi doctiſſimi, & Sanctiſſimi viri Frater Bartholomæus *de Martyribus*, vt acceptaret Epiſcopatum Bracarenſem, & S. Thom. de Villanueua Archiepiſcopatum Valentinum nolentes has prælationes, & dignitates acceptare niſi ſub formali præcepto illis acceptatio iniungeretur à ſuis Prouincialibus, præcepto inquam declaratiuo, quod erant ex præcepto charitatis & propter bonum ſpirituale ouium illarum Diœceſum obligati, illiſque imponebatur noua obligatio obedientiæ, ad exequendum charitatis præceptum, quod ſi non exequerentur duplici peccato inficiebantur, & contra charitatem, cuius præcepto obligari declarabant, & quod præcepto obedientiæ declaratorio non obtẽperabant, quod multi ſancti viri, vt ex hiſtoriis conſtat expectarunt, quod ſecuri & excluſo dubio de ſua idoneitate acceptarunt imperati, vt acceptarent, & præceptum non quidem Summi Pontificis, ſed ſui Prouincialis, aut Generalis, aut Abbatis ſui, iuxta vniuſcuiuſque Religionis diſpoſitionem. Vnde † Auguſt. *epiſt.* 104. *ad Donatum.* vt oſtendat rectè hominem cogi, ad id 39
quo neceſſarium eſt ad ſalutem, adducit exemplum. *Sicut multi, vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, ac tanta patiuntur, quæ nolunt donec adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Vnde *epiſt.* 148. *ad Valerianum.* dicit, *ſic fuiſſe vim illatam ad accipiendum Epiſcopatum*, quod ego melius intelligo de vi præcepti ſibi impoſiti à ſuo Superiore, quia ſi fuit moralis dumtaxat coactio inducebat obligationem charitatis, & ſic, vt ille ſatisfacere potuit obligari ex præcepto Superioris.

Cæterùm † aduertendum eſt diſcrimen, 40
quod benè vidit Suarez *vbi ſuprà cap.* 10. *cit. num.* 20. quod etiam extra caſum prædictæ neceſſitatis & obligationis ex charitate poteſt Pontifex præceptum imponere, quod Religioſus acceptet Epiſcopatum. Ratio eſt, quia Pontifex habet ſupremam poteſtatem ligandi, & ſecundum eam habet omnem poteſtatem conuenientem ad regendam Eccleſiam, vt enim ait D. Thom. *in* 4. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 4. *ad* 4. aliàs periret Eccleſiaſticus ordo, niſi enim aliquis poſſit cogi ad ſuſcipiendum regimen Eccleſiæ, Eccleſia conſeruari non poſſet, cum quandoque illi, qui ſunt idonei hoc nolint ſuſcipere niſi coacti. Vnde Pontifex poteſtatem coactiuam ad prouidendum Eccleſiæ de paſtoribus neceſſariis, & ſic poteſt obligare vnumquemque tam Religioſum, quã ſæcularem, vt acceptet munus Epiſcopi, quoties iudicauerint ad commune Eccleſiæ bonum, etiamſi non vrgeat grauiſſima neceſſitas, ſed poſſit reſultare magna vtilitas, ſiue in temporalibus, ſiue ſpiritualibus. Vnde † Gregorius *lib.* 1. *Paſtoral. cap.* 6. de hoc 41
ipſo tractans, dicit. *Tunc humilitas ante Dei oculos vera eſt quam ad reſpiciendum hoc, quod vtiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt.* Aſt Regularis Prælatus cum ſolum poteſt præcipere præcepto declaratorio de obligatione charitatis, ſi iſta obligatio non ſubſiſtit in ſubdito nequit declaratoriè præcipere prælatus, quod accipiat Epiſcopatum, at ſi ſubditus eſt dubius ſi accedat Superioris præceptum ex probabili iudicio ortum, tenetur ſubditus obedire præcepto huic declaratorio,

declaratorio, & iudicare ſibi ineſſe obligationem ex charitate acceptandi Epiſcopatum.

42 Vnde hoc ſecundum aſſertum verum tenet etiamſi quis in profeſſione voto ſolemni, aut ſimplici voueat non acceptaturus extra Religionem prælationẽ aliquam, vel dignitatem niſi coactus præcepto eius qui ipſũ ſub mortali præcipere poteſt, quia votum hoc, vt aſſerebat D. Th. *art. illo* 2. *ad* 3. licitum eſt ex conditione imbibita niſi imminente neceſſitate, atqui Superior Regularis iure communi poteſt declarare ſubdito, quod in hac Diœceſi in ſpeciali, eſt imminens neceſſitas ſuæ perſonæ, quam probabilitatem concipit ex vrgentibus motiuis. Ergo tunc cum non obliget votum tenebitur iſte ſubditus obedire ſuo Superiori præcipienti, vt acceptet, hoc eſt contra Card. de Lug. *in dubio illo* 4. *cit.*

43 Exiſtimo tertiùm † Religioſus præfato voto adſtrictus, etiamſi tranſeat ad aliam Religionem in qua tale votum non emittitur adſtringitur illo, & præceptum huius Religionis impoſitum etiam à Generali, vt acceptet Epiſcopatum illi non obligat, etiam ſi ſit declaratorium obligationis ex præcepto charitatis. Hoc tertium aſſertum eſt indubitatum propter ſpecialem Bullam,
44 quam † circa hoc punctum edidit Vrbanus VIII. *ann.* 1643. *die* 20. *Februar. Pontificatus ſui an.* 20. in quo duo determinat. Primùm quod qui in ſua prima Religione votum edidit non acceptandi extra Religionem prælationẽ aliquam niſi coactus præcepto eius qui poteſt præcipere, ſi etiam de legitima licentia transferat ad aliam Religionem in qua tale votum, ſiue ſolemne, ſiue ſimplex non emittatur, manet obligatus præfato voto emiſſo in priori. Secundùm, quod † præ-
45 ceptum iſtud, vt quis poſſit obligari ad acceptandum Epiſcopatum nullus alius ſuperior poteſt imponere; niſi ſolus ipſe Pontifex priuatiuè ad omnes alios etiam legatum à latere, capitulũ generale. Vnde hoc præceptum imponere ſibi & ſucceſſoribus eius reſeruauit, prout latè videbit quiſque in Bulla quam ad finem huius tomi integram dabo. Vnde nos clerici minores, quoad ſecundum non ligamur, quia in voto ſolemni de non acceptando extra Religionem explicamus, quod niſi coacti obedientia Summi Pontificis non acceptabimus; quare comprehendimur, quoad primum, ſiquidem etiam tranſlati ad aliam Religionem ſumus obligati præfato voto, etiamſi non ſolemne, ſed ſimplex eſſet, ſi tamen aliqua Religio votum faciant eius alumni, aut iuramentum de non ambiendo dignitatem aliquam intra Religionem, de hoc nihil dicit Sum-
46 mus Pontifex & videtur votum, aut iuramentum præfatum ſolùm ligare in præfata Religione non verò in alia, ad quam de legitima licentia talis Religioſus transfertur, ſed in hoc me ſubmitto Eccleſiæ iudicio. Nam ratio Pontificia etiam hoc votum videtur comprehendere, nam iſti retro aſpiciunt, & immemores ſunt voti à ſe emiſſi, ſiquidem in alia Religione tranſlati & conſtituti intra illam procurant dignitates & officia regularia, quæ vt non procurarunt voto ſe ligarunt. Niſi dicamus, quod huiuſmodi materia eſt ſolum prælatura intra hanc regionem in quã quis emiſit votum, quare ablata materia ceſſat votum, quod reuiuiſceret ſi ad eam Religionem rediret, at materia voti non ambiendi extra Religionem, prælationes ſemper manet quocumque ſe transferat Religioſus, & ſic ſemper manet obligatus voto.

DIFFICVLT. IV.

Vtrùm Epiſcopus Regularis exſilietur à Religione ſua?

SVMMARIVM.

1. *An Religioſus factus Epiſcopus, ſiue voluntariè, ſiue coactus, non amittat filiationem ſubſtantialem, quam acquiſiuit ex vi profeſſionis.*
2. *S. Thomæ mens propalatur, necnon D. Caietani, & n.* 3.
4. *Profeſſus Societatis factus Epiſcopus tenetur voto ſolemni obediendi Pontifici, ex Suarez.*
5. *Nemo poteſt Eccleſiaſticis obſequiis deſeruire, & in Monachica regula ordinatè perſiſtere, ex S. Greg.*
6. *Religioſus factus Epiſcopus tenetur ex ſpeciali vinculo Religionis obedire Summo Pontifici, ex Suarez, & n.* 7.
8. *An Epiſcopus Regularis non indigeat diſpenſatione ad comedendas carnes prohibitas per præceptum Regulæ.*
9. *An Epiſcopum Regularem Canonica electio à iugo Regulæ monaſticæ profeſſionis abſoluat.*
10. *Iugum monaſticæ Regulæ & iugum Eccleſiaſticæ dignitatis, an ſint oppoſita.*
11. *An ſtatus Religionis comparetur ad ſtatum Epiſcopalem.*
12. *Leges & conſtitutiones Regulares duobus modis ſunt conſiderandæ, & n.* 13.
14. *An non conſtitutiones Regulares quæ incompoſsibiles non ſunt cum ſtatu Epiſcopali; rationem legis & vim obligatoriam amittant.*
15. *D. Caietani iudicium adducitur, & n.* 16. *&* 21.
17. *Epiſcopus factus & aſſumptus ex Religioſa communitate tenetur debito morali non legali,*

legali, ad obseruantiam Regulæ, secundum ea quæ non opponuntur statui Episcopali, ex ipso Caiet. & n.18.

19. *An si quis Cardinalis Regularis fiat Summus Pontifex nullo debito legali, sed solum duntaxat morali teneatur ad Regularem obseruantiam.*

20. *An Religiosus factus Episcopus teneatur sub mortali non ad concedendum carnes feria 6. Natalis Domini.*

22. *Vndenam constet Episcopum Regularem verè & propriè & formaliter manere filium Religionis.*

23. *Sixti IV. mens adducitur. & n.24.*

25. *Quid de Episcopis titularibus veniat dicendum.*

26. *Religiosus factus Episcopus, siue Cardinales, siue Abbas extra Religionem, etsi maneat illius verus & formalis filius, an ex vi dignitatis liberetur à patria potestate.*

1 EX dictis infertur, quod † Religiosus factus Episcopus siue volũtariè acceptet, siue coactus præcepto non amittit filiationem substantialem, quam acquisiuit ex vi professionis cum maneat triplici voto solemni ligatus, & quoad omne statutũ regulæ, quod incompossibile est cum dignitate Episcopali. Audiatur D.Caiet. cuius authoritas mihi sufficit satis conformis D. Thom.

2 2.2. *quæst.* 185. *art.* 8. vbi asserit S.Doctor † *Si quæ sunt in Regularibus obseruantiis, quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi ad hæc remanet religiosus factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, quod est obligationis signum:* in quæ verba sic Eminentiss. Caietan. *ibi*, §. *ad euidentiam, sicut ergo Religiosus factus Episcopus reuiuiscit, quodam modo ad vitam ciuilem, dum*

3 *iugo Monasticæ Regulæ absolutus adire potest hæreditatem, vt patet* 18. *quæst.* 1. *cap. statutum, ita depressione actuum spectantium ad priorem statum absolutus videtur, vt absolutio à iugo monasticæ regulæ dicta in Canone non sit quasi fructra dicta, sed aliquid speretur vltra exemptionem ab incompossibilibus ad quæ omnino constabat, vtpote incompossibilia Episcopum non teneri. Ab impedientibus verò in casu non absolui videtur Episcopus ipso iure, sed in casu tamen si quæ sunt talia. Videntur tamen hæc esse illa de quibus in littera dicitur, quod possunt Episcopi secum dispensare, sicut Prælati Religionum, & hæc sunt abstinentia à carnibus, & ieiunia, & huiusmodi ad quæ constat Episcopum manere obligatum, vtpote fouentia perfectionem vitæ: & ideo Religiosus, cui secundum regularia instituta inhibetur esus carnium factus non potest feria 6. in die Natalis Domini vesci carnibus, sed peccat moraliter hoc faciendo: beneficium Canonis concedentis esum carnium in Natali Domini non comprehendit ipsum, quia excipit eos qui regulari obseruantia, non sunt adstricti ad abstinentiam à carnibus.*

Ex quibus liquet, quam bene Summi Pontifices Paulus V. Gregor. XV. & Vrbanus VIII. vt refert Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. c.* 10. noluerunt etiam ad petitionem Principum, cum aliquibus Religiosis ex ordine Minimorum ad Episcopatum adsumptis in quarto voto vitæ quadragesimalis dispensare, quo adstringi huiusmodi Episcopos mihi indubium est, iuxta principia Diuus Thom & Eminentissimi Caietani cum votum hoc valde cõducat ad perfectionis custodiam, quod etiam sequitur Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 17. *num.* 8. qui addit, quod † Professus Societatis factus Episcopus 4
tenetur voto solemni obediendi Pontifici circa missiones ad quascumque remotissimas nationes, & barbaras gentes, qui si solum sit Episcopus titularis tenetur obedire, quia nullum habet impedimentum iuris diuini. Si tamen habeat Diocesim & oues circa quarum originem tenetur iure diuino residere, non est ita clarum quod dicit, teneri, huiusmodi voto cuius materia scilicet adeundi in Barbaras gentes est incompossibilis, cum iure diuino de residentia personali Episcoporum: in qua nec Summus Põtifex potest dispensare, nisi ex grauissima causa, quæ non videtur, ita clarè constare, in hoc quod aliquis Episcopus vadat in terram longinquam, dimissis ouibus propriis: præterquam quod materia, quæ vt sit honesta requirit dispẽsationem non videtur materia voti, cum autem, vt iste professus Societatis obediat Pontifici mandanti ire ad missiones inter Barbaros, non possit obedire impeditus iure diuino de residentia personali non videtur quod materia voti præfati subsistat, nisi Pontifex absolutè dispenset in præfato iure diuino, quod quidem mihi valde difficile videtur, vel nisi ipsum transferat ad Episcopatum illarum Prouinciarum in quibus contigit non esse aliquem Episcopatum nisi de nouo exigatur. Quare in huiusmodi præcepto imponendo magna opus est consultatione & prudentia.

Rursus quamuis Religiosus solemniter professus eximatur, & absoluatur à iugo regulæ Monasticæ professionis, *cap. statutum citat.* & D.Gregor. citatus, *cap.* 2. 16. *quæst.* 1. dicens. † *Nemo potest Ecclesiasticis obsequiis* 5
deseruire, & in Monachica regula ordinatè persistere, vt ipse Monasterius districtiorem teneat qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Ex quibus constat quod religiosus factus Episcopus est omnino exemptus ab obedientia, cuiuscunque Prælati Regularis intra Religionem, non tamen est exemptus,

exemptus, & absolutus ab obedientia Summi Pontificis cui obedientiam promisit in professione solemni, vnde ex vi voti solemnis obedientiæ solemnis semper tenetur illi obedire, vt Superiori Regulari extra Religionem existenti, & non solum quatenus est ouis Christi cuius ouilis Summus Pontifex est Pastor, & Rector, cum enim in communi, & indubitata sententia Regularis solemniter professus factus Episcopus manet sicut essentialiter professus ita essentialiter Religiosus à quo nec ipse Summus Pontifex potest absoluere, quare nec ab obedientia regulari debita ipsi Summo Pontifici.

Ex quo colligit, & bene Pater Suarez

6 *num.* 4. *Quod † Religiosus factus Episcopus tenetur ex speciali vinculo Religionis obedire Sũmo Pontifici, quia Pontifex est vere Prælatus religionis, & semper manet illi Superior, & obedientia ad illum non repugnat, imo maximè congruit cũ statu Episcopali. Aduertere tamen oportet, quod sicut votum obedientiæ religiosæ non est illimitatum, sed secundum regulam, ita Episcopus regularis non tenetur ex vi sui voti obedire in omnibus Summo Pontifici, sed in his tantum, quæ directe vel indirecte ad suam regulam pertinent, quia votum obedientiæ mutatum non est in se, sed tantum vsus eius, quoad respectum ad hunc vel illum prælatum. Fieri tamen potest vt supposito statu Episcopali aliquid indirecte pertineat ad obseruantiam regulæ in tali persona, quod in aliis, non pertinet sicut intra eandem Religionem in eo, qui habet munus Prælati, Procuratoru vel aliud simile, aliquid pertinere potest ad obseruantiam regulæ, quod in aliis non habentibus tale munus non*

7 *pertinet, & hac ratione existimo quidquid in tali persona potest esse moraliter necessarium supposito tali statu ad spiritualem animæ salutem vel ad perfectionem secundum regulam esse materiam huius obligationis, si ex vi illius voti præcipiatur, quia indirecte, & reductiue sub illo continetur.* Hactenus vir Prudentissimus.

Ex qua doctrina quæ mihi certa est, & verbis Suarez induxi non video quam conquenter eodem *cap.* 17. *num.* 15. dixerit, *quod Religiosus factus Episcopus non tenetur sub aliqua culpa veniali aut mortali ad aliquam obseruantiam aliquarũ legum, & suarum constitutionum obligantium ad culpam, sed omnino manere liberum ab omnibus legibus etiam obligantibus ad culpam suæ Religionis, cuius obseruantiam professus est in solemni professione*, vnde

8 ait *num.* 18. *Quod † Episcopus Regularis non indiget dispensatione ad comedendas carnes prohibitas per præceptum regulæ, quum autem* D.Thom. dicit, *Posse secum dispensare ex causa, sicut Prælatus regularis cum se ipso loquitur de dispensatione in lato significato, vel secutus est oppositam opinionem quæ probabilis est, licet ea quam ipse sequitur in rigore iuris vera sit.*

Verum enim vero hæc sententia Suarez omnino est falsa, quam ipse solus est meditatus contra omnem antiquitatem, & iura canonica, quæ solum dicunt, *quod † Episco-* 9
pum Regularem canonica electio à iugo Regulæ monasticæ professionis absoluit. Iugum hoc expressit Gregorius Magnus supra citatus, *per districtionem Monasterij*, hoc est obseruantiam Regulæ iuxta districtionem, & dispositionem Prælati Regularis, cuius dat rationem, *quia nemo potest, & Ecclesiasticis præceptis deseruire, & in Monachica regula ordinate persistere, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.* Vnde † iugum mo- 10
nasticæ Regulæ, & iugum Ecclesiasticæ dignitatis sunt opposita, & vnum ex natura rei excludit aliud, attamen regula Monastica, & exercitia Episcopalia non sunt incompossibilia, sed compati recte possunt, vnde votum quod quis iuxta regulam viuẽdi, & obediendi, solum deficit in illis, quæ incompossibilia sunt cum statu, & exercitio Episcopali, ea autem quæ compossibilia sunt eodem modo permanent sub obligatione voti in statu Episcopali, ac in statu religioso, vnde status religiosus, & status Episcopalis non sunt omnino oppositi. *Sed † status* 11
Religionis (ait D.Thom. *art.* 8. *cit.*) *comparatur ad statum Episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem, dispositio autem non tollitur perfectione aduenienie nisi forte quantum ad id in quo perfectioni repugnat, quantum autem ad id in quo perfectioni congruit magis confirmatur, sicut discipulo cum ad magisterium peruenerit non congruit, quod sit auditor, congruit tamen quod legat, & meditetur magis quam antea.* Ergo leges quæ in statu religioso obligabant, obligant etiam in statu Episcopali, quis enim dicet quod leges quæ communes sunt statui discipuli, & statui Magistri, quod desinant esse leges, & amittant obligationem suam, quum quis de discipulo factus est Magister, sicut qui factus est Episcopus nõ amittit obligationem obediendi Regi, quam habebat ante statum Episcopalem in his quæ non opponuntur libertati, & immunitati Ecclesiasticæ, quam tenetur Episcopus defendere etiam contra Imperialem dignitatem.

Vnde † leges & constitutiones regulares 12
duobus modis considerandæ sunt: Primò, quatenus sunt media ad aquirendam perfectionem, quam acquirere intendit, quis dum tria vota solemnia in professione emittit, & sic leges, & constitutiones regulares ligant quemcunque, qui manet ligatus tribus votis præfatis, quibus constituitur essentialiter, & substantialiter Religiosus, & huius Religionis filius, quia perfectionem acquirere curat per hæc media sibi à regula consti-

tuta alias non maneret huius Religionis v. g. S. Francisci, aut S. Dominici formaliter Religiosus, secundo possunt considerari
13 quatenus hæ constitutiones vitam monasticam, & regularem ordinate intra Monasterij districtionem, & ad executionem mãdantur mediis Prælatis Regularibus, & sub isto respectu non manent leges, nec vim obligatoriam habent respectu Episcopi Regularis, qui canonica electione à iugo monasticæ professionis absoluitur, & districtione monasterij eximitur, non enim potest ordinate monasticam vitam opere complere occupatus in negotiis Ecclesiæ suæ, & ouium suarum instructione.

14 Non tamen † ex hoc constitutiones regulares quæ incompossibiles non sunt cum statu Episcopali rationem legis, & vim obligatoriam amittunt, sed vere obligant Episcopum in conscientia sicut antea, non quatenus habent vim à Religione ipsa àqua formaliter eximitur quatenus est communitas sub prælato regulari, sed quatenus confirmantur à Pontifice, qui est Summus Superior, & legislator regularis, in cuius virtute capitula regularia possunt leges condere, pro communitate, quæ alio modo consideratur respectu Prælati Regularis intra Religionem hic enim solum respicit subditos intra districtionem monasterij contentos, alio modo respectu Summi Pontificis, qui respicit omnes illos, qui tribus votis solemnibus obligati sunt, in hac religione, cuius constitutiones obligant, & sunt proprie leges, quia latæ pro communitate prout respicitur à supremo legislatore, à cuius obedientia regulari non absoluitur Episcopus Regularis, vt videbamus ex ipso Suarez, sicut si Pontifex absolueret aliquem Religiosum ab obediendo alicui Prælato suæ Religionis etiam Generali, & sibi immediate subiiceret gubernandum, quis dicet, quod tunc leges, & constitutiones obligantes sub culpa mortali talem Religiosum immediate subditum soli Pontifici, priuatiue quoad omnes alios, non haberent vim legis obligantis, quod autem hic facit exemptio Pontificia, facit in Episcopo Regulari, electio canonica, quibus bene consideratis euanescunt omnia quæ in contrarium adducit Suarez.

15 Hæc est ipsissima mens † D. Caiet. & aliorum Thomistarum, qui in re tam graui nullatenus discedunt à manifesta sententia S. D. solum enim dicunt, quod constitutiones Regulares quatenus respiciunt communitatem regularem, cuius caput est Superior regularis intra Religionem, qui districte, & ordinate iuxta ordinis exigentiam potest præcipere vt obseruentur, non obligant Episcopum Regularem, nec vt sic sunt proprie leges habentes vim coactiuam respectu illius, bene tamen quatenus respiciunt Summum Pastorem Regularem, qui iuxta illas potest præcipere Episcopo Regulari si non opponantur, & sint incompossibiles dignitati Episcopali, quare si alias obligant sub mortali, ex vi regulæ confirmatæ à Papa, si Episcopus ipse secum non dispenset sicut potest secum etiam ex causa dispensare prælatus Regularis dubio procul peccabit non 16
obseruando talem legem, non tamen incurret aliquam censuram, quia vt ista incurratur ab Episcopo, sicut, & suspensio debet fieri de Episcopi mandato, præterquam, quod istæ sunt pœnæ latæ contra Religiosos manentes sub iugo monasticæ, & Religiosæ Regulæ, in districto monasterij, sub quo, vt vidimus, nõ manet Episcopus Regularis.

Hinc patet, quam profundè loquatur D. Caiet. *tom.1.opusc.tract.25. quæst.2.* vbi explicat, id quod dixerat *2.2. qu.185. art.8. cit.* 17
dicit enim, quod Episcopus factus & assumptus ex Religiosa communitate tenetur debito morali non legali ad obseruantiam regulæ, secundum ea quæ opponuntur statui Episcopali. Loquitur enim de debito legali, quatenus leges & constitutiones respiciunt communitatem sub vno prælato intra Religionem constituto, iste enim nequit sub pœnis cogere hunc factum Episcopum respectu cuius non manent leges habentes vim coactiuam, quam solum exercent respectu illorum qui sunt sub iugo religiosæ regulæ, quatenus dirigitur & gubernatur à Prælato regulari; manent tamen absolutæ leges, quarum vim directiuam conseruant respectu Episcopi regularis, & cum sint confirmatæ à Papa cui tanquam altiori Superiori Regulari tenetur ex vi voti Regularis obedientiæ obedire respectu Pontificis retinent vim coactiuam: quia potest cogere Pontifex sub pœnis à se impositis, vt illas obseruent, quare Episcopus iste, & tenetur debito morali eas obseruare comparando eas ad Religiosam communitatem, cui tenetur se conformare, tanquam filius illius, & alumnus, cuius regulam solemniter est professus, non 18
secus ac Princeps patitur legem quam tulit, & debito morali tenetur eam obseruare; quia tenetur se conformare corpori ligato legibus, attamen comparando eas ad eandem communitatem, quatenus eius Rector & Superior altissimus est Summus Pontifex habent vim coactiuam, & illas obseruare tenetur ex debito legali, quod imbibit vim coactiuam respectu Summi Pontificis à cuius obedientia Regulari non est absolutus.

Vnde † si quis Cardinalis Regulari fiat 19
Summus Pontifex nullo debito legali, sed solum dumtaxat morali, tenetur ad regulares obseruantias, & constitutiones decentes ipsum, quia cum non agnoscat Superiorem legislatorem

legislatorem in terris non est, qui ipsum possit cogere ad illarum obseruantiam, quare solum tenetur debito morali, non legali, & quidem in omnibus aliis inferioribus Episcopis Summo Pontifici dicit D. Caiet. (Quem Schola Thomistica sequitur) quod tenentur debito morali ad obseruantiam constitutionũ sibi decentiũ, non legali; quia ex vi exemptionis à iugo Monasticæ Regulæ non exigitur maius debitum, Episcopus enim Romanus eximitur à iugo Regulæ, & ad illam non obligatur debito legali, sed morali, quare sermo eius, & D. Thom. formalissimus est, quamuis alij Episcopi inferiores Regulares, qui tenentur obedire, Summo Pontifici ex vi voti obedientiæ emissi in Religione teneantur ad constitutiones Regulares sibi decentes, debito legali, vt explicatum est.

20 Quare explicat D Caietan. seipsum, qui dixit *art.8. cit.* quod † Religiosus factus Episcopus tenetur sub mortali ad non comedendum carnes in feria 6. Natalis Domini, quia Honorius III. *cap. explicati. extra de obseruat. ieiunor.* excipit ab illo priuilegio eos, qui sub voto aut regulari obseruantia non tenentur, abstinendũ à carnibus ad: intelligitur enim de iis qui tenentur debito legali, non tamen de iis qui tenentur solum debito morali per se, vt sunt Episcopi sicut explicuimus, quare abstinere à carnibus feria 6. etiamsi sit præceptum in Regula, & regularis constitutio non est decens statui Episcoporum; cuius rationem satis pulchram dat, *in fine corporis, huius quæst. Quia conuenientissimum est, inquit D. Thom.* (verba sunt Card.) *3. p. quæst. 40. art. 3. Vt qui cum aliquibus conuersatur se eis in conuersatione conformet ita, quod in cibo, & potu conformiter se, sicut habeat. Constat enim Monachum Episcopum ad conuersandum cum Ecclesia sua, & speciuliter clericis translatum, & hoc præcipue locum habet in tanta solemnitate, in qua & sancti viri abstinentiæ detrahunt, decet enim tantam lætitiæ causam foris erumpere ad lætas mensas.* Vn-
21 de Caiet. † in exemplo mutauit sententiam non tamen in doctrina, sensit enim quod abstinentia à carnibus feria sexta natalis Domini non obligat Episcopum Regularẽ, qui non tenetur ad illam, nec debito morali, vtpote non decens Episcopo, obligationem datam, quæ ratio ita moraliter est efficax vt si frater Minimus transferat se legitime ad Carthusiam, aut aliam Religionem in qua non est votum de vita quadragesimali votum cessat, ex defectu materiæ, quia conuenientissimum est vt cibo, & potu se conformet iis, cum quibus ratione professionis solemnis tenetur conuersari, vt alibi à me explicatum est, & forsan si iste fiat Episcopus in die Natalis Domini contiuiit sol emni mensa eximitur ab obligatione voti de vita quadragesimali, quamuis dum priuatiue comedit, debeat illam obseruare, quod idem sentio de Monacho Carthusiano si Episcopus fiat, quidquid dicat Suarez *cap. 17. n. 19. in fine.* Constitutio enim Carthusiana à summo Pontifice confirmata semper manet in sua vi quatenus non est indecens dignitati Episcopali, quamuis extensiue non ità rigorose ipsum obliget, ac dum est intra districtionem Monasterij.

Constat ergo ex hoc capite † Episcopum 22
Regularem vere, & proprie, & formaliter manere filium Religionis, quod etiam constat, quia gaudet priuilegiis suæ Religionis ratione status religiosi, ex quorum vsu nullum grauamen sequitur corpori religionis gubernato ordinate à Prælato regulari, vt est communis certaque sententia, cum enim status religiosus formaliter maneat in Episcopo assumpto ab ordine, manent etiam respectu illius priuilegia, quia subsistente causa subsistit effectus, sicut ablata causa auferitur effectur, & cessante causa cessat effectus. Tiraquell. *tract. quod cessante causa* Decius *cap. cum accessissent de constit. num.* 15. Bernard. *cap. cessante de Appellat.* Sylvester *verb. priuileg. num.* 10. *quæst.* 10. *versic. quarto cessante*, causa autem finalis, & impulsiua plurium
priuilegiorum quæ Regularibus Summi Põ- 23
tifices concessere circa absolutionem à reseruatis commutationem votorum, & similium & indulgentiarum pro animæ propriæ salute, est ipse status Regularis, secundum; quod à sæculari distinguitur, prout Pontifex vult honorare Religionem propter seruitia exhibita Ecclesiæ propter specialem doctrinam, & sanctitatem quibus fulgent Regulares viri, vt in prohemio multorum priuilegiorum constat, hæc autem causa non cessat, etiamsi Religiosus fiat Episcopus, quare non cessat respectu illius indulgentia, & priuilegium. Quare † Sixtus IV. *concessio 365. inter monumenta ordinis Minorum*, dum
requirit consensum ordinis Minorum, & Præ- 24
dicatorum vt indulta concessa à S. Apostolica Beneficiariis Regularibus, vt habere vocem actiuam, & passiuam in Capitulis, Cameras habere in Monasteriis; & vt possint gaudere, vti, & frui priuilegiis; fauoribus, gratiis; & indultis præfatis ordinibus, & eorum professoribus concessis, duo requirit vt notat Suarez *cap. 18. lib. 3. cit. tom. 4. de Relig.* Primum, quod hoc non sit damnosum ipsi Religioni. Secundum, quod non sit sine consensu religionis, quæ duo requiruntur in illis, quæ ibi Pontifex exprimit scilicet habere vocem passiuam, & actiuam in Capitulis: Secundum in iis quæ ordinum dictorum sunt concernentia, idest ea quæ concernunt iugum, & distinctionem Religiosæ Regulæ,

&c

& communitatem sub Pastore Regulari; quæ extendit ad Episcopos tam Diœcesim habentes, quam ad Titulares, non tamen de aliis priuilegiis quæ ipsum statum Regularem secundum se recipiunt, vnde existi-
25 mo quod † Episcopi Titulares etiamsi de facto non fungantur functionibus Episcopalibus semel approbati possunt in virtute priuilegiorum sui ordinis absoluere à reseruatis, commutare vota, dispensare in impedimento petendi debitum, & alia quæ possunt Religiosi sui ordinis virtute suorum priuilegiorum sibi primo concessorum, vel per viam communicationis, dubitari ergo non debet quod Episcopus maneat formaliter suæ Religionis filius.

26 Verum est quod † Religiosus factus Episcopus, siue factus Cardinalis siue Abbas extra Religionem, etsi vt dixi maneat illius verus, & formalis filius tamen ex vi præfatæ dignitatis emancipatur, & liberatur à patria potestate, quam Superior Regularis exercebat, quæ emancipatio plenissimum robur administrandi bona Ecclesiæ, & de aliena potestate quasi à parentibus ex emancipatione liberatur, *leg. iubemus* 5. *C. de emancipat. liberorum*, vnde non Religioni, cuius est filius, sed Ecclesiæ cuius est sponsus, acquirit, & adit hæreditatem, vt latius alibi dixi, nec enim repetenda, quæ semel edocui.

Pium Monitorium ad Dominos Episcopos Regulares.

Ex quibus licet inferre quanta reuerentia, quanto amore Religiosus assumptus ex aliquo ordine debet ipsum amare, & vereri tanquam filius parentem suum à quo habuit spirituale esse virtutis, & doctrinæ quod magis attenditur vt fiat Episcopus quam nobilitas sanguinis, multi enim de plebe secundum carnem propter nobilitatem ex scientia, & virtute quã in ordine acquisiuit euectus est ad dignitatem Episcopalem, si à Religione habeat Episcopus Regularis motiua & causas vt dignitatem acquirat, quid recusat illi succurrere? cum Religioni debeat esse præcipuum quod habet, cur non magnificus in munificam matrem in cuius sinu fotus, cuius lacte pastus, cuius spiritu nutritus viuit? cur dignitate immemor efficitur tot beneficiorum? cur toruo aspicit supercilio eam, quæ tanto affectu ipsum aluit ab incunabilis.

—— *Quid est magis pium.*
Quam primum honorem, post Deum satoribus
Præbere, per quos nos quoque Deum cognoscimus?

ait Nazianzenus *in serm. de vita sua*, & quidem Religio altius semen seminauit virtutis, cuius fructus est vita æterna, quam parentes naturales qui semen plenum tribulis, & spinis ad mortem æternam destinans seminarunt.

Audi Illustrissime Episcope religiose, qui multo altiori debito es adstrictus religioni tuæ, quam filius patri suo naturali, huius obligationem ne refugias, illi rependere, quod teneris illi dare, & titulo filiationis, & societatis initæ, cum fratribus tuis quos veluti *seius* habes, etenim amor, & affectus, & beneficientia erga religionem matrem, in cuius vtero est quis gestatus non per nouem dumtaxat menses, sed per plura annorum lustra, voluntaria non est, non libertatis, sed necessitatis officium, non est libera affectio, sed naturalis, & quantumcunque crescat semper minor est, quam debetur, & crimen videtur incurrere parricidij qui cum religionem suam in dignitate positus toruo conspicit aspectu, & cum possit sine aliorum pauperum iniuria non præbet alimenta, & subministrat necessaria. *Aquilas enim fœtuum ministerium pascit, & beneficium parentum. quod implumis nati, quum ouorum tunicis exuũtur adepti sunt quadam districti æquitate restituunt, non putant volucres esse liberum accepta denegare, quale est ingenium, quod circa diligentiam suorum alites nescit imitari*, ait Ennodius *dictio.* 17. Hoc enim honestum piumque filio est parentum, & tam bene meritorum beneficia semper in recenti memoria habere.

Neque enim pauperum aliorum prætextu, quibus ex charitatis obligatione teneris succurrere, debitum aliud parentum extinguendum est, vtrumque enim præstari potest, seruare nimirum charitatis diuinum præceptum, & humanam beneficentiam in Religionem, neque enim virtutis opinione, & fucato zelo parentis cultus, & succursus negligendus est, neque etiam stulto obsequio amplectẽda est impietas. Vt enim bene Nazianzenus *orat.* 3. *quæst.* 1. *contra Iulian. Honor. & reuerentia erga Parentes Ethnicis ipsis præponitur*, hoc enim & ratio docet, & Theologia persuadet. Parentibus enim liberi non præstant alimenta, sed reddunt pro tot sumptibus, & alimentis acceptis, vnde illis tantum debetur affectus tãta veneratio, quod id quod impendent filij non est beneficium, sed debitum, & est crudele facinus si negetur à filiis, perduntque pulchritudinem, & sanctitatem iure naturæ parentibus exhibendam, hæc quidem obligatio adeo insita est naturæ humanæ antidorali exhibitione vt pietate careat, qui caret affectu in Religionem, vt illi succurrat in necessariis, ipsam honoret obsequiis, & omnibus aliis præferat, quod in æqualibus necessitatibus plus teneatur fauere, & fouere suæ Religioni quam aliis ex mendicantibus pauperibus, fratres enim sui, & pauperes sunt de solemnitate, & amplius sunt in Ecclesia operarij, & Episcopi coadiutores, & sic dignissimi mercede, & cibo suo, cur ergo non amandi? cur non colendi? cur non alendi? in altiori gradu, quam alij quantum substantia, & ingressus temporalis dignitatis sustinent, iuxta quos magna impenderunt beneficia suis ordinibus, à quibus assumpti fuere Summi Pontifices Eminentissimi Cardinales, Illustrissimi Episcopi, & Prælati, vt annales Regularium tam Monachalium, quam Mendicantium, & historiæ Ecclesiasticæ referunt, honorarunt enim, & illustrarunt temporalibus matrem quæ lacte suo spirituali alimentum præbuit, & temporali cibo vsque ad esse perfectum enutriuit, nec in hoc à sanctitate, bona opinione aut pauperum succursu defecere, hæc ex occasione dicta, plura dicenda alibi ex proposito contra ingratos.

DIFFICVLTAS V.

De filiatione qua quis adstringitur ex voto solemni aut simplici.

SVMMARIVM.

1. *Filiationis Religiosæ iura in quo fundentur.*
2. *Vndenam sit filiatio Religiosa ex voto connexa speciali, & n.* 3.
4. *An possit institui, & confirmari vera, & propria Religio militaris tribus votis essentialibus constans, quatenus ordinatur ad defensionem diuini cultus.*
5. *An filiatio voto non acceptandi dignitatem extra Religionem nisi coactus quis sit obedientia Summi Pontificis sine hac emancipari nequeat.*
6. *Quid sit votum quo adstringitur filiatio Religiosa.*
7. *An votum stabilitatis iuxta suam extensionem sibi adiungat filiationem cum iuribus suis.*
8. *Votum stabilitatis duo imbibit, & numero* 9.
10. *Quodnam dicatur obiectum voti stabilitatis, & n.* 12.
11. *An si quis Episcopatum accipiat sine consensu Superioris contra votum stabilitatis peccet.*
13. *Pelusiotæ sensus adducitur, necnon Basilij, & n.* 14.
15. *Quænam sit materia voti stabilitatis siue in Religione siue in Monasterio siue explicitum sit siue implicitum, enucleat S. Bernardus.*
16. *Bedæ opinio affertur, necnon Gregorij XV. in reformatione ordinis Præmonstratensis, & n.* 17. 18.

Filiationis Religiosæ iura † cum vt sæpe 1
dixi in professione, & Religiositate approbata à Sede Apostolica fundentur, & ratione huius Religio altum dominium, & patriam acquirat potestatem à qua religiosus professus nequit emancipari nisi dignitate Episcopali, vel simili, qua eximitur à iugo Monasticæ Regulæ, & conferatur à Summo Ecclesiæ Pastore, igitur etsi filiatio ista necessario dimanet posita professione, illique iura filiorum, non emancipatorum sint necessario connexa, tamen vltra hoc vinculum solemnium trium votorum potest superaddi aliud, quia expressius stricti sunt ex speciali voto solemni, vt mea religio, & aliquæ aliæ habent, aut simplici, vt habet religio Societatis Iesu à professis suis dutaxat emisso, non prætendendi, extra Religionem dignitatem, aut prælationem aliquam nec præbendi consensum in sui electionem eam acceptando, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, quo voto ita astringitur quis ad filiationem sub iugo monasticæ Regulæ vt nullatenus liceat procurari ab ea diuelli, sed intra Religionem iura filiationis seruare eiusque emancipationem nullatenus prætẽdere cuius voti honestatem, & vtilitatem, quæ ex illo Religionibus resultat, late ostendit Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 6. *num.* 6. nec est huius loci disquirere, sed vt certum, & indubitatum vtpote à S. Apostolica confirmatum, supponere.

Hæc igitur † filiatio ex voto connexa spe- 2
ciali, aut est respectu Religionis absolute, quia quis vouet non esse extra iugum Religiosæ disciplinæ, & Monasticæ districtionis, & hoc verum non est, quod quis maneat intra Religionem in qua primo professionem emisit, potest enim ex causa iusta ad aliam transferri, imo, etsi sine iusta causa transferatur non facit contra hoc quartum votum, quod est de non abiiciendo iugo Regulari, per assumptionem ad dignitatem extra Religionem non per assumptionem alterius habitus religiosi, facit tamen contra ius Religionis in qua professionem primo emisit, ex vi cuius religio acquisiuit patriam potestatẽ à qua emancipari nequit sine consensu eiusdem religionis, aut Summi Pontificis vtentis plenitudine potestatis, quod † intellige 3
nõ de religionibus Militaribus, harum enim religiosi, & filij, quia veri religiosi non sunt etsi sint veri Ecclesiastici, vt transitum ad aliam religionem Monasticam, aut mendicantem faciant, videntur habere tacitam licentiam suorum Prælatorum, neque de his equitibus militaribus intelliguntur Bullæ Pontificiæ, etiam Vrbana, præterquam quod

si

si loquamur de equitibus Maltensibus (& si qui sunt similes) hi enim verè, & propriè Religiosi sunt tria vota solemnia absoluta vouentes, sicut & monachales, & Canonici Regulares ac mendicantes, quare dubio procul, etsi sint militares nequeunt ad aliam Religionem, etiam strictiorem sine consensu, & licentia suorum Superiorum expressa iuxta formam Vrbanæ Bullæ (de qua late *tom.* 10. qui est Apologeticus contra ignominiam nouitatis, consultus respondi) etenim vt egregie vterque Thom. 2.2. *q.* 188. *art.* 3.

4 † potest institui, & confirmari vera, & propria religio militaris tribus votis essentialibus constans, quatenus ordinatur ad defensionem diuini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum quos altissimos fines in ordine ad quos tria vota essentialia absoluta nuncupant Religio S. Ioãnis Maltensis, quare quantum ad exfiliationem suæ religionis, & nouam acquirendam in alia etiam strictiori forma Vrbana in huiusmodi transitu obseruanda est, & sic respondi consultus *ann.* 1655. *die* 29. Iunij, & placuit aliis.

5 Igitur † filiatio alligata voto non acceptandi dignitatem extra Religionem nisi coactus quis sit obedientia Summi Pontificis, sine hac emancipari nequit, sed semper filius hic manet sub patria Religionis potestate, etsi non expellatur iuridice, aut extra religionem quidquid habet quidquid acquirit religionis est, cuius filius semper perseuerat voto obligatus, ab vberibus maternis non sese gregandi, nisi ob delictum aut apostasiam, neque enim apostata contra hoc votum facit nisi occultus dignitatem acceptet.

6 Aut † votum quo adstringitur filiatio religiosa est stabilitas in hoc conuentu, & obediendi Monasterij huius Abbati, & præposito, quod votum valde vsitatum fuit antiquitus in religionibus Monachalibus, vt ex earum formulis profitendi constare cuilibet potest de Cisterciensibus, & Præmonstratensibus, ex dictis in superioribus constat, quare etsi ob causam poterat Monachus de vno in aliud Monasterio mutari, at semper manebat stabilis filiatio eius conuentus in quo professionem primo emisit, solumque eximebatur ab obediẽtiæ iugo respectu Abbatis illius conuentus, cum fieret subditus alterius, & duobus Abbatibus non subordinatis subditus esse nequibat actu.

7 Verum enim vero quia † votum stabilitatis iuxta suam extensionem sibi adiungat filiationem cum iuribus suis, & si *supra Resolut*..... Multa de stabilitate sint enucleata, videndum restabat, quæ comprehendat stabilitatis votum in conuentu speciali, nam de stabilitate respectu Religionis, quid eius votum comprehendat, diximus: stabilitas enim, & perseuerantia in Religione, eo ipso tacitè vouetur, quo expressè, aut tacitè, quis emittit professionem solemnem tria vota duntaxat nuncupans, vt ait D. Th. 2.2. *quæst.* 186. *art.* 9. *ad* 1. vnde Turrecrem. *tract.* 127. *in Regul. Sanctam.* dixit per stabilitatem adstringitur Monachus, quod nullo modo deserat Monachatum, nec sine necessitate, & Superioris authoritate exeat Monasterium.

Vnde † votum stabilitatis duo imbibit: 8
Primum, in Religione, siue in Monasterio vsque ad mortem perseuerare. Secundum non excutere iugum Regulæ vtrumque explicuit S. Bernard. *epist.* 7. *cit.* *Sic te stabilem in loco exhibeas, vt Abbati subiici non contemnas, & sic obedias subiectus Abbati, vt stabilitatem loci non amittas*, id est, etiam aliò vadas ex Abbatis imperio semper filius perseuerat, aut Religionis, aut Monasterij, siue discedat causa ædificandi aliud Monasterium, siue causa studij, siue prædicandi Euangelij gentibus, aut aliis rationibus conuertendi hæreticos, hæc enim consuetudo valdè viguit inter Benedictinos sic posse, non obstante voto stabilitatis in Monasterio declararunt Põtifices, & in Cisterciensibus, etiam temporibus S. Bernard. narrat Cæsar. *in vita eiusdem lib.* 1. *cap.* 16. vnde S. Doctor *epist.* 7. Soluens argumentum quod obiicere 9
quis posset, illud sic proponit & soluit; *Sed quæres forsitan, inquirens mihi: quid ergo, tu de stabilitate tua facis, quam apud Cistercium firmasti, & nunc alibi habitas? Ad quod respondeo: ego quidem Cisterciensis Monachus, ibidem professus, ab Abbate meo, vbi nunc habito missus sum; sed missus in pace, missus iuxta consuetudinem, & communem institutionem.* Hactenus Bernard. Quare † obiectum voti 10
stabilitatis est perseuerantia in Monachatu & statu, ac filiatione perfecta religiosa, à qua nullus mancipatur sine consensu Superioris, *cap. si Religiosus. de elect. in* 6. aut obedientia Summi Pontificis si quis emancipetur dignitate extra Religionem acceptata.

Quare † si quis Episcopatum accipiat 11
(etiamsi non voueret non acceptare) sine consensu Superioris contra votum stabilitatis peccat, etsi propriè apostata, & fugitiuus non sit, non tamen peccaret contra votum istud, si ex licentia Abbatis, quam hodie ex prohibitione Apostolica nequit dare, vel de Summi Pontificis facultate, vel alio legitimo Superiore extra claustra Religionis degeret, vt tenent Panormit. & Innocent. *cap. ex rescript. num.* 3. *&* 5. *de iure iurand.* vbicunque enim fuerit Monachus dummodo sit in pace, & iuxta obedientiæ institutionem, & imperium semper fingitur esse in claustra, argum. *ex cap. insinuante, qui cleric. vel vouen. cap. cum illorum. de sent. ex comm.*

Quare

12 Quare † votum istud stabilitatis si explicitum, vt in pluribus Monachalibus, vel implicitum ex vi professionis, vt in omnibus Religionibus, quæ solemnem emittunt professionem introductum est à Sanctissimis illis primis Patriarchis Monachorum contra quosdam, qui religiosis votis adstricti gyrouagant vniuersum, & omnia Ordinis Monasteria, & tanquam circumcelliones, nullibi sedem figebant, nullique Abbati subdebantur, sed sub specie Religionis, & sub tegumento Religioso, veraces, & indomiti lupi circunlustrabant mundum, pinguiorem mensam, & feliciores calices magis quærentes, omni odoris ciborum vento circumacti, perpetua in stabilitate laborantes

13 † *vt ait Pellustota de quodam Philippo Monacho Gyrouago lib.* 1. *epist.* 4. *Circumeuntes Prouincias nusquam missos, nusquam fixos nusquam stantes, nusquam sedentes, ab omnibus petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis, & cum interea mali deprehensi sunt, sub generali nomine Monachorum vestrum propositũ blasphematur tam bonum, tam sanctum quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras sic per totam Affricam pullulare*, vt ait Augustinus *lib. de opera Monach. capite* 28. & Basil. *in constit. Monast. cap.* 9. de de istis circumcellionibus, & Gyrouagis Monachis quos excludit votum stabilita-

14 tis † sic fatur. *Illi enim deuitandi sunt qui instabiles identidem locum dematant, modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, & irrequieto acti impetu se in collustrandis assidue monasteriis occupant, & per simulationem spiritualis charitatis carnis libidinibus obsequuntur; quorum in animis nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conueniat ordinis, nihil denique prudentiæ inest aut grauitatis, contraque summa curiositas, morum peruersitas, leuitas, inconsiderantia, dolus, hypochrisis, mendacis, & veteratoriæ orationis plenissima ostentatio in his redundat*; & plura alia infamia illis iure accumula, de his gyrouagis Monachis, plura Synesius *epistol.* 67. Cardinalis Petrus Damiani *opusc.* 27. *cap.* 3. quos Synodus Constantinopol. 3. *can.* 42. aut in Monasterio manere ibique stabilitatem seruare, aut ex vrbibus expelli præcipit.

Hanc instabilitatem, & pernitiosam circumuagationem, & Monasteriorum ac Prouinciarum tortuosum, & incertum volatum ac peragrationem aspicientes Religionum Patriarchæ stabilitatem voto siue explicito siue implicito firmarunt, vt quieti, & stabiles Religiosi manerent in statione, & vocatione sua. Vn- 15
de egregie Bernard. † quæ sit materia voti stabilitatis siue in Religione siue in Monasterio siue explicitum sit, siue implicitum, his verbis enucleat, præscribit deinde stabilitatis pactum siue votum (quæ apud D. Melifluum idem sunt in præsenti vt supra vidi contra Caramuelem qui vt nouitatem insectaretur noluit legere) *omni deinceps remisso dissensui, contentioso discessui vago, & curioso discursui, totius denique inconstantiæ leuitati: non tamen iis quæ in professionis serie sequuntur, morum videlicet conuersationi, & obedientiæ quæ secundum regulam fit.* Per quæ verba assignat per negationem materiam voti stabilitatis, primo, quod non possit ad sæculum redire, & in illum descendere; secundò, quod discedat ad aliud monasterium etiam strictius sine consensu Abbatis, ex contrario enim multæ lites, & contentiones oriri solent, quas & ipse Bernard. est expertus, tertiò, quod vage, & curiose non circumeat alia eius congregationis Monasteria, vt bene viderunt alter Bernardus Cassinensis *p.* 1. *specul. cap.* 6. & Basilius *vbi supra cap.* 8. *illud cauendum est* (inquit) *ne quinis prætextu viuendorũ conueniendorumque fratrum crebro monasterio velimus egredi, quia artificio aduersarius noster vti solet ad disciplinæ stabilitatem, ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, peruertendumque, &c.* Vnde in Concilio Anglicano 1. vt refert venerabilis Beda † *lib.* 4. *Histor. Anglic. cap.* 5. *Prouisum est* 16
vt Monachi non migrarent de loco in locum hoc est de Monasterio in Monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt. Ex quo constat quod antiquitus Monachi in professione sua votum stabilitatis in hoc monasterio emittebant, siquidem promittebant obedientiam solemni voto huic Abbati, huius Monasterij, non tamen ita quod si ex causa transferretur ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, & instituti non maneret obligatus ad Regulam, quam professus est in hoc conuentu numero, seruare etenim votum stabilitatis in hoc conuentu, & obedientia promissa huic Abbati in particulari semper est subordinata Summo Pontifici, & Abbati Generali, cui subest Abbas huius Monasterij, quare tam Summus Pontifex, quam Abbas generalis potest hunc Religiosum ex causa ad alium conuentum transferre, & Summus Pontifex potest declarare, quod votum stabilitatis respectu huius conuentus in speciali non est votum essentiale, & solẽne respectu professionis etiã emissæ sub obedientia huius Abbatis in hoc conuentu.

17 Sic enim † fecit Gregor. X V. in quadam Bulla reformationis Ordinis Præmonstratensis, quam refert Rota in Decisionibus, quas ad finem huius tomi inferam. Præmonstratenses enim iuxta formam professionis suæ, quam emittebant secundum antiquum vigorem suum promittebant stabilitatem in illo conuentu, in quo fiebat professio non secus ac Moniales cum promittunt, in vno conuentu in quo sunt clausæ, & in quo post Concilium Tridentinum adstringuntur clausura, à qua egredi nisi ex causa iustissima de licentia sui ordinarij nequeunt, ita erat in Præmonstratensibus secundũ suum antiquum vigorem, & nihilominus præfatus Pontifex in Bulla præfatæ reformationis declarauit, quod votum stabilitatis, in hoc speciali conuentu factum à Præmõstratensibus, etiam seruata forma antiqui vigoris, intelligitur nisi aliter Abbas Generalis expediens indicauerit, hanc enim concionem etiam iuxta vigorem antiquum huius Ordinis votum præfatum continebat, quia eo ipso quod Generali promittatur obedientia ei subiicitur translatio de hoc conuentu in aliud, si expe-
18 dire videbitur. Quare Pontifex nihil antiquo vigori contrarium disposuit, sed declarauit, & explicuit, quod in illo erat imbibitum, quod valde est notandum pro intelligentia Decisionum Rotalium quas refert, & quas loco citato dabo ex Tamburino *de iure Abbatissarum*, *à decis.* 20.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum Conuersi laici, Donati, & Oblati sint vere filij Religionis, an Serui duntaxat veluti adscriptitij?

SVMMARIVM.

1. *Quot sint partes familiæ religiosæ.*
2. *An antiqui Monachi non ordinarentur sacris ordinibus, sed solummodo Monachismo essent contenti.*
3. *Caramuelis sensus adducitur.*
4. *Qui Monachi in priuilegiis, indulgentiis, & aliis filiationis iuribus nomine fratrum comprehendantur. & n. 5.*
6. *Diuersum genus personarum Regularium affertur. & n. 8.*
7. *Hastenij mens adducitur.*
9. *An Donatus vel oblatus sit verè Religiosus professus.*
10. *An conuersi magis adstringantur Monasterio, quàm Monachi; & numero 11.*
12. *Variorum Doctorum sensus adducuntur. & n. 13.*
14. *Quid ex præmissis veniat concludendum.*

QVot † sint partes familiæ Religiosæ 1
sicque gaudeant tam priuilegio canonis quam fori, nullusque nisi Superior cui saltem obediẽtiam promittunt de illorum excessibus possit cognoscere quantumcunque sint criminales est apud omnes indubitatum, vt bene Sylvester *verbo Ecclesia. 1. num. 6. quæst. 5.* vbi egregie de hac materia. Igitur Familiæ Religiosæ Monasticæ, demptis Monachis, Choristis, & Sacerdotibus, quæ partes sunt principaliores, & nobiliores, & veluti oculi corporis mystici, aliæ sunt minus principales, necessariæ tamen in Conuersatione Religioso-politica, & se habent veluti huius corporis pedes, atque huc illuc ad ministeria diriguntur, vnaquæque tamen harum partium communi deseruit corpori, & munus suum, quod ex professione accepit tenetur exequi, quid autem conueniat Monacho, quid laico Regulari egregie pro illis temporibus distribuit S. Isidorus *in Regula cap. 2.*

Igitur laici isti Regulares sic dicebantur, quia etsi Monachi essent destinati ad chorum, & contemplationem, quia cle- 2
rici non essent, etsi Monachatu gauderent iuxta antiquum morem Ecclesiæ, quod † Monachi non ordinabantur sacris ordinibus, sed solummodo Monachismo erant contenti, & solum contemplationi diuinorum, & laudibus diuinis in Choro intenti, tria substantialia vota emittentes iuxta quod intelligitur Concilium Gallicanum *ann.* 455. congregatum vbi dicitur. *Quod Monasterij omnis laica multitudo id est Monachorum non ordinatorum ad curam Abbatis pertineat; neque ex ea quidquam Episcopus vindicet, aut aliquem ex illa Clericum facere, nisi Abbate petente præsumat.* Alij tam in Monachalibus, quam in mendicantibus sunt conuersi vario professionis ritu diuersisque adstricta votorum obligationibus, quidam sunt qui solemniter tria substantialia vota emittunt, quidam, qui & si tria sint vota quibus ligantur, ac non solemnia, sed simplicia, de quibus † Caramuel *in Regula Sanctam, disput.* 36. *à num.* 406. vbi *num.* 408. agit de laicis Monachis quo, supra memini, & dicit *Surdos* vocari, aut *sinistros*, qui in habitu, & tonsura & chori exercitiis pares sunt aliis Monachis, cum hoc solo discrimine, quod non cantant in choro, quia *Surdi*, & sacris ordinibus nunquam initiantur.

Et

Et quidem certum debet esse huiusmodi laicos Monachos, vere, & perfecte si vota eorum solemnia sint esse filios suæ
4 Religionis, vnde † in priuilegiis, indulgentiis, & aliis filiationis iuribus, nomine *fratrum*, comprehenduntur, gaudentque plenissime immunitatibus, & concessionibus, & exemptionibus Monachis choristis Sacerdotio destinatis concessis, si tamen vota simplicia sint de illis eodem
5 modo est philosophandum, ac superius de aliis Religiosis qui similia vota emittunt est philosophatum. Igitur conuersi vulgo laici, & non destinati ad chorum, eandem omnino professionem solemnem faciunt, quare solum differunt, ex parte finis, quia in destinatis ad chorum finis est altior, scilicet vita contemplatiua, aut mixta exercitium scilicet Mariæ, aut etiam Marthæ, at finis laicorũ inferior est vita scilicet actiua, finis prior comparatur à Sancto Hyerotheo *doctr. 6. oculo*, finis posterior, *pedi*, qui fines, etsi diuersi filiationem perfectam religiosam constituunt, cum quilibet ad suum finem procurandum votis solemnibus, adstringatur.

6 Aliud est † personarum Regularium genus, quod *donatorum*, aut *oblatorum* dicicitur, istorum enim quidam habitum sæcularem dimittentes adsumunt regularem sub certa forma non deportantes coronam, imo ad ipsam nisi mutato habitu ex speciali, difficile tamen dispensatione Superiorum, præhabito nouitiatus anno, sunt inepti, alij non mutant sæcularem habitum, sed in honestiori, & ex viliori materia, sæculares tamen forma intra claustra officinis deseruientes, degunt, isti dumtaxat promittunt obedientiam, in ordine ad suum ministerium, votum autem castitatis, & paupertatis non emittunt, monentur tamen quod in virtute voti obedientiæ emittendi, iniungenda est illi perpetua continentia, & proprij
7 carentia. Quare optime † Hastenius *lib. 3. disquis. tract. 1. disquis. 8. in fine* ait, hi cum solummodo, votum simplex obedientiæ in manibus Prælati emittant, & ex vi voti non teneantur seruare castitatem, & paupertatem non sunt verè, & in rigore dicendi Religiosi, sed monasterij famuli Religiosi, adscriptitij tamen ex vi voti obedientiæ ex vi cuius adstricti sunt Religioni, velut glebæ, vnde non possunt se absentare sine licentia Superioris à Religione vel de domo in domum abire, nisi mittantur, possunt tamen dimitti ad sæculum absoluti ab obedientia, si tamen huic donato Superior iniungat in virtute Sanctæ obedientiæ ne vxorem duceret, Caramuel *vbi supra num.* 409. dicit posse, quod intelligo valide non tamen licite, hoc enim adfirmare intolerabile esset, facit enim contra præceptum Superioris, de materia quam illi potest prohibere, vt ministerium suum vt par est impleat. Refert tamen, & verè quod *anno* 1233. in Capitulo Generali Cistercij habitum fuisse decretum, nullum Donatum, aut familiarem admittendum fore, nisi se ad vota simplicia continentiæ voluerit obligare.

Alij Donati sunt, † qui habitu sæculari 8
retento interius scapulare deportant, & tria vota emittunt sub hac forma, quam Nauarrus *consil.* 50. *in meis. de Regular.* posuit: *Ego. N. me dono & offero in oblatum Monasterio Sancti Benedicti vouendo obedientiam, paupertatem, & castitatem tibi eius Abbati, & non tamen profiteor Regulam Ordinis, nec me obligo ad cæremonias, & obseruantias eius, idque facit non mutato habitu, nec accepto habitu Regulari excepto scapulari paruo in signum obligationis.* Hæc Nauarrus, qui, hæc, inquirit † an 9
iste donatus, vel oblatus sit vere Religiosus professus, & respondet negatiue, sed ea quæ adducit solum probant non esse Monachum professum, cum non profiteatur Regulam, aut cæremonias Regulæ, nec esse conuersum, quia iste mutat habitum, vt notat Panormitanus, *cap. vt priuilegia. de priuileg.* & *in cap. non est dubium de Regularibus*, Sylvester *verb. oblatus.* qui notat, iuxta ius Canonicum, & ciuile, quod † conuersi magis adstringun- 10
tur Monasterio, quam Monachi. Vnde nec etiam causa arctioris Religionis possunt transire ad alia Monasteria, quia efficiuntur quasi serui Monasterij Adscriptitij scilicet, de quibus toto ferè titulo, *de Agricolis & recensitis & colonis C. lib.* 11. quod intelligit si de licentia Superiorum non mutet habitum, vt bene idem Sylvester, qui addit ex Panormitan. quod ablatus, secundum mentem Panormitani, est, qui se & sua dedit Religioni profitendo tria vota, non assumpto habitu Religionis.

Vnde manifestè fit quod iste, de quo 11
loquitur Nauarrus, & se obtulit Religioni emittens tria vota, etsi non fuerit conuersus propriè aut Monachus, fuit tamen verè Religiosus solemniter professus, cum tria vota emiserit in manibus Abbatis, qui illum poterat Religioni approbatæ incorporare, quamuis enim non fuerit professus sub forma qua profitentur Monachi, aut conuersi, professus est sub for-

ma qua profitentur donati; isti enim nec ad Regulam Monachorum, & conuersorum, nec ad cæremonias obligantur, vere tamen ligantur tribus substantialibus votis, in quibus consistit essentia status Religiosi, & qui illa emittit in manibus Superioris legitimi verè, & substantialiter fit Religiosus si vota simplicia sint emissa in Religione id habente ex priuilegiis Apostolicis, si vero sunt solemnia ex natura rei, non enim ex habitu integra Religioso fit quis verè Religiosus, sed ex tribus votis, vt tradunt cum commu-
12 ni sententia † Panormitan. Felinus, Decius, & alij *in rubric. de Regularib. & cap. Sanctæ Mariæ. de constitut.* & in signum obligationis huiusmodi habitus, etsi occultus de permissione & concessione Ordinis, & constitutionum poterit deportari, huiusmodi enim scapulare videntur simile cruci, quam deportant Religiosi militares, qui similes videntur Religiosis oblatis facientes tria vota solemnia, & nullum alium habitum religiosum portant, nisi crucem in pectore, quare si Superior Abbas, iuxta constitutiones suas approbatas à Sede Apostolica potest hunc de quo loquimur vota solemnia admittere sub ea forma relata non dubito, quod sit verè & propriè Religiosus Professus.
13 Vnde in cōstitutionibus Benedictinis Vallisoletanis impressis Barcinonæ *ann.* 1575. Donati promittunt in professione sua tria essentialia vota, & iniungitur Patri Generali, vt à Pontifice petat diploma, quo Donatorum, & Familiarum vota declarentur solemnia, sic enim eorum stabilitati esset consultum, vt notat Hastenius, *vbi supra*, in aliis enim Benedictinis Congregationibus, de quibus est legendus Caramuel *vbi supra, disp.* 37.
14 Ex dictis constat † omnes oblatos, conuersos & laicos, qui tribus votis solemnibus professione nuncupatis verè & perfectè esse Religionis filios, dum in eius gremio foti & aliti sunt, & quidquid acquirunt Religioni, aut Monasterio acquirere, nec posse de aliquo sine iure disponere sine licentia potentis dare. Secus vero donati qui solum promittunt obedientiam, isti enim & testamentum condere, & donationes rerum suarum validè faciunt, etsi illicitè, quia impediuntur ex præcepto sibi imposito.

DIFFICVLTAS VII.

An filius Religionis, qui voto solemni se adstrinxit non acceptandi extra Religionem Episcopatum, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, hæc obedientia debeat esse sub formali præcepto.

SVMMARIVM.

1. *An Religionis filius qui voto Religionis se adstrinxit, non acceptandi Episcopatum extra Religionem, nisi Summi Pont. obedientia coactus, hæc obedientia debeat esse sub formali præcepto.*
2. *Difficultatis ratio adducitur.*
3. *Quid sit prætensio indirecta quæ voto non præcluditur sicut directa.*
4. *Authoris iudicium affertur, & n.* 5. 8. 9. *&* 10.
6. *Ambitionis diffinitio ex Bernardo.*
7. *Secunda obligationis pars in voto explicatur.*
11. *Quæ dignitas quocumque modo detur, sit ambitionis materia.*
12. *An acceptatio collationis, nominationis, & præsentationis facta clerico minori, & consensus in electionem Episcopatus in rigore iuris diuersa significent.*
13. *Perseuerantia, & ingressus an sint diuersa.*
14. *An sicut iuramentum in materia iuris recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas ipsum ipsum ius, recipit ita & votum.*
15. *An ex vi significationis propriæ huius nominis* electio, *an sit large interpretanda.*
16. *Vrbani VIII. sensus adducitur, & n.* 17. *&* 18. *&* 19.
20. *In quo voto per electionem intelligatur illa quæ fit à Pontifice, & simul sit confirmatio.*
21. *Variorum Authorum sensus adducuntur, & n.* 22.
23. *Quod votum murus & antematurale religionis tuendæ, & conseruandæ propugnaculum sit.*
24. *Vbinam electio idem sit quod assumptio ad dignitatem.*

HAnc difficultatem excito propter confratres meos sanctæ Matris Religionis filios, qui solemni voto adstringuntur, *non curaturos, aut prætensuros nec per se nec per alium extra Religionem Prælationem aliquam, vel dignitatem, nec consensuros in sui electionem, nisi cogantur obedientia Summi Pontificis*, an scilicet † hæc coactio 1]
fieri debeat præcepto formali obligāte an sufficiat quod Pontifex, qui votum meum agnoscit ad dignitatem præfatam eligat, aut nominationem factam à Patrono laico Rege videlicet, aut alio Principe absoluto confirmet?

confirmet? votum hoc honestissimum esse, & de re valde necessarium ad quietam, & pacificam Religiosamque vitam ducendam nulli Catholico dubium, satius enim, & sanctius est in matris gremio foueri, & eius auxiliis iuuari, quam extra diuagari inter pericula, quæ secum conducunt dignitates sæculi, quare in hoc non iudico immorandum, quia illi qui contra sentire iam sunt correcti à S. Apostolica, nec sine graui censura, & pœna contrarium edoceri potest.

2 Verum enim vero † enucleanda est huius sanctissimi voti materia, prout à nobis nuncupatur in professione solemni; non enim nimis clara, & difficultatibus expedita, in omnibus quæ in voto exprimuntur, & quidem quantum ad primam promissionis partem, non est difficile; nam materia illius est non curare, nec prætendere actione externa, & diligentia aliqua siue à me exhibita, siue per alium executa extra religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, quæ iuxta sacros Canones, & communem Ecclesiæ praxim dignitas reputetur siue in Ecclesia Cathedrali, siue Collegiali, siue Regulari, extra nostram Religionem. Hoc tamen votum procurationem, & prætensionem iudirectam harum dignitatum, non comprehendit, vt bene Pellizzarius *tom.* 1. *Manual. tract.* 4. *cap.* 5. *sect.* 7. *num.* 189. Ne nimis voti obligatio amplietur, quod semper interpretandum est vt obliget minus, quam attentis regulis prudentiæ, obligare possit.

3 Sed † quid sit prætensio indirecta, quæ voto non præcluditur sicut directa continetur non explicat, si enim indirecta est omnis illa, quæ expressa non est qua quis expresse solicitat, vt sibi detur dignitas, extra Religionem sicut de iuramento de non ambiendo intra Religionem dicitur in eius formula, qua solum obligamur ad non expresse curandum vt nobis detur dignitas Præpositi, siue Localis, siue Prouincialis, siue Generalis: si enim etiam in voto solemni solum continetur expressa procuratio dignitatis extra Religionem; nimium coarctatur votum solemne; nec occluditur via ambitioni, quam occlusionem intendit Religio vt paci, & quieti attendat, & ne corpus mysticum membris principalioribus abscissis truncū remaneat. Quare existimo, nobis ex vi talis voti solemnis prohiberi, quam-
4 libet actionem externam, quæ positiuè influat proximè siue per me, siue per alium, siue tacitè, siue expressè in acquirendæ dignitatis prætensionem, aut procurationem, quare si quis alloquens Principē Patronum dicat intra suum Conuentum, de quo Princeps vult proponere Papæ, vt ei aliqua dignitas conferatur, & dicat vix esse in ea Communitate hominē dignitatis capacem, quia omnes illiterati & inepti, & aliàs ipse vir sit publicè doctus tacitè & indirectè sibi procurat, dari dignitatem, rursus si quis nostrûm alicui Principi Amico dicat valde molestari in Religione, & quod vellet ab illius iugo liberari quocumque modo, iste etiam reus est voti, quia indirectè influit in acquisitionem dignitatis, ipsamque procurat, & ambitiosus est, quod vitium intendit Religio hoc voto extirpare, & eradicare, si enim huiusmodi indirecta & tacita procuratio non præcluditur, vix quis puniri posset ob voti solemnis fractionem, cum vix sit qui à Principe expressè petat dari Episcopatum, si voto est ligatus procurandi, quia eo ipso tanquam manifestus voti fractor indignus redditur dignitate.

Quare existimo, quod omnis tacita, & indirecta dignitatis procuratio extra Religionem, quæ proximè influat in illius acquisitionem voto nostro prohibetur, quod sic intellectum est, etsi non exprimatur, imo eo ipso quod non excluditur indirecta, & tacita procuratio sicut excluditur in iuramento de non ambiendo intra Religionem, inclusus intelligitur quilibet positiuus proximus influxus in voto de non prætendenda dignitate extra Religionem. Hæc enim fuit legislatoris intentio obligandi Religiosos, quod ab Religione non exeant, nisi ob Ecclesiæ vniuersalis bonum, & necessitatem, & quemlibet influxum, qui ad exitum confert fecit voti materiam, quamuis in voto non exprimatur, itaque voti huius materia est quælibet actio exterior quæ proxime infertur ambitione, vt explicatum est, hæc Religionis nostræ intentio notissima cuique est, ex qua obligatio voti dimanat, quare ista ab illa mensuratur, etsi vt dixi totus ambitus obligationis, & materia voti non exprimatur, *leg. non dubium. C. de legibus* vbi dicitur *in legem committit qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem*, & vt dixi materia huius voti solemnis est ambitionis dignitatis extra Religionem exclusio, & extirpatio. Ambitio autem † (teste Bernardo *serm.* 6. *in Psalm. Qui habitat*) *est secretum venenum, pestis occulta, doli artifex, virtutum erugo, & tinea sanctitatis.* Quod enim in aliquibus Religionibus ponatur in voto quod nec indirectè quis procurabit, &c. hoc non est, quia necessarium erat exprimere, sed vt clarius innotescat obligatio, sicut inter nos ponitur, *nec per me, nec per alium* procuraturos, & tamen hoc *per alium*, non erat necessariū addere, quia quod per alium facimus, per nos facimus, & tamen ponitur ad maiorem clari

claritatem, quia etiamsi non poneretur ex vi voti per alium non poterat quis dignitatem extra Religionem procurare, sed tamen quis me inscio pro me procuret dignitatẽ, si postea sciam non teneor illum impedire, nec ad id aliqua obligatione ex vi voti teneor, nisi ille sit meus subditus, aut ex ignorantia voti mei id præstet, tunc enim teneor ignorantiam excludere, & subditum meum impedire.

7 Difficiliora † continent dubia verba quæ sequuntur in voto, & explicant secundam obligationis partem. *Nec consensurum in mei electionem, nisi coactus obedientia Summi Pontificis*, circa quæ verba, quæ longè aliam obligationem continent, quam priora: ista enim materiam ambitionis præcludunt, & illam exterminant, vt vidimus, illa vero potius humilitatem respiciunt, & obedientiam Summi Pastoris à quo quis cogi vult, vt aptus fiat ad animarum regimen. & Ecclesiæ vtilitatem, dignitate assumpta coactus obedientia.

8 Igitur, quis primo dubitabit an si alicui nostrum sine prætensione aliqua, imo ipso insciente, Summus Pontifex illi det dignitatem simplici collatione, aut Rex Catholicus tanquam Patronus nominet ad aliquem Episcopatum, vt Pontifex illum ei conferat, an teneatur ex vi voti quarti hanc collationem, & nominationem non acceptare, & vt eam acceptet necessaria sit Summi Pontificis obedientia. Pellizarius, *vbi supr. n.* 390. affirmatiuè respondet, dicitque de hoc viros doctos consuluisse, & maxime N. R. P. Raphaëlem D. Auersa, cuius Religio & sapientia toti Ecclesiæ nota est, qui omnes idem dixere, & ducuntur sequenti discursu, quia alias huiusmodi votum esset inutile, & frustratorium. cum dignitates, quæ possunt ambiri, & obtineri à Regularibus plerique sint ex his quæ ab vno tantum conferri solent, non autem per electionem

9 propriè dictam, quæ fit ab aliqua tota communitate per vota & scrutinia; alias non haberetur finis huius voti qui præcluderet omnem aditum ambitionis: cum ergo, ille sensus verborum eligendus sit per quem sortiamur legis effectum, *leg. cum quidam, ff. de verb. signific.* & hoc quantumuis oporteat verba impropriari, *cap. petitio. de Procurat.* sequitur nomine electionis hîc sumendum esse in latiori significatione, quatenus importat quamcunque collationem dignitatis, etiamsi factam per voluntatem vnius, quomodo subsistit finis voti, & votum ipsum non est inutile, nec frustratorium, hæc fere Pellizarius.

10 Verum enim vero, etsi hæc sententia satis sit probabilis, sed quousque vel Summus Pontifex, vel generale Capitulum speciali decreto, à Papa confirmato declarauerit, quod per electionem intelligatur, quæcunque dignitatis collatio aut ad illam nominatio, aut præsentatio à patrono facta me non prætendente aut procurante directe vel indirecte, tacite vel expresse etiam per alium vt explicui, si enim non sit hæc declaratio, quod electio sumatur in larga significatione, vt vult opposita sententia, quantum est ex vi voti quarti, nõ tenetur clericus minor Chorista solemniter professus non acceptare dignitatem sibi à Papa collatam, aut non consentire nominationi, aut præsentationi factæ à Rege aut ab alio Principe habente ad hoc ius Patronatus præsentandi, & nominandi ad huiusmodi dignitates extra Religionem. Moueor sequenti discursu, quia, etsi nos ex vi voti solemnis quarti teneamur ad non procurandam neque per nos neque per alios tacite vel expresse, directe, vel indirecte quamcunque dignitatem extra Religionem quocunque modo conferatur, siue electione, postulatione, simplici collatione, nominatione Regia, aut præsentatione, siue intercessione, & Principum precibus, & instantia, dignitas enim † ista quocunque ex 11
his modis detur ambitionis est materia, & inquietudinis præbet fomentum, quod est secretum venenum, occulta pestis, & tinea sanctitatis, cuius votum nostrum est alexipharmarcum, & anti-venenum, & contra hanc pestem vnicum Regulare remedium efficax. Rursus, etsi ex vi voti solemnis obedientiæ, ex vi cuius non habet velle, & nolle nisi Superior consentiat *cap. si Religiosus de electio. in 6.* non possit consentire in oblationem dignitatis extra Religionem, *vt supra vidimus Resolut.*..... Cæterum quod ex vi voti quarti teneatur non consentire nominationi Regiæ, ac præsentationi Patroni, aut simplici collationi Pontificiæ non video, quia votum interpretari debet vt minus obliget, & semper in mitiorem significationem est interpretandum, vt est communis sententia, & dum verba quibus emittitur sortiuntur aliquem effectum, hunc dumtaxat intendisse vouentem iudicandum est, nisi vouens aliter intendat, aut Religio materiam voti suis constitutionibus declaret, hoc constat in voto solemni obedientiæ ex vi cuius subditus non tenetur obedire si Prælatus ei imperet, vt vadat ad infidelium conuersionem vltra mare & in longissimas Regionis, nisi constitutiones Religionis exprimant id posse mandari. Vnde professi Societatis speciali ad id se obligant, constat etiã in voto paupertatis, quod in diuersis Religionibus diuersas parit obligationes in aliquibus

bus ex vi illius non possunt habere peculium, in aliis tamen habent, quia materia huius voti diuerso modo coarctatur diuersis Regulis confirmatis à sede Apostolica.

12 Secundùm, quia † acceptatio collationis, nominationis, & præsentationis factæ clerico minori & consensus in electionem Episcopatus, in rigore iuris diuersa significant, ergo qui vouet non consensurum in sui electionem, non censetur vouere non acceptare collationem, nominationem, aut præsentationem ad Episcopatum, consequentia est euidens, quia perseuerantia in Religione diuersum, quid est ab eius ingressu, qui vouet ingredi Religionem etsi habeat propositum in ea perseuerandi, dum emittit votum ingressus perseuerantia non cadit sub voto, vt tenent Sanchez *lib 4. Summ. cap.* 16. *n.* 85. D. Caiet. *tom.* 1. *opuscul. tr. vlt. qui est.* 31. *Re-*
13 *spons.* 7. & multi alij quia † perseuerantia, & ingressus diuersa sunt, & sic qui vouet vnũ non censetur aliud vouere, & sic ex vi voti ingressus non tenetur voto adi perseuerandum nisi adhoc saltem implicite intenderit se obligare, antecedens manifestum in iure in quo diuersa sunt electio, collatio, nominatio, seu præsentatio Patroni, potest enim quis eligere & alius conferre, potest etiam conferre absque electione, sed simplici collatione, & potest nominare & præsentare, & non eligere neque conferre, rursus potest postulare, & non conferre, rursus potest postulari, & non eligi, Episcopi enim & Cardinales postulantur in alium Episcopatum, & tamen non eliguntur. Ergo qui vouet, non consensurum in electionem, non vouet, non cõsensurum in præsentationem, postulationem, aut simplicem dignitatis collationem extra Religionem, nec ad non consentiendum tenetur in hæc ex vi voti.

14 Tertiùm, quia † sicut iuramentum in materia iuris recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas ipsum ius recipit, *leg final. de condict. in deb. leg. fin. qui satisdat cogan.* ita & votum, si ergo absolutè quis iuraret non consensurum in sui electionem cum in iure electio distinguatur à simplici collatione, nominatione, præsentatione, & postulatione, non censeretur obligari ex tali iuramento ad non consentiendum simplici collationi, quia iuramentum habet strictam interpretationem sicut, & votum.

15 Quartùm, quia † ex vi significationis propriæ huius nominis *electio*, cui me non consensurum nisi coactus obedientia Summi Pontificis obliger, dubium est, an sit largè interpretanda prout comprehendit simplicem collationem & alios modos, atqui in hoc dubio non teneor sequi, quod tutius & perfectius est ex vi voti, vt cum multis tenet Thom. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 10. *n.* 36. ergo.

Quintùm, quia in aliis Religionibus specialioribus verbis exprimunt materiam huius voti. Bernabitæ, *quod non accipient Prælaturam extra Religionem sine præcepto Summi Pontificis.* Patres Societatis etsi eandem formam voti habeant, ac nos habemus, tamen constitutio eorum *p.* 9. *c.* 3. *n.* 13. explicat admissionem & acceptationem dignitatis extra Religionem. Clerici ministrantes infirmis, *quod non consentient, vt promoueantur in aliquam dignitatem extra Religionem.* Fratres Augustini excalceati, *non accepturos extra Religionem dignitatem etiam oblatam*, eandem formam in hoc voto nuncupando habent Patres Carmeli excalciati, cum ergo votum nostrum solum obliget ad non consentiendum electioni, & hanc non explicet constitutio, de electione stricta est intelligendum votum nisi aliter declaret Sedes Apostolica. Vnde † in facti contingentia Vrbanus VIII. 16
in Bulla illa celebri quæ incipit *Honorum edita* 26. *Februar. cum* 1643. quam ad verbum adfero ad finem huius tomi, votum de quo dicit manere adstrictos, qui ad aliam se trãsferunt Religionem, est votum *de non procurando, vel acceptando aliquam dignitatem, aut prælationem, aut prælaturam extra Religionem*, quæ verba generalia sunt & comprehendunt acceptationem dignitatis quocunque modo ex dictis habitæ, vel oblatæ, non tamen si votum fiat non consentiendi in electione, quæ in materia voti in propria significatione est admittenda nisi aliter explicetur in constitutionibus. Vnde fit, quod non 17
obstante voto nostro & Rex potest præsentare ad dignitatem aliquem ex nostris aliàs dignum, quia ex vi voti non est incapax nominationis, cum non promittatur non acceptare, rursus si quis ex nostris licentia legitima transeat ad aliam Religionem etsi teneatur voto quantum ad primam partem non procurandi, nec prætendendi, potest tamen acceptare dignitatem, si ei simplici collatione conferatur.

Vnde in nostris constitutionibus *p.* 1. *c.* 6. vbi agitur de hoc quarto voto, quod emittitur à religiosis clericis in professione nihil 18
declarat legislator, de secunda parte obligationis non consentiendi, solùm enim dicitur *num.* 1. *ambitionis vitio, quo regularis perfectio ruit, aditum omnem occludentes iure optimo cuilibet ex nostris qui statui clericali sit adscriptus imponimus, vt quartum illud solemne votum in professione emittat, non scilicet se prætensurũ, vel curaturum, siue per se, siue per alium prælationem aliquam, vel dignitatem extra Religionem assumi.* hæc ibi, est de secunda parte materiæ voti istius, scilicet, *Nec consensurum in*

mei electionem nisi coactum obedientia Summi Pontificis, de hac inquam parte nihil explicat, sed eius obligationem inexplicatam relinquit iuxta rigorem vocis, *electio*, in iure explicata, cum in hac voto, vt explicat constitutio solum intendatur ambitionis vitium, quo regularis perfectio ruit, extirpare, possitque quis promoueri ad dignitatem extra Religionem, omnino immunis & liber ab ambitionis vitio ipso omnino inscio
19 & ignorante, quia Summus Pontifex certificatus de eius scientia, & sufficientia, & aptitudine ad animarum salutem illi confert Episcopatum, & Rex Catholicus nominat, aut præsentat ad illam dignitatem, si acceptet non inficitur ambitione, imo potius ipsam potest acceptare ex summissione, maxime, quod acceptare dignitatẽ Episcopatus, cum sit status euidenter melior & perfectior secundum se, & sit oblatus sine procuratione, aut prætensione quæ fere semper ambitiosa est, nisi expresè quis obligetur voto de non acceptando Episcopatu etiam oblato, non videtur prohibitum ex vi voti non consentiendi in electionem de se factam, nisi quis cogatur obedientia Summi Pontificis.

20 Vnde † per electionem intelligitur in hoc voto illa quæ fit à Pontifice, & simul est confirmatio, aut à capitulo Ecclesiæ cuius electio expectat confirmationem Pontificis ex vi cuius electionis electus acquirit ius ad dignitatem, qua eligitur si consentiat electioni, electio enim vno ex his modis facta communi vsurpatione propriè dicitur electio, & in voto hoc in hac communi significatione sumitur electio, cui tenemur non consentire nisi coacti obedientia solius Papæ, non tamen tenemur ex vi voti quarti non consentire nominationi, aut præsentationi factæ à Rege, vel alio Principe, hæc enim distinctum quid omnino sunt ab electione, quia vt suprà vidimus, obligatio voti semper interpretãda est, vt salua verborum proprietate obliget minus, quam fieri possit,
21 vt † docent Canonistæ cum Abbate *cap. ex parte n.4. de censibus*. Azor *tom.1. lib.11. c.20. q.3*. Sanchez *lib.4. Summ. cap.11. num.3*. vbi hanc doctrinam, vt regulam certam in iure ponit, vt quam maxime fieri possit sacrilegæ voti transgressionis vitetur occasio & peccati periculum vitetur, id quod de iuramento late probat *lib.1. de matrim. disp.9.* & sequitur Bonacina *disput.4. de leg. quæst.2. punct.6. n.10*. Quare concludo, quod votum nostrum vti dixi omnem modum procurãdi habere dignitatem extra Religionem, siue electione, siue nominatione, siue collatione, siue præsentatione præcludit, vt omnis ambitio eradicetur, quoad secundam vero partem solum excludit electionem liberam, siue fiat ab electoribus Capitularibus, siue à Legato à latere, siue à quocunque alio potẽte, fiat. Etiamsi fiat à Pontifice, huic ergo liberæ electioni tenemur non consentire, nisi Summi Pontificis obedientia cogamur, non 22
tamen tenemur ex vi voti quarti, non consentire nominationi, aut præsẽtationi factæ à Rege, & per consequens, nec collationi factæ ex vi huius præsentationis à Summo Pontifice, quia hæc proprie non est electio, sed collatio iuridica. Vnde constat nullius ponderis esse fundamentum Pellizarij, non enim frustratorium est votum nostrum, quantum ad hanc secundam obligationem, siquidem eius materia comprehẽdit lectionem, siue fiat à Papa, siue à capitulo Ecclesiæ, vel ab alio quocumque qui eligere valet ad huiusmodi dignitates extra Religionem, non enim votum nostrum est absolutè de non accipiendo Episcopatũ, aut dignitatem, sed de non consentiendo in electionem ad illum. Quare sic aliquando respondi cõsultus in solatium cuiusdam afflicti sub prudentum censura, & placuit viris doctis, & possem multis aliis principiis, ex materia de voto & iuramento confirmare.

Quia tamen velim huiusmodi ostium exeundi extra Religionem muratum semper esse & occlusum, nisi qui habet Ecclesiæ claues aperiat: est enim † hoc votum murus 23
& antemurale Religionis tuendæ & conseruandæ propugnaculum, non possumus acceptare regiam nominationem, aut præsentationem, quam Rex Catholicus tanquã habens ius Patronatus laici facit Summo Pontifici, vt collationem faciat Episcopatus; nominatio & præsentatio; hic enim inter multos eligitur à Rege, vt nominetur, & præsentetur ad dignitatem, & prælationem extra Religionem, cui electioni si consentit nisi coactus obedientia Summi Pontificis, iã consentit in sui electionem ad dignitatem extra Religionem, quam sicut non potest prætendere multò minus in eius receptionem consentire. Vnde constitutio nostra verbis relatis, dicit votum nostrum esse nõ prætendere *assumi ad dignitatem extra Religionem*. quare dum in secunda parte dicitur, nec consensurum in mei electionem, hic † electio idem est, quod *assumptio* ad di- 24
gnitatem, & sic comprehendit nominationem, & præsentationem factam à Rege, à quo assumitur quis dum nominatur, aut præsentatur ad dignitatem extra Religionem, quare ex communi praxi, & intelligentia verba illa, *nec consensurum in mei electionem nisi coactum obedientia Summi Pontificis æquipollent his non acceptaturum dignitatem, quam nullo modo curaturum, aut prætensurum, nec per me, nec per alium promisi.*

DIFFICVLT. VIII.

Quæ obedientia sit necessaria, vt à nobis acceptetur dignitas extra Religionem.

SVMMARIVM.

1. *Quid denotent verba illa, nisi coactum obedientia Summi Pont.*
2. *Vrbani VIII. mens adducitur.*
3. *An votum, quod emittunt professi Societatis præceptum & rigorem obedientiæ exigat impositum ab eo qui præcipere potest sub pœna peccati.*
4. *An professus Societatis non indigeat præcepto proprio & rigoroso, vt accipiat dignitatem extra religionem.*
5. *An iuxta formam quarti voti nostri requiratur Pont. rigorosum præceptum, & num.6.*
7. *Obedientia est specialis virtus, & quodnam sit eius speciale obiectum, ex S. Thom. & num.8.*
9. *Obediens mouetur ad imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ, ex eodem S. Thom. & n.10.*

1 SEcundum dubium est, † quid denotent illa verba *nisi coactum obedientia Summi Pontificis*, vt enim suprà dixi hanc obedientiam sibi reseruauit Sedes Apostolica, vt cõstat in Bulla Vrbana *de ann.1643*. sed superest, an ex vi horum verborum voti nostri quarti solemnis requiratur, vt ego non sim illius reus, quod Pontifex præcipiat sub formali præcepto obedientiæ, an vero sufficiat quod mihi insinuet expresse eius voluntatem esse, quod dignitatem accipiam quam confert, in multis enim Religionibus requiritur quod Pontifex sub formali præcepto id præcipiat, adeo quod non sufficiat si expresse dicit mando, quod accipias dignitatem, sic enim multis è societate Iesu contigisse, qui noluerunt dignitatem accipere ante formale præceptum; *& in me ipsum* (ait) *omnium minimum exercuit felicis recordat. Vr-*
2 *banus Papa VIII.* † *cui, vsurpanti verbum illud mandamus, post repetitum saepius illud verbum, ego quidem aliquandiu non acquieui, sciebam quippe non deesse qui de obligatione saltim graui eo verbo significata dubitent, quos refert Thomas Sanchez lib.6. in Decalog. c.4. n.45.* donec expresè dixit, *se quæ proculdubio pollebat potestate suprema præcipere, id mihi præcepto formali in virtute Sanctæ obedientiæ, quod in exemplum sit potestatis ad præcipiendum & obligandum sub peccato graui, quam in hac materia Pontifices Summi credunt sibi competere*. Hactenus Cardinalis.

Qui formale præceptum ad acceptandam dignitatem expectauit, quia † votum, 3
quod emittunt professi Societatis illud præceptum & rigorem obedientiæ exigit impositum ab eo qui præcipere potest sub pœna peccati, quod Pellizarius *vbi suprà num.255*. intelligit, siue sit peccatum mortale, siue veniale, quare si Pontifex præcipiat alicui ex Societate sub pœna peccati venialis, quod accipiat dignitatem Cardinalitiam, aut Episcopatum tenetur illam accipere, sed quod superior possit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ præcepto formali obligans in materia graui ad solum veniale si non obediat, omnino falsum existimo, sicut quod peccatum mortale, & veniale non distinguantur ex natura rei, sed à legislatoris voluntate à qua quidem oritur obligatio legis, tamen quod sit sub mortali, aut veniali non à voluntate humana pendet, sed à grauitate, aut leuitate materiæ præceptæ. Vnde miror eundẽ Pellizarium, qui vbi suprà *n.260*. dicit, *quod † professus so-* 4
cietatis non indiget præcepto proprio & rigoroso, vt accipiat dignitatem extra Religionem. In hoc enim & sibi contradicit *n.261*. sequenti, & formæ vouendi, quæ requirit præceptum obligans sub pœna peccati, quam obligationem non inducit nisi præceptum proprium.

Igitur dubium superest, † an iuxta for- 5
mam quarti voti nostri requiratur Pontificis rigorosum præceptum, cuius vi cogamur sub pœna peccati ad consentiendum, & acceptandam dignitatem extra Religionem, an verò sufficiat ordinarium præceptũ & mandatum; quod est insinuatio expressa Superioris scilicet Summi Pontificis voluntas mihi manifestata, qua vult me accipere talem prælationem, quia iudicat, ita expedire, siue bono communi Ecclesiæ, siue quieti Religionis, siue ipsiusmet electi. Hæc tamen voluntas Papæ non est intimata præcepto, sed simplici ordinatione. Pellizarius *num.392*. agens de nostro voto quarto explicans præfata verba dicit requiri formale præceptum, *quod* (ait) *non reprobauit amicissimus Auersa à me de hoc in specie consultus, quia coactio violentiam & vim illatam designat, vt ipsum nomen sonat, at violentia moralis non infertur nisi moralis coactio intercedat media lege, aut formali præcepto.*

Sed non requiri formale præceptum in 6
virtute sanctæ obedientiæ impositum nobis clericis minoribus verius iudico, sed sufficere, quod Pontifex qui verissimè superior noster est suam nobis intimet, & manifestet voluntatem esse, quod non obstante voto dignitatem acceptemus, quia ob ra-

tiones sibi sufficientes iudicat expedire, cui voluntati & simplici ordinationi obedire tenemur ex obedientia quam promisimus, virtus enim obedientiæ, & regularis obedientia ad hoc se extendit, quod egregiè nos docuit D.Thom. 2.2. *quæst.* 104. *art.* 2. *in corp.*
7 dicens, † *obedientia est specialis virtus, & eius speciale obiectum est præceptum tacitum, vel expressum, voluntas autem superioris quocunque modo innotescat est quoddam tacitum præceptum, & tantum videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen Superioris intellecta.* Hæc ibi, quæ satis profundè enucleat *ibi.* Caiet. §. *ad huius euidentiam.* Itaque quæcunque voluntas superioris, vt superior est nobis insinuata præceptum tacitum est obiectum obedientiæ, prout est specialis virtus, ex vi cuius obedimus dum voluntatem superio-
8 ris, vt superior est exequimur, etiamsi non sit formale, & expressum præceptum obligans sub mortali, imo nec sub veniali, ego enim obseruo silentium, ex virtute obedientiæ regularis, cogorque obedientia, quia cogor voluntate superioris volẽtis, quod sileam, quamuis de silentio non sit expressum præceptum formale, imò si hoc præueniens sileo perfectiori obedientia moueor. Hinc est, quod dum exequor consilia non exerceo propriè virtutem obedientiæ, nec cogor obedientia, quia consilium superioris non est voluntas beneplaciti illius, vt superior est, sed est voluntas signi, vt dicitur 1. *part. q.* 19. *art. vlt.*

Igitur dum ante præceptum formale & expressum cognita volũtate superioris propria obedientia obedio, & exequor voluntatem Summi Pontificis, hac obedientia cogi dicor, cuius rationem dedit D.Thom. *q. cit.*
9 *quia* † *obediens mouetur ad Imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ, sicut res naturalis mouetur ex virtute sui motoris necessitate naturæ.* Hæc autem necessitas iustitiæ est quæquam coactio moralis; etsi secundum virtutem, & rationis dictamen eo ipso, quod voto quis se alteri subiicit tãquam superiori & motori imperanti habenti potestatẽ, sine Imperiũ sit formale & expressum in virtute obedientiæ & Spiritus S. siue sit tacitũ & implicitum in volũtate Superioris volentis aliquid, quod iudicat expedire in ordine ad bonũ cõmune Ecclesiæ, aut Religionis, aut ipsius Religiosi, hæc enim volũtas est superioris, vt superior est, quare non sufficeret
10 voluntas signi Summi Pontificis, qua mihi daret, vt acciperet dignitatem, quia hæc voluntas non est superioris, vt superior est, cui competit propriè præcipere. Vnde eius voluntas est tacitum præceptum si nobis immi Pontificis non cogor obedientia eius, quia consilium, vt sic non est obiectum obedientiæ, quia nullam imponit necessitatem, vt egregiè adnotauit D. Caiet. *vbi suprà §. cit.*

DIFFICVLT. IX.

An votum hoc comprehendat sæculares dignitates.

SVMMARIVM.

1. *Votum generale est non procurandi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, ex Pellizario.*
2. *Votum absolutè factum non obligat ad illud, quod raro, & rarissimè contingit.*
3. *Dignitas Ecclesiastica non licitè potest appeti, ex Sylueſtro.*

SEd nunquid inquiret aliquis? votum hoc & doctrinæ, quas de ipso adduximus comprehendat non tantum prælationem, prælaturas, & dignitates Ecclesiasticas; sed etiam sæculares, ita vt ex vi illius teneatur quis non procurare dignitatem proregis, aut Præsidentis alicuius Consilij Regis, Regis Thesaurarij. Pellizarius *vbi suprà n.* 269. adfirmat, quia † votum generale est non procurandi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem. Vnde etiamsi vnus ex nostris ad aliam Religionem transferatur ex Bulla Vrbana suprà relata inhabilis manet, tam ad Ecclesiasticas dignitates, quã ad sæculares. Ego quidem existimo non esse hoc certum, quia † votum absolutè fa- 2
ctum non obligat ad illud, quod raro & rarissimè contingit, Regulares autem raro, imò & rarissimè prælationem, aut dignitatem, quam ambiunt Ecclesiastica est, ex vi cuius absoluitur à iugo monasticæ disciplinæ, & obedientia Regulari & subiectione à suo superiore, à quibus omnibus non absoluit dignitas sæcularis, vt Proregis, Præsidentis Consilij Regis, aut Gubernatoris alicuius ciuitatis quæ dignitates perpetuæ non sunt, sed temporaneæ, non enim comprehenduntur tanquam materia huius voti, neque ex vi illius tenemur illas non acceptare. Vnde teste Sylueſtro *verb. dignitas num.* 5. *quæst.* 2. dicit, quod † dignitas Eccle- 2
siastica non licitè potest appeti, aut quæri, bene tamen dignitas sæcularis potest quæri & appeti, quamuis ex aliis capitibus eas non deceat acceptare sine superiorum licentia & consensu, quæ danda non est nisi ob necessitatem boni publici.

DIFFICVLT. X.

An comprehendat votum non ambiendi officium Inquisitoris.

SVMMARIVM.

1. *An sub materia voti comprehendatur officium inquisitionis.*
2. *Qui dicantur Prælati, Episcopi, & Superiores ex Nauarro, & n.* 3.

1 INquires secundò, † an sub materia huius voti comprehendatur officium Inquisitoris, siue in supremo consilio, siue in particularibus S. Officij Tribunalibus, & quidem officium qualificatoris, siue consultoris non comprehendi praxis edocet. Sunt enim, tam in Societate, quam in nostra Religione plures his officiis honorati de inquisitore maius dubium est, quia Illustrissim. D. Ferdinandus Salazar è societate Iesu, cum illi opponeretur Societas ne acceptaret Episcopatum in Hispania, effectus est inquisitor supremi Consilij Sanctæ, & Generalis Inquisitionis, quo officio per aliquos annos vsque ad mortem functus est. Vnde non videtur materia voti, si enim esset id non permitteret Societas, & quidem (saluo aliorum iudicio) non videtur hæc dignitas esse de illarum numero, quas non abire voto solemni obligamur, cum non eximat à regulari obedientia, & iugo regularis disciplinæ, sed sub illa maneat sicut antea in iisque officio Inquisitionis non opponuntur, quare nõ est dignitas, aut Prælatura, quia attineant ad materiam voti etiamsi copiosos habeat redditus, vt benè Nauarr. *lib.* 1. *consil.* 6. *de filiis*
2 *Præsb. n.* 4. asserens † solos dici Prælatos Episcopos, & Superiores eorum præfectos Ecclesiis Collegiatis sæcularibus & Regularibus, & non alios *& hic est* (inquit) *communis vsus loquendi qui attendendus est, quoad intelligentiam legum*, (& per consequens votorum quæ leges sũt quas sibi quisque imponit) Rursus hoc officium est manuale & ad nutum Pontificis amobile, cum sit delega-
3 tum. Vnde ex se non exiuit ab obedientiæ regularis iugo, & tandem, quia non est materia huius voti, quod quis prætendat beneficium Parrochiale sæculare, vt est communis sententia de qua Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *c.* 19. quia hæc non est dignitas, aut Prælatio, quam non ambire obligamur voto, nec illam recipere oblatam, quare Inquisitor nomen est officij, non dignitatis, quod etsi Ecclesiasticum potest licitè appeti, vt contra Angelum tenet Sylueſter *vbi suprà n.* 7. *q.* 4. sed quid in hoc sentiendum Summi Pontifi & pro[illegible] curia Romanæ remitto.

DIFFICVLT. XI.

Vtrùm materia huius voti comprehendat Æthiopicos, & Indicos Episcopatus.

SVMMARIVM.

1. *An materia voti, tam quoad receptionem, quam quod prætensionem sint Episcopatus Indici.*
2. *Variorum Authorum sensus afferuntur, & num.* 3.
4. *Iuramentum potest vergere in exteriorem exitum dupliciter, ex S. Thom.*
5. *Quid veniat dicendum de voto quo quis vouet non fore Episcopum.*
6. *Authoris iudicium adducitur, & nu.* 9. 13. 24. *&* 26.
7. *An iuramentum sit illicitum si quis iuret se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur.*
8. *Patris Thomæ Sanchez sententia propalatur.*
10. *An mortaliter peccet qui Episcopatum sibi oblatum non recipit, si dignum se credit.*
11. *Votum de non suscipiendo Episcopatu quomodo intelligatur, & n.* 12.
14. *Aug. mens adfertur.*
15. *Quandonam votum quantum ad secundum vinculum non acceptandi dignitates non obliget.*
16. *An votum sicut & iuramentum de non acceptando Episcopatu sit impeditiuum maioris boni.*
17. *An possit esse obligatio, quod quis accipiat Episcopatum in vtilitatem proximi & Ecclesiæ.*
18. *An votum & iuramentum seruandum non sit quum id quod promissum est voto, aut iuramento, non possit licite fieri sine peccato.*
19. *D. Thomæ mens adducitur.*
20. *Necnon Patris Suarez, & num.* 21. 22. *&* 23.
25. *Expressum præceptum exprimit vim coactiuam.*
27. *Vrbanus VIII. sensus adducitur, & num.* 28.

INquires tertiò, vtrùm † materia huius 1
voti, tam quoad receptionem, quam quoad prætensionem sint Episcopatus Indici, tam in India Orientali, quam in Occidentali nouus orbis dicta, Æthyopiæ, Iapponenses, & similes, qui magis sunt missiones ad seminandum Euangelium inter infideles, & dignitas datur, vt sint, qui functiones Episcopales exerceant, confirmandi, ordinandi, & similes quam propter sumptus & red-

desiderant *bonum opus desiderant*, & sic & acceptare oblatos, & prætendere, vt dentur & offerantur licitum est, & sic non potest esse voti materia illos non prætendere, nec acceptare, & de his maximè videntur loqui multi & grauissimi DD. Antiqui, qui dicunt illicitum esse iuramentũ de non acceptãdo
2 Episcopatu. † Ita Nauarrus *in Summa c.12. num.16.* Angelus *verb. Iuramentum 5.num.3.* Sylvester *Iuramentum 2.q.7.* & clarius *iuramentum 4.quæst.1.vers.5.* Antoninus *2.part. tit.10.cap.6.§.4.* Soto *lib.8.de iust.q.1.art.7. ad 2.* quare idem de voto de simili materia, quia est de impeditiuo maioris boni, sicut si quis voueret de non ingrediendo religionẽ, quod teste D. Thom. est graue peccatum, quia præcluditur via Spiritui Sancto. Vnde Gregorius scribens Ioanni Episcopo *lib.12.*
3 *epist.6.* & refert Ioannes Diaconus *l.3.c.11.* & refertur, *cap. Archidiaconum 85. dist.* quis repellitur ab Episcopatu, qui tactis Sacrosanctis Euangeliis iusiurandum fecit, nunquam se ad Episcopatum accedere, quia iuramentum hoc temerarium fuit, vt notabili Glossa *verbo Sacro-sanctis.* vnde D. Thom. 2.
4 *2.qu.89.art.7.ad 2.quod † iuramentum potest vergere in exteriorẽ exitum dupliciter, siue quia est maiorij boni impeditiuum, puta cum quis iurat, quod non fiet clericus, aut quod non accipiat prælationem in casu in quo expedit eum accipere. Huiusmodi autem iuramentum à principio est illicitum, differenter tamen, nam si quis iurat se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur peccat quidem iurando in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni operis inspirator, non tamen peccat iuramentum seruando, sed multo melius faciet si non seruat.* hæc S.D. qui sic commentatur alter Eminentissimus Thomas, *ibi.§.ad hoc dicitur, quod non peccat nisi venialiter, nisi adeo pertinaciter iuraret, quod etiam in articulo necessitatis iuraret se non facturum, nam proculdubio mortaliter peccaret sic iurando, vt in capit. Archidiaconum 85. distinct. de illo dicitur qui iurauit se nunquam fore Episcopum. Hoc enim est contra debitum obedientiæ, vel charitatis, quod necessitatis non supererogationis est,* & quidem, quod absolutè iurans non fore Episcopum venialiter peccet, quia obicem ponit Spiritui Sancto probat in sequentibus.

5 Quare idem † de voto, quo quis vouet non forè Episcopum, idem est prorsus dicẽdũ, quia etiã hoc votum sicut & iuramentũ obicem ponit secundum se Spiritui Sancto, sentiunt Palacios *in 4. dist. 38. disp.1.* ibi, *sed quid si aliquis ea lege vouet* (non esse Episcopum,) *vt eximat præcepti casum numquid culpabile esset votum. Respondetur † iterum arbitror esse culpabile, quia casus præcepti rarus est in hac materia, satis est, quod poterit esse salu-*
6 *bre Christi gregi, quod hic, vel ille fiat Episcopus, ideo non licet salubritati gregis Christi impedimentum offerre.* Hæc ille, quod ante docuerat Sylvester *verb. Episcopus quæst.3.n.4. vers. est autem mortale (ait) hoc recusare etiãsi quis non adstringatur præcepto, sed consilio, & probabiliter credat, quod per alium æque bene prouideri non potest, quia est contra fraternam charitatem.* quod ebibit è fonte Angelici Doctoris *vbi suprà.* dicentes, quod † iura- 7
mentum est illicitum, si quis iurat se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur, & peccat iurando in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni operis inspirator. Si enim subdiaconus voueret se non fore sacerdotem votum & iuramentum illicicum est. Ergo Sacerdos vouens non fore Episcopum absolutè etiam est illicitum, quia vtrobique Spiritui Sancto ponitur obex.

Propter, quæ † Pater Thomas Sanchez 8
lib.7.Summ.cap.29.num.67. tenet, quod præfatum votum non intelligitur, quantum ad Episcopatus, quibus honor & opes adnectuntur, non tamen quantum ad eos, quibus non honor, sed onus, non opes, sed paupertas maximè inest, quales sunt Patriarchatus & Episcopatus Æthyopiæ, & similes de his enim verificatur illud Pauli 1. *ad Tim.3. qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quem locum explicans Diuus Gregor. 1. *part. Pastorib. capit.* 8. sic ait. *tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quum per hunc dubium nõ erat, quempiam ad supplicia maiora peruenire & cũ qui plebibus præerat primus ad martyrium ducebatur*, quod similiter in prædictis Episcopatibus contingit, hæc fere Sanch quem sequitur Layman *in quæstiunc. Canonic. quæst.192.* iuxta quam sententiam existimo, quod Summus Pontifex declarat, quod quis sit valde vtilis ad huiusmodi Episcopatus, quibus non cum tanta vtilitate alius incumbat, etiam si Pontifex non præcipiat tenetur illos oblatos recipere, & satis vrgenter probant ea quæ adduximus.

Idem † puto esse dicendum si sacra Emi- 9
nentissimorum Card. Congregatio *de propaganda fide*, consultatione habita cum Sanctissimo, idem declaret, vel propter virtutem singularem, vel idiomatis illius gentis, ad quam quis mittitur eruditionem, hac enim declaratione facta votum de non acceptando, obicem ponit Spiritui Sancto hoc est absque dubio, quod dicit Greg. *c.in Scriptor.8.q.1. si is qui valet omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se pastorem suum minime amare.* & Aug. *l.32.contra Faustum, c.10. qui electus ab Ecclesiã, ministerium Euangelizandi renuit, & qui curam lucrandorum refugit aliorum, contemnitur & in opprobrium habetur ab Ecclesia.* vbi etiam loqui S. Doctor. de

de Episcopis constat, quia ministerium Euãgelizandi iure diuino ordinario competit solis Episcopis, vt ait Trident. *sess.5.c.2. de reformat. & sess.24.cap.4.de reform.* aliis verò ex delegatione. Vnde Glossa *cap. in scriptu-*
10 *ris.* dicit † *mortaliter peccare qui Episcopatum sibi oblatum non recipit si dignum se credit.* Quare eo ipso, quod quis dignus declaretur à Papa, vel à Sacra Congreg. iam votum non tenet & tenetur acceptare ex altiore obligatione & vinculo, neque enim semper requiritur necessitas, sed sufficit maior vtilitas, quia dignior quis declaratur, quam alius ad præfatam dignitatem, vt in alio simili docet Thomas Sanchez *vbi suprà num.68.* & sic quum D. Th. 2.2. *q.185.art.2.*
11 *ad 5.* quod † votum de non suscipiendo Episcopatu intelligitur, quod non suscipiat, nisi imminente necessitate, non intelligitur de necessitate extrema, ita vt nullus sit alius, sed de necessitate maioris vtilitatis, quam existere declarat Pontifex, aut Sacra Congregatio, ipso consulto, ob rationes speciales, quæ istum digniorem faciunt præ alio, quem iure diuino tenentur eligere iuxta Trident. *sess.24. cap.1. de reform.* quod asseruit *mortaliter peccare nisi quos dignores & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi* (electores) *iudicauerint.* Vnde eo ipso, quod quis declaretur dignior, aut aptior ad huiusmodi Episcopatus vtriusque Indiæ qui Missionarij potius sunt, quam honorarij, non videtur obligari voto de non acceptando si vltro offeratur & se iudicet probabiliter cum gratia Dei posse satisfacere.

Sed Pater Suarez *vbi suprà cap.9.num.25.*
12 dicit, quod † votum de non acceptando Episcopatum etiam intelligitur in huiusmodi Episcopatibus Æthyopiæ, quos sine obedientia & præcepto Papæ non licet ex vi voti acceptare, quia facto hoc voto nunquam, quis cogitur probabiliter iudicare esse maius Dei obsequium, at votum certum est de non acceptando sine præcepto, & sic votum possidet obligationem suam, quæ excludit obligationem dubiam, tum etiã, quia etsi certum sit, quod est maius Dei obsequium, in eo ipso, quod sit votum hoc obsequium non præstandi ob pericula sibi annexa nisi quis obligetur Papæ præcepto & facile sit Papæ illud imponere ex vi voti tenetur, quis præceptum imponere, quamuis enim regulariter non expediat, proprium præceptum superioris expectare, sed melius sit & altior obedientia simplici eius ordinationi & voluntati manifeste obedire, nihilominus in aliquibus rebus grauioribus in quibus, vel periculum animæ, vel affectus proprij honoris, aut commodi timeri potest consultius est, non moueri nisi ex proprio Præcepto Superioris, quod egregiè adnotauit, Soto *lib.7. de Iustit. quæst.2.art.4.* dicens *quum res ardua est, eademque dubia, vt ad Indos nauigatio, aut regiminis onus suscipere, aut quid simile consilium est, vt Monachus non iussus, suo proprio iudicio tales subeat Prouincias, sed præfecti mandatum præstoletur.* Ex quibus liquet, quod potest sub voto cadere, maximè, quando à Pontifice Religio in qua est tale votum est confirmata, vt Societas, & N. Religio, quam doctrinam latè enucleat *à n.19. vsque ad fin. cap.*

Ego vero in hoc grauissimo dubio dico, 13
quod † cum votum hoc duplicem contineat obligationem, duplicique vinculo ex vi illius obligemur, altero non prætendendi, aut procurandi prælationem aliquam, aut dignitatem extra Religionem, hoc vinculum, cum ambitionem excludat quamcumque actionem externam procurandi, aut prætendendi circa quamcumque extra Religionem, Prælationem, aut dignitatem Æthyopica sit, vel Indica vtriusque Indiæ, aut alterius barbaræ nationis ligat & comprehendit, quia huiusmodi actiones ambitionem redolent dignitatum & honorum, quos per se adferunt etsi coniunctos laboribus, & ærumnis & occasione Martyrij, horũ enim amor non constat sicut constabat in illis primitiuis temporibus de quibus Gregorius loquebatur *suprà*, & sic nullus dixit, quod quis teneatur Episcopatum prætendere, aut quærere, quamuis liceat desiderare, & appetere, vt quis eligatur tempore necessitatis vocatus à Deo tanquam Aaron. Vnde † August. dicebat. *Otium Sanctum* 14
quærit charitas veritatis negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit percipiendæ, atque intuendæ veritatis vacandum est, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Hactenus S.D. *lib.19. de ciuit. cap.107.*

Dico secundò, hoc † votum quantum ad 15
secundum vinculum non acceptandi dignitates huiusmodi non obligat, quando existit necessitas charitatis si sarcina Episcopatus imponatur, quia tunc suscipienda est propter charitatis necessitatẽ, hæc est Aug. expressa sententia verbis modo relatis, quam sequitur D. Th. 2.2. *q.185.art.2.ad 3.* est ipsa mens Doctorum, quos adduximus asserentium, quod iuramentum de non acceptando Episcopatu etiam in necessitate charitatis, est iniquum, rursus est mens eorum, qui dicunt votum de non acceptanda hac dignitate esse nullum, quia loquuntur quum adest iudicium probabile & prudentiale, quod sit obligatio charitatis & me acceptare futurum salubre gregi Christi.

Huius conclusionis fundamenta grauia sunt. Primum, quia † hoc votũ sicut & iuramentum de non acceptando Episcopatu, est

impeditiuum maioris boni non solum respectu mei, quia impedit ne satisfaciam obligationi charitatis, qua teneor succurrere vtilitati proximi, non solum existenti in extrema necessitate, sed etiam in vrgenti, tum etiam vtilitati Ecclesiæ vniuersalis, votum autem, & iuramentum, quod impedit maius bonum secundum se est vinculum iniquitatis, & non obligat, sicut votum de contrahendo matrimonium secundum se nullum est, sicut & iuramentum, nisi quis iuret homini, cui promisit.

17 Secundum, † quia potest esse obligatio, quod quis accipiat Episcopatũ in vtilitatem proximi, & Ecclesiæ; ergo eo ipso quod quis probabiliter iudicet, quibus hic & nunc est talis obligatio tenetur illum acceptare, antecedens indubitatum est apud Patres & Doctores, quorum aliquos supra adduxi, & consequentia manifesta, quia obligatio charitatis potior & prior est, quam euertere nequit votum, quod semper habet imbibitam conditionem, si eius materia non est altiori præcepto comprehensa, quare si sancti electioni suæ restitere idẽ fecerunt, quia nondum formarunt prudens iudicium de obligatione charitatis, quia moti ex humilitate se ineptos iudicabant ad tantam dignitatem & postquam alij essent. Aptiores, digniores, vtiliores, postquam autem se obligatos ex charitate agnouere statim acceptarunt sarcinam, & onus dignitatis.

18 Tertium, quia † votum, & iuramentum seruandum non est, quum id quod promissum voto, aut iuramento, non potest licitè sine peccato, *cap. quamuis pactum, de pact. in 6.* quia quod absque dispendio salutis æternæ, & peccato etiam veniali, aut impedimento maioris boni seruari non potest, obligare non potest, quia nullus obligatur ad iniquitatem: ergo eo ipso, quod quis prudenter iudicet, quod hic, & nunc est obligatus ex charitate ad acceptandum Episcopatum, votum istud euanescit, ex defectu materiæ licitæ, & honestæ, vt ait S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *ad* 2.

19 Quartum, & rem concludens posuit † D. Thom. *in præfat. art.* 10. *in corpore*, his verbis: *Ille qui vouet quodammodo sibi statuit legem obligantem se ad aliquid quod est secundum se, & vt in pluribus bonum. Potest autem contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto:* ergo si adsit hic & nunc obligatio charitatis de acceptando onere, & sarcina dignitatis extra Religionẽ suscipienda est propter necessitatem charitatis, quia materia voti fit illicita, inutilis & impeditiua maioris boni.

Quintum, quia etsi regulariter loquendo viri docti Religioni vtiliores sint Ecclesiæ in suo humili statu immobiliter perseuerantes ministeria sua in docendo, prædicando, libros cudendo, tamen possunt contingere plures casus, & occurrere variæ circunstantiæ, in quibus aptior, quis sit in regimine alicuius Episcopatus, in quo magis attenditur labor & ætumna in disseminãdo Euangelio, quam honor dignitatis, quæ per se non intenditur tantum, quantum vtilitas animarũ: 20
in his enim & similibus necessarium non est expectare formale, & expressum præceptũ Superioris, si est voluntas eius nota, quod acceptetur Episcopatus, quæ acceptatio altissima erit obedientia, hæc enim nihil habet de suo, nec sequitur proprium dictamen, aut prudentiam, sed dictamẽ & prudentiam Superioris, qui ipsum aptiorem iudicat, ad hoc ministerium, vbi autem obedientia in nihilo sequitur propriam prudentiam, & dictamen subditus obediens, procedit vt subditus nihil habens de suo, quamuis dignitas & locus Superior extra Religionem detur, subditus enim hic attãdit in obediendo locũ superiorem & dignitatẽ, sed *ex sola illusione*, tacita quæ est voluntas superioris, militiam Episcopalem ingreditur, quare non habet magis de suo, quam dum quis obedit superiori volenti, quod vadat ad Indos conuertendos; solum est discrimen, quod hoc subditus potest prætendere, non vero dignitatẽ Episcopalem, quia in huiusmodi prætensione multum habet de suo subditus, scilicet appetere honorem, at dum accipit: ex sola illusione appetit onus & sancinam ex obedientia, & charitatis necessitate. Legantur S. Gregor. *lib.* 35. *moral. cap.* 10. *&* 1. *p. Pastor. cap.* 6. August. *serm.* 5. *ad Fratres in Eremo*, S. Clemens Papa *epist.* 1.

Sextum, ex doctrinâ P. Suarez *tom.* 3. *de Relig. cap.* 1. *lib.* 18. *n.* 12. quam ad verbum referre decreui, est enim valde necessaria ad votum nostrum intelligendum: *Non est per se, & intrinsecè malum vouere acceptare Episcopatum: si ab illis temporalibus commodis præscindatur, & multo magis si contrariis incommodis iunctum sit vt erat in primitiua Ecclesia, & nunc in Iapponia, & China, & aliis similibus locis esse potest, loquor de voto acceptandi, quia tunc iudicium de dignitate personæ Superiori relinquitur, & ita tollitur periculum præsumptionis, alia vero pericula ex dicta conditione Episcopatus; ablata supponimus, vnde procurare Episcopatum, etiam dictis conditionibus suppositis, quia tale desiderium, supponit iudicium de propria sufficientia & dignitate, quæ existimatio de se ipsa periculosa est.* Quibus verbis rationem fundamentalem obtulit nostræ conclusioni: quia si validum est votum de acceptando huiusmodi Episcopatu; ergo est de re meliori secundum se, ergo huiusmodi acceptatio non est materia voti nostri

nostri non acceptandi extra Religionem prælationem aliquam, nisi vouens cogatur præcepto eius qui præcipere potest sub peccato, vt vouent ipsi, vel nisi cogatur obedientia Summi Pontificis, quod *concl.* 3. amplius declaro.

22 Septimum ex alia eiusdem doctrina *ibid. n.* 13. explicantis materiam voti nostri solẽnis, & sui simplicis. *Qui vouet non acceptare Episcopatum* (ait) *semper habet subiunctam cõditionem nisi præcipiatur ab habente potestatem & ideo solum vouet non procurare illum, nec propria sponte, & quasi nixus suo iudicio de propria sufficientia illud accipere, nec propter temporalia commoda, sed propter solam obedientiam, vel necessitatem charitatis illum suscipere, & ita per huiusmodi votum non fugitur Episcopatus, vt status minus perfectus, sed fugitur modus minus perfectus ascendendi ad illũ, & ita quoad hoc votum tale est de meliori bono,*
23 *& non claudit ianuam maiori bono, quia semper patebit ingressus ad Episcopatum, si superior præcipiat.* Quibus verbis clarissimè probatur nostra conclusio, quia quãdo Episcopatum accipit quis non propria sponte, nec nixus proprio iudicio de sua sufficientia, sed propter solam obedientiam, aut necessitatem charitatis, hæc acceptatio non est materia voti nostri, quod semper habet cõditionem imbibitam, nisi superior præcipiat illum recipere, aut declarat esse necessitatem charitatis, atqui præceptum superioris expressum & formale non requiritur, vt perfectissima obedientia, sed sufficit, quod Pontifex suam explicat voluntatem, qua ordinat alicui, quod Episcopatum accipiat, vt
24 ministraui *difficult.* 8. † quamuis non ordinet sub peccato, sed tanquam superior, rursus eo ipso, quod eligat in Episcopatum, iudicat, quod electus est aptior ad regendum oues, nam, vt vidimus ex Trident. semper eligendus est, ad Episcopatum aptior ad illius ministeria, & sic facto ipso declarat Pontifex, quod nullus alius aptius adimplebit munus suum, & succurret Ecclesiæ necessitati, certè quidem, vt quis subditus nullatenus regatur proprio iudicio, sed totaliter subdatur obedientiæ sui superioris, actumque perfectissimæ obedientiæ exerceat, non videtur necessariũ rigorosum præceptum, quamuis in pluribus requiratur potestas præcipiendi sub pœna peccati, vt simplici ordinationi propria obedientia obtemperet, quia ad obedientiam propriam requiritur præceptum saltem tacitum, ex vi cuius si quis non obedit, potest superior præcipere sub formali & expresso præcepto, quod sub pœna peccati obediat, quia
25 † expressum præceptum exprimit vim coactiuam quam habet superior; si ergo subditus perfectè obedit voluntati superioris sibi manifestæ, ad quid exigitur formale & expressum præceptum, nam iusto non est positum præceptum, aut lex, vt dicitur 1. *ad Timot.* 1. *n.* 9. sed iniustis & non subditis, quia scilicet ad exequendam ordinationem superioris non exigit, quod lex ipsum cogat sub peccato, & pœna quantum ad vim coactiuam, vt est communis Patrum intelligentia Chrysostomi, Euchumeni, Theophilacti. *ibi* D. Th. *lect.* 2. Lyra *n.* 1. egregiè D. Aug. *in Psal.* 118. *concio.* 11. Anselmi, Ambrosij, Iustiniani, & Cornelij à Lapide. Quare securè vnus ex nostris si Pontifex ordiner, quod accipiat Episcopatum sine formali & expresso præcepto accipit.

Dico tertio, † hoc præceptum tacitum, 26
siue voluntas superioris ordinantis alicui ex nostris, quod Episcopatum Indicũ, Æthyopicum, Iapponicum, Armenum, Chinensem & aliquos noui orbis accipiat, aut declaratio, quod obligat charitatis necessitas, à nullo alio superiore hodie dimanare potest, nisi à Summo Pont. qui sibi hoc præceptum, ordinationem, & declarationem priuatiuè, quod ad omnes alios reseruauit respectu Religiosorum quorumcumque ordinũ habentium votum simplex, aut solemne, aut
iuramentum. Hoc assertum hodie est in- 27
dubitatum, quia definitum & decisum ab Vrbano VIII. *in Bulla de ann.* 1643. *Pontific. sui ann.* 20. incipit *Honorum.* vbi habetur à nullo alio superiore Regulari, aut non Regulari posse hoc præcipi, aut ordinari sub quocunque motiuo etiam missionum.

Verum cum tam omnium superiorum 28
(qui aliàs ante hanc Bullam poterãt præstare) specificam imò & indiuidualem fecerit exclusionem, non tamen exclusit Congregationẽ, siue Regularium & Episcoporum, siue Congreg. de propaganda fide, quia videlicet huiusmodi Congregationes in rebus grauibus sicut est ista, nihil faciunt, aut decernunt inconsulto Summo Pontifice, qui si annuit cõsultus iam ordinatio ab ipso primo fonte dimanat de quo reseruatum est, solum bibere in hac materia, quare si huiusmodi Congregationes circa hoc aliquid decernant earum decretum tuto exequi potest, & debet quia Papa per has Congregationes declarat, aut præcipit, vt admittatur dignitas extra Religionem. Cæterùm aduerte, quòd Bulla Vrbana solùm loquitur de Religiosis illis qui quartum votum de non acceptando extra Religionem prælationem, vel dignitatem emittunt, de aliis verò nihil innouat, sed suam vim relinquit, sicut antea, nec sibi reseruat Pontifex huiusmodi præceptum imponere, aut obligationem declarare.

DIFFICVLT. XII.

Vtrum Iuramentum Bernabitarum comprehendatur in Bulla Vrbana.

SVMMARIVM.

1. *An Bulla Vrbana comprehendat Religiosos qui non sub voto, sed sub iuramento se obligant ad non acceptandum Episcopatum.*
2. *Ante quod decretum materia voti solum erat in hac Religione ad quam se extendebat intentio vouentis.*
3. *Secunda Bulla Vrbana de quo voto loquatur.*
4. *D.Thom. & aliorum sensus.*
5. *An iuramentum factum Deo cum sit promissorium intrinsecè & essentialiter imbibat promissionem Deo factam, atque adeo sit votum.*
6. *D.Caiet. opinio affertur.*
7. *An iuramentum Bernabitarum comprehendatur sub Bulla Vrbana.*

1 SEd nunquid †Bulla Vrbana comprehendat Religiosos qui non sub voto, sed sub iuramento se obligant ad non acceptandum Episcopatum, sine Summi Pontificis præcepto, vt sunt Patres Bernabitæ, qui de hoc iuramentum & non votum emittunt Pellizarius *t.1.tr.4.c.5 sect.4.* dicit, quod ex decreto Vrbani VIII. quod habetur *t.4. & est in ordine* 140. comprehenditur, ita vt Bernabita translatus etiam legitimè ad aliam Religionem solus Summus Pontifex potest præcipere, quod accipiat Episcopatum, aut declarare, quod teneatur lege charitatis illum recipere & acceptare. Sed duo sunt decreta valdè diuersa, vnum quod Religiosus translatus dimissus & expulsus qui voto, promissione, aut iuramento erat obligatus in priori Religione de non procuranda, aut acceptãda dignitate extra Religionem, manet etiam obligatus & ligatus in alia Religione, & hoc dicitur in decreto *illo* 140. iuxta quod in foro externo punietur, qui secus fecerit, at in foro conscientiæ non peccabit contra votum & iuramentum factum, qui iam cessabit cum cessauerit eius obligatio, quæ ante præfatum decretum solum erat, dum quis in illa communitate perseuerabat, vt Suar. *t.4. de Relig lib.6.cap.9.n.12.& 13.* Diana *p.5.tr.2. Resol.65.* Pellizarius *vbi suprà vers.dixi in foro.* dixi ego, † ante præfatum decretum, ante 2
quod materia voti solùm erat in hac Religione, ad quam se extendebat intentio vouentis, at post præfatum decretum iam necessario ex vi constitutionum & huius decreti illarum declaratiui necessario votum, aut iuramentum extenditur etiamsi quis sit translatus ad aliam religionem, aut sit expulsus habitu regulari priuatus per sententiam damnationis ad triremes, tenetur enim in conscientia & non prætendere, & non acceptare.

Alterum decretum † seu Bulla Vrbana est 3
de ann.1643. quæ incipit *Honorum.* & hæc, vt legenti constabit, loquitur de voto solum, nec vllam mentionem facit de iuramento, & in iure, non ea quæ traduntur de voto traduntur de iuramento, & sic qui habet potestatem delegatam dispensandi in voto, vel ea commutandi, non habet eandem circa iuramenta soli Deo facta, vt tenent Azor *1.part.lib.11.cap.10.quæst.1.* Nauarrus *in Summ.Latin.cap.27.num.275.& lib.2.consil.de iureiurand.consil.3.aliàs 6.num.6.* Lopez *part.2.instructio.de clauſ.c.9.vers.ad punctum.* ergo cum Bulla Vrbana solùm loquatur de voto, siue solemni, siue simplici & nullam mentionem faciat de iuramento, sitque reseruatoria, & declaratoria, de voto intelligenda est, non de iuramento. Vnde reseruatio voti Religionis, aut castitatis respectu Summi Pontificis non comprehendit iuramentum etiamsi sit factum Deo, † quia vt ait D.Thom. *2.2. quæst.89. art.8.* 4
& ibi D.Caiet. *vers.sed differentia*, quos sequuntur. Tabiena *verb.iurare num.21.q.20.* Nauarrus *vbi suprà num.4.& 5.* Ledesma *2. part.Summæ tract.11.num.2.* & alij doctissimi Neotrici, vt refert Sanchez *lib.8. de Matrim. disp.13.n.3.* vinculum voti maius est, quam iuramenti, & sic videtur Vrbanus VIII. solum reseruasse, votum non iuramentum.

Sed in contrarium est, quia † iuramen- 5
tum factum Deo cum sit promissorium intrinsecè & essentialiter imbibit promissionẽ Deo factam atque adeo est votum, vt tenẽt Aragon *2.2.quæst.89.art.9.* vbi D.Caiet. *statim in principio.* Suarez *tom.2. de Relig.lib.6. cap.14.à num.6.* & Sanchez *lib.4.Summ.c.53. num.9.* Soto *lib.8. de Iustit.quæst.1.art.9.* Toledo *lib.4. Summ. cap.23.num.2.* Azor *vbi suprà quæst.3.* Valentia *2.2.disp.6.q.7 punct.4.* & est communis sententia, quam eruditè confirmat Sayrus *in claui Regia lib.5.cap.8.nu.9.* & D.Thom. intelligendus est, quum iuramentum fit homini propter ipsum hominem. Quare hoc mihi arridet ex fundamento Caietan. *vbi suprà art.9. §.in art.9. Quia † cessante præiudicio hominis, ita iura-* 6
menta subjciuntur Ecclesiæ potestati, sicut & vota, & cum iuramentum sit minus obligatorium, quam votum, consequens est, vt omnia iuramenta subsint inferioribus Papæ, quæ si essent vota subessent eisdem, quia concessum est posse ordinare in maius concessum est posse ordinare in minus, & similiter videntur reseruata omnia iuramenta Papæ, quæ si essent vota essent Papæ reseruata, vt iuramentum de castitate, & huiusmodi.

Hæc

7 Hæc Caiet. ex quibus liquet, quod † iuramentum Bernabitarum comprehenditur sub Bulla Vrbana citata, vbi autem militat eadem omnino ratio, militat eadem iuris dispositio, vt est axioma inter vtriúsque iuris Doctores receptissimum.

DIFFICVLT. XIII.

Quis, & à quo possit cogi, vt dignitatem extra Religionem accipiat.

SVMMARIVM.

1. *An dignitatem intra Religionem accipere & in electionem ad illam consentire possit quis adstringi per electores Regulares præcepto sub mortali.*
2. *De coactione extra Religionem accipiendi dignitatem quid veniat dicendum.*
3. *Variorum Authorum sententiæ adducuntur.*
4. *An sede vacante in aliis Ecclesiis Canonici habeant iurisdictionem ordinariam Episcopi.*
5. *Ratio difficultatis affertur, & n.6.7.*
8. *An multis modis possit canonice electus in summum Pontificem cogi & obligari sub mortali, vt accepet Sum.Pont. & n.9.*
10. *Collegium Eminentiss. Cardinalium in conclaui inclusorũ in quo tractatur de electione Summi Pontificis, habet potestatem præcipiendi ei qui canonicè est electus, vt acceptet Summam dignitatem.*
11. *Societas & corpus mysticum Ecclesiæ compactum & institutum est iure diuino ex capite visibili Summo Pontifice & aliis membris.*
12. *An illis quibus ius diuinum concedit, quod plus est, concedat quod minus est.*
13. *Cardinales sede vacante si fortè sit schismà possunt legitimè conuocare Concilium vniuersale, ad sedandum schismà.*
14. *In Collegio Cardinalium in conclaui inclusorum, an resideat potestas iure diuino naturali sibi concessa ad præcipiendum electo canonice, vt acceptet.*
15. *Prouisio de capite vniuersali corporis mystici Ecclesiæ vbinam stet.*
16. *An Cardinales electores facta electione ante acceptationẽ non sint Superiores electo.*
17. *Bonac.mens adducitur, necnon Authoris iudicium, & n.18.19.*
20. *An Collegium Cardinalium durante sede vacante nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat in iis quæ pertinent ad Sum.Pont.dum viueret.*

1 DIxi extra Religionem, quia † dignitatẽ intra Religionem accipere & in electionem ad illam consentire certum est posse electores Regulares Prouincialẽ, aut Ge-

neralem adstringere & obligare præcepto, sub mortali est hoc indubitatum, si enim nõ esset potestas in Religione, qua cogeretur subditus præcepto formali ad acceptãda officia regiminis Regularis, sed expectandum esset, vt de foris hæc coactio adueniret, valdè difficile redderetur regimen regulare, cum meliores & aptiores ferè semper excusentur, nisi cogantur, & dubio procul est materia voti obedientiæ regularis, quod quis in huiusmodi acceptatione obediat, cum ad Regulæ obseruantiam dirigatur, ad quam potest obligari formali præcepto.

De coactione ergo † extra Religionem 2
accipiendi dignitatem, certum etiam est, vt vidimus, quod si loquamur de illis Religiosis, qui habent votum, aut Iuramentum ex vi Regulæ est indispensabile, aut relaxabile tale votum ab alio quam à Summo Pontifice, sic decernente Vrbano VIII. sua Bulla quæ venerata est & recepta in Hispania, cũ sit decretum Regium, vt nullus suæ Maiestati proponatur, aut nominetur, aut præsẽtetur ad Episcopatum, ex his qui tale votum emisere, dixi ex vi Regulæ, quia si quis emiserit votum particulare ex deuotione sua, aut humilitate non acceptandi dignitatem extra Religionem, poterit superior illud irritare, aut dispensare, aut commutare, & cogere subditum si aliàs aptiorem iudicat, vt ob bonum Ecclesiæ, aut specialem honorem Religionis talem dignitatem acceptet. Dixi etiam in Religiosis, qui habent quartum hoc votum, nam si nolint non obstante Bulla Vrbana possunt cogi formali præcepto à suo superiore, vt acceptet, vt suprà diximus.

Sed nunquid Religiosos habentes ex vi Regulæ votum præfatum, quod sibi declarandum reseruauit Pontifex, qui solus cogere potest tales Religiosos, vt acceptent obedientia sua, tacito præcepto, aut expresso, id possunt Eminentissimi Cardinales in Sede Apostolica vacante, dum sunt in conclaui tractantes de electione conclusi, & congregati. † Negant Pellizarius *num.256.* ex San- 3
chez *lib.2.Summ.cap.10.n.44.* Valdelus *infrà citandus.* Adfirmant Vgolinus *lib.de censuris Papæ reseruat.2. part.cap.1.verb.ac eorumdem libror. §.1.n.1. vers.2.* Henrriq. *lib.14.de Irregularit. cap.18.num.2.* & alij quos refert Glossa *cap.vnico verb.sede de Schismati.in 6.* qui textus, (ait Sanchez) huic sententiæ fauet Hostiensis, *cap. cum ex eo in fine.de pœnit. & remissio.* vbi id valdè neruosè, & efficaciter confirmat, non enim videtur esse ratio efficax, cur † sede vacante in aliis Eccle- 4
siis Canonici habeant Iurisdictionem Ordinariam Episcopi, & non habent Iurisdictionem DD. Cardinales in Sede Apostolica vacante. *Neque obstat*, (ait Hostiensis) *ex hoc posse schisma, scandalum, & vacationem*

diutinam suscitari, quia id posset esse verum, si indistinctè concederetur, sed restringi debet ad necessaria vel vtilia Ecclesiæ, seu Reip. quibus omnino prouidendum est, *cap. scias. 7. quæst. 1.* sed quid sentiendum dicam infra. De Concilio autem Generali legitimè congregato in casu schismatis ad tractandum de electione veri Pontificis, & depositione schismatici, & Cardinalium, qui schisma fouent, & schismaticum defendunt, an possit hanc coactionem facere præcipiendo, vt quis Episcopatum accipiat, etiamsi ligatus sit voto de non acceptando, idem dicendum est, ac de congregatione Cardinalium in Conclaui, Sede Apostolica vacante, de qua quid sit sentiendum iam enucleo.

5 Maior difficultas est, † an si sacrum Cardinalium Collegium in Conclaui inclusum aliquem ex Eminentissimis Cardinalibus in summam dignitatem eligant, & electus nolit acceptare, & consentire possit Collegium sub formali præcepto cogere, vt accipiat, consentiat, & acceptet. Cardinalis de Lugo, *lib. responsionum Moraldub. 5. num.* 18. dicit difficile videri hanc potestatem absolutam præcipiendi, vt acceptetur electio; quia huius potestatis exercitium nunquam legitur in historiis Ecclesiasticis, ad executionem reductum, etsi constet multos restitisse, precibus tamen, & instantia cleri, & populi Romani consensum præbuisse, vt
6 constat *in Victor. III. anno* 1083. nunquam tamen præcepto coactos inuenimus. Probatur secundò, quia nullus videtur esse in terra, qui id posset præcipere Summo Pontifici, cum nullus sit in terra superior illo, quamuis enim ante acceptationem non sit adhuc Summus Pontifex, atque ideo sit subditus Ecclesiæ, & eius legibus, ac præceptis teneatur, in ipso tamẽ momento in quo acceptat, eo ipso desinit esse sub eius potestate, & iurisdictione, atque adeo non apparet quomodo eodem momento possit tanquam subditus exercere actum propriæ obedientiæ, & acceptare Pontificatum propter obligationem obedientiæ, quam obedientiam eo ipso instanti exercere non potest cum iam tunc, si acceptat nullius in terris sit subditus, nec possit alicui propriè obedire.

Hæ rationes Doctissimi Cardinalis nullius ponderis sunt, & facilè dilui possunt, vt ipsemet dicit in fine dubij, vbi indecisam
7 relinquit dubitationem. *Ego enim* (inquit) *in hoc puncto nihil definire auderem, sed casu occurrente iudicio Ecclesiæ acquiescerem, quæ melius potestatem suam Deo illuminante agnoscere posset.* Hactenus Eminentiss. & quidem motiua adducta nihil in re, tam graui concludere. Mihi manifestum est: Non primum, quia etsi nũquam factum legatur, quod electores Pontificis illi imposuerint præceptũ, vt acceptet hoc ideo factum est, non quia non possint sic præcipere, sed quia non iudicabant necessarium, priusquam aliis modis suauioribus ob reuerentiã personæ, quæ futura erat caput Ecclesiæ vterentur, etsi aliquantulum differretur acceptatio, vt contigit in electione Victoris III. Præceptum enim vltimum est remedium ad iubendum. Præterquam, quod non est optimum argumentum, nunquam hoc est exercitium; ergo non potest exerceri, nunquam enim visum est, quod Pontifex dispenset in Ecclesia Latina, quod si ipse vel alius Episcopus habeat vxorem: ergo non potest dispensare, mala est illatio, vtpote à negatione exercitij ad negationem potentiæ. Secundum etiam argumentum prorsus est inefficax, vt visum in simili supra, *difficult.* 3. vbi quam sit inerme multis monstraui, quæ hic repetenda non sunt.

Igitur existimo † multis modis posse ca- 8
nonicè electũ in Summum Pontificem cogi, & obligari sub mortali, vt acceptet Sũmum Pontificatum. Primò, si fiat Pontificia, aut Conciliaris Constitutio, quod electus canonicè non renuat, sed acceptet summam dignitatem ob Ecclesiæ bonum, & ne differatur electio, quæ dilatio si nimia est magnum infert Ecclesiæ damnum, & detrimentum in eius gubernatione, & regimine, quæ lex cum sit grauissima, & de re concernente vniuersam Ecclesiam, dubioprocul vniuersos Cardinales obligat in casu quo illigatur quisque illorum, illique imperat sicut quælibet alia lex subditis legislatoris, & Cardinalis electus subditus est illius legis quousque acceptet, & acceptat (si vult) ex obedientia illius legis, quamuis in instanti, in quo acceptat desinat esse subditus, verum enim est dicere nunc non est subditus, & immediatè ante toto tempore antecedenti fuit subditus illi legi, ex vi cuius & ipsius imperio cogitur ad acceptandum, quia acceptatione fit non subditus.

Secundo si fiat Pontificia cõstitutio, quod 9
propter pacem, & bonum vniuersale Ecclesiæ omnes Cardinales iurent, & promittant se non restituros electioni de se factæ in Summum Pontificatum, sed consensuros illi, neque ad hanc constitutionem faciendam nõ requiritur magna Ecclesiæ necessitas, sed solum sit præseruatiua, ne schismati locus detur, ne cũ damno Ecclesiæ electio capitis vniuersalis differatur, ne Regum & Principum politicis prætẽsionibus ostium apertum sit, sed etiam ac Spiritus Sanctus mouit electores, vt hanc eligerent certificetur Ecclesia, quod hic & nunc, & in præsentibus circunstantiis hic electus aptior, & dignior est cum sit de fide per se secundo, vt

vt legi Romæ *ann.* 1625. quod hic homo verbi gratia Alexander VIII. electus canonice est Petri successor, quod enim electio hæc sit infallibiliter certa, non pendet ab acceptatione electi, sed ab electione Cardinalium, quibus in hac electione spiritus Sanctus infallibiliter assistit, propter Ecclesiæ tam necessarium bonum quale est ipsius visibile caput in terris. Quare huiusmodi constitutiones, & leges canonicas, quamuis de facto non extiterint in Ecclesia, posse tamen existere de plenitudine potestatis Pontificiæ mihi adeo certum est, vt hanc potestatem negare mihi tutum non sit, quod sequenti discursu confirmabo.

10 Tertiò, existimo † Collegium Eminentissimorum Cardin. in conclaui inclusorum in quo tractatur de electione Summi Pontificis, & de prouidendo capite visibili Ecclesiæ, Christi Vicario, & successore Petri habet plenam potestatem (si ita expedire ad bonum commune, & rectum ouilis Christi regimen iudicauerint) præcipiendi ei, qui canonice est electus vt acceptet dignitatem Summam suique electioni consentiat. Hoc mihi certissimum est ex pluribus primò, ex demonstratione quam ponit S. Thom. *lib 3. de Regim. Princip. cap.* 11. agens de Principe exigente tributa cui exigentiæ tenentur subditi parere, & Principi obedire, vbi sic ait S. Doctor. *Principes suis stipendiis debent esse contenti, nec subditos suos grauare possunt in bonis eorum, & rebus nisi in duobus casibus videlicet ratione delicti, & pro bono communi sui Regiminis. Quod pro bono Reipubl. possit exigere, sicut pro defensione Regni aut pro quacumque alia causa pertinente rationabiliter ad bonum commune sui Dominij. Ratio est in promptu quia supposito quod humana Societas sit naturalis omnia necessaria ad communem conseruationem dictæ societatis erunt de iure naturæ, sic supposito dominio regali potest Rex exigere à subdito quod ad bonum ipsorum requiritur*, & infra. *Rex qui est artifex Architectus dictæ societatis non debet deficere, sed omnem defectum supplere cum ipsa societate.*

Quæ demonstratio naturalis Politica in
11 ciuilibus manifestas habet vires in præsenti, quia † societas, & corpus mysticum Ecclesiæ compactum, & institutum est iure diuino ex capite visibili Summo Pontifice, & aliis membris ergo omnia necessaria ad communem, & integram hanc Ecclesiasticam societatem integre conseruandam de iure diuino est, ergo supposito quod Eminentissimis Cardinalib. in conclaui inclusis competit prouidere de capite, & quod corpus mysticum *zephaloticos* consistat habens visibile caput, ex vi huius potestatis electiuæ, si prudenter iudicent imponere præceptum electo, vt acceptet iure diuino habent potestatem ad id imponendum, quia aliter Ecclesiæ corpus conseruari nequit, nisi expositum magnis periculis, & magnis detrimentis in regimine Monarchico, quod instituit Christus, & quidem multo magis est hoc necessarium, quam quod Rex possit imponere subditis tributa, exactiones, & gabellas ad bonum commune sui Regni, & regiminis conseruandum, hæc autem potestas Cardinalium restringenda est ad necessaria, & vtilia Ecclesiæ quibus prouidere tenentur ex vi potestatis electiuæ sibi à Deo traditæ, si diu procrastinetur vacans Sedes Apostolica, & omnia negotia Ecclesiæ in suspenso maneant.

Secundum, quia † illis, quibus ius diui- 12
num concedit quod plus est, concedit quod minus est maxime si hoc ordinatur ad exequendum id quod maius est, & ad quod per se datur potestas faciendi illud *cap. cui licet de Regul. iur. in 6. leg. non debet Deodem.* Hinc est quod † Cardinales sede vacante si forte 13
fit schisma, possunt legitime conuocare Concilium vniuersale, & præcipere Episcopis vt conuocentur in tali loco ad schisma sedandum, & Conciliuum hoc legitimum in ordine ad id ad quod legitimè est conuocatum potest præcipere iis, qui prætendunt ius ad Pontificatum vt cedant iuri suo, vt prouideatur de certo capite Ecclesiæ, potest priuare Cardinales qui schisma fouent, aut excitarunt, iure eligendi, imo, & ipsum Concilium simul cum Cardinalibus, qui supersunt potest eligere Pontificem, & in ordine ad hoc potest facere quidquid iudicauerint P.P. necessarium, vt Ecclesiæ caput visibile certum, & indubitatum sit, vnde si opus fuerit Concilium potest præcipere electo, vt dignitatem accipiat, ergo cum quantum ad hoc eadem potestas insit Dominis Cardinalibus in conclaui, sede Apostolica vacante, si ipsi iudicauerint expedire præcipere electo vt acceptet, id dubioprocul possunt præcipere, quia non solum habent ius suffragij ad electionem, sed etiam habent potestatem ad prouidendum de capite visibili Ecclesiæ, aliàs non esset sufficienter prouisum à legislatore Christo ad continuandum suæ Ecclesiæ caput. Relinquere autem hoc prouidentiæ extraordinariæ vt signis, & miraculis factis mõstretur à Deo quod iste cõuenit, vt sedeat in Cathedra Petri, & talibus miraculis cogatur ad acceptandum sicut aliquando factum est tam respectu Summi Pontificatus, quam aliorum Episcopatuum, hoc non est prudenter dictum; quia miracula nõ sunt petenda, aut expectanda à Deo in rebus quæ ordinaria via possunt exequi, aliàs enim si expectatis miraculis ea Deus non operaretur, regimen humanum turbaretur, & esset occasio magnarum litium, & schisma

14 schismatum, satius ergo multo est dicere † in collegio Cardinalium inclusorum in conclaui residere potestatem iure diuino naturali sibi concessam, ad præcipiendum electo canonice vt acceptet, si hoc necessarium iudicauerint, ad defensionem, & pacificationem Ecclesiæ, quia ea possunt præcipere quæ ad hunc finem possunt deseruire, vt bene Suarez *lib.4.de legib.cap.6.n.4.* loquens de Concilio congregato tempore schismatis *iuncto n.7.*

Tertium, quia licet penes collegium Cardinalium iure Clementinarum, & nouo Pij V. vt dicam modo non resideat iurisdictio Pontificis, sed solum potestas ad prouidendum de capite vniuersali corporis mystici
15 Ecclesiæ, cæterum hæc prouisio de capite non stat perfecte in præcisa electione Canonica, sed in hoc quod de facto sit caput, quod influat in membra, & non influit, ex hoc præcisè quod eligatur, nisi electus acceptet, & consentiat electioni; ergo cum potestas ad dandum caput Ecclesiæ non sit data imperfecta à Christo, necessario est concedendum quod perfectissime sit electoribus concessa, quam sic non habebunt nisi possint Cardinales in conclaui præcipere electo quod acceptet, aliàs non esset perfecte prouisum Ecclesiæ de capite suo constituendo ab electoribus, reducere autem quod Pontifex electus consentiat, ad lumen internum quo electus agnoscat se resistere diuinæ voluntati non consentiendo, & ad specialissimam, & extraordinariam prouidentiam Dei, qua Deus ipse disponit quod consentiat si electus est necessarius ad regimen Ecclesiæ potius est diuinare, quam asserere prudentius enim dicitur, & humano modo operandi conuenientius, quod Cardinales electores possunt præcipere electo vt acceptet. Et quidem omnino falsum est, quod
16 † Cardinales electores facta electione ante acceptationem non sint Superiores electi, & quod electus non est subditus Ecclesiæ, & ejus legibus, siquidem ante acceptationem, non est reipsa caput Ecclesiæ, nec est vicarius Christi, & Petri successor, nec aliqua omnino iurisdictio illi data est à Christo Domino, vnde si acceptationem contra aliquã legem Ecclesiæ qua tenentur etiam Cardinales operaretur, peccaret absque dubio, sicut & alij, & incurreret censuram sicut, & alij à qua si nõ acceptaret esset absoluendus, illi ergo potest Cardinalium conclaue præ-
17 cipere vt acceptet, quod † tenent Bonac. *in pract.de electio. Summi Pontificis quæst.2.n.12.* Sopranus, Bonacin. Præceptor *in simili tract. lib.1.cap.18.* Quare miror Cardinalem de Lugo *vbi supra num.15.* dixisse non inuenisse se aliquid ab Auctoribus definitum cum id antequam Cardinalis prælo mandaret responsa, Sopranus, & Bonacina hoc punctum definierint.

Existimo quartò, si loquamur de iure Canonico Decreti, & Decretalium etiam in sexto libro, Collegium Cardinalium in Conclaui, Sede vacante habet iurisdictionem in his quæ grandi necessitate euidenti, & imminenti expedire oportet. Hæc est sententia. Hostiens. *vbi supra*, & aliorum quos retuli, quorum fundamenta congessit Glossa *cap.vnic.de schismati.in 6.* quæ valde vrgentia sunt, & videri quisque potest; & satis innuit Bonifacius VIII. *ibi*, vt notat Sanchez *citatus.*

Si tamen loquamur iure clementinarum, & aliorum Pontificum Summorum consti- 19
tutionum à Pio V. & aliis successoribus eius irritum & inane decernitur, si cœtus Cardinal. duxerit exercendum (*Sede vacante*) aliquid iurisdictionis; quæ pertineat ad Romanum Pontificem; dum viuit, quod eleganter explicat vbi Glossa. Totum id clarissimè exprimitur in Bulla Pij V. quæ incipit, *In eligendis*, quam edidit super electione Pontificis *anno* 1562. vbi decernitur. Quod † Collegium Cardinalium durante Sede vacante nullam omnino potestatem, aut Iuris- 18
dictionem habeat in iis quæ pertinent ad Summum Põtificem dum viueret, & quod, nec gratiam, nec iustitiam potest facere, aut executioni mandare, nisi iam erat facta per Pontificem. Quare ita tenent Suarez *de legibus, lib.4.cap.6.num.5.* Salas *disput.8.sect.8. num.45.* Bonacina *disputat.1.quæst.1.punct.3. numer.26.* Azor *2.part. lib.4. cap.3. quæst.1.* Diana *part.5.tractat.2.resolut.9.* vbi plures citat.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrum si Pontifex sine causa vni ex nostris præcipiat, quod acceptet extra Religionem, aliquam dignitatem, teneatur, vel possit, eam acceptare?

SVMMARIVM.

1. *An si Pontifex sine causa, & pro suo libito vni ex nostris præcipiat quod acceptet Episcopatum ad quem non acceptendum obligatus ex voto existit, possit vel teneatur illi obedire.*
2. *Obligatio orta ex voto non est absoluta, sed dependens ex præcepto Papæ.*
3. *Authoris iudicium adducitur. & n.4. & 5.*
6. *Omnis dispensatio voti debet fieri ad honorem Christi in cuius honorem dispensat Pont. vel ad vtilitatem Ecclesiæ quæ est eius corpus. Ex S.Thoma. & n.7.*
8. *Aliud est de dispensatione, & aliud de commutatione iudicium, ex Caiet.*

9. *Quo dignius est votum, & ad obseruantiam regularem, vitamque Religiosam conseruandam; eo maiorem causam dispensandi exigit. & n.10.*

QVod inquiro de vno ex nostris etiam inquiritur de quocunque alio, qui ex vi Regulæ suæ emittit votum siue solemne siue simplex de non acceptando Episcopatu, non est ita facilis explicatu difficultas, etsi enim Pontifex si in legibus suis dispenset teneat dispensatio, & ea subditus dispensatus licite vti valeat, & aliquando teneatur ea vt, tamen quum obligatio voti sit iure diuino, in quo Pontifex sine causa nequeat, dispensare, & in ista non subsistit, dispensatio nulla est, nec tuto ea quis vti potest, iure dubitatur, an † si Pontifex sine
1 causa, & pro suo libito mihi præcipiat, quod acceptem Episcopatum, ad quem non acceptandum obligatus ex voto existo, possim, & tenear illi obedire.

Pellizar. *tom.1. Manual. tract.4.cap.5. sect.4. n.165.* ait, quod hoc potest fieri tuta cons-
1 cientia, quia † obligatio orta ex hoc voto non est absolura, sed dependens à præcepto Papæ, quare est conditionalis nisi ad sit præceptum Papæ, quare hoc præcepto posito non verificatur conditio, & sic obligatio non exerit vires suas siue præceptum ponatur cum causa siue sine illa quia in voto non exprimitur hoc, sed præceptum Papæ, quare præcipiente Papa voti obligatio euanescit, & sic possum acceptare, sicut votum Religiosorum factum ab ipsis de ieiunando, orãdo, & similibus, cum habeat hanc conditionem imbibitam, vt obliget, quousque Superior irritauerit, eo ipso quod irritet siue cum causa, siue sine illa huius voti vinculum omnino dissoluitur.

3 Sed hæc sententia non est vsquequaque vera † quia vel Pontifex dum præcipit vtitur potestate dominatiua irritando votum emissum, & hoc dici non potest, quia alias sine præcepto posset irritare votum hoc, & omino Religiosum ab illo liberare pro suo libito, sicut potest quilibet Superior Religiosus irritare vota quæcunque facta à suo subdito, etiam sine causa, hoc autem dicere de hoc voto siue solemni, siue simplici siue iuramento facto ex vi Regulæ omnino absurdum est, quia pertinet ad substantiam regulæ, ab ipsomet Pontifice confirmatæ, qua confirmatione stãte votum hoc non
4 potest irritari, quia confirmatio regulæ confirmat votum regulæ, quo stante implicat, quod irritetur, & quod non obliget, quia stante voto eius obligatio est de iure naturæ, vt egregie aduertit D. Caiet. *2.2. quæst.88. art.12.§.ad secundæ quæstionis euidentiam. ver. & propterea*, & cum nullus Superior Regularis nequeat illud irritare, etiam nec Pontifex potest, quia vt Pontifex non habet (vt sic liceat loqui) potestatem dominatiuam (à qua dimanat posse vota irritare) sicut quilibet alius Superior Regularis in suos subditos, cum hæc fundetur in voto obedientiæ solemnis qua tenentur obedire Papæ tanquam altiori Superiori Regulari, vt bene aduertit Thom. Sanch. *lib.8.in Decalog. cap.33. num.13.* non enim Papa quatenus Papa habens iurisdictionem in omnes fideles potest vota Religiosorum irritare, sed quatenus Papa, cui promittitur obedire secundum regulam.

Vel præcipit vtendo plenissima potesta- 5
te iurisdictionis, quam habet in omnem fidelem vt dirigat in finem supernaturalem, & secundum hanc potestatem procedit dispensando in voto, atqui vt huius dispensatio valida sit, requiritur causa, & sine illa dispensatio non subsistit, quia vt ait D. Thom. *art.12.cit.* † *Omnis dispensatio voti debet fieri ad honorem Christi in cuius honorem dispensat, vel ad vtilitatem Ecclesiæ quæ est eius corpus*, quod egregie enodauit ibi Dom. Caietan. *§.cit.versic.ex hac tamen parte.* Potestas autem à Christo data Prælatis in ædificationem ex hac parte commutat, & dispensat. Vnde vt valida sit dispensatio causa exigitur, alias dispensandi potestas non esset data in ædificationem, sed in destructionem.

Cuius egregium, & solidum fundamen- 6
tum posuit D. Thom. *art.12.cit.ad 2.* contra quosdam qui asserebant, quod subditus absque omnis remorsu conscientiæ posset votum prætermittere quicumque sibi à Prælato dicuntur: quia intelligitur conditio si placuerit Patri, vel Domino, vel si non renitantur, ait: *Sed prædicta positio falso innititur, quia cum potestas prælati spiritualis, qui non est Dominus, sed dispensator in ædificationem sit data, & non in destructionem.* 2 *ad Co-* 7
rinth.10. Sicut Prælatus non potest imperare ea quæ secundum se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere, quæ secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera, & ideo absolutè potest homo vouere ea, ad Prælatum autem pertinet diiudicare, quod sit magis virtuosum; & Deo acceptum, & ideo in manifestis dispensatio Prælati non excusaret à culpa nulla apparenti causa obstante. quæ D. Caietan. *ibi*, §. *ad euidentiam causæ*, miriffcè enucleat dicens, *sciendum est, quod* † *aliud est de dispen-* 8
satione, aliud de commutatione iudicium. Nam quia dispensatio tollit ex integrò votum tam quoad materiam, quam quoad vinculum, oportet causam obstantem executioni voti interuenire ad hoc, vt licitè deseruatum votum non esse seruandum, alioquin dissipatio est; non dispensatio, nec obstat an causa obstans sit ex natura

puta infirmitate, aut ex malitia hominum excitata, vt si bellum ciuile non potest sedari, nisi puella habens votum continentiæ nuberet, & hoc intendit Author in littera O. 2. Concurrente autem obstante causa quæ redderet executionem voti impeditiuam maioris boni dispensatio ad honorem maiorem Christi, proculdubio fieret, quia facere maius bonum est magis honorare Deum, sed aduerte quod debet esse bonum, quod est causa dispensandi maius non solum bono, quod erat materia voti, sed bono quod erat ipsum votum, quod est actus latriæ, quoniam vtrumque cessat, scilicet votum, & materia.

Ex qua vtriusque Thomæ doctrina, quæ certa est, & communiter recepta, vt videre est in Thoma Sanchez *vbi supra cap.* 45. *à*
9 *num.* 15. † quo dignius est votum, & ad obseruantiam regularem, vitamque religiosam conseruandam, eo maiorem causam dispensandi exigit, ex hac inquam doctrina colligitur, quod dum in quarto voto aut iuramẽto de non acceptando Episcopatu, aut alia dignitate extra Religionem, nisi interueniat præceptum siue tacitum, siue expressum Pontificis, hoc debet intelligi, quod sit prudentiæ actus ex ratione directus, quod habere nequit, nisi habeat causam rationabilem, præcipiendi attento statu, & aliis circumstantiis occurrentibus in subiecto, aliàs præceptum non erit, nec voluntas Superioris, vt Superior est, quare nec possum, nec teneor illi obedire, cum hoc præceptum, non sit de re ad regulam pertinente, imo sit contra finem regulæ, & Religionis, quæ intendit, vt filij sui semper eius vbera sugant intra suum sinum, & gremium perseuerantes, nisi adsit causa vrgens.

Verũ est quod si mihi non constet certo 10
moraliter, quod Pontifex non habet causam præcipiendi, vel de hoc dubitò, & possum & teneor obedire Papæ præcipienti, tum quia non est præsumendum, quod non habeat causam, tum quia est in possessione præcipiendi à qua ob dubium meum excludi non potest. Vnde constat, quam friuolum est fundamentum Pellizarij, eo enim ipso quod exprimatur in voto conditio, nisi Papa præcipiat includitur, quod debeat interuenire causa, quia in hoc præcepto imbibitur dispensatio saltem tacita, quæ non subsistit, sine causa sufficienti ad dispensandum

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS,

Variarum Resolutionum casuum particularium circa iura filiationis Regularis, & exfiliatione ab Ordine per eiectionem.

Post Decretum Vrbani VIII.

VCVSQVE calamus diuagatus est circa substantiam filiationis Religiosæ, de qua nec vulgaria, nec iniocunda dedimus, aliqua alia supersunt circa iura huius filiationis quantum ad plura, de quibus pro varietate temporum interrogatus fui à multis diuersarum Religionum filiis, quæ quia possunt multoties iterum occurrere, visum est mihi ea typis dare.

SVMMARIVM.

1. *Filiatio Religiosa in professione solemni fundatur, remissiuè.*
2. *Qui filij iure diuino sibi nihil tanquam proprium acquirere possint.*
3. *Qui acquirant Religiosi professi ex vi iuriumfiliationis.*
4. *An in multis Religionibus non sint iura filiationis introducta respectu alicuius Prouinciæ, aut domus.*
5. *Quæ Religiones veniant excipiendæ.*
7. *Fama Religiosa factis puris non fucatis verbis acquiritur.*
6. *Senecæ lumine naturali ducti dictamen affertur.*
8. *Authoris iudicium adducitur, & n.* 9.

RESOLVT. I.

Cui acquirant Religiosi professi, iure filiationis regularis.

PRIVS

PRIVSQVAM ad singulares casus deueniamus aliqua quæ apud omnes recte sentientes indubia sunt prælibare oportet. Primum, quod quamuis vt supra vidi-
1 mus † filiatio religiosa in professione solemni fundetur, radicetur, & nitatur (nam filiatio nouitiorum impefecta est, sicut, & filiatio, quam habent scholares societatis post vota simplicia emissa expleto biennio, nam quomodo hæc perfecta filiatio esse potest si scholares isti vna cum tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ faciunt, quartum votum ingrediendi societatem, ergo adhuc non sunt intra societatem, ratione qua vouent illam ingredi, ergo non sunt perfecte filij societatis, sed erunt, de facto ingrediantur iuxta societatis constitutiones quod valde notandum pro his quæ in superioribus dictum est, hos scholares esse vere Religiosos ex priuilegio Apostolico, non ex natura votorum simplicium, quæ emittunt antequam ingrediantur Societatem professorum quam ingredi vouent), vnde
2 † huiusmodi filij iure diuino sibi nihil tanquam proprium acquirere possunt, ex vi voti solemnis paupertatis, quod secus est ex vi veti simplicis in Societate emissi ab scholaribus, qui sibi dominium acquirunt, etiam post emissa vota transacto triennio.

3 Sed † cui acquirant Religiosi professi ex vi iurium filiationis, certum est quod hæc sit determinatio iuris humani siue Pontificij, siue municipalis cuiuscunque religionis iuxta harum decreta, & constitutiones, quæ variæ sunt pro Religionum diuersitate, quæ si sint contra ius commune canonicum nullæ sunt, & nullius efficaciæ, nisi cum illius derogatione confirmentur à Summo Ponti-
4 fice, verum est quod † in multis Religionibus non sunt iura filiationis introducta respectu alicuius Prouinciæ, aut Domus, sed eo ipso quod quis à Generali aut Prouinciali, assignetur alicui Prouinciæ aut Domo est illius filius habens vocem in Capitulo, tam actiuam, quam passiuam, & quidquid acquirit est illius domus in qua habitat qua inconsulta, & sine Capituli localis consensu, nec Generalis, nec Prouintialis possit de his quæ habebat talis Religiosus disponere, sic habet nostra Religio in qua stricta filiatio nõ est introducta, quamuis in aliis Religionibus vsus, & iura filiationis laudabiliter sint introducta, vt habent Gregor. XIV. *in constit. quæ incipit. Circunspecta*, apud Quaranta *in Summa Bullarum pag. mihi* 316. & Clemens VIII. *in instit. Nouitiorum quæ incipit nouit.* §. *quia vero*, quæ filiationis iura varia vt dixi sunt, & sic ipsis non visis vix dici potest, quid sentiendum in casibus occurrentibus nisi secundum vniuersalia iuris, & Theologiæ moralis principia, quæ cedunt particularibus *cap. vt periculum de constitut. in* 6.

Excipio tamen † Religiones illas in qui- 5
bus Generalis habet generalem, & immediatam administrationem bonorum omniũ suæ Religionis, quæ habent domus, collegia, aut conuentus, iste enim potest pro sua voluntate disponere de bonis cuiuscunque etiam particularis, & si decedat bona magna relinquens, quibus vtebatur potest ea generalis applicare cui voluerit domo, aut collegio, imo, & potest disponere quod omnes domus, aut collegia, aut alicuius Prouinciæ vel totius Religionis contribuant ad soluenda debita, quæ aliqua domus, aut Prouincia contraxit siue culpabiliter dissipando bona in sumptus extraordinarios, siue inculpabiliter propter temporum infortunia, imo hoc forsan alicui videbitur sanctius, & prudentius, quam litigare ad non soluendum, & sic creditores maneant insoluti, vociferantes in consistoriis in vicis, & plateis contra creditum, & famam bonam Religionis, quæ pluris æstimanda quam omnes diuitiæ tẽporales. Fama enim † Religiosa factis pu- 6
ris non fucatis verbis acquiritur. Religiosi enim magistri sunt morum qui disputare, & litigare non docent, sed bene moraliter viuere sine alterius iniuria, aliàs quæ Philosophia moralis ab ipsis introduci debet in animis fidelium Philologia erit vana. Valde enim Religiosi viri Magistri virtutum, & doctrinæ sanæ vt iis qui ex aduerso sunt possint inculpate arguere, & conuincere, curare debent, vt verbis opera concordent, vt ipsi sibi vbique pares sint.

Quod præceptum lumine naturali du- 7
ctus Seneca *epist.* 108. suo lucillo intimauit, docuit, & declarauit dicens. *Sic ista discamus, vt quæ fuerint verba sint opera. Nullus autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui Philosophiam velut aliquod venale artificium didicerunt, qui aliter viuunt quam viuendum esse præcipiunt, exempla enim se ipsos inutilis disciplinæ circunferunt. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor quam gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripiendæ sunt vento velæ. Quid me potest iuuare rector nauigij attonitus, & vomitans? Quanto maiore putas vitam tempestate iactari quam vllam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum, omnia quæ dicunt quæ turba audiente iactant aliena sunt.* Hæc ibi, hac enim ratione fit quis Magister efficacissimus ad suadendum, doctrinaque factis roborata summam, & grandem vim habet ad mores introducendos, quod luculenter probat S. Gregor. *lib.* 4. *Moral. cap.* 24. neque enim mos introducitur virtutis ab eo qui opposito vitio est infectus, vnde de quodam

dam qui Antistitem moralis Philosophiæ se esse gloriabatur dixit Lactantius *lib.5. instit. cap.2. Ad amicitias iudicum miro ambitu penetrabat eosque sibi repente authoritate nominis obligabat, vt confines suos quos sedibus, murisque pellebat à suo repetendo, hac potentia retardaret. Hic vero suas disputationes moribus destruebat, vel mores suos disputationibus arguebat ipse aduersus se grauis censor, & accusator accerrimus.*

8 Hæc diggressiuncula in vniuersum † à me proposita est, vt agnoscant religiosæ Communitates, quanta obligatione teneantur ad soluendum debita ab ipsis contracta, vel à Religioso eius filio, quo mortuo bona temporalia, quibus vtebatur acquisierunt, non enim debent ea sibi vsurpare, sed si constat quod re ipsa, quod religiosus ipse debita contraxit, soluant, quia debent, excusata lite, quæ vix non denigrat familiam religiosam, imo si debita sunt contracta pro communitate, Superior tenetur omnibus modis curare vt soluantur, melius est enim bonum nomen quam diuitiæ multæ, vnde audiui, quod vir ille prudentissimus, & Religioso-Politicus valde Reuerendissim. P. Claudius Aqua-
9 viua, sub cuius Regimine magna in spiritualibus, & temporalibus acquisiuit Societas incrementa cum collegium Vlisiponense ingentia habuisset debita, vt in creditu defuerit, ne creditores insoluti manerent ex prouentibus illius totius Prouinciæ, & Indiæ Orientalis præcepit vt soluerentur hæc audiui vt dixi fides sit apud auctorem, quod si fecit prudentissime, & iustissime fecit, & forsan ad hoc ob bonum nomen Societatis conseruandum consensum Pontificis requisiuit.

RESOLVTIO II.

Quis possit iura filiationis alterare?

SVMMARIVM.

1. *Summus Pontifex tanquam supremus Regularium omnium independens Prælatus an possit iura filiationis alterare.*
2. *An plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non debeat exire limites potestatis dispensatiuæ, & n. 3.*
4. *Ius tertij acquisitum non aufertur à Principe sua lege nisi in casibus lege expressis.*

1 SVMMVS Pontifex † etiam tanquam Supremus Regularium omnium independens Prælatus, potest iura filiationis alterare, & de rebus, quæ Religioni contingunt ex vi filiationis alicuius Religiosi professi solemniter, disponere, & cui voluerit ex rationabili causa applicare, etiam extra Religionem. Hoc est certum sicut, quod Pontifex habeat plenam, & absolutam administrationem bonorum omnium Ecclesiarum, tam sæcularium, quam Regularium, quare de illis tanquam dispensator, & administrator nullis legibus humanis subiectus ex causa rationabili potest disponere, & cui libuerit causa subsistente applicare, vt bene D.Thom. 2. 2. *quæst.*100. *art.*1. *ad* 7. & ibi D.Caiet. §. *tertio nota, quod cum potestas Papæ, quoad res temporales Ecclesiæ sit potestas non Domini sed Dispensatoris, consequens est vt*
2 † *plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non exeat limites potestatis dispensatiuæ, sicut in naturalibus plenitudo potentiæ calefactiuæ non exit limites potestatis calefactiuæ, & in politicis plenitudo potestatis Regiæ non exit limites potestatis Regiæ. Ac per hoc non potest Papa ad libitum donare res Ecclesiæ, sed potest tanquam habens apicem dispensatiuæ potestatis multo plus de eisdem dispensare quam quicunque alius proximus Ecclesiæ alicuius Prælatus, &c.* Itaque Summus Pontifex etiam, vt Prælatus Regularium nullis legibus, aut constitutionibus Regularium adstringatur, sed etiam tanquam Prælatus Regularium habeat supremum ius in illorum bonis, & iuribus, & in illis possit dispensare cui supremo iuri nullatenus potest renuntiare sicut nec iuri Summi Pontificatus, quia vtrumque accepit à Christo Domino, potest vtens plenitudine hac potestatis vt Prælati Supremi Regularium iura filiationis alterare, mutare, & alteri conferre, & bona, quæ com-3
munitati Regulari cuius est filius aliquis obtingere iure communi, vel suarum constitutionum deberent alteri communitati, aut conuentui applicare. Hinc est quod per Apostolicas Bullas bona Religiosorum extra cõuentum habitantium, & decedentiũ, vt sunt Apostatæ, & fugitiui, vel qui etiam habitu retento habitant in sæculo titulo sustentationis parentum, aut Sororum &c. non tamen si tempore pestis de licentia Superiorum fugiant, ad locum à contagio liberum vel si causa recreationis per aliquod determinatum tempus, vel causa infirmitatis curandæ sint extra Monasterium. Idem iudicium esto si negotiorum Religionis causa sint in Curia Principis tam Ecclesiastici, quam sæcularis, in qua non est erectum Monasterium, hi enim omnes omnino non comprehenduntur, in Bullis Apostolicis de spoliis Religiosorum ad Cameram Apostolicam attinentibus, quas sic esse intelligendas praxis, & praxi ipsa intellecta Pontificia mens declarant. Ius enim † Tertij acquisi-4
tum non aufertur à Principe sua lege nisi in casibus lege expressis, & facta de illis expressa mentio, vt est indubitatum inter vtriusque iuris Doctores, quæ doctrina mẽte est retinenda pro decisione cuiusdam casus, de quo infra. An vero Legatus à Latere, hæc iura possit alterare in Prouincia suæ legationis, non inuenio apud DD. decisum, decidi tamen potest iuxta iura huius legationis, de quibus latè Azor. *p.2. lib.5. cap.*28. & 29. similiter de Nuntio Apostolico, cum potestate Legati à latere, iuxta ipsius delegatam potestatem, an eam habeat dispensandi in constitutionibus Religionum iudicandum est.

RESOLVTIO III.

Potestne Capitulum generale, iura filiationis immutare?

SVMMARIVM.

1. *An Capitulum Generale possit immutare filiationis iura.*
2. *Quid veniat aduertendum. & n.*3.

SI iura filiationis sint introducta ex decreto Capituli Generalis, quod Decretum non sit speciali confirmatione Apo-
1 stolica firmatum, cum † idem Capitulum generale manus non liget Capitulis Generalibus succedentibus, cum æquè resideat in omnibus potestas ligandi, atque soluendi, leges statuendo, & decreta circa iura ipsius Religionis, ea quæ ratione filiationis semel sunt statuta potest alterare, & immutare, dũmodo iura ista non concedant extra religionem, quia ad hoc non habent potestatẽ Capitula generalia sine expressa Papæ licentia, quia sine illa nequeunt iura, & res Ecclesiasticas alienare, & dare extra religionẽ, quod si Generalis habet ex vi constitutionum potestatem dispensandi in constitutionibus, & Decretis capituli Generalis, poterit etiam dispensare in huiusmodi iuribus sicut, & ipsum Capitulum Generale absque consensu Capituli localis aut Prouincialis, nisi aliter disponatur in constitutionibus ordinis. Vnum ad-
2 uerto † circa moniales, quod si sint subditæ Prælatis Regularibus isti possunt disponere, de bonis, quæ obueniunt Monasterio ex vi filiationis alicuius monialis, etiã cõtradicẽte Abbatissa, quæ in moniales nõ habet veram iurisdictionẽ, sed œconomicã gubernationẽ vt alibi ostendi, quare Superiori Regulari de iuribus filiationis cõpetit disponere, requiritur tamen magna causa, vt bona vnius Monasterij sine consensu eius alteri, etiam pauperi applicet, quia Monasteria Monialium valde sunt incommunicabilia inter sese, quia non sunt Monasteria virorum, si vero sint Moniales subditæ locorum Ordinariis, isti possunt dumtaxat disponere de iuribus filia-3
tionis circa idem Monasterium extra quod nequeunt, hæc iura extrahere etiam ad alterum Conuentum, nisi sit eiusdem ordinis, & subditum ipsi ordinario, immo nec Monasterium in id potest consentire, sine licentia Papæ.

RESOLVT. IV.

De Apostatis & fugitiuis.

SVMMARIVM.

1. *Quid de Apostatis, & fugitiuis veniat dicendum.*
2. *Camera Apostolica non habet ius quæsitum iure, ad bona quandiu Religiosus viuit.*

QVARTVM, quod † licet apostatæ, fugitiui, & expulsi à religionibus semper perseuerant ipsarum filij substantialiter quia semper manent solemniter professi, est enim professio solemnis omnino indelebilis vsque ad mortem naturalem, hac enim sola deperditur filiatio ista. Cæterum iura à legislatore humano introducta nõ eodem modo perseuerant ex Põtificia dispositione, nam si apostatæ, fugitiui, & expulsi bona quæcũque dũ perseuerant sic acquirãt cuius sint futura, & cui applicari debeant, indrientia sunt, nam si isti ab apostasia fuga, & expulsione correcti ad religionẽ redeant, ibique commorẽtur sicut antea bona quæcunque habeãt ex quocunque titulo acquisita, siue cũ peccato siue sine illo, sed arte honesta, & nõ cõtra iustitiã commutatiuã, furto, aut vsura, aut Symonia, & similibus) & etiã illa quæ ex negotiatione licita, tamẽ secũdũ se prohibita religiosis sũt
2 iuxta sacros canones, ex iuribus filiationis irreuocatis ad matrẽ suã religionẽ, & ad monasterium, cuius est filius iure pertinẽt. Ratio quia † Camera Apost. nõ habet ius, quæsitũ in re, ad hæc bona quandiu Religiosus viuit, quia semper manet membrum, etsi separatũ Communitatis, & quidquid acquirit quãdiu viuit religionis, & Monasterij est, iuxta antiquos canones, vt bene Nauarr. *in comment. de spoliis* §. 7. *à num.*4. quæ doctrina infra magis enodabitur vltimo calculo.

RESOLVT. V.

Duæ Bullæ, vna Pij V. altera Gregor. XIII. enodantur.

SVMMARIVM.

1. *Circa iura filiationis duæ Bullæ enodãtur. n. 2.*
3. *Quid nomine negotiationis illicitæ veniat.*
4. *Circa constitutionem Pij IV. quid veniat notãdum ad iura filiationis enucleanda. n. 5.*
6. *An clericus si intestatus decederet bona acquisita contra sacros canones inter pauperes, & opera pia essent distribuenda.*
7. *An Equites Religionis militaris sub Bullæ Pianæ comprehendantur.*
8. *An ad Cameram Apostolicam pertineant bona parta à religioso professo ex illicita negotiatione.*
9. *Ratio difficultatis affertur, necnon Authoris iudicium, & n. 10. 11.*
12. *Summo studio Principes fouere debent omnia media quibus perstringantur religiosi, ne negotiatores contra sacros canones fiant.*
13. *Quid ex traditis sit deducendum, & n. 25.*
14. *Nauarri mens adducitur.*
15. *An bona ex illicita negotiatione comparata tanquam malè acquisita à religioso professo ante condemnatum crimen, & latam à iudice sententiam debeantur in foro conscientiæ ipsi Summo Pont.*
16. *Quid veniat aduertendum, & n. 17.*
18. *An bona lucrata à Clerico ex negotiatione illicita quia prohibita sibi, non quia sit contra iustitiam, non sint spolia titulo hæreditario debita Cameræ Apostolicæ post mortem lucrantis.*
19. *Pius IV. in quibus solum induxit nouum ius.*
20. *Quid intelligat Pius IV. per bona acquisita contra sacros canones, & n. 21.*
22. *Bulla Gregorij XIII. intelligenda de quibus veniat, & n. 23.*
24. *Inter Pij IV. & Gregorij XIII. diplomata discrimina adnotantur.*

1 VT tamen doctrina Resolutionis prudentis qua valde necessariũ est, † ad plurimos casus circa iura filiationis religiosæ decidendos, clarius innotescat, aduertere licet, *quod Pius IV. const. sua 19. alias 5. incipit decens esse censemus, Nonis Nouem. 1560.* habetur *tom. 2. Bullar.* & de ea tractat Seorz. *in select. Summ. Pont. const. 76. eiusdem Pontificis* refert aliam Nauarr. *vbi sup.* & incipit. *Romanus Pontifex, & est 31. eiusdem,* & est confirmatiua prioris, sed limitat quod nõ intelligatur de Card. nec de illis, qui habent licentiam testandi, & vt eis ab intestato succedatur, vbi
2 dicit. *Decernimus & declaramus omnia, & singula, res, & bona cuiuscunque qualitatis, & quãtitatis existentia, ac in quibusuis regionibus, & regnis, ac dominiis, tam citra, quã vltra montes, & maria consistẽtia per quosuis Clericos tam sæculares quam quorumuis etiam mendicantium ordinum, ac militarium regulares, etiam in sacris ordinibus cõstitutos cuiuscunque status, ordinis, & constitutionis fuerint, & Archiepiscopali Episcopali, & alia maiore dignitate præfulgeant* (si Cardinales fuerint excipiuntur Bulla secunda) *ex negotiatione illicita aut alias contra Sanctos Canones quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate quam habuerint testandi condito testamento.* (Hi etiam sunt excepti in secũda Bulla) *vbiuis locorum decesserint, & decedant, aut quibus illos etiam eis viuentibus priuari, & eis destitui constiterit,* &c. *spectasse, & spectare, ac sub nomine spoliorum venire, illaque vt spolia ad ipsam Cameram Apostolicam pertinentia, perpetuo colligi, & recuperare potuisse, posse, ac debere.* Hæc Pontifex.

Circa quæ notat bene Pellizar. *tom. 1. tr. 7.* 3
c. 6. sect. 2. n. 92. quod sicut † nomine negotiationis illicitæ venit, ea quæ exercetur vilius emendo, quod immutatum, carius postea vendatur, vt habetur *tota dist. 88. & tota q. 4. causa 14.* & quidem ex cupiditate lucri consistenti in studio ditescendi. Sic negotia à sacris Canonibus interdicta Ecclesiasticis sunt ea, quæ eorum statum dehonestant, aut contra eos *inuidiam excitant.* Quod latius prosequitur quidam Modernus *in libello de Religioso negotiatore.*

Cæterum † circa hanc Pianam constitu- 4
tionem aliqua sunt notanda, quæ non parum conducent ad filiationis iura enucleanda, extendenda, aut limitanda: Primum, contra Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 3. c. 2. n. 24.* quod hæc constitutio comprehendit Religiosum professum, etiamsi non sit choro destinatus, nec prima tonsura intra Religionem initiatus, sed sit laicus, vel quicunque Ecclesiasticus fori gaudens priuilegio, qui non sibi, sed Monasterio acquirit. Ita Sylues. *verb. Clericus 3. n. 3. q. 3. vers. quamquam,* citans Paludanum. Ratio est clara, quia vt ait Pater Azor in re morali nulli ex Auctoribus Societatis secundus *p. 2. lib. 8. q. 4.* hæc constitutio pœnalis non est, sed fauorabilis respectu fisci Apostolici, nec constituit absolutè nouum ius, sed antiquum declarat, vt benè Rodoanus *de spoliis, q. 2. n. 82.* & constat ex verbis Bullæ ibi, *decernimus, & declaramus,* &c. quare ly *contra sacros Canones,* verbum, §
Canon, non stricte prout est sacra Constitutio in Cõcilio generali sancita, vt dicit Gloss. *cap. Canon. dist. 3.* qualiter erat interpretandum si constitutio esset pœnalis, sed nomine Canon intelligitur omnis iuris cõmunis Canonica Constitutio quocumque vocetur nomine, siue Decretum, siue Decretalis epistola, præceptum, mandatum, &c. Deinde, quia etiam comprehendit Religiosos militares, quamuis non sint Choristæ, quia sunt Ecclesiasticæ personæ, & sunt etiam fratres laici professi in Ordinibus mendicantibus, & Monachalibus. Tertiò, quia Pius IV. statuit ius nouum, vt olim cum Religiosi suis monasteriis acquirerent, quidquid acquirẽt

cap. cum olim de priuileg. Authent. ingressi de sacros. Eccles. cap non dicatis 12. quæst. 1. Et
6 † clericus si intestatus decederet bona acquisita contra sacros canones inter pauperes, & opera pia essent distribuenda *cap. qui habetis 12. quæst. 5.* vt docet Panormit. *cap. relatum el 2. de testam.* Quem sequitur Azor *quæst. 2.* fit quod Pontifex iure optimo potuit declarare hæc esse spolia ad sacram Apostolicam Cameram attinentia, & loco pauperum aut Monasterij fiscum Apostolicum constituere, & de facto constituit, ad quod faciendum parum refert quod Monachus extra Monasterium degens sit Choristа, aut Laicus, & sicut in clericis respexit Pontifex decentiam status clericalis, vt fatetur Suar. etiam respexit, & tuetur decentiam status Religiosi imo multo maiori, & altiori motiuo hanc respexit cum longe indecentius sit quod Religiosus mancipatus diuino seruitio negotietur, etiamsi non sit ordinibus destinatus, quare Religiosus laicus dubio procul sub hac Bulla continetur, & bona ex illicita negotiatione acquisita Cameræ Apostolicæ, & Fisco Ecclesiæ Romanæ adiudicanda sunt sicut, & aliorum Religiosorum.

7 Secundum, quod licet † equites Religionis militaris sub hac Bulla comprehendantur, si iam sint professi (nam Nouitij non ligantur) vt constat ex eius tenore, cæterum iudico quod quantum ad hos militares Religiosos non est Bulla hæc in Hispania introducta, & recepta, nunquam enim visi sunt collectores Cameræ Apostolicæ horum spolia ex acquisitis hoc modo collegisse, & Azor *vbi supra q. 10.* ex Redeon etiam *vbi sup. q. 1. n. 49.* iure optimo dicit quod hac bulla non comprehenduntur Equites Hyerosolimitani, quod ex eorum statutis à sede Apostolica specialiter confirmatis, constat.

Tertium, quod in vi huius constitutionis Pianæ tenet Suarez *vbi supra n. 30.* & vide-
8 tur clare ex illa colligi quod † ad Cameram Apostolicam pertinent bona parta à religioso professo, ex illicita negotiatione, & contra sacros canones extra Religionem existente, sed etiam intra Religionem, ita quod Religiosus etiam de consensu suorum Prælatorũ negotietur contra sacros canones, habens publicas merces venales in hypothecis, & locis publicis, quas emit vt immutatas reuendat, bona acquisita ex huiusmodi negotiatione illicita ipsi statui Religioso, cui per accidens est quod fiat immediate per Religiosos vel per ministros suos quos adhuc finem habet conductos, & assalariatos cum principalis mercator religiosus sit, & eius directioni ad lucrandum subordinantur, sicut nostris temporibus non cum paruo Ecclesiæ plactu vidimus, & manus nostræ contractauere bona inquã ista etiã intra religionem acquisita Cameræ, & Fisci Apostolici sunt ad dicta, & applicata à Pio IV. si post mortem Religiosi extent in propria specie, vt in pretiosis mobilibus mercibus, vel copiosa pecunia.

Ratio est, † (ait Suarez), quia Pius IV. 9
non loquitur de Apostatis, sed in vniuersum de clericis siue Regularibus, siue sæcularibus illicite lucrantibus, & sane in sæcularibus indistincte id accipimus etiamsi Apostatæ nõ sint, ergo eodem modo intelligendum est in Regularibus, est enim eadem ratio, nimirum quod vbi lex non distinguit, nec nos distinguere valemus, quum nec ius nec ratio aliquid cogit. Addo præterea †, Gregor. 10
XIII. etiam non loqui de solis Apostatis, sed de omnibus Religiosis extra claustra degentibus, etiam de licẽtia legitima suorum Prælatorum, & velle vt bona ab eis lucrata ad spolia Pontificia pertineant, saltem si apud eos tempore mortis extra eadem claustra inueniantur, ergo à fortiori constitutio Pij IV. ad non apostatas extendenda est, & post plura decidens concludit, *ideo merito loqui potuit* (Pontifex Pius IV.) *de regulari sic lucrante extra claustrum, quia illa culpa, & indecentia, quam in ea lege maxime respexit Pontifex in totum Monasterium, & Prelatum eius redundat, quum Religiosus eius vel illicite negotiatur, vel contra sacros Canones lucratur, videntur enim sane hæc bona prædicta constitutione comprehendi, saltem cum dicta limitatione legis pœnalis, vt scilicet possint à Pontificio collectore recuperari modo explicato num. 27.* qui mihi non arridet propter dicta, quia hæc constitutio non est pœnalis, & propter dicenda modo.

Hæc doctrina Suarezia valde est com- 11 12
mendanda etiam Principibus sæcularibus, vt Regaliis suis non impediant collectores Apostolicos, vt recolant huiusmodi bona, ex illicita negotiatione, & contra sacros canones acquisita à Religiosis negotiatoribus, de quibus sapienter Petrus Cardinalis Damiani. *Apologetico de contempt. sæculi cap. 10. Cum laici contemplantur eos qui nuper cuncta quæ mundi sunt cum magno feruore contempserant, nunc ad sæcularium negotiorum turbinem inhianter redigi, & in eisdem quam euaserant cœnosa voluptari fæce versari, obstupor mirantibus oritur, suspirium, ab imis visceribus trahitur, & in eorum mentibus desperatio generatur,* ergo † Summo studio Principes fo- 12
uere debent omnia media, quibus præstringantur Religiosi, ne negotiatores contra Sacros Canones fiant, ex quorum negotiatione, non parum, & indecoratur Ecclesia, & depauperatur ærarium regium, vt experientia ipsa monstrauit occulte introducẽtes aurũ, argẽtum & merces valde pretiosas quas etiam extra mittunt forsan ad inimicos

intuitu maioris lucri, defraudantes vectigalia, tributa, gabellas regias, quæ cum minorentur horum fraude, & occultatione, & non sufficiant ad Regni tutamen, pauperes & alij sæculares gemunt sub aquis multitudine impositionum, quæ quotidie ob Regiam angustiam, & depauperatum ærarium imponuntur, multiplicantur, augescunt, quid ni? in soluendo deficiunt, & litem faciunt creditorum qualem fieri in Ecclesia à Communitate Religiosa nunquam visum est simile exemplum, & speramus Pontificia, & Regia diligentia adhibita non visuri in posterum, non enim similem visa est, nec habere sequentem confidimus: hæc ex occasione dicta sint, & sufficiant alibi longius enucleanda in libello speciali, *vita duce.*

13 Ex quibus constat, † quod si Religiosus Apostata extra Religionem multa ex negotiatione illicita, aut contra sacros Canones bona, acquisiuit & ad cor reuertens, iterum reuertitur ad Religionem secum illa conducens ex vi Bullæ Pianæ talia bona ea quæ in specie restant post mortem istius Religiosi non pertinent iure filiationis ad Monasterium, vel Religionem cuius est filius, sed ad Cameram Apostolicã, quam Summus Pontifex hæredem constituit, auferendo ius, quod habebat Monasterium secundum iura antiqua de hoc constituens nouum ius. Ita
14 tenent † Nauarr. *de spoliis, vbi supra,* dicens ita, consuluisse cuidam Religioni, cuius *quidam Religiosus Apostata in Apostasia viginti millia Ducatorum negotiando fuerat lucratus, consuluit inquam, vt Religio se componeret cum Camera Apostolica, vt posset illam quantitatem pecuniæ firmo iure exigere, & ne se intromitteret Camera Apostolica.* Satis insinuat Suarez *vbi sup. n. 26. in fin.* quia Apostata priuatus est iure huius Bullæ Pianæ bonis istis, applicantúrque Cameræ Apostolicæ eo ipso quod lucrata sint contra sacros Canones, vel iniusta negotiatione, quamuis ea non recuperet Collector Apostolicus, nisi post mortem: quare ea quæ ex dictis bonis, siue intra, siue extra Religionem Cameræ Apostolicæ debentur in conscientia, quia Religio post hanc Bullam nullam habet actionem nullúmve ius ad illa titulo filiationis, vel alio, omnes enim quantum ad hæc bona, quæ supersunt Summus Pontifex vtens plenitudine potestatis abstulit Religioni, & eius loco substituta Camera Apostolica, quod posse facere Summum Pontificem in hoc casu nullus Catholicus dubitat.

Quare doctissimus Ioannes Azor. *cap.* 2.
15 *cit. quæst.* 3. dicit, quod † hæc bona ex illicita negotiatione comparata tanquam male acquisita ante condemnatum crimen, & latam à iudice sententiam debentur in foro conscientiæ ipsi Summo Pontifici, qui ea tanquam spolia sibi reseruauit, & se constituit hæredem illorum auferens ius, quod habebat Religio, quare ista cum nullum habeat ius, sed Apostolicus fiscus, isti tanquam sua restitui debent, & semper transeunt cum hoc onere, & obligatione, vt restitui debeant Cameræ Apostolicæ, tanquam sua, quia eo ipso quod in pœnam declarata sunt spolia Summi Pontificis, iste acquirit ius, ante omnem sententiam, quia ex vi spoliationis aufertur à quocunque alio ius ad illa bona, & quasi confiscata manent fisco Apostolico.

Vnde valde est aduertendum † id quod 16
non bene vidit Pater Suarez *vbi supra n.* 28. quod aliud est quod in pœnam illicitæ negotiationis contra sacros canones, bona ista sic lucrata fiant spolia Pontificia, aliud quod vt ista spolia debeantur Pontifici requiratur sententia iudicis declaratoria criminis, vt ea restituat qui post mortem negotiatoris ea retinet. Primum est verissimum, quia in pœnam illicitæ negotiationis Pontifex declarat bona ex illa lucrata pertinere ad Cameram
Apostolicam tanquam spolia. Secundum ve- 17
ro falsum est omnino, quia supposita illicita negotiatione, eo ipso Pontifex declarat talia bona esse spolia sua sibique iure deberi tanquam hæredi, nec requiritur declaratio iuridica negotiationis illicitæ, quod ex eo est manifestum, quia si iste apostata extra Religionem decederet bona lucrata debentur Pontifici in conscientia ante omnem declarationem criminis, ita nec Religio nec quilibet alius possit ea tuto retinere, ergo etiam si conuersus ad Religionem redeat secum portans talia bona cum iam sint spolia Cameræ Apostolicæ ad quam iure nouo hæreditario pertinent, nequit Religio tuta conscientia illa sibi retinere, sed ante omnem sententiam restituere, neque enim potest ius suum auferre Cameræ Apostolicæ.

Verum est quod † bona hæc lucrata à cle- 18
rico ex negotiatione illicita, quia prohibita sibi, non quia sit contra iustitiam, non sunt spolia titulo hæreditario debita Cameræ Apost. nisi post mortem lucrantis, vnde valide ea donare potest Religioni, sicut & cuilibet alteri, quæ donatio valida erit, nec à Collectore poterit repeti res donata, quia bona ista lucrata cadunt sub illius dominio, vt bene Azor *vbi supra,* quare in vita potest de illis licite disponere non vero in morte, nisi ad id habeat speciale indultum. Cæterum Religiosus solemniter professus cum ex vi voti paupertatis nequeat validè donare, aut de rebus acquisitis disponere sine licentia sui Superioris, etsi possit donare bona ista parta Religioni suæ, quod Pius IV. non prohibet, neque abstulit Religioni potestatem

statem dandi licentiam Apostatæ reuertenti vt faciat donationes eorum bonorum, & sic potest facere donationes ipsi Religioni, quæ non tenetur res istas ex turpi negotiatione partas restituere, eo ipso quod sibi incorporauit, nam si pars est bonorum, ea sibi
19 acquisiuit. Quare † Pius IV. solum induxit nouum ius, in sequentibus primò, si Religiosus apostata extra Religionẽ moriatur quidquid habet tempore mortis, siue pecuniam, siue iura, & actiones, siue bona in specie etiã si dicat Religiosus, quod sepeliatur in suo conuentu cuius se filium declarat, nequit religio horum omnium in conscientia aliquid accipere, sed totum est Cameræ Apostolicæ ante quancumque sententiam, secundò, si Apostata ad Religionem reuertatur, & plura siue debita siue merces, siue pecuniam in sæculo relinquat, non manifestando Religioni, sed ea occultando, sunt tamen ista omnia acquisita contra ius commune Canonicum, & ex illicita negotiatione, ista omnia post mortem huius non ad Religionem, sed ad Fiscum Pontificium in vtroque foro attinent, eique debentur restitui, quia non erant incorporata Religioni, nec ista illorum possessionem acquisierat, tertio, si Religiosus nunquam apostata aut fugitiuus, sed in gremio Religionis perseuerans, negociator sit, & contra sacros Canones acquirat inscia religione, bona ex ista negotiatione parta post mortem illius si ante mortem Religioni non incorporauit, Cameræ Apostolicæ debentur, & tanquam spolia Pontificis debentur ei dari, vt supra vidimus, quæ omnia valde notanda quia non vulgaria.

20 Quartum, † quid intelligat Pius IV. per bona acquisita *contra sacros canones* Azor *vbi supra* sic bene respondit; *huiusmodi* (inquit) *sunt quæ clerici perceperunt ex beneficiis contra iura possessis, ex officiis ciuilibus, aut regularibus contra canones administratis, & exercitatione medicinæ chirurgiæ, aliarumve artium ad corporis curam pertinentium, quæ nimirum sine sanguinis effusione non exercentur. Nam cap. sententiam ne cleric. vel Monach. Dicitur nec vllam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus,*
21 *vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem, & ex multis aliis obsequiis, quæ clerici Regibus, Principibus, aliisque primariis viris contra quam statuerunt Ecclesiæ canones exhibere solent. cap. 1. & 2. & cap. sed nec procuratores, & cap. sententiam sanguinis ne cleric. vel Monach. multa officia contractus, & obsequia clericis, & Monachis interdicuntur. Item cap. 1. & 2. de postulan. Interdicitur clericis, munere, & officio aduocati, ac proinde etiam procuratoris apud iudices sæculares cap. Clerici de vita & honestat. Clericor. prohibentur clerici arma deferre; ac proinde illis est interdicta venatio, vel aucupium ministerio canum; vel armorum præsidio fieri solitum.* Hæc ille, quæ plura alia adnotat circa præfatam Bullam Pij IV. sed prænotata ad nostrum sufficiant intentum.

Sed præter hanc Pianam Bullam est alia Gregoriana circa eandem materiam spoliorum editam à Gregorio XIII. incipit *officij die* 21. *Ianuar.* 1577. quæ est in Bullario Laertij *tom.* 2. huius Pontific. *constit.* 43. quam
† sic ad compendium reduco verbis ferè 22
eisdem cum Paulus IV. Bulla incipiente. *Postquam editam*..... statuisset vt bona Regularium Apostatarum, & degentium extra claustra suorum Regularium tempore, quo extra huiusmodi claustra fuissent acquisita ab ipsis professis, ex redditibus beneficiorum Ecclesiasticorum, aut ex propria industria, artificio, mercatura, vel ex testamento, vel ab intestato, quorumuis consanguineorum, affinium, amicorum, vel quorumcunque aliorum deberentur Monasteriis, in quibus primo professi fuissent, idque non seruaretur. Gregorius XIII. §. 3. dictæ bullæ definit, vt res, & bona quæcunque per dictos Regulares extra claustra Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum regularium degentes, quocunque iure, exactione, siue ex causa testati, siue intestati acquisita, & inposterum acquirenda vel ad eos delata in quibuscunque regnis, & locis consistant, nisi iidem ad quos illa spectauerint sufficienti fuerint testandi, aut de
illis disponendi facultate suffulti, eaque le- 23
gitime vsi fuerint ad Cameram Apostolicam pleno iure pertinuisse; & spectare, & bona quæcunque eorumdem Regularium extra claustra degentium sub spoliorum nomine comprehensa, per ipsam Cameram, quæ cæteris successoribus ampliori est munita priuilegio, eiusque nomine à quibuscunque illa detinentibus potuisse, & posse recuperari, iuxta Pauli III. & aliorum prædecessorum litteras plumbatas, hæc in Epitome.

Sed † inter horum Pontificum diplomata 24
sequentia discrimina adnotaui. Primum, quod Pius IV. loquitur de clericis regularibus, & sæcularibus, Gregorius tamen loquitur expresse de Religiosis, & Regularibus. Secundum, quod Pius loquitur solum de bonis illicite acquisitis, Gregorius vero de bonis simpliciter acquisitis. Tertium, quod Pius loquitur de bonis siue vsque ad mortem retentis siue in vita ablatis, at Gregorius de bonis vsque ad mortem dumtaxat retentis. Quartum, quod Pius statuit nouum ius circa bona illicite acquisita siue intra, siue extra Religionem Gregorius vero de bonis acquisitis extra Religionem, etiam extra eam habitent de licentia legitima suorum Superiorum.

Ex quibus liquet, quod istæ duæ Bullæ in negotiatione, aut posterior limitat priorem, sed enucleat, & explicat. Prior enim suam retinet materiam, scilicet bona illicitè acquisita ex negotiatione, aut contra sacros Canones, quæ tanquam malè acquisita determinat Pontifex esse spolia sua, & sic eo ipso pertinent ad Cameram Apostolicam, Posterior vero Gregoriana vult quod bona cuiuscunque Regularis acquisita extra claustra si ibi moriatur. Cum ex iure non possit testamentum facere constituit Cameram Apostolicam tanquam hæredem bonorum illorum, & sic esse Apostolica spolia, ad quæ nullus alius, nisi solus Pontifex priuatiue, quoad omnes alios ius habet, nec titulum, possidendi.

RESOLVT. VI.

Plurium consultationum, circa iura filiationis Regularis.

HVc præcipuè debet tendere Moralis scriptor, ne Consultationes morales inclusæ maneant. In principiis generalibus, quæ æquiuocatione laborant, latent enim in genere æquiuocationes, quas vitare debet Moralis, & ad species vsque descendere casuum, vt lector, & instruatur, & dicat ex vniuersalibus deducere, in similibus, similes specificas decisiones.

SVBRESOLVT. I.

De translatione filiationis ab vno in alium Conuentum.

SVMMARIVM.

1. *An licita sit translatio filiationis de vno conuentu ad alium.*
2. *Generalis an non possit aliquem adfiliare alicui conuentui sine huius consensu, & exfiliare ab alio Conuentu.*
3. *Nullus est filius duplicis Monasterij, aut Conuentus.*
4. *An filiationi adoptiuæ adsimiletur filiatio Religiosa.*
5. *Quæ admissio ad filiationem debeat fieri per maiorem partem suffragiorum, aut per duas partes.*
6. *Ratio difficultatis enodatur. & n.7.*

1 DE translatione filiationis ab vna in aliam Religionem siue strictiorem, siue laxiorem *tom. sequenti*, dum de vitiis oppositis Residentiæ agam, plura dicam: hic de translatione filiationis vnius Conuentus in aliam consultus respondeo, † licitam esse hanc translationem quæ fieri debet iuxta Constitutiones, & Decreta Religionis in qua translatio declaratur. Hoc certum debet esse, quod vbi iura filiationis in viridi sunt obseruantia, quantum ad hæreditatem bonorum: vocem in in Capitulo, elationem ad officia illius Conuentus etiam in alternatiua ad maiores dignitates Prouinciæ, & similia præter consensum Prouincialis, aut Generalis exigitur Capitularis consensus, tam Conuentus *ad quem*, quàm Conuentus *à quo*: argumento, ex his quæ nouo iure Vrbani VIII. de translatione ab vna Religione in aliam, vtriusque enim requiritur consensus, vt hæc habitus transmutatio fiat. Ita etiam dum filius vnius Conuentus, ab eo exfiliatur, & ab altero adfiliatur, cum vterque Conuentus interesse habebat in hoc exfiliatioue, & adfiliatione vtriusque consensus exposcitur necessario.

2 Neque † Generalis potest aliquem adfiliare alicui Conuentui, sine huius consensu, & exfiliare ab alio Conuentu, quia vtrique damnum resultat, nisi ita videat expedire bono regimini totius Religionis, aut Prouinciæ, quia Generalis se solo nequit facere sine consensu Diffinitoris generalis, neque Prouincialis, sine consensu definitorij Prouincialis, cum quo Generalis totam Religionem, & Prouincialis totam Prouinciam repræsentant. Ita Bordonus *resolut. 79. num. 16.* Sed ego putò, quod quamquamuis hic consensus capitulariter exhibitus, & in definitorio sit requiritur, non tamen sufficit, vt quis habeat iura filiationis, siue in tota Religione, siue in tota Prouincia in Communitatibus in quibus est filiationis ius introductum, quia de iure communi in quo solus Papa dispensat, est quod † nullus sit filius duplicis Monasterij, aut Conuentus, *cap. final. de Relig. Domibus*, sicut iure communi non licet Clerico esse intitulatum in duabus Ecclesiis, *cap. 1. 21. quæst. 1. cap. cum singula. de præbendis.* Vnde Religiosus adfiliari duplici Conuentui non subordinato, & independenti nequit, nam si vnus Conuentus ab alio pendet vtrique potest adfiliari, quia cum vnus sit propter alium, & ab eo pendens vnus censetur Conuentus, vnaque Communitas, *cap. 1. de priuileg. in 6.* neque enim ius permittit, quod quis habeat duos Patres adoptiuos, filiationi autē † adoptiuæ adsimilatur filiatio Religiosa, an vero Pontifex de plenitudine potestatis possit duobus Conuentibus plenariè adfiliari aliquem Religiosum, existimo, quod sic, sicut potest aliquem duobus beneficiis etiam residentiam requirentibus intitulare. 4

Quod iure ordinario adfiliatio de vno 5 conuentu in alium debet fieri capitulariter, & edmissio per vota secreta, facta prius iuridicè dimissione vnius & admissione alterius Conuentus, vt vult Vrbanus VIII. *in decreto. de translatione ab vna Religione in aliam.* rursus † hæc admissio ad filiationem, debet fieri per maiorem partem suffragiorum, aut per duas partes, vt volunt aliquæ communitates, quod enim omnes tangit ab omnibus debet approbari, approbatur autem ab omnibus, quod à maiore parte fit, vt est certum in iure.

6 Igitur consultus fui, † an si cum dum quis filius alicuius conuentus alteri adfilietur de consensu vtriusque conuentus *à quo* & *ad quem*, & in conuentu cui adfiliatur renouans professionem suam expresè vouet obedire Priori eiusdem, & suis successoribus, an si iste iterum velit redire ad suum Conuentum, *à quo* se transtulit, possit ex eisdem conuentibus & licentia Generalis, aut Prouincialis non obstante præfato voto licitè se transferre. Ego quidem dixi votum illud, vel extensio voti, quantum ad filiationem non esse votum solemne distinctum à voto solemni obedientiæ emissi in professione, sed solùm esse expressionem circa hunc superiorem cui obedire tenetur vbicunque habitauerit, aut commorauerit, ad quod nō tenebatur ex vi voti absoluti emissi in professione, ex vi cuius solum tenebatur obedire superiori suo, dixi vlterius, quod cum hæc voti extēsio, aut expressio sit simplex quoddam votum ab hoc non potest absolui, sine 7 causa rationabili, quam esse talem determinare pertinet ad superiorem, & sic iste potest in illo dispensare, quia conueniens iudicauerit, quod adfiliatus vni conuentui ex alio iterum refilietur Priori, & eius Communitati reincorporetur amittet statim filiationem alterius Conuentus, quia vt vidimus iure communi nullus Religiosus potest habere duos conuentus patres in integrum, sed vna filiatio excludit aliam, vtpote incompossibiles cum sint. Quare iam visum, quod ille qui ex vno conuentu alteri est adfiliatus, iterum regressus est ad priorem filiationem in qua iterum debet exprimere obedientiam Priori. Sic respondi, & placuit viris doctis.

SVBREOLVT. II.

An quis filius alicuius Conuentus possit admitti in aliquo alio, vt hospes perpetuus exhibita dote conuentui pro hospitio huiusmodi.

SVMMARIVM.

1. *Vtrum alicuius conuentus filius admitti in aliquo alio possit, vt perpetuus hospes, conuentui exhibita dote, pro hospicio.*
2. *An sit tacita licentia quæ sufficiens sit ex communi & certa sententia.*
3. *Cuinam Religioso non liceat repetere dotem suam.*
4. *Cum quanam licentia contractus factus à nullo superiore etiam generali possit irritari.*
5. *Generales Mag. nequit sine vrgentissima causa cogere Collegium, vt restituat dotem.*

CAsus consultus hic fuit, in Illustrissimo Collegio S. Thom. Aquinatis huius ciuitatis Hispalen. vniuersitate Cæsarea Ordinis S. Dominici, est consuetudo præscripta orta ex declaratione statutorum suorum ad quæ declaranda est potestas in Rectore, & Consiliariis in simul Congregatis, quod si 1 qui aliorum conuentuum Religiosi velint præfato Collegio incorporari, non tanquam Collega, sed tanquam portionista, qui actibus Capitularibus non interest, sed in temporalibus commoditatibus, victus & vestitus, illi præstentur necessaria, sicut vni ex Collegis, præstita tamen dote sufficienti in pecunia numerata, quæ incorporatur Collegio, cuius manet mortuo portionista. Inquirebatur primò, an hoc liceat. Secundò, an iste qui hoc titulo incorporatus est Collegio possit iterum repetere dotem suam & reuerti ad domum, cuius est filius. Tertiò, an Pater Generalis possit ad hoc cogere & conuentus, cuius est, petere huius pecuniæ restitutionem.

Respondi, ad primum quod dubio procul id fit licitè, tum quia fit videntibus & non repugnantibus superioribus. Vnde † est tacita licentia, quæ sufficiens est ex communi & certa sententia, vt ait Nauarrus *de statut. Monach. consil. 3. n. 64.* tum, quia habens peculium, aut depositum licitè cum hac licentia, illud expendit in vsus licitos & honestos, qualis absque dubio est iste, cum ordinetur ad victum & vestitum. Nauarrus *comment. 2. de Regul. n. 9. & consil. 14. n. 5. & 6. de stat. Monach.*

Ad secundum respondetur, quod † non 3 licet Religioso isti repetere dotem suam. Ratio est, quia hic fuit contractus vltro citroque obligatorius, de licentia tacita superiorum factus, ergo nisi mutuo contrahentium consensu nequit dissolui, vt est iure vtroque indubitatum, ergo quandiu Collegium est paratum adimplere obligationem suam dandi necessaria victui & vestitui, & habitationi nequit alter repetere dotem suam, sed Collegium illam tuta conscientia retinet. Imò addunt Sanchez (& benè) *lib. 7. Summ. cap. 31. num. 42.* cum multis, quos citat Pellizarius *in Manuali tract. 8. c. 7. n. 82.* quod † contractus factus cum præfata licen- 4

tia, à nullo superiore etiam Generali potest irritari, quia induxit obligationem naturalem, & ciuilem.

5 Ad tertiùm respondetur, quod † Reuerendiss. Generalis Magister nequit sine vrgentissima causa cogere Collegium, vt restituat dotem, quia contractus celebratus est cum requisitis, vt pariat obligationem iustitiæ, cum adfuerit sufficiens licentia & materia expensa fuerit in vsus licitos & honestos, legendus Bordonus *Resol. 59. num. 26.* cuius verba dabo infra *casu* 4. quare sicut nequit rescindere alios contractus rite, & recte celebratos, ita neque istum, vnde multò minus potest domus aut conuentus, cuius erat filius Religiosus, eam summam repetere, quia ad eam expendendam in vsus licitos, & honestos dederat tacitam licentiam, an vero possit petere restitutionem in integrum alterius negotij est, cùm etiam Collegium idem habeat priuilegium, sic respondi, & placuit viris doctis, saluo, &c.

SVBRESOLVT. III.

De Religioso Missionario apud Mauros cui acquirat, an Monasterio, an Cameræ Apostolicæ, si ibi moriatur.

SVMMARIVM.

1. *Cui Regiosus missionarius apud mauros acquirat sibi ibi moriatur.*
2. *Ratio difficultatis affertur.*
3. *Ea quæ acquisiuit ex negotiatione, vel arte prohibita missionarius, ad quem spectent.*
4. *Si Religiosus à principio ad mauros mittatur tanquam missionarius ad conuersionem infidelium, ibique acquirat bona licitè, an acquirat conuentui.*

1 CONsultus fui *anno* 1648. † de quodam Religioso qui missus est ad consolationem captiuorum inter Mauros, vt eis Sacramenta administraret, verbum Dei prædicaret, opera pia exerceret, vt Catholicos in fide solidaret, & similia, iste ibi degens plura acquisiuit ex donationibus fidelium, industria, & arte sua licita, interrogatus fui cum iste in fide requiesceret, cui hæc omnia erunt? Conuentui, aut Religioni, cuius est filius, an Cameræ Apostolicæ? quæ consultatio vniuersalior erit si fiat de omnibus missioniariis earum Religionum, quæ in communi aliquid proprium possunt habere, (nam de aliis non est difficultas,) siue mittantur à Religione sua, siue à Sacra Congreg. Eminentissimorum Cardinal. *de propaganda fide.*

2 Ratio difficultatis est, quia † vel ista bona sunt acquisita ex negotiatione, aut alio modo prohibito à Sacris Canonibus, & hæc iuxta Bullam Pij IV. pertinent ad Cameram Apostolicam, vt vidimus, aut sunt acquisita arte honesta, aut donatione, & industria, & hæc si Religiosus finiat vitam extra Cõuentum, etiamsi extra illum habitauerit de licentia legitima suorum Prælatorum ad eundem Apostolicum fiscum, cuius sunt spolia, vt constat ex Bulla Gregorij XIII.

3 Respondi, quod † ea quæ acquisiuit ex negotiatione, aut ex arte prohibita à Sacris Canonibus, hæc dubio procul tanquam male, & peccaminosè acquisita sunt spolia Cameræ Apost. illique debentur in conscientia, ante omnem sententiam, iuxta ea quæ diximus suprà cum Redoano & Azor & hoc clarè determinat Bulla Piana.

De aliis vero bonis licitè acquisitis à præfato Religioso distinguebam, quia aut iste à principio fuit captiuatus à mauris se ipsum redemit, ibique videns, quod necessarius sit ad aliorum consolationem, vitam miseram degentium de licentia tacita suorum superiorum inhabitat, & iste talis si moriatur ibi, bona eius si quæ huic transmittantur spolia sunt Pontificia ad fiscum Apostolicum attinentia, quæ Religio, aut conuentus retinere nequit, sed tenetur integrè restituere, nisi antequam adueniant, cum collectore Apostolico fideliter conueniat de quota reddenda, sicut fit in multis aliis Apostolicis spoliis.

4 Si verò iste † Religiosus à principio illuc mittatur tanquam missionarius ad conuersionem infidelium, ibique acquirat bona licitè, ista acquirit conuentui, cuius est filius, aut Religioni suæ, si in illa non est introducta conuentualis filiatio. Ratio quæ me mouit hæc est, quia iste missionarius formaliter non est extra conuentum, aut vitam Regularem, imò ad eam in illis partibus introducendam simul cum Euangelio, mittitur. Ergo Religio sua ob bonum, quod Ecclesiæ impendit, non debet priuari iuribus Paternitatis, nec Religiosus iuribus filiationis, nec est iudicandum, quod Summus Pontifex priuet iuribus suis, eos qui vitam, & commoditatem patriæ, relinquunt ob bonum fidei & Religionis Christianæ. Quare dubio procul Gregorius XIII. loquitur de Religiosis qui ob speciales fines particulares de licentia suorum Prælatorum extra conuentum inhabitant siue habitu retento, siue non retento. Non tamen de his qui ob bonum Ecclesiæ inter Barbaros militant ibique ad militandum pro fide disseminanda mittuntur: sic respondi, & placuit multis, saluo, &c.

SVBRE

SVBRESOLVT. IV.

De Religioso, qui adfiliatur alteri Monasterio, quæ secum portare possit? an libros quos ad impressionem habet paratos? an quantitatem pecuniæ?

SVMMARIVM.

1. *An quando conuentus ex filiatione acquisiuit solam spem, & nihil actu habet ex bonu professi, eo casu secum transfert eam speciem in secundum conuentum, cuius de nouo efficitur filius.*
2. *Census, pensiones, aut libelli fundati de pecuniis acquisitis à professo de licentia superiorum quantum ad ius fundi seu census capitale remanet ad primum monasterium.*
3. *Generalis resistente conuentu, an non possit bona acquisita professi transferre in secundum conuentum, & n. 4.*
5. *An non sit idem iudicium faciendum de iuribus filiationis in transitu de vna religione in aliam, ac de transitu de vno conuentu in alium.*
6. *Authoris iudicium propalatur, & num. 7. 8. & 9.*

PAri modo videbitur alicui in hoc casu fore philosophandum, ac de Religioso transeunte de vna Religione in aliam, de quo plura dixi *tom. 2. de congrua sustentatione Ecclesiasticorum omnium*, & tractant latissimè Sanchez *in Sum. lib. 7. cap. 12. à n. 7.* Bordonus

1 *vbi suprà n. 21.* qui dicit, quod † quando cõuentus ex filiatione acquisiuit solam spem & nihil actu habet ex bonis professi, eo casu secum transfert eam speciem in secundum conuentum, cuius de nouo efficitur filius, quia primus conuentus habet solam spem illorum bonorum, quæ euanescit statim ac professus desinit esse filius prioris conuentus, vt docet Glossa *cap. vnic. 18. q. 1.* & cum ea Sanchez *vbi suprà per inst. de acquisit. per arrogatio.* §. *Mortuo.* Quod si in Religione probatus adsit vsus, vt professus de licentia superiorum habeat aliquos redditus, pensiones, libellos, seu census ad vitam huiusmodi secum transfert, quia prior conuentus illorum nullam acquisiuit proprietatem, aut dominium, sed solùm quoddam ius permissiuum, vt professus dependenter à voluntate superioris possit illos redditus recipere ad suos licitos, & necessarios vsus, conuentu non potente in totum occurrere omnibus indigentiis, consequenter ea bona nullo modo incorporata transeunt ad secundum Monasterium.

2 Et *infrà* dicit, quod † census, pensiones, aut libelli fundati de pecuniis acquisitis à professo de licentia superiorum, quantum ad ius fundi, seu census Capitale remanet, apud primum monasterium, exactio transit cum professo ad secundum vsque ad mortem postquam consolidatur fructus cum capitali, apud primum conuẽtum. Quia prius monasterium habet ius acquisitum, quo priuari non potest, fructus vero transeunt cum professo cum de licentia superiorum, sit destinatus ad vsus, & necessitates professi.

Et infrà *numer. 26.* dicit, quod † Generalis, conuentu resistente, non potest bona acquisita professi transferre in secundum conuentum, vtique vero si consentiat. Primum suadetur. Quia Generalis non est Dominus absolutus suæ Religionis, sed eorum supremus administrator, tutor, & conseruator, ergo non habet plenam potestatem dispensandi de illis, consequenter indiget consensu eius conuentus à quo immediatè possidentur eius bona. Tum, quia bona particulari conuentui addicta, & propria spectant ad totum illum conuentum, & consequenter sine consensu totius illius conuentus transferri non possunt, quod enim omnes tangit ab omnibus approbari debet. Tum, quia sicut Episcopus non potest auferre vni Ecclesiæ, & donare alteri sine consensu Patroni & Capituli, *cap. nuper & cap. Pastor. de his quæ fiunt à Prælatis.* Ita neque superior Regularis, quod dictum valdè conducit ad resolutionem casus secundi vbi citaui Bordonum hic.

Secundùm, quod id possit de consensu 4
conuentus probatur, tum quia id colligitur à pari de Episcopo ex citatis textibus, tum ex Glossa *verbo à quocunque in fine cap. constitutus de Religiosis domibus.* tum quia auferendo vni Ecclesiæ & dando alteri de consensu eius à quo fit ablatio non est alienatio prohibita, quum vtraque Ecclesia est sub eodem superiore auferente. Glossa *cap. Ecclesiæ 45. 16. quæst. 1. per leg. voluntas. Cod. de fideiussoribus.* Tum, quia licet *cap. vni. §. finali. de Relig. dom. in 6.* prohibeatur transitus vnius conuentus ad alium & consequenter alienatio vnius ad alium: intelligitur de conuentibus sub diuersis superioribus & ordinibus, vt inde colligitur. Tum, quia maior est alienatio personæ, quam bonorum Glossa *verb. à Priore cap. post translationem 11. de renuntiatio.* Cum ibi allegatis, sed de consensu vtriusque potest alienari persona, ergo & bona vnius conuentus in alium, de consensu vtriusque hactenus ferè ex Bordono.

Ex quibus liquet, † non esse idem iudicium faciendum de iuribus filiationis in 5
transitu de vna Religione in aliam, in quo totaliter alienatur persona, ac in transitu

de

de vno conuentu, cuius est quis filius in quo promisit stabilitatem, in alium in quo de nouo adfiliatur, nam in priori transitu, vt quis secum transferat, ea, quæ habet & alienentur à religione ad quam fit transitus non sufficit consensus religionis, à qua, sed est necessarius consensus Pontificius sicut requiritur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, vt latè monstraui *lib.1. de congrua Ecclesiastic. omni. Resolut.2.* at in transitu ab vno conuentu in alium sufficit consensus capituli conuentus à quo vna cum licentia Generalis, aut Prouincialis, vt ibidem cum multis docui.

6 His positis consultus fui, † quidam Religiosus filius alicuius monasterij de licentia requisita & cum omnibus necessariis adfiliatus est alteri monasterio eiusdem ordinis habens plures & graues libros paratos, vt prælo sudent, dubitatum est, an possit renuente Priore Conuentus *à quo*, secum libros hos, & manu scripta pretiosa secum deferre? quid in simili de transitu vnius Religionis in aliam fit sentiendum *tom.2. de congrua docui*, ast in præsenti transitu vnius conuentus in alium, eiusdem Religionis nullus tetigit in terminis, & mihi videtur dicendum, quod etsi Doctores varient, an dũ fit transitus ad aliam Religionem libros manuscriptos secum quis possit deportare sine licentia superioris eius Religionis *à qua*. Vt videre est in Diana *part.3. tract. de paupert. Relig. Resolut.25.* Sanchez *lib.7. Summ.c.32. à num.13.* Rodriguez *tom.1. quæst.79. art.2.* Bonacina *quæst.2. de vlsura punct.9. difficult.2. num.5.* Suarez *tom.2. de Relig. l.6. de voto c.13. nu.11.* Cardin. de Lugo *tom.1. de iust. & iur. disput.8. sect.4.* Cæterum dum fit transitus vnius conuentus in alium, cui de nouo adfiliatur mihi videtur dicendum, quod Reli-
7 giosus transiens secum adsportare potest libros, quos paratos habet impressioni, nec posse superiorem localem, aut capitulum hoc prohibere. Ratio quæ me mouit est, quia ad hos libros publicandos semper est tacitus consensus Religionis in cuius honorem publicantur, à Religione enim à capitulo, aut superiore locali petitur licentia, quare libri isti potius sunt totius Prouinciæ, aut Religionis, quam huius conuentus particularis, quare Generalis, aut Prouincialis possunt etiam renuente conuentu *à qua*, licentiam dare, vt qui alteri conuentui Religionis, aut Prouinciæ adfiliatur secum illa scripta potest, cum intersit vtilitas totius Religionis, imò aliquando totius Ecclesiæ interueniat: sic respondi & placuit responsio. Addo, quod si liber prælo sudet cum laude & publica fama, ita vt pluris diuendatur prætium, quod resultat, demptis expensis, & aliis, quæ necessaria sunt ad sustentationem commodam Auctoris in victu & vestitu pertinent ad priorem conuentum ad quem iure pertinebant scripta illa.

Ad secundam consultationis partem de quantitate pecuniæ, quam Religiosus habet, vel in deposito communi, vel extra de licentia superiorum, an dum adfiliatur alteri conuentui possit sine consensu alterius conuentus *à quo*, secum adsportare: Respondeo, † quod si huius pecuniæ vsus non ex- 9
cessiuæ quantitatis concessus est ad commoditates, & sumptus licitos, & honestos, & res ad victus, & vestitus necessarias, tam in salute, quam infirmitate, potest secum adferre, quia talis vsus pecuniæ sequitur personam, cui concessus est ab eaque pendet in fieri & in conseruari, siquidem datur intuitu, vt suis necessitatibus, & indigentiis occurentibus, quibus conuentus non succurrit, dixi nisi excessiua sit pecuniæ quantitas, tunc enim prior conuentus ius habet ad excessum, sibique competit cum eius filius ipsi acquisierit, sed quæ sit pecuniæ excessiua quantitas non potest certa regula definiri, sed hoc dependet ex vsu & consuetudine Religionis, ex ætate, salute & qualitate personæ Religiosi & aliis honestis circumstantiis, quibus valdè est attendendum.

SVBRESOLVT. V.

De Religioso, qui plura ex ludo prohibito à iure Canonico, & arte similiter prohibita Sacris Canonibus, acquisiuit? an debeantur Cameræ Apost.

SVMMARIVM.

1. *An quidquid clericus, aut Religiosus professus acquisiuit arte, vel ludo prohibito à Sacris canonibus sit spolium Cameræ Apostolicæ.*
2. *Authoris iudicium adducitur, & numer.4. & 5.*
3. *An Monachi, aut Religiosi quotiescumque citra superioris consensum ludunt, quidquid acquirant contra canones intelligantur acquirere.*
6. *An si aliquis Religiosus professus non destinatus choro, nec sacris ordinibus, sed sit frater laicus possit artem medicam exercere de licentia superioris, & lucrata ex illa Religionis, non Cameræ sunt.*
7. *Constitutio Piana limitanda venit in clericis in sacris non habentibus vnde viuant.*
8. *Quid ex dictis veniat deducendum.*
9. *Syluestri sensus adducitur.*

Suprà

1 SVprà dixi cum communi & certa sententia, quod quidquid clericus, aut Religiosus professus acquisiuit arte, vel ludo prohibito à sacris canonibus est spolium cameræ Apostolicæ, ludus autem prohibitus, est ludus aleæ & taxillorum, *cap. clerici offic. de vita & honest. cleric.* artes vero prohibitas superadde ex textibus iuris canonici quos congessit Azor, ex quo desumpsi *loco cit.*

Igitur tria fuerunt mihi consulta. Primũ, an Religiosus si ludo prohibito à sacris canonibus aliqua lucretur, ludens de licentia sui superioris, ista sint spolia fisci Apostolici. Secundum, si sine licentia etiam tacita Prælati lucretur aliqua ludo non prohibito, vt tabularum, ad par, impar, per digitos qui Italicè dicitur *la Morra*. pertineãt ad cameram. Tertium, an si quis Religiosus clericus, aut laicus vtens medicina, aut aliquo remedio medicabili corporis humani plura lucretur, sint Religionis, vel cameræ, hæ consultationes à transmarina ciuitate mihi remissæ *ann.1644.*

2 Respondi, ad primum, quod † cum superior Regularis non possit dispensare in iure communi canonico, vt est indubitatum, ludusque ille taxillorum prohibitus sit Religiosis personis professis semper illa, quæ lucrata fuere sunt illicitè acquisita vtpotè cõtra sacros canones, & sic sunt spolia Cameræ Apostolicæ, cui iuxta dicta in superioribus ante sententiam sunt danda Cameræ Apostolicæ, cui iuxta dicta in superioribus, ante sententiam sunt danda Cameræ Apostolicæ, apud quam est dominium priuatiuè ad alios huiusmodi acquisitorum ludo illicito, vt constat ex Bulla Pij IV. vt notant Nauarrus *de spoliis. §.7. n.5.* Azor *vbi suprà p.3.* Scort. *in selectas Sum. Pont. epito. 76. Theorem. 194.* irritat enim Pontifex, quidquid in contrarium fuerit attentatum, vnde si quid acquisitum ex ludo demptis expensis victus vestitus religiosi ludentis post eius mortem supersit tenetur superior Cameræ Apostolicæ restituere, quia illi reseruatum est, quod aduertit Nauarrus *vbi suprà.*

Ad secundùm respondet Azor *vbi suprà*
3 *quæst.8.* vbi ait † Monachi verò, aut Religiosi quotiescumque citra superioris consensum ludunt, quidquid acquirunt contra canones intelliguntur acquirere, quia in illis velle, vel nolle non est, absque superioris consensu, sed fundamentum huius doctrinæ sic vniuersaliter prolatum, verum non est aliàs omnis contractus licitus ex natura sua nulloque iure prohibitus, in speciali illicitus esset Religioso solemniter professo, & sic quidquid ex illo esset acquisitum pertineret, vt spolium Cameræ Apostolicæ, quod
4 nullus dixit, quare existimo, quod † si Religiosus acquirit ludo licito, etiamsi aliàs prohibito à sua Regula sub peccato, ipséque contra paupertatem peccaut, exponens pecuniam periculo, eam perdendi si tamen nõ perdidit, sed lucratus est lucrum non ad Cameram Apostolicam, sed ad suam pertinet communitatem & Religionem, quia Pontifex solùm loquitur de bonis quæ acquisita sunt ex arte, aut ludo contra Sacros canones, in quibus sunt specialiter prohibiti vsus illorum, non de illis quæ generaliter prohibentur in Regulis generalibus, qualis est, quod Religiosus non habet proprium velle & nolle.

Ad tertiùm respondetur, quòd ibi duo 5
tanguntur, primum an Religiosus vtens arte Medicinæ, aut Chyrurgiæ aliáve prohibita, & certum est, quod lucrata istis si post mortem supersint sunt spolia reseruata Cameræ Apostolicæ, vt constat ex dictis. Secundùm, an si Religiosus habet aliquod remedium occultum, vt herbam, lapidem, cõfectionem à se inuentam contra aliquas infirmitates, quales, plures habere cognoui si ex istorum remediorum venditione de superiorum suorum licentia aliqua acquirat sint inter spolia Cameræ computanda, dixi quod non quia ista donare, aut vendere propriè non est vti arte Medica, quia vt benè Azor *vbi suprà quæst.6.* nomine artis Medicæ, & Chyrurgicæ intelligũtur artes ad corporis curam pertinentes, quæ sine sanguinis effusione, incisione, adustione, non exercentur, *cap. sententiam, nec Clerici, vel Monachi.*

Verum est, quod † si aliquis Religiosus 6
professus non destinatus choro, nec Sacris Ordinibus, sed sit frater laicus potest artem medicam exercere de licentia superioris, & lucrata ex illa Religionis non Cameræ sunt, quia in præfato, *cap. causam.* de clericis in sacris altaris ministerio dicatis, est sermo, vt de Subdiacono, Diacono & Sacerdote. Vnde notat Nauarrus *comment. de spoliis §.7. n.5.* quod non sunt inter spolia computanda ea quæ ex negotiatione illicita, & alia arte contra Sacros Canones, quis clericus sæcularis existens in minoribus, non habens beneficium sufficiens ad congruam lucratus est, sed solùm clericus in sacris etiam sine beneficio, & in minoribus habens beneficium sufficiens: Vnde † constitutio Piana etiam 7
limitanda est in clericis in sacris non habentibus: Vnde viuant, qui possunt vti artibus præfatis, tenentur tamen se abstinere ab altari propter periculum irregularitatis incursæ ob defectum lenitatis. Censeo tamen, quod superiores non debent huiusmodi fratribus laicis licentiam dare, vt arte Medica, aut Chyrurgica, qua pollent, vtantur ex quo sequuntur magna inconuenientia & statui regulari valdè incongrua, vt experientia mihi

mihi monstrauit, quare cuidam Patri Prouinciali consului ne permitteret, vt quidam frater laicus Chyrurgus curaret, & paruit consilio, quare nisi in casu grauissimo pro aliqua persona illustri hoc nullatenus est permittendum.

8 Ex dictis deducitur †decisio alterius consultationis mihi factæ de quodam Religioso professo, qui apostatauit à Religione & in apostasia per aliquot annos perseuerãs multa lucratus in histrionatu, & arte musica qua eximie pollebat, ad cor reuersus ad Religionem rediuit, an bona ista si supersunt post mortem sint inter spolia Apost. computanda & Summo Pontifici reseruata. Respondi quæ ex publico histrionatu acquisiuit Religiosus iste si post mortem supersunt spolia sunt Cameræ Apostolicæ, quia ars ista omnino est prohibita clericis, & religiosis, *cap. clerici.* cum Glossa *de vita & honest. cleric.* vbi Archidiaco. & Geminianus dicunt, quod perdit priuilegium canonis, *si quis suadente* 17. *quæst.* 4. cum ex illa contrahatur iuris infamia, vt benè Sylueſter *verb. infamia quæst.* 5. *num.* 9. *leg.* 2. vbi Glossa *ff. de his quæ notantur infamia.* & qui est infamis iure ciuili est etiam infamis iure Cano-
9 nico, vt idem Sylueſter probat *quæst.* 6. *n.* 11. ea vero quæ lucratus est arte musica, aut edocenda, aut quia ad conuiuia & nuptias & alias festiuitates profanas vocabatur non sunt spolia, ars enim ista licita est secundum se vt benè aduertit Sylueſt. *verb. ars q.* 9. *n.* 7. *alioquin* (inquit) *totius mundus damnaretur.* Vnde non potest esse illicita, nisi ex intentione, vel circumstantia loci, temporis, & huiusmodi, quæ tam sint peccatum mortale videre non est facile, quamuis si publicè in theatro vtatur quis huiusmodi arte citharista, quia sic est prohibita clericis, & Monachis. Ioann. Andreas *cap. donare* 86. *dist.* Sylueſter *verb. clericus.* 3. *num.* 5. *quæst.* 8. *vers. & facit.*

SVBRESOLVT. VI.

Cui debeat restitui furtum factum de re lucrata à Religioso per negotiationem, & contra Sacros Canones?

SVMMARIVM.

1. *Cuinam furtum factum de re lucrata à Religioso per negotiationem & contra sacros canones restitui debeat.*
2. *Authoris iudicium adfertur.*
3. *An furtum, aut res quæcumque acquisita etiam licitè si debeantur Religioso inhabitante extra claustra suæ Religionis, extra quæ vitam finiat debeant restitui Religioni, an Cameræ.*

CONsultus fui in hac specie. † Quidam Religiosus lucratus est plura per negotiationem illicitam, & arte prohibita iure canonico, & Petrus ab eo suffuratus est duo millia scutorum, quæ restituere non valuit ante mortem illius Religiosi, qui intra Religionem defuit, aut extra de licentia legitima suorum superiorum existens, pluraque etiam licite lucratus est, & acquisiuit industria, & artificio suo quæ commodauit, aut mutuauit alicui dubitatum est in vtraque specie consultationis, cui facienda est restitutio Religioni, an Cameræ Apostolicæ.

Respondi, quod † Cameræ, hoc mihi in- 2
dubium est, & ex Bullis Apostolicis in prima casus forma constat ex Bulla Piana applicante fisco Pontificio *bona acquisita per negotiationem, aut contra Sacros Canones, quibus* (bonis) *illos viuentes priuari, aut destitui contigerit eatenus remanserunt, aut in posterum remanerent, &c.* atqui per furtum, quis priuatur & destituitur bonis quæ possidet, ergo fur mortuo religioso, non Religioni, sed Cameræ Apostolicæ tenetur restituere, quia iam res furto erepta spolium est Pontificiũ, & ad fiscum eius iure pertinet, quod etiam tenet verum etiamsi talis Religiosus negotiator in Religione vitam finiat, quia per hoc non aufertur ius dominij acquisitum ex iure nouo Pij IV. qui huiusmodi bona acquisita illicitè suæ Cameræ applicuit, maximè si ista bona, extra Religionem manent, id quod notauit Suarez *vbi suprà.*

In secunda specie casus etiam dicendum, 3
quod † furtum illud, aut res quæcumque acquisitæ etiam licitè si debeantur Religioso inhabitante extra claustra, suæ Religionis extra quæ vitam finiat (etiamsi sit intra claustra alterius religionis, ad quam sine requisitis licentiis iuxta decretum Vrbanum) debent restitui, non Religioni, sed Cameræ, quòd si Religioni restituat ista tuta conscientia non retinet, nec restitutor satisfecit obligationi suæ. Hoc constat clarè ex Bulla Gregoriana cuius resumen suprà dedi.

SVBRESOLVT. VII.

De Religioso negotiatore per alium, & de illo qui vnica tantum vice negotiauit.

SVMMARIVM.

1. *An quum Religiosus vnica negotiatione plura est lucratus, ista sint spolia in conscientia debita post mortem danda Cameræ Apostolicæ, & n.* 2.
3. *Authoris mens adducitur, & numero* 4.

5. *Acquisita à Religioso ex negotiatione illicita sunt spolia Apostolica, ex constitutione Piana.*
6. *An liceat Religioso per alium lucrari.*
7. *Clerici debent non solum abstineri ab his quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali, ex S. Doct.*
8. *Negotiatio est Clericis & Religiosis professis prohibita iure Canonico.*
9. *Vera negotiatio quæ est illa quæ habet pro fine lucrum, & huius causa fit est prohibita Religiosis, siue exerceatur per se, siue per alium.*
10. *Alexandri III. sensus adfertur, & n.* 15.
11. *An non lucri cupiditas & diuitiarum amor compatiatur cum totali abrenunciatione rerum sæcularium, quam habent solemniter factam Religiosi professi, n.* 12.
14. *Azorij & multorum aliorum opiniones adducuntur.*
15. *An conuentus Religiosus nequeat etiam ad recuperandum debitum, officium mercatoris exercere, carius vendendo id quod vilius emit, & n.* 16.
17. *Quid ex præmissis veniat colligendum.*

NOn est ita peruia vtriusque partis huius casus septimi decisio, & inci-
piendo ab vltima, an Bulla intelligatur, † quũ Religiosus vnica negotiatione plura est lucratus, an ista sint spolia in conscientia debita post mortem danda Cameræ Apostolicæ, adfirmant Azor *lib.* 8. *cap.* 2. *q.* 5. *versic. dubitauit.* Rodoanus *quæst.* 2. *de spoliis num.* 65. Scortia *vbi supra Theorem.* 194. *vers. sed quid si simul*, quia licet negotiatores vel mercatores non intelliguntur in iure, qui semel tantum aut iterum negotiantur, attamen Pontificia cõstitutio absolutè dicit spolia censeri, quæcunque maximè ex illicita negotiatione, acquisiuit, atqui negotiatio semel exercita à clerico etiam est mala & illicita, quia prohibita: sicut semel frangere ieiunium malum est, quia prohibitum, ergo bona per illam acquisita spolium est Apostolicum.

2 Sed etsi pro foro externo hæc sententia indubitata sit, at si loquamur in foro conscię-
tiæ, poterat quis non improbabiliter dicere, quod ea quæ quis Regularis, siue sacerdos sit, siue non obligatus non sit, nec ipse, nec Religio, nec eius creditor restituere, nisi petatur à collectoribus Apostolicis, sitque vir-
3 tualis sententia criminis semel cõmissi. Fundor primò, quia † licet constitutio Piana simpliciter pœnalis nõ sit, vt suprà vidimus, tamẽ cum per illam corrigatur ius commune ex vi cuius bona Religiosi negotiatoris debebantur Religioni, cui acquirit quidquid acquirit, auferatúrque ius tertij scilicet Religionis, ratione vtriusque tituli limitãda est constitutio, & vt ait Molina. *t.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 96. exigitur, quod verba legislatoris sint luce clariora explicantia suam mentem, vbi autem potest esse explicatio aliqua rationabilis, si lex est correctoria iuris communis, & derogatoria iuris tertij hæc explicatio est admittenda. Vnde cum lex quadam Hispana 5. *l.* 5. *tit.* 11. *nouæ Recop.* dicit. *Por eso mismo hecho sin proceder a ello, ni para ello conocimiento de causa ni otra sentencia, ni declaracion alguna ayan perdido las* 4
mercadurias, quas applicat Fisco, Azeuedo, Matienzo, & alij Regnicolæ, quos sequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 90. *n.* 11. sentiunt nõ deberi hoc in conscientia ante declarationem. Rursus *Auth. de restit. & ea quæ parit.* etsi propter vnicum stuprum factum à vidua intra annum luctus, vt communis sententia, quam sequitur ipse Thom. Sanch. *n.* 2. amittat nuptialem donationem, & quidquid ex virorum liberalitate consecutæ sũt, & tamen hæc lex imperialis non intelligitur pro foro conscientiæ, vt multis citatis tenet ipse Sanch. *n.* 11. & validissimè probat. Cum ergo cõstitutio dicat Piana, quod † acquisita ex negotiatione illicita, sint spolia Apostoli- 5
ca, intelligi potest, quum negotiatio cõtinua est aliquibus vicibus sufficientibus, vt religiosus negotiator & mercator dicatur, sicut vt mulier vidua anno luctus fornicans amittat donationem dotalem, cui succedunt hæredes mariti quos assignat, lex requirit consuetudinem fornicandi, vt tenent Bart. Ripa, Dec. Angel. Hippol. Rosel. Nauar. & multi grauissimi Doctor. quos citat Sanch. *vbi supr. n.* 2. *vers. & quamuis plerique.* Sed hæc subiicio Ecclesiæ sapientioris iudicio.

Circa primã casus partem, † an liceat Re- 6
ligioso per alium negotiari? fui consultus nõ multis ab hinc diebus, suprà enim insinuaui non licere, quod hic explicatius est enodãdum D. Th. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. duplicem rerum commutationem quæ ad mercatores pertinet, distinguit cum Ar. *lib.* 1. *Polit. c.* 1. 5. & 6. *vna est quasi naturalis, & necessaria propter necessitatẽ vitæ, & hoc propriè nõ pertinet ad mercatores, & negotiatores, sed magis ad œconomicos & politicos, qui habent prouidere domui, vel ciuitati de rebus necessariis ad vitã, & est laudabilis, quia deseruit naturali necessitati. Altera est commutatio denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrum quærendum, & hæc iustè vituperatur, quia quantum est de se deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit, & ideo negotiatio secundum se quamdam turpitudinem habet, in quantum non importat de sui ratione aliquod honestum, vel necessarium, lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione nõ importet aliquid honestum, vel necessarium nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel*

virtuti contrarium, & sic nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel honestum, sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando, quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subueniendum indigentibus, vel propter publicam vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.

Ex qua doctrina in solutione *ad* 3. dicit,
7 *quod † clerici non solùm abstinere debent ab his quæ sunt secũdum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali, quod in negotiatione contingit. Tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores. Tum, quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis, & per consequens ab spiritualibus retrahit.* Vnde Apost. *dicit* 2. *ad Timoth. nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* hæc D. Thom. quæ multo magis vrgent in viris qui professione solemnibus votis se totaliter Deo dedicarunt, & sæcularibus abdicarunt.

Et propter hanc turpitudinem ratione, cuius negotiator dicitur, attendere ad lucrum, vt ad finem & se implicat negotiis
8 sæcularibus, † negotiatio est clericis & Religiosis professis prohibita iure canonico, à Deo, quod nisi interueniat commutatio œconomica propter domus & personæ necessitatem, aut politica propter publicam vtilitatem, aut charitatiua, vt subueniatur indigentibus, in quibus lucrum, non attenditur, sed succursus necessitatis, vel propriæ domus, aut patriæ, aut pauperum, negotiatio omnino sit prohibita, *cap. consequens dist.* 88. vbi Gelas. Papa clericis ab indignis quæstibus abstinendũ, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cessandum, *c. Negotiatorem. c. fornicari. eodem & cap. final. de vita & honest. cleric. & cap. secundum* 6. dicitur sub interminatione anathematis, ne Monachi, vel clerici causa lucri negotientur. Horum omnium rationem dedit Apost. 1. *ad Timoth.* 6. *Habentes alimenta ex quibus tegamur his contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas,* scilicet lucri & diuitiarum, vt communiter ab expositoribus intelligitur.

Ex quibus solidis, & veris principiis col-
9 ligitur manifestè, quod † vera negotiatio, quæ est illa, quæ habet pro fine lucrum, & huius causa fit est prohibita Religioni, siue exerceatur per se, siue per alium, amicum, fratrem, socium in negotiis, aut similẽ personam, non enim solum prohibetur negotiatio illis, quia indecorum sit, quod personaliter negotientur carius vẽdendo immutatum, quod vilius emerunt, sed quia Religiosi cum sint Deo totaliter mancipati, totalitérque rebus sæculi abrenuntiarunt sub anathematis pœna illis est prohibitum causa lucri negotiari, vt ait † Pontifex Alexand. 10
III. rescribens Loudonens. Episcopo, quod dicit esse *instituta Prædecessorum suorum*, addit Pontifex, *& ne Monachi à clericis, vel laicis suo nomine firmas,* (idest obligationes, vales) *habeant*, quia, vt ait Gloss. *verb. firmas, suspicionem habet cupiditatis, & quasi negotiatio est*, hoc intellige suo nomine, vt hic dicit, sed nomine monasterij causa necessitatis licitũ est, ergo manifestum est, quod Religioso prohibitum est negotiari causa lucri, siue per alium, quamuis enim dum negotiatur per alium non sit personalis indecentia, est tamen lucri cupiditas, quæ est præcipuâ ratio prohibitionis.

Non enim † lucri cupiditas & diuitiarum 11
amor compatitur cum totali abrenuntiatione rerum sæcularium, quam habent solemniter factam Religiosi professi, siue hoc lucrum emendo vilius, & vendendo rem immutatam carius, cupiatur & ambietur illud exequendo per se, siue per alium non diminuit cupiditatem, imò forsan auget & multiplicat *inutilia & nociua desideria, quæ demergunt hominem in interitum & perditionem, inciduntque in tentationem, & in laqueum Diaboli.* vt aiebat Paulus.

Quis enim dubitare quit quantum di- 12
uertat Religiosum mancipatum totaliter diuino seruitio hapothecas mercium rerumque venialium, ad quinquaginta millia ducatorum habere, vt lucretur in eis immutatis reuendendis, commerciáque habere in nouo orbe, aut India Orientali, quò mittunt res venales eodem modo ac alij mercatores sæculares, quamuis hæc mercimonia non exerceant immediatè per se ipsos, sed per suos ministros & consocios sæculares: sic
† enim Alexander III. prohibet Religiosis 13
ne nomine suo habeant *firmas sæcularium.* quia suspicionem habent cupiditatis, quanto magis prohibent per sæcularium administrationem, mercaturam, & negotiationem, certè enim non video, qua ratione id fieri possit non solùm in foro exteriori in quo & scandalum magnum generat & subibit pœnas clericis, & Religiosis negotiatoribus impositas, sed in foro conscientiæ cum faciant rem prohibitam nisi Religiosus, aut communitas Regularis pauper sit, tunc enim cessat ratio legis, & D. Thom. quia lucrum, quod intendit ordinat ad necessitatem conuentus, aut personæ, & sic est negotiatio œconomica, aut politica, quæ non prohibetur à sacris Canonibus, cum non intendat lucrum, sed naturæ necessitati succurrere.

Hinc

14 Hinc enim est † Azorium *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *quæst.* 2. Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 21. *num.* 6. & alios dixisse esse licitum Clerico, aut Conuentui Religioso, si ille habet pecunias ex patrimonio, & iste ex suis redditibus, & bonis eas colligit, dare eas mercatori ad negotiationem, quod licet Lessius dicat parum esse decorum statui Ecclesiastico, & non faciendum, sine iusta causa excusante; sed ego hanc doctrinam, quam sumpsere ex Medina *Cod. de restit. quæst.* 31. veram dumtaxat intelligo, quum hæ pecuniæ dantur ad negotiationem non spe lucri, quia hoc est omnino illicitum, sed cum datur intuitu alicuius necessitatis œconomicæ præsentis, vel futuræ, & ad sustentationem decentem familiæ, aut succursum pauperum, hæc enim ipsa datio pecuniæ alicui, vt ipsa negotietur, & danti retribuatur interesse negotiatio est, & firmas habere à laicis, quam prohibet Alexander III.

15 Vnde egregiè respondet Cardinalis de Lug. *lib.* 3. *respons. Moral. dub.* 20. quod † Conuentus Religiosus nequit etiam ad recuperandum debitum, officium mercatoris exercere, carius vendendo, id quod vilius emerunt, v. g. ex facultate Regni, aut Ciuitatis, quæ id prohibet statuto, aut lege emerunt triticum pro decem Iuliis, aut Regalibus mensuram, quam immutatam aliò transferunt, & vendunt viginti, quia hoc est vera negotiatio Religiosis prohibita, quare possunt vendere facultatem illam extrahendi triticum, aut ipsum triticum vendere carius quam emerunt non licet, sicut si fiat facultas vendendi carnes in Macello, aut cartas lusorias, non licet hoc facere Religiosis, etiam per suos ministros, bene tamen possunt vendere facultates has laicis, vt ipsi vendant, quod si non sit, qui facultates has emat, potest Conuentus mutuare pecunias ad emẽdum triticum, etiam-
16 si Communitas subeat periculum damni: nam vendito tritico alibi asportato, ex pretio recuperatur mutuum, & ex lucro debitum antiquum, quod benè explicat *ibi* Cardinalis, quod ego intelligerem, nisi Conuentus ad sustentationem familiæ indigeret debiti recuperatione, nam tunc negotiatio est œconomica, aut politica, vt dicebam ex D. Thom.

17 Ex dictis, & decisis in hoc casu colligitur, † quam sanctè & prudenter Vrbanus VIII. in Constitut. in ordine 126. & incipit..... anno..... die..... mense..... interdixerit sub pœna excommunicationis, vna *cum priuatione vocis actiuæ & passiuæ officiorum, graduum, & dignitatum, & inhabilitatis ad ea, & amissione mercium, ac lucrorum ex eis factorum, quamcunque mercaturam, seu negotiationem exercere, Missionarios ad Iapponiam, & alias gentes Orientalium Indiarum, siue per se, siue per alios, siue proprio, siue Communitatis nomine, siue indirectè, siue directè, aut alio quouis prætextu, causa, & colore. Maxima enim turpitudo est, vt tractans de animarum lucris, temporalibus lucris inhiare.* Quæ ratio procedit etiam si Religiosi alibi gentium intuitu lucri negotientur, siue per se, siue per alium.

SVBRESOLVT. VIII.

De Religioso eiecto à Religione iuridice, negotiatore?

SVMMARIVM.

1. *An eiectus à Religione sit subditus Episcopo originis, & illi acquirat.*
2. *D. Thomæ sententia adducitur.*
3. *An Religiosi ad triremes damnati acquirant Cameræ Apostolicæ.*
4. *Vrbani VIII. sensus affertur, & n.* 5.
6. *Eiectus à Religione ex vi voti obedientiæ solemnis, quod emisit in professione, an teneatur obedire Episcopo, cui sententia expulsionis notificata est.*
7. *Authoris iudicium propalatur. & n.* 8. *&* 9.

PLura dixi de eiectione Religiosi à Religione sua, habitúsque exspoliatione explicans Decretum Vrbanum, de hac materia editum *anno* 1624. *sub die* 27. *Septembris, tom.* 2. *de congrua sust. Ecclesiast. omnium.* Sed hic cui, dum in eiectione incorrecti extra Religionem perseuerant, acquirant: breuiter videndum, vt post diggrediar aliquantulum antequam ad alios casus descendam: & quidem si loquamur iure communi. Nauar. *comment.* 2. *de Regular. num.* 2. dicit, quod
† eiectus est subditus Episcopo Originis, & 1
quod illi acquirit, quod latè probat; & subdit: *Cui autem acquirant, & subjciantur Regulares exauthorati, & habitu religioso priuati, & ad triremes damnati, si quid in eis quærant commisso aliquo prælio nauali, vel inde fuga, & pretio redempti in partes remotas deuenientes, quæstionis implexæ videtur: & satis æquè responderi posset eisdem Episcopis subditos fore, quibus triremes ipsæ, & alij eis adducti suberũt, donec in eis manserint, postea verò finito tempore ibi remanendi, vel redempti debent redire ad Episcopatus suarum originum, & subesse Episcopis illarum, vel impetrata ab eis facultate, transire ad alios. Quæ limitanda sunt ne procedant in iis, qui non solùm eiiciuntur à Monasteriis, sed etiam relegantur à Prouinciis suarum originum, illi enim non possunt etiamsi maximè velint subesse Episcopis Episcopatuum Prouinciarum illarum, quia*

tenentur etiam in foro conscientiæ ad implendam pœnam sibi à iudice competente latam, vt
2 *determinat* † *D.Thom.2.2.quæst.62.art.3.quos de rigore arbitror solius Papæ obedientiæ & iurisdictioni spirituali subiectum iri, eique soli quæcumque acquisierint quæsitum iri, quamuis ex quadam æquitate & tacita mente Papæ si longè ab vrbe exterminarentur, satisfacerent fortè suis conscientiis de eligendo aliquem Episcopatum, cuius Episcopo obedirent argumento cap. nihil de elect. an autem huiusmodi Prælati possint subditos Regulares ad triremes damnare tangetur in comment. cap. nullum. 18. q. 2. n. pen.* Hactenus vir doctissimus.

Cuius doctrina quoad omnia, quæ dicit verissima est iure communi, etsi post decretum Vrbanum, & ius nouum Gregor. XIII. in aliquibus non subsistat. Primò, quantum
3 ad acquisitionem rerum, isti enim etiam † ad triremes damnati acquirunt Cameræ Apostolicæ, etsi extra Religionem decedant quæcumque bona, sunt spolia Pontificia, vt habet in sua Bulla Gregor. XIII. vt vidimus. Secundò, quod eiectus non est subiectus necessario Episcopo Originis, sed Episcopo loci in quo fit eiectio, & sententia eiec-
4 tionis datur, ita † Vrbanus VIII. *in suo decreto* §. 7. ibi. *Sic verò eiecti quandiu non redierint ad Religionem in habitu clericali incedant atque Ordinarij loci Iurisdictioni & obedientiæ subsint. Proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eisdem ordinario notificare teneatur.* Quare admittẽdum non est, quod dicit Pellizarius *tom.2. Manual. tract.8. c.8. n.8.* quod eiectus audita sententia eiectionis debet eligere domicilium, & id indicare Generali, vt sic isti constet, cui ordinario debeat notificare sententiam eiectionis, hoc inquam admitti non debet, quia videtur clarè contra decretum, quod dicit *Ordinario loci vtique in quo fertur sententia debet ea notificari*, posset enim eiectus dicere se velle subiici Episcopo Manilæ, aut Iapponensi, vel alij longiori, cui moraliter est impossibile notificari, & sic nullius obedientiæ, aut Iurisdictioni maneret subditus, quare noti-
5 ficanda est sententia Episcopo Originis (si commodè fieri potest) cuius domicilium est immutabile, *leg. assumptio. ff. ad Municip.* nec perditur per accessionem, aut amissionem dignitatis quæ non aufert, sed cumulat domicilium, *leg. senatores, ff. de senator.* vbi Bart. Decius *leg. cum quadam puella ff. de iurisdict. omnium iudic.* etenim domicilium quæsitum per beneficium, Abbatiam, aut Monachatum tandiu durat, quandiu hæc durant, vt notant Barth. *leg. 1. ff. de municip.* & ad eligendum Episcopum Originis habet ius eiectus, quod si isti commodè notificari nequit, sufficit, quod notificetur Episcopo loci, in quo fertur sententia, & in quo eiicitur Religiosus & spoliatur habitu, eo enim ipso, quod spolietur subditur Iurisdictioni & obedientiæ Episcopi loci, nisi antea ipse elegerit subdi Episcopo domicilij.

Sentio enim cum Nauarro & aliis quos citat Sanchez *lib.6. Summ. cap.9.n.29.* quod
6 † eiectus à Religione ex vi voti obedientiæ solemnis, quod emisit in professione tenetur obedire Episcopo, cui sententia expulsionis notificata est, contrarium sentiunt Molin. *tom.1. tract.1. disp.*140. Azor *p.1. l.12. cap.16. q.11.* Lessius *lib.2. cap.41. n.114.* Pellizar. *vbi suprà.* asserentes, quod huiusmodi eiecti non tenentur specialius obedire Episcopo, quam obediunt alij clerici, quorum instar, dumtaxat tenentur obedire. Vnde ad libitum inconsulto, & repugnante Episcopo potest Diœcesim & domicilium mutare, id quod tenet Suarez *tom.4. de Religio. tractatu 8. lib.3. cap.6. num.*15. quia non sunt multiplicandæ obligationes absque sufficienti fundamento.

Sed, † vt dixi ego contrarium prorsus ve-
7 rum existimo, fundor in decreto Congregat. Vrbanæ dicentis, quod *huiusmodi eiecti in habitu Clericali incedant atque ordinarij loci Iurisdictioni & obedientiæ subsint*, quibus verbis manifestè, id quod dico, docet, et enim sicut expulsus ex vi voti panpertatis omnino incapax est dominij & proprietatis, etsi eorum, quæ acquirit habeat liberam administrationem, & per votum castitatis est incapax contrahendi matrimonium, & quocumque luxuriæ peccato etiam peccat contra religionem voti. Ergo ex vi voti solemnis obedientiæ non habet proprium velle, aut nolle, vt dicitur *cap. si Religiosus de elect. in 6.* Ergo ab alia voluntate superiori debet dirigi in proprio velle & nolle non
8 superioris regularis à quo eiicitur, & à cuius iurisdictione absoluitur per eiectionem iuridicam, ergo Summi Pontificis cui manet subditus, non solùm in quantum fidelis & sicut omnes alij agni, quos pascit tanquam vniuersalis Pastor totius ouilis Christi, sed etiam tanquam Religiosus ratione voti obedientiæ, atqui ita dum Pontifex eiectum à religione subdit Episcopi loci iurisdictioni & obedientiæ, ipsi Episcopo delegat iurisdictionem specialem, vt eiectum dirigat, vt præcipiat, non solùm tanquam vnum ex clericis, sed tanquam Religiosum obligatum triplici voto solemni ad quorum obseruantiam potest obligare & in ordine
9 ad illam præcipere ea quæ media necessaria iudicauerit, quæ nequit præcipere clericis sæcularibus, qui tribus istis votis non sũt adstricti, quare potest præcipere ne à Diœcesi sua discedat, aut domicilium mutet, quia hoc iudicat expedire ad obseruantiam votorum. Vnde corruunt ea quæ contrarij obiiciunt

obiiciunt & quæ Nauarrus docuit, quantum ad hoc in sua energia & efficacia perseuerant.

DIGGRESSIO

Circa hunc casum. Vtrùm nõ obstante decreto Vrbano, circa formam eiiciendi Religiosum professum à Religione, possit Prælatus Regularis propter delictum atrox, non seruata forma, ad triremes per decennium damnare.

SVMMARIVM.

1. *An vt vindicta iusta exerceatur in malefactorem qui condemnari debet ad triremes debeat seruari forma Vrbana ad iuridicè eiiciendos & expellendos Religiosos solemniter professos à Religione, & n.2.*

DE hoc casu his diebus interrogatus fui occasione cuiusdam fratricidij à quodam Religioso perpetrati, qui alium eiusdẽ sodalitij occidit, dum dormiret in lecto, in ipsũmq; insurrexit velut Cain in innocentẽ Abelem pugione cor transuerberans, sanguisque eius clamat de terra petens iustam pœnã atrocissimi delicti sine causa cõmissi,
1 & inquirit, † an vt vindicta iusta exerceatur in malefactorem qui condemnari debet ad triremes, debeat seruari forma Vrbana sanctissima, & prudentissima tradita ad iuridicè eiiciendos & expellendos religiosos solẽniter professos à Religione. Respondi nõ requiri, quia forma Vrbana solum præscribitur quũ directe, & per se, quis expellitur à Religione, quod solum debet fieri propter incorrigibilitatẽ & seruatis illis circunstãtiis, quæ in decreto iure nouo determinãtur, & aliter facta eiectio iuridica non est, nec licitè fit à superioribus, qui si aliter faciant, tenentur in cõscientia habitum & habitationẽ regularẽ
2 restituere expulso, & eiecto vtpotè facta sine iurisdictione, non verò loquitur Vrbanũ decretũ de punitione debita propter atrox delictũ, cui imponitur pœna à iure taxata, & à iudicibus practicata, etiãsi ad istã sequatur, quod reus & habitu expolietur & à Religione expellatur, quia aliter nequit delictũ pœna debita, vt iustitia legalis, & vindicatiua exigit puniri, hæc resolutio mea pluribus viris doctis placuit & multi petierunt enixè, vt eam neruosè comprobarem, quod libenter præsto, quia magnæ vtilitatis est.

SECTIO I.

Pars negatiua argumentis & auctoritate firmatur.

SVMMARIVM.

1. *Nullus legitimè professus eiici potest nisi sit incorrigibilis.*
2. *Lexanæ mens adducitur, necnon Sacræ Congreg. & n.3. & 4. & multorum aliorum, & num.5.*
6. *Authoris iudicium affertur, & n.7.*
8. *An præcisè per ingressum conuentus vna, vel altera vice ob malum finem exequendum cum sæculari ibi morante non arguatur incorrigibilitas, etiam de facto, & n.9.*

COrdubæ, & Granatæ viri docti, diuersarum communitatum alumni consulti non in hoc casu, sed in alio de quodã fratre laico, qui scala per murum ingressus est Monasterium Monialium, in quo per spatiũ triũ horarum cum quadã sæculari cuiusdã Monialis seruitrice stetit, propter quod delictũ, quod publicum fuit Prouincialis ipsum fratrem laicum non seruata formà Vrbana ad triremes per decennium damnauit, & præfati viri docti dixere, id non potuisse facere Prouincialẽ, sed incurrisse pœnas latas in decreto Vrb. VIII. contra non seruantes formam ibi nouo iure introductam, quod variis mediis non ineruditè probant.

Primò, ex verbis decreti præfati §.4. *vt in posterum nullus legitimè professus eiici possit nisi verè incorrigibilis, verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm cõcurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis & constitutionibus cuiuscunque religionis & ordinis etiã à Sede Apostolica approbatis, &c.* vbi sacra Congregatio duo dicit valdè notanda. Primũ, quod † nullus legitimè professus eiici potest, nisi sit incorrigibilis, ergo qui corrigi est paratus, quãtumuis delictũ sit enorme, cum non sit incorrigibilis, eiici nequit ab ordine & habitu regulari spoliari. Secundùm, quod non est verè incorrigibilis, nisi incorrigibilitas constet post annum carceris in pane, & aquã, & aliis pœnis, quod cum statuatur tãquam forma eiiciendi & expellẽdi Religiosum professũ absolutèque sit introducta absque distinctione delicti, ex quo oritur iuridica incorrigibilitas, nec nos debemus distinguere; sed expectanda est distinctio ab ipsomet legislatore, nã indubitatũ est, quod lex generaliter loquẽs, generaliter est intelligenda; *leg. de pretio 10. de public. rerum act. leg. in fraudẽ 16. de testam. mil. leg. cũ leg. ff. de testam.* & tradunt Dec. *leg factum §. pen. ff. de reg. iur.* Alciat. *in Rubri. de verb. signific.*

Secundò, quia licet olim Prouinciales cum consensu diffinitorum ex vi priuilegiorum possint eiicere Religiosum professum, tamen hodie nequeunt cum omnia huiusmodi priuilegia penitus sint reuocata specialissima, & strictissima reuocatione verbis comprehendentibus omnem omnino modum, aut titulum ad talem eiectionem, vt constat ex
2 §. 10. *eiusdem Decreti* † vnde Lezana *tom. 2. Summa cap. 12. n. 8.* dicit quod *anno* 1635. non sunt approbatæ cõstitutiones cuiusdam grauis Religionis, quia asserebant quod visitator aut Prouincialis cum sex Patribus poterat expellere Religiosum professum à Religione. Quæ doctrina verum maxime tenet quia in Religione Seraphica *anno* 1612. Reuerendiss. Generalis F. Ioannes à Ferro declarauit quod censetur expulsus ab ordine qui est damnatus ad triremes, etiamsi in sententia nõ declaretur expulsio, vt referunt Hyeronymus Rodrig. *Resol.* 57. *n.* 8. Manuel Rodriguez *to.* 1. *q.* 23. *art.* 5. Portel *in dubiis verb. eiicere n.* 6. ergo ex damnatione ad triremes expulsio per se sequitur.

3 Tertiò, quia † sacra congregatio in præfato Decreto §. 4. sic grauissime fatur. *Cæterum sacra congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis re-*
4 *medium experiantur, idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt D. N. Iesus Christus in Supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.* Hactenus Congregatio, ex quibus validissimum desumo argumentum expulsio à Religione est grauissimum, & extremum remedium, quod Prælati regulares adhibere possunt, ante quod nihil intentatum relinquere debent, vt lucrentur animas fratrum in profundum fere malorum delapsas atqui multo grauius est remedium dãnationis ad triremes in quibus anima fratris maiori periculo perditionis existit vt bene aduertunt Viualdus *tractat. de deposit. & degradat n.* 38. & ex ipso Peyrinis *de subdito*
5 *Religio. q.* 1. *cap.* 27. etenim damnatus ad triremes habitat cum turcis, mauris, infidelibus latronibus, aliisque pessimis hominibus, absque sacramentis, & aliis adiumentis ad spiritualem consolationem, moriturque quasi desperatus inter vndas, & flagella, vnde iure Peyrinis locum istum *infernum temporalem dicit*, cuius qualitates intolerabiles doctissime enodat, propter quod dixit Viualdus *vellem equidem, vt si aliquis mihi notus vel coniunctus ad triremes esset condemnandus, vt morte potius puniretur quacunque subita naturali quam ciuili, in morte enim naturali per ministros iustitiæ data multa reperiuntur commoda, videlicet confessio, sacratissima communio, indulgentiarum acquisitio, piorum hominum confortatio, &c.* Quibus omnibus potest frui expulsus ad sæculum, & vix damnatus ad triremes, vnde satis pie, & prudenter Peyrinis *pag. mihi in parus* 345. sic fatur. *Fateor tamen quod melius esset tum pro Religionibus, tum pro istis scelestis, qui propter facinora perpetrata fiunt digni vt ad triremes eiiciantur, eos ad perpetuos, & duros carceres, compedibus, disciplinis, & inedia torquendos, condemnare, sic enim de eorum salute, & correctione posset sperari, quod etiam notat Rodriguez de ordine iudiciar. cap. vlt. concl.* 4. Hactenus ille satis conformiter ad Decretum Vrbanum, quod tũc dum illa scripsit vir doctus nondum erat editum. Hoc argumentum valde vrgens est, & grauissimum existimo.

Quartò, videtur certum, quod † Religiosus iste laicus (loquor de alio casu qui Granatæ occurrit) qui per murum cũ scala intrauit Monasterium, vt rem haberet cum seruitrice, illa non videtur post Decretum Vrbanum ad triremes posse damnari, quia scalatio conuentus ad rem habendam cum sæculari ibi existẽte non est delictum, quod legibus ciuilibus in praxi puniatur pœna mortis, quæ solum est imposita ei qui rem habet cum Religiosa professa solemniter, quod etiam intelligitur, quũ interuenit violentia siue respectu personæ siue respectu conuentus, vt si extracta sit à Monasterio rumpendo portas, vel per scalas, etiamsi ipsa volens extrahatur, vt notat Azeuedo *lib.* 8. *Recopil. leg.* 7. *n.* 59. *& n.* 63. vbi non adest violentia minori pœna punitur, nam si sit homo honoratus punitur in amissione dimidietatis bonorum, si fuerit homo vilis publice flagellandus; *& num.* 68. dicit; *sed si sit nouitia ita vt nullum velum haberet, tunc non di-* 7
cetur monialem cognouisse, etsi sit conuersa non punietur eisdem pœnis, sed grauioribus, quam si sit laica, ergo isti Religioso scala ingredienti monasterium, vt accessum haberet ad sæcularem ibi degentem non est danda pœna triremium, dicere autem quod est lex Lusitana, quæ punit pœna mortis, cum, qui ingreditur Monasterium ad rem illicitam contra castitatem perpetrandam, sed imprimis hæc lex non obligat in castella, tum quia loquitur de Monialibus lex etiam Hispani styli 74. quum quis scala noctu ingreditur domum ad violandam fœminam honestam, non tamen si ipsa consentiat in accessu carnali, & ex eius consensu murus, & domus scaletur, non imponitur pœna mortis.

Quintò,

8 Quintò, quia † præcisè per ingressum Conuentus vna vel altera vice ob malum finem exequendum cum sæculari ibi morante, non arguitur incorrigibilitas, etiam de facto, culpa enim ingressus huiusmodi alia pœna punitur iure Canonico, scilicet excommunicatione ipso facto reseruata Summo Pontifici, vt latè Bonac. *de clausur. q.* 4. *punct.* 5. Tamburin. *de iure Abbatiss. disput.* 7. *quæst.* 9. non autem imponitur pœna incorrigibilitatis, etiam de facto, quæ tunc solum
9 est, quum, quis licet de iure incorrigibilis. non sit, quia ter conuictus & punitus non fuit, est tamen de facto propter eius conditiones naturales notas, quia scilicet vitiis assueuit, & ad hæc habent naturalem inclinationem, vt benè notant Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 15. Miranda *tom.* 3. *Manual. q.* 52. *artic.* 2. Peyrinis *de subdito. quæst.* 1. *cap.* 25. *pag. mihi.* 284. Pellizar. satis insinuat *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 232. scalatio autem pro vna vice alicuius conuentus, vt fiat accessus ad sæcularem ferè certum est, quod non sit incorrigibilitas requisita ad expulsionem post Decretum Vrbanum, quod multa requirit, vt quis incorrigibilis verè existat, vt benè Machado *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 2. *tract.* 4. *docum.* 3. vnde si ad expulsionem non sufficit hoc delictum multo minus ad triremium, quod multo plus est, quam simplex expulsio, vt manifestè probat tertium argumentum.

SECTIO II.

Opinio affirmatiua pluribus adstruitur argumentis.

SVMMARIVM.

1. *Authoris iudicium propalatur. & num. seqq.*
4. *Sacra Congregat. sensus affertur.*
5. *An Regularis monetas aureas, aut argenteas tondens, fabricans, aut aliàs adulterans præuia degradatione tradatur brachio, & & curiæ sæculari.*
6. *Bonacinæ mens adducitur; secnon Santoro, & num.* 7.
8. *Omnis dispositio potius recipit interpretationem à iure consuetudinario, quàm à iure communi. & n.* 9.
10. *Gregorij XIII. concessio.*
11. *An ad expressionem post Decretum Vrbanum sufficiat incorrigibilitas de facto præsumpto. & num.* 12. 13.

ANno præterito 1654. typis sudauit interpretatio quædam doctrinalis (hic enim est titulus scripti) Decreti Vrbani à Reueredissimo Patre Gaspare Roman eiusdem Prouinciæ quondam Prouinciali, qui totis neruis conatur defendere, quod non obstante præfato decreto potuit Prouincialis ad triremes per decennium damnare præfatum Religiosum laicum, qui scala applicata muris clausuræ Monialium ingressus est Monasterium, in quo dimorans trium horarum spacio accessum habuit ad seruitricem monialis sæcularem voluntarie consentientem, nullamque decreti pœnam incurrisse ex tali sententia prolata per Prouincialem, quod pluribus confirmatur ad præsentem casum extricandum, an fœliciter attentis omnibus illius circumstantiis, infra dicam.

Igitur probatur. Primùm, quia cum motiua ratio legis, maximè si in ipsa lege exprimatur est ipsius legis anima qua regitur & vires exerit ad obligandum, vt est commune iuris axioma, atqui motiuum huius decreti Vrbani fuit, vt constat ex procemio, quod tale est. *Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum Regularium eiectorũ & fugitiuorum statui consulere, illorumque scãdala summouere & increscentem numerum frãgere operæ pretium existimans, auditis Religionum superioribus, reque diligentissimè perpensa, communicato etiam Consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex speciali sanctitatis suæ facultate infrà scripta decreta edidit.*

Ex quibus verbis clarè liquet Congregationem motam ad huiusmodi decreta, vt scandala fugitiuorum & eiectorum vitet & summoueat, insuper frangere & minuere horum eiectorum numerum, qui in dies inualescebat & augebatur facilitate ex zelo indiscreto orta superiorum eiiciendi à Religione, non attendentium, an eiectus animũ haberet se emendandi, & corrigendi, & incorrigibilitatem de facto pro arbitratu suo, & forsan ex passione odij extendentes mũdus abundabat eiectis Religiosis. Vnde huic malo volens Sacra Congregatio obuiare, formam eiiciendi constituit, qua non seruata eiectio iuridica non est; sed inualida declaranda, forma autem in tribus consistit. Primò quod nullus Religiosus professus expellatur nisi incorrigibilis. Secundò, quod non sufficit incorrigibilitas de facto in delictis communibus, sed debet esse incorrigibilitas iuris quæ tunc interuenit, quum reus tribus vicibus, & correctus est, & punitus, & tamen non euadit emendatus; vt tenent Canonistæ, *cap. cum ab homine de iudiciis.* vbi Panormitanus, & alij quos citant & sequuntur Aldrete *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 24. Santoro *de Malefic. tom.* 2. *de pœnis cap.* 19. *quæst.* 3. §. *sin autem*, & omnes qui tractant de ordine iudiciali. Tertiò, quod non censeatur verè incorrigibilis nisi post prædicta eiiciendus vnius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus, quo elapso, si nihilominus non resipuerit, tunc tanquam vere

incorrigibilis,& pecus morbida,membrumque putre eiici,tandem potest.

4 Ex quibus liquido constat † sacram Congregationem nõ loqui de Religiosis qui perpetrant atrocia delicta propter quæ pœna mortis in praxi legibus ciuilibus exercetur, istorum enim numerus non adeo crescit,sed rarissimus est, qui talia agat, rursus scandalum quod causarunt, vt auferatur punitionem exigit præsentaneam; si enim est Religiosus ita facinorosus, vt superiorem suum sine causa, aut occidit aut graue vulnus impegit, vel sit publicus viarum latro, vel crimen læsæ maiestatis humanæ commisit, aut fabricator est falsæ monetæ,cum magno reipublicæ detrimento, si assassinus, si latronum dux, quis dubitat quod de his non loquatur Sacra Congregat. quod amplius *sect. sequenti*, monstrabo, vnde Sanctoro de Melfis *vbi supra*, dixit de incorrigibilitate de facto sentio posse aliquem Religiosum ob graue delictum semel patratum non solum expelli, sed ad triremes damnari, nec enim expectare debemus, vt qui Prælatum, verbi gratia, occidit, occidat alterum, sed poterit per canonicas Sanctiones compesci. Hinc est quod idẽ Vrbanus VIII. post editum præfatum Decretum, Bullam edidit 15. *Nouembris* 1627. incipit *in suprema Pastorali*, qua de-
5 cernit, quod †Regularis monetas aureas, aut argenteas, tondens, fabricans, colans, aut aliàs adulterans præuia degradatione tradatur Brachio, & Curiæ sæculari, qui vero retinet scienter præfatas pecunias aut transfert de loco in locum sui opem ad præmissa præstat pœnam triremium per decennium subeat, & quamuis hæc Bulla concludatur intra fines Italos, nec extra diuagetur vt tenet Pellizarius *tom.2.tract.9.cap.4.num.194.* tamen Pontifex sua Bulla declarat, quomodo sit intelligendum Decretum de eiectis, quod non comprehendit religiosum atrocia & immania committens delicta.

6 Secundò probatur, quia † vt optime Bonacina *tom.2.disput.1.quæst.1.p.penult.* §. 2. *num.*5.) & est doctrina vtriusque Tho. 2. 2. *quæst.* 120. *art.* 1. qui desumpsere ex Azor, *lib.2.Ethic.*5. quos sequuntur omnes Theologi, vt à me alibi est enucleatum (quum casus aliquis occurrit qui ex circunstantiis nõ iudicatur à legislatore intentus, & quem legislator excepisset si eum præuidisset, bene dixit As leg. corripi per Epicheyam, quatenus si legioator adesset hoc modo respondisset, & ita suam legem moderaturus, & interpretaturus esset: ex qua doctrina colligitur, quod cum religiosus iste aliàs, malæ inclinationis, & qui plura grauia commisit in Religione Seraphica murum ascẽderit Monasterij monialium, illudque ingressus accesum habuit cum præfata seruitrice sæculari, est casus ita circunstantionatus, vt non iudicetur à legislatore huius Decreti *de eiectis* comprehensas vt in illo obseruetur forma noua eiectionis à Religione, sed possit condemnari ad triremes; etsi non ad decennium, saltem ad tempus arbitrio iudicum decernendum.

Tertiò, quia vt bene Santoro *vbi supra* 7
cap.21.§.quidquid sit, sequutus praxim, & communem sententiam eorum, qui de modo procedendi in causis Regularium scripsere, asserentes, ecce his temporibus receptissimam apud Ecclesiasticos, condemnationem, & Regulares illum loco supplicij passim arripere innocentes, honestante consuetudine, insolentiam pœnæ, vel puniendi necessitate, cum vix in carceribus perpetuis coerceri possint, & accedentibus Summorum Pontificum concessionibus, quas refert Emanuel Rodriguez *tom.* 2. *quæst.* 30. *art.*16.

Quartò, quod desumitur ex præcedenti, & est valde efficax quia legis vniuersalia verba limitantur, & coarctantur à consuetudine, quæ coniecturaliter legem interpretando moderatur, vt bene Angelus Bossius Bernabita vir doctus *tom.* 1. *de conscient. p.*1. *tit.*1. *num.*529. *ex leg. si de interpretatione D. de legibus* ibi *si de legis interpretatione quæratur inspiciendum est, quo iure ciuitas retro in huiusmodi casibus vsa fuit*, vnde Baldus *cap.*1. *de constit. in 6. colum.*4. asseruit. Quod † omnis 8
dispositio potius recipit interpretationem à iure consuetudinario, quam à iure communi, quod ius consuetudinarium interpretans legis dispositionem, vt inualescat, & vires suas exerat ad sanam legis interpretationem, non exigit tempus ad præscribendam consuetudinem, præscriptum, sed multo minus requirit, quod bene notarunt Palao *tom.*1. *tract.*3. *disp.* 3. *punct.*4. §.3. *num.*3. Menochius *lib.*2. *de arbitr. cent.*1. *casu* 83. *n.*1.
qui ait si agatur de consuetudine interpre- 9
tativa posse iudicem existimare eam satis stabilitam paruo tempore, quia temporis diuturnitas in his non requiritur ad probabilem, & satis efficacem coniecturam faciẽdam. Ast post editum Decretum Vrbanum tam in Hispania quam in Italia, consultum est propter delicta atrocia ad triremes damnare Religiosum professum antequam detineatur in carceribus per annum, & antequam declaretur incorrigibilis iure, vt testes sunt ordo Seraphicus in multis suis Prouinciis, Ordo S. Dominici, & Carmeli de obseruantia, & in hoc non sunt reprehensi à Nuntio Apostolico, nec illis impositæ Vrbanæ pœnæ, ergo.

Quintò, quia † Gregorius XIII. in Bul- 10
la edita 22. *Septemb.*1582. concedit Generali Societatis, vt etiam professos valeat à Societate

cietate in perpetuum emittere, etiam ob culpas non dignas eiectione, vt dicitur in declaratio. *cap.*1. §.1. *constit. litter. O.* si retineri sine detrimento illius (Societatis) ac diuini obsequij non posse iudicaretur, vt ex Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*11. *cap.*1. Gibellino *de clausura disp.*2. *cap.*4. §.13. *num.*69. Castro Palao *tom.*3. *tract.*16. *disp.*4. *punct.*2. docet Pellizarius *tom* 2. *tract.*8. *cap.*8. *num.*42. quo priuilegio nulla alia Religio gaudet, etiã si habeat communicatiuam priuilegiorum ipsius Societatis, potest tamen emittere ex aliis titulis quam incorrigibilitatis, si ita iudicabitur expedire incremento Religionis, quamuis titulo incorrigibilitatis nequeat, eiicere nisi obseruato Decreto Vrbano, vt aduertit idem Pellizarius cum viris doctis à se de hac re consultis, ergo pari ratione (ait Gaspar Roman *n.*27.) etsi Prouincialis ob delictum atrox non possit in perpetuum, & absque regressu ad religionem damnare ad triremes Religiosum professum, poterit tamen si sit regressus ad Religionem in pœnam delicti, non incorrigibilitatem si ita iudicauerit expedire incremento Religionis, & vt reus pœna ista pro scandalo illato Reipublicæ, & vulnere, quod fecit bono communi.

11 Sextò, quia † ad expulsionem etiam post Decretum Vrbanum sufficit incorrigibilitas de facto præsumpta, præsumptione iuris, quam præsumptionem imbibitam habet vnum solum atrox delictum, vt modo explicabo, ita Azor *p.*1. *lib.*12. *cap.*16. *quæst.*3. Miranda *tom.*1. *quæst.*52. *art.*2. *quæst.*2. Peyrinis *in subdito quæst.*1. *cap.*25. *concl.*3. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*9. *num.*5. Rodrig. *tom.*1. *q.*30. *art.*15. Guibellin. *vbi supra, n.*67. (quamuis malè *vers. obiicit*, dicat quod decretum hoc non derogat derogatoriorum derogatoriis omnia statuta Religionum, & Religionibus priuilegia concessa, non enim legit Decretum, *quod* §. 10. pleniorem habet derogationem, quàm in similibus decretis apponi solet, cum nullum verbũ, aut nomen, quod derogationem canonicam oleat omittatur) Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*3. *c.*4. *n.*10. & 11. talis enim atrocitas & immanitas potest esse delictum commissum, vt famæ Religionis prouideri, & publico scandalo eiusque satisfactioni aliter prouideri nequeat, nisi damnando ad triremes, & per conse-
12 quens eiiciendo à Religione, quæ sola est pœna condignè debita tali delicto, quæ condignitas semper à iudice Ecclesiastico talem pœnam infligendam ex vi officij sui exigit, & manet incommensurata, nisi talis pœna infligatur, quod exposcit iustitia legalis ad quam exequendam ex iustitia commutatiua tenetur Iudex, quam obligationem non aufert Decretum Vrbanum.

Et † in tali delicti dignitate huius pœnæ 13
à lege taxatæ, & infligi practicatæ fundatur incorrigibilitas de facto à iure præsumpta in committente tale delictum, hæc enim incorrigibilitas non desumitur solum in ordine ad emendationem personalem, ita vt ista corrigat defectum suum personalem per pœnitentiam, & dolorem illius, cum proposito efficaci amplius non peccandi, aut committendi delictum, hoc enim dolore curatur, & emendatur à macula personali, & satisfit inordinationi personali, sed incorrigibilitas de facto, quæ sufficiens est ad damnationem triremium desumitur in ordine ad offensam publicam, quam quis delicto atroci intulit, in ordine enim ad istã incorrigibilis est qui illud delictum commisit quo valde denigratur Religio, & res publica ipsa, quia satisfieri nequit, nisi pœna debita sacros Canones, sicut qui commisit homicidiũ, & offensa facta parti possit corrigi partis remissione, at offensa facta Reip. non corrigitur, nisi remittat Princeps pœnam taxatam à lege. Igitur Vrbanum Decretum iure nouo statuit quod nullus eiiciatur à Religione, nisi forma à se præscripta seruetur ob delicta quæ alias non merentur pœnam mortis, vt autem hæc etiam comprehenderentur cum ante præfatum Decretum esse exceptuata grauitate sua, vt etiam ista comprehenderentur, deberent expresè nominari in Decreto.

SECTIO III.

Quod ad expulsionem non sufficit quæcunque incorrigibilitas, nisi oriatur ex contumacia.

SVMMARIVM.

1. *An hodie ad expulsionem, & eiectionem necessario debeat interuenire contumacia.*
2. *Vtrum Religiosus expelli debeat propter peccatum à Religione.*
3. *Nullus legitimè professus eiici potest, nisi sit vere incorrigibilis, ex Decreto Vrbano.*
4. *Nullus potest eiici à Religione nisi propter contumaciam.*
5. *Sacræ Congregationis mens adducitur.*
6. *An vbicunque in iure Ecclesiastico reperitur pœna mortis pro excommunicatione debeat exponi.*
7. *Eiectionem à Religione excommunicationi comparat D. Thomas.*
8. *Quam eiectionem non à conuentu; sed à communione, & consortio fratrum pluribus remediis, & pœnis exercebant antiqui Monachi.*
9. *Isidori opinio affertur, necnon S. Fructuosi, & n.*10.

11. *Authoris*

11. *Auhoris iudicium propalatur.*
12. *An Religiosus sit eliminandus, & eiiciendus extra Religionem, si contumax, & in contumacia obduratum conseruet animum, & n.13.*
14. *Variorum DD. sensus adducuntur, & n.15. & 16.*
17. *Post Decretum Vrbanum nunquam potest quis ita remotè eiici à Religione, vt nullo modo possit regredi, ad Religiosum cœtum, in illoque à Superioribus admitti, nisi constet emendatum esse.*
18. *Quid ex præmissis sit deducendum.*

1 PRimò delibare oportet contra Gibellinum *vbi supra num.*64. quod † hodie ad expulsionem, & eiectionem necessario debet interuenire contumacia, & animi induratio, in peruicatia, & malitia culparum; quæ etiam fuit omnium antiquorum sentẽtia, quam verbis expressis sequutus est D. Thom. & nos edocuit *quodlib.*12.*art.vlt.* cuius verba placuit referre, ex ipsis enim huius diggressionis pendet adæquata, & radi-
2 calis decisio, inquirit enim † *Vtrum Religiosus expelli debeat propter peccatum à Religione* & dicit. *Respondeo dicendum, quod Apostolus dicit, auferte malum à vobis ipsis, modicum enim fermentum, &c. Affertur autem aliquis aut per pœnam corporalem, & per hoc manifestum est, quod aufertur etiam ille qui vult pœnitere, quãtumcunque sicut homicida suspenditur, quantuncunque pœniteat vel per pœnam spiritualem, & hoc Ecclesia non facit, nisi quis esset contumax, & ratio huius est quia per pœnam corporalem aufertur aliquid temporale, quod potest recompensari per aliquod maius bonum, sed bonum spirituale quod amittitur, nõ potest recompensari, & ideo non debet Religio infligere talem pœnam quandiu vult corrigi, quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, ita est expulsio à religione, & ideo dicendum quod nullus est nisi propter contumaciam expellendus, sed est sequestrandus in carcere vel alio modo.* Hæc ibi, quæ ad verbum sequutus est Sylueſter *verb. Religio.6.quæst.17.num.17.* (quamuis non video, cur dubitauerit an hic articulus sit D. Tho. cum stylus, & doctrina ipsum S. D. manifestent) Armilla *verb. Religio.§.vlti.*

Hanc eamdem doctrinam vt veram determinat Decretum Vrbanum in quo §.4.
3 † *Nullus legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur; sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis, verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in Carceribus, proinde vnaquæque religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia: Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicatia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem potest.* Hæc ibi.

Quibus nihil illustrius, vt ostendatur doctrinam D. Thom. determinatam esse vt veram, videlicet † nullum posse eiici à Reli- 4
gione nisi propter contumaciam, animum induratum, & perseuerantiam in sua peruicatia, quam si pœnitentia ductus, dimisserit nullatenus est eiiciendus, vt definit sacra Congregatio, etiamsi ter admonitus, & correctus reinciderit in easdem vel similes culpas sed aliis pœnis puniendus. Quare sacra Congregat. vt quis sit vere incorrigibilis ad effectum eiectionis à Religione contumaciam, & animum induratum, requirit sine quo omnem potestatem, & iurisdictionem aufert à Religionibus eiiciendi ad sæculum Religiosos vere professos; & sic incorrigibilitas ad hunc effectum, est idem quod contumacia, & animus induratus in culpis, &
peccatis, & hodie tuto dici nequit, quod 5
si quis non sit contumax, & induratus animo, sed pœnitens, & volens se emendari possit eiici à Religione, quod † expulsionis remedium (ait Sacra Congregatio) *grauissimum, & extremum dicit, quod ant equam exequatur nihil intentatum relinqui debet*, quod simile dicitur in iure canonico de excommunicatione quæ est grauissima pœnarum, qua nulla est maior in Ecclesia *cap. corripiantur* 23. *quæst.* 3. adeo quod Panormit. *cap. per venerabilem qui fil. sint legitim.* dicat, quod
† vbicunque in iure Ecclesiastico reperitur 6
pœna mortis pro excommunicatione debet exponi, vnde quando sacra Congregatio in Decreto Vrbano dicit *expulsionem à Religione esse grauissimum, & extremum remedium*, vere comparat illam excommunicationi sicut comparauit D. Thom. quia sicut respectu fidelis, nullum maius malum quam excommunicari, quia separatur à fidelium cœtu, in quo recipitur per baptismum, ita per eiectionem à Religione separatur quis in quantum Religiosus à commercio Religiosorum, priuantur magnis bonis spiritualibus, quæ ex tali consortio illis proueniunt, consolationibus spiritualibus, & cæteris exercitiis vitæ Religiosæ, quæ habet ex vi professionis solemnis, quod vere quidem in quantum Religiosus professus patitur, & est grauissimum, *& extremum remedium.*

Igitur † iure optimo S. Thom. eiectionem 7
à Religione excommunicationi comparat, & sacra Congregatio in Decreto Vrbano eiectionem dicit esse *grauissimum, & extremum remedium*, antiquitus enim eiectio fratris ad tempus à communi mensa, & oratorio excommunicati dicebantur, & nullo modo cum aliis confratribus communicare licebat, nisi cum seniore ab Abbate designato. Ita Sanctus Fructuosus Bracharens. *cap.*14. *&* 17. *Regulæ.* S. Isidorus *cap.*8. *Reg. S. Benedicti.* S. Ferreolus *cap.*25 *eiusdem*, & ille qui temporali eiectione, aut excommunicatione erat exufflatus, idest maledictus, & execratus ab Abbate dicebatur. dubitat Hestenius *lib.*8. *disquis. tract.*4. *disquisitio.*2. An hæc excommunicatio de qua hi Sancti Monachi tractant sit vera excommunicatio cẽsura; an vero solum claustralis, & monastica quod hic examinare non refert, vtraque enim sententia nostro deseruit instituto, sed verius existimo quod solum sit Monastica, & intra claustra dumtaxat, neque enim pro leuioribus culpis excommunicatio censura est inferenda, sed ibi excommunicatio sumitur pro eiectione à commercio, vt constat ex *cap.*44. *Regulæ Sanctæ.*

8 Et † hanc eiectionem non à conuentu, sed à communione, & à consortio fratrum pluribus pœnis, & remediis exercebant antiqui Monachi, priusquam ad eiectionem à conuentu peruenirent procurantes curare fratres, & animas illorum lucrifacerent, vt ad id consequendum nihil intentatum relinquerent, nam præter panem arctum, & aquam breuem, quibus talis eiectus sustentabatur, nam pro duobus, & aliquando pro tribus diebus vnum *pazimã*, idest, panem bicsoctum accipiebat dumtaxat, etsi hoc ieiunio non correctus esset flagellatio adiungebatur, & aliquando ad excommunicationem præcedebat, vt constat ex S. Regula *cap.* 28. si hæc non molliebat, adiungebatur carcer durior, & diuturnior S. Fructuosus *cap.*16. si adhuc obstinatus erat induebatur veste pœnitentium, quæ erat tegmen rasum, & cilicium. Isidorus *cap.* 18. erat tegmen rasum indumentum rarioribus filis comeactum minus aptum corpori tegendo,
9 & frigori depellendo, *excommunicatus* † (ait Isidorus) *præter hyemis violentiam, cubile humus erit tantum sine storea. Amictus autem tegmen rasum aut forte cilicium calceamentum vero spartea, aut quodlibet genus solearum.* Si vero graue erat delictum commissum, decaluatio, erasio coronæ adiungebatur (quod erat vile seruorum signum, vt latius dixi *tom.*5. *in appendice de tonsuris, & coronis, &c.*) Fructuosus Bracharens. *cap.* 16. *Publice verberetur, coronam capitis quam gestabat amittat, decaluatusque turpiter opprobrio pateat, omniũ sputamẽtis oblitus in facie probra æque suscipiat:* hoc dicebat fructuose satis S. Fructuosus de quodam Monacho adolescentum, & iunio-
10 rum infectatore, amatore, tandem si fur eras clericatu priuabatur in perpetuum, & virgis cessus ab altari arceretur sic, habetur in concordia à Menardo facta S. Regulæ *cap.* 32. §. 2. priuabantur gradu primogenituræ & nouissimus in ordine stare iubebatur, & vltimo ab ipsa Communione Eucharistica corporis Christi Domini, & à Synaxi excludebatur, vt notat S. Ferreolus *cap.* 25. suæ Regulæ, sed de his plura apud Hestenium, *vbi supra disquisit.*6.

Ex dictis † concilio loca Patrum, quæ 11
antinomyam generant circa eiectionem à Religione, & omni induco ad veram, & germanam intelligentiam Decreti Vrbani, quod summa consideratione est editum, S. enim Isidorus *cap.*16. *Regulæ*, videtur reprobare proiectionem à Monasterio, his verbis: *Quamuis frequentior, & grauiorum vitiorum voragine, sit quisquam immersus, non tamen est à matrimonio eiiciendus; sed iuxta qualitatem coërcendus ne fortè, qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum proijcitur ore diaboli deuoretur*, quam sententiam clare sequitur Bernard. *epist* 102. *ad*..... *& epist.*298. *ad Eugenium.* vbi de Monacho falsario, ait: *Nullus perpetua dignus conclusione*; idem habent, *declarationes Monachorum Cassinensium, cap.*28.

Pro alia vero parte † Religiosum elimi- 12
nandum esse, & eiiciendum extra Religionem si contumax, & in contumacia obduratum conseruet animum: communis est Patriarcharum Religionum sententia Basilius *in Regulis Breuior Regul.*44. S. Macharius *in Regula, num.*28. Cæsarius Arelarens. *homil.*3. *ad Monachos*, loquens de consuetudine Monasterij Lyrẽsis Fructuosus Episcopus *cap.*8. *Regulæ*, & Isidorus Pelusiota antiquus Pater *in epist.*318. *lib.*1. *ad Lucam Archimand.* ibi, *E fratrum tranquillitate foras ablegatus, ne tumidos fructus, ac vertigines placidis, & quietis eorum animis excitet. Nam hac quoque lex sub parabolæ cortice nobis præscribit, cum eos qui lepra laborant extra claustra excludit*, & August. *epist.*109..... *etiamsi ipse non abscesserit de vestra Societate proiicietur, non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Eusebius Galeanus *homil.* 3. *ad Monach.* nisi sit idem qui Cæsarius Arelat.

Sed probatissima cum sit in Ecclesia Dei & Regularibus à S. Apostolica approbatis eiectio extra Religiosa castra ad sæculi mili- 13
tiam, *cap. cum ad Monasterium. cap. vlt. de stat. Monach. cap. relatum. ne Clerici, vel Monachi*, & multi Summi Pontifices ordines Monachales, & Mendicantes ad hanc eandem expulsionem celebrandam priuilegiis condecorarint, † vt referunt Peyrinis *de subdit. Re-* 14
*lig quæst.*1. *cap.*23. Hieron. Rodrig. *Resol.*57. *num.*3. Cordub. *ad Regul. Seraphic. cap.*2. *q.*21. necessum est, vt hanc Patrum antynomiam ad

ad concordiam & viuocationem reducamus,quod ex triplici testimonio omni exceptione maiori præsto.Primum sit S.Benedicti *cap.28. Regulæ.* agens de incorrigibilibus sic fatur. *Tunc Abbas faciat,quod sapiens medicus si exhibuit fomenta si vnguenta exhortationum, si meditamina scripturarum diuinarum,si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgæ etiamsi videat nihil suã prævalere industriam,adhibeat etiam,quod magis est suam,& omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus qui omnia potest operetur salutẽ circa infirmum fratrem. Quod si neque isto modo sanatus fuerit,tunc iam vtatur Abbas ferro abscissionis , vt ait Apostolus auferte malum ex vobis, & iterum , infidelis si discedit , discedat , ne vna ouis morbida totum gregem contaminet.* hæc Benedictus, pro Monachis Occidentalibus latis, similia habet Basilius pro Græcis *interrogat.*44.& legendus est Cassianus *lib.4.cap.16.* vbi plura Alandus Gaccus *& lib.2.cap.16.*

15 Secundùm sit†Concilium Aquisgranens. *cap.*134.ibi. *Postremo si inemendabiles & incorrigibiles apparuerint , ne per plures eorum dira serpant contagia necesse est , vt à cæterorũ Societate vtpote ouis morbidæ, secreti,ante præsentiam deducantur Episcopi, vt ab eo canonica auctoritate publicè damnentur* , quod dicitur, quia tunc temporis non erant monachi , & Religiosi omnino exempti à iurisdictione Episcopi, qui iudex in eorum causis erat, at hodie,loco Episcopi sententiam eiectionis fert Prælatus Regularis , iuxta vniuscuiusque Religionis statuta,quamuis Sacra Congregatio ad solum Generalem cum sex patribus reduxerit.

16 Tertiùm sit † decretum Vrbanum , qui clarissimè & vtilissimè in concordiam reduxit horum Patrum antynomiam,concedens expulsionem ab ordine in certa forma à se præscripta, quam obseruari vult, vt iuridica sit eiectio,vt constat *ex* §.4.& illam omnino prohibens,nisi præcedat illa forma videlicet post trinam monitionem & correctionem, quæ requiritur à iure , vt quis sit incorrigibilis , vnus integer annus transeat in quo probetur inclusus; reiiciendus in ieiunio & pœnitentia,ad hanc enim probationem pertinet, tot illæ grauissimæ pœnitentiæ & diuersimodi puniendi & excommunicandi ex communione claustrali , & monastica, quas prisci illi Monachorum PP. & Religionum fundatores introduxere , de quibus latissimè eruditus vir in disciplina Monastica Hestenius *vbi suprà lib.8.tract.3.,disquisit.2. & 3.* Vnde iam liquet Patrum conciliatio, nam primi loquuntur de eiectione à monasterio, sine experimento,& probatione aliarum mitium pœnarum, nihil enim intentatum relinqui debet , vt anima fratris lucretur,ne à Diabolis deuoretur. Secũdi verò loquuntur cum fomenta & medicinalia remedia leuitatem animo indurato non induxere , tunc enim abscissione vtendum & tanquam morbida ouis ab ouili eiiciendus ne aliàs corrumpat, & tanquam membrum putre , & cancro affectum separandum & abiiciendum.

Hinc est, quod † post decretum Vrbanũ 17
nunquam potest , quis ita remote eiici à Religione , vt nullo modo possit regredi ad religiosum cœtum,in illoque à superioribus admitti, si constet, emendatum esse eiectio non est illi obstaculo, vt iterum in sinu matris recipiatur,quod expressit Sacra Congregatio §.7. dicens. *Postremò censuit esse innouandam & suæ Beatitudinis authoritate innouat.constitut.felic.Record.Greg.I X.relatam in cap.fin.extra de Regular. ac præterea declarat eam constitutionem in iis quoque vindicare locum,seruandamque esse, qui iuste diffinitiuèque ac iuris ordine seruato expulsi fuerint,dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis , ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in Litteris concedendis Sacra Congregatio serio onerauit.*

Ex quibus verbis liquido constat , quod
†nullus Religiosus solemniter professus,po- 18
test eiici, & expelli à Religione,quod si cum spe euidenti emendationis reuertatur abiecerit que peruicatiam in vitiis animum obduratum & contumaciam , teneatur Religio ex vi contractus initi in professione solemni illum recipere & sinu suo fouere,sic declarante Sacra Congreg. & ius ipsum rationis,cum enim expulsionis adæquata causa fuerit contumacia , & incorrigibilitas ne alios confratres inficiat eiicitur ab ouili Religionis , si conuersus & emendatus reuertatur & hoc euidenti moraliter spe constat, ex testimonialibus litteris ordinarij recipi debet & confoueri. Vnde post decretum Vrbanum nulla est eiectio perpetua à Religione per se,nisi tempore eiectionis aliquod superueniat impedimentum iuridicum cuius dispensatio ad regressum pertinet ad solum Summum Pontificem.

SECTIO IV.

Quid eiectio à Religione ? quid damnatio ad triremes ? quid traditio curiæ sæculari ?

SVMMARIVM.

1. *Inter eiectionem à Religione , traditionem curiæ sæculari ad pœnam sanguinis , & damnationem ad triremes discrimen adducitur.*

2. *Quid*

2. *Quid sit pœna triremium,respectu Religiosorum, & n.3.*
4. *Eiectionem à Religione decretum Vrbanum perstringit.*
5. *Authoris iudicium affertur.*
6. *An Regularis solum possit ad triremes damnari propter delictum,quod secundum leges ciuiles meretur pœnam mortis.*
7. *An si Religiosus professus scala murum Conuentus ascendens , & intra accessum habeat ad fœminam , sit dignus pœna mortis, & ita possit à Iudice suo damnari ad triremes per decennium. & n.8.*
9. *Iulij Clari sensus adducitur, & n.10.*
11. *Qualitas ascendendi cum scalis aggrauat delictum principale, vt grauius puniatur ex eodem Iulio Claro.*
12. *Simplex coitus cum Moniali an non pœna mortu , sed pœna simplicis stupri puniendæ est.*
13. *Quid ex dictis sit deducendum.*
14. *An traditio Curiæ sæculari vt reus puniatur pœna mortis taxatæ legibus ciuilibus, sit pœna corporalis.*
15. *Quid circa pœnam traditionis sæculari Curiæ veniat notandum.*
16. *Variorum DD. sensus adducitur, & n.17. 18. 19. & 21.*
20. *An Clericus propter crimen enorme vt proditorium homicidium , & contumeliam illatam Episcopo suo & prouinciali , aut generali si sit Regularis , sit deponendus.*
22. *Clericus an non sit degradandus nisi in tribus criminibus, & n.23.*

1 SEcundum est delibandum † discrimen inter eiectionem à Religione , traditionem Curiæ sæculari ad pœnam sanguinis, & damnationem ad triremes. Etenim eiectio à Religione ob contumaciam, animum in vitiis obduratum & incorrigibilitatem est pœna spiritualis , grauissimum & extremum remedium , vt durities emolliatur & animus contumax expulsa contumacia corrigatur, quare per se ordinatur ad salutem animæ sicut excommunicatio , quamuis habeat aliquas pœnalitates temporales , tamen id, quo per se priuat est spirituale,& si priuat temporali est in ordine ad spirituale, etenim eiectio priuat habitu regulari,exercitiis spiritualibus communitatis , consolationibus religiosis & multis aliis bonis spiritualibus , quæ ex consortio monastico & religioso acquiruntur. Vnde eiectio est pœna quæ infligitur propter contumaciam in delictis.

2 Pœna triremium † purè est temporalis per se , quamuis enim respectu Religiosorum sit exorbitans à iure communi antiquo tam decreti , quam decretalium etiam Sexti, Clementinarum & extrauagantium , tamen ex consuetudine , & priuilegiis Apostolicis concessis Religionibus introducta est : sic concessit Clemens VII. *anno* 1529. *die* 19. *Augusti Fratribus Minimis.* Pius V. concessit *Generali Ordinis S. Hieronymi in Hispania.* vt refert Rodriguez *tom.2. qu.25. art.1.* Canonicis Regularibus S. Crucis in Conymbria *ann.*1623. *die* 5. *Aprilis.* vt referunt Portel *verb.eiicere, num.*4. addens,ita audiuisse Romæ practicari, vt nullus eiiciatur à Religione ad sæculum , nisi damnatus ad triremes,Hieronymus Rodriguez *Resol.* 57. *num.*9. & quidem , quod † pœna trire- 3
mium sit per se pure temporalis manifestum est , quia infligitur loco pœnæ capitalis, quam infligere nequit iudex Ecclesiasticus , qui delictis, quæ pœnam sanguinis merentur, (à quo propter lenitatem,quam profitentur Ecclesiasticæ personæ se abstinent) pœnam triremium ad decennium infligunt. Ita Rodriguez *tom.1.q.30.art.18.& 19.* Miranda *tom.1.q.52.art.2.concl.3.& 4.* Sanctarellus *tract. de Apostasia cap.4. num.7.* Palao *tract.16.disp.4.punct.19.n.8.*Peyrinis *in tom. de subdito quæst.1.cap.25.concl.4.* Graffis *tom. 1.cons.lib.3.de Regular cons.5.nu.16.* Guiballinus *vbi supra num.68.*Iulius Clarus *in pract. lib.5. §.final.quæst.60. n.5.* Bernardus Diaz. *in pract. criminal. Cano.cap.135.* & quamuis plures existis loquantur de eiectione à Religione, quia † non viderunt decretum Vr- 4
banum, quod eiectionem præstringit, ita vt nullatenus sit licita & valida nisi ob contumaciam, & incorrigibilitatẽ,quæ ex illa dimanet,intelligendi sũt de inflictione pœnæ, purè corporalis , qualis est pœna triremium, nec enim delicta atrocia pœna competenti à iudice Ecclesiastico imponenda debent manere impunita in Religiosis, imo Priuilegia Pontia de pœna triremium etiam loquuntur respectu cuius manent in sua vi.

Existimo tamen † quod neque peccata, 5
& crimina quæ legibus sæcularibus puniuntur exilio perpetuo, quod pœna capitalis dicitur sicut amissio libertatis,deportatio,damnatio ad metallum , & opus metalli , quæ etiam capitalis pœnæ dicuntur , vt late probat Iulius Clarus *vbi supra q.67.* per totam, & eius additionatores Buardus , Ruisiguolus,& alij,quia in præsẽti pœna capitalis proprie, & stricte est intelligendã (cum sit sermo de pœna exorbitante à iure) pœna autem capitalis proprie intelligitur sententia sanguinis , secundum Glossam *leg.transigere verb.capitali C.de transact.* Quæ in hoc communiter approbatur , vt dicunt Valascus *in repetio.leg.imperium num. 99. D. de iurisdict. om.iud.* Cartar. *de executio.sententiæ, c.fi.à n.*266.Quare † Regularis solum potest 6
ad triremes damnari propter delictũ , quod secundum leges ciuiles meretur pœnam mortis,

mortis, quam inferre consuetudine non est abrogatum, pœnæ enim etiam sanguinis, & mortis consuetudine, & stylo prouinciarum mitigantur, vt notat Baiardus *vbi supra litter. L.* quod in pœnis infligendis attenditur consuetudo, quæ tantum valet ac lex *Abbas cap. in causis in fin. de offic. delegat.* Felin. *cap. inter cæteras num.* 20. *de rescript.* vnde si ex lege latro suspenditur, & consuetudo habet quod flagelletur, ista seruabitur. Francus *decis.* 240. *n.* 10.

7 Sed nunquid † si Religiosus professus scala murum conuentus ascendens, & intra accessum habeat ad fœminam, sit dignus pœna mortis, & ita possit à iudice suo damnari ad triremes per decennium. Respondetur, quod si sit monialis professa, dubio procul dignus est morte corporis *lata §. pen. auth. de sacros. Episcop.* quod tam in Italia quam in Hispania statutũ est, vt bene Azeuedo pro Hispanis *vbi supra sect.* 2. & eleganter pro omnibus Marsilius *leg. vnica n.* 40. *C. de rapt. Virg.* Decius *cons.* 579. *num.* 5. Menochius *de*

8 *arbitr. casu* 389. *colum.* 4. Osascus *decis.* 103. *n.* 5. Carerius *in pract. pag.* 389. *colum.* 4. *leg. si quis C. de Episcop. & cleric.* & sequitur Clarus *vbi supra q.* 68. *n.* 27. si vero fœmina cum qua accessum habuit ipsa consentiente, & per murum ascendens scala cum illa concubuit, an hæc muri scalatio sit delictum dignum legibus ciuilibus pœna mortis, sic respondet

9 Iulius Clarus *vbi supra q.* 68. *n.* 4. † *Accedens cum scalis de nocte, domum alienam punitur pœna vltimi supplicij, secundum Baldum in l. final. D. de rer. diuis. atque ita seruatum fuisse per Proreg. Neapol. in executione cuiusdam edicti. Quæ sententia (licet Grammat. decis.* 36. *eam defendere conetur) iudicio totius Italiæ visa fuit nimis seuerà, & crudelis maxime attenta bona qualitate illius iuuenis, & causa propter quam ascenderat, quæ fuit amor cuiusdã pulcherrimæ puellæ, qui etiam prudentes viros excæcauit, hæc opinio Baldi, sed qualitas ascendendi cum scalis aggrauat tantummodo principale delictum, ita vt*

10 *grauius puniatur, siue sit ex causa amoris, siue ex causa fraudis, siue aliud maleficium committendi, & clarius Additionat. ibi n.* 10. *Adde videndum monachum de arbitr. casu* 360. *n.* 95. *Farin. variarum q.* 20. *n.* 185. *qui accedit cum Domino Claro, & Menochio, ibi, etiã dicit, quod si extaret bannum imponens pœnam mortis naturalis accedentibus cum scalis de nocte, absque eo quod diceret ex qua causa, cum quis amoris causa sic per scalas ascenderet à pœna mortis excusaretur tamen credo opinionem Clari sequẽdam esse, quã adest consensus mulieris, vel non ponantur scalæ ad monasterium monialium.* Hactenus ibi, quod intellige ad habendum accessum cum moniali, accessus enim ad istam solum est punibilis pœna mortis, non accessus ad seruitricem sæcularem, vt late Federic. de Senis *consil.* 213. vt enim dicit D. Clarus † qua- 11
litas ascendẽdi cum scalis aggrauat delictum principale, vt grauius puniatur, quare cum delictum accessus carnalis cum serua sæculari intra monasterium degente non sit pœna mortis dignum, ita neque si nocte accedens per scalas ipsum tali pœna dignum facit. Hinc est adnotante Couarr. *ad clementi, vt furiosus de homicid. p.* 2. *n.* 8. *vers. sed in raptu in fin.* quod *leg.* 1. *tit.* 19. *p.* 7. determinat quod † simplex coitus cum moniali non pœna 12
mortis, sed pœna simplicis stupri punienda est, vnde in Regio Consilio Cataloniæ, vt refert Piguer. *q.* 26. *crimin.* committens furtum cum scalis si meretur pœnam fustigationis propter hanc qualitatem punitus est fur per quinquennium ad triremes, quæ omnia satis conformantur, Azeued. *supra cit.* & eius sententiam manifeste confirmant.

Ex quibus liquet † quidquid dicat Pater 13
Gaspard. Roman *in scripto supra citato.* Prouincialem illum rigidum extitisse condemnando fratrem illum, qui ascendens scala muros Monialium conuentus accessum habuit ad sæcularem ipsa consentiente, & intra conuentum degentem egit quidem manifeste contra Decretum Vrbanum de non eiiciendis, siquidem re ipsa ipsum iniuste damnauit ad triremes, cum hoc non possit facere nisi propter delictum, quod in praxi, & consuetudine punitur pœna mortis naturalis, vt vidimus ex Priuilegiis Regularium, & certa DD. sententia à qua in criminalibus non potuit tuta conscientia discedere, imo nec à probabili practica opinione, vt latius dixi *tom.* 2. *Moral. tract.* 7. *num.*..... Verum est quod etiam in foro exteriori excusarem præfatum R.P. Prouincialem à pœnis delicti Decreti Vrbani, quæ latæ sunt contra præsumentes facere, vel moliri in contrarium, iste autem Pater non præsumpsit, sed bona fide de Consilio prudentum, etsi nimis sapientum, processit, existimo tamen, quod tenetur præfatum fratrem laicum à triremibus reuocare, & intra Religionem pæna mitiori, sed competenti punire.

Tandem † traditio curiæ sæculari, vt 14
reus puniatur pæna mortis taxata legibus ciuilibus, quæ traditio, pœna est corporalis, vnde iudex laicus, cui traditur reus à iudice Ecclesiastico tenetur illum damnare pœna mortis, sic seruatur in praxi vbique, vt tenent Iulius Clarus §. *fin. cit. quæst.* 36. *num.* 42. Cassaneus *super consuetud. Burgund. fol.* 51. *num.* 66. & in reis relapsis contra fidem, vel dogmatizantibus, à sacro Tribunali inquisitionis indubitatum est, nec obstat *cap. cum non ab homine de iudiciis*, vbi Pontifex dicit quod reus traditus curiæ sæculari nõ debet puniri ad mortem, sed

sed tantum pœna exilij, aut alia, quia hoc consuetudine & praxi contraria in dissuetudinem abiit. Videndus est Felinus, *cap. sedes colum. fin. de rescript.* præterquam Pontifex loquitur quantum est ex parte mansuetudinis, & lenitatis Ecclesiasticæ, quæ sanguine non fouetur.

15 Sed † circa hanc pœnam traditionis sæculari curiæ, notanda sunt aliqua non vulgaria inter Theologos, qui non multum de ea tractant. Primum, quod nullus clericus sæcularis, aut regularis potest tradi curiæ laicæ etiam pro enormi homicidio, nisi sit in-

16 corrigibilis, est communis sententia, vt † dicunt Aretinus, *cap. cum non ab homine cit. n.* 80. Plaza *lib.* 1. *delict. cap.* 21. *n.* 13. Bernard. Diaz. *in pract. cap.* 90. Bossius *in praxi tit. de foro compet. n.* 141. quamuis Carrerius, Follerius, Menchaca, Augustinus ab Angelo, & alij quos refert clarus *n.* 40. dicant, quod si homicidium est proditorium, vel est aliud grauissimum crimen, debet tradi curiæ nõ expectata corrigibilitate, sed Couarr. *lib.* 2. *variar. Resol. cap.* 20. *num.* 7. *vers. & tamen.* vbi post multa sic concludit (refero verba, quia valdè vtilia ad casus præsentis & meæ decisionis intelligentiam & munimen) *& tandem maximam dubitationem habet* (sententia Abbatis & aliorum,) *ex ea, & præcipua ratione, quà traditum est clericum non aliter tradendum esse curiæ sæculari post degradationem, quam si is incorrigibilis sit, textus in c. cum non ab homine cit. at. textus optimus in cap. tuæ de pœnis, à quà quidem regula pauca excipiuntur crimina. Igitur in his criminibus, quæ excepta non sunt nullo pacto post degradationem traditio fieri debet. Idem probatur in cap. cleric. de excessibus prælati, vbi ob crimen sodomiæ, quod proculdubio grauissimum est clericus post degradationem in Monasterium detruditur, nec iudici sæculari traditur.*

17 *His etiam suffragatur cap. cum non ab homine in principio, vbi habetur in omni crimine quantuncumque graui, & enormi iudicem sæcularem clericos punire non posse, eos tamen deponendos esse, etsi incorrigibiles fuerint tradendos fore curiæ sæculari. Ecce Romani Pontificis apertam auctoritatem: ex qua etiam ob enorme crimen nisi accesserit pertinacia, traditio fieri non debet. Quamobrem aduersus Panormitanum non esse clericum homicidam proditorium sæculari iudici tradendum post degradationem existimarunt verius esse DD. communiter in dicto c. non ab homine quos sequuntur eorum sententiam communem esse. Aretinus ibidem col.* 9. *Decius cap. at si clerici solum vlt. de iudic. Albericus cap.* 1. *de hæret. in* 6. *q.* 11. *n.* 55. *Ioannes Bernardus ad cap.* 90. *praxis.*

18 *Quibus ipse libenter accedo non enim video posse hanc traditionem iuste fieri post degradationem, nisi clericus sit incorrigibilis, aut in his criminibus, quæ expressim iuxta canonicas sanctiones eam punitionem admittunt. Nec tamen inficior posse contingere homicidium, aliudve crimen, ita pernitiosum Reip. inspectis, loci, temporis, & personarum qualitatibus, vt arbitrio discretorum iudicum hanc traditionem iustissimè patiatur, qua in re maturo consilio opus erit etenim responsio Romani Pontificis, non tantum exigit ad hanc traditionem damnabile flagitium, sed & damnosum requirit: quasi esse debeat ex his expressim in iure Pontificio nominaretur, vel ex ipsius clerici incorrigibilis conditione Reip. damnosum aut criminis grauitate atrocissimum.*

Hinc colligitur an verum sit, quod Abbas 19
scripsit cap. 1. *de his qui filios occidunt, dicens clericum parricidam esse post degradationem tradendum iudici sæculari. Item illud, quod præmissa disputatione indecisum atque indefinitum reliquit. Alberic. in cap.* 1. *cit. quæst.* 11. *num.* 87. *& q.* 15. *n.* 12. *sit ne clericus post degradationem tradendus iudici sæculari ob crimen læsæ Maiestatis. Nam iuxta regul. iuris & communem sententiam, nisi natura rei & alia quæ negotio & crimini accesserint contrarium suadeat, traditio non est aliquo modo facienda, quod sentiunt in hac specie Matth. Afflictus in const. Neapolit. lib.* 1. *Rubr.* 43. *& Ioannes Bernardus in praxi cap.* 110. Hactenus Doctissimus & Illustrissimus Præses, quem Regens pariter eruditissimus Iulius clarus Alexandrinus, ad compendium reduxit & amplexatus est, *vbi suprà à n.* 4.

Secundùm, quod etiam † si clericus pro- 20
pter crimen enorme, vt proditorium homicidium, & contumeliam illatam Episcopo suo, & Prouinciali, aut Generali si sit Regularis, aut propter calumniam illis factam sit deponendus, *cap.* 18. *si quis sacerdotum* 11. *q.* 2. vbi Pius *epist.* 2. ait, *si quis sacerdotum, vel reliquorum clericorum suo Episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei parauerit, aut contumeliam, aut calumniam, aut conuitia intulerit & conuinci potuerit mox depositus curiæ tradatur, & recipiat, quod iniquè gessit.* quod decretum Pontificis intelligit Glossa *ibi, si sit de nouo contumax, cap. cum non ab homine cit.* quare debere esse incorrigibilem, & præsumi contumacem, ita Sylvester *verb. degradatio q.* 2. Abbas *cap. si clerici de iudic. num.* 37. Ananias *cap. ad Abolendam num.* 19. *de hæret.* Bernardus Diaz. *in praxi cap.* 109. & esse communem, & mitiorem opinionem sentit Clarus *num.* 35. *quæst.* 36. vt autem dicatur incorrigibilis, & præsumatur in foro externo contumax ad effectum, quod tradatur curiæ, Iulius clarus Alexandr. *vbi suprà quæstion.* 36. *num.* 34. ex Cassaneo, quod in curia Parisiensi obseruatur, quod post trinam re- 21
missionem, de delictis pro quibus ingeritur pœna mortis clericus habetur pro incorrigibili,

gibili, tam in odium incorrigibilitatis, quam in odium Iudicis Ecclesiastici negligentis eum corrigere, legantur Diaz. *in praxi, cap.*131. Bossius *tit. de foro competent. n.*132. Quod intelligitur quantum ad hunc effectum traditionis Curiæ, ad quam debet præcedere declaratio incorrigibilitatis à suo Iudice Ecclesiastico. Felinus *cap. cum non ab homine cit. num.*10. dicit sic intelligere communem sententiam omnes DD.

Ex quo Bossius *vbi supra n.*136. sequitur Foller. *in pract. crimi. Cano. fol.*272. *num.*23.
22 quod † Clericus non est degradandus (intellige iure communi, nam speciali Bulla Vrbana etiam monetarij traduntur Curiæ,) nisi in tribus criminibus hæresis, falsi commissi in litteris Apostolicis, & conspirationis in proprium Episcopum, alios ponit Ludouicus Carrerius *in practica, §. homicidium, n.*59. de quibus tu fer Iudicium sanum. In aliis autem quantumcunque grauibus delictis sufficit sola depositio absque degradatione. Et ideo quamuis Clericus commiserit crimen enorme, & grauissimum etiam si occidisset Summum Pontificem non debet degradari si paratus sit, se corrigere, sed debet detrudi in perpetuum carcerem, vel in monasterium (& est inquit Bossius communis
23 opinio.) Sed omninò fallitur, & est pernitiosa opinio; est enim homicidium hoc portentosum auferre de medio caput Ecclesiæ visibilis (eam gubernans pacificè, hoc est, in possessione pacifica Summi Pontificatus & habitus, vt verus Christi Vicarius, & Petri successor) sicut & Regem aut Principem absolutum, & ansam præbet hæc opinio facinorosis clericis, pari modo existimarem, si quis occiderit suum Prouincialem aut Generalem, *cap. si quis Sacerdotum* 11. *q.*1. atrocitas enim delicti præsumptionem incorrigibilitatis inducit vehementem saltem eam, quæ est incorrigibilitas illa de facto desumpta in ordine ad offensam publicam, quam supra enucleaui.

SECTIO V.

Duplex degradatio enucleatur, & quæ requiratur, vt quis damnetur ad triremes.

SVMMARIVM.

1. *Duplex venit notanda degradatio.*
2. *Alia est depositio actualis executiua & realis, quæ propriè appellatur degradatio.*
3. *Inter duas degradationes discrimina constituunt Doctores.*
4. *Iudex Laicus an nullam iurisdictionem acquirat in Clericum, siue sæcularis sit, sine Regularis. & 5.*
6. *An ad damnationem ad triremes, vel ad expulsionem à Religione non exigatur degradatio realis.*
7. *An degradati verbaliter retineant priuilegium fori, aut Canonis.*
8. *An Regulares possint Religiosos, sicut & Episcopi Clericos verbaliter degradare sententia lata.*
9. *An verbalis degradatio, & intentionalis sit exauthoratio quædam ab officio.*
10. *Quid ex dictis veniat inferendum.*

DVplex † (ex Doctoribus tam Alphabetariis, verb. *depositio*, aut verbo *degradatio*, quam Canonistis *cap. nouimus de iudicijs*, & *cap. cum non ab homine*, & *cap. si quis Sacerdotum* citatis) est notanda degradatio. Vna verbalis, & intentionalis, & est quando Episcopus pronuntiat sententiam contra clericum per quam priuat illum ordinibus, id est, eorum vsu; non enim priuat potestate & charactere, & hæc propriè loquendo dicitur depositio, etsi à Doctoribus tam Canonistis, quam Theologis degradatio dumtaxat, intentionalis, hoc est, intentione dumtaxat, sicut dicitur homicidium intentionale, quod quis intendit etiamsi non occidat, realiter & actualiter huius degradationis forma ponitur in Pontificali, *in antiquis, fol.*188. † Alia est depositio actualis executiua, & realis, quæ propriè appellatur degradatio, cuius forma ponitur in Pontificali, *fol.*190. & est quum clericus non modo per sententiam priuatur, sed etiam actualiter, realiter & personaliter exuitur, & spoliatur ab ordinibus Ecclesiasticis, id est, eorum vsu, cum certis cæremoniis ab Ecclesia ad id statutis, quibus addit Innocentius III. rescribens Episcopo Parisiens. relatus, *cap. nouimus de verb. signif.* vt fiat, *Potestate sæculari præsente, ac eidem pronuntiandum cum fuerit celebrata, vt in suum forum recipiat degradatum, & sic intelligitur tradi Curiæ sæculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Quæ verba, vt benè Ludouicus Carrerius, eum effectum operantur vt Iudex sæcularis faciat ad suum libitum, dum fert sententiam, & non iuxta Imperium Iudicis Ecclesiastici, cuius Imperij non est executor, sed solius Principis, & Legislatoris qui sua lege disponit, vt talis pœna mortis afficiatur.

Inter has duas degradationes † plura constituerunt discrimina Doctores quæ apud ipsos videri possunt, nec enim omnia hic tractanda. Duo solum introduco, quod ad præsens institutum deseruiunt. Primum quod nõ subsistit degradatio realis, & actualis sine traditione ad Curiam, cum ista debeat fieri coram Iudice laico, & ipsi præsenti pronuntiandum, & in suum forum recipiat degradatum *cap. nouimus cit.* at Degradatio verbalis, & intentionalis, cum solum fiat sententia Episcopi pronunciata, præsentiam Iudicis laici non exigit, & ita non habet connexam traditionem curiæ, imò sine illa semper est, si vlterius non pro-
4 grediatur. Quare † Iudex Laicus nullam Iurisdictionẽ acquirit in Clericũ, siue sæcularis sit, vel regularis, qui solum est degradatus verbaliter, etiamsi incorrigibilis sit declaratus à Iudice Ecclesiastico. Quia si realiter non degradetur adhuc non habetur ab Ecclesiastico Iudice pro derelicto, sed adhuc ipsum retinet tanquam suum, & intra cancellos Ecclesiæ contentum. Quare Iudex sæcularis incorrigibilem hunc clericum punire nequit, quicquid Curia Parisiensis declarauerit, non enim habet potestatem declarandi contra immunitatem Ecclesiasticam, nisi id ex priuilegio Pontificio, aut pacifica præscripta consuetudine habeat. Ita Iulius Clarus Alexand. *vbi supra q.*36. *n.*35. quod si sit actualiter degradatus
5 potest iudex sæcularis punire absque alia traditione, quam dicit ex Alciato & Villalobos esse communem sententiam, sed hoc non existimo verum post, *cap. nouimus de verb. signific.* vbi Innocentius III. vult, quod actualiter tradatur degradatus iudici sæculari & expressè ei consignetur, & ante hoc nondum est spoliatus degradatus priuilegio fori, & canonis.

6 Secundùm, quod † ad damnationem ad triremes, vel ad expulsionem à Religione non exigitur degradatio realis, quia vt dixi ex iure canonico hæc non subsistit sine traditione ad curiam, requiritur tamen degradatio verbalis; siquidem deponitur ab omni vsu ordinum, vt declarat sacrum decretum Vrbanum §. 6. ibi, *vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* hæc ibi. Vnde sunt etiam inhabiles ad quæcumque beneficia, aut officia vtpotè in-
7 fames cum sint. Verùm est, quod sic degradati verbaliter retinent priuilegium fori & Canonis, vt benè Bonac. *disput.* 4. *de cens. in communi punct.*1. Suarez *disp.*30. *sect.*2. & alij tractantes de censuris. Vnde Auila *part.*4. *de*
8 *censur. disp. vnica dub.*2. dicit, quod † Regulares possunt Religiosos sicut & Episcopi clericos verbaliter degradare sententia lata, quamuis dum aliquem eiiciunt ad sæculum iste facto ipso ex vi decreti Vrbani verbaliter sunt degradati, si tamen damnant ad triremes in sententia ipsa debent hanc degradationem exprimere, nullus enim subiicitur etiã per accidẽs ad verbera, & percussiones sine incursione in canonem, *si quis suadente*, nisi saltem verbaliter degradetur.

Quod antiquitus fiebat inter Monachos, quum, quis priuabatur clericatu & decaluatus rasa corona degradabatur, & insignia clerici auferebantur, de quo latè Hestenius *vbi supra.* (ex quo plura desumpsit antiquitatum Monachalium monimenta, Guibellinus.) Hæc enim † verbalis & intentionalis 9
degradatio est exauthoratio quædam ob officio, & insigniis illis debitis, quæ etiam habet locum in laicis, vt dum exauthoratur Doctor, miles, Consiliarius Regius, qui priuatur propter crimina veste Consiliari. De his videndus Papo. *lib.*6. *Arrest.*14. Marianus *c. proposuisti, n.*35. *de foro comp.* exauthoratio autem ista fit auferendo actualiter cingulum doctorale, militare, aut ministerij publici, vt notant Clarus Alexand. *vbi supra q.*74. *n.*5. Guiacharus *consilio. Syndicatus n.*534. Vnde si Regularis sit Doctor, & in sacris vt tradatur Curiæ sæculari, & debet actualiter degradari, & ex authorizari ablato cingulo, & insigni doctorali, & aliter non perdit priuilegia Doctoris, sicut nec miles nisi auferatur cingulum militare punitus ex militari delicto, *leg. multi, D. de vetera. & militum success.*

Ex dictis infertur, quod † vt quis dam- 10
netur Religiosus aut Clericus ad triremes non requiritur per se aliqua degradatio verbalis, aut realis quæ sit canonica & iuridica, sed solum monastica, & regularis pro tempore, quo, quis est in triremibus, in quibus decens non est quod habeat vestem religiosam.

SECTIO VI.

Damnatus ad triremes non est formaliter, & iuridice eiectus à Religione.

SVMMARIVM.

1. *An qui damnatur ad triremes non eijciatur à Religione.*
2. *An dum quis damnatur ad triremes ad tempus, etiam ad decennium non eijciatur per se, & formali eiectione à Religione.*
3. *Damnatio ad triremes non est pœna spiritualis, sed corporalis.*
4. *Formalis & iuridica eiectio à Religione non potest dari ad determinatum tempus.*
5. *An dum quis damnatur ad triremes non eximatur ab obedientia Prælati, nec priuetur indulgentijs & priuilegijs ordinis.*
6. *An si Regularis eiectus in eiectione sua moriatur possit eligere sepulturam.*
7. *An Religiosus damnatus ad triremes si decedat in loco, vbi est monasterium sui Ordinis debeat in ea sepeliri.*
8. *Authoris iudicium adducitur. & n.*9.
10. *Quid veniat notandum. & n.*11. *&* 12.

1 VNde proprie & in rigore, † quæ damnatur ad triremes, non eiicitur à Religione, sed destinetur, ad illum locum, vt ibi pœnam illam temporalem sustineat, sicut qui damnatur ad carcerem perpetuum, aut mittitur cum habitu ad exilium in insulam ad tempus determinatum, vt ibi luat in corpore. Vnde eiectio ista temporalis à Religione est per accidens secuta non per se intenta, dum quis damnatur ad triremes, sicut, dum à iudice Ecclesiastico traditur clericus iudici laico, & curiæ sæculari ex vi sententiæ iudicis Ecclesiastici non sequitur mors illata, sed ex vi sententiæ laicæ, nam respectu illius solum est indirectè volita & intenta per accidens, *cap. nouimus de verb. signific.* eo enim ipso, quod clericus depositus, aut degradatus tradatur curiæ ex vi huius traditionis, sequitur quod possit damnari ad mortem à iudice laico, tamen sententia mortis non sequitur ex sententia iudicis laici, quamuis iste teneatur illam inferre.

Quæ doctrina, quia valdè vtilis, & ad casus propositi enucleationem valdè conducit magis est aperienda, & extricanda. Igitur,
2 quod † dum quis damnatur ad triremes ad tempus etiam ad decennium, non eiicitur per se & formali eiectione à religione, sed materialiter & indirectè, & per accidens, & ad tempus determinatum, in quo pœnam temporalem in corpore luat. Ratio est perspicua ex dictis à sacro Decreto Vrbano, & S.Th. *quodl. vlt. art. vlt.* quia eiectio formalis cum scit pœna spiritualis, non infertur nisi propter contumaciam, & incorrigibilitatem ex illa dimanantem. Vnde tandiu durat eiectio quandiu durat contumacia, & ista cessante, & hoc iuridicè constet, tenetur religio eiectum intra suum gremium recipere, sicut Ecclesia recipit excommunicatum cessante contumacia & inobedientia. Cæterùm † damnatio ad triremes non est pœna
3 spiritualis, sed corporalis, quæ iuste infertur, etiamsi quis non contumax, sed sit valde pœnitens, & dolore de malo commisso contritus, sicut latro & homicida suspenduntur etiamsi doleant de malo commisso. Quia aliter non satisfit bono publico & pœna temporalis aliis bonis recompensari potest, at non potest excommunicari quia contumax non est vnde quod quis damnatus ad triremes extra religionem sit, & per accidens ab illa localiter eiiciatur, tamen non eiicitur formali & iuridica eiectione, de qua loquitur Decretum Vrbanum, vt sequenti sect. demonstrabo.

Totum hoc manifestè confirmatur, quia
4 † formalis & iuridica eiectio à religione non potest dari ad determinatum tempus, vg. ad quinquennium, aut ad decennium, sed cum fiat propter contumaciam eiecti, tandiu durat, quandiu durat contumacia, & sic dum quis eiicitur à religione est sub hac conditione imbibita, quod tandiu durat hæc pœna, quandiu durat peruicacia & obduratus animus in delictis. Vnde Pellizarius omninò falso *aliquibi* dicit quod etiam post Decretum Vrbanum potest quis eiici ad tempus determinatum, hoc enim dicere, est non comprehendere vim & energiam huius sanctissimi Decreti, quæ in hoc consistit quod nullus Religiosus solemniter professus eiici in perpetuum absoluta eiectione à Religione in qua est professus, sed solum quandiu perseuerat in morum incorruptibilitate, orta ex animo infrunito pertinaci & obstinato. Vnde quandiu durat in hac obstinatione habetur pro derelicto nec subiicitur obedientiæ prælati, nec gaudet priuilegiis & indulgentiis Ordini suo concessis, vt bene ipse Pellizarius *tract. 8. cap. 8. n. 35.* ob id enim eiectio est pœna priuatiua spiritualis. Ast dum quis
5 † damnatur ad triremes non eximitur ab obedientia prælati, nec priuatur indulgentiis aut priuilegiis Ordinis, quæ cum illa pœna compatiuntur, & sic manifestum est, quod formali & iuridica eiectione non eiicitur, sed punitur pœna corporali suo peccato debita, quare finito tempore triremij tenetur ad religionem redire, & Religio ipsum recipere, & experiri, an ex consuetudine mala habitandi inter sceleratos contumax sit in delictis iuxta formam Vrbani Decreti, nec aliter tuta conscientia potest stare extra Religionem, nec Prælatus Regularis potest permittere quòd stet extra Religionis gremium, si ipse post completum triremium tẽpus, vult se emendare & religiosè viuere.

Vnde fit, quod etiam confirmat præcedentia, quod † si Regularis eiectus in eiectione sua moriatur potest eligere sepulturam, quod si non eligat sepeliri debet in Parrochia, vbi decedit, non tamen debet sepeliri in Ecclesia suæ Religionis, neque sepulturam in ea eligere, vt benè Pellizarius *vbi suprà num.* 38. non enim æquum est, vt quos non communicamus viuos, communicemus mortuos. Vnde Religio non tenetur pro eiectis manentibus in sua eiectione suffragia facere, quæ aliis fratribus defunctis faciunt. Rursus si eiectus delinquat puniuntur ab ordinario loci. Ast † Religiosus damnatus ad triremes si decedat in loco vbi est monasterium, aut Ecclesia sui ordinis debet in ea sepeliri & pro eo offerre suffragia quæ pro aliis fratribus. Ratio est perspicua, quia iste non est membrum à Religione præcisum, aut ouis morbida contumacia, sed est membrum Religionis ab illa non eiectum, sed in gremio suo, & corpore mystico perseuerans, quamuis

quamuis localiter separatũ ad luendam pœnam temporalem, sibi impositam in corpore luendam, propter delictum quod si abs se contumacia, puniri nequit pœna spirituali eiectionis.

Tandem idem confirmo †, quia etsi ante Vrbanum Decretum damnati ad triremes etiam spoliarentur habitu, & eiicerentur in perpetuum à Religione, essentque infames in qua infamia, & irregularitate ex illa contracta solus Pontifex posset dispensare, vt volunt Portel *verb. eiicere* Rodrig. *tom. 1. quæst. 30. art. 21.* alter Rodriguez *Resol. 57. num. 6.* Miranda *tom. 1. quæst. 52. art. 7.* agentes de eiectis in perpetuum quales dicunt esse damnati ad triremes. Cæterum hodie post Decretum Vrbanum hæc sentẽtia iam exoleuit, vbi receptum est Decretum, & eo ipso quod quis Religiosus professus est eiectus si de emendatione constat recipi debet, vt constat *ex §. 7. Decreti*, & ad id possunt cogi Prælati Regulares, ergo euidens quod non sunt irregulares nec contrahunt iuris infamiam quæ sit necessaria à Põtifice dispensanda, sed ex vi Vrbani Decreti eo ipso quod constet emendatio censetur dispensata si quæ est irregularitas, quæ efficacius militat in damnato ad triremes, qui
9 non est eiectus à Religione, eiectione iuridica, sed separatum ad tempus, vt pœnam in corpore luat, quæ exigit locum illum separatum à Religione si enim Religio triremes haberet, vt habet Religio Maltensis si aliquem ad illas ex suis Religiosis damnaret talem damnatum nec extra Religionẽ mitteret, sed esset intra Religionem luens pœnam in corpore qua finita sicut cuiusdam carceris perpetui habitu integro reassumpto intra eandem manet plene emendatus, & satisfacta communitate pœna illa adimpleta.

10 Ex quibus † vnum valde notandum colligitur contra Pellizarium *vbi supra num.* 18. quod nulla Religio etiamsi habeat de hoc speciale statutum, quod si Religiosus eiiciatur ob certa, & grauia crimina in perpetuum à religione, si iste emendatus est tenetur ipsum recipere, & potest Religio cogi, vt ipsum iterum recipiat nec huius contrarium hodie defendi potest, vbi est Vrbanum Decretum vsu receptum, est manifestum
11 *ex §. 4. & §. 5.* vbi non obstantibus quibuscunque statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis, & ordinis, &c. mandatur recipi eiectos si in illis sit spes euidens emendationis, & multo magis si re ipsa emendati sint. Hinc est quod vt referunt Sanctarellus *de Apostasia cap. 5. num.* 18. Suar. *tom. 4. de Religio. lib. 3. cap. 6. num.* 13. Quod cum Pius IV. edidisset motum proprium quo iubebat Apostatas, & eiectos recipi ad ordinem ad instantiam Pij V. in minoribus constituti, declarauit se nullatenus intendisse quoscunque Apostatas, ac eiectos absque vllo respectu debere recipi; sed eos tantum de quibus emendationis propositum concipi, & sperari probabiliter posset. Cui vt vidimus conformatur Decretum Vrbanum, 12
ergo euidens est quod non obstante statuto aut consuetudine Religionis à Sede Apost. ante Decretum cõfirmata, eiectus ob quodcunque crimen si emendatus sit, non potest religio ipsum non recipere intra suum gremium, & consortium, & sic quod nullus potest in perpetuum eiici nisi in perpetuum duret contumacia, & animus obduratus, vnde qui ad triremes est damnatus finito tempore ex vi Decreti Vrbani recipi debet, nisi alias sit probatus eius animus in obstinatione, & peruicacia persistere, incorrigibilis iuxta formam in eo præscriptam.

SECTIO VII.

Proprium auctoris dictamen ex Decreto Vrbano manifestum.

SVMMARIVM.

1. *Authoris iudicium propalatur; & n. 2. nec non Vrbani VIII. & n. 3. 4.*
5. *Decretum Vrbanum an solum loquatur de eiectione à Religione per se intenta, & numero 10.*
6. *An damnatio ad triremes non sit iuridica eiectio à Religione.*
7. *Quid ex præmissis veniat deducendum, & n. 8.*
9. *An damnatus ad triremes non debeat in habitu clericali incedere.*

IGitur, quod † Sacra Congregatio Vrbana dum hoc edidit Decretum non loquatur de eiectione à Religione quæ per accidens sequitur ad damnationem triremium alicuius Religiosi, qui propter enorme crimen ad illas mittitur, sententia à iudice competente lata, vt ibi pœnam corporalem luat suo delicto debitam mihi indubitatum est: sic enim practicari illud vidi Romæ, & manifestè, ex ipso Decreto cuius principale intentum fuit restringere, & habenas ponere potestati Superiorum Regularium, qui nimis faciles erant ad eiiciendos extra religionem professos, formato facilitet processu de incorrigibilitate eius, siue esset incorrigibilitas de facto, siue de iure siue vera siue præsumpta, quo formato, vtcumque religiosum professum summa facilitate eiiciebant, cum magno ipsius animæ periculo, vt à Diabolo deuoraretur, & multi religiosi ambientes ad sæcularem modum viuendi, & libertatem in

2 in operando occasiones quærebant, & operabantur taliter, quod Religio à se expelleret, & sic ex delictis libertatem, & modum viuendi dissolutum, & suæ professioni indignum capiebant cum magno regularis disciplinæ dedecore, & detrimento, quod aduertens (vt supra adnotabam) Paulus V. *ann.* 1613. motu proprio expedito *die* 5. *aprilis* Canonicis regularibus Conimbricis concessit, vt monachos incorrigibiles, vel carceri perpetuo damnarent vel ad triremes relegarent, præcipiens quod aliter non possent Superiores à Religione eiicere, certior factus, plures ex industria fieri inobedientes, & incorrigibiles, vt eam ob causam expulsi à iugo obedientiæ liberarentur manentes apud sæculum, quo priuilegio vti possunt aliæ religiones participantes.

3 Quod † aduertens Vrbanus VIII. & quod plura sequuntur inconuenientia ex eo quod huiusmodi religiosi carceri mancipparentur perpetuo, vel quod propter quamlibet incorrigibilitatem ad triremes damnarentur, cum tanto animarum suarum periculo, quod non peruie permittendum est, præterquam quod, non quodlibet delictum pœnam meretur triremium, medium se constituit fugiens vtrumque extremum, & carceris perpetui, & triremium pœnam, ac facilitatem expellendi, quam principaliter vult reprimere, & coercere relinquens potestatem damnãdi ad carcerem perpetuum, aut ad triremium corporalem pœnam infligendam iuxta delictorum qualitatem, dignitatem, & exigentiam, neque enim quantum ad hoc superiores regulares coercuit;

4 sed prohibuit ne à religione aliquis expelleretur, & eiiceretur directe propter morum incorrigibilitatem; nisi ista ex contumacia dimanaret, contumaciaq; probaretur, & animus obstinatus, vnius anni spacio in ieiunio & pœnitentia in carceribus; proindeque (mandat) vnaquæque religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia: elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam ouis morbida, & membrum putre eiici tandem possit, &c.

5 Ex quibus liquido constat † sacrum Decretum Vrbanum solum loqui de eiectione à Religione per se intenta, & est pœna spiritualis, vltimum, & extremum remedium vt religio quæ est vere innocens se tueatur à contagio pestifero, quo scatet pecus hæc morbida, & membrum putre, & nocentissima persona quæ digna est, vt à consortio fratrum, & communicatione spirituali arceatur propter contumaciam, & animum obduratum in delictis de quibus corrigi aut pœnitere non vult, vnde adfirmo quod nec in mentem Summi legislatoris venit, quod aliquis Religiosus propter delictum enorme non possit damnari ad triremes, quia † hæc damnatio non est iuridica eiectio à Religione, quamuis materialiter damnatus à loco Religionis eiicitur, vt *sectio* 6. monstraui, est enim damnatio ad triremes pœna pure corporalis quam infligere non vetat Pontifex, & ad quam sustinendam cogitur quis, etiam si pœnitens, & contritus dolore culpæ existat. 6

Et quidem ita esse dicendum euidenter deducitur ex multis circunstantiis, † quæ in 7
Decreto præcipiuntur, quæ ad pœnam temporalem in triremibus luendam, nullatenus in iure exiguntur, & tamen eas exigit Vrbanus VIII. suo Decreto, prima, quod post trinam iuridicam monitionem, & correctionem fit anno integro in carcere inclusus in pœnitentia, & ieiunio in quibus probetur ante eiectionem. Secunda, quod eiectio non fiat nisi à Generali cum aliis ab ipso eligendis si Capitulum Generale celebrandum nõ sit proxime, alias in Capitulo Generali sunt eligendi. Tertia, quod quandiu eiectus ad religionem non redierit in habitu clericali incedat, ac Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsit. Quarta, quod Generalis expulsionis sentiam teneatur notificare ordinario. Quinta, quod huiusmodi expulsis non possint Prælati litteras testimoniales remissionis ad Sedem Apostolicam dare, nec iubere aliam ingredi Religionem.

Quæ circunstantiæ non obseruantur imo 8
nec obseruari possunt; dum quis damnatur ad triremes siue ad decennium siue ad minus temporis spatium, non enim commisso crimine digno hac pœna probatur per annum in ieiunio, & carcere, vt resipiscat, & quia, etsi valde pœniteat, & resipiscat de malo commisso nullamque habeat contumaciam pœnam istam temporalem luere debet sicut latro, & homicida, licet sit valde contritus de furto, & homicidio aut fustibus cæditur, aut suspenditur. Secunda, etiam non est necessario obseruanda, siquidem Generalis, vel se solo in aliquibus Religionibus, vel simul cum assistentibus suis, vt in mea sacra Religione potest ad triremes damnare; at non potest eiicere nisi sibi coniudices adhibeat, sex alios Patres ex Grauioribus religionis.

Tertia † damnatus ad triremes non de- 9
bet in habitu clericali incedere, sed ob indecentiam non portat habitum Religiosum, quare finito tempore triremium tenetur habitum regularem assumere, & ad Religionem redire aliàs erit fugitiuus, & Apostata, quare non subiectus ordinario loci, nisi per accidens quantum ad sacramentorum administrationem cum longe distet à suis Prælatis, quibus subiectus manet, tamen absolui à reseruatis, in ordine ad quod datur illi licentia eo ipso, quod damnatur ad triremes, non vero in virtute cruciatæ, si in sua Religione non est admissa, quod secus est de eiecto qui illa vti potest, cum sit extra Religionem. Quarta etiam non est necessaria, quod scilicet ordinario notificetur sententia damnationis ad triremium, nec hoc vnquam fuit in vsu, at de expulso id præcipit Vrbanus VIII.

Ex quinta etiam circunstantia clarissimè
10 liquet intentum decreti Vrbani esse † loqui de expulsis, qui liberi mittuntur ad sæculum sine alia temporali triremium pœna, qui enim legantur ad triremes, non enim mittuntur ad sedem Apostolicam cum litteris testimonialibus, nec hoc vnquam visũ est, nec iubentur aliam ingredi Religionem, quod enim nunquam est vsitatum lege non prohibetur. Vnde est manifestum sacram Congregationem solùm loqui de expulsione, qua aliquis Religiosus solemniter professus propter contumaciam, & animum in vitiis obstinatum ad sæculum mittitur liber à iugo obedientiæ regularis. Denique hoc meum dictamen, (quod cum viris Doctissimis communicaui illis valdè arrisit specialiter cum Doctissimo viro & huius sæculi vniuersali Magistro D.D. Doctor Martinus de Hontiuirco Cathedræ decreti meritissimo & emerito proprietario Moderatore in Salmantina vniuersitate electo Episcopo Caligurrino,) valdè confirmant ea omnia quæ *sect.* 2. adduxi in fauorem adfirmantis sententiæ, quam firmissimè amplector, & non paruum munimen acquiret ex solutione rationum, quas pro sententia negante adduxi *sect.* 1.

SECTIO VIII.

Fundamina sententiæ negantis euertuntur, eneruantur & demoliuntur.

SVMMARIVM.

1. *An nullus professus possit directè expelli expulsione quæ sit pœna spiritualis, nisi seruata forma Vrbanæ eiectionis.*
2. *An quantum ad eiectionem formalem, quæ fit ob solam contumaciam, nil deseruiant priuilegia, & numero* 3. 4. *& numero* 5.

1 AD primum respondetur nostrum confirmare dictamen videlicet, quod † nullus professus potest directè expelli expulsione, quæ sit pœna spiritualis, nisi seruata forma Vrbanæ eiectionis, non tamen probat, quod professus ob crimen enorme, quod legibus ciuilibus in praxi inducat pœnam mortis, non possit damnari ad triremes.

Ad secundum respondetur, quod † quan- 2
tum ad eiectionem formalem, quæ fit ob solam contumaciam nihil deseruiunt priuilegia omnia concessa quantum ad hoc ante decretum Vrbanum, omnia enim omnibus clausulis derogatoriarũ derogatoriis cassata sunt, vt constat *ex vlt. §. decreti.* Vnde iure optimo constitutiones illius Religionis de qua Lezana, quia contrarium disponebant non sunt approbatæ, declaratio etiam Reuerendissimi Generalis Seraphici ordinis Ioannis Ferri, quod damnatus ad triremes censeatur eiectus à Religione, hodie post Vrbani decretum, non subsistit cum omnino diuersa sit pœna eiectio ab ordine, à pœna triremium, cum ista sit corporalis & illa spiritualis, & longè maior, & irreparabilior, vt aiebat D. Thom. vnde in sententia, qua quis damnatur ad triremes hodie nullo modo debet poni, quod eiicitur ab ordine, nisi seruata fuerit forma Vrbana, aliàs sententia, quantum ad istam partem, iniusta, & nulla est, quod valdè notare debent superiores Regulares.

Ad tertium respondetur bene probare, 3
quod superiores attendere debent ad ea omnia, quæ in argumento dicuntur, vt non nisi ob grauissimum delictum, cui in praxi Regionis secundum leges ciuiles datur mortis pœna, vt aliquem Religiosum professum ad vitam in triremibus degendam, siue per decennium, siue ob aliud determinatum tempus iuxta dignitatem delicti, degant, detinenturque ad illum temporalem infernum, in quo nullus ordo, sed semper 4
horror inhabitat, tamen supposita dignitate delicti, & quod doctus, & practicus, ac Pius assessor dicat, quod practicatur, vt pro tali delicto pœna mortis detur, & similiter in Religione est praxis & consuetudo, quod pœna mortis in pœnam triremium commutetur, damnari potest ad triremes, quia est per accidens, quod sint illa incommoda, quæ iudex non intendit, sed quod delictum debita pœna puniatur, qua finita ad Religionem debet regredi, & ipsum tenetur Religio recipere, vt suprà probatum est.

Ad quartum, & quintum respondetur, Prouincialem illum excessisse in pœna pro 5
illo delicto, non tamen incurrit pœnas Breuis & decreti Vrbani. Tum, quia non præsumpsit contra illum facere, vt dicebam, tum præcipuè, quia per se non fecit eiectionem ab ordine, de quo loquitur decretum, sed damnauit ad triremes, quod est longè diuersum, vt vidimus.

SECTIO

SECTIO vltim.

Pro praxi damnationis ad triremes inter Regulares, quæ sint delicta quæ digna sunt hac pœna.

SVMMARIVM.

1. *Pœna triremium est inter Regulares omnino diuersa à pœna expulsionis, & eiectionis ab ordine.*
2. *Multipliciter pœna legibus Ciuilibus statuta temperatur, antiquatur, & absoluitur.*
3. *Pro quo delicto nequeat iudex imponere pœnam triremium.*
4. *Arbitrium in pœnis non debet esse imaginarium, sed secundum ius, & naturalem rationem.*
5. *Iudex in arbitrariis semper debet eligere mitiorem pœnam.*
6. *Nullus pro quocunque delicto Religiosus professus eiici potest à Religione, & numero 7.*

1 CVm vt ex dictis constet pœna triremiũ sit inter Regulares omnino diuersa à pœna expulsionis, & eiectionis ab ordine, deturque pro delictis quæ pœna mortis puniuntur in praxi legum ciuilium, vt lux inducatur iudicibus Regularium, quum, hæc pœna praxi, & consuetudine pro delictis inferatur, circa hoc aliquantulum immorandum, & videndum quæ sint huiusmodi crimina, & delicta vt prudenter diiudicent, quum est vtendum publica vindicta, vt ex iustitia punitiua reum condemnent iusta pœna, prout à iudice Ecclesiastico dimanat.

2 Igitur † multipliciter pœna legibus ciuilibus statuta temperatur, antiquatur, absoluitur, cum enim pœna (quæ æterna non est & alia in vita luẽda impositaque iure diuino) legibus humanis taxetur, & sit solum de iure humano statuta, iusque humanum vel temporis elapsu obliuiscatur, consuetudine etiam aut dissuetudine contraria abrogatur, & limitatur quoad pœnam transgressoribus impositam, ita vt quæ iure primæuo infligebatur, iam hodie infligi nequeat, quia consuetudine est abrogata, taliter, quod
3 † iudex nequeat illam pro tali delicto imponere etiamsi in pœna imponenda arbitrio possit vti, iam iudicis arbitrium temperandum sit, & dirigendum, vt enim notant Bernardus Diaz *in pract.* Innocent. *cap: qualiter: el.2.colum.final.§.item nota.de accusat.* † Arbitrium in pœnis non debet esse imaginarium
4 sed secundum ius, rationem naturalem, & æquitatem, pensatis omnibus circunstantiis, & qualitate, tum delicti, tum personæ tanquam delinquentis, quam offensæ, modo etiam iniuriæ, magnitudine damni illati, loci, & temporis ratione, & multis aliis quæ pio & discreto Iudici occurrent.

Vnde fit quod † Iudex in arbitrariis sem- 5
per debet eligere mitiorem pœnam, quam nequit extendere vsque ad pœnam mortis in foro Laico, & in Ecclectastico, & Regulari vsque ad damnationem triremium, aut carcerem perpetuum quæ in iure morti comparantur, hodie etiam post Decretum Vrbanum præfigens formam eiectionis † 6
nullus pro quocunque delicto Religiosus professus eiici potest à Religione, nec hoc est in arbitrio Iudicis, nisi talis forma præfixa obseruetur, scilicet quod sit verè incorrigibilis orta incorrigibilitate ex contumacia, & animo in peruicacia obdurato, quamuis (vt notat Portel. *verb. Correctio fratrum, n.54.*) Iudex etiam Regularis de consilio assessoris possit augere pœnam ordinariam, quum crimen est perpetratum extraordinariis circunstantiis, quas si præuideret Legislator pœnam positam augeret, *leg. hodie, D. de pœnis, leg. quid ergo, §. pœna grauior.* 7
D. de his qui notantur infamia. Circunstantiæ tamẽ istæ quæ impellũt Iudicẽ, vt exaggeret pœnã nõ imaginariæ debent esse, & ex proprio marte inquisitæ adhibitum, sed maturo iudicio examinatæ, & perpensæ. Odia enim, & pœnæ mitigandæ non augendæ, vt ponderat D. Gregorius relatus *cap. summopere 11. quæst. 3.* & notat Suarez *lib. 5. de leg. cap. 11. n. 9.*

DIGGRESSIO II.

De pœnis quæ imponi solent, pro delictis Regularium.

SECTIO I.

De pœnis iam exoletis etiam apud Regulares.

SVMMARIVM.

1. *An pœnæ quæ apud iudices sæculares iam exoletæ sũt, & relegatæ etiam apud iudices Ecclesiasticos, & Regulares sint excludendæ, & n. 2.*
3. *Variorum authorum sensus, & numero 4. 11. & 12.*
5. *An pœna deportationis in insulam possit practicari inter Regulares.*
6. *An Relegatio veniat in nomine pœnæ, & n. 7.*
8. *Quid sit exilium, ex Paulo Iurisconf.*
9. *Fustigatio, & verberatio etiam publica respectu Clericorum iure Canonico an sit recepta.*
10. *In Religionibus duplex esse potest fustigationis etiam publicæ modus.*
13. *Quæ sit fustigatio infamatoria.*
14. *An vinculis & carceratione personæ non lædatur.*
15. *An Carcer perpetuus qui duret per totam vitam à iure ciuili non detur in pœnam.*
16. *Authoris iudicium affertur, & n. 18. 19. 23. 33. 38. necnon Alexandrini Cleri, & num. 17.*
20. *Religiosi delinquentes si non sint contumaces non sunt eijciendi, sed carceribus mancipandi.*
21. *An si in regula & constitutione assignata sit pœna triremium pro aliquo delicto, nequeat superior illam pro delicto commisso non intelligere remissiuè.*
22. *Alexandri III. mens adducitur.*
24. *An Prælatus Regularis iustè in pœnam delicti possit subditum cibis priuare.*
25. *D. Thomæ sensus propalatur.*
26. *Taxatio panis & aquæ valde vsitata fuit antiquis Monachis.*
27. *An si superior panem & aquam taxet iudicio medicorum affirmantium esse sufficientem ad sustentationem diuturnam incarcerati, licitè id possit facere absque periculo irregularitatis.*
28. *Clericis non licet occidere etiam per sententiam iustam latam in malefactores.*
29. *An officium iudicis Regularis sit officium iudicis Ecclesiastici.*
30. *Pellizarij opinio affertur.*
31. *An si quis ad interitum famelicum damnatus si illi offerantur cibi & non manducet, peccet mortaliter.*
32. *Qui non vult obstinate comedere, an dicatur se occidere.*
34. *Superior Regularis an possit ob graue aliquod delictum subditum damnare ad perpetuum carcerem.*
35. *Ratio difficultatis affertur, & n. 36.*
37. *Quid sit Regula temperantiæ.*
39. *An Superior & Iudex Regularis in pœnam criminis possit subdito imponere, quoter vel quater in hebdomada in solo pane & aqua ieiunet.*
40. *Pœna imponi solita antiquitùs malefactoribus, & n. 41. 42. & 43.*

1 PŒNAE †, quæ apud Iudices sæculares iam exoletæ sunt, & relegatæ etiam apud Iudices Ecclesiasticos & regulares excludendæ sunt, nec loco illarum pœna triremium, aut carceris perpetui murati alias reclusio, est imponenda. Igitur pœnæ quæ iam in dissuetudinem abiere, sunt sequentes damnatio ad bestias in cu-

ius locum succedat decapitatio naturalis, hoc est, pœna mortis naturalis, Præcipitatio, quæ aliàs fiebat in Vrbe de Rupe Tarpeio, de quo ego egi *tom. 5. in tract. de tormentis*, latè Lucas de la Pegna *leg. 5. C. de serui. lib. 12.*

Interdictio aquæ & ignis damnatio ad 2
metallum, vel opus metalli argenti viui in Hispania, imò vt notat Bernardus *ad Clarum, §. final. lib. 5. quæst. 67. litt. S. ann. 1575.* Dux Octauius Farnesius in quondam territorio Placentiæ, vbi elaboratur sal ad opus salis faciendi plurimos damnatos habebat, sed hæc pœna nullomodo practicata est in tribunali Ecclesiastico, aut Regulari, quare existimo, quod nec propter delictum dignum morte, ad opus metalli, argentini damnari quit regularis professus, nisi tali circunstantia sit vestitum crimen quod expediat.

Deportatio etiam inter Hispanos in dissuetudinem abiit, & si Iure Digestorum & Codicis frequentissima esset. Deportabantur enim rei in Insulas aëris pessimi & pestilentis, vt citò ibi morerentur, quare erat pœna capitalis, & loco illius volunt aliqui quod successit mors naturalis; ita † Roma- 3
nus *consil. 568.* Angelus *de Malefic. verb. Falsario, num. 48.* & *leg. 1. §. legis Corneliæ, D. de sicar.* Quos sequitur Barardus *ad Clarum ex Baldo, leg. 1. C. de monopol.* Alij dicunt quod loco illius successit exilium, aut bannus perpetuus. Ita Cuman. *cons. 139. num. 4.* Guido Papæ *decis. 423.* & *437.* Grammat. *voto 91. num. 10.* Et videtur satis legitima successio, cum valde similes sint deportatio, & bannus perpetuus, sed Iulius Clarus Alexand. *vbi supra num. 8.* prudentius loquitur dicens: *Ego credo quod super hoc non possit dari certa Doctrina, sed quod loco deportationis possit Iudex imponere pœnam iuxta qualitatem facti, & personæ prout sibi conuenire videbitur, scilicet triremium in perpetuum, vel ad tempus, vel exilij, & huiusmodi secundum grauitatem delictorum, nec consulerem iudici, vt loco de-* 4
portationis imponeret pœnam mortis, vbi pro delicto non esset imposita à statuto vel consuetudine, & ita vidimus obseruari. Hæc ille. Addit Bernardus, quod Venetiis & Genuæ in vsu est deportatio, sicut & in regno Neapolitano propter Insulas suæ ditioni subditas, si enim Magistratus Insulas non habet proprias iure communi deportare in Insulam nequit, vt ait Benedictus *de Plumb. repetit. leg. 1. num. 18. C. de hæred. instit.* Dynus *in Regula. cui licet n. 5. de Regulis in 6.* Vnde non habens insulam, & in eam deportans facit sententiam nullam. Baldus *leg. executorem, C. de executio. rei iudicat.*

Hæc autem † pœna deportationis in In- 5
sulam potest practicari inter Regulares, si

ibi

ibi habeant sui instituti domum, secus verò si non habeant quia possunt in exilium committi, bona tamen si quæ ibi acquirat Religioni acquirit, argumento, ex his quæ docet Natta *cons.*472. *num.*17. Si tamen in Religione seruentur iura filiationis conuentui cuius est filius acquiret non ei, in quo exilium & deportationem patitur iuxta dicta in superioribus, si tamen in Insula in qua deportatur non sit domus instituti proprij existimo quod deportari nequit, quod si de facto deportetur Cameræ Apostolicæ acquiret iuxta Bullam Greg.XIII.

6 Relegatio † alia pæna est, de qua latè Menochius *de arbitr. casu* 330. *lib.*2. *cent.*4. *& lib.*1.*quæst.*80. *num.*89. Ex Budeo adducit discrimen inter *deportationem* & *relegationem*, cui successit exilium siue temporale, siue perpetuum, siue à ciuitate, siue à regno, quæ pæna, licet Innocentius *cap.qualiter el.*2.*num.*6.*de accusatio.* Follerius *in pract. crimin. cano. fol.*278. Milleus *in simili.fol.*148. *n.*46. dicant quod secundum canones non est in vsu, & quod loco illius succedat detrusio in Monasterium; tamen verius est oppositum cum exilium pæna sit à Iudicibus Ecclesiasticis practicata, *cap.*1.*de calumniato.* Vbi Gregorius Magnus *Epist.*66.*lib.*9. *Registr.* id præcipit, & antea præceperat, *lib.*5. *epist.*5. *alias* 49. rescribens *ad Venan-*
7 *tium Lunensem Episcopum*, quare hæc pæna aliena non est à regularibus; sed est valde in vsu, dum reos iusta sententia in alia monasteria solitaria, & strictioris vitæ remittuntur & relegantur, quod etiam fit respectu monialium, delinquentium, sed cum hoc discrimine quod ad istas relegandas ad alia monasteria sententia iuridica debet præcedere; est enim valde illis indecorum, & excedit pænas regulares ipsarum, at respectu virorum non ita; quia non sic ignominiosum mutari ad alium conuentum. Cæterum aduertendum quod quum Iulius Clarus *vbi supra*, ex Alciato *in cap. non ab homine, de Iudic. num.*100. quod iuxta communem sententiam Ecclesia non infert pænam exilij, hoc est, verum quatenus exilium erat pæna capitalis sequebatur ad eam capitis minutio, *lib.*2. *D. de publi. Iudic.* Vbi Paulus
8 Iurisconsultus dicit, *Quod † exilium propriè est aquæ & ignis interdictio, per quam caput eximitur à ciuitate*; & hoc sensu neque Ecclesia, neque Regulares in exilium mittunt, sed propriè relegant, vbi enim non est aquæ & ignis interdictio non exilia, sed relegationes dicuntur, ait idem Paulus, *Relegatus enim, & Ciuitatem retinet, & Religionem.*

9 Fustigatio, & verberatio † etiam publica respectu Clericorum Iure Canonico est recepta, *cap.*1.*de calumniat.* & latè probat Bernardus Diaz. *in pract. cap.*135. Hæc tamen pæna in aliis Tribunalibus præterquam S. Officij non est in vsu in Hispania, nec esse in Gallia testatur Milleus *in pract. fol.*148. *num.*53. debet tamen moderatè, & non crudeliter exequi, *cap. præterea, de cleric. percuss.* Quamuis enim capitalis non sit, est tamen infamatoria animis, & infamatoriis delictis irrogatur. Menochius *de arbitrar.lib.*1.*q.*80. *nu.*40. *&* 41. Farinac. *quæstio. crimin. quæst.*19. *n.*29. Paulus de Castro *leg. nullam, C. ex quibus caus. infam. irrogan. n.*2.

Cæterum † in Religionibus duplex esse 10
potest fustigationis etiam publicæ modus, aut regularis, & hic modus fustigationis saluberrimus, & remediũ valde vtile ad coërcendos iuuenes, quo vtuntur omnes ferè Religiones, & illæ, quæ non vtuntur non ita facilè coërcentur adolescentes à transgressionibus regulæ, & obseruantiæ; nam ieiunium in pane & aqua raro seruatur, nisi in refectorio, quare verberatio visitatissima fuit apud Antiquos Religionum institutores, vt latè ostendunt Hestinius *lib.*8.*tract.* 11
3. *disq.*2. ex quo Gibellinus *de clausur. disquis.*2.*cap.*4. §.7. *num.* 11. plura desumpsit: Ita Pachomius *in Regul. art.*39. 82. *&* 121. S. Aurelianus *cap.*4. *Regul.* S. Benedictus *cap.* 28. Petrus Damianus *lib.*6. *epist.*27. *& opuscul.*44. de hac re edito asserens, *Stephanum Cardinalem ex Monacho Cassinense, repentina morte fuisse perculsum eo quod dixerit, quod hæc flagellatio regularis erat indigna Religiosis.* August. *serm.*15.*de verbis Domini.* S. Isidorus *cap.*17.*Reg.* Concilia etiam etsi Prouincialia idem decernunt *Matisconens.*1. *cap.*8. *& Matiscon.*2. *cap.*1. *Aquisgranens. cap.*134. *Concilium Veneticum*, *canone* 6. qui omnes imitati sunt S. Cæsarium Arelatens. de quo idem id firmat *in sua vita.* S. Cyprianus eius discipulus, *Solebat* (inquit Cyprianus) *vir sanctus id accuratè seruare, vt nemo ex illis qui illi parebant si culpa sua flagellandi essent, amplius triginta nouem ictibus ferirentur. Ita tamen vt si quis in graui culpa esset deprehensus, permitteret vt post dies paucos vapularet iterum.* Ita Cyprianus, in pænitentiali S. Columbani solum viginti quinque ictibus concedebantur. Cæterum Petrus Card. Da- 11
mian. *opuscul. cit.* ad quinquagenas verberum plagas extendit. S. Fructuosus *cap.*13. *Regul.* ad centum ictus flagellorum, si quis solus cum sola fabulari deprehensus fuerit, hæc enim flagellatio regularis non infamiam inducit; sed confusionem, vt illa quis correctus emendetur & corrigatur; imò etiamsi detur in Capitulo propter aliquod crimen; si tamen detur correctorio modo, vt confundatur reus non inducit infamiam iuris, nec irregularitatem, siquidem regularem modum, non excedit in religione vsitatum.

Alia

13 Alia potest esse † fustigatio infamatoria, quæ fit per calles, & plateas carnifice impingente flagella instrumento ad id destinato, & præcone proclamante delictum propter quod flagellatio infertur hæc quidem grauissima pœna est, & adeo infamatoria, vt morti æquiparetur, vt ait Menochius *vbi supra*, quare à iudice regulari nunquam visa est infligi, etsi aliquando, vt audiui clausis ianuis per claustra soleat Regularis ab alio fustigari in maiorem confusionem delicti, sicut antiquitus ante fores monasterij verberari iubet S. Pachomius *in Regula* 86. eum Monachum, qui fratres alios solicitabat.

Carcer perpetuus grauissima pœna erat maximè si intra paruum spatium muris circundatum reus concluderetur, etsi enim in carcerem mittere, in vinculaque coniicere secundum se non sit pœna iuridica, neque enim hæc instituta sunt ad pœnam, sed ad
14 reorum custodiam, vnde † vinculis & carceratione persona non læditur, nec infamatur, vt benè Socinus Senior *cap. nuper de sententia excommunicat.* verum est quod carcer ad tempus datur pro leuibus delictis; vt Barthol. *in tract. de carcere Plata leg. nemo C. de exactor. trib. lib.* 10. ibique reus in pane & aqua maceretur, quæ pœna valde vsitata fuit inter antiquos Monachos, vt referunt S. Fructuosus Bracharens. *in Regul. cap.* 17. Alius Fructuosus *cap.* 4. *Regul. mittatur solitarius in cellam obscuram*, Concilium Aquisgranens. *cap.* 134. & Matisco. 1. *cap.* 5. Isidor. *cap.* 18. *reg.* & hodie etiam inter Regulares hæc pœna carceris temporanei, cum ieiunio in pane & aqua ad corporis macerationem in pœnam commissi criminis satis viget & practicatur.

15 Cæterum † carcer perpetuus, qui duret pro tota vita à iure ciuili nõ datur in pœnã; non enim est in vsu vniuersaliter loquendo, vt ex multis probant Clarus Alexand. *vbi supra quæst.*70. *num.* 3. Bald. *cons.* 443. *in fin. libr.* 3. vnde de iure communi ciuili, si quis iudex laicus damnaret aliquem ad pœnam carceris perpetui sententia non teneret, nisi in casu quo de iure ciuili veniret imponenda aliqua pœna per quam quis efficeretur seruus, vt in damnato ad metallum, aut opus metalli, quæ pæna vt supra dixi iam in desuetudinem abiit, tunc enim loco illius posset pæna perpetui carceris imponi, vt attestantur Baldus *leg. credibile C. de pœnis*, Socinus *Rubric. de pœnis à num.* 21. Sed ego exi-
16 stimo † cum Menochio *vbi supr. q.*89. *à n.*9. quod nec in hoc casu potest iudex laicus imponere pænam carceris perpetui murati etiamsi iudicis arbitrio esset relictum damnationem ad metallum commutare, quia vtraque pæna iure ciuili abrogata est, per desuetudinem, vnde cum arbitrium iudicis debeat esse, secundum ius & æquitatem, cum in iure æquiparentur hæ pœnæ & vtraque non sit in vsu, nequit iudex vnam in aliam commutare.

Addit † idem Alexandrinus Clarus, 17
quod Reges Castellæ multum vtuntur ista pæna carceris. Apud Clericos autem multum frequentatur, addere potest, quod etiam est in vsu in sanctissimo Tribunali inquisitionis, practicatur etiã in aliis Rebus publicis, & Regnis ex speciali statuto, & lege municipali. Addit deinde *ex Angelo leg. prætor.* §. *si publicanus numer.* 1. *ff. de vi bonor. raptor. quod quamuis Clericis non liceat interficere, quemquam tamen possunt reos in carcerem detrudere & includere cum tanta necessitate, cibi, & potus vt fame necentur, & ait Angelus, quod ita dicunt Canones & hæc practica vtuntur, quam tamen restringe, vt procedat quoad ipsos Clericos tantum.* Hæc Clarus Alexand.

Circa quam pænam duo aduerto pro
Regularibus. Primum quod † Iudices Re- 18
gulares (nisi in Regula, aut Constitutionibus à Papa confirmatis pæna triremium assignetur) istã possunt commutare in carcerem perpetuum muratum cum aliquibus aliis pænitentiis corporalibus etiam in pænam delictorum, quæ legibus ciuilibus pæna mortis puniuntur, cum enim illis non sit licitum interficere, nec pænam sanguinis imponere, vt decidit Concilium *Toletanum II. canon.* 6. quem confirmat Alexandr. III. *cap. clericis* 5. *ne cleric. vel monach.* illisque non sit concessum 19
priuilegium, quod tradant reum Curiæ sæculari, sicut aliis iudicibus Ecclesiasticis, vt Dominis Inquisitoribus est concessum absque incursu irregularitatis, vti egregiè enodat Couarr. *Clement. si furiosus part.* 2. §. 5. *numer.* 6. quamuis illis regularibus sit concessum & praxi quotidiana sit firmatum ad triremus damnare, tamen quum carcer perpetuus sit in vsu quotidiano in religiosis familiis, ad illum in loco triremium possunt damnari; & forsan hoc satius est, vt fit in multis religionibus, in quibus grauissima & atrocissima delicta carcere perpetuo puniunt & in hac ciuitate Hispalensi sunt duo exemplaria satis nota, viuunt enim adhuc rei pænam sustinentes carceris perpetui; vnde Doctissimus, & Prudentissimus Peyrinis *de subdito Religioso quæst.* 1. *cap.* 27. dicit, *fateor tamen quod melius esset, tum pro religionibus, tum positis scelectis, qui propter facinora perpetrata fiunt digni, vt ad triremes eiiciantur eos ad perpetuos & duros carceres,*

compedibus, *disciplinis & inedia torquendos damnare, sic enim de illorum salute & correctione posset sperare.* Hæc ille, quæ non pudet iterum repetere, sunt enim verba prudentia & Religione plena, simul & pietati Regulari & statui conformia Summorum Pontificum intentioni, ne periculo damnationis animæ manifesto expositæ relinquantur, conformatur etiam hoc D. Thom.
20 *in art. vlt. quodlib. vlti.* vbi dicit † Religiosos delinquentes, si non sint contumaces non eiiciendos esse, sed carceribus mancipandos adstipulantur etiam sancti fundatores Religionum, tam Monachalium, quam Mendicantium, qui nunquam ad triremes neque ad sanguinem damnarunt Religiosos suos, sed vt vidimus si contumaces erant à Religione expellebant, si vero graue delictum committebant dignum morte, vel in monasterium detrudebant in perpetuum, vt ibi pœnitentiam ageret relegatus à maiori concursu populorum, vel in carcerem tenebricosum, & asperum in pane arcto, & aqua breui immittebant, vel vt indutus veste pœnitentium discalceatus, & seminudus, opus, idest seruicium exerceret monasterij. Ita Isidorus, *cap.* 16. & 16. Fructuosus Brachar. *cap.* 14.

Cæterùm, vt in superioribus etiam tetigi † si in regula & constitutione assignata
21 est pœna triremium pro aliquo delicto, nequit superior (si in illa non possit dispensare) illam pro delicto commisso non infligere, existimo tamen, quod si delicto sit imposita pœna carceris perpetui, neque inter Regulares, neque sæculares iudices Ecclesiasticos non potest pro illa imponi pœna triremium, tum propter proximius & grauius animæ periculum, tum quia pœna triremium longè infamior est, quam pœna carceris perpetui, ista enim etiam nobilibus datur, secus vero illa.

Verùm est, quod pœna detrusionis in Monasterium etsi magna sit, & in sacris Canonibus pro grauiss. delictis imposita, *vt cap. clerici de excessibus Prælatorum.* vbi pro crimine nefando propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ eam Clericis im-
22 ponit Alexander III. & idem rescribens Oxomens. Episcopo pro homicidio voluntario ponit eamdem pœnam, *cap. sicut dignum §. clericos de homicidio.* Sed hæc pœna nimio tempore dilata, iam non est in vsu, vt notant Clarus Alex. *quæst.* 70. *cit. num.* 6. Bernardus Diaz. *in pract. cap.* 128. quia cum hac monasterij detrusione iuncta erat depositio, & suspensio ab ordinum exercitio. In regularibus enim hæc pœna detrusionis in arctiore conuentu, & remotiore à sæcularium commercio valdè vsualis est, & multum practicatur, vt notant Barthol. *leg. leuia ff. de accusat.* Salicet *leg.* 1. *Cod. de requir. reu.* Guid. Pap. 429. Manuel Rodriguez *tom.* 2. *q.* 42. *art.*....

Secundùm, quòd aduerto est, † circa illa 23
verba Alexandrini, *quod quamuis clericus non liceat interficere quemquam, tamen possunt reos in carcerem detrudere cum tanta necessitate cibi & potus, vt fame necentur.* Quæ doctrina ingentem continet difficultatem & litteris humanioribus iniucundam materiam ex antiquorum Monachorum vsibus. Etenim id licitum videtur, quia damnato ad perpetuum carcerem sic exigente vindicta publica pro atroci delicto, potest taxare pondus quatuor vnciarum panis, & totidem aquæ, his enim absolutè quis sustentari ad diuturnam vitam valet, & sic non est vltimum supplicium sanguinis. *argumento legis, qui vltimo supplicio* 29. *ff. de pœnis, cap. nouimus §. pro illo.* vbi Alciatus, Decius, & Felinus.

Secundò, quia vt ait Suarez *tom.* 4. *de Religio. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. † Præla- 24
tus Regularis iuste in pœnam delicti potest subditum cibis priuare, & aliis subditis prohibere, tam virtute obedientiæ, quam ratione voti paupertatis, ne illi alium cibum præter taxatum præbeant, quamuis reo non possit imponere præceptum, ne amplius comedat, aut bibat, quam aquam breuem & panem arctum taxatum, esset enim præceptum inhumanum, cum quilibet habeat naturalem inclinationem, ad conseruandam vitam. Vnde † D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. 25
art. 4. *ad* 2. dicit, quod si aliquis esset condemnatus, vt fame moriatur, non peccat si sibi cibum occultè ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere, quod adeo verum est, (quidquid Petrus Nauarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 2. *num.* 220. *diuagetur,*) vt D. Caietan. *ibi §. ad octauam dubitationem,* quod iste tenetur comedere si illi offerantur cibi, *quia* (inquit) *neque priuata, neque publica authoritate potest, quis se ipsum licitè occidere. Constat autem, quod nolle vti alimento habito est occidere se ipsum non minus, quam se ipsum gladio transuerberare, & sic tenetur comedere, vt ius naturæ seruet, non enim est damnatus, vt se occidat non comedendo, sed ad hoc, quod sibi sint subtracta alimenta non à quibuscunque, sed à custodibus, & huiusmodi, quamuis nullus teneatur tali damnato ministrare alimenta tanquam in extrema necessitate constituto, quia secundum iustitiæ ordinem in illa constituitur necessitate, &c.* quam doctrinam Cardinalis approbat Suarez, *vbi suprà.*

Tertiò, quia † hæc taxatio panis, & aquæ 26
valdè

valdè vsitata fuit antiquis Monachis, de qua latè Hestenius *vbi suprà libr.* 10. *tractat.* 3. Guibellinus §. 7. *Lessius Hygiasti, cap.* 3. *num.* 15. illis enim, qui aliquod peccatum, vel detractionis, aut inobedientiæ, vel simile committebant, aut excommunicati in tenebrosam cellam reclusi, aut sine excommunicatione incarcerati, panc arcto & aqua breui sustentabantur, & pro tribus diebus, vel pro duobus, vel etiam pro vno, vnum *pazima*, cum aqua porrigebatur, vt constat ex S. Ferreolo *cap.* 22. S. Columbano *in pœnitentiali suo Monastico* S. Isidoro *c.* 18. S. Fructuoso Brachar. *cap.* 14. & 16. Pazima, autem, siue Pazimazium, siue Paximazium, siue Paxamitia de quibus meminit etiam Cassianus *collatio.* 2. *cap.* 19. idem etiam significatum, hæc enim omnia habent sinonyma, denotantia, vel panem subcinerium, vt vult Isidorus, vel biscoctum, vt volunt Rosveyd. *in Onomastico* & Cerda *in simili opere.* Vnde à Ruffino in vita Apollonij *lib.* 2. *ca.* 7. dicuntur, ex hac enim statera coctione siccitas in pazimate oriebatur apud nostrates *biscocho degalera* dicitur, & ad annum seruatur fere incorruptus ratione siccitatis, vt ad commeatum militarem deseruiat, vt autem commodius milites vtantur pazima aquæ infundunt, vt madefactus conteri valeat de hoc biscocto pane, agitur *in Cod. Theodosia. leg.* 6. *C. de erogat. milit. anno.* quo cibo etiam Monachi milites Christi vtebantur, & alicubi ad sex menses transigendos pazimata ex pane biscocto illis dabantur. Vnum vero pazima sex vncias ponderabat, vt conitat ex Palladio *in Lusiac. cap.* 28. Lessius *vbi suprà* quibus consentiunt Hestenius & Guibellinus, quare si vnum pazima pro trium dierum sustentatione dabatur magna erat & accerrima pœna.

Quare Hieronymus Rodriguez *Res.* 48.
27 dicit, quod † si superior panem & aquam taxet iudicio medicorum affirmantium esse sufficientem ad sustentationem diuturnam incarcerati, licitè poterit id facere absque periculo irregularitatis, & Pellizarius *tr.* 9. *cap.* 3. *sect.* 3. *num.* 83. *circa finem.* adfirmat Prælatum Regularem in casu raro posse damnare subditum ad mortem ex fame, quia non damnat ad mortem violentam, sed ad naturalem, & irregularitas incurritur ex morte violenter illata.

Cæterùm hæc Pellizarij sententia omnino reiicienda est, sicut & vir ille Doctissimus & ingenuissimus à quo illam emendicauit, etenim vt articulariter notat D. Th. 2. 2.
28 *q.* 64. *art.* 4. clericis † nullo modo licet occidere etiam per sententiam iustam latam in malefactores, quod multis ibi probat, & concludit in solutionibus *ad* 2. & 3. *quod exer-*

tium Clericorum est in melioribus ordinatum, quam sint corporales occisiones, scilicet in hiquæ pertinent ad spiritualem salutem, & ideo non congruit eis, quod in minoribus se ingerant, & sic Prælati Ecclesiarum officia Principum terræ, non vt ipsi iudicium sanguinis exerceant per se ipsos, sed quod eorum authoritate per alios exerceatur. Quorum rationem sub ministrat ibi D. Caiet. *quia, quamuis in vna persona sit coniunctio dominij temporalis cum spirituali, sed dominium temporale modificatur ab spirituali, ita vt quæcunque dedecent Prælatum dedeceant dominum, qui simul est Prælatus & Dominus, & merito, quia nobilius debet ad se retrahere ignobilius.*

Quod vlterius confirmo, quia † officium 29
iudicis Regularis est officium iudicis Ecclesiastici atqui hic nequit ferre sententiam, quod quis vitam finiat, quia est minister nouæ legis in qua non determinatur pœna mortis, aut occisionis. Ergo, vt sit minister idoneus noui testamenti debet à tali sententia abstinere, debet enim D. N. Iesum Christum imitari, iuxta illud *Ecclesiast.* 10. *num.*... *secundum iudicem populi sic ministri eius.*

Quod enim dicit Pellizarius, † quod dã- 30
natio Religiosi, vt fame pereat per insensibilem cibi necessarij subtractionem non est damnatio ad mortem violentam, sed ad naturalem, quæ continget ex subtractione cibi. Hoc enim prorsus est ridiculum & indignum viro docto nedum doctissimo, nam hæc quæ originaretur ex subtractione insensibili cibi, prorsus violenta esset, cum subtractio cibi, qui est medium necessarium ad vitam conseruandam sit facta ab extrinseco passo, non conferente vim, in quo consistit ratio violenti.

Deinde, quia † si quis damnatus ad inte- 31
ritum famelicum si illi offerantur cibi, & non manducet si manducando potest diu vitam conseruare, mortaliter peccat & se ipsum occidit, vt asserunt vtérque Thom. *quæst.* 69. *art.* 4. *citat.* & sequitur communis certáque sententia, vt videre est in Cardin. de Lugo *de instit. & iure disp.* 10. *sect.* 1. *à numer.* 27. ergo iudex Regularis qui subditum dãnat, vt fame pereat, per insensibilem cibi subtractionem ipsum tanquam iudex occidit, quod Regularibus & Ecclesiasticis iudicibus non licere ne incurrant lenitatis Christi defectum, indubitatum est, & ita certum, quod in iure sit determinatum, vt dum iudex Ecclesiasticus aliquem reum tradit curiæ ex animo, vt à iudice laico exposcat, ne in illo pœnam sanguinis, quam demeretur exequatur, *cap. nouimus de verb. signific.* vbi id determinat Alexander III.

Tertiò, quia non solùm interimitur & 32
occiditur

occiditur homo, quum ferro se occidit, laqueo se suspēdit, aut se dat in præcipitium, sed etiam quum mediis communibus ad vitæ conseruationem necessariis non vtitur,
32 quare † ille qui obstinate, non vult comedere dicitur se fame occidere, & interimere, & violentas manus in se ipsum iniicere, ergo iudex qui damnat aliquem ad cibi insensibilem substractionem fame interimit, & occidit non secus, ac si ad suspendium è palo, aut capitis excidium damnaret si mors enim infertur necessario ex vi actionis positiuæ, siue priuatiuæ, quæ actio moraliter influens est in mortem, semper est violenta occisio.

33 Quare, ego † longè aliter secundum veritatem moralis Theologiæ discurro si ex consilio Medicorum, qui attentis omnibus circunstantiis personæ, ætatis, regionis, & similibus dicunt, quod tanto pane, siue pazimatio, siue moli, & tanta aqua potest reus vitam conseruare ad tempus diuturnum indeterminatum potest superior Regularis carceri perpetuo addicto subdito ob graue aliquod crimen talem taxam panis & aquæ victusve taxare. Ita vterque Rodriguez *vbi suprà*, & hoc probant ea argumenta, quæ in fauorem primæ sententiæ adduximus, nequit tamen superior præcipere damnato, ne amplius comedat si offeratur, quam cibus, qui illi est sententia taxatus, rursus nequit dare cibum, & aquam vnciatim, *por honzas*, vt dicitur, taliter quod quotidie imminuatur de pōdere, vt si hodie datur panis duodecim vnciarum, pomeridianus habeat aliquid minus determinate, sic enim tandem fame periret ex defectu cibi necessarij, quod esset ad vltimum supplicium tandem damnare, quod Ecclesiasticis personis nullatenus licet.

34 Existimo etiam, quod † superior Regularis potest ob graue aliquod delictum subditum suum damnare ad carcerem perpetuū ibique detinere eo genere pœnitentiæ, tam in cibis, quam in disciplinis, ciiiciis, lecto, & aliis incommoditatibus, quas ipse subditus aliàs posse in se ipsum exercere amore virtutis, vt pœnis ipsis ab alio inflictis luat in corpore & vindicta publica satisfaciat pro delicto commisso, etiamsi aliàs vitæ tempus
35 breuius sit futurum. Ratio est, quia † dum quis huiusmodi opera pœnalia amore virtutis, & ex motiuo honesto ad mortificationem carnis in se ipso exercet absque intentione abbreuiandi vitam non se occidit, aut interimit siquidem, vt ait D. Tho. 2.2. *quæst.*147.*art.*1.*ad* 2. ratio recta hoc ordinat, ad spiritualia mala vitanda, & bona prosequenda, ergo iudex Regularis, qui ad huiusmodi pœnalitates damnat subditum, vt eas patiatur in carcere in pœnam delicti, & vindictam publicam ipsum non occidit, aut interimit fame, aut vitam abbreuiat, etsi huiusmodi abbreuiatio per accidens sequatur, per se enim sicut nec aliquis potest intendere vitam pœnitentiis, abbreuiare, ita nec iudex Regularis potest intendere, quod vita rei abbreuietur, vt enim ait Hieronymus relatus, *cap. mediocriter, de consecrat. dist.* 5. *Non differt an magno vel paruo tempore te interimas, quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderate corpus affligit.* Vnde fit quod, etsi ex huiusmodi pænalitatibus sit periculum pro-
36 ximum abbreuiādi vitam, quod quis præuidet non tamen intendit, potest in illis exerceri ex causa honesta, miles enim potest non deserere stationem suam. Carthusianus potest à carnibus abstinere, & aliquis potest inseruire infectis contagio pestifero etiamsi in his omnibus sit mortis proximum periculum, aut abbreuiandi vitam. Legendi sunt Lorca *disp.*23.*de legibus.* Vasq. *disp.*162. Suarez *de leg.lib.*5.*cap.*3.

Qui omnes horum fundamentum de-
37 sumpsere ex D.Caiet.2.2.*quæst.*147.*art.*1.§. *ad hoc dicitur.* vbi sic fatur interpretans solutionem ad secundū. † *Regula temperātiæ est necessitas vitæ præsentis & quantum ad esse, & quantum ad bene esse etiam in ordine ad alios, si quis ex intentione abstineat, vt moriatur, aut infirmetur, aut impotens sit ad debita officia, peragenda huiusmodi abstinentia directè contrariatur temperantiæ, vtpotè ex parte regulæ & finis eius, si quis vero abstineat, vt carnem spiritui subiiciat, aut ad pœnitentiam pro peccatis suis agendam, & in hoc excedit, aut aduertit se excedere, & putat se bene facere proculdubio peccat. Communiter tamen est peccatum veniale huiusmodi excessus propter rectam intentionem, & nocumenti ignorantiam, quoad nobilitatem, apprehendunt enim nocumenta corporis puta dolorem stomachi quasi nihil, & tanto plus excusantur, quanto sanitas corporis consideratur ab eis non absolute, sed in ordine ad seruitium spirituale. Si autem non aduertit se excedere, vtendo illa, quam habet discretione nullum peccatum est. Quare verba piarum personarum, (aientem se velle mortificare, nec curare, an decem annis minus victura sint) pie interpretanda sunt, intendunt siquidē dicere, quod vacando actibus virtutis, & rationabili abstinentia, non curant diminutionem vitæ & in hoc rectè sentiunt, & non intendunt dicere, quod volunt ita abstinere, vt anticipent mortem.* hæc ibi.

Quam doctrinam meæ decisioni applico
38 manifestè. † Nullus enim superior & iudex Regularis licitè potest absque lenitatis defectu subditum suum ad carcerem perpetuū muratum, in quo pœnalitates, quas ipse subditus

ditus potest subire in potu & cibo & aliis carnis macerationibus iubeat in pœnam delicti & criminis commissi ex intentione, vt vita subditi abbreuietur, sed vt satisfaciat vindictæ publicæ, quamuis huic ciborū taxationi & carnis macerationi sit iunctum proximum periculum, quod vita subditi abbreuietur, etiamsi superior ipse aduertat attenta qualitate personæ rei, quod sit futura maior & citior abbreuiatio, quod forsā, quod subditus nequit facere, absque peccato saltim veniali, eo modo, quo dicit D. Caiet. superior iustissima causa & ex discretione iuridica faciet omnino absque peccato, quia eam pœnam non imponet absolute, & in ordine ad regularem disciplinam, sed in ordine ad vindictam publicam & bonum cōmune læsum, ne vitia & crimina atrocia impunita maneant, quod valdè aduertendū
39 est. Imò addo, quod † superior & iudex regularis in pœnam criminis potest subdito imponere, quod ter, vel quater in hebdomada ieiunet in solo pane, & aqua, quod sit compedibus & catena vinctus, quod toto vitæ spatio vitam quadragesimalem agat, etiamsi in sua Regula non statur, quia hæc dantur in pœnam delicti, quare existimo ad id teneri si iusta fuit sententia iuxta principia generalia de executione pœnæ, quæ in superioribus sunt enucleata.

40 Altera † pœna solita antiquitus imponi malefactoribus & iis qui ad metallum, vel opus metalli damnabantur, erat stigmatizatio in facie, tergo, aut brachio, de qua latè, & non iniucunde plura ex humanioribus litteris congessi *tom.*5.*de vero Martyr.fidei.* in Appendice *ad tract.de choro membro* 4. & aliquando extensa fuit ad Monachos etsi iniustè, ita enim Zonaras *lib.*3.*de Theophilo imperatore, quod duos Monachos ipsum liberius monentes, facies eorum compunxit, & notis illis hos iambicos versus atramento infuso expressit.* Hæc autē stigmatizatio etsi aliquādo fieret sine atramento, sed sola vstione cicatrice indelebili impressa, at nunquam fuit facta atramento solo, sed simul cum ferro candenti atramento nigro, aut cæruleo, vt ibidem dixi, contra stellarium *lib.*1.*de coron. cap.*14. nullo enim negotio infamia deleretur. Vnde in nostra Hispania hominibus bis vxoratis, aut polygamis stigma ferro ignito
41 imponebatur in fronte impressa Littera Q. ita habetur *leg.*6.*tit.*15.*lib.*8. & *leg.*3.*tit.*1. *lib.*5. in Regiis Ordina. vel dualem numerum 2. aut, signo †. vt denotetur, aut duas habere vxores, aut malè sentire, de fide Christiana, aut Littera Q. candenti ferro imprimebatur quasi fidem frangens maritalem & imitaretur, auem illam quæ *Ququillo* dicitur Hispane, & de signo † stigmate dicit Couar. *de Matrim. part.*2.*cap.*7. §.3.*n.*11. ita fuisse statutum à Ioanne Regne huius nominis primo, in Comitiis habitæ Biruescæ, antiquitus enim, vt adnotabam in Appendice citata *membro* 5. ex Panzirolo *lib.*3. *Thesauri cap.*241. malefactoribus in fronte imprimebatur prima Littera delicti commissi, vt calumniatoribus. Littera K. & Christianis, quia ab idololatris malefactores iudicabātur Littera X. stigmatizabatur, quæ est prima Littera nominis Christi, id quod satis innuit S. Cyprianus *epist.*77. Quamuis iure codicis non debet hominis faciei imprimi stigma, 42
leg.si quis in metallum. C.de pœnis. quia facies hominis ad imaginem Dei facta est, quare stigmatizari & deturpari infami signo non debet, vt notat Baiardus ad Clarum §.*final. cit.quæst.*70. *num.*1. Legendus est Farinacius *de pœnis tom.*1.*q.*19.*n.*29. sed quamuis stigmatizari in facie iam non sit apud Christianos, in vsu pro pœna delicti, (nisi in mācipiis refugiant,) at bullari candenti ferro in brachio, tergo, aut scapulis multarum nationum vsus obtinuit, pro speciali delicto, alicubi propter sodomiam semel commissam, (sic stigmatizatus Caluinus, (vtinam & igni traditus sicut prius de ipso senserunt iudices,) Neuo-Dugni, vt refert Bzou. *de signis Ecclesiæ lib.*7.*cap.*6.*signo* 30.) alicubi propter furtum, vel simile delictum. Cæterum inter 43
Regulares aliquando practicatam fuisse sicut practicatur rasio, & abrasio circuli capillorum, quem in suo Monachatu accipiunt per modum coronæ, quæ ob aliquod enorme delictum abraditur & abradi debet in iis qui ad triremes damnantur, non enim æquum est, vt in loco, ita infami insigne tam honorificum in capite delinquentis appareat & relinquatur, quanta autem pœna & infamia sit coronæ & capillorum abrasio, quantaque exauthoratio reputetur, ponderat S. Fructuosus Brachar. *cap.*16. vbi pro infami delicto à monacho perpetrato, *dicit, quod publicè verberetur, coronam capitis, quam gestabat amittat, &c.* sed quanto honore priuetur ille, cui infami abrasione aufertur circulus coronæ Monachalis, & clericalis, legat Doctissimum Hestenium *lib.*5.*tract.*9. *disquisit. Monachalium.*

§. II.

De homicidio doloso, & proditorio.

SVMMARIVM.

1. *Homicidium ex dolo, quod dicatur.*
2. *Quid item proditorium.*
3. *An qui per insidias occidit inimicum suum vel dormientem, non proditorie occidat.*
4. *Quis dicatur proditor & quibus modis, ex Glossa remissiuè.*

5. *An nisi crimen sit exceptuatum in iure quantumcunque graue & enorme sit, etsi clericus etiam regularis sit & mereatur degradationem, non sit tradendus Curiæ sæculari, nisi incorrigibilis existat.*
6. *An subditus occidens prælatum suum aut enormiter percutiens, expellendus sit à Religione & ad triremes relegandus.*
7. *Authoru iudicium affertur, & n.14.*
8. *Quid in punitione homicidij attendendum sit.*
9. *Si quis directè non intendat homicidium & hominis occisionem, an non occidat ex dolo & n.9.*
10. *An si quis dolo non occidat, directa scilicet voluntate occidendi & consulto, & ex proposito vt occidat, reus sit pœna ordinaria.*
11. *Couarruuiæ mens adducitur necnon Pauli & n.15.*
12. *Etsi poculum ad abortum per se tendat in internecionem fœtus, an poculum istud ex natura & vi sua non tendat ad mortem matris.*
13. *An non puniatur pœna mortis sed relegationis ille qui necauit vel necare fecit condemnatum ad mortem eiusdem parentelæ, vt vitaret infamiam supplicij.*
16. *An ille qui procurat abortum fœtus animamati, & de facto sequitur abortus, sit pœna mortis plectendus.*
17. *An vt abortus pœna mortis puniatur, debeat esse dolosus, sicut & homicidium, & n.18. & 19.*

1 HOmicidium ex dolo dico, † quum quis animo deliberato aliquem occidendi, interficit, quod quadrupliciter fieri potest, primo ex proposito, quum quis absque interuallo deliberate occidit in rixa, vel calore iracundiæ, & hoc dicitur homicidium simplex, vel ex proposito interuallo temporis interposito durante animo occidendi, quem ante executionem concepit. Secundo ex insidiis positis ad occidendum vt dum quis expectat aliquem positus in loco, qui ab illo præuideri verisimiliter non poterat animo illum occidendi illumque ex improuiso venientem interficit, & existimo esse homicidium insidiosum, si quis expectet quod inimicus dormiat vt ipsum dormientem interimat, quia dormiẽs præuidere nequit occisorem, qui se occultat dormienti. Tertio proditorie. † Quando quis nulla
2 præcedente inimicitia alium interficit, vt si quis veniens cum alio tanquam socio, sine rixa, aut sedens cum eo in mensa, vel fingit se amicum esse & sic interficit, proditorium est homicidium, vt tenet Bartholom. quem omnes posteriores transcribunt & sequũtur. *leg. respiciendum §. delinquunt d. de pœnis*, vbi notat idem Bartho. quod † qui per insidias occidit inimicum suum vel dormientem, non proditoriè occidit, quia occisus debebat se præcauere ab inimico suo, quẽ sequuntur communiter Iurisperiti vt testatur Farinacius, *quæst.18. cit. à n.73.* & Plaza, *in Epitome delictorum cap.21. num.2.* Gomez. *cap.3. de homicid. num.5.* Suarez, *ibi in addition.* Sed legibus Hispanis, qui retro & non facie ad faciem occidit inimicum, homicidium proditorium committit, & vt talis proditor punitur pœna mortis in furca ligatus prius ad equorum caudas per vicos, & plateas, vt notat Suarez & sequitur Couarru. *lib.2. variar. cap. final. num.7.* quis autem † dicatur prodi-4
tor & quibus modis egrégia doctrina & multis exemplis edocet, & enucleat Glossa *cap. clericus el primero verb. proditionibus 46. dict.4.* per assassinatum, dum quis conductus pecunia alium interimit. De hoc quarto modo siue aliis quantum attinet ad Regulares hîc agendum.

Et primo mihi certum est, quod † nisi cri-5
men sit exceptuatum in iure quantumcunque graue & enorme sit, etsi clericus etiam Regularis sit & mereatur degradationem, non tamen est tradendus Curiæ sæculari, nisi incorrigibilis existat. Ita Manuel Rodriquez, *tom.2. quæst.33 art.1.* Miranda, *in Manuali tom.1. quæst.52. art.2.* Nauarrus, *in Manuali cap.27. num.249.* Vnde sicut clerici homicidium enorme perpetrantes, vt est paricidium & occisio Episcopi sunt deponendi *cap. Presbyter.81. dist.* Curiæ sæculari tradendi spectata incorrigibilitate, & pertinacia iuxta veriorem & magis piam opinionem. *Ita similiter Religiosi suum occidentes Prælatum, verum est tamen quod Iudices Regulares, attento Iure communi minime gentium possunt eos tradere brachio sæculari, non spectata incorrigibilitate, etiamsi crimen sit ex atrocioribus, quod est verius & probabilius, vnde fratres committentes delictum, cui sæculo pœna mortis respondet, ad triremes relegari possunt.* Hactenus alter Rodriq. *Resol.48. num.28.* qui
nu.29. malè addit quod † subditus occidens 6
prælatũ suũ aut enormiter percutiens (iuxta grauitatem percussionis, quam declarat Ioannes 22. *Bulla 2. in Bullario Rodericio*) expellendus est à Religione & ad triremes relegandus, ad triremes vtique relegari debet, at expelli à religione nullatenus potest post Decretum Vrbanum *de eiiciendũ.* In huius doctrinæ confirmationem relege verba grauissima D.D. Didaci de Couarru. quæ supra dedi *sectio 4.* digressionis anterioris.

Dixi nisi sit crimen exceptum, quia si exceptum sit secundum canonicas sanctiones & Bullas Apostolicas, quæ receptæ sunt in ea ciuitate, aut Regno, post degradationem potest iudex Regularis, & Ecclesiasticus reum

reum etiam Regularem, aut Ecclesiasticum curiæ & brachio sæculari, casus isti excepti sunt in iure communi his additi sunt alij specialibus Bullis, vt falsificatio monetæ ab Vrbano VIII. procurantes abortus fœtus animati à Sixto V. & alij attinentes ad S. Officium, vt celebrare & confessiones audire,
7 sine ordine sacerdotij, existimo tamen, † salua aliorum censura, quod licet iudex sæcularis Ecclesiasticus possit clericum hos casus exceptos committere curiæ sæculari, pro vno actu dumtaxat, at Regularis non potest sine speciali consultatione Summi Pontificis, de qua aliàs, tenetur tamen ad triremes damnare, vt de falsificatore monetario infrà dicam.

8 Secundò est etiam certum, quod † in punitione homicidij pœna ordinaria præcipuè attenditur verus animus occidendi, & voluntas directa in ipsum actum homicidij, ipsam hominis occisionem, tunc enim verus dolus interuenit est homicidium ex dolo, quia voluntas directè fertur in hominis internecionem, *leg.1. §. diuus, leg. in lege Cornel. ff. de sicarijs*, si enim quis directè non intendat homicidium & hominis occisionem, non occidit ex dolo, & sic pœna ordinaria homicida plectendus non est, quia pœna datur pro delicto, & vt illa ordinaria impingatur delictum perfectum debet esse, atqui delictum perfectum non est, vbi non est perfectum voluntarium, cum delicta voluntate distinguãtur, & vbi non influit voluntas cũ nulla sit culpa nullum est delictum, *cap. cum voluntas de sententia excomm. leg qui iniuriæ, ff. de furt.* & ea ratione qua in actu externo relucet interni voluntarium, relucet etiam delictum, quod augetur si voluntarium sit directum, & perfectum, & minuitur si indirectum sit & imperfectum, & totaliter euanescit delictum, vbi nullum, vel indirectum voluntarium est, cum sequatur per accidens malum, quod nec præuisum est, nec intentum, vt eleganter D.Th. *1.2. q.76. art.4.*

9 Sed est difficilis textus, *in leg. si quis aliquid 38. §. qui abortionis, ff. de pœn.* vbi Paulus Iuris-consultus, sic ait. *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur, quod si eo mulier, aut homo perijt summo supplicio afficiun-*
10 *tur.* Ergo etiam † si quis dolo non occidat directa scilicet voluntate occidendi, & consulto, & ex proposito, vt occidat, reus est pœna ordinaria, & vltimo mortis supplicio plectendus. Etenim qui phyltrum dat non dat, vt occidat, sed amoris causa, & qui poculũ, dat ad abortionem animati fœtus illud præstat ad vitandam (aliquando) mortem fœminæ, aut adulteri, aut infamiam, vel excellentis personæ, aut conuentus, aut familiæ, vel ne fœmina virgo reputata exauthoretur, & exhonoretur sic benè dixit Iuriscõs. quod qui phyltrum dat amoris causa, vel ad abortum fœtus animati, etsi res sit mali exẽpli, tamen non est morte puniendus, sed relegatione in insulam, vel ad metallum pro diuersa personarum qualitate, quia non ex dolo id faciunt, si ergo non faciunt ex dolo, etiam si homo, aut mulier pereant, non est morte castigandus.

Doctissimus concius meus Couarruuias
† *in relect. ad Clement. si furiosus part.2. n.2.* 11
v. sed ad consultorum respõsa. sic fatur. Asseuerare constanter non verebor, idẽ apud Paul. vltimo supplicio delictum puniri, quod illẽ actus ex propria vi & natura maximè tendat in periculum mortis, aut grauissimæ læsionis si quidem abortio ipsa ob corporis dissolutionem valdè periculosa est, poculáque amatoria in hoc propinantur, vt iudiciũ amatoris perturbent, mutentque, & euertãt quo fit, quod licet dolus absit, nec is actus omnino occidendi, & ideo per se & directè non possit dici homicidium voluntarium, indirectè tamen, & per accidens dicatur ea occisio voluntaria, magis, quia *actus per se volitus, aut voluntate comprehensus magis tendat ad ipsius homicidij periculum.* Hactenus ille, & addit, quod *Vlpianus* (Marcianus aliàs) *leg. eiusdem 3. ff. ad legem Cornel. de sicar. & venefic. §. sed ex senatus. posuit exemplum in medicamento ad conceptionem ex quo mulier, quæ accepit decessit, & dicit, quod mulier, quæ dedit relegari iussa est, quia medicamentum hoc vires auget & fortiores reddit fœminas, atque ita ex vi & natura sua non tendit in periculum vitæ fœminæ sumentis.*

Verumenimverò etsi placida sit hæc so-
lutio, at non videtur solida; etsi enim † po- 12
culum ad abortum per se tendat in internecionem fœtus, qui ordinariè eiicitur immaturus & vitæ incapax longo tempore, aut mortuus exiit tamen poculum istud ex natura & vi sua non tendit ad mortem matris, raro enim ex abortu secreto vitam finit etsi humorum ingentem patiantur alterationẽ, quæ pacatur intra breue tempus, quare cum id experientia notum sit, poculum istud ordinarium ex natura sua non tendit ad mortẽ matris, quod si sequatur per accidens est, nõ secus ac si sumatur poculum ad concipiendum, & sic, sicut dans non punitur vltimo supplicio, etiamsi sumentis sequatur mors, vt ait Martianus *leg.3. cit.* ita nec dans illud etiamsi mors sequatur fœminæ, quia non ex vi poculi cum raro, eam mortem inferat, sed ex aliis accidentibus vitæ defectus, sequatur, non secus ac si quis ex vulnere, quod ex vi sua non infert mor-

tem mors sequatur, idem dic de poculo amatorio ex amoris motiuo propinato, quod ex illo sequatur mors raro contigit, & motiuum releuata pœna ordinaria, vt ex Areopagorum Iudicum decreto constat, peccauit enim mulier accusata non voluntate, sed errore, in quem induxit amor, & sic amasij sui mors per accidens valde respectu ipsius voluntatis secuta est. Vnde excusauit delictum à pœna ordinaria homicidij, quod vero magis ordinariè sequatur alteratio, & immutatio iudicij, cum quasi cogatur voluntas amasij ad amandum, non est dignum pœna mortis.

13 His adde valde probabile esse quod † non punitur pœna mortis, sed relegationis ille qui necauit vel necare fecit condemnatum ad mortẽ eiusdem parẽtelæ, vt vitaret infamiã supplicij, vt tenẽt Pullon. *in pract. Rubric. de quæst. num.* 138. Conrrad. *tit. de venef. n.* 13. *folio* 336. *& tit de homicid. num.* 10. retractans quod dixerat *n.* 7. Botrius etiam *decis.* 2. 16. *num.* 3. dicit quod matres dantes poculum filiabus impregnatis, vt abortionem faciãt, ad tuendam bonam opinionem, & ne diffamentur non sunt puniendæ vltimo supplicio, etiamsi filiarum mors sequatur. Vnde si Religiosus habens sororem, aut consanguineam in gradu proximo, quæ impregnata est occulte ab amasio suo, sitque sanguinis illustrissimi, etsi publicetur impregnatio magnum dedecus familiæ oritur, vel si ipse monialem professam impregnauerit, & poculum dedit vt aborsum faceret nõ est propter homicidium matris quod per accidens sequutum est morte puniendus, quia id fecit ob defensionem honoris, & ad vitandam infamiam tum familiæ tum Religionis, & homicidium per accidẽs sit sequutum, quãuis an sit morte plectendus, quia fœtum animatum (qui iam homo dicitur eo ipso, quod sit anima rationali ornatus, quia in edicto publico hominis appellatione continetur infans *leg. si quis* 8. *D. ad leg. Cornel. de Sicar. leg.* 12. §. 5. *D. de publ. & prob.* Cuiacius *lib.* 6. *obseruat.* 20. vnde Homerus *Ilia.* 23. *& l.* 16. *D. de pœnis infantis*, eadem viri occisionem dicunt) infra enucleabo in hoc §.

14 Quare † ego aliter interpretor Paulum Iurisconsultũ in *præfata leg. si quis aliquod* 38. de poculo abortionis, & amatorio quod venenum malum mixtum habet, & est poculum malum abortus, & amatorium sicut enim in iure diggestorum hoc nomine *venenum*, mediũ quid est inter malum, & bonum ita, & poculum amatorium: egregie adnotauit hoc Iurisconsultus Martianus *leg. eiusdem* 3. *cit. D. ad leg. Cornel. de sicar. & venefic.* §. 2. vbi sic fatur. *Adiectio autem ista veneni mali, ostendit esse quædam non mala venena, ergo nomen medium est, & tam id quod ad sanandum quam id quod ad occidendum paratum est continet, sed & id quod amatorium est appellatur, sed hoc solum notatur in ea leg.* (Cornelia) *quod hominis necandi causa habet.* Hactenus ibi. Quare † dum Paulus *in leg. si* 15
quis 38. *de pœnis* §. 5. dicit quod *si ex poculo amatorio aut abortionis sequatur mors sumentis dans punitur vltimo supplicio*, intelligitur de poculo malo, de quo solum instituta est *lex Cornelia de sicariis*, de eo scilicet poculo quod venenatum est, & habet vim occidendi sumentem, quamuis maneat irregularis, quia dabat operam rei illicitæ ex qua potest esse mortis periculum *cap. ad audientiam de homicid.* non vero qui dat poculum ad conceptionem, quia iste non dat operam rei illicitæ.

Tertium, quod † ille qui procurat abortum fœtus animati, & de facto sequitur abortus, est pœna mortis plectendus, etsi sit clericus etiam regularis tradendus est curiæ, & brachio sæculari, ita habetur in iure ciuili *leg. Cicero D. de pœnis*, tamen ibi loquitur Iurisconsultus, quum hoc fit à fœmina pecunia accepta, est enim assassinij genus, secus vero ait Tryphoninus si facto diuortio mulier prægnans relicta partũ abigit, ne iã marito inimico filium procrearet, vt notat ibi cum textu. Gotifredus, vnde pari modo videtur dicendum si titulo honoris conseruandi, & vitandi infamiam abortus fiat, iste talis non videtur pœna mortis mulctandus. Legendi sunt Barbatius *consil.* 23. *lib.* 2. 17
Decius *consil.* 535. quare † aborsus vt pœna mortis puniatur debet esse dolosus, sicut & homicidium, quod notarunt Menochius *de arbitrar. casu* 357. Gomez *de delictis cap.* 3. *num.* 10. *versic. quartus casus*, vnde nisi pecunia fiat partus abigatio iure ciuili pæna arbitraria, est punienda fœmina illum faciens. Qui vero dat poculum, vt mulier prægnans non fiat non est pæna homicidij aut aliam Ecclesiasticam censuram incurrit ex Bulla Sixti V. *data sub die* 16. *Nouembr.* 1588. quæ etiam fœtum non animatum comprehendit 18
dicens quod qui abortum fœtus siue animati siue inanimati fecerit tradatur curiæ sæculari, quam constitutionem moderatus est Gregor. XIII. quantum ad excommunicationis reseruationem, à qua potest absoluere quilibet confessor approbatus ab ordinario, tum quantum ad pœnas positas contra procurantes abortum fœtus inanimati, aut exhibentes mulieribus, aut sumentes venena sterilitatis, consulentes, aut auxiliantes, quare quantum ad hæc Greg. XIII. Bullam Sixti Quinti reduxit ad terminos iuris communis, *cap. quod vero cap. quod Moysis* 32. *quæst.* 2. *cap. sicut ex litterarum cap. si quis de homicidio.*

Cæterum si dubium sit an fœtus fuerit animatus 19

matus, præsumitur semper animatus nisi probetur contrarium, vt notant Anan. & Card. *cap. sicut de homic.* Sed hoc vt bene notat Anton. Gomez *vbi supra num.* 33. intelligitur quoad irregularitatem, & alias pœnas iuris canonici, non vero quantum ad pœnam temporalem mortis, relegationis, aut triremium, notat etiam idem Gomez *num.* 32. quod committens abortum etiamsi fœtum monstruosum occideret, vt puta si haberet vnum brachium vel plura brachia, vnum, vel plures pedes, vnum, vel plures oculos, essente duo fœmelli iuncti, debet puniri pœna mortis si esset animatus fœtus, secus vero si non esset in forma humana quia haberet caput animalis bruti vel simile. Ita Baldus, Angelus, & multi alij *leg. quod dicitur D. de liber. & post.*

SECTIO III.

De Sodomia crimine.

SVMMARIVM.

1. *Quid de crimine Sodomiæ veniat dicendum.*
2. *Quid veniat notandum, & num.* 3. *&* 4. *& n.* 14.
5. *Multorum Iurisperitorum opiniones propalantur, necnon Ciceronis, & numero* 6. *& n.* 7.
8. *Pœna proportionatur culpæ.*
9. *Nullum peccato per peccato Sodomiæ ex Chrysostomo.*
10. *In delictis atrocioribus conatus ad illa proximus, & ad illa sollicitatio punitur pœna ordinaria, & n.* 11.
12. *Authoris iudicium propalatur, & numero* 15.
13. *De sodomitis Rupertus quid sentiat.*
16. *Exemplum affertur.*
17. *An sit consideranda grauitas ciuilis, politica, & popularis peccati Sodomiæ, & numero* 18.

DE hoc abominando, & super omnia detestando crimine plura dixi in meis Moralib. *tom.* 1. *tract.* 1. *à Resol.* 26. *vsque ad* 30. *& à Resol.* 31. *vsque ad* 49. late disserui de pœnis impositis Ecclesiasticis tam sæcularibus quam regularibus illud exercentes à Sanctissimo Papa Pio V. duabus constitutionibus summo zelo editis prima initio sui Pontificatus, & incipit *cum primum edita sub* 1
die ....mens....ann..... vbi sic habetur † *si quis crimen nefandum contra naturam propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ perpetrauerit curiæ sæculari puniendus tradatur, etsi clericus fuerit omnibus ordinibus degradatus simili pœna subiiciatur.* Secunda Piana cõstit. Quæ incipit. *Horrendum scelus edita ann* 1568.
die 3. *Septembr.* ita habet, *vt tam dirum nefas exercentes omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis canonis authoritate priuamus*, & addit postea, *quod degradatus potestati sæculari tradatur.*

Circa quas constitutiones mutta scitu digna in Resolutionibus prædictis ad notabam quæ ibi videri possunt, & aliqua hic præibabo. Primum, † quod quamuis iure ciuili pœna vel ignis vel de capitationis iuxta veriorum regnorum consuetudines semel sodomatizãs puniatur nec repetitio actus exigatur, at iure canonico exigitur, vt pœnæ ab ipso impositæ infligãtur, requiritur exercitium huius criminis, quod, vt notabam contra Mirand. *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 50. 3
art. 2. *concl.* 3. *&* 4. ex Marchin. & aliis *n.* 348. *&* 349. denotat quod quis ex vsu quodam hoc delictum frequẽtet quare si ter vel quater perpetret in tempore dilatato, pœnas Pianas non incurrit. Nec potest ad triremes remitti, sed ad summum recludi in carcere, vel monasterio strictissimo, vbi rasa corona, & habita monasticos communi expoliato, non vero eiiciendo illum à Religione, pœnitentiam agat. *cap. clerici de excessibus Prælatorum.* Vnde S. Fructuosus Brachar. *cap.* 16. *Regul.* Monacho adolescentum, amore lasciuo consectatori in dixit sequentem pœnam. *Publice verberetur, coronam capitis quam gestabat, amittat, decaluatusque turpiter opprobrio pateat, omniúmque sputamentis oblitus non facie probra æque suspiciat.* Hæc ibi fructuosa si exequerentur in Communitatibus Regularibus & forsan magis quam si alia pœna corporalis infligeretur.

Quare Regularis ille qui iuuenum etiam 4
regularium consectator est, & insectator eos sollicitãs ad infandum crimen, & quod in hac insectatione exercetur pluries, cum nihil sit communitati Religiosorum magis noxium nihil magis turpe etiamsi ad opus ipsum non deuenerit pœna triremium puniendus est, existimo enim ad vitandũ hoc contagium perniciosissimum, quod hic affectus aut externo intentatus ita vt per conantem non stet, quin exequeretur pœna sit puniendus, etsi non ordinaria, tamen extraordinaria valde proxima ordinariæ, ne si impunitus, vt par est hic intẽtatus affectus serpat contagium, & ansam præbeat similia patrandi, cum hic conatus exercitus qui exequeretur quantum est ex parte conantis similis sit sodomiæ executæ eandem habens malitiam, & exterior actus valde pernitiosus, sitque grauissimum delictum pœna illi paulo minus ordinaria est commensuranda à iudice quod pluribus exemplis valde vtilibus ad rem præsentem confirmo.

Et

Et quidem in atrocioribus delictis quale est sodomia conatum, & affectum externo actu exequi intentatum, ita vt per ipsum conantem non stet quin exequatur puniri
5 debere res est indubitata † apud Iurisperitos ita Baldus, Romanus, Cynus, Glossa *leg.* 1. §. *hæc verba D. quod quisque iur. & leg. si quis non dicam rapere C. de Episcopis, & cleric.* Etenim leges humanæ non secus censuerunt eum qui atrox delictum, durúmque facinus moliri ausus fuit, quippe ad tam exitiale scelus animum induxit pænis affici oportere, ac si illud opere consummasset, quod in leuioris noxæ criminibus, vbi non est tanta sceleris magnitudo locũ non tenet sicut in atrocibus, de quibus elegantissime Cicero *in ora-*
6 *tione pro Milone* sic loquitur. † *Nisi quia res perfecta non est, ideo punienda non fuit quasi exitus rerum non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit re nõ perfecta, sed tamen puniendum certe nihilominus.* Hactenus Orator Magnus satis vere. Igitur Iudex Regularis, vt huiusmodi iuuenum prosecutores ad triremes damnet, & releget ad remigandum (quia rem mali exempli peragũt, *argumento leg. si quis* 33. *D. ad leg. Cornel. de sicariis*) non debet spectare, aut expectare, quod proximus actus ad sodomiam exequẽdam exerceatur, sat est si solicitet, & in hac solicitatione se exerceat, solicitat enim ad rem, & delictum quod de facto, etsi non de iure est suspectum de fide. Vnde de ip-
7 so cognoscit Sacrum inquisitionis officium estque in castella mixti fori, & in lusitania solius inquisitionis priuatiue ad iudices Ecclesiasticos solicitat ad peccatum, quod in communitatibus Religiosorum, in quibus reclusio in domo obseruatur, & iuuenibus, exitus à domo rigide prohibetur nihil damnosius, & nericulosius esse queit, serpit enim vt cancer, hoc enim crimen est de illorum classe de quibus alicubi sapienter dicit Couarru. *Consideranda est eorum grauitas, & damnositas bono communi, vt sufficiat conatus deductus ad actum externum criminosum, vt pœna illi, vel ordinaria, vel valde illi proxima imponatur.*

Quæ doctrina, quia valdè vtilis est, vt mali saltem formidine pœnæ retrahantur à perpetratione, tam abominabilis delicti pluribus aliis est confirmanda, tum rationibus, tum exemplis, vt praxis obseruanda à Regularibus deducatur. Primò prælibandum, quod atrocitas criminis & delicti, tam ex parte obiecti dissonantis rationi, quam ex parte damni, quod bono communi & ciuilitati, tam Politicæ, quam Regulari, desumitur à posteriori ex pœna taxata à legibus, & est in vsu, vt à iudicibus exequatur, vt practicetur, vel à Deo est inflicta in hac vita, vt constat ex sacra scriptura, & quo grauior est pœna, siue naturalis, siue ciuilis, aut modus, aut qualitas ipsius eo atrocius dicitur delictum, & crimen. Ratio est quia † pœna proportionatur culpæ, & crimini, 8
ergo quo atrocior pœna siue in re siue in modo eo atrocius iudicatur à legislatore delictum. Hinc est quod Rex Catholicus legislator suæ Monarchiæ supremus iuridice interrogatus quæ, essent atrocia delicta catalogum ipsorum remittens, & tanquam legislator respondens, in eo ponit *sodomiam*, cui cum debeatur pœna ignis atrocissimum est delictum, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, & igni tradidit Pentapolim, Sodomam, & Gomorrham atque finitimas ciuitates, & infructiferas earum terras ignis reddit in pœnam delicti abominabilis, vnde Chrysostom. *hom.* 4. *in epist. ad Roman.* grauissime pronuntiauit sententiam decernens † *quodcunque porro delictum nominaueris* 9
nullum huic peccato par dixeris, & August. *lib. de adulter coniug. cap. relatus, cap. adulterij* 32. *quæst.* 8. *ait, adulterij malum vincit fornicationem, vincitur tamen ab incestu, peius enim est cum matre quam cum aliena vxore concubere, sed horum omnium est peßimum quod contra naturam fit.* Patrum alia testimonia docte congessit Farinacius *de delictis carn. quæst.* 148. *à num.* 5. Propter quæ audeo dicere quod inter peccata quæ ciuilitati alicuius communitatis, & bono ipsius opponuntur nullum perniciosius aut atrocius committitur, quare qui in illo aut operis consummatione, aut ad illum proxima solicitatione exercentur penitus sint auferendi de medio communitatis, ne illam contagio suo euertant, & talem conatum, & proximam solicitationem puniendam, pœna valde proxima ordinariæ taxatæ pro ipso opere.

Ex quo tale formo argumentum † in de- 10
lictis atrocioribus conatus ad illa proximus, & ad illa solicitatio punitur pœna ordinaria, aut illi proxima si per conantem, & solicitantem proxime nõ stetit sceleris executio, ita tenent Couarru. *clement. si furiosus p.* 2. *num.* 7. *ex leg. quisquis. C. ad leg. Iuliam.* Baldus *l. non ideo minus num.* 16. *C. de accusat.* Glossa *l.* 1. §. *hæc autem verba, verb. putamus. D. quod quis iur.* & hanc esse communem sententiam testantur, Felinus *cap.* 1. *num.* 1. *de officio delegat.* Boër. *de seditios. septimo præsupposito* 11
num. 42. Igneus *leg.* 1. §. *occisorum num.* 41. *D. ad Sylleiam*, & alij quos refert, & sequitur Clarus Alexand. *lib.* 5. §. *final. quæst.* 92. *versic. scias tamen*, & *in versic. scias etiam* sic fatur. *In omnem casum dispositio leg. si quis non dicam rapere de Episcop. & cleric. & similium* (vt est *lex* 1. *tit.* 21. *lib.* 3. *recopil. vbi de peccato nefando id statuunt Reges Catholici ann.* 1497.) *quæ expresse puniunt solum conatum etiam non sequuto effectu, vt procedant quum deuentum est ad actum proximum maleficio, & est communis opinio, vt dicit Grammat. consil.* 36. *num.* 19. Quis autem, & quis dicatur proximos facere conatus, dicaturque deuenisse ad actũ proximum vt in his delictis pœna puniatur ordinaria, vel illi proxima, late Menochius de arbitrar. centuria 4. casu 360. in secundo principali.

12 Ego autem dico quod † in præsenti dubio ille Religiosus deuenit ad actũ proximũ huius delicti abominabilis, non ille qui verbis dumtaxat solicitat, etiamsi in hoc aliquoties exerceatur, sed qui verbis facta adhibuit, vt oscula, tactus impudicos, pollutiones, & similia, isti enim sunt masculorum concubitores, quos eiici ab Ecclesia vult Paulus..... sunt enim vitæ Religiosæ euersores, & inimici boni communis, male sentiunt de vitæ monasticæ perfectione de pœnis inferni, & diuina prouidentia, quam specialem habet erga puritatem religiosam legendi sunt Chrysostom. *hom.* 4. *super cap.* 1.
13 *ad Rom.* & D. Thom. *lect.* 7. *&* 8. Sed † Rupertus ibi ad rem satis bene loquitur agens de Sodomitis expostulantibus à Sancto Loth hospites iuuenes ad abusum contra naturã *vallauerunt* (inquit) *domum à puero vsque ad senem omnis populus simul, & dixerunt, educ viros huc, vt cognoscamus eos. Magna iniquitas, sed non caperunt in eam manus, idest, non vsque ad effectum operum progressum est scelus. Iniquitas autem populi ciuitatis meæ quo vsque progressa est cœperunt, &c.* Quare ferum hoc hominum genus conantium in huiusmodi iniquitatem maximam de medio communitatum Deo emãcipaturum prorsus eiiciẽdum, & extirpandum censeo, & pœna proxima ordinariæ puniendum, vt sensili, & infami labore luant pœnam pro delicto, quod esse aliorum pœnam in hac vita, & quidem grauissimam, docet D. Thom. *vbi supra.*

14 Si enim † qui venenum dat etiam non sequuta morte sumentis, qui proditionem solicitat, aut Regis traditionem conatur, qui virginem honestam, aut monialem professam conatur rapere, etiamsi de facto non rapiat eam corrumpendo, aut stuprando pœnam ordinariam meretur, vt tradunt Couarru. Clarus Alexand. & multi alij quos isti citant, quia conatus ad huiusmodi crimina valde euertunt ciuilitatem, & bonum commune politicum propter periculum damni, quod toti Reipubl. imminet, sed quantum damnum non solum immineat, sed etiam sequatur in communitatibus Religiosis per conatus res ipsa declarat, & quilibet considerare potest, nam ita perniciosa est iniquitas ita damnifica communitati ciuili ne dum Religiosa, vt eiusdem obiectum ita pestiferum, vt idem fere contagium influat in conatus proximos, quos vidimus sicut in opus ipsum consummatum, hoc enim sapienter, Catholice, & pie considerarunt Reges Catholici, Ferdinandus, & Elisabeth, *leg.* 1. *cit.*

Igitur † quantum ad præsens in hoc co- 15
natu ad actus istos proximos in tam atroci delicto, vt illi detur pœna vel ordinaria, aut proxima consideranda est grauitas, & atrocitas Theologica, & hæc eiusdem rationis est ac in actu consummato quantum ad formalem malitiam, & offensam Dei, vt est certum inter Theologos, quantum vero ad malitiam extrinsecam, quam addit actus exterior interiori paulo minor est in his conatibus, ad actus proximos in quibus non stat per conantem, quod opus infame consummetur, siquidem actus isti proximi inducãt, quod operans totum conatum voluntatis, & intentionem applicat, vt opus ipsum consummetur, sicut (vt aiebat Rupertus) fecerunt Sodomitæ in domo S. Loth. quare ex hac parte cum totum, quod in se est fecerit conans, vt opus exequeretur actibus externis, eadem pœna est puniendus, ac opus consummans, sicut de illo qui propinauit venenum, aduertit sapienter Couarr. *vbi sup. num.* 1. *versic. verum*, quamuis medicamentis, vel alia via impedita sit mors, vt habet *leg.* 3. *D. ad leg. Corn. de sicar. etiam l. Hispan.* 8. *tit.* 8. *p.* 7. *& leg.* 50. *tit. vltim. lib.* 8. *ordinament.* de illo qui mittit sagittam aut soluit sclopetum, vt occidat, etiamsi mors non sequatur.

Quare † de facto *anno* 1619. Neapoli in 16
quodam conuentu Religiosus laicus qui officium coqui exercebat, & venenum in cœna parata communitati iniecit, vt quendam sibi inimicum occideret, hac non sequuta pœna mortis fuit damnatus, sed Summus Pontifex Paulus V. eam temperauit ad mortem ciuilem triremium ad decennium in qua vitam finiuit præfatus venenator. Rursus † consideranda est grauitas ciuilis, poli- 17
tica, & popularis Quælibet Communitas, quilibet populus Catholicus, aut politico-religiosa Respublica atrocissimũ reputat, quod quis iuuenum appetitor, insectator, solicitator, conans in actum tam fœdum, vt vel dæmones horreant, & quem Deus ita seuere puniuit in hac vita igne sulfureo, & in alia æterno supplicio, ex hac ergo atrocitate ciuili (quæ maior est quam si quis cum matre sua rem haberet, & ita magna est iniquitas vt de illa dicat Apostol. (*quod tale non est nudiendum inter gentes*, bene etiam infertur, quod talis conatus actibus præfatis dignus est pœna ordinaria, vel proxima.

Si enim huiusmodi conatus pœna grauis- 18
sima, & exemplari non puniuntur, facillime conatores huiusmodi vltra progrediuntur,

tur, nunquam enim huiusmodi abominabilis appetitus satiatur, nisi pœna graui cohibeatur, suo enim pondere, nisi emendetur, & corrigatur, in aliud trahat, & vsque ad bestialitatem procedit rarissimum vitiũ & pessimum de quo accusauit Ioseph fratres suos, vt ait D. Thom. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 12. *ad* 4. vnde sodomiticus conatus ad externum factus repetitus, & frequentatus habitum generat insolentem, qui euerti nequit nisi formidine pœnæ grauissimæ eiusque passione, & dolore, sine qua vix emundãtur in Religione huiusmodi concubitores, & conatores, quare existimo, quod tanquam pestiferum hominum genus si in huiusmodi conatibus exerceantur debent ad triremes damnari, sed si opus ipsum non sit executum produci non debet pæna vsque ad decennium; sed breuior ac mitior, sed in triremibus debet esse, quare quantum ad tempus limitari debet dumtaxat, non quantum ad pænæ qualitatem.

SECTIO IV.

De monasterio falso, vbi aliqua de monetæ vsu, & institutione, adducitur in fine opusculum de hac materia Nicolaij Oresmij.

SVMMARIVM.

1. *Circa monetæ alterationem plura delicta committuntur.*
2. *A Summo Pontifice alterationis monetæ crimen impunitum non remanere est determinatum, & n.* 3.
4. *Ad quid inuenta, & instituta sit moneta.*
5. *Portiones monetæ debent fieri de certa materia, & determinati ponderis.*
6. *An in monetis non sit duplex bonitas.*
7. *Pecunia, & numisma est ex hominum placito inuentum, & n.* 8.
9. *An pecunia sit quædam mensura mensurans propter quod denarius diutius in suo valore manet.*

1 SVb hoc titulo † plura delicta circa monetæ alterationem committuntur, quæ enumerat Vrbanus VIII. in Bulla edita *anno* 1627. *sub die* 15. *Nouembr.* ibi. *Qui aureas, vel argenteas monetas, tondere fabricare, colare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut expendere præsumpserit præuia degradatione tradere debere puniendum curiæ sæculari pecunias vero, vt sic alteratas scienter detinentibus siue de loco ad locum transferentibus, materiam, instrumenta, siue opem ad præmissa præstantibus, pœnam triremium per decennium imponendam esse, &c.* Quibus comprehendit fere omnia crimina, quæ circa monetæ alterationem occurrere possunt, notant vero Diana *p.* 2. *tract.* 17. *Resol.* 30. Lezana *in summ. verb. monetarij num.* 3. & ex ipsis Pellizarius *tom.* 2. *manual. tract.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 15. *num.* 194. Quod hæc bulla quantum ad pænas non obligat nisi in Italia, non vero extra, imo neque in insulis adiacentibus Sicilia, Corsica Sardinia. In Italia vero in ciuitatibus Romano Pontifici in temporalibus subditis horum criminum cognitio pertinet ad legatos à latere, & prolegatos eas gubernantes, in ciuitatibus vero aliis Principibus subditis ad locorum ordinarios priuatiue ad omnes alios (si rei sint Religiosi) etiam Superiores Regulares.

Bene quidem, & prudenter politice sic determinatum est † à Summo Ecclesiæ Pa- 2
store, vt crimen ita perniciosum, & commercij humani euersiuum præcludatur, & impunitum, vt par est, non remaneat, conformat enim se sua lege Ecclesiastica (Regulares comprehendens, vtpote illorum supremus, & independens Superior) legibus ciuilibus Imperij, Regnorum, & Republicarum absolutarum à nullo alio dependentium imo, & iuri gentium, iuxta quod nulli nisi Principi absoluto, & independenti licet monetam cudere, etiam in puro auro, argento, aut quolibet alio metallo, cuius rationem egregie ex Arist. *lib.* 5. *Ethic. cap.* 5. *& lib.* 1. *Politico. cap.* 6. Nicolaus Oresmius Episcopus Lexiouiẽsis qui clarnit *ann.* 1378. Caroli V. Francorum Regis communiter dicti Sapientis, † prudentissimus Magister 3
Pedadogus *in libro illo prudentissimo de mutatione monetarum* qui habetur *tom.* 10. *Parisiens.* & 14. *Agrippinæ Biblioth. veterũ Patrum cap.* 5. *antiquitus fuit ordinatum propter deceptionem cauendam, quod non licet cuilibet facere monetam, aut homini figuram aut imaginem imprimere in suo proprio argento vel auro, sed quod moneta vel caracteris impressio fieret per personam publicam, seu per plures à communitate ad hoc deputatas, quia † moneta de natura* 4
sua instituta est, & inuenta pro bono communitatis, & quoniam Princeps est persona magis publica, & maioris authoritatis conueniens est quod ipse pro communitate faciat fabricare monetam & eam congrua impressione signare debet etiam prohiberi, ne aliquis aut extraneus Princeps fabricaret monetam similem in figura, & minoris valoris nec aliquis potest de hoc habere priuilegium quia falsitas est, & causa iuste bellandi contra talem extraneum.

Cæterum hoc quod sibi Principes reseruarunt priuatiue ad omnes alios sui Principatus, Imperialis, Regalis, & absoluti non est mere ad libitum, vt in quacunque re, aut metallo possint monetam fabricare, & eam congruo sigillo, aut imagine superscribere, sed materia monetæ debet habere intrinsecum

cum valorem, cui proportionetur valor monetarius, si enim in materia deficit primus valor fallaciter imprimitur in numismate imago Regia & superscriptio. *Per capientes enim* (ait Oresmius *cap.* 4.) *illius temporis pru-*
5 *denter prouisum est, quod † portiones monetæ fierent de certa materia, & determinati ponderis, & quod in eis imprimeretur figura, quæ cunctis notior significaret qualitatem materiæ numismatis, & ponderis veritatem, vt amota suspicione possit valor monetæ sine labore cognosci. Quod autem impressio talis instituta sit, nuntius & signum veritatis materiæ, & ponderis nobis ostendunt nomina monetarum cognoscibilium, & impressionibus & figuris, quod optimè docuistis, lib.* 1. *Polit. cap.* 6.

Igitur, vt benè Couarru. *tract. de veteribus numismatibus cap.* 7. *num.* 6. contra Carolum Molinæum *de contractibus q.* 93. asse-
6 rentem † in monetis non esse duplicem bonitatem vnam intrinsecam, extrinsecam aliam, putat enim, quod bonitas intrinseca pecuniæ est publica illa æstimatio, aut valor imposititius, quẽ à Principe supremo applicitum habet pro communi vtilitate. Etenim numisma & pecunia adinuenta est, ex hominum beneplacito tanquam instrumẽtum mercaturæ ad permutandas diuitias naturales. Vnde in vsum publicum moneta est adinuenta, non secus ac scriptura, vt homine in commercio se communicarent, quare moneta & pecunia nullum alium habet valorem intrinsecum, nisi quem Princeps illi imponit, quod expressit Arist. *cap.* 6. *cit.* his verbis asserens. *Nummum lege consistere, ac suam vim retinere non natura. Siquidem ipse Princeps, ipsa Respublica, denique ipsa lex nummum constituit, ac ita numisma dicitur* .....idest lege, *à qua pretium, & valorem certum accipit, cuiusque libera potestas nummos semel percussos inutiles efficere, & reddere.* hactenus ille, qui sententiam Molineam clarè videtur docere.

Sed fallitur suo iudicio Carolus, nec materiam pecuniariam & numismatum est cõ-
7 prehensus, pecunia enim † & numisma est hominum ex placito inuentum, vt sit mensura in permutationibus necessariis ad vitam, & communicationem, in commerciis cunctarum gentium interesse, loco indigentiæ, quæ secundum rei veritatem mensura est talis commercij & communicationis, quod egregiè enucleat D. Thom. *lib.* 5. *Eth. lect.* 9. ex Arist. ibi sic fans. *Assignat rationem prædictæ commensurationis, quæ fit per numisma & dicit, quod ideo possunt omnia adæquari, quia omnia possunt commensurari per aliquid vnum, vt dictum est, hoc autem vnum, quod omnia mensurat secundum rei veritatem est indigentia,*
8 *quæ continet omnia commutabilia in quantum omnia referuntur ad humanam indigentiam, nõ enim appretiãtur secũdum dignitatẽ naturæ ipsorum alioquin vnus Mus, quod est animal sensibile maioris pretij esset, quam vna margarita, quæ est res inanimata, sed rebus pretia imponũtur secundũ, quod homines indigent eis ad suum vsum, & huius signũ est, quod si homines nõ nullo indigerent nulla esset commutatio, vel si non similiter indigerent, idest non his rebus non esset eadem commutatio, quia non darent, id quod habent pro quo nõ indigerent, & quod secundũ rei veritatẽ indigentia omnia mensuret, manifestũ est per hoc, quod numisma secundũ compositionẽ idest secundum conuentionẽ quandã inter homines propter cõmutationẽ necessarias idest rerũ necessariarũ, est enim conditũ inter homines, quod afferenti denarium, id quod indiget, & inde est, quod denarius vocatur numisma, nomos enim lex est, quia scilicet denarius non est mensura per naturam, sed nomo, idest à lege, est enim in potestate nostra transmutare denarios & reddere eos inutiles.*

Et Litt. H. & I. *dicit ergo Arist. primo, quod*
9 *† pecunia est quædã mensura mensuras propter, quod denarius diutius manet in suo valore, oportet omnia appretiari denarijs, per hunc enim modũ poterit esse cõmutatio rerũ & per consequens cõmunicatio inter homines. Numisma quidẽ adæquat res cõmutabiles sicut quædã mensura faciẽs res cõmensuratas. Manifestat autẽ hæc, quæ dicta sũt per hoc, quod commutatio esse nõ potest, si non sit commutatio, quæ non erat si non constituatur æqualitas in rebus, quæ non erit si non sit commensuratio, & dicit quod res tantum differentes impossibile est commensurari secundũ*
10 *veritatem, idest, secundum proprietatem ipsarum rerum, sed per comparationem ad indigentiam hominum sufficienter possunt contineri sub vna mensura. Vnde oportet esse vnũ aliquid quo huiusmodi omnia mensuretur, quod quidem non mensurat ex sui natura, sed quia positum est inter homines. Vnde & vocatur numisma, quod quidem omnia facit commensurata in quantum omnia commensuruntur numismate.* Hæc D. Thom. enucleans veritatem politicam ab Ar. lumine naturali cognitam, quam latissimè prosequitur magistraliter *lib.* 2. *de Regim. Principum cap.* 7.

SVBDIGGRES. I.

Vtrum in numismate debeat esse valor intrinsecus?

SVMMARIVM.

1. *Pecunia & numisma non habet alium valorem nisi illum quem Rex, aut Respub. illi tribuit.*
2. *A quibus dimanet vis ponderis & stratera.*
3. *Aristidis sensus adducitur, & n.* 4.

5. *An si attendatur in pecunia, & numismate ratio mensuræ, non solum respectu ciuium alicuius Regni, Prouinciæ, &c. sed respectu aliarum nationum insit numismate valor intrinsecus.*
6. *Omnia possunt mensurari per aliquod vnum ex S. Thom.*
7. *Valor rei intrinsecus, an non sit perfectio intrinseca ipsius.*
8. *Negotiatio continet commercium gentium inter sese.*
9. *An nullus sit valor intrinsecus cui correspondeat pretium, nisi in ordine ad indigentiam rerum.*

EX qua doctrina verissima deducuntur aliqua corollaria valde vtilia ad extricandas Principum conscientiãs, quæ ex suorum consiliis valde aliquando turbantur, quia rem nõ diggerunt à principiis suis, quæ etiam minus attendentes Theologi consultores, aut nimis sunt scrupulosi, aut nimis laxi. Primum corollarium sit iudicium de opinione Molinæi. Si enim loquamur de numismate, & pecunia quatenus est instrumentum in commutationibus & mensura, quæ adæquat & commensurat res commutabiles, quibus homines indigent ad vitam siue indigentia necessaria, honesta, vtili, aut delectabili (neque enim solum commutamus res quibus necessariò indigemus, vt cibo, potu, & similibus, sed etiam quibus indigemus aliquid vtile, aut delectabile) homines inquam eiusdem Reip. communita-
1 tis, aut Regni, certum est, quod † pecunia, & numisma non habet alium valorem, quam illum, quem Rex, Reipublica, aut communitas illi tribuit, & per accidens se habet materia numismatis, quæcunque vlla sit, vilis, aut pretiosæ in hominum æstimatione, & gentium pretio, ita iudicata, habet enim se hoc modo pecunia, sicut rerum pondera, stateræ, & vlna, quæ talia sunt, qualia à communitate, & Principe taxantur, & illis omnino accidentale est, quod fiant ex materia pretiosa, aut vili, quod pili, vel pluris iure
2 gentium æstimetur: quia † res ponderis & stateræ non dimanat à pretiositate materiæ, sed ab authoritate publica, vt res in commutationibus commensurentur, quare sola publica authoritas pondus, & statera facit, ita est numisma, quod inuentum est, vt mensura commutationem inter commutantes seruetur æqualitas passi, & contra passi inter eiusdem communitatis sub eodem regimine, huic autem publicæ mensuræ accidit metallis pretiositas, aut vtilitas & solum exigit publicam designationem, qua ablata, & numisma perit, & ratio mensuræ desinit esse, non enim est per naturam mensura, sed à lege, & sic est in potestate nostra transmutare denarios reddere inutiles, *l. eleganter, §. qui reprobos. ff. de pignor. act. l. Iulian. §. si quis. ff. de exhibend.*

Quod eleganter † Aristides Orat. 2. Platonica his verbis expressit. *Et quamuis non in auro nec in argento merces, sed in alia rè cernatur, non tamen alia est ratio. Etenim Rerum p. formas credo sequuntur stipendia, nam neque Byzantini cum ferreo vtantur numismate Græcos merito videre possunt, aut stipendium se non accipere, putare, quod nec aurum neque argentum suscipiant, nec Carthaginenses qui coriaceo, nisi etiam qui argentum acceperint, quod aurum non habebant, stipendium se negabunt accepisse, sed hæc nemo concesserit, opinor. Nam nec omnes eadem sumunt alimenta, cum tamen omnibus sit iis opus, similiter & hîc non quæ sit merces, sed an mercedem dixeris, quæritur alioqui, & Eunium dicemus gratis misisse Græcis vinum quod ei non pecuniam numerarint, sed alij æs, alij candentia ferra, &c.* Quibus ver- 4
bis Philosophus iste satis profunde iuxta Platonis, & Ar. politicam, quod ad rationem mercedis, & numismatis per accidens se habet materia, siue mercedis, siue numismatis, sat est si stipendia publica illis soluantur, fiantque rerum, quibus indigemus commutationes, vnde alicubi fructus terræ minutus habetur pro moneta minuta in commutationibus, alicubi massa ænea vnius vnciæ, ibidem tantum valet, ac vna vncia argenti alicubi antiquitus fuit moneta ex corio alicubi ex ferro exclusis auro, & argento in quibus communitatibus totus valor monetæ non à materia, sed à potestate publica, & à lege dimanabat adæquate.

Si vero † attendatur in pecunia, & nu- 5
misma, ratio mensuræ non solum respectu ciuium alicuius Regni, Prouinciæ, Reipublicæ aut communitatis absolutæ, & independentes, sed etiam respectu aliarum nationum, cum quibus possumus commerciari, ad eas res habendas, quibus indigemus siue necessario, vtiliter, honeste, aut delectabiliter, inest in numismate valor, qui communiter, & vere dicitur intrinsecus, & quidem intrinsecus dicitur, quia iure gentium, quæ politico reguntur inuariabilis est, nec dependet à νόμῳ, idest lege, nec est in potestate alicuius principis illum immutare, aut inutilem reddere, sicut potest valorem extrinsecùs aduenientem. Neque enim Princeps etiam Imperator potest euertere, aut derogare sua lege ea, quæ sunt de iure gentium. *Instit. lib. 1. tit. 3. §. ius autem ciuile leg. ex hoc iure D. de institut. & iure*, vbi omnes.

Vt autem valor iste rectius percipiatur 6
(ex eius enim recta cognitione plura, quæ confusè tractantur, elucescunt) repeto verba Diui Thomæ aliqua, ex his quæ supra addux

adduxi. † *omnia* (inquit) *possunt mensurari per aliquod vnum, hoc autem vnum quod omnia mensurat secundum rei veritatem est indigentia, quæ continet omnia commutabilia in quantum omnia referuntur ad humanam indigẽtiã, non enim appretiantur secundum dignitatem naturæ ipsorum, alioquin vnus mus quod est animal sensibile maioris pretij esset, quam vna margarita quæ est res inanimata, sed rebus pretia imponuntur secundum quod homines indigent eis ad suum vsum* &c. Ex quibus luguet quod
7 † valor rei intrinsecus non est perfectio intrinseca ipsius, aut natura substantialis condita ab authore naturæ in tali complemento & actualitate, quæ est absoluta perfectio à quocunque extrinseco independens, aliàs quodliber minimum animal, aut planta maioris esset valoris, quam aurum, obrizum, adamas, margarita ingens, & omnis lapis pretiosus, quod esset ridiculum dicere absonum, & temerarium, sed valor intrinsecus est res ipsa, quatenus ea omnes gentes indigent in ordine ad commercium in quo res sibi necessarias negotiatione conquirũt, legendi sunt Plin. *lib. 18. Hist. cap. 3.* Leonardus deportis *lib. de sextario.* Fetrus Greg. *l. 36. sintagmat. cap. 2. n. 6.*

8 Negotiatio † continet commercium gentium inter se se de iure gentium est vt gens quæ in vno abundat id deferat ad aliam indigentem, & sic dicitur commensuratio inter res quæ commutantur inter diuersas gẽtes, cumque inter illas non sit commune signatum numisma, & denarius, quia sub diuerso Principe, & politia viuunt. Ius gentium ipsum introduxit valorẽ aliquibus metallis, vt ipsorum pondus publicum mensura sit in commerciis, & commutationibus, hic autem valor apud gentes politice viuentes iure ipsarum gentium introductus, & à quolibet particulari Principe penitus immutabilis, quamuis magis aut minus possit minui, aut augeri propter abundãtiam vel inopiam, hic inquam valor intrinsecus dicitur sumiturque in ordine ad indigentiam generis humani, quam incurrit post peccatum, & in illius pœnam, etenim in statu naturæ integræ, & innocentiæ cum nulla esset indigentia, nulla commutatio, nullum numisma ibi reperiretur, sed quilibet absque auro, & argento vllaue commutatione haberet vinum, & lac, & omnia sibi necessaria ad vitam, quod secus esset in statu puræ naturæ, in qua necessaria erat commutatio, & commutationum mensura quæ est numisma, sicut & ibi esset appetituum pugna.

9 Igitur † nullus est intrinsecus valor cui correspondeat pretium nisi in ordine ad ingentiam rerum, quæ est mensura secundum rei veritatem commutationum, quare quantum crescit indigentia tanto augetur, & valor, & pretium, cumque iure gentium argentum, & aurum sint in pretio, & æstimatione omnes gentes illo indigent, vt in pondere publico (quod denotat signum regium) vel etiam non sit sigillatum imagine Principis, aut superscriptione, mensura est commutationum ratione valoris intrinsici qui desumitur, vt dixi in ordine ad indigentiam rerum, quam homines habent in diuersis regnis & prouinciis.

SVBDIGGRES. II.

Qua ratione lucrum quod Princeps habet ex monetæ alteratione sit turpe, aut honestum.

SVMMARIVM.

1. *An lucrum, & emolumentum quod Princeps acquirit ex monetæ mutatione sit iniustum, & n. 2.*
3. *Quæ mutationes monetarum tam malæ sint quod de natura sua non sunt aliquatenus permittendæ.*
4. *Ratio difficultatis enodatur, & numero 7. & 8.*
5. *Monetæ falsæ factæ ab aliquo particulari non impunè expenduntur, sed statim ac innotescunt præcluduntur, & comprehensus fabricator variè punitur, & n. 6.*
9. *Superscriptio monetæ, & figura impressa authoritate principis est nuntius, & signum veritatis materiæ, & ponderis, & n. 10. & 11.*
12. *Oresmij sententia propalatur, & numero 16.*
13. *Regis est & absoluti principis altum dominium dum mutat monetam.*
14. *An princeps, siue Rex, siue imperator nequeat immutare proportionem, & habitudinem quam habet metallum monetæ pretiosius, ad aliud minus preciosum, & n. 15.*

COrollarium secundum ex doctrina tradita in corollario anteriori colligitur ratio eorum, quæ dicit Nicolaus Oresmius, fere in toto opusculo, & maxime *cap. 15. 16. & 17. & 18.* vbi dicit quod † lucrum, & 1
emolumentum, quod Princeps acquirit ex monetæ mutatione est iniustum, *quia omnis mutatio monetæ propter quam in rarissimis accipit simpliciter inuoluntarie pecuniam subditorum, quod prohibet cursum prioris monetæ melioris, forte & quam quilibet plus vellet habere, quam aliam, deinde præter necessitatem absque vtilitate, quæ ex hoc posset venire subditis, ipse reddit eis pecuniam minus bonam, & si faciat melibrem, quam antea, hoc tamen est, vt deterioretur in posterum, & tribuat eis minus æquiualenter, de bona, quam receperat de alia, & qualitercunque sit ipse re-*

tinet perfectè partem pro se, in hoc igitur quod ipse supra pecuniam recipit incrementum contra, & præter naturalem ipsius vsum, ipsa acquisitio par est vsuræ, & peior quam vsura, eo quod minus voluntaria, vel magis contra voluntatem subditorum, & absque hoc quod possit eis proficere, & præter necessitatem penitus, & quoniam lucrum fœnerationis non tantum excedit nec ita præiudicabile generaliter multis, sicut istud quod contra, & supra totam communitatem impositum non minus tyrannice, quam dolosè, ita vt sit mihi dubium an potius debeat dici violenta prædatio vel exactio fraudulenta.

2 Ex quibus colligit *cap. 16. Quod*, † *etsi aliquotiens eueniat, vt pro scandalo vitando permittantur in communitate aliqua inhonesta, & mala sicut lupanaria publica, aliquando etiam pro aliqua necessitate, vel opportunitate permittitur aliqua negociatio vilis sicut est ars campsoris, vel etiam praua sicut est vsura, sed de tali mutatione monetæ pro lucro accipiendo non apparet aliqua causa mundi, quare tantum lucrum debeat, aut possit admitti quoniam per istud non vitatur scandalum, sed potius generatur, & multa inconuenientia inde sequuntur. Nec est aliqua necessitas siue opportunitas hoc faciendi, nec potest Reipublicæ expedire, cuius rei manifestum signum est, quod mutationes huiusmodi sunt nouiter adinuentæ. Neque enim sic factum est in Ciuitatibus, aut Regnis olim prospere gubernatis, neque vnquam reperi historiam quæ de hoc faceret mentionem hoc excepto, quod in quadam Epistola Cassiodori scripta nomine Theodorici Regis Italiæ, vna parua mutatio in pondere facta durissime reprehenditur, & multum efficaciter reprobatur, quam quidem efficacius fecerat pro quibusdam stipendiis persoluendis, vnde prædictus Rex Boëtio de hoc scribens inter cætera dicit. Quapropter prudẽtia vestra lectionibus erudita, dogmatis scelestam falsitatem à consortio veritatis eiiciat, ne cui sit appetibile de illa integritate subducere, & quibusdam interpositis, rursus* (inquit) *mutilari certe non debet quod laborantibus datur, sed à quo actus fidelis exigitur compensatio minuta præstetur, &c. Si vero Italici seu Romani tales mutationes finaliter fecerunt, sicut videtur de quadam praua moneta veteri, quæ quandoque reperitur in campis, hoc fuit forte vna de causis, quare eorum nobile dominium* (notent hoc consiliari Principum) *deuenerit ad nihilum.* Sic
3 igitur patet, quod † istæ mutationes tam malæ sunt quod de natura sua non sunt aliquatenus permittendæ, quam verissimam doctrinam à *cap. 17.* & deinceps ex manifestis absurdis, & inconuenientibus, quæ necessario inferuntur ex mutationibus quibuscunque monetarum, quarumcunque sequuntur euidenter confirmat, vt legenti syncere constabit.

Sed † duas vel tres rationes premo quæ 4
fundantur in doctrina D. Th. *vbi supra*, primò quia si Principi incumbit filios monetarios (idest eam falsificantes, decurtantes, colantes, & miscentes) condemnare, quomodo potest non satis erubescere, si reperiatur in eo quod in alio debet morte turpissima punire, quæ ratio iure, & dictamine naturæ conuincit, quia cum maiori damno Reipublic. Princeps aut minori pondere cudit monetam, aut antiquam decurtat, colare facit, aut mixturam inducit volens quod moneta in valore maneat immutata, quam si aliquis particularis hæc faceret, cuius ratio est euidens, quia † monetæ falsæ factæ 5
ab aliquo particulari non impune expenduntur, sed statim innotescunt præcluduntur, & exterminantur, & si fabricator comprehenditur varie punitur, vt infra dicam, & raro, diu perdurant falsæ monetæ, at dum Rex eas perficit impune currunt, & suo cursu regnum, & principatum deuastant, & destruunt, & tanquam singularis ferus depastat, & veluti ignis comburens montes, & syluas in cineres conuertit. Ciuitates, & commercium exterorum euertit, & conciuium œconomicam gubernationem conturbat, familias ad nihilum redigit, pauperum miseriam auget, cum omnium rerum pretia crescãt, quare dubio procul, sicut particularis homo dum has falsitates in mo-
6 netis facit peccat grauissime, & ad restitutionem eo modo quo possit tenetur. Ita & Princeps, qui iure gentium obligatur sicut quilibet alius ad non falsificandam monetã, hoc autem faciens aufert à subditis contra eorum voluntates, & ipsis inuitis, quod suũ est, subditi enim habent suarum rerum, & pecuniarum dominium nõ solum quantum ad valorem extrinsecum à lege, & Principe dimanantem, sed etiam quantum ad valorem intrinsecum, qui vt vidimus est de iure gentium, & immutabilis ab aliquo Principe particulari in pondere, & qualitate metalli, quare si pondus minuit, aut qualitatem alterat contra iustitiam ex iure gentium facit, quare Princeps, vbi non est necessitas vtendi dominio alto monetam nequit alterare.

Secunda ratio † sumitur ex Cassiodori Epistola rescripta Boetio, nomine Regis 7
Theodorici, cuius erat Secretarius. Cum enim moneta in pondere esset diminuta pro soluẽdis stipendiis, vt dicit prudentissim. vir. *Mutilari certe non debet, quod laborantibus datur, sed à quo actus fidelis exigitur compensatio minuta præstetur.* Quæ ratio profundissima est, cuius profunditatem si penetrant consiliarij Regij non ita facile declararent propter quamcunque regni necessitatem, cui aliis viis succurri potest in Monetarum altera

tarum alterationem ex qua iusta stipendia laborantibus auferuntur, ad monetarum autem mutationem cum moneta sit commutationum mensura, rerum quibus indigemus, alterantur pretia, vt sic sit commensuratio rerum, & mensuræ in qua commensuratione, & proportione consistit nationum omnium commercium, vnde cum stipendia publica taxata lege, pragmaticis, & statutis municipalibus, tam in seruitiis officiorum Reipubl. quam beneficiorum Ecsiasticorum, quam in eleemosynis taxatis pro eorumdem ministrorum congrua sustentatione, quam in arte campsoria, & similibus, hæc inquam stipendia maneant immutata, tota congrua sustentatio corruit, & rectum regimen politicum, & œconomicum aufertur, nec potest ab his ministris, & sacerdotibus actus fidelis exigi, cum compensatio minuta præstetur.

8 Tertia ratio † sumitur ex Oresmio *cap. 4.* sic aiente. *Cum primum cœpissent homines mercari siue comparare diuitias mediante moneta, non dum erat in ea aliqua impressio, vel imago, sed vna portio argenti, vel æris dabatur pro potu, vel cibo, quæ quidem portio mensurabatur ad pondus, & quoniam tædiosum erat ita crebro ad trutinam recurrere, nec bene poterat pecunia mercatoris æquiparari per pondus. Cum hoc etiam, venditor, vt in pluribus non poterat cognoscere metalli substantiam, siue modum mixtionis ideo per sapientes illius temporis prudenter prouisum est quod portiones monetæ fierent de certa materia, & determinati ponderis, & quod in eis imprimeretur figura quæ cunctis notior significaret qualitatem materiæ, nummismatis, & ponderis veritatem, vt amota suspicione posset valor monetæ, sine labore cognosci. Quod vero impressio talis sit nuntius, & signum veritatis materiæ, & ponderis nobis ostendunt antiqua nomina monetarum cognoscibilium, ex impressionibus, & figuris,* &c.

Ex quibus tale elicio fortissimum argu-
9 mentum, quia † superscriptio, & figura impressa authoritate Principis est nuntius, & signum veritatis materiæ, & ponderis, quem princeps emittit ad omnes gentes cum quibus commerciatur, & quarum diuitiis naturalibus indiget, ergo materia, & pondus immutari nequeunt à Principe sua constitutione mutante veritatem materiæ, aut immutante ponderis quantitatem, consequentia est euidens, quia tale numisma esset nuntius mendax, & signum falsum contra fidelitatem, quam tenetur seruare iure gentium, gentibus commerciantibus & distrahentibus diuitias suas naturales pro
10 artificialibus fallacibus in veritate, & pondere, quare à commercio, quod introductum est iure gentium extranei se retrahe-

rent, & subditi perirent cum non possent habere ea quibus indigent ex defectu veritatis, & ponderis monetæ, quam vix extranei vellent recipere cum pondus, & veritas materiæ iure gentium requisitæ non adsint, quare sicut si aliquis particularis monetam fabricet sine veritate materiæ, & pondere requisito falsam monetam cudet, & tanquam monetarius falsus crimẽ læsæ Maiestatis incurret, ita Princeps, qui sine requisito pondere valoris intrinseci, & veritate materiæ facit monetam illam superscribens, & imaginem suam, aut sigillum imprimit falsus monetarius est, & crimen læsi iuris gentium incurrit grauissimum, quia in hoc non procedit vtens dominio alto, sed vt particularis persona.

Quando enim † vtitur alto dominio, & 11
absoluta Principis potestate cuius potestatis vsus tunc solum est licitus, quum si non fiat in bonum commune, aut læditur, aut periclitatur, vnde *tom. 5. de vero Martyrio fidei in disputat. de torment. & quæstionibus inter Christianos Memb. 4. §. 1.* resigillationem monetæ æneæ, quam fecit Rex noster Catholicus Philippus IV. *anno* 1641. (quam postea satisfacta necessitate vrgentissima ad suum valorem intrinsecum reduxit) illam enim fecit, non tanquam moneta vniuersalis, & commercialis in toto Orbe, sed tanquam exactionem, vt regnum, & vassallos valde periclitantes ex circumuallatione inimicorum tueretur, vt ibi monstraui in hac autem necessitate licitam esse monetæ maxime si Prouincialis sit, & non totius Monarchiæ, & orbis mihi indubitatum est, & docet † ipse Oresmius monetalis mutationis 12
inimicus *cap. 15.* vbi stante necessitate boni publici potest Princeps reddere subditis monetam minus bonam, quia cum hic interueniat interesse boni publici, etsi subditi quatenus particulares personæ inuiti sint in acceptione monetæ minus bonæ, & deficientis in valore intrinseco, tamen quatenus sunt membra Reipublicæ volũtariissime eam accipiunt, sicut aqua ponderans deorsum ob bonum vniuersi sursum detinetur ne detur vacuum, tanquam pars vniuersi ibique naturalissime sistit, & sistet in æternum, vnde in hoc casu ad nullam tenetur restitutionem.

Quare † Regis est, & Principis absoluti 13
altum dominium quo vtitur dum mutat monetam, quum est necessarium hoc ad boni communis tutelam, & defensionem, vnde si necessitas ista succurritur alteratione monetæ æneæ non debet fieri in argentea, & si in argentea, non debet fieri in aurea, nec istæ duæ deturpari debent, neque hoc est in Principis voluntate alterare, quia subditus est iuri gentium, quare vt egregie

14 Oresmius *cap.*10.dicit,quod † Princeps, siue Rex sit, siue Imperator, nequit immutare proportionem & habitudinem,quam habet metallum monetæ pretiosius, ad aliud minus pretiosum v.g. si vna vncia auri valeat 16. argenti,in valore intrinseco, nequit facere,quod hæc habitudo, & proportio auri ad argentum,quæ fundatur in valore intrinseco auri maiori & pretiosiore, quam argẽti, quod Princeps voluntariè nequit transmutare,nec iure variare, nisi propter causã realem, & variationem ex parte materiæ, quæ causa raro contigit, vt si forsam minus inueniretur de auro quam antea, tunc enim oporteret, quod esset carius in proportione ad argentum, & quod mutaretur in pretio & valore respectu sui Regni, & commercij ciuilis,inter suos subditos,si vero parum,aut nihil sit mutatum in re, tunc hoc nullo modo posset licere Principi, si enim ad libitum hoc posset Princeps facere facillimè corraderet omnem substantiam subditorum in
15 iusta exactione & dura tyrannide, dixi ad libitum, nam si subsit ratio boni communis tuendi in vrgentissima necessitate, tunc nec tyrannis esset,nec iniusta exactio,vt de moneta ænea diximus, non enim immutat valorem intrinsecum,quem iure gentium habet metallum, nec pretiositatem suam intrinsecam, sed eam extrinsecè minuit in massa, aut auget, vt postea carius vendat in numismate suis subditis, (nam respectu exteriorum, hoc nequit facere, quia respectu horum semper aurum retinet suum pretiũ, & valorem intrinsecum,) quæ alteratio iustificatur,quia ita exigit necessitas boni cõmunis tuendi,& cõseruandi. Pecunia enim non est Principis,sed communitatis,cui primo competit iudicare, an alteratio sit expediens & necessaria, quod his verbis con-
16 clusit Oresmius. † *Et ne Princeps possit malitiosè fingere causam mutationis proportionis monetarum,ipsi soli communitati spectat discernere, si & quando, & qualiter, & vsquequo immutãda est huiusmodi proportio, nec Princeps debet hoc sibi quomodolibet vsurpare.* Ita ille, quod ego intelligo, nisi necessitas defensionis Regni,ita vrgeat,quod non sit locus cõgregandi comitia, tunc enim ex consilio virorum timoratæ conscientiæ,(qui polleãt sapientia,zelo,& notitia status Regni,& Regiæ indigentiæ,quæ notissima debet esse, & quales debeant esse huiusmodi consiliarij & consultores,quos Rex in his negotiis arduis debeat ascisceré, rectè & prudenter determinat Archiepiscopus Hispalensis *in sua catena Morali lib.*1.*q.*8.*art.*21.*n.*7.)hæc monetarum transmutatio fieri potest tantum, & non amplùs quantum communis necessitas exigit.

SVBDIGGRES. III.

Vtrùm ad mutationem monetæ, sufficiat opinio probabilis?

SVMMARIVM.

1. *An ad mutationem monetæ sufficiat opinio probabilis.*
2. *An Princeps motus ex rationibus probabilibus de iustificatione legis imponentis tributa noua, possit licitè ea imponere.*
3. *An ad mutationem monetæ nequeat Princeps facere motus duntaxat rationibus probabilibus de eius iustificatione, si contraria opinio securior sit.*
4. *Moderatus debet esse Princeps in mutando metallum,ex D.Thom.& n.*10.
5. *Exactiones & vectigalia multiplicata corrodunt subditorum numismata.*
6. *Authoris iudicium adducitur, & n.*7.
8. *Vt sit ratio practicè probabilis ad mutationem monetæ quid requiratur, & numer.*9.
11. *Principum moderatio circa mutationem metalli & monetæ prudens debet esse.*
12. *Aliud bonum commune, & aliud bonum multitudinis, & n.*13.

COrollarium tertium est decisio illius grauissimæ difficultatis ad praxim Principum valdè necessariam,quam tractat Archiepiscopus Hispalensis *vbi suprà nu.*6. † an ad mutationem monetæ sufficiat opi- 1
nio probabilis, ita vt si dum bonum commune periclitatur ex tali mutatione,sunt tamen rationes probabiles,vt possit fieri sufficiat hæc opinio probabilis,an necessario debeat sequi tutior opinio, quod non fiat, ne bonum commune periclitetur,& respondet duo,primum *l.*4.*q.*11.*art.*3.quod † Princeps 2
motus ex rationibus probabilibus de iustificatione legis imponentis tributa noua, potest licitè ea imponere, nec in his imponendis expectanda est omninoda certitudo, & euidentia, quæ cum rarissime habeatur,sæpe periclitaretur bonum publicum & defensio Religionis, quæ sunt præcipua motiua huius impositionis, vt egregiè ait S.Tho. *lib.*4.*de Regim.Principum cap.*17. ibi,*exactiones enim, siue vectigalia multiplicata in populo nisi pro vrgenti causa, vt putà pro conseruatione ciuitatis, vel religionis, ipsam conturbant & sunt causa dissensionis & litis.*

Dicit secundùm *l.*1.*quæst* 8.*art.*21.*num.*6. quod † ad mutationem monetæ nequit 3
Princeps facere motus dumtaxat rationibus probabilibus de eius iustificatione, si contraria opinio securior est. Quia ex hac numismatis mutatione periclitatur bonũ multitudinis,

titudinis, & grauissimis exponitur damnis, cum pecunia in corpore politico sit veluti sanguis corpore animalis, at vbi imminet graue damnum bono communi nõ licet vti opinione solum probabili cum tanto periculo, ratione cuius redditur improbabilis practice, vt de medicamento probabili minus tuto, de quo ipse bene discurrit fere in omnibus *eadem quæst.art.*19. non est autem minus fugiendum periculum interficiendi corpus politicum Regni, vel ciuitatis quam corpus singulare, vnius hominis, vnde recte D.Thom. *lib.*2.*de Regin. Princip. cap.*13.
4 inquit. † *Moderatus debet esse Princeps in mutando metallum, quia hoc cedit in detrimentum populi cum sit rerum mensura. Vnde tantum est mutare monetam, quantum stateram, siue quodcunque pondus, de hac materia videatur opusculum doctũ de mutatione monetæ Nicolai Oresmij Episcopi Lexiouiensis in tom.*9.*Biblioth. veterum Patrum*, hæc fere ille, cuius opusculi notitiam, & librum, ego illi dedi, & commodaui.

Verum enim vero hæc duo Illustrissimi Præsulis asserta, non multum sibi cohærent
5 nam vt vidimus ex D. Thom. † exactiones & vectigalia multiplicata etiam corrodunt subditorum numismata, & pecunias quæ sunt veluti ipsorum sanguis, sine quo est periculum mortis, & defectus corporis mystici,tanta enim potest esse sanguinis corrosio, & diminutio per vectigalia, & exactiones, vt corpus exangue, & depauperatum deficiat, & hæc corresio, & diminutio vectigalibus, exactionibus,& nouis impositionibus æquiualeat monetæ alicuius mutationi si Prouinciale : t numisma, æqualiter enim spoliantur subditi rebus suis, vnde æquale est in vtroq; periculũ defectus multitudinis,& ex vtroque nisi fiat ex motiuo cõseruandi regnum aut tuendæ religionis vrgente necessitate,sequitur conturbatio, dissensio & lis,quare in vtroque vel debet sufficere ratio dumtaxat probabilis,vel in vtroque requiritur quod sit tutior, cum in vtroque periclitetur bonum multitudinis, & vtrumque grauissimis sit expositum periculis, & conturbationibus politicis,quare magis consequenter loquitur Reuerendissimus pariter, & Doctiss. Magister Fr.Ioannes à S. Thom. 1.2. *tom.*1.*disp.*12.*art.*5.*pag.*757.qui de vtroque eodem modo philosophatur, & discurrit.

6 Igitur † ego aliter discurrendo iudico, existimo enim quod in vtroque ratio probabilis ex qua formetur iudicium practicum de iustificatione circa imponenda tributa, vel circa numismatis mutationem sit sufficiens, vt & tributa necessaria imponantur & fiat monetæ alteratio tanta quanta sufficiat, vt necessitati vrgenti ad bonum commune, & Religionem tuendam, vt suprà dicebam. Ratio autem probabilis non solum debet respicere conuenientiam ad expiscandas pecunias à subditis pro quocunque motiuo, sed pro succurrendo bono cõmuni, & tuenda Religione, si enim ex hoc motiuo fiat nouorum tributorum impositio, & numismatis alteratio, tantum abest quod bonum multitudinis periclitetur,quod imo potius firmatur, solidatur, defenditur, quamuis enim ex bonis particularium monetarum alteratione expiscetur, & detrahatur, sicque particulares homines partem bonorum suorum amittant, & numismata multitudinis minuantur, tamen hæc diminutio sanguinis membrorum in particulari ad salutem & conseruationem boni cõmunis, & Religionis ordinantur, vt corpus mysticum Reipubl. non peccat, sic enim manus abscinditur, vt corpus animalis seruetur.

Quare si probabili & prudenti motiuo 7
Rex iudicat ad defensionem regni & boni communis & ad tuendam Religionem necessariam esse monetæ alterationem, aut nouorum vectigalium impositionem, sine quibus alterationibus monetæ & impositionibus nouis, non est sufficiens in Thesauris Regiis, vt Regnum & Religio defendatur ab inimicis, id poterit tuta conscientia facere,quia si fiat monetæ alteratio ex hoc motiuo prudenti & probabili etiam in praxi est opinio securior, cum vitetur maius damnum scilicet corruptio boni communis, & Religionis euersio ab inimicis intentata.

Verùm est, quod † vt sit ratio practicè 8
probabilis ad mutationem monetæ requiritur, quod atteptis omnibus circunstantiis status Regni, instantia remedij & celeritate succurrendi probabiliter iudicetur, quod non sit aliud medium, quam mutatio monetæ si enim sit modus, quo necessaria ad defensionem boni communis & Religionis habeantur, sine eo, quod numisma alteretur, nec practicè,nec speculatiue est probabile etiam speculatiuè, quod si infirmus potest sanari à cancro aliis remediis sine manus abscissione, quod ista abscindi potest, est enim contra charitatem membrum abscindere, quum sine eius abscissione sanitas acquiri potest. Cæterùm si Chirurgus probabiliter iudicat, quod non est aliud remedium ad sanãdum infirmum,nisi manus abscissio dubio procul potest tuto manum abscindere, secus tamen esset si aliàs æquè iudicaret etiam probabiliter,quod potest infirmus sanari sine manus abscissione, tunc enim tenetur non abscindere, quia tenetur salutem intẽdere cum minori infirmi dãno: idem proportionate dicendum de nouorum

vectigalium impositione & numismatum mutatione, cuius mutationis probabilis ratio debet sumi in ordine ad necessitatem vrgentem defendendi & tuendi bonum cõmune & Religionem in ordine, ad quod probabiliter iudicat Princeps non esse aliud medium, nisi mutatio monetæ, aut nouorum vectigalium impositio.

9 Imò † ista noua tributorum impositio, ita potest crescere, quod damnosior sit bono multitudinis, quam alicuius monetæ mutatio, & ista potest esse aliquando congruentior v.g. si Princeps sit ita exhaustus & ad tãtam paupertatem Regiam redactus, quod non possit tueri Religionem & regnum nisi, vel moneta mutetur, vel argentum Ecclesiarum auferat, non dubito, quod satius esset monetam alterare, vt expiscetur numisma necessarium, quam quod sustollatur Ecclesiarum argentum, quod dicatum est diuino cultui.

Hoc est, quod dicebat D. Thom. *cap.* 13.
10 *citat. quod † moderatus debet esse Princeps in mutando metallum, quia hoc cedit in detrimentum populi, quia tantum est mutare monetam, quantum stateram, siue quodcunque pondus.* Egregia verba si rectè intelligantur iuxta principia politica, quam idem S. Doctor circa regimen Principum piè & Catholicè sta-
11 tuit, etenim ista † Principum moderatio circa mutationem metalli & monetæ prudens debet esse, est autem prudens, si conscientia probabili dirigatur, est autem probabilis conscientia, quum Princeps probabiliter iudicat hoc esse medium necessarium ad Regni & Religionis tutamen, sicut vt ferat legem obligantem sufficit, quod probabiliter iudicet esse conuenientem bono communi, eo autem ipso, quod probabiliter iudicet, quod monetæ mutatio, aut noui vectigalis impositio, est necessaria hic & nunc ad bonum commune securior est, quamuis sequatur detrimentum populi, & multitudinis.

12 Aliud enim est † bonum commune, quod est diuinum & immutabile semper, & quod omnes ciues & membra corporis politici appetunt, aliud est bonum multitudinis, & populi, quod minui potest & decurtari, quia mutabile est, vt bonum commune immutatum perseueret, quia est bonum totius, ad quod ordinantur bona partium, & multitudinis, semper tamen bonum totius conseruare debet Princeps, cum minori detrimẽto partium, & sic moderatus debet esse in mutando metallum, & moderatior in mutandis mensuris, & ponderibus publicè assignatis, quia pondus, & mensura magis necessaria sunt ad conseruationem Reip. quam numisma, magisque imitantur naturam, vt
13 egregiè adnotabat S. D. *cap.* 14. *eiusd. lib.* 2. quare maius pondus rationis exigit Princeps, vt pondus & mensuras rerum immutet, quam numisma, quia licet hoc sit instrumentum vitæ humanæ & commutationum, tamen cum sit ex auro, & argento, vel alio metallo, non ita per se ordinatur ad hãc commutationem, at pondus & mensura publica, vt vlna, statera, vnica, congium, & similia ex quacunque materia fiant semper mensurant, & sic per se ordinantur ad commutationes, quare in nostra Hispania raro leguntur minuta pondera, & mensuræ, vt constat ex historiis Regis Alfonsi II. Ioannis I. & Henrici II. vt eruditè refert Couarru. *tract. de pondere monetarum Hispanicarum, cap.* 5. *&* 6.

SVBDIGGRES. IV.

Vtrùm Princeps possit materiam numismatis pluris æstimare, quam in se æstimatur?

SVMMARIVM.

1. *An Princeps materiam numismatis possit pluris æstimare quàm in se æstimetur.*
2. *Authoris mens propalatur.*
3. *An de consensu populi, aut ciuitatum Regni etiam absque publica inopia & indigentia poterit Princeps augere numismatum pretia, & n.* 4.

COrollarium quartum, est intelligentia Doctissimi Couarr. vbi modo *cap.* 7. *n.* 5. vbi sic loquitur. † *Nam ad subueniendum pu-* 1
blicæ necessitati publicisque impensis poterit pluris æstimari Princeps, quam numismatum materia æstimetur. Imò hoc ipsum quandoque vtile Reipub. est, ne pecunia aurea, vel argentea extra Regnum, aut extra Prouinciam exportetur, vt admonent Innocentius & Guid. Pap. cap. quanto de iureiur. constat sanè ex constitutionibus Henrici II. & Ioannis I. ob publicas necessitates ab ipsis Regibus numismatum pretia augmentum accepisse, sed & consensu populi, aut ciuitatum Regni, etiam absque publicæ inopia poterit idem Princeps efficere secundum Innocent. Panormit. & alios in dict. cap. quanto ii idem hoc factum Romæ ob publicam inopiam ab ipso Senatu testatur Plinius lib. 33. *cap.* 3.

Quæ doctrina grano salis Theologici cõdienda est. Veram enim reputo, † quum 12
interuenit publica indigentia, cui subuenire aliter non posse probabiliter iudicat Princeps de consilio virorum sapientum & timoratæ conscientiæ. Si enim factum est, *ann.* 1652. in moneta ænea, quæ vltra valorem intrinsecum fuit æstimata ob ingentẽ, quæ tunc premebat, necessitatem, qua succursa

cursa, ad suum antiquum valorem est reducta. Existimo, quod ob illam rationem, ne moneta aurea, vel argentea extra Regnum ab exteris & incolis deferatur, non est sufficiens motiuum, vt istæ monetæ in pretio valoris intrinsecè alterentur, nisi sit maius detrimentum, quod Reipub. sequitur ex hac extractione, quam vtilitas commerciandi & aliorum finium politicorum, quos habent Principes ad tutamen regni & Monarchiæ,
3 id autem, quod dicit Couarr. quod † de consensu populi, aut ciuitatum Regni etiam absque publica inopia & indigentia poterit Princeps augere numismatum pretia, mihi non arridet sic absolutè prolatum, si loquatur de pretio fundato in valore intrinseco materiæ monetalis, hic enim valor non pendet à lege Principis, aut communitatis ciuitatumve Regni, sed habet suam intrinsecã æstimationem à iure fere omnium gẽtium, & politicarum nationum, quare si pretium augetur monetæ vltra valorem intrinsecũ, hoc augmentum facere cogit necessitas, & indigentia publica, neque ad libitum potest fieri, sicut nec alteratio stateræ, & mensuræ publicæ, ex qua alteratione, & pretiis pecuniæ augmento innumeræ sequuntur perplexitates, & incõuenientia, vt adnumerat Oresmius, quare † sine publica indig-
4 entia nequit Princeps, aut ciuitatum Regni comitia pretium monetæ augere, & multo minus minuere, nam si minuitur est, cum magno multitudinis detrimento, si augetur pari modo stipendia ministrorum & operariorum minuuntur, cum eorum ministeria, ita exigantur sicut antea, & cum pecuniæ pretium augetur cæterarum mercium, & aliorum quæ ad vitam in victu & vestitu requiruntur etiam augentur, quare vel stipendia debent augeri & pretia rebus taxari, (quod in praxi est moraliter impossibile, vt iam est expertum tempore diuersorum Regum,) vel pecunia immutata debet esse, & sic mutari & eius pretium augeri nequit Princeps, aut Respublica etiam de consensu ciuitatum Regni.

SVBDIGGRES. V.

Nullus nisi Princeps potest, resigillare monetam.

SVMMARIVM.

1. *An nullus nisi princeps possit resigillare monetam.*
2. *Ratio difficultatis affertur, & numer.* 3. *&* 4.
5. *Fallificans regium sigillum pœna mortis punitur.*
6. *An qui resigillat authoritatem Regiam sibi vsurpet iniuste, & contra ius ipsum naturale.*

COrollarium quinctum sit, † quod si Prin- 1
ceps ob publicam & vrgentissimam necessitatem monetæ pretium augeat, in cuius augmenti signum, ipsam iterum superaddit, super inscriptionem numeri augmenti, quod sibi applicat indefensionem regni & Religionis, ita hæc superinscriptio Regia soli Principi priuatiuè ad omnes alios pertinet, quod nullus alius potest tuta conscientia, & liber ab obligatione restituendi augmentum, quod sibi reseruat, monetam resignare & resigillare contra facto sigillo à Rege posito & contrarium asserere omnino est improbabile & temerarium, vtpotè con-
tra regimen Politico Christianum. † Ratio 2
est perspicua, quia Rex Catholicus & pius, qui augmentum pecuniæ non infert, vt corrodat & collimet diuitias suorum subditorũ, ad augendum suum thesaurum, vt diuitiis abundet ad ostentationem sicut forsan fecit Rex ille de quo, *cap. quanto de iureiuran.* sed ad Regni Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ Religionis, motus, imo coactus necessitate, in qua constitutus nequit, vt oportet attentis circunstantiis, (quas considerare & discutere ad subditos non pertinet, sed ad Regem vnà cum viris zelo & prudẽtia prædictis, scientia Theologica & vtriusque iuris peritia ornatis) tutari bonum publicum & Religionem Christianam Catholicam, ergo qui resigillat monetam, vt sibi vsurpet, augmentum, quod ex resigillatione accrescit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, vtpotè rem alienam retinens inuito Domino.

Secundò, quia † si Rex Catholicus in 3
subsidium bellorum contra hæreticos & alios infideles oppugnãtes Ecclesiã & suum regnum monetæ augmentum facit, vt propterea habeat stipendia & auxilia bellica, si id faciat ex consilio prudentum, & dictamine ad conseruationem boni communis, & publici, lex ex hoc dictamine dimanans iusta est, & subditos obligat in conscientia, ergo in conscientia nequeunt, sibi vsurpare augmentum pecuniæ, quod accrescit ex resigillatione regia, consequentia est euidens, quia lex ista iusta est ex vi cuius augmẽtum monetæ accrescit Regi in tutamentum regni & Ecclesiæ, & ita qui illud retinet restituere tenetur, siquidem furatur à Rege, quod suum est, quod aufert Rege rationabiliter inuito, & toto Regno etiam inuito, quod in illam resigillationem & monetæ augmentum consentit propter sui & Ecclesiæ tutamen, & sic euidens est, quod qui resigillat authoritate propria sibi vsurpat rem alienam, & sic contra iustitiam peccat,

peccat, cum augmentum monetæ sit Regis & Regni non particularium personarum.

4 Tertiò, quia † dato, & non concesso, (de hoc enim alibi disputo,) quod licitè possit quis absque obligatione restituendi defraudare alia vectigalia occultè & furtim merces introducendo, tamen nequit vllus resigillare monetam & augmentum sibi expiscari. Ratio discriminis est manifesta, quia in hac specie si quis furtim introducit merces est, cum periculo eas in integrum amittendi, & in hac introductione Regij sigilli, aut superscriptionis falsificatio non interuenit, sicut interuenit in falsa moneta, aut resigillatione, cum enim sigillum regium, aut superscriptio sit substantia valoris, tum regiarum litterarum, tum monetarum, vt benè aduertit cum aliis Couarr. *cap. 22. pract. num. 9. ver-*
5 *si c. quod sigillum.* † falsificans regium pœna mortis punitur, vt latè Afflictis *decis.* 404. Vnde moneta, quæ fit, aut resigillatur æqualis sit valoris, cum ea quæ facta est à Rege, tamen falsa & adulterina, si fabricetur, aut resigilletur à non habente potestatem, vt latè Baldus *cap. quanto cit. & consil.* 376. est enim falsa ex causa formali, quia sine authoritate imprimit sigillum, quale illud sit ex vi cuius accrescit lege Principis valor, quem imponere solus Rex ex authoritate Regia potest.

6 Vnde † qui resigillat authoritatem Regiam sibi vsurpat iniuste & contra ius ipsum naturale, & sic crimen læsæ maiestatis committit, & cum titulo falso sibi arrogato Regi expiscaretur augmentum monetæ, quod necessitate publica Rex coactus posuit, & auxit, dubio procul qui furripit sic resigillando tenetur restituere, etsi posset aliàs vti recompensatione, quod valde difficile est, (quia semper præsumendum est de Principe Catholico, quod non peccat imponendo vectigalia,) tamen resigillans, nec excusat peccatum grauissimum contra iustitiam, neque pœnam mortis iuste impositam. Verum est, vt dixi *tom. 5. de vero Martyr. loc. cit.* quod pœna debet moderari & quæstiones tormentorum mitigari, quum non fabricatur falsa moneta ex adulterino metallo, aut nimium mixto, sed solum resigillatio fit, & resigillatores nimium crescunt, vt ibidem adnotaui.

SVBDIGGRES. VI.

Iuste est lata pœna mortis, etiam Regularibus cudentibus falsam monetam.

SVMMARIVM.

1. *An iuste feratur pœna mortis etiam Regularibus qui cudunt falsam monetam.*
2. *Falsificans monetam alicuius ciuitatis qua pœna sit puniendus, ex Claro Alexandro.*
3. *Authoris iudicium propalatur,*

COrollarium sextum, quod † iuste Summus Pontifex Vrbanus VIII. se conformans aliis Summis Pastoribus, Regibus, & Principibus statuit pœnam mortis etiam Regularibus & personis Ecclesiasticis traditionis curiæ sæcularis, qui aliquo modo monetas maximè aureas, & argenteas, tonderit, aut fabricarit, aut aliquo modo falsificarit, nulla est enim Respublica bona politia directa, in qua pœna mortis naturalis non sit imposita, quamuis modus mortis varius fuerit à diuersis Principibus decretus. Imperat. Constant. *leg. si quis 2. Cod. de falsis monet. lib. 9.* pœnam ignis. Rex Catholicus eandẽ statuit. Rex Gallus, vt notant Clarus Alexand. *verb falsum num.* 37. Gotifred. *ad leg. 2. cit.* aqua oleoque feruenti suffocatur reus læsæ Maiestatis, qui refert ex aliis, quod illi manus abscinduntur. In Hispania tamen qui resigillarunt monetam æream, dum eius valor intrinsecus duorum marauetinorum creuit lege & authoritate Regia ad octo marauetinos ascititij valoris, hi inquam resigillatores in furca animam suffocati exhalabant, quia pœna ignis solùm videtur taxata illis qui nummos falsa fusione formant, vt instrumentum, quod assumpserunt ad falsam monetam cudendam, illis sit in pœnam mortis habendæ, *leg. 2. si quis citat.*

Notat tamen clarus Alexand. *vbi suprà,* quod † falsificans monetam alicuius ciuitatis non est morte naturali puniendus, sed pœna capitali, quam statuit *lex 1. C. de falsa monet.* pœna autem capitalis absolutè taxata non est pœna mortis naturalis, sed ciuilis, qualis est deportatio, vt est communis intelligentia, vt multis citatis tenent Clarus Alexand. *§. final. q. 67.* Farinacius *q. 19. pract.* Follerius *in pract. verb. pœnis debitis n. 47.* Ioann. Andr. *cap. quanto de iureiuran.* Vnde si lex absque aliquo addito dicat, quod quis pœna capitali puniatur, intelligi debet de pœna deportationis, aut damnationis exilij perpetui. Existimo tamen, † quod crimen resigillationis monetæ æneæ etsi grauissimum, sit & pœna capitali dignum, non tamen ita grauissimum, quod Religiosus ex eo, quod resigillet, aut consentiat, quod in sua cella, aut conuentu resigilletur, non debeat ad triremes damnari, aut ad carcerem perpetuum, non enim ita euersiuum est religiositatis, quare si pœnitentia ductus sit, mitiori pœna puniri potest. Pontifex enim Vrbanus VIII. solùm falsificationem circa monetam

netam auream, vel argenteam seuere punit, sed hoc relinquerem circa monetæ æneæ resigillationem, iudicis Regularis prudenti arbitrio.

RESOLVT. VII.

Aliquæ Regulæ statuuntur pro damnatione fratrum ad triremes, non obstante decreto Vrbano, de non eyciendis.

1. *An hodie liceat & expediens sit Religionibus aliquos Religiosos professos propter aliqua enormia & atrocia delicta ad triremes damnare.*
2. *Sanctori de Malefic. sensus adducitur.*
3. *An pœna triremium sit pœna incorrigibilium, & contumacium.*
4. *An Religiosus qui damnatur ad triremes, siue ad tempus, siue ad vitam si aliàs sit contumax & animo indurato, possit simul ab ordine expelli.*
5. *An aliquis possit expelli à Religione, qui non potest damnari ad triremes, & sic è contra.*
6. *An Regularis simplici fornicationi deditus ter correctus iuridicè, si post annum carceris Vrbani contumax sit, possit expelli à Religione.*
7. *An si quis semel peccatum sodomiæ committit possit ad triremes damnari.*
8. *Authoris iudicium affertur, & n. 9.*
10. *Quid item ex dictis sit inferendum, & num. 11.*
12. *An si expediens sumatur respectu Religionis, an expediat Religionibus suos delinquentes condemnare ad triremes.*

REgula prima, hodie † licet, & expediens est Religionibus aliquos Religiosos professos propter aliqua enormia, & atrocia delicta ad triremes damnare, hoc constat ex priuilegiis Summorum Pontificum concessis, tum ordini D. Hieronymi, tum fratribus minimis, de quibus in superioribus mentionem fecimus, & egregie probant Miranda *tom. 1. quæst. 52. art. 8.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 30. art. 16. & tom. 2. q. 25. art. 1.* Pellizarius *tract. 9. cap. 3. à num. 97.* hæc Regula constat consuetudine, & praxi omnium fere Regularium approbata à sede Apostolica, quæ hanc pœnam videt infligi, & non reuocat.

Dixi hodie, etiam post decretum Vrbanum *de eiectis.* contra Lezan. *in summ. verb. triremes n. 5.* Hieronymum Rodriguez *Resol. 57. n. 8.* contra quos sic grauissimè loquitur Sanctorus de Melfi. *p. 2. de pœnis cap. 21. pag. mihi* 289. † *Nescio, qua ratione persuasum*
2 *sit aliquibus, vt speculationibus sibi aditum ad communem vtilitatem occludant nulla lege coacti decretum de eiectis, pestilentes intra Religionem, ita concludit, vt vir, vel nunquam expelli possint, restat exitus ad triremes, & hunc sibi præripiunt, dum salua lege possunt noxios eo ablegare, vbi & pœnam sentiant & Religionem leuent, sedes enim Apostolica disponit de expellendis, non de puniendis, formam pro primis tradit, circa secundum nihil innouat, reuocat priuilegia & constitutiones ordinum, quoad expulsionem, non quoad alias correctiones.* Hæc ibi, satis conformiter, ad ea quæ in superioribus est monstratum, tum ex intento decreti Vrbani, tum quia expulsio, cum sit pœna spiritualis, sicut excommunicatio, nõ datur nisi cõtumacibus, at damnatio ad triremes, sicut & incarceratio est pœna corporalis, quæ datur in criminis vindictam, & pro satisfactione communis boni læsi, etiam si reus sit valdè pœnitens, & contritus de crimine commisso. Vnde falso Aldrete *l. 2. de discipl. Relig. cap. 22.* Pelliz. *tract. 9. cap. 2. num.* 166. Senior Rodriguez *to. 2. q. 24. art. 1.* dixere, quod † pœna triremium est pœna 3
incorrigi

SVBRESOLVT. I.

Expediens est hodie aliquos Regulares ob delicta ad triremes damnare.

SVMMARIVM.

1. *An hodie liceat & expediens sit Religionibus aliquos Religiosos professos propter aliqua enormia & atrocia delicta ad triremes damnare.*
2. *Sanctori de Malefic. sensus adducitur.*
3. *An pœna triremium sit pœna incorrigibilium, & contumacium.*
4. *An Religiosus qui damnatur ad triremes, siue ad tempus, siue ad vitam si aliàs sit contumax & animo indurato, possit simul ab ordine expelli.*
5. *An aliquis possit expelli à Religione, qui*

incorrigibilium, & contumacium propriè enim talis non est, sed pœna malefactorum & criminosorum, illis imposita in satisfactionem publicam delicti commissi, quod aliàs meretur pœnam mortis, secundum leges ciuiles, illius Reip. in qua committitur delictum.

4 Verum est, quod † ille qui damnatur ad triremes, siue ad tempus, siue ad vitam, si aliàs sit contumax, & animo indurato potest simul ab ordine expelli, cæterum vt sẽtentia expulsionis feratur debet obseruari forma Vrbana sine qua, etsi sententia ad triremes sit firma, & valida, quia hæc est independens à tali forma, tamen sententia expulsionis omnino est nulla, quia lata sine forma requisita necessariò, ex decreto Sedis Apo-
5 stolicæ. Cæterum aduerto, quod † aliquis potest expelli à Religione, qui non potest damnari ad triremes sicut potest damnari ad triremes, qui non potest à Religione expelli cum istæ pœnæ inter sese nullam habeant connexionem, nam expellitur quis à Religione si tribus vicibus correctis à peccato graui post annum incarcerationis Vrbanæ adhuc est contumax, & ad hoc non est necessarium, quod peccatum illud & crimen dignum sit pœna mortis, secundum leges ciuiles, ast si crimen tali pœnâ sit dignum, potest ad triremes reus damnari, etiamsi contumax non sit, nec possit à Religione expelli.

6 Vnde existimo quod † Regularis simplici fornicationi deditus ter correctus iuridicè, de qua triplici correctione constet ex triplici sententia data & seruata in archiuio Religionis, si post annum carceris Vrbani contumax sit potest expelli à Religione, ne suo malo exemplo alios corrumpat, at non potest ad triremes damnari; quia simplex fornicatio non est punibilis legibus ciuilibus pœna mortis (etiamsi sit mortale contra legem naturæ,) vt latè clarus Alexand. §. *fornicatio, n.* 3. nisi ob insignem deformitatem illi adiunctam, aut circumstantiam notabilem, ratione cuius legibus ciuilibus pœna mortis est imposita, de quo latè Menoch. *de arbitr. cent.* 3. *casu* 89. Couarru. *lib.* 3. *variar. cap.* 18. *num.* 2. quantumcunque fœmina nobilis sit, & intercesserit scandalum, nisi timeatur graue damnum Religioni, nisi in fornicatione fœmina vi & violentia sit cognita, etiamsi sit meretrix iuxta Constitutionẽ Neapoli, quam citat Menoch. *vbi supra*, *casu* 91. hæc enim violentia punitur pœna mortis in illo Regno, de cuius praxi nondum sum certificatus.

7 Et è contrario † si quis semel peccatum sodomiæ committat potest ad triremes dãnari, quia pro hoc peccato semel commisso pœna mortis est imposita, at si contumax non sit, neutiquam potest à Religione expelli, sed si ad triremes iudices nolunt misericordia moti damnare alia pœna, vt incarcerationis, ieiuniorum, & disciplinarum puniendus est vsque ad publicam satisfactionem, addo quod nisi sit speciale statutũ, nullus Regularis potest ad triremes damnari etiam propter quadruplicatam Apostasiã quia hoc delictum non est dignum mortis pœna secundum leges ciuiles, est tamen tale statutum in ordine Seraphico in quo obseruari debet, non tamen etiam in hoc ordine potest expelli propter Apostasiam, multiplicatam nisi obseruetur forma Vrbana, quia quantum ad expulsionem est reuocatum statutum Decreto Pontificio.

Cæterum aduerto † quod si iudex Regu- 8
laris iudicium inceperit ad expellendum aliquem Religiosum à religione iuxta formam Vrbanam; ita vt Reus sit, vel in carcere vel iam annum expleuerit probationis an sit contumax in delicto, si iudex Regularis attentis probationibus, & meritis causæ velit reum, & ad triremes damnare propter delictum dignum morte naturali, & simul expellere à religione, tanquam contumacem de facto, & incorrigibilem, potest vtrumque simul agere; & vtramque infligere pœnam quia hanc simultationem non prohibet Decretum Vrbanum. Cæterum si incepit cau- 9
sam ad expulsionem stante hac tela iudicij, nequit ad triremes reum damnare, si iam vel maior pars vel integer probationis annus est transactus vel in carcerem iniectus, ea intentione, vt probetur an sit animo induratus, & contumax, esset enim pœnas cumulare, quod pietas non patitur, si autem maceratus reus per annum probationis Vrbanæ, & religio, ipsum non expulerit, sed amplius velit expectare si iterum labatur, & si Religio posset illum eiicere, quia iam obseruata est forma Vrbana, potest tamen ad triremes damnare propter nouum delictum illa pœna dignum, insuper etiam potest ipsum eiicere, & coniungere vtramque pœnam spiritualem eiectionis propter contumaciam anno expertam Vrbano, & corporalem triremium propter nouum delictum, sicque coniunguntur duæ formæ forensis iudicij, & ad eiiciendum, & iuris communis Canonici ad puniẽdum pæna temporali, posse autem coniungi duas formas iudicij ex consuetudine totus mundus adfirmat, vt ait Drogo *apud Clarum* §. *fin. quæst.* 3. *n.* 7. & 8.

Ex dictis infero † concordiam doctorum 10
inter se pugnantium, quidam enim dicunt non esse expediens ad triremes damnare regulares, alij dicunt criminibus id exigentibus valde expedire hanc pœnam. Etenim vt ait D. Thom. 3. *quæst.* 80. *art.* 10. aliquid

quid potest esse expediens secundum se, quod subiecto nõ sit expediens, sed Sanctorius de Melfi. *part.* 2. *de pœn. cap.* 21. *pag.* 291. iuxta hanc distinctionem bene respondet, & concordat auctores, primi enim deplorãt & piè quidem statum horum miserabilium ob omnimodam, quam habent in corpus, &
13 animam diuini furoris suorum criminũ vindictam, etenim inexplicabilibus malis corporalibus, & spiritualibus afflictantur, quare ferunt Peyrinis & Bernard. Diaz. *vbi suprà*, quare si illorum conuenientiam spectemus, illis nullatenus expedit damnatio ad triremes, quod maximè verum tenet in sacerdotibus, quorum officio indecens valdè est spurcæ colluuiei adiicere sacras manus, & corpora, quæ Deus sibi tanquam partem præcipuæ hæreditatis, suis summis mysteriis consecrauit. Vnde Vrbanus VIII. ergastulum, pro illis institui ordinauit, sed hoc vbique institutum non est, maxime in Religionibus, quæ pauperes sunt, & nequeunt alere hos facinorosos, qui quotidie aufugiũt, & moraliter est impossibile, quod custodiantur, vt par est, maxime cum contingere possit plures huiusmodi esse.

14 Si tamen † expediens sumatur respectu Religionis, certũ est expedire Religionibus suos delinquentes cõdemnare ad triremes, dum alius expeditior modus nõ suppetat se à tam pestiferis, & contagiosis hominibus liberandi, etiamsi sciat in triremibus euasuros deteriores, quia in hac parte iure suo vtitur, & per accidens est, quod aliquis euadat deterior, nam qui expelluntur, aut ad triremes mittuntur, non destinantur, vt meliores euadant, sed vt puniantur, & sibi imputẽt, quod non in melius, sed in peius proficiant, quia hoc, nec religio intendit, nec genus punitionis secũ fert, pœna enim emendat, non auget culpam, & est remedium, nõ venenum. Notat tamen & satis piè, Rodrig. Iunior *Resol.* 48. *n.* 12. quod pœna relegationis ad triremes non est imponenda Religiosis nisi in grauissimis magnique offendiculi, seu scandali criminibus, hoc namque alienum est à charitate fraternitatis, & paternitatis habendæ simul inter Religiosos, & à dignitate altissima sacerdotali, necnon à fundatorum Religionum consuetudine.

SVBRESOLVT. II.

Damnatus ad triremes finito tempore pœnæ tenetur ad Religionem redire.

SVMMARIVM.

1. *An Regularis damnatus ad triremes finito tempore pœnæ luendæ teneatur ad religionem redire.*
2. *Damnatio ad triremes non est à Religione expulsio.*
3. *Authoru iudicium adducitur.*
4. *An dum quis Regularis sinon expellatur seruata forma Vrbana, sed solum damnetur ad triremes, in sentẽtia debeat poni, quod finito tempore pœnæ remigij, ad religionem redeat, & n.* 5.

Regula secunda, hodie post Vrbanũ de- 1
cretum de eiiciendis, † si aliquis Regularis dãnetur ad triremes, finito tẽpore definito pœnæ luendæ, ipse tenetur ad Religionẽ redire, & Religio tenetur ipsũ recipere, hæc regula, ita mihi certa est post præfatum Vrban. decretũ, vt mirer aliquos de illa posse dubitare, quare incõsequenter loquitur Sãctor. *c.* 21. *cit. p.* 292. & vt defendat sua statuta exfundat Sedis Apost. cõstitutionẽ. Ratio est perspicua ex doctrina ipsius, quæ certissima est, quia † damnatio ad triremes nõ est à 2
Religione expulsio, ast omnis Religiosus, qui à Religione iuridice nõ est expulsus, tenetur ipse ad Religionem redire, & Religio tenetur ipsũ recipere ex vi professionis solẽnis, cuius vis & obligatio solũ impeditur, ne vires suas exerat, per expulsionẽ solemnẽ & iuridicam, qua nõ est punitus, (vt suppono) damnatus ad triremes, sicut ergo iste tenetur redire ad Religionem finito tempore remigandi, ita & Religio est obligata ad illum recipiendum.

Hæc ratio euidens est & adeo vera, quod existimem, † quod finito tẽpore remigij te- 3
neatur Religio religiosum suũ petere à trierarchio, & ipsum compellere, vt restituat tãquam rem suam, & Trierarchus si violenter retineat, aut verberet, incidit in excõmunicationem Canonis *si quis suadente*, imò & ipse superior si sit in notabili & malitiosa mora religiosum suum non extrahendi, si commode potest, neque consuetudo aliqua rationabilis potest superiorem excusare ab hac obligatione, si potest commode religiosum ad religionem adducere, sicut non potest excusari, quod si Apostatã, quamuis sceleratissimũ potest capere, si non capit, at iste qui tẽpus remigij impleuit, cum non sit verè expulsus, sed ad religionẽ pertineat tanquã ipsius membrum, non præcissum neque abscissum, si extra Religionem demoretur est verè Apostata. Ergo si capi potest capere tenetur superior, nec video qua ratione oppositum sit practice probabile, vbi decretum Vrbanum receptum est, in quo clausulis derogatoriarum derogatoriis, & omnibus aliis requisitis, abrogantur priuilegia, consuetudines etiam immemoriales, & omnia adminicula in contrarium, etiamsi speciali forma sint à Sede Apostolica firmata, & roborata.

4 Vnde in superioribus ostendi, quod † dum quis Regularis si non expellatur seruata forma Vrbana, sed solùm damnetur ad triremes in sententia debet poni, quod finito tempore pœnæ remigij ad Religionē redeat, sic factum est ex meo consilio in Sanctissima Prouincia Angelorum *an.* 1658. neque aliter potest quis sine manifesta contrauentione decenti sententiam ferre, & quamuis id sententia diffinitiua non exprimatur implicitè continetur, quia debet ferri secundum ius nouum Vrban. VIII. & non secundum statuta ordinis seraphici, quæ quantum ad hoc omnino sunt abolita, & reuocata, nec aliud tuto quis dicere potest.

5 Verum est, quo cum ordinariè huiusmodi scelesti homines de triremibus peiores reuertantur pessimis moribus imbuti, & assuefacti insolenti viuendi modo, sicut solent reuertere dum capiuntur multi Apostatæ, Religio potest ipsos rigide probare, nec in integrum ad commercium aliorum fratrum admittere in conuentu strictiore retinere, exitus à domo prohibere in humilioribus exercitiis probare, hoc enim facere iure possunt superiores ex vi prioris sententiæ damnationis ad triremes, quod si non emēdentur & mores corrigant, possunt telam iudicij ad expulsionem ordiri & expellere, si contumaces sint iuxta Vrbanam formam.

SVBRESOLVT. III.

Ob delictum valdè atrox potest Regularis ad perpetuum triremium damnari, etiam post decretum Vrbani VIII.

SVMMARIVM.

1. *An ob delictum valde graue & atrox Regularis ad perpetuum triremium possit damnari, etiam post decretum Vrb. VIII.*
2. *Authoris iudicium propalatur.*

1 Regulæ tertia, si † delictum ita graue, & atrox sit etiam post Vrbanum decretū potest regularis ad triremes perpetuos damnari. Ratio est, quia vt vidimus damnatio ad triremes est pœna corporalis, quam infligere non vetat decretum Vrbanum, crescit autem pœna iuxta augmentum criminis, quare si istud ita graue est potest regularis perpetuo affigi, & affligi remo. Vnde in ordine seraphico est statutum, quod qui Prouincialem percusserit, ita vt ex percussione sequatur mors, perpetuo ad triremes mittatur. Idem statuitur de leuissima percussione Generalis, vt refert Sanctorus de Melfi. *p.* 2. *de pœnis cap.* 21. *pag.* 285. existimo tamen nisi aliud exprimatur in sententia, quod

2 † hæc damnatio ad triremes perpetuos finitur decennio, quo concluditur ciuiliter vita hominis, & perpetuitas pœnæ huius, quod si aliter sententia intendat debet claris verbis exprimi, atrocitati enim pœnæ hanc leuitatem ius ipsum apposuit, ita enim dura est triremium pœna, vt vix sint ex centum decem viri, qui decennium in illa transigant, & sic in decennio perpetuitas huius pœnæ concluditur.

SVBRESOLVT. IV.

Hodie nullus Generalis etiam Societatis potest expellere professum, non seruata forma Vrbana.

SVMMARIVM.

1. *An hodie Generalis alicuius Religionis etiam Societatis Iesu ex quocumque priuilegio, aut causa fauorabili sibi concessa possit expellere à Religione Religiosum solemniter professum, non seruata forma Vrbana, & num.* 2. *&* 4.
3. *Pellizarij mens affertur.*
5. *Quid ex præmissis sit deducendum.*

1 Regula quarta, † hodie nullus Generalis alicuius Religionis etiam Societatis Iesu ex quocunque priuilegio sibi concesso, quacunque causa fauorabili, potest expellere à Religione Religiosum solemniter professum non seruata forma Vrbana, eo modo quo introducta est in decreto & eiisdem circunstantiis, (vt *diggressione sequenti*, enodabo & extricabo eas.) Hæc regula mihi est indubia contra Pellizarium *to.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 41. *&* 42. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *Resolut.* 57. dicit enim Pellizarius, quod ex priuilegio Gregor. XIII. concesso in Bulla edita 22. *Septembr.* 1582. Generalis potest subditos suos etiam solemniter professos dimittere, etiamsi non committant culpas dignas eiectione, etiamsi non sint incorrigibiles & contumaces, si ita iudicauerit expedire puritati Societatis, & saluti emissorum, si isti eiecti eiectioni suæ non contradicant, quod priuilegium nulli alteri Religioni (ait) datum est, etiam per viam communicationis. Cæterum si eiectio à Societate fiat ob incorrigibilitatem, vtique facienda est iuxta formam Vrbani decreti, obseruando omnia, quæ ibi dicuntur, vt eiectio sit valida.

2 Verumenimverò sententia Pellizarij nullo modo est sustinenda, si enim audiendus non est Guibellinus, (vt ait Diana,) quia dicit, quod decretum Vrbanum non est in praxi, nec ipse, nec Pellizarius audiendi sunt, dum dicunt, quod Generalis Societatis potest ex priuilegio Gregor. XIII. eiicere

eiicere professos suos ex aliis causis, quam incorrigibilitatis, & contumaciæ, cum expressè Vrbanus VIII. *suo decreto* decernat §. 4. *vt in posterum è religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis, &c.* Vnde ipse Pellizarius ibidem *num.* 3. *qu.* 3. dicit, quod

3 † post decretum Vrbanum nullus verè professus eiici potest à Religione alio titulo, quam incorrigibilitatis etiam vigore priuilegiorum, aut statutorum particularium, quia præfatis decreti verbis abrogantur in contrarium concessa, non solum explicitè quomodo ibi abrogantur, sed etiam implicitè, si hoc ita est, vt verè est, qua ratione? quo motiuo eximitur hoc priuilegium concessum Patri Generali Societatis? cum decretum omnem quamcumque Religionem mendicantium, & non mendicantium comprehendat, quare iudico omnino inpracticabile, quod dicunt Pellizarius, & Diana, decretum solùm loqui de eiectione titulo incorrigibilitatis, non vero si aliis titulis celebretur, cum expressè Sedes Apostolica dicat, quod in posterum nullus alius titulus eiectionis sit legitimus, quam incorrigibilitas, & contumacia priuatiuè ad omnes alios cuiuscunque generis titulos. Neque ipse eiiciendus consensum potest præbere, vt ex alio titulo eiiciatur à Societate ad sæculum cum non pendeat ab eius voluntate, aut Religionis, quod nisi incorrigibilis sit & contumax, suspendatur vis & energia obligationis voti solemnis obedientiæ.

4 Præterquam, quod Bulla Gregorij XIII. expressè non dicit, quod Generalis Societatis possit alio titulo, quam incorrigibilitatis eiicere professos, tantum enim dicit. Dubitari contingit, an Præpositus, (Generalis) pro tempore existens, valeat etiam professos ex causis id exigentibus ab ipsa Societate. *Nos re perpensa, atque diligenter examinata, Societati ipsius puritati, atque incremento, emissorúmque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere eosque de eius licentia, ad aliū ordinem se transferre.* Hactenus ibi, quæ verba latè enucleat Suarez *tom.* 4 *lib.* 11. *c.* 1. *&* 2. & rectè concludit *cap.* 2. *num.* 7. quod si sit de sermo de eiectione punitiua, qua etiā inuitus, quis expellitur à Religione requirit delicta proportionata ad talem pœnam iuxta exigentiam suarum constitutionum, iuxta quas ob alia crimina, quam incorrigibilitatem, & contumaciam expelli potest professus à Societate, vt probat *cap.* 1. *num.* 2. ex

5 quibus † manifestè constat, quod licet ante decretum Vrbanum posset Generalis eiectione punitiua professum suum eiicere à Societate propter aliquod delictum in suis constitutionibus expressum, iuxta quas dedit illis Gregor. XIII. hoc priuilegium, quia antea dubitabatur, an constitutio, id posset determinare. Cæterum hodie post Vrbanum decretum, hæc dubitatio absorpta est & priuilegium abrogatum, cum inposterum nullus legitimè professus eiici possit, *nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis in hac parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis & ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis.* Hæc verba proclamat decretum Vrbanum, post quod scripsere Pellizarius, & Diana, & sic non audiendi contra ipsum ante, quod opus Patris Suarez prælo sudauit, & ita non est reprehensione dignus, quare aut decretum, non est receptum, aut si receptum est, hæc sustineri nequit.

DIGGRESSIO III.

Explicantur circunstantiæ requisitæ ad eiectionem in forma Vrbana.

QVÆ sic habet. §. 4. *In posterum è Religionibus nullus legitimè professus eijci possit nisi sit verè incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum conueniant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscumque Religionis & Ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis, verum etiam vnius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus proindéque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia, elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicatia perseueráuerit, ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, ac membrum putre tandem eijci posit, sed ab ipso Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus. Tum non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum,* &c.

Circa quam formam vere piam & valde necessariam plura sunt enucleanda, vt facilius in mentibus iudicum Regularium introducatur. Primum, quid intelligatur per legitime

legitime professum. Secundùm, quid sit ex iure incorrigibilitas. Tertiùm, qualis carcer debet esse. Quartum, qualiter computandus annus hic. Quintùm de sex Patribus coniudicibus, & adiunctis Generali. Sextum, de modo procedendi iuridico circa expulsionem.

SECTIO I.

Quis intelligatur legitime professus.

SVMMARIVM.

1. *Quid intelligatur per legitimè professum.*
2. *Habitus non facit monachum sed professio.*
3. *Sine professione nequit quis esse vere & propriè Religiosus.*
4. *Iure communi idem est verè & proprie Religiosus ac legitime professus. Quid item sit legitime professus.*
5. *Triplicem distinguit professionem P. Suarez & n. 6.*
7. *An scholares Societatis per tria vota simplicia sint vere & proprie Religiosi.*
8. *Quæ professio scholarium possit dissoluere vnionem quamcumque fecit Religiosus.*
9. *An admissio scholarium per vota simplicia ad Societatem sit vera & legitima professio.*
10. *Quandonam vere & proprie dicantur religiosi, & n. 11.*
12. *Quid veniat aduertendum.*
13. *Quæ vota ex parte vouentis absoluta sint & perpetua.*
14. *Authoris iudicium admittitur, & n. 15. 16. 17. 20. 21. & seqq.*
18. *Vrbani VIII. sensus adducitur, necnon S. Thomæ, & n. 19.*
24. *Societatis institutum à Summis Pont. laudatum.*
25. *Quid Sacra Congreg. per Ly* legitime professus *intelligat.*

1 RAtio dubitandi sumitur † ex pluribus, quæ valdè sunt consideratione digna respectu scholarium Societatis Iesu, qui post biennium nouitiatus tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis emittunt, insuper & ingrediendi Societatem in eaque perseuerandi emittunt, isti enim vt determinat Gregor. XIII. duplici Bulla vna *de anno* 1582. incipit. *Quo fructuosius* altera *de anno* 1584. incipit. *Ascendente Domino*, sunt vere & proprie Religiosi, non secus ac ipsi, tum Societatis, tum quorumuis aliorum Regularium professi, atqui vere & proprie Religiosi constituuntur per professionem,
2 *cap. porrectum de Regular.* vbi dicitur. † *habitum non facere monachum, sed professionem, & cap. Religioso de sententia excommunic. in 6.* ait Pontifex. *Is qui Religionem ingreditur Religiosus censeri, cum effectu non potest donec sit tacite, vel expresse professus*, & Sixt. V. *in sua Bulla edita an.....* quia declarauit aliam Bullam suam de illegitimis, dicit, *quia tunc vere & proprie Religiosi esse dicuntur, cum professionem emittunt.*

Ex quibus deducitur, quod † sine pro- 3
fessione nequit, quis esse vere & proprie religiosus ex iuris communis, & Bullæ Apostolicæ determinatione, & per professionem quis à nouitio secernitur & distinguitur, professionem enim nullam emittit nouitius etiamsi tria vota castitatis, obedientiæ, & paupertatis emittat in manibus Prælati, qui ante annum completum nequit ea acceptare. Vnde † iure communi idem est vere & 4
proprie Religiosus, ac legitime professus, & legitimè professus est, qui tria vota substantialia in manibus Prælati post annum nouitiatus iuxta dispositionem iuris communis & Bullarum Summorum Pontificum, & constitutionem Ordinis approbati, emittit.

Propter quæ Pater Suarez *to. 4. de Relig. tract. 3. cap. 5.* quantum ad præsens attinet † triplicem distinguit professionem vna est, 5
quæ tribus votis solemnibus celebratur, in hac acceptione, ait vtuntur iura & DD. Summique Pontifices in præfatis iuribus, & Bullis quarum temporibus, dum dicunt, quod professio constituit Religiosum, tunc enim (ait) nondum erat Societas approbata, ante cuius approbationem necessaria erat professio secundum illum Ecclesiæ statum, in quo alius modus non erat in vsu, nec approbatus. Vnde ante professionem non erat, quis verus Religiosus, sed quia Sixtus V. qui præfuit Ecclesiæ post approbatam Societatem Bulla Gregor. XIII. & ipse Sixtus dixit, quod *tunc vere & proprie Religiosi esse dicuntur cum professionem emittunt*, & scholares Societatis in forma, qua admittuntur ad Societatem, & illi se tradunt votis dumtaxat simplicibus, non dicunt se professionem emittere, sicut alij qui solemniter profitentur, sed tantum dicunt *voueo coram Sanctissima Virg.* quare iuxta determinationem Sixti V. ante Bullam Gregorianam isti scholares non videbantur fuisse vere & proprie religiosi, dicit Pater Suarez, quod professio sumitur latiori significatione prout iuxta suas constitutiones, & Canones Congregationis Generalium admissio coadiuctorum formatorum dicitur professio, quæ etiam non requiritur (inquit,) vt quis sit verè professus.

Quare eodem *capite 5. numero 2.* ait. 6
Potest tertio modo vox illa professio religiosa, generalius pro quacumque firma, ac stabili vnione cum Religione approbata per traditionem, & vota substantialia Religionis per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè admissam, & hoc modo dicendum est hanc scholarium admissionem esse veram professionem, vt ex dictis constat, sic etiam generaliter pro quocumque tempore, & tam de facto, quam de possibili, verum est per omnem professionem eiusmodi, & per solam illam verum ac proprium statum religionum constitui. Hæc ille, quæ in sequentibus confirmat, an solide? alij viderint.

Ex quibus tale sumitur efficax argumen-
7 tum. † Scholares Societatis per tria vota simplicia sunt verè & propriè Religiosi, quorum admissio est vera professio, & legitima, cum per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè sit admissa, ergo continentur sub decreto Vrbano, *de eiectis, & eijciendis*, consequentia est euidens, quia dicitur, *quod in posterum nullus legitimè professus eijci potest à Religione*, vel ergo hæc professio scholarium est vera, & legitima professio, & sic habemus intentum, vel non est vera & legitima professio, & sic scholaris hic vouens tria vota substantialia simplicia non est verus, & proprius Religiosus, quia quis Religiosus constituitur professione, nam *professio facit monachum, & non censetur quis cum effectu Religiosus donec sit tacite, vel expressè professus.* & rursus. *Tunc verè & propriè religiosus esse dicitur cum professionem emittit.* Vnde si ista est vera & propria, qui illam emittit verè & propriè atque legitimè religiosus dicitur & efficitur, si vero non est vera & propria & specifica professio, qui illam emittit ex vi professionis, & status non est legitimus, verus, & proprius Religiosus.

8 Rursus † hæc professio scholarium talis naturæ est, & institutionis, quod Religio potest illam dissoluere vnionem quamcumque, ipse Religiosus fecit, quam nequit Religio alia facere, nisi ad summum, (vt aliqui volunt) ex dispensatione Sedis Apostolicæ, quam non faciet Summus Pontifex nisi magna consideratione, & ex vrgentissima causa, quæ respiciat bonum commune Ecclesiæ, (vt etiam iidem ipsi fatentur,) quare religiosus status horum scholarium, non videtur eiusdem specificæ rationis, & immutabilitatis, ac status aliorum professorum, siue in Societate ipsa, siue in aliis ordinibus, & qua ratione obsecro potest esse status religiosus eiusdem rationis, ille qui solui potest? taliter, quod ab illo solus licitè, & validè contrahat matrimonium, & qui ex natura sua non erat impedimentum dirimens matrimonium, nisi accederet indultum Apostolicum, cum illo Religioso statu, qui ex vi sua & dirimit matrimonium, & incapacem facit cuiuscumque dominij, & proprietatis: etenim ex diuersis proprietatibus alicui rei connexis, rerum specificam differentiam colligit omnis antiqua & rationabilis philosophia.

Hæc argumenta apud me tantæ sunt energiæ & efficaciæ, vt existimem omnino falsum, quod dicit Pater Suarez, quod † ad- 9
missio scholarium per vota simplicia ad societatem sit vera & legitima professio, quamuis sit vera, & legitima admissio ad societatem, quæ impropriè dicitur professio, hæc enim iuxta commune ius & Ecclesiæ traditionem reddit professum incapacem dominij, & inhabilem ad matrimonium cum sit traditio personæ totaliter dicatæ & mancipatæ diuino seruicio. Vnde radicem libertatis Deo consecrat, quam traditionem non faciunt totaliter scholares Societatis, & sic eorum admissio per tria vota simplicia, non est legitima, & vera professio, sed vt dicebam legitima admissio, quod hodie negari nequit, & impropria professio, quare huiusmodi scholares non sunt legitimè professi, & sic non comprehendit eos decretum Vrbanum, sed possunt eiici & dimitti à Societate, non seruata forma Vrbana.

Sed modo restat dissoluenda ratio dubitandi adducta, quia vt vidimus ex iure communi, & ex Sixto quinto, † tunc vere 10
& proprie religiosi esse dicuntur, cum professionem emittunt, quæ verba dixit postquam Gregorius XIII. in Bulla *ascendente Domino*, decreuit quod scholares per emissionem trium votorum simplicium fiunt vere & proprie Religiosi sicut professi, *tum Societatis, tum quorumcumque aliorum Regularium Ordinum*, atqui scholares non faciunt veram & propriam religiosam professionem. Ergo videtur, quod non sunt vere & proprie religiosi dicendi, quod dici nequit cum contrarium decernat Gregor. XIII. Respondetur, tamen horum Summorum Pontificum concordiam facilem esse. Nam Sixtus V. loquitur de iure communi, & de ratione Religiositatis & status Religiosi, quem agnouit vsus Religionum & status à tempore immemoriali agnitus in Ecclesia à tempore, quod Episcopus iure Ordinario, & Sedes Apostolica Religiones approbarunt, vsque ad tempus Pauli III. in quo confirmari incipit Societas, & sigillatius, & minutius confirmauit, & solidauit Gregor. XIII. Societati ob eius insignia merita valde affectus, qui speciali priuilegio voluit, quod etsi scholares Societatis non faciant veram ac propriam professionem religiosam, nihilominus 11
admissio in societatem per emissionem votorum simplicium fierent verè & propriè

Religiosi, & sic illis concessit exemptiones, fauores & indulta concessa omnibus professis, tum ipsius Societatis, tum aliarum Religionum, etsi illos non fecerit incapaces dominij, & proprietatis, fecit tamen quum diu sunt in societate inhabiles ad validè contrahendum matrimonium, dimissi vero, nisi sint insigniti ordine sacro innumeros agnoscimus matrimonio copulatos. Vnde Generalis ex causis sibi bene visis, ita dimitti & absolutos abire ille eos facit ad sæculum, ac si non fuerint verè & propriè Religiosi, nullúmque votum emiserint.

12 Hoc enim † magna consideratione dignum est, etsi enim scholares vota simplicia faciant castitatis, obedientiæ, & paupertatis insuper perseuerandi & ingrediendi societatem sub conditione, quandiu scilicet, non dimittantur à Generali; à Societate, qua admissione absolutus ab omnibus votis illæsus, qui eiicitur, vadit ad sæculum absque omni prorsus vinculo votorum, ac si ea non emiserit, & verè & propriè non fuerit Religiosus, matrimonium contrahat, ac si incapax non extiterit eius contractus. Fateor, quod huiusmodi vota & status religiosus sit conditionatus, quandiu quis est in Societate in aliquo gradu Religiositatis inter tot quos habet approbatos à sede Apostolica. Vnde tam in suis constitutionibus, quam in Bulla *ascendente Domino*, dicitur, quod *hæc vota simplicia ita fiunt in societate ab scholaribus, vt ex parte vouẽtis sint ex intẽtione se obligandi in perpetuum ad viuendum & moriẽdum in hac Religione sub obedientia eius, ex parte verò Religionis solum admittantur, acceptando traditionem, & obligationem ipsius vouentis, non tamen se obligando ad semper retinendum ipsum vouentem, aut vota eius, sed solum quantum Præpositus Generalis eos in Societate retinendos censuerit.* Hæc ex Suarez *lib.3.cit.cap.1.num.6.* quod dilucidè explicat

13 *cap.2. à num.* 3. Vnde † vota ista ex parte vouentis absoluta sunt & perpetua, sed ex parte societatis sub ea conditione quantum Generalis, tam vouentem, quam vota eius retinendum censuerit.

14 Fateor † hæc omnia satis prudenter, & politico-religiosè esse instituta à S.Ignatio Societatis fundatore, & ab eo præmeditata ad conseruandam puritatem, & ministrorum verbi Dei integerrimos mores, qui valdè necessarij sunt ad animarum profectum ob quos fines à Summis Pontificibus sunt confirmata, & institutum huius sancti Ordinis magnis priuilegiis exaltatum, & ob insignia merita in Ecclesiæ augmentum & ædificationem magnis honoribus eleuatum, & iure quidem optimo. Fateor etiam quod Doctissimus Pater Suarez meritissimus societatis Alumnus *cap.2. cit. à num.3.* egregiè enucleat difficultates, quæ contra suum institutum quidam excitarunt, easque speculatiuè extricat & componit absolutionem à votis simplicibus in dimissis, cum vera & propria Religiositate, quam habent, dum sunt huius societatis membra suo capiti Generali & corpori mystico communitatis vnita, hæc enim speculatiuè & pro aliquo societatis statu benè sunt propugnata, & vt propugnatio solida esset sat foret Apostolica confirmatio, à Sanctissimo viro instituta & præmeditata.

Cæterùm † magna angor difficultate, & 15
velim, quod Sedes Apostolica ab Spiritu Sãcto directa moderamen poneret, vt dimissorum sic crescens numerus frangeretur & minueretur, & ne tot qui verè & propriè erunt Religiosi, & vera professione, (vt ait Suarez) Religioni vniti, dimissi sint imò facti vna caro cum legitimis vxoribus, quæ vnio vxoria horum dimissorum satis peruia est in vniuerso & magnam generat in fidelium mentibus admirationem, ne dicam scandalum, velim inquam ne isti dimissi multiplicarentur ex vi Religiosi facti & à vinculis votorũ absolutos illæsos ad sæculũ abire faciat Pater Generalis, quod his temporibus in quibus primus ille feruor aliquatenus tepuit, exposcantur aliquæ vrgentissimæ causæ quas Sedes Apostolica exprimat & decernat, quas transilire nequeat Generalis, eiusque potestas limitetur, & coarctetur, ne ita crescat dimissorum numerus, quorum plurimi qui ob aliquam causam nõ nimis vrgentem dimittuntur, si in societate perseuerarent pænitentia correcti, tum ipsi societati, tum fidelibus maximo essent adiumento in spiritualibus.

Inconuenientia Ecclesiastico-politica, 16
quæ ex hac ita peruia religiosorum exreligiositate & dimissione ad sæculum sine aliquo votorum nexu, aut vinculo sequuntur, Ordinarij clamant, Capitula Ecclesiarum experiuntur, & mundus admiratur. Cur obsecro non expediet, quod Sedes Apostolica hoc dimissorum genus coarctet & limitet, atque reformet, si enim ferè omnes Religiones (vnam Carthusiam iure excipio) qui in primæua sui instituti obseruantia floruerunt, creuerunt, & fructus suauissimos in vinea Domini Sabbaoth protulerunt, & decursu tẽporis ob inconuenientia, quæ fragilitate humanæ inconstantiæ visa sunt pullulare in rigore obseruantiæ tepuerunt, & declinarunt ab antiquo feruore, & Pontificia auctoritate à viris grauibus, & zelo disciplinæ instructis reformatæ sunt, temperamento apposito vt inconuenientia vitentur, & ordo ipse integer perseueret in rigore re- 17
gularis disciplinæ, cui erit indecens, quod

ostium ad dimittendum apertum obseretur, & occludatur? ne ita facile pateat, vt per illud, ad sæculum dimittatur qui Deo se perpetuo dicauit ne inter sæculares delitias, & negotia viuat, ex religiosus factus, ac si nunquam vere Religiosus fuisset, hæc enim ostij huius reclusio moderata satis conformis est tum monasticæ primæuæ, tum Ecclesiasticæ antiquæ disciplinæ, iuxta quam etsi aliqui à monachorum consortio expellerentur, tamen erat temporaliter, nec erat ita monachorum numerus magnus sicut modo est dimissorum à Societate, vsitatum etiã est, quod id quod pro temporum exigentia vnum Concilium rigide decernit aliud subsequens moderetur visis inconuenientibus & crescente multitudine, sic Concilium Anziranum *cap.6.* & Nicænum 1. *c.12.* & Arelatense 2. *cap.* 12. moderantur Concilium Eliberitanum *can.1. de negando viatico Christiano sacrificanti Idolis*; quam reformationem pro temporum diuersitate declarat Innocentius 1. *epist.3. cap.2.* vt notant Baronius *ann.305. n.40. & 43.* Bellarm. *lib.2. de Imag. cap.7.*

18 Et quidem non video, cur † Vrban. VIII. in suo Decreto *de eiectis* moderamen posuerit, habenas cohibuerit, formam instituerit eiiciendi à Religionibus homines pessimorum morum, quos ex sufficientibus causis Superiores expellebant attendentes puritati religionis, & sanctitati, & bonæ opinioni ministrorum Euangelij (nec enim minus attendunt proximorum saluti ordines alij mendicantes) ne scilicet eiectorum numerus succresceret, & cum hodie dimissorum à Societate numerus in tota Ecclesia quasi sine numero succrescat, non sit cohibẽda potentia Generalis ne dimittat à vinculis absolutos ad sæculum tot, & tantos religiosos, qui se diuino cultui quantum est ex parte sua perpetuo dicarunt, & consecrarunt ex causa non admodum vrgenti, & quæ alio modo, quam dimissione præcaueri potest, & quæ temporis aliquali decursu, speciali cura, & remedio sanari queit, hæc enim dimissio dubio procul est magnum damnum spirituale, quia illa priuatur dimissus tot bonis spiritualibus, quibus fruitur alumnus societatis, dum illi est vnitus, & est veluti quædam excommunicatio, sicut de

19 expulsione loquitur D. Thom. † *quodlib.vlt. art.vlt.* de hac enim grauissime loquitur sacrum Vrbanum Decretum §.4.. *Sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis quam profitentur nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas antequam grauissimum atquè extremum expulsionis remedium experiantur, idque eo magis, quod subditorum sanguinem qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt. D. N. Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.*

Obsecro à viris cordatis, & animarum ze- 20
lo præditis, vt præfata verba grauissima ponderent sine passione. Si sacra Congregatio expulsionis remedium ad cõseruandam religionis puritatem, & bonos mores ministrorum, & ordinis decus, dicit *esse grauissimum, & extremum remedium* ante quod *nihil intentatum relinquere debent Superiores*; cur non idem dicendum est de expulsione & dimissione Religiosorum societatis, qui ex sua parte perpetuo sunt Deo dicati? isti enim cum ad sæculum redeant à vera religiositate sæcularibus negotiis se implicant sicut ante absoluti, & liberi ab omni religionis vinculo, quo se perpetuo vinciunt, & ligant, & cur expulsi ab aliis religionibus *grauissimum, & extremum remedium* patiuntur, nisi quia priuati consortio Religiosæ communitatis, & bonis, ex illo ipsis prouenientibus spoliantur, hoc idem spolium habent dimissi à Societate, imo multo maius, quia absoluuntur à consecratione illa quam acquisierant ex votis, quæ emiserunt, etsi simpliciter non solemniter, expulsi autem ab aliis religionibus manent ligati votis suis, etsi emendentur debent Superiores eos admittere, qua spe manent priuati dimissi à societate, vnde per dimissionem periculosius spolium patiuntur, & maius, ergo vt dimittantur grauissima exigitur causa, & hodie erat satis conueniens quod Pontifex eas causas assignaret, & formam dimittendi Generali præfigeret sicut præfixit aliis Religionibus, vt expellant & eiiciant.

Vrgetur † totum hoc motiuum ad refor- 21
mandum modum istum eiiciendi à Societate, non dico ad reformandos mores, quia de hac reformatione non loquor, sunt enim valde Religiosi, quia etsi Pontifex possit (iuxta Caietani, & ipsis societatis omnium fere scriptorum sententiam) de Religioso solemniter professo facere non religiosum, & ad sæculum à religiositate absolutum illæsum abire facere, quia votum solemne habet implicitam conditionem, nisi Pontifex ab vinculo illius absoluat, & religiositas solemnis tandiu sit quandiu Papa non manumittat, vt in libertate sæculari viuat, qui se Deo mancipauit, tanquam seruus in professione solemni; tamen omnes quotquot scripsere adfirmant Pontificem hoc facere ex grauissimis, & vrgentissimis causis, motum, & raro hãc suam de plenitudine potestatis iurisdictionem exercuisse, imo forsan legitur quod exercuerit, vt faceret de religioso ve-

ro ac proprio non religiosum, imo votum de religione capessenda, nisi ex eisdem grauissimis causis, & raro dispensat, similiter, & in voto castitatis absolutæ simplici, eadem difficultate absolute dispensat, vt praxis antiqua Ecclesiæ monstrat, & confirmat. Ius ergo ipsum quod Pōtificem coarctat, ne vtatur sua de plenitudine potestate, expostulat, vt coarctetur potestas Generalis Societatis, ne ita ampla sit vt ex eo præcisè quod quis, qui aptus minister receptus est, factus-
22 que vere, & proprie Religiosus perpetuo ex parte sua per emissionem trium simplicium votorum, & ingrediendi societatem, factus est ineptus vel corpore, vel alio obstaculo, aut per crimina occulta, quæ scandalum non generarunt à vinculis votorum absolutus dimittatur illæsus ad sæculum, matrimonium contrahat, & cætera negocia sæcularia tractet, visis enim grauissimis inconuenientibus, quæ quotidie experiuntur ex huiusmodi facili dimissione à Religione sine votorum aliqua obligatione, & vinculo; æquum est, vt à Summis Pontificibus reformetur potestas Patris Generalis, & coarctetur, quam reformationem potestatis dimit-
23 tendi possunt expostulare Principes sæculi à sede Apostolica tanquam suo regimini politico-Catholico valde conuenientem, vt à grauissimis Regiis Consiliariis audiui. Sic enim aliorum Ordinum instituta moderata sunt, & reformata à Pontificibus, quia visis inconueniētibus nō poterant vt instituta sunt conseruari, leges enim tam ciuiles quā canonicæ pro temporum varietate corriguntur, reformantur, derogantur, & immutationem recipiunt, & lex vno tempore erat proficua, in altero est nociua.

24 Hæc dixerim non damnans Societatis institutum toties à Summis Pontificibus laudatum, & iure optimo exaltatum, multotiésque à sede Apostolica confirmatum, sed propono inconueniētia quæ omnes fere agnoscunt hodie in tam facili dimissione, & quod pro causa non ita vrgenti grauissimum & extremum remedium dimissionis applicetur relictis aliis multis mediis, quibus animæ fratrum luctari possunt, quæ Pontifices possunt determinare pro sua desuper data sapientia, cui omnia quæ hic scripsi submitto, sicut & ea quæ in omnibus meis operibus dixi, & pronuntiaui.

25 Igitur † sacra Congregatio per Ly *legitime professus*, intelligit qui ordinis iure seruato professionem emisit siue tacite siue expresse iuxta Concilij Tridentini Decretum, & cuiusque Religionis approbatæ constitutiones, & statuta, ita ex Abbate *cap. consanguinei. de re iudicat.* Bertaz. *de clausul. instrumental. clausul.* 8. *gloss.* 6. Seraphinus *decis.* 290. *numer.* 2. *& decis.* 433. *num.* 6. docet Barbosa *tractatu de dictio. vsufrequent. dictio.* 188. *numer.* 2.

SECTIO II.

De incorrigibilitate.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur contumacia.*
2. *Voluntas rebellis & contumax, animusque obstinatus exigitur, vt ouis morbida ab ouili regulari expellatur ad sæculum.*
3. *Quis incorrigibilis dicatur.*
4. *Quæ incorrigibilitas exigat criminis replicationem.*
5. *Vnde eliciatur incorrigibilitas.*
6. *Quæ monitio atque iuridica punitio, vt pœna spiritualis inferatur à iudicibus Ecclesiasticis, trina debeat esse. & num.* 7.
8. *An si quis Religiosus atrox delictum committat semel duntaxat, de illoque maximè doleat, possit à iudice regulari puniri pœna corporali triremium.*
9. *Quid veniat aduertendum. & n.* 10.
11. *Variorum DD. sensus afferuntur.*
12. *Rebellis quis dicatur.*
13. *Authoris iudicium adducitur. & n.* 15.
14. *Nullus legitimè professus potest expelli, nisi sit verè incorrigibilis.*
16. *Sacræ Congregationis mens adfertur, & n.* 23. *necnon Gregorij IX. & n.* 18.
17. *Ouis morbida in scabie obdurata, & immedicabilis est eiicienda.*
19. *Antiquitùs priusquàm aliquis à Religione expelleretur multæ præibant monitiones.*
20. *Boërij sententia propalatur.*
21. *Licet quisquam sit immersus frequentium grauiorúmque vitiorum voragine, non est à monasterio reiiciendus, ex S. Isidoro.*
22. *Tripliciter potest dici quis incorrigibilis.*

DE qua plura multoties in meis libris publicaui, sed quia eius vera intelligentia ad plurimas difficultates inter regulares extricandas valde est necessaria placuit à fundamentis eam enucleare. Et quidem *supra*, contumaciam, & incorrigibilitatem distinximus, vt verè distingui debent. Etenim † contumacia est à verbo *contumeo*, vel *contemno*, 1
deriuata & inobedientia voluntaria, qua quis non assentitur monitioni iudicis, aut dissentit alicui veritati reuelatæ, cui assentiri tenetur, vt notat Glossa *cap. ex litteris verbo contumaciter. de dolo & contumacia*, vbi in pluribus terminis iuris *contumaciam* explicat, sed omnes inobedientiam voluntariam inuoluunt, & sic contumacia, quæ requiritur, vt quis in hæresim prolabatur, & vt ligetur excommunicatione, aliaue pœna, & censura Ecclesiastica, quæ contumaciam

ciam exigit, necessario exigit quod saltim virtualis sit inobedientia voluntaria, siue respectu iudicis, & Superioris imperantis, siue respectu assensus præceptiali cuius veritatis reuelatæ, vt latè ostendit Nicolaus Baldelus *tom.* 2. *disp.* 3.

2 Vnde *cap. ea quæ de statu Monach.* dicitur. *Ipsi visitatores, Monachos, quos contumaces inuenerint, & rebelles iuxta modum culpæ regulari censura percellant, & ouem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiant oues sanas*, &c. Vbi † voluntas rebellis, & contumax animusque obstinatus exigitur, vt ouis morbida ab ouili regulari expellatur ad sæculum, cui textui conformatur *Decretum Vrbanum* requirens præter incorrigibilitatem iuridicam, animum obstinatum, contumacem, & rebellem. Hoc est quod D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 10. *ad* 3. loquens de religiosis, ait. *Si peruenianat ad hoc quod ex contemptu peccent efficiuntur, & maxime incorrigibiles. Secundum illud Hieremi* 2. *confregisti iugum, dirupisti vincula, dixisti non seruiam in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Quibus verbis contumacem, & rebellem voluntatem enucleat, & explicat illis verbis, dixisti, *non seruiam*, etsi enim quis multoties disrumpat legum, & præceptorum vincula, iugumque regulare confringat, si tamen non dicat *non seruiam* non est contumax, & rebellis, vt illi pœna spiritualis qualis est eiectio à religione imponatur.

3 Incorrigibilis vero † dicitur quantum attinet ad propositum non ille, qui corrigi non potest, nullus enim est homo viator, qui à via sua mala corrigi nō possit quantuncunq; sit degrauatus, & obstinatus, soli enim damnati in hoc sensu incorrigibiles sunt. Quare in præsenti incorrigibilis est, qui suis malis moribus pessimis inclinationibus abstractus, & illectus, quasi ex quodam contemptu relabitur in crimina, & peccata à quibus non vult emendari, quamuis fraternaliter,
4 & iuridice corrigatur. Hæc autem † incorrigibilitas secundum ius commune, exigit criminis replicationem, essentialis enim incorrigibilitatis conceptus, & primaria nominis notio est replicatio delictorum absque pœnitentia, & dolore, in eis perseuerantia, imo vt iuridica sit incorrigibilitas requiritur quod delicta multiplicentur post punitionē, & pœnam à iudice pro illis illatam, vnde ad incorrigibilitatem iuridicam non sat est fragilitas prolabendi in peccata, qua, quis potest multoties prolabi in vnum vel diuersa crimina, sed consideranda est in foro externo obduratio, & perseuerantia in illis committendis, quæ non constat nisi experientia comprobetur, vnde egregie Abbas Panormitanus ab omnibus receptus *cap. cum non ab homine n.* 28. *de iudicis* dixit. Quod † incorrigibilitas elicitur non ex simplici iteratione delicti, sed præcedenti illo triplici pœnæ gradu per iudicem Ecclesiasticum, tunc enim in foro externo quis nititur contra Superioris officium, & in profundum deueniens contemnit eius præceptum, fitque plaga immedicabilis, & voluntas incurabilis. Ex quo fit (vt bene notant DD.) vt si quis millies in fornicationem aut aliud grauius peccatum sodomiæ inciderit, non tamē monitus aut punitus fuisset, non posset ex numero culparum iudicari incorrigibilis, quia omnia illa peccata antecedentia reputantur quantum ad incorrigibilitatem, vt vnum, cum numerus ad incorrigibilitatem necessarius, & requisitus à iure ex repetita monitione, repetitaque iuridica punitione crescat, vnde non sufficit, quod Superior tanquam Pater corrigat, & puniat, sed punitio per iudicem Ecclesiasticum multiplicari debet. 5

Hæc autem † monitio atque iuridica punitio, vt pœna spiritualis inferatur à iudicibus Ecclesiasticis trina debet esse, & præcedere debet ad pœnam præfatam inferendā. Ita expresse habetur *cap. cum non ab homine de iudiciis*, vbi eleganter Glossa *verb. post modum versic. vbi vero*, & Glossa *cap. cum non ab homine de sent. excommun. verb. contempto.* vnde quis non iudicatur incorrigibilis in iure nisi correctus ter non emendetur, nam semel atque iterum si correctus non corrigatur, fragilitati, negligentiæ, & ignorantiæ, etsi culpabili potest attribui, si tamen tribus vicibus, duritiem, & obstinationem denotat, ex hoc enim numero in iure vtroque satis vsitato iudicis patientia, & charitas, & rei obstinatio, & incorrigibilitas designatur & præsumitur præsumptione iuris; & à iure, quod quis incorrigibilis existat, dicitur enim in iure quis incorrigibilis, qui sæpe monitus, & punitus relabitur, sæpe autem non fit aliquis actus nisi tribus vicibus replicetur *leg. veluti §. fin. D. de edendo leg. seruus. C. de vi publi. cap. si quis erga* 10. *quæst.* 7. vbi 7
Glossa, & quamuis aduerbium *sæpe* verificetur in duobus actibus *leg. iuxta leg. liberorum D. de verb. signific. cap. consideres. de pœnit. dist.* 5. tamen regulariter tres actus requirūtur, quamuis vt notant Reb uff. *leg. sæpe* 53. *de verb. signific.* Martha *de iurisd. p.* 2. *cap.* 23. *num.* 17. quot actus requirat aduerbium *sæpe* iudicis arbitrio relinquant, quod ego intelligo in ordine ad pœnam temporalem, & corporalem inferendam, ad quam Parlamētum Parisiense duas punitiones iuridicas, dumtaxat dicit sufficere, vt post illas clericus tradatur ob grauia crimina brachio, & curiæ sæculari, quod refert Clarus Alexand. *§. final. quæst.* 36. & ibi eius additionatores, at vero

vero vt quis dicatur incorrigibilis in ordine ad pœnam spiritualem triplicem requiri monitionem, & punitionem iuridicam. Ius Ecclesiasticũ passim proclamat. Legendi sunt Sayr. *decensur. l. 5. c. 21. n. 37.* Graffis 1. *p. decis. lib. 2. cap. 24. num.* 19. Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 9. num.* 4. vbi plures citat.

Ex qua doctrina valde confirmatur id quod in superioribus probatum relinquimus vi-
8 delicet, quod † si quis religiosus atrox delictum committat semel dumtaxat, de illoque maxime doleat, potest à iudice regulari puniri pœna corporali triremium, aut carceris perpetui, non tamen potest expelli à religione, nisi sit incorrigibilis incorrigibilitate requisita iure triplice præeuntte monitione iudiciali, & triplici etiam punitione formato iuridico processu. Videant ergo Regulares quantum pondus grauitatis sit processus criminalis contra Discolos formatos in archiuio, & prothocollo domus conseruare, quia nisi iuridice constet aliquem esse monitum, & punitum iuridice formato processu triplici, nequit iste talis iuste eiici à Religione, quia sententia de eiectione debet esse pro incorrigibilitate, quæ secundum ius canonicum non existit, nisi reus à iudice trina monitione moneatur, & triplici sit punitus pœna, quod in actis processus ad eiectionem constare debet, aliàs nulla est sententia, Innocentius *c. 2. de libell. oblat.* Ioannes Andreas *in additio ad Speculator. tit. de sent. Prælat. verb. si iudex* Abbas *cap. illa propositorum de accusat.*

Hæc de incorrigibilitate secundum ius canonicum commune, nam si sit aliquod ius municipale, & statutum alicuius Religionis confirmatum à Sede Apostolica iuxta illud
9 explicanda est incorrigibilitas, verum † aduertendum est, quod si hoc statutum confirmatum est ab Apostolica sede ante Decretum Vrbanum iam euanuit, & abrogatum est, ipso Decreto, & incorrigibilitas decernenda est iuxta iuris canonici sanctiones, & insuper addenda est forma de nouo introducta ab ipso Vrbano VIII. cuius particulæ explicamus sigillatim, quod secus est si statutum post hoc Decretum sit confirmatum.

Modo restat expugnandum dubium quod
10 quidam iuniores excitarunt, an stante hac doctrina de incorrigibilitate iuridica tam iure communi quam iure nouo Vrbano, sufficiat incorrigibilitas *de facto*, quæ in hoc consistit quod quis sit peruersæ naturæ, pessimarum inclinationum, moribus perditissimus, inquietus, litigiosus, multis, & grauibus delictis complicatus, de quo fere nulla est spes emendationis, tamen Superiores sine formatione triũ processuum, triumque monitionum, & punitionum iuridicarum, ipsum paternalibus correctionibus, & reprehensionibus, pœnitentiisque regularibus contenti, nulla interposita sententia ipsum cohibuerunt, sine fructu tamen, quia propter peruersam naturam, moresque malignos, incorrectus perseuerat, an inquam iste talis vnico dumtaxat formato processu de moribus, & vita, possit seruata tamen forma Vrbana de anno carceris expelli à religione.

Ante Decretum Vrbanum adfirmarunt † Rodriguez Senior *tom. 1. quæst. 30. art. 2.* 11
Miranda *tom. 1. quæst. 52. art. 2.* Portel *verb. eiicere num. 1. versic. tertio nota* Alphonsus de Leone *Recollect. 6. num.* 314. & 313. Sanchez *lib. 6. sum. cap. 9. num.* 4. Additionator ad Bernardum Diaz *in praxi cap.* 140. §. *incorrigibilis* Clarus Alexand. §. *fin. quæst.* 36. *num.* 3. Sed post Decretum Vrbanum idem defendunt Rodriguez Iunior *Resol.* 57. *num.* 2. Sanctorius de Melphis. *de pœnis cap.* 19. *pag. mihi* 247. Peyrinis *tom. de subdit. quæst. 1. cap.* 25. *dicto* 3. Quod sic Sanctorius confirmat, quia pecus morbida eiicienda est, antequam alias inficiat, & hic est scopus sanctorum Canonum. Neque enim ita adhærere debemus litteræ legis, vt contra legis voluntatem nitamur. Trina autem monitio non est de forma legis, adeo vt ea non seruata actus corruat, sed datur ad solemnitatem experimenti, at cum tale experimentum cumulatissime habeatur sine tali solemnitate, & notorium sit hunc esse pestilentem, non est necesse, vt illud aliunde venemur expectando trinam monitionem, colligiturque ex multis delictis ob quæ si semel committantur potest clericus, & religiosus triremibus adiici, ac etiam degradari, & brachio sæculari tradi, vt est homicidium qualificatum crimen læsæ Maiestatis, diuinæ, & humanæ, Sodomia, & multa alia, rursus contumax, & rebellis potest expelli *cap. fin. de stat. Monach.* Rebellis autem est † qui obedire 12
detrectat, & potest esse talis etiamsi ter non fuerit per interuallum trium sententiarum punitus, & manet in suis delictis vel ob imprudentem Superiorum pietatem, vel ob timorem fœminilem, vel ob ignorantiam conficiendi processum, adeo tamen eius pestilens contagium, & scandalum creuit, vt moraliter videatur necessarium ipsum à consortio regulari eiicere, & expellere, probata vnico processu eius incorrigibilitate, sicque in carcerem detrudi iuxta nouam formam Vrbanam ad effectum expulsionis.

Verum enim vero stante, vt stat in praxi, Vrbano Decreto, † hanc sententiam om- 13
nino inpracticabilem iudico, & conuincor hoc discursu; quia vel trina iuridica per tres sententias data monitio, & punitio, ob idem repetitum

repetitum delictum, vel æquale, vel grauius requiritur iure communi ad effectum expulsionis, quæ est grauissima pœna spiritualis, vel hæc trina iuridica monitio, & punitio non exigitur iure communi, si dicas primum, manifestum est quod nisi præcedat, sententia expulsionis nulla erit, quia eam exigit tanquam formam Vrbanum Decre-
14 tum §. 4. ibi. † *Nullus legitime professus potest expelli nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque religionis, & ordinis etiam à sede Apostolica approbatis, & confirmatis, &c.* pondere. Ly *vere incorrigibilis.* Veritas autem ista est veritas iuridica, quæsita est in experimẽto sumpto, ex triplici sententia data pro delicto triplicato punito, vbi autem non est triplex hoc experimentum, non est quis vere incorrigibilis iuridice, si vero dicatur, quod ex iure communi non requiritur, vt quis sit vere incorrigibilis, trina hæc punitio, & monitio iudicialis ad effectum expulsionis à religione, est contra omnes quotquot scripsere iuris canonici interpretes, cum Panormitanus *cap. cum non ab homine cit.* Quamuis enim ad pœnam corporalem sufficiat atrocitas delicti ob cuius publicam vindictam imponitur, non tamen ad expellendum à Religione, & priuandum expulsum à consortio, & priuilegiis religiosis concessis, nec enim à pœna corporali ad spiritualem arguendum est, vt egregie adnotauit D. Th. *quodlib. vlti. art. vlt.*

15 Amplius † etsi ad incurrendam excommunicationem, aut inobedientiam quæ nõ incurritur nisi ob contumaciam ab homine, sufficiat vna pro trina monitione datis interuallis pro qualibet monitione, quãdo necessitas id exigit *cap. nemo 2. quæst. 1. cap. sacros. de sententia excomm.* vt late Sylvester *verbo excommunicatio. 1. num.* 12. Summa Raymundi *lib. 3. tit. 31. cap. 56.* tamen hoc ita contingit, quia ius canonicum ita determinat, quã limitationem non facit respectu trinæ punitionis, & admonitionis iuridicæ quæ requiritur ad veram incorrigibilitatem, cum enim hæc monitio, & punitio Iudicialis requiratur à iure, vt frater corrigatur, & emendetur, nisi intercedat interuallo in vnam, & aliam posito, non sumitur experimentum iuridice sufficiens, vt quis iuridice iudicetur vere incorrigibilis, & sæpe contingit quod vna iudicialis correctio, & punitio coerceat, & reprimat ad componendos mores, multo magis quam plures monitiones fraternæ, & paternales, & regulares pœnitentiæ extra ordinem iudicialem datæ, quod experientia compertum est.

Præterquam quod sic ligantur affectus odij, & zeli indiscreti qui multoties viget in superioribus qui moti talibus affectibus mores, & vitia exaggerat, & facile inueniunt sibi subditos assentientes, & testificantes aliquem esse dignum, vt vno dumtaxat processu formato, recludatur in carcere ad effectum expulsionis, qui si trina monitione, & punitione iuridica corrigeretur non vere esset incorrigibilis. Hoc enim est quod sa-
pienter, & prudentissime † sacra Congrega- 16
tio §. 4. *in fine, monet serio Religionum Superiores ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis quã profitentur nihil intentatum relinquant; vt lucrentur animas fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas antequam grauissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur.* Et quomodo obsecro circa hunc religiosum graphice descriptũ à Rodriguez, & Peyrinis, in profundum malorum delapsum, nihil intactum relinquunt Superiores, si ante triplicem punitionem triplici sententia datam, vnico dumtaxat formato processu ipsum à Religione expellunt post annum carceris elapsum? ipsi auctores contrarium sentientes iudicent.

Ex quibus corruunt absque molimine fundamenta opposita, finis enim motiuus sacrorum Canonum, est vt † ouis morbida, 17
quæ in scabie est obdurata, & immedicabilis, & vere incorrigibilis ab ouili regulari eiiciatur, ne alias suo contagio inficiat, tamẽ prius vult, vt experimentum de insanabilitate, & incapacitate correctionis sumatur, non quomodocunque ex notorietate criminum, & pessimarum inclinationum, & morum corruptorum, sed ex triplici monitione iuridica, & punitione dimanante à Decreto iudicis ex triplici sententia, & aliter experimentum quantum ad effectum expulsionis non est adæquatum, & sufficiens, nec subsistit contumacia, & inobedientia, quam ius canonicum exigit ad expulsionem ab ordine, quamuis si crimina grauia sint, sufficiat vnus processus ad infligendam pœnam corporalem vel triremium, vel carceris perpetui vel ad longum tempus, quod minus aduerterunt DD. contrarij confundentes pœnam corporalem, cum expulsione cum sit vtriusque diuersa ratio.

Hinc enim ego singulariter intelligo *cap. ne Religiosi 24. de Regularibus*, vbi Gregor. IX. determinat quod † *religiosi eiecti requi-* 18
rantur solicite annuatim, & in carceribus ad agendam pœnitẽtiam recludantur, quod caput corrigit *cap. cum ad monasterium. 6. de stat. Monacho.* vbi Innocent. III dicit. *Expellendum esse à Monasterio regulari monitione premissa religiosum proprietarium, nec vlterius recipiendum nisi pœniteat secundum monasticam disci-*
plinam.

plinam.Hæc inquam determinatio Innocentij, visis inconuenientibus, quæ ex illa quotidie oriebantur, multi enim se proprietarios faciebant, vt expellerẽtur ad sæculum, & sic ex delicto leuamen à regulari pœnalitate accipiebant, correcta est à Gregor. IX. decidẽte, quod isti eiecti in carceribus recludantur, vt bene aduertit Panormitan. *cap. cum ad Monasterium cit. num.* 13. non enim eiectio ista erat absoluta, & remota nec facta cum obseruantia iuris communis, sed iuxta speciale horum sanctorum dictamen, quod tunc temporis sanctissimum, & prudentissimum erat, visis tamen, vt dixi grauibus inconuenientibus, quæ ex huiusmodi non iuridica, sed regulari dimissione oriebantur, eam præclusit, & correxit Gregorius IX. & ad terminos iuridicos reduxit, vnde D.Thom. *quodlib. cit.* D. Bonauent. *super Regulam quæst.* 14. Syluester *verb. Religio. 6. quæst. vlti.* & antiquiores Canonistæ solum propter incorrigibilitatem, dixere posse à Religione aliquem expelli.

Antiquitus enim primi Religionum fundatores, vt August. *cap.* 20. *Regulæ* & S. Be-
19 nedictus *cap.* 28. † etsi priusquam aliquis à monasterio, & fratrum consortio ad sæculum expelleretur, multæ præirent monitiones, & correctiones, vt experimentum de eius corrigibilitate, aut incorrigibilitate sumeretur, vt refert doctissimus Estenius *l.* 8. *disquis. Monasticarum disquis.* 6. vbi septem adnumerat gradus per quos deducendus est monachus priusquam expellatur, tamen gradus isti correctionis, & punitionis non erant iuridici, & per sententiam designati, sed ad Abbatis dispositionem, qui paterno affectu sic curabat infirmum, iuxta Sanctæ Regulæ dispositionem, etsi paternaliter correctus non emendabatur, à Religione expellebatur assumpta hac expulsione tanquã medio correctionis, vnde hæc expulsio monastica erat non iuridica, & canonica, sicut dum S. Benedictus excommunicari iuber aliquos delinquentes de excommunione Monastica loquitur non de excommunione Ecclesiastica, & canonica, vt supra docui, & expresse dicunt S. Hildegasdis *in cap.* 23. *Regulæ Sanctæ*, & constitutiones Camaldulensium à Pio V. confirmatæ. Igitur *cap. cum ad Monasterium*, loquitur de expulsione Monastica, & *cap. fin. de Regular.* illam limitat, & vult quod non fiat, sed quod ille qui eiici eiectione monastica meretur, in carceribus recludatur, vt ibi pœnitentiam agat securius de salute sua.

20 Hoc est quod † Boërius *ad cap.* 29. *Regul. Sanctæ*, qui scripsit *post cap. final. cit.* dixit, oportet supplere hodie vbicunque inuenitur in Regula monachus proiiciatur, vel expellatur à Monasterio idest retrudatur in ergastulum siue in carcerem, siue in aliud monasterium pro agenda pœnitentia transmittatur. Vnde quod hic dicitur de non recipiendo fugitiuo vltra tertiam vicem intelligi de communi consortio, sed bene ad ergastulum, quod bene intelligunt Petrus Cluniacens. *lib.* 1. *epist.* 28. suum defendens institutum de recipiendis toties quoties fugitiuis, & Apostatis Petrus Blesensis *epist.* 88. Bernard. *epist.* 102. hoc est quod dicebat S. Isidorus lumen clarissim. Hispalense in Regula *cap.* 26. quamuis † frequentium, gra- 21
uiorumque vitiorum voragine sit quisquam immersus non tamen est à monasterio reiiciendus, sed iuxta qualitatem coërcendus, ne forte qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari dum proiicitur, ore diaboli deuoretur, loquitur enim Sanctus Doctor, de dimissione, & eiectione Monastica tunc temporis in vsu, quæ correcta est per eiectionem iuridicam pro incorrigibilitate secundum ius canonicum, quæ eiectio iuridica grauissima pœna est, sicut etiam erat expulsio Monastica, de qua Cæsarius Arelatens. *Homil.* 3. *ad Monachos*, sic fatur. *Illis ipsis qui grauius apud nos delinquunt nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus inuenire sententiam, quam à corpore congregationis abscissi sine pace discedant.* Hæc ibi videant obsecro, & considerent quam pœnam imponunt ei quem expellunt, & dimittunt ad sæculum cogentes, vt à corpore Congregationis abscissus discedat, nulla tristior, nulla acerbior est, quod infra enucleabo. *Resol. penult.*

Noto circa id quod dicit Thom. Sanchez quem multi sine delectu, & disquisitione sectantur, asserit enim *vbi supra n.* 4. quod † tripliciter potest quis dici incorrigibilis, at- 22
que de eius emenda iure optimo desperari primò cum in criminibus perpetratis obstinatus, obduratus, aut obcæcatus perseuerat. Secundò, quum ter monitus non desistit à perpetrandis delictis similibus æque grauibus aut grauioribus. Tertiò, si assignatum pœnitentiæ locum deserat fugiendos, isti tres incorrigibilitatis modi non omnes sunt sufficientes ad expulsionem à Religione; sed solum secundus qui est iuridicus, vt vidimus, primus enim est incorrigibilitas theologica quæ vt probatum est non sufficit ad expellendum ab ordine. Tertius vero est incorrigibilitas præsumpta præsumptione humana prudenti, prudens enim iudicium est quod quis non vult se corrigere dum designatum locum ad satisfaciendum pro delictis in pœnitentia, fugit, & vagatur, hæc tamen fuga non sufficit, vt propter illam quis vt incorrigibilis à Religione iuridice expellatur, vt enim refert Peyrinis *tom.* 3. *priuilegior. fol. mihi* 563. *colum.* 1. *in magnis*. Generalis Minimorum supplicauit à Sacra Cõgreg. Concil. quatenus declarare dignaretur, an carceratus ad expulsionem, & intra annum fugam arripiens debeat declarari incorrigi-
bilis, etiam si annum non expleuerit, & Sa- 23
cr. Congreg. sic. † *Legitimè professos non posse à Religione eijci nisi postquam per annum integrum in carceribus in ieiunio & pœnitentia detenti & probati fuerint, & eo elapso non requiruntur. Fugientes verò à carceribus etiam pro huiusmodi fuga delicto esse puniendos, & posse ferrea custodia in carceribus detineri.* Hactenus declaratio satis clara, non tamen seuera, vt vult Sanctorius *vbi suprà pag.* 252. sed satis prudens, vt negotij expulsionis grauitas exigit. Quomodo autem huius anni incarcerationis debeat intelligi. Iã explico.

SECTIO III.

Qualiter annus carceris sit computandus.

SVMMARIVM.

1. *Annus carceris est computandus iuxta suppositionem Gregorianam.*
2. *An nullus Religiosus possit expelli nisi post annum integrum.*
3. *An annus carceris sit computandus de die in diem.*
4. *An annus probationis in carceribus ad effectum expulsionis debeat computari à momento in momentum.*
5. *An annus carceris debeat esse continuus.*
6. *Annum carcenis debere esse continuum, & non sufficere interpollatum qui sentiant.*
7. *Ratio difficultatis affertur.*
8. *An si incarceratus ad effectum expulsionis in grauem incidat infirmitatem & curationis gratia à carcere extrahatur, si infirmitate correctus non emendetur, possit iterum ad carcerem reduci.*
9. *Authoris iudicium, necnon variorum DD. sensus adducuntur. & n.* 10.
11. *Decretum Vrbanum requirit tanquam formam ad expulsionem celebrandam annum carceris continuum.*
12. *Annus carceris requisitus tanquam forma à decreto Vrbano, duo dicit, & n.* 13.

1 ANnus iste † computandus est iuxta suppositionem Gregorianam quæ incepit *anno* 1582. à quo Pontifex decem abstulit dies, quorum defectus non impedit quominus talis annus sufficiens esset ad ætatem requisitam vt quis obtineat officia, beneficia, suscipiat ordines sacros, aut integrum nouitiatus annum aut pœnitentiæ, exilij, carcerationis, & similium expleat, verũ est quod quum annus est complendus à momento in momentum in anno bissextili duo dies pro vno reputatur vt vigesimus quartus, & vigesimus quintus Februarij, in vtroque enim dicitur in Martyrologio *sexto Kalendas Martij* in pœnalibus vero cũ pœnæ sint restringendæ, hoc non tenet verum, in his enim annus solaris sufficit impleri, & sic est in anno carceris requisito ab Vrbano VIII. ad expulsionem. Non tamen assentior Sanctorio, *vbi suprà pag.* 254. vbi dicit, quod ab hoc anno requisito carceris ad expulsionem si deficiat hebdomada, mensis & dies antequam compleatur si præcessit trina punitio & monitio iudicialis potest quis tanquam incorrigibilis expelli. Hæc inquam sententia mihi nullatenus arridet, nec iudico posse practicari, tum quia declaratio Cardinalium adducta dicit, quod † non potest expel- 2
li nisi post annum integrum, hæc autem declaratio authentica est, cum eam adferat Doctissimus Peyrinis sciens nullius esse ponderis, nisi data & publicata sit iuxta Vrbanum decretum editum circa declarationes Cardinalium, tum ex ipso decreto Vrbano *de eiectu* dicente *non esse vere incorrigibilem nisi vnius anni spacio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus*, ast vnius anni spacium annum integrum in iure denotat, & quamuis non sit de momento in momentum intelligendus, at mihi indubitatum est, quod sit computandus à die in diem, assi- 3
gnatur enim à Sede Apostolica tanquam præuium tempus in quo sumatur experimẽtum de emendatione, priusquam grauissimum, & extremum remedium expulsionis in pœnam incorrigibilitatis applicetur, quare dubio procul integer in diebus debet esse, cum sit assignatus in fauorem rei incarcerati, & valdè cõtingens est, quod id quod non contigit in toto anno, in vltimo die contingat, & in illo contumaciã deponat, & capax reddatur correctionis & pœnam, qua nulla tristior, aut acerbior est fugiat, & non eiiciatur.

Ob quod mihi satis probabile est, & iuri conforme, quod † annus iste probationis in 4
carceribus ad effectum expulsionis debeat computari à momento in momentum, vt communis certáque sententia tenet de anno probationis in nouitiatu, ad professionem emittendam, sicut enim iste datur ad experiendum nouitio, an sibi conueniat Religio, & an isti nouitius conueniat, ita annus incarcerationis ad effectum expulsionis datur ad experiendum, an reus contumaciam deponat & reddatur capax correctionis, quod potest contingere in vltimo momento, & vsque ad illud desperandum non est cum nihil intentatum omittere debeant superiores, vt animas fratrum in profundum delapsas delictorum, lucrentur.

5 Sed est dubitatio grauis circa hunc integrum annum, † an debeat esse continuus, ita vt non sufficiat si interstitio aliquo interpolletur, & discontinuetur, verbi gratia, quis mittitur in carcerem incorrigibilitatis experiendæ causa; post aliquot menses carceris ab illo educitur, & post semestre iterum incarceratur vsque ad annum computatis prioribus mensibus, an iste annus sufficiat, alicui videri poterit non requiri hunc annum continuum esse, sed sufficere interpollatum, vna, vel pluribus vicibus, quia *lex Paulus.38. §.3. ff.de libera causa.* dicitur quod *si alicui sit relicta libertas, ea conditione, vt triennio continuo seruiret, si seruiat triennio interpollato debetur ei libertas.* Vnde Iason, *leg.si idem num.7. ff.de iurisd.omn. iud.* dicit, quod si sit statutum disponens, quod detentus in carceribus per annum liberetur, liberabitur, qui duplici semestri interpollato fuit detentus, in rebus enim fauorabilibus non est necessarium tempus esse continuum, sed tempora interpollata fauore ipso coniunguntur, & coaceruantur, vt benè Baldus *leg.non solum. ff. de excusat. tuto.* cum ergo hoc decretum editum sit, tam in fauorem Religiosi expellendi, quam Religionis expellentis, vt benè aduertit Sanctorius, annus sufficiat, quod fiat interpollate in carceribus.

6 Cæterùm † annum debere esse continuũ & non sufficere interpollatum sentit Sanctorius *cap.19. de pœnis pag.251.* quia, vt benè dicunt Sanchez *lib.5. Summ.cap.4. n.31.* Portel. *verb.annus n.4.* Bertachinus *verb. Annus & verb.præscriptio.* Glossa & alij Canonistæ, late Gutierrez *lib.1. Canon. quæstio. cap.12. num.24.* Quoties in lege aliqua, aut decreto, absolutè tempus aliquod exigitur id necessarium debet esse continuum, sic intelligitur Trident. *sess.25. de regular. cap.15.* vbi annus integer nouitiatus requiritur, & communis certáque sententia est, quod requiratur continuus. Cum ergo decretum Vrbanum dicat, quod eiiciendus vnius anni spatio in carceribus detineatur, & sacra Congreg. dicat per annum integrum, non videtur dubitãndum, quod sit futurus con-
7 tinuus, & † ratio videtur satis efficax, quia sicut annus nouitiatus præscribitur, vt nouitius perfecte asperitates Religionis experiatur & inter alia non infirmum locum tenet eas asperitates, sine intermissione perferre, multo enim difficilius est multóque magis macerat & affligit continua quadraginta ieiunia perferre, quam interpollata. Ita annus carceris designatus ad effectum expulsionis à decreto Vrbano, eo designatur, vt incarceratus pœnalitatem sentiat carceris ieiuniorum, & aliarum afflictionum, quæ ibi assignantur, si autem annus iste interpolletur interpollatione ipsa frustratur finis decreti scilicet, quod maceratione carnis spiritus corrigatur & emendatur, siquidem extra carcerem positus non affligetur, vt decretum intendit.

Hæc sententia absolute loquendo mihi 8
certa est ob eius fundamentum, dixi absolute loquẽdo, quia † si incarceratus ad effectũ expulsionis in grauem incidat infirmitatẽ, & curationis gratia à carcere extrahatur, si infirmitate correctus, nõ emendatur, dubio procul potest iterum ad carcerem reduci, & anno etsi interpollato completo eiici potest, infirmitas enim carcerem non discontinuat, sed loco illius substituitur.

Addo, quod cum † annus iste debet esse 9
carceris inclusi & occlusi si carcer apertus sit & liber, vt possint illuc accedere amici ad confabulandum & recreandum incarceratum, & iste multoties superioribus conuenientibus de carcere ad claustra & hortum exeat, anno transacto in hac lassitudine & ostio aperto, nequit eiici à Religione iuxta Vrbanam formam, quæ rigorem carceris exigit, vt ipso rigore correctus, simul in ieiunio, & pœnitẽtia emendetur, & capax efficiatur, & incorrigibilitatem animique duritiã deponat, si vero amicus, aut pater spiritualis, & grauis illuc continuo introducatur, vt ipsũ incarceratũ persuadeat ad deponendam contumaciam, & vt emendetur, aut de licentia custodis pro paruo tempore vna, vel altera vice exeat, & redeat ad reclusionem, & non sit fugæ prudẽs timor annus incarcerationis nõ discontinuatur ad effectum expulsionis, quia parũ pro nihilo reputatur, & parua relaxatio, non relaxatio dicenda, quia de minimis non curat Prætor, quod bene in specie carceris adnotant Abbas *cap.accedens de procurat.* Marsil. *in praxi verbo carcer. §. attingam n.24.*

Quamuis enim tempus petitũ ad aliquem 10
actũ petatur tanquã forma. *Auth.quæ supplic. C.de precibus Imp. offerend.* Iuncta Glos. *verb. forma.* quod docent Bald. Salic. & Ias. *ibi.* Reb. *tr.nomin.q.14.n.6.* Tiraq. *de retract.lignag §. 3. glossa 4. n.3. & 4.* quos citat & sequitur Sanch. *vbi suprà n.32.* omissio autẽ famæ etiã in minimo vitiat actũ, vt late probat Tiraq. *tr.de iud.in reb.exiguis n.12.* vnde † cũ decre- 11
tũ Vrb. requirat tanquã formã ad expulsionẽ celebrandã, annum carceris continuũ, minima eius relaxatio vitiat actũ expulsionis, sed respondetur hanc doctrinam veram esse, quia sine forma præscripta, cum consistat in indiuisibili, non obseruata etiam in minimo, actus non subsistit, quia forma est esse rei, & nulla res sine suo esse subsistit. Cæterùm † annus carceris requisitus tanquam 12
forma à decreto Vrbano, duo dicit, & quod sit annus continuus carceris, & hic est

est forma actus expulsionis, & quod sit carcer inclusus, & occlusus, & hæc reclusio non debet esse continua, ita vt si pro paruo tempore ob aliquod motiuum non malum incarceratus permittatur egredi ab ergastulo, quod carcer discõtinuetur quãtũ ad effectũ expulsionis, nam incarceratus dicitur si ita detineatur intra claustra, vt non fugiat, & ita carcere maceretur, vt carceris relaxatio non sit impedimento, vt rigore eius possit quis corripi, & emendari, quare etiamsi pro paruo aliquo tempore de reclusione carceris exeat, ostio eius aperto, incarceratus dicitur semper, etsi non dicatur reclusus, & Decretum annum carceris exigit tanquam formam expulsionis, non tamen annum reclusionis in carcere, quare si reclusio pro aliquo paruo tempore relaxetur non vitiatur forma requisita ad expulsionem.

13 Circa ieiunium & pœnitentiam, quam in carcere debet facere, nihil speciale occurrit dicendum, quia nihil in speciali determinat Decretum, sed quot ieiunia, quas pœnitentias esse imponendas arbitrio prudentis, & pij Superioris & iudicis relinquendas arbitror attentis circunstantiis personæ, ætatis, salutis, debilitatis virium, & similium, legendus est Sanctor. de Melphis *p.2. de pœn. cap.19. pag.251. vers. Respondeo* 3.

SECTIO IV.

Qualis carcer debet esse?

SVMMARIVM.

1. *Carcer importat priuationem libertatis in vsu membrorum corporis sine violentia membris adhibita.*
2. *An quis possit se vel alium addicere carceri.*
3. *Quid ex præmissis veniat colligendum.*

LAtus & spatiosus floribus eruditionis Ecclesiasticæ campus se offert non parum vtilis ad antiquos Conciliorum canones, & Sanctorum Patrum locutiones enucleandas, in quo aliquantulum spatiari non erit iniocundum, vt fructus ex floribus istis dulces, & suauiolentes carpantur ad operis exornationem, & pulchritudinem, ego enim quantũ locus Theologiæ moralis permittit lectoribus meis ..... album panem pinso, & farinam candidã à furfure secerno, quantum datur desuper à Patre luminum.

Ansam & motiuum dicendorum, mihi obtulit doctissimus Sylvest. *verb. carcer. n.1.*
1 *& q.1.* † *Carcer* (inquit) *importat priuationem libertatis in vsu membrorum corporis sine violentia membris adhibita, & sine custodia viua, sicut ligatio, aut compeditio importat idem cum violentia, & captiuatio cum custodia viua. Primo vero quæritur* † *an quis possit se, vel alium* 2
addicere carceri? & dico quod potest quis se facere includi in arcto carcere ad pœnitentiam agendam secundum Panormit. cap. veniens. de regularibus, & cap.illo. & cap.verè.16.quæst.1. Alium autem incarcerare secundum S. Thom. 2.2.quæst.65. art.3. licet solum secundum ordinem iustitiæ, scilicet ad pœnam vel cautelam mali vitandi, & hoc per iudicem solum, quia licet cuilibet liceat alium detinere ad horam ab aliquo illico statim perpetrando, sicut ne percutiat alium, vel se precipitet, tamen simpliciter alium includere, vel ligare ad eum pertinet solum qui habet vniuersaliter disponere de actibus, & vita alterius.

Ex quibus verbis † plura eruditio- 3
nis motiua colliguntur; & antiquitatis inquirendæ, & ad casus morales decidendos: Primum, quid proprie sit carcer; & quot modis dicatur. Secundum, quid olim inclusorum ordo & institutum. Tertium, quid antiquitus reclusio in monasterium. Quartum, an reclusio in monasterium infamiam; aut aliam inhabilitatem ad Ecclesiasticos gradus inducat?

SVBSECTIO. I.

Carceris Ethymon, notio, multiplex significatum, & acceptio?

SVMMARIVM.

1. *An carcer sit species quædam residentiæ.*
2. *Carcer sumitur pro sepultura.*
3. *Carcer domus circularis apud Hebræos dicitur.*
4. *An Carcer ex sua primaria origine non sit pœna, sed custodia.*
5. *Carcer dicitur à coërcendo.*
6. *Carcer ex sua primæua origine in pœnam dari repugnat de iure communi ciuili.*
7. *Innocentij IV. mens adducitur.*
8. *Quid veniat colligendum ex præmissis.*
9. *Nullus in carcere detinetur sub fida custodia, nisi ligatus retineatur.*
10. *Formalis notio carceris quas circumstantias non exigat.*

DE carceribus & clausuris, latiorem instituo sermonem, quia † species quæ- 1
dam residentiæ est, etsi de Monialium clausura iure canonico introducta in hoc tomo non edisseram, ne nimium excrescat, & sudor sub prælo differatur, sed ad sequentem tomum de vitiis oppositis residentiæ, déque residentia tempore pestis, famis, & belli, differo, vbi vt grauitas materiæ exigit disputabo. Quare hic de inclusione, reclusione, & incarceratione solum agam. De carceribus Martyrum, fœtidis, horridis, & profundis aliqua delibaui *tom.5.*

de vero Martyrio fidei in Anacephaleosi tormentorum, quibus Martyres adstringebantur non fidem Christi fateri, sed diffiteri & abiurare §.13. de hoc enim carcere Prudentius cecinit περιστεφανῶν *Hymno* 5. *lugubre in antrum mittitur, ne liber vsus luminis animare altum spiritum est intus in imo ergastulo lotus tenebris nigrior, quem saxa mersi fornicis angusta clausum strangulant, æterna lux illic latet.* & plura alia, quæ ibi videnda, non hic repetenda. Alia etiam adduxi ibi, *in Appendice de tonsuris & coronis Memb.6. de ergastulo rasorum & stigmatizatorum carcere*, & contra Stellarium accerrime defendi S. Isidor. Hispalens. quæ si legas non pœnitebit. Rursus de variis carcerum clausuris apud antiquos, tum ad martyres coërcendos, vt fidē abiurarent, tum ad puniendos insontes, & malefactores late Card. Bar. *in notis ad Martyrol. die* 14. *Martij*. Alex. ab Alex. *lib.*3. *dierum genial. cap.*3. vbi Tiraquell. erudite, vt assolet, & tandem apud Madaurensem *l.*4. *&*
2 *lib.*9. † carcer sumitur pro spelunca, & sic dictus est carcer *Dictæus*, in quo educatus est Iupiter, vt notat Gasp. Barth. *l.*35. *de ver. c.*14. Hinc multi patres in spelunca & antris inclusi dicuntur, & rursus apud eundem *lib.* 29. *cap.*8. ex Valeriano dicit *carcerem cœli*, quia scilicet Eclyptica cœlestis circulus est intra quem sol clausus egredi non valet, sed intra illum se circumagit mortales illumi-
3 nando. Hinc † apud Hebræos carcer domus circularis dicitur בית צוהל & Ambros. *in Ps.* 118. *Octona* 4. corpus *carcerem & gurgustium* animæ dicit, & Hugo Carens. *in cap.*2. *Ecclesiast.* laxiorem carcerem facit animæ, mundum ipsum *verb. carcer.* dicat, sic dictum, *quasi arcet, ab arcendo* probat ex Vlpiano, *leg. aut damnum.*8. §.9. *ff de pœnis.* sed ibi Iurisconsultus tale Ethymon non inducit, sed solum explicat finem carceris, dicens *carcer ad continendos homines non ad puniendos haberi debet.* Itaque † carcer ex sua primaria ori-
4 gine, non est pœna, sed custodia, quia tenentur homines, vt pœnas legum pro delictis impositas luant, & ad hoc arcentur à carcere, & sic potest dici, quod *carcer*, idest *arcer* ab arcendo dicitur, quamuis, vt ait Varro ad coërcendum etiam dicatur, quia ibi homines criminosi coercentur, detinentur, custodiuntur, ne fugiant. Vnde vtrumque Ethymon rectè inter se cohæret, nam
5 † dicitur carcer *à coërcendo*, non dicitur *ab arcendo*, coërcentur enim, ne membrorum vsu libere quo volunt ire vtantur, & arcentur ad supplicium interuentu. Triumuiratus qui carceris custodiam habebat, vt dicitur *lib.*1. *Digestor. tit. de orig. iur.* §.30.

6 Vnde † carcer ex sua primæua origine in pœnam dari repugnat de iure communi ciuili, nam carcer ad continendos homines non ad puniendos haberi debet, & sic Valent. & Theodos. Imperator. loquentes de carcer. *Cod. de custodia reorum leg. de his* 5. vtrumque Ethymon eleganter coniunxere, dicentes, *quod carcer est institutus, vt aut conuictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuina non maceret.* quod etiam † di- 7
xit Innocentius IV. *cap. quamuis de pœnis in* 6. *quamuis* (ait Pontifex) *ad reorum custodiam non ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur. Nos autem non improbamus conuictos in perpetuum, vel ad tempus, vt videris expedire carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam*, idem statuit Clemens V. *Clem.* 1. §. *duro de hæretic.* & Gregor. IX. *cap. penult. de hæretic.* isti perpetuo carceri mancipantur sicut, *cap. tua de pœnis.* Clerici fures in arctis monasteriis detrudi mandantur. Vnde iure Canonico carcer *à coërcēdo*, sumitur principaliter, non ab arcendo, eadem significatio sumitur carcer in legibus Hispanis & Venetis, apud quos carcer, siue ad tempus, siue in perpetuum datur, imo vt ex Halicarnasseo refert Gothifredus *leg. aut damnum cit.* sub Amutio, Romæ pœna carceris perpetui in vsu fuit, imo *Cicero* 4. *contra Catilin.* ait, *vincula, & ea sempiterna certè ad nefaria scelera inuenta sunt*, quod etiam adnotauit Valerius Maximus *lib.*6. *cap.*3. & 8. & multi quos adducit Petrus Gregorianus *lib.*31. *syntagmat. cap.*10. & Mantua *obseruat.* 96.

Hinc colligitur † prima de iure gentium 8
carceris notio, quæ est idem, quod custodia reorum in loco coërcentur, ne libere quocunque voluerunt vadant. Vnde Græce dicitur φυλακὴ δεσμωτήριον victorum locus. Hinc Hebraice כֶּלֶא clausirum cella à verbo כָּלָא clausit, occlusit & chaldaico nomine כֵּר carcer, in quo includuntur rei vincti, nam δεσμωτήριον, ἀ, δεσμὸς deriuatur, quod significat vinculum, quo quis ne fugiat vincitur. Hinc est, quod Vlpian. *leg. verum est.*216. *de verb. signific.* dixit, *eum qui in carcere clausus est, non videri, nec vinctum, nec in vinculis esse nisi corpori eius vincula sint adhibita.* ex quibus iurisconsulti verbis. Cataldinus *consil.*56. *vol.* 1. Glossa *leg.*1. *ff. de seruor. custod.* Innocentius *cap. nuper de sent. excommun.* quod † nul- 9
lus in carcere detineri dicitur sub fida custodia, nisi ligatus detineatur, vt contingit Præcursori *in vinculis.* detento *Matth.*11. & B. Petro *actor.*12. & clare videtur determinatum *leg.*1. *Cod. de custod. reorum.* vbi ad custodiam carceris etsi non requirat Imperator ad fidem custodiam reorum ferreas manicas ossibus inhærentes, vt cruciatio desit, requirit tamen prolixiores catenas, vt reus permaneat sub custodia.

Verumenimverò † formalis notio carceris has circunstantias non exigit, sed ab illis 10
abstrahit,

abstrahit, quamuis in omnibus fere nationibus, quando crimen graue est, & atrox inclusioni in loco à quo quis libere exire nequit vincula adhibeantur, adeo quod Tert. *lib. de habitu muliebri, cap.*7. *n.*55. vbi eruditissimus Pamelius dicat apud Barbaros quosdam (Æthyopes quosdam ait Canterus *var. lect. lib.*1. *c.*5.) *quia vernaculum est aurum & copiosum auro vinctos in ergastulo habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* Igitur formalis carceris notio, vt dicebā est, quod quis detineatur intra clausos parietes, ex quo loco exire non possit, quando libuerit, & sic dicit priuationem libertatis in vsu mēbrorum, vt dicebat S. Th. & ex ipso Sylu. *vbi suprà.* Vnde egregie Callistratus Iurisconsultus *leg. succurritur.*9. *ff. ex quibus causis maior.* §.2. dixit *vinculorum appellatio latius accipitur, nam etiam in electos veluti latumiis, aut latomiis vinctorum numero haberi placet, quia nihil interfit parietibus, an compedibus teneatur custodiam autem solam publicam accipi, Labeo putat.*

SVBDIGGRES. I.

Carcer ex vi nominis plures habet notiones.

SVMMARIVM.

1. *Carcer ex vi propriæ notionis plura habet significata.*
2. *Domus Diaboli est carcer in quo familiam suam continet, ex Tertull.*
3. *Carceris definitio affertur.*
4. *Ad propriam carceris notionem duo requiruntur.*
5. *Quid sit carcer vniuersaliter ex consuetudine plurium nationum, & ex dispositione iuris Canonici & Regularis, & n.*6.
7. *Inter Regulares est duplex reclusionis modus, & num.*8.

1 EX quibus plura ad morales casus decidendos deducuntur. Primò, quod † carcer adhuc ex vi propriæ notionis plura habet significata, plurésque acceptiones, carcer enim cum sit locus à quo malefactor libere exire non valet, hæc notio late extenditur, quamuis enim carcer designatus à communi Principe, quem vnum dumtaxat habuisse Romam antiquam Regibus gubernatam gloriatur Iuuenalis *Satyra* 3.

Viderunt vno contentem carcere Romam,

2 De quo carcere Tertullian. *l. ad Martyr. c.*1. † *Domus quidem* (ait) *Diaboli est carcer in quo familiam suam continet*, quod satis proprie dictum est cum malefactores, & criminosi ad quos continendos, & custodiendos carcer primo est institutus, familia Dæmonis sit, quorum mores & carceris colluuiem faci-
norum & vitiorum egregie describit Philo Iudæus *lib. de Ioseph. pag. mihi* 420. loquens de carcerum custodibus. *Qui cum malis versantur affricant sibi eorum vitia, facile enim consuetudo abiit in naturæ similitudinem. Degunt autem carcerum custodes inter plagiarios, fures, parietum fossores, facinorosos, violentos, stupratores, homicidas, adulteros, sacrilegos, à quorum singulis nonnihil nequitiæ contrahunt, vt ex huiusmodi collatione, miscellaneaque temperatura conficiatur vna scelesta malorum colluuies.* Hæc Philo, quibus mirificè enucleantur Tertulliani verba, quod carcer sit *Diaboli domus*, in qua familiam & familiares suos cōtinet quales sunt, quos Philo res enumerat. Hic autem carcer & publica custodia iam aliquatenus, correctus, & moderatus est in scandalis, inter Principes Catholicos, in quibus nimium facinorosi & impudentes, ergastulis specialibus detinentur inclusi, à custode carceris rigide tractantur, vt vel timore pœnæ emendentur, exterius & interius corriguntur exhortationibus & piis sermonibus à viris religiosis factis, quibus suadentur ad confessiones sacramentales, & ad alia opera pia, quibus arcentur à vitiis multi, & in carcere Diaboli domo, ipsum Diabolum conculcant, vt de Martyribus dicebat Tertul.

Carcer igitur † prout est custodia à qua au- 4
thoritate publica nullus exire valet, si stricte sumatur est locus occlusus, in quo quis portis clausis detinetur inter parietes, vel vinculis ligatus, aliquando locus iste est in quo facinorosi tenētur, aliquādo est monasterium in quo quis recluditur in pœnā delictorum, rursus aliquis dicitur carceratus dum domo sua, vel turri publica cū custodia detinetur, aliquando alicui ministro publico datur custodiendus sicut olim fiebat inter Romanos; aliquando ampliùs laxatur incarceratio, vt ciuitas pro carcere detur qui carceres variātur, coarctantur, aut laxātur iuxta qualitatē delicti & personæ & criminis atrocitatem; quod arbitrio iudicis prudentis relinquūt iura, tā canonica, quā ciuilia. Itaque † duo requiruntur ad propriā carceris notionē, quod quis patiatur priuationē liberratis in vsu mēbrorū ab alio illatā nulla propria voluntate patientis cōcurrēte, & quod is à quo priuationem patitur sit minister publicus, nullus enim particularis potest alium incarcerare, quia vt aiebat D. Th. *vbi sup.* licet aliquis aliū ad horā, idest ad tempus sufficiēs, detinere, ne aliquid illicitū perpetret, vt ne percutiat, aut se præcipitet, tamen illum proprie incarcerare est solum secundum ordinē iustitiæ ad pœnam, vel cautelam, & per iudicem solum, quia includere, vel ligare ad eum pertinet, solum qui habet vniuersaliter disponere de actibus & vita alterius.

5 Vnde † vniuersaliter carcer ex consuetudine plurium nationum, & ex dispositione iuris Canonici, & regularis, vel est ad custodiam, ne reus fugiat, vel est ad pœnam, carcer ad pœnam datur secundum meritum culpæ, vel ad tempus, vel in perpetuum, sic S. Fructuosus Brachar. *cap. 16. Regular.* regularem turpia committentem mandat vinculis arctum ferreis, per sex menses carceri adiici & aliis pœnitentiis macerari. Alter S. Fructuosus *cap.* 4. ordinat mitti solitarium in cellam obscuram aliquando carcer iste rigidissimus fuit in victu & vestitu, & in perpetuitate, vt refert S. Ioannes Climacus *in scala 6. gradu* 4. vbi carcer pœnitentiæ canonicæ & regularis locus describitur omni humana consolatione destitutus, *in quem tradebantur hi, qui post supernam vocationem deliquissent, quos ita claudebat Pater, vt procedere inde nusquam valerent, non quidem omnes simul, sed seorsum singulos, aut certe ad multum duos simul ibi qui tandiu morabantur, quoad cum Dominus de singulorum remissione certiorem faceret.* Hæc ibi, circa quæ nota, quod hæc certioratio non expectabatur per reuelationem diuinam, hoc enim non esset prudentia condi-
6 tum, sed certior fiebat Pater per inspirationem diuinam, quam concipiebat ex circunstantiis, & diuinis motionibus, tum etiam nota, quam antiquus sit inter Regulares vsus incarcerationis, ad pœnas pro delictis luendis, vt constat ex Concilio Aquisgran. *c.* 134. quod fuit celebratum *an.* 828. sub Stephano V. & Ludou. I. Imperatore, & antea in Concilio Matisconen. I. *an.* 582. sub Pelag. II. & Guntheramno Rege.

7 Cæterum † inter Regulares adhuc est duplex reclusionis modus, vnus dicitur proprie carcer, qui datur, vel ad custodiam, vel ad pœnam, aut est quoddam tormenti genus, & remedium subsidiarium, ad exequēdam veritatem, tortura enim non solum fit in equleo, & aliis instrumentis de quibus latè dixi *tom.* 5. *de Martyrio fidei*, sed etiam in vinculis, & stricta reclusione, quæ arctatio dicitur *cap* 1. *de deposit.* vbi Glossa Abb. *n.* 6. tortura est veritatis inquisitio per tormenta, inter quæ non est admodum leuis coarctatio hæc in vinculis, virgarum cæsio & alia huiusmodi, non est enim vnicum torturæ genus, *cap. circumcelliones* 23. *quæst.* 5. ex August. *epist. ad Marcellum, & cap. illi qui* 5. *quæst.* 5. sed Religiosus iudex pro veritate inquirenda decertans variis, religiosis, tamen cruciatibus veritatem è latebris eruit, hac tamen coarctatione, vti nequit Prælatus Regularis nisi iuridicè procedat, tormētum enim applicari nequit nisi à iudice cuius ar-
8 bitrio modus torquendi relinquitur, vt constat *ex titulo de quæstionibus*, tam *in D.* quam *in C.* & notant Clarus Alex. *§ final. q.* 64. *vers. intendebat.* Marsilius *leg.* 1. *ff. de quæstio.* Potest tamen superior Regularis præcipere, & mandare alicui subdito ad compescendam contentionem, rixam, aut dissolutionem linguæ, vel ob similem culpam, vt cellam pergat ibique permaneat; & non egrediatur, superiore inscio non tamen, poterit clauso ostio recludere, nisi in regula, aut constitutionibus potestas ei detur, ad id perficiendum ad rationem tamen carceris eiusque veram & legitimam notionem necessarium est, quod regularis habitu suo spolietur, quamuis in aliquibus Religionibus, id sit laudabili vsu & in carceribus S. Officij, dum regularis mulctatur & sententiam illi intimat triremium, aut carcerationis perpetuæ, aut temporalis corda, & capuccio priuant, etsi clericus est virreto, & capite operto, sed in his consuetudo & praxis cuiuscunque ordinis retinenda.

SVBDIGGRES. II.

Ille est carceri mancipandus, qui est de fuga suspectus.

SVMMARIVM.

1. *Ille est carceri mancipandus qui de fuga rationabiliter est suspectus, & num.* 2. *& num.* 3.
4. *In multis tribunalibus non admittitur appellatio in criminalibus, quantum ad incarcerationem, à qua liberari nequit in criminalibus etiam dato fideiussore.*

SEcundum, quod colligitur est, quod cum carcer ad custodiam reorum sit specialiter deputatus, † ille carceri est 1
mancipandus, qui de fuga rationabiliter suspectus est, vt benè Clarus Alexandr. *§. final. quæst.* 28. *num.* 2. Hæc rationabilis suspicio non requirit experimentum, quod persona sit assueta fugere in delictis, aliàs pro primo delicto non posset esse rationabilis suspicio fugæ, nec sufficit, quod quis libello oblato accusetur de crimine, nam esset in facultate cuiuscunque vilis homuncionis virum nobilem, & valdè spectabilem incarcerari facere, vt bene Paulus Castrensis *consil.* 328. *numer.* 1. *libr.* 2. quamuis si accusator nobilis esset, & accusatus vilis, & infamis notæ, qui si olfaciat informationem de ipso fieri posset capi, quia isti cum nihil habeant, quod per-
dant, facile aufugiunt, neque requiruntur 2
legitima indicia testibus confirmata, sic enim facile reus fugam arripiet, & iudicem eludet, quare iudex antequam reum carceri

carceri addicat facere debet summariam informationem quæ in scriptis, aut ore tenus potest fieri iuxta qualitatem delicti aut personæ, imo ex Salicet. *l.* 2. *n.* 2. *de custod. reorum.* sufficit ad capturam si iudici constet delictū ex affirmatione pluriū; etiamsi nō sit habita in forma iudicij; quod valde est notandum pro regularibus inter quos facilius genium reorum agnoscitur, & an sit facilis ad fugiēdum, qui enim iam pluries est iudicatus, castigatus, correctus, quasi bonæ opinionis emisit conceptum, & æstimationem, qui vero vir grauis, litteratus, & fere nunquam de crimine suspectus non ita facile fugere præsumuntur sicut primi, & isti minori cum informatione capi possunt, quia de eis rationabilis de fuga concipitur suspicio, & sic etiam non facta summaria possunt capi, & ditineri in custodia ne fugiant. Similiter si delictum enorme sit aut grauissimum pro pœna mortis carceris perpetui, aut damnatio ad triremes sit imposita, aut priuatio vo-
3 cis actiuæ, & passiuæ, & ad officia inhabilitas, huiusmodi enim delicta ex natura sua, & pœnæ impositæ ad fugam incitant, & quasi pondere, & grauitate sua ad ipsam inclinant. Vnde, qui illa commisit semper est de fuga rationabiliter suspectus. Quare facta summaria ad iudicis arbitrium, capi possunt & incarcerari, à qua incarceratione solui non debent etiam facta appellatione, qua sicut non est purgatum delictum, ita non est abstersa rationabilis suspiciō de fuga, vt enim egregiè dixit Clarus Alexand. *§. final. n.* 2. *Si carcerandi, appellantes relaxandi essent frustratorium esset carceres ædificare, quia omnes appellarent, & sic omnia iudicia criminalia eluderentur.* hæc ille ex Baldo *leg.* 2. *vers. sed incidenter. C. de Episcop. Audient.* Lancell. *p.* 2. *de attent. cap.* 12. *ampliat.* 4. *n.* 21.
4 Vnde † in multis tribunalibus non admittitur appellatio in criminalibus, quantum ad incarceratione à qua liberari nequit in criminalibus etiam dato fideiussore, vt tradunt Bald. *leg.* 2. *colum.* 1. *C. de exhibend. reis.* Couar. *lib.* 2. *variar. cap.* 8 *num.* 8. Suarez Iurisconsul. *tract. de fideiussore in causis criminalib. num.* 14. & habetur *cap. clericos. de sent. excommunicat. in* 6. quod maximè tenet in religionibus in quibus fideiussores non admittuntur religiosi, verum est, quod in tribunalibus sæculi etiam in criminalibus, quando delictum non est inorme & grauissimum, nec sufficienter, & plenè probatum post appellationē fideiussores de præsentando reo admittūtur, & inter regulares reus à carcere clauso est liberandus, quia in hoc casu non est rationabilis suspicio de fuga, non enim rationabile est iudicare, quod ad fugiendam minorem pœnam, velit quis se maiori, aut perpetuæ subiicere fugiendo.

SVBDIGGRES. III.

Quod delictum requiratur, vt aliquis incarceretur?

SVMMARIVM.

1. *Quale delictum requiratur ad carcerandum aliquem.*
2. *Multorum DD. sensus adducitur & n.* 5.
3. *An solùm exigatur notorium iuris ad aliquem incarcerandum.*
4. *Atrox idem est ac crudum, teste Festo.*
6. *An pro parvo furto possit quis torqueri.*
7. *Si quis vt furetur rem in valore paruam sacrarium frangat, qua pœna sit puniendus, & n.* 8.

TErtium † quale delictum requiratur ad 1
carcerandum aliquem supra diximus, quod ex iure Canonico, & regulari duplex est carcer vnus ad custodiam deputatus, alter ad pœnam luendam, quæ datur in vindictam publicam, & quidem vt carceretur quis ad custodiam iam anteriori illatione diximus, quæ probatio requiratur pro graui delicto de quo quis accusatus vel ab aliquo particulari vel à Fiscali Promotore, vel cuius notitia habita ex generali inquisitione, quare præsens corollarium est de carcere cui quis addicitur in pœnam delicti, & duo inquirit. Primum de qualitate probationis delicti. Secundum de qualitate delicti circa primum requiritur, quod delictum sit manifestum prout opponitur occulto, & idem est quod notorium iuris, neque enim ad punienda delicta requiritur notorietas facti, quod populo vel maiori parti celari nequit, sed omnibus innotescit per facti euidētiam, & nulla tergiuersatione celari potest † *cap.* 2
vlti. de cohabitat. cleri & mul. cap. cum dilectus de purg. cano. cap. de manifesta, & sequentibus 2. *quæst.* 1. & late discutiunt Speculator. *tit. de notor. crimin. §. sequitur* Bartholom. *leg. scriptus D. de religios. & sumpt. fune.* Abbas *cap. vestra num.* 14. *de cohabit. cleri. & mulier.* hoc autem notorium non requiri, vt delicta puniantur certum est & indubitatum; aliàs paucissimi propter delicta enormissima puniti manerent cum boni communis magno detrimento. Vnde † solum exigitur noto- 3
rium iuris, & est idem quod manifestum, quod tunc est quum interuenit clara & iudicialis confessio, inuincibilis probatio ad quod sufficiunt duo testes omni exceptione maiores, *cap. vestra cit. & cap. qualiter, & quando de accusat.* hoc aurem iuridicè notorium, & manifestum iuridicè constare debet, vt pœna ordinaria infligatur, vt benè Clarus Alexand. *lib.* 5. *praxis, quæst.* 9. vbi plura eius additionatores, quæ ad forū iudiciale pertinent,

pertinent, etenim etiamsi sit manifestum, & probatum quod Petrus occidit hominē, sed potest non esse manifestum, quod ipsum occiderit, iure inculpatæ tutelæ ad sui vel suorum defensionem, vel quod esset insanus, vel ebrius dum occidit, quæ qualitates vel excusant delictum, vel pœnam ordinariam.

Circa secundum scilicet atrocitatem delicti iam supra aliquid prælibauimus res est iudicialis, magis quam moralis, aut eruditionis, solum aduerto quod etiam irregularibus, non est idem atrox, quod enorme,
4 † atrox enim teste Festo, apud Fungerum in *Ethymolog. trilin.* idem est quod crudum, efficitur absque lenitate, & crudeliter, enorme vero quod non communiter fit, vnde transgressio votorum aut legis naturalis in grauibus præceptis inter regulares enorme est non atrox, absolute tamen quod secundum se non est enorme replicatum malignatur, vnde modica furta quæ mortalia sunt augent pœnam, & faciunt latronem famosum, & furca dignum, vt consuluit Melchior de Farinis *consil. integro.66. tom.2.* est textus expressus *leg. capitalium* 38. §. *famosos* 15. *D. de pœnis.* Sed ibi loquitur Callistratus Iurisconsultus de Grauatoribus ad furandum, minima tamen furta replicata punienda sunt, vt si gallinam, vel anserem, imo si ouum quis replicato surripiat, quod esse commune placitum sentiunt Glossa §. *gallinarum verb. qui lucrandi instit. de rerum diuis.* Tiraquell.
5 *in tract. de iudic. in rebus min. fol.*50. Couarr. *lib.2. resol. cap.3. num.*12. tamen ait Prudentiss. Præses hoc sibi nunquam placuisse sicut nec mihi, pœna enim pro furto illata infamiam inducit, quæ pro minimis maxime inter religiosos irroganda non est maxime, quando à iuuenibus committitur, & replicatur furtum, vel ob gulositatem, vel ludum, & similes affectiones, nisi furta mortalia sacrilega sint, etsi minima, tum cum valde aggrauetur delictum, neque enim actio furti concedenda est pro re minima, nisi pertingat ad culpam mortalem, vt dicit Nauarr. *ad cap. final.*14. *quæst.*6. & Marsilius *singular.*378. & Bertanz. *consil.*198. *n.*1. *vol.*1. contra iudicē pro furtis minimis punientem exclamant, & multo magis clamarent contra Lud. à Pegur. *in quæst. crim. c.*16. qui asserit,
6 quod † pro paruo furto potest quis torqueri, quod hodie omnino est inpracticabile, nisi quis valde assuetus sit ad parua furta facienda vt faciunt bursarum latrunculi, delictum enim furti non tam aggrauat propter valorem rei furatæ, quam propter assuefactionem, & consuetudinem furandi, quæ valde pernitiosa est commercio humano, & rerum indemnitati, qui enim in his minimis furtis assuefit paulatim in maiora decidet, vnde Clarus Alexand. ex Couarr. *vbi sup.* quod latro famosus dicitur, qui tria furta diuersis temporibus commisit, & sic tanquam famosus puniri potest pro tertio furto, etiam si pro primo, & secundo fuerit punitus, aut ex gratia absolutus à pœna, etsi constet iuridice pro duobus punitum aut absolutum fuisse pro tertio pœna famosi latronis imponitur, quia duabus vicibus correctus, non fuit emendatus, & in tertio consuetudo, & frequentia quæ ipsum facit famosum punitur.

Quod † si quis vt furetur rem in valore 7
paruam sacrarium frangat pœna speciali est puniendus, saltem carceris perpetui propter atrocitatem in sacrarij fractione commissam, & grauissime debet punire, si frangat locum vbi sunt paramenta sacra, etiamsi rem paruam furetur, sicut etiam debet pœna capitali carceris perpetui damnari religiosus si rem magni valoris etiam non sacram, vel ab alio Religioso aut Cōmunitate, aut sæculari furetur, neque est in hoc difficultas nisi persona grauissima sit, etsi pro tali furto non sit 8
expressa pœna in Regula, etiamsi grauissima sit persona imponenda, nisi inde maius dedecus religioni oriretur. Verum est quod carcer iste perpetuus post aliquod tempus, vt quinquennij potest remitti sicut remittunt DD. Inquisitores suis delinquentibus, vt notant Simancas *tit.* 16. *n.*15. Plato enim *lib.*10. *de legibus*, impios, & malefactores ad meliorem frugem reuersos post quinquennium carceris cum cæteris habitare iussit.

SVBDIGGRES. IV.

Incarceratus manet priuatus actibus legitimis?

SVMMARIVM.

1. *Carceratus iustè quandiu carceratus etiam ad custodiam ob delictum commissum, an maneat priuatus actibus legitimis.*
2. *An priuatus voce actiua, & passiua non sit illico priuatus ad ferendum suffragium in professione danda nouitio.*
3. *An qui est priuatus voce passiua, & factus inhabilis ad officia ordinis, non sit illico priuatus voce actiua.*
4. *Quid veniat aduertendum, & num.* 6. *& num.*7.
5. *Authoris iudicium adducitur, & num.* 9. *necnon Hieronymi sensus, & n.*8.
10. *Quid de nomine Paternitatis in abstracto titulo veniat dicendum, & n.*11.

QVartum, quod infertur est, quod † car- 1
ceratus iustè quandiu carceratus etiam ad custodiam ob delictum commissum manet priuatus actibus legitimis, quos ipse aliàs ex vi legum canonicarum, & suarum Constitutionum facere potest, vt sunt eligere, eligi, prædicare, confessiones audire ad ordines promoueri, petere exemptiones gradus sui, alios defendere, ius suffragij in Capitulo, siue Locali, siue Prouinciali, siue Generali, accusare, testimonium dare, & similes, actus enim illi legitimi sunt (iuxta doctrinam Cuiacij *lib.*28. *qq. Papiniani ad leg.*77. *de regulis iuris.* & est communis Iurisperitorum sententia) qui iure peraguntur, & incarcerati iustè ob delictum ad custodiā, vel ad pœnam, iure peragendi actus qui sibi competebant, priuantur, quare valide, nec eligunt, neque eliguntur, neque suffragium dare ad nouitiorum, aut alios actus conuentuales, nec aliquod officium, quod habeat iurisdictionem exercere possunt impune, quamuis confessiones audire, & sacramenta ministrare valide possunt: sed de his alibi, legatur Sanctorius de Melfi. *tr. de pœnis p.*1. *cap.*3.

2 Sed aduerto primò, quod † priuatus voce actiua & passiua non est illico priuatus ad ferendum suffragium in professione, danda nouitio, aut in eius receptione, quia priuatus voce actiua & passiua solum habet priuationem, & inhabilitatem, vt eligatur ad officium religionis, quod habet iurisdictionem in alios, siue in se solus si simul cum aliis: vnde nec potest eligi Diffinitor aut Assistens, nec vt habeat vocem in Capitulo Generali, aut Prouinciali: an vero possit eligi Diffinitor & Consultor Localis, existimo posse quia causas, nec tribunale habent, etsi ad gubernationem domus habeant ius & potestatem, vnde etsi Præpositus simul cum consultoribus possit includere aliquem in cubiculum, vltra tres dies iuxta nostras constitutiones: at propriè non incarcerat, quia incarcerare propriè competit Prouinciali, aut Generali, cui competit proprium, & absolutum tribunal, in quo sententia damnatoria datur, neque enim Præpositus pœna iuridica potest punire subditos, vt carceris,
3 triremium, & similium. Rursus † qui est priuatus voce passiua, & factus inhabilis ad officia ordinis non illico est priuatus voce actiua, sed potest eligere alium, diuersi enim actus legitimi sunt eligi, & eligere, quare priuatus vno non censetur altero etiam priuatus, *cap. in odiosis. de regulis iuris in* 6. Vnde fit quod reclusus à Superiore locali etiam ob crimen, nisi reclusio confirmetur à Prouinciali visa causa, non incurrit pœnas incarcerati.

4 Aduerto secundum, quod † si quis clericus regularis nondum sacris ordinibus committat crimen ob quod incarceratur, & meretur, quod ipso facto sit priuatus voce actiua & passiua iuréque suffragij, & aliorum actuum legitimorum, quos ordinatus exercebit, nequit hac priuatione puniri pro tēpore futuro, quum capax factus ordinationis sacræ illos exercere valet. Hanc sententiam docet Clarus Alexand. §. *final. quæst.*60. *n.*4. ex Glossa *leg. sciant cuncti. verb. moritur. C. de legiti. hæred.* quam sequuntur DD. vt dicit Marsilius *leg. infans, num.*13. *ff. ad leg. Cornel. de sicar. & leg. de minore, num.*40. *ff. de quæst.* Plaza *de delictis, c.*32. *num.*10. Farinac. *q.*62. *num.*162. pœna enim præsenti emendatur delictum præsens, quare delictum commissum in ætate in qua quis est pœna incapax, non debet puniri delictum pœna dilata in futurum, sed illa pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ in aliam illi ætati competentem commutari debet, qua doctrina ductus respondi *an.* 1644. cuidam interroganti casum hunc in quadam Religione est constitutio confirmata à Sede Apost. quod qui se ad aliam transferret Religionem si iterum ad propriā reuertatur sit priuatus ipso iure voce actiua & passiua, & primogenituram amittat, sedens in actibus communitatis in vltimo loco, quidam clericus nondum sacris initiatus, mutauit se in aliam religionem, & postea reuersus est ad suam, an iste puniendus est pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ. Respondi, quod † non ob 5
doctrinam traditam, quia punitur delictum præsens pœna futura, & quis propriè priuari non dicitur, nisi eo quod vel habet, vel quod habet capacitatem illud habendi pro tempore in quo committit delictum: & placuit multis viris doctis resolutio. Addo tamen modo, quod potest religio in pœnam, vel huius transmutationis, vel alicuius delicti facere quemcunque religiosum incapacem vocis actiuæ & passiuæ, quæ incapacitas de præsenti datur pro delicto præsenti, etsi ab illa non absoluatur, nunquam acquiret vocem actiuam aut passiuam, quia istæ voces non possunt esse in subiecto incapaci.

Aduerto tertiò, quod † in carceribus eo 6
ipso amittit titulorum honorificorum exercitia quos Religio illi concessit, vt magisterium, aut similem gradum, similiter titulum Paternitatis & reuerentiæ, & dum à iudice interrogatur non vtitur Iudex his titulis, sed reorum qua pœna inuruntur toto tempore quo in carcere degunt rei, siue ad custodiam, dum examinatur delictum propter quod incarceratus manet, siue ad pœnam perpetui carceris, aut etiam temporalis. Nomen enim Paternitatis Religioso datum valde honorificum est, & reuerentiæ signum tam in humanioribus litteris, quam in diuinis, & quamuis nomen Patris in multis, & antiquioribus religionibus vsitatum sit omnibus Sacerdotibus dare, imo antiquitus

tus Monachi Patres dicebantur, vt notat S. Hieronymus *lib.4.in Matthæum*, vbi ait, *vulgato sermone maxime in Palæstina, & Ægypti monasteriis se inuicem Patres vocabant*, vnde Cyrillus Alexand. epistola, quæ habetur in *actis Synodi Ephæsinæ* hanc inscriptionem posuit..... Patribus Monachis, rationem tituli dat Augustinus *collatio.3. Carthag.cap.242. Honorificentiæ causa Patres appellamus eos qui nos vel tempore, vel meritis præcesserunt, nam illud honoris est vt quotidie senibus dicamus Pater.* Vnde cum eo ipso, quod quis sacerdos efficitur præsbyter dicatur, pater iure optimo dicitur, quam paternitatem explicamus, dum ipsum Reuerentiæ nomine vocamus, ob hanc enim reuerentiam debitam scriptoribus Ecclesiasticis illos Patres nostros, quia nos per suam doctrinam genuerunt in veritate Euangelij aut regulis bene viuendi.

7 Vnde qui legibus nos regunt, & continent ob reuerentiã Patres, vt de illis cẽtumuiris quos sibi asciuit Romulus ab ætate senatores, à reuerentia Patres ab appellatione publica conscriptos dixere Salustius *in Catilin.* Liuius *lib.1.Decad.* & alij, tum etiam ratione Magisterij, sic Eliseus Patrem dixit Eliam 4.*Reg. cap.2. num.10.* sic qui publicæ vtilitati attendit Pater Patriæ dicitur, vt dicit Seneca *lib.1. de Clement. cap.7.* & Ioseph. *Pater toner totius Ægypti*, dicitur, *Genes.41. num.43.*

8 Vnde † quum Hieronymus *lib.2.in cap.4. epist.ad Galatas* dicit. *Cum Dominus noster in Euangelio præcipit, nullũ Patrem vocandum nisi Deum, nescio qua licẽtia in monasteriis, vel vocamus hoc nomine alios vel vocari nos acquiescamus.* Intelligendus est, vt ipse se eleganter explicat, *non enim prohibet Christus quod alios honoris causa, & Patrem, & Magistrum abusiue nominemus, sicut vnus est Deus per naturam, & vnus filius, & hoc non præiudicat cæteris, vt per adoptionem dij vocentur, & filij*, quod etiam expressit Aug. *enarrat.in p. 77. Ne vobis dicatis Patrem in terra, non ideo dictum est, vt hoc vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei qua in æternam vitam regeneramur ne vel potestati vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur.*

Verum est quod in aliquibus Religioni-
9 bus recollectis, & excalceatis, & nomen Patris, & Reuerentiæ eliminatum est humilitatis ergo, nullum huius nomenclaturæ honorem volentes, sed fraternitatis tantum, & charitatis; in aliis vero maxime mendicantibus, etsi nomen Patris admittant, tamen nomen Fratris non amittunt; sed conseruant, dicentes *Pater*, *frater*, vt prius denotet sacerdotis honorem, & reuerentiam, & posterius humilitatem religionis, in aliis maxime clericalibus solum nomẽ Patris retinetur ratione sacerdotij, & fraternitatis, in his qui sacerdotio non funguntur, & in qualibet laude institutum à Sede Apostolica cõfirmatum, in Monachalibus vero nomini Patri relicto fraternitatis, *Domnus* dicitur, aut *Nonnus*, vt *Pater Domnus*, aut *Pater Nonnus* dicitur, quamuis hoc vltimum non sit in vsu etiam inter Monachales, quamuis S.Benedictus in sua Regula *Priores nonnos*, dixerit nuncupandos, quid autem nomen *Nonnus* denotet varie explicat, & erudite Estenius *lib.3.disquis.tract.4. disquis.3.* & mihi videtur idem esse quod hodie *Domnus*, aut *Donnus*, vt bene Smeragdus *in cap.63.Regul.* quid autem denotet nomen *Domnus*, & cur Monachi *Domni*, & non *Domini* vocarentur idẽ Estenius *disquis.4. late disserit*, & idem valet quod nostro idiomate *Don.* aut in fœminis *Domna*, *Dona*, quod etiam in Monialibus cum nomine sororis coniungitur inter mendicantes, secus vero Monachales, vt constar apud Enno. *lib.9.epist.30.* & S.Greg. *lib.1. Registri epist.6.*

Sed † quid de nomine Paternitatis in ab- 10
stracto tributo multis etiã inter Regulares in ordine seraphico Paternitas ex statutis auferitur multis, vt Patribus Prouinciæ, & Religionis quos vocant in aliis Magistris graduatis *de numero*, in aliis solis Generalibus, & Prouincialibus, in aliis solis Generaiibus vt in Societate Iesu, & nostra, & iure quidem optimo, nomen enim Paternitas in abstracto singularem denotat dignitatem, & independentiam siue in Iurisdictione, siue in Magisterio, siue in aliis propter quæ statuitur, quod paternitas alicui detur; vnum 11
solum adnoto quod, etsi nomen Pater alicui sit datũ in antiquis regulis, at non legi quod alicui sit data parernitas in abstracto ita, vt vestra Paternitas inter Regulares quis diceretur, abusus tamen sæcularium, qui omnibus regularibus Paternitatẽ tribuit, etiam irrepsit inter ipsos regulares, qui abusus in aliquibus familiis religiosis cohibitus est, iure optimo, & religiositate magna, sicut & titulus *Pater Reuerendissimus*, qui solum tribuitur in aliquibus ordinibus Generali, in nostro tamen solum *Pater admodum Reuerendus* dicitur Generalis, hodie tamen vrbanitas sæcularis Prouinciales, & Religiosos viros, qui vel funguntur magisterio publico in aliqua vniuersitate cathedram moderantes, aut sua grauia scripta typis dantur, Reuerendissimos dicunt, qui enim sic pro communi Ecclesiæ vtilitate laborant digni sunt super alios reuerẽtia specialissima, quam denotat nomen *Reuerendissimus*, quamuis, hoc epitheton antiquitus nulli legatur regulari concessum, sed multa vsus vel abusus immutant, & hæc satis de hac eruditione, & solum

solum futuris temporibus deseruiant, vt consuetudo hodierna innotescat, & vt cognoscatur, quod incarceratus siue ad custodiam ratione delicti de quo est accusatus aut inquisitus siue ad pœnam, omnibus his spoliatur & priuatur.

SVBDIGGRES. V.

Vtrum incarcerans indebite incurrat excommunicationem.

SVMMARIVM.

1. *Incarcerans indebitè siue ad custodiam, ob timorem fugæ, siue ad pœnam latam per sententiam ob crimen legitimè non probatum, incurrit excommunicationem.*
2. *Si superior procederet ad incarcerandum opinione probabili, quod iustè procedat an non incurrat excommunicationem, & numero 3.*
4. *Authoris iudicium propalatur.*
5. *An si subditus ob delictum damnetur à superiore regulari ad carcerem perpetuum aut temporalem, si superior non deferat appellationi incidat in excommunicationem.*

1 QVintum corollarium sit, quod † incarcerans indebite siue ad custodiam, ob timorem fugæ, siue ad pœnam latam per sententiam ob crimen legitime non probatum incurrit excommunicationem canonis *si quis suadente Diabolo:* est communis, & indubitata sententia, qui enim indebite incarcerat contra iustitiam operatur, & sic diabolo suadente damnum, & iniuriam infert, præiudicium enim, quod fit per indebitam, & iniustam incarcerationem irreparabile est, etiam quacunque appellatione interposita, Baldus *leg.1.C.si sæpius integr.* Felin. *cap.cum sæpe de re iudicat.* Diaz *in praxi cap.127.num.1.* Qui enim clericum, vel regularem etiam conuersum indebitè incarcerat, & detinet in custodia siue publica, siue in domo priuata vim illi infert, & violentiam facit, siue vincula adhibeat siue non, & quacunque ratione auferat libertatem in vsu membrorum excommunicationem canonis ipso facto incurrit, *cap.nuper cap. contingit el segundo de sent.excommun. cap.cleric. eodem.tit.in 6.* & late Suar. *de fide-iuss. dand.* Suarez Theolog. *tom.5. de censur. disp.25. sect.4.* Bonacin. *tom.3.disp.2.punct.10.* Gomez *lib.4.variar.cap.9.* Rodriguez Senior *tom.2.q.42.art.2.* Iunior *Resol.58.n.2.* Si au-
2 tem † Superior procederet ad incarcerandum cum opinione probabili, quod iuste procedat, non incurrit excommunicationẽ Canonis, quia non operatur cum dolo, qui requiritur ad incurrendam excommunicationem *cap.1. & cap.cum voluntate de sent.excomm.* vnde cum vbi adest ignorantia, dummodo non sit affectata, & supina, absit dolus, etiam non incurritur excommunicatio istæc.

Prælatus non præfato sufficienter delicto 3
facta informatione summaria (si non adest timor prudens fugæ, quæ potest impediri in cella cum custodia detineatur, & non cum pœnis incarcerati) aliquem incarcerare nequit ex Tridentin. *sess.25. de regular.* etsi aliter incarceret incurrit excommunicationẽ, quia contra ius quod habet reus ne aliter in carceretur, facit, & indebite incarceretur, vt tenent citati D.D. modus enim datus *l.2. C.de exhib.reis*, obseruandus est vnde apud DD. Inquisitores obseruatur quod si reus delatus est vir insignis authoritatis, siue ob opinionem publicam virtutis siue doctrinæ, aut nobilitatis, aut Magisterij gradus, publicæ vniuersitatis non capitur nisi prius consulatur supremum Generalis Inquisitionis Consilium cuius determinatio expectatur. Existimo tamen quod † si crimen huius per- 4
sonæ grauis commissum sit scandalosum, & pluribus de vicinia notum, vt hæresis, Iudaismus, solicitatio in confessione, si DD. Inquisitores facta de hac notorietate summaria informatione aliquem incarcerent ante consultationem Consilij supremij, non incurrẽt Canonis excommunicationem, quia hæc incarceratio non est contra iustitiam in substantia, sed contra ordinationem quæ modum imponit, non prohibet actum hunc quoad substantiam, sicut etiamsi excedat in modo incarcerandi vt si ministri excedant in apprehendendo reum, ipsum plusquam necessarium est contrectando, &c.

Vnde fit quod † si subditus ob delictum 5
damnetur à Superiore regulari ad carcerem perpetuum, aut temporalem si superior non deferat appellationi, incidit in excommunicationem, quia iniuste denegans appellationem iniuste detinet in carcere ob delictum, quare solum potest ipsum detinere ibi ad custodiam, quo vsque Iudex *ad quem* causa est delata definiat, vt vltimam sentẽtiam ferat, neque enim carcer ad custodiam suspenditur appellatio, alias omnes delinquentes carceres deluderent, vt supra dicebam ex Clar. Alexandr.

SVBDIGGRES. VI.

Vtrum Regulari mancipato auferendus sit habitus?

SVMMARIVM.

1. *Regularibus qui carceri sunt addicti in pœnam*

nam, siue sit carcer perpetuus, siue temporalis, an auferatur forma habitus suæ religionis.

2. *Quænam dicatur habitus religiosi deformatio.*

3. *Chrysostomi sensus affertur: necnon Bonifacij VIII. & n.4.*

1 SExtum corollarium sit, quod † illis Regularibus, qui carceri sunt addicti in pœnam, siue sit carcer perpetuus, siue temporalis, aufertur forma habitus suæ Religionis, si clericus sit etiam aufertur corona clericalis, de quo ritu latè Sanctorius de Melfi. *p.2. de pœnis, cap.4. à pag.* 175. Salzed *ad cap.*89. *praxis.* Bernard. Diaz, vbi iuxta antiquum morem tam gentilitium, quàm Ecclesiasticum rem tractat, & ego de rasura coronæ, & capillorum in signum mœroris, pœnitentiæ & tristitiæ, dixi *tom.* 5. *de vero martyrio fidei Appendice de tonsur. & coronis, memb.*2.3. *&* 9. & quidem habitus religiosi forma, & monachali tonsura, quæ est capillorum circulus in capite, aut clericali iure priuatur, ista enim forma character estReligionis aditæ, vt ait August. *lib. de opere Monach. cap.*8. quam fœdauit criminibus: & sic character iste in carcere infami dato propter delictum deletur, ne religiosus appareat in habitu, qui criminosus extitit in vita, radi enim coronam, circulúmque tondi, est non permittere, quod crescentibus capillis iterum formetur & aperiatur intonsos esse carceri addictos antiquitas docet, & sacra pagina mõstrat. Plinius *lib.*7. *epist.*27. & Genes. 41. *n.*20. Iosephum de carcere eductum totonderunt
2 ministri Pharaonis. Vnde † habitus religiosi deformatio est auferre capuccium, & scapulare, & coronam non aperire inter fratres, inter nos clericos virreti quadrati ablatio, & cinguli clericalis, *cap. penult. de vit. & honest. cleric. cap. quoniam eod. cap. Ioann. de cleric. coniug.* Vt pœnitens peccator appareat magis, quam religiosus agens pœnitentiam voluntariam, *cap. placuit.* 21. *quæst.*2. vbi clericum desertorem cingulo honoris, atque ordinis sui exutum aliquo tempore carceri mandatur, *cap. tuæ de pœnis, in* 6. qui carceri traduntur ad pœnitentiam agendam pro delicto à suis ordinibus degradari iubentur, quia videlicet quandiu incarcerati sunt manent suspensi ab exercitio ordinum, & omni honore priuati, vt enim † ait Chrysostom. *hom.* 6. *in epist. ad Romanos*, hoc faciunt iudices qui
3 quos in dignitate constitutos grauioris alicuius criminis conuictos habent, eos prius honoris sui ornamentis spoliant quam supplicio multatos abdicant, cum autem in fratribus capuccium, & corda simul cum capillorum circulo, & in clericis corona aperta, & virretum quadratum sint ornamenta honoris sui, priusquam supplicio multatos abdicent iudices illis spoliant, vnde *cap. degradatio de pœnis* Bonifac. VIII. dicit quod † *ablato habitu, tunc quoque radatur caput sen* 4 *tondeatur, ne tonsuræ seu clericatus vestigium remaneat in eodem.* Neque honoris sui publicum designatum vestigiũ in infami perseuerare debet, sicut nec in illis manebat qui publicã ex Decreto Episcopi pœnitẽtiam agebant vt *sect.*4. dicam, hinc saluatur consuetudo inter regulares; quod damnatos ad triremes, etsi à Religione non expellant, tamen eos habitu regulari spoliant, quia ibi existentes infames sunt, & loco infami destinatos. Vnde est Hispanus mos satis canonibus antiquis conformis, quod si clericus siue sæcularis, aut regularis brachio sæculari traditur, priusquam tradatur, vestibus omnibus clericalibus aut regularibus spolietur, & constituatur in habitu vili laicali, & dum supplicio afficitur veste illa quæ reis damnatis ponitur iuxta qualitatem personæ quam non amittit in supplicio. Vnde si nobilis est non furca, sed nobilium pœna mortis debet imponi.

SVBDIGGRES. VII.

Hæc habitus regularis ablatio non fit in incarcerato ad solam custodiam.

SVMMARIVM.

1. *Habitus spoliatio & tonsuræ abrasio sine alia pœnitentiæ lege canonica, aut municipali alicuius Religionis imposita incarceratis, an non sit danda ad custodiã incarceratis.*

1 SEptimum corollarium est quod † huiusmodi habitus spoliatio, & tonsuræ abrasio siue alia pœnitentiæ lege canonica, aut municipali alicuius Religionis imposita incarceratis non est danda incarceratis ad custodiam, quia horum delicta non sunt iudicata sententia conclusa, acciperent enim certam pœnam pro culpa incertam, quod est iniquum *leg. cum rem ff. de bon. dam leg. maximum vitium C. de filiis præterit.* incarcerati enim ad custodiam præsumuntur, at non sũt iudicati criminosi, & in foro iudiciali non sunt digni pœnis latis contra probatos, & iudicatos, quamuis si ante diffinitiuam sententiam scandalosi fuerint notorie possunt in carceribus pro modo scandali regulariter puniri.

SVBDIGGRES. VIII.

Incarceratis ad pœnam ordinariam non est deneganda confessio sacramentalis.

SVMMA

1. *An incarceratis ad pœnam ordinariè non sit deneganda Sacramentalis confessio toties quoties eam expostulauerint.*

2. *Conc. Trident. sensus adducitur.*

3. *Damnatis ad triremes intra ipsam triremem confessio Sacramentalis non denegatur.*

1 OCtauum Corollarium sit, quod † incarceratis ad pœnam ordinarie non est deneganda Sacramentalis confessio toties quoties eam expostulauerint, est communis sententia Doctorum, quia sacramentum pœnitentiæ est medium necessarium ad salutem iis, qui post Baptismum lapsi sunt in culpam mortalem, est enim sequenda tabula post naufragium, vt D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.*6. Magister sentent. *in* 4. *dist.*14. vbi om-
2 nes Scholast. & † determinat Trid. *sess.*14. *cap.*2. vbi quibuscunque quantum maximis peccatoribus si dispositi accedant absolutè non est denegandum pœnitentiæ Sacramẽtum, sed toties quoties dandum si adsit confessor, nisi in aliquo casu ob aliquam circunstantiam incarceratus ad custodiam non ex confessione Concilium, aut occasionem arripiat ad negandum delictum, de quo iudex interrogat, & est aliàs, vel plene, vel semiplene probatũ. Tũc enim potest iudex cum concipit hunc rationabilem timorem, & aliàs iuridicè procedit ad inquirendam veritatem potest differre confessorem, quousque infamatio perficiatur & incarceratis à S. Officio maximo cum delectu confessor
3 conceditur. Vnde etiam † damnatis ad triremes intra ipsam triremem cõfessio Sacramentalis non denegatur, imo fructuosè ad illam suadentur miseri homines, vt iam quod à loci fœtore & spurcitia se liberare in corpore nequeunt, saltem ab animæ immunditia se abluant, & ego dum essem Genuæ hoc exercitium charitate motus feci.

SVBDIGGRES. IX.

Vtrùm concedenda Eucharistia.

SVMMARIVM.

1. *An incarceratis Eucharistia sit concedenda.*

2. *Authoris sensus adducitur, & n.*5. *&* 8.

3. *Incarceratus in carcere publico tenetur præcepto annuæ communionis.*

4. *Sicut annua confessio est determinatio iuris diuini ab Ecclesia facta à qua incarceratus non eximitur, ita annua communio.*

6. *Publicus peccator an nullum ius habeat ad Eucharistiam exigendam.*

7. *An ad Eucharistiam dignè recipiendam non requiratur, quod quis in foro externo sit innocens & indignus pœna.*

9. *Baronij sensus adducitur.*

10. *Incarcerato in carcere secreto & incluso ad pœnam per sententiam publicam non est frequens communio danda.*

11. *Si quis incarceratus sit in carceribus Sacri Tribunalis S. Officij, nec Doctor. Inquisitores ex vi officij tenentur dare occasionem & commoditatem vt communicet, ibique deferatur Eucharistia, etiã vt adimpleatur præceptum annuæ cõmunionis.*

MAior est difficultas † de Eucharistia huiusmodi incarceratis danda, circa quam Sanctorius *de pœnis cap.*4. *p.*1. *à p.*181. explicans quoddam statutum seraphici ordinis circa hoc punctum dicit *pag.*185. *vers. verumtamen, quod damnatus ad carcerem perpetuum sicuti non posset recipere Sacramentum, ita ad annuam communionem non obligatur, & sufficit ei desiderium. Non enim cum tanto rigore hoc præceptum fuit in Ecclesia practicatum, cum legamus SS. Paul. I. Eremitam, Ant. Magn. Benedictũ, & alios solitudinis cultores per tres, per viginti, per centum ferè annos in speluncis delituisse, & non communicare, sufficiens ipsis, aliquando id suscepisse, quare quod ipsi fecerunt ob solitudinis amorem, bene poterunt facere in vinculis detenti ob commoditatis defectum. Præterea non teneri superiorem carceratis huiusmodi Sanctiss. Euchariss. offerre, & eo minus illos cogere, nisi ipse petant argum. cap. scenicis. In quo scenicis, histrionibus, cateristque huiusmodi personis, vel Apostatis conuersis, vel reuersis ad dominũ gratia, vel reconciliatio, non negetur, quod petitionis instantiam supponit. Ita Cartar. l.*3. *pract. cap.*2. *n.*54. *cibus enim non ingeritur nisi appetitum habentibus. Possunt tamen superiores suadere prout charitas vrserit, & ipsimet carcerati peccant mortaliter nisi illo tempore nõ communicent, quia accedente commoditate præceptum Ecclesiæ non custodiunt.* Hæc ille.

Ego quidem † consultus de hoc Neapoli 2 *ann.*1625. in damnatis ad triremes plura distinxi notatione digna, quæ breuiter perstringo, aut loquimur de regularibus, aut sæcularibus, aut de carcere publico, aut secreto, aut de damnato ad triremes, aut ad carcerem perpetuum, aut temporalem, rursus aut est incarceratio ad custodiã, aut in pœnam, existimo igitur, quod † incarceratus in 3 carcere publico tenetur præcepto annuæ cõmunionis, & iudices tenẽtur dare cõmoditatem, & non impedire, quod huic præcepto Ecclesiæ reus, siue sæcularis sit, siue regularis, puto enim, quod nullus pius & Catholicus potest ab hoc asserto discedere, cũ præceptum hoc grauissimum sit, & quasi determinatio præcepti diuini, quod multi & grauissimi Doctores docent impositum fuisse à Christo Domino illis verbis Ioann. 6. *n.*30. *nisi manducaueritis carnem filij hominis*

& biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Ita D.Thom.3.*p.q.*79.*art.*1.*ad* 1. *& p.*80.*art.*11. Catechismus *Pij V. cap. de Euchar.*Bellarm.*lib.de Eucharist.cap.*3.Vnde in primo sæculo Ecclesiæ,quotidie communicabãt fideles omnes,quia tũc Ecclesia Christi mãdatum determinauit, & intellexit pro temporum necessitate, vt armarentur contra persecutores ad martyrium. Imo quidã expositor Regulæ S. Benedicti existimat, Monachos Benedictinos ex Regulæ obligatione teneri ad quotidianam communionẽ sicut discipuli Simeonis Stylitæ, vt scribit Ant.eius discipulus,sicut de discipulis Apollonij narrat Ruff.*l.*2.*c.*7.quotidie communicabant, sic interpretantes Domini præceptum.

4 Quare † sicut annua confessio est determinatio iuris diuini ab Ecclesia facta à qua incarceratus non eximitur, ita annua communio, si illius commoditas subest omitti nequaquam potest, etiamsi non esset diuinum præceptum, sed humanum tantum, quod grauissimum est,& moraliter necessarium ad vitam conseruandam tali cibo, qui si nimium differatur calor spiritus tepescit, & deficit; quare iudices debent dare commoditatem existentibus in carcere publico, vt huic præcepto satisfaciant,sicut damnatis ad mortem,iam viaticum datur, & ad id sumendum tenentur iudices tempus, & commoditatem dare, consuetudo enim antiqua iam à Principibus Catholicis, summisque Pontificibus exclusa est. Vnde superiores & iudices ex vi officij, & non solum ex charitate tenentur huiusmodi incarceratis commoditatem dare recipiendi Eucharistiam, vt annuæ communionis præcepto satisfaciant si tamen decenter fieri possit,vt sit altare incarcere, vel si est locus decens,quod deferatur Eucharistia,sicut etiam causa deuotionis defertur infirmis.

6 Addo,†quod si sit carcer publicus in quo sit altare ad quotidie celebrandum iudex laicus,aut Ecclesiasticus nisi ob speciale delictum in pœnam,quantumuis incarceratus fuerit criminosus,& propter crimina ad carcerem istum publicum sit damnatus, imo etiamsi ad triremes dummodo in illis non existant nequit prohibere,vt pluries ex deuotione communicent,& nec illis hodie potest Eucharistia,& communio laica denegari, & quidem nescio quo fundamento contrarium senserit Sanctorius *vbi suprà p.*182.

6 quamuis enim † publicus peccator nullum ius habeat,ad Eucharistiam exigendam, vt probat D.Tho. 3.*p. q.*80. *art.*6. & tradunt Patres Cyprianus *lib.*1.*epist.*7.ad.....Augustinus *tract.*26.*in Ioann.& hom. vltim. capit.*12.*in lib.*50.*hom.* Chrys.*hom.*83.*in Matth.* & multi alij, quare publico peccatori semper est deneganda Eucharistia. Ast carcerati,siue ob sententiam, siue ante sententiam per violentam præsumptionem, aut suspicionem criminis peccatores sunt notorij & tales in foro externo (de quo iudicant homines) æstimantur, ergo optimo iure illis Eucharistia denegatur.

Hoc (inquam) fundamentum prorsus est futile & indignum homine docto, quia † ad 7
Eucharistiam digne recipiendam non requiritur,quod quis in foro externo sit innocens, & indignus pœna, aliàs nec damnati ad mortem possent Eucharistiam sumere, quare quamuis sint digni pœna corporali propter delictum, ob quod tanquam criminosus punitur in vindictam publicam,tamẽ potest esse contritus, & sacramentaliter absolutus à crimine, & sic est capax recipiendi Eucharistiam, nec illi potest denegari, si est commoditas illam recipiendi, quod non solum est verum incarceratis, ad pœnam, sed etiam in damnatis ad triremes, quos obligatos esse ad annuam confessionẽ, si adest copia confessoris, & ad annuam cõmunionem,si adest copia & commoditas illam decenter recipiendi mihi non dubium, isti enim tanquam criminosi, & peccatores ob publicam vindictam sunt damnati, siue ad carcerem, siue ad triremes,tamen si conuertantur ad dominum vera pœnitentia,sicut sunt capaces absolutionis sacramentalis sunt etiam sacræ synaxeos.

Verum est,quod antiquitus, quum rigor 8
Ecclesiasticæ disciplinæ vrgebat, vt fideles ab infidelitate & idololatria retraherentur ob specialia crimina,fideles etiãsi pœnitentiam rigidam egerint,& sic ad Ecclesiæ cõmercium admitterentur,tamen communionem & synaxim Eucharisticam nõ accipiebant, etiam in vltimo vitæ, tanquam viaticum, quamuis illis temporibus in præcepto esset frequens communio, & etiam quotidiana,& hoc tãto rigore maxime apud Hispanos,vt in Concilio Illiberitano ob diuersa delicta,vigesies imponatur pœna negationis viatici,vt legẽti cõstabit,de quo pũcto multa dixi *t.*5.*de vero Mar.fid.Res.*30.§.1.*& diggress.*1.*de explicat. quorundam Can.Conc. præfati.* hanc enim pœnam iuste Patres doctissimi primi posuerunt ob grauissima motiua,quæ tunc tẽporis vrgebant,vt ait Innoc.I. *ep. ad Exuperium cap.* 2. cuius verba ibi dedi sicut & Eminentissimi Baronij *ex tom.*2. *circa an. Christi* 305.concludens.† *Quamobrem* 9
paulo liberius de Illiberitano Concilio me aliàs locutum fuisse memini,at cum quæ ab illo in hac re sunt statuta excusentur ab eodem, qui suprà Innocentio Romano Pontifice,nemo sit qui accusare præsumat. hæc ex Baronio;quibus addidi sententiam D. Ferdinandi de Mendoza *lib.* 2. *pro defensione huius Concilij*, *cap.* 6.

quod

quod hodie antiquæ huius seueritatis vestigium retinet grauissimus & sanctus,tuendæ aduersus hæreses religionis nostræ senatus,relapsis in hæresim etsi pœnitentibus in exitu denegans communionem, quod etiam sequitur Vasquez 3. *p.disp.*105.*n.*7. sed an hæc hodie consuetudo vigeat dubitaui ibi propter *c. super eo*, *de hær.*lege omnino Resolut.illã 30.§.1.*v.quod statui & seqq.* addo, quod si carceratus in publico loco ad pœnam tenetur viaticum recipere,& annuam communionem ex Ecclesiæ præcepto fidelibus determinatam, multo magis incarceratus, in eodem carcere ad custodiam.

10 Existimo secundum, quod incarcerato in carcere secreto & incluso ad pœnam per sententiam publicam non est frequẽs communio danda,nec ad id facere tenentur iudices & superiores etiam Regulares, (quãuis sit præceptum in Religione de menstrua communione & cõfessione, vt est statutum pro Bened. Clem. *ne in agro de stat.Monach.* desumpta ex *Concil.Vienn.sub Clem.V.*)quia si carcer secretus est,nequit ita continue cum decentia requisita ad ipsum deferri, esset enim non parum molestum carcerem obscurum & horridum,& pœnale multoties in anno mundare,& componere,quare huiusmodi præceptum non obligat existenti in in carcere secreto,quod si sit publicũ in quo est locus celebrandi,nõ dubito,quin Monachus Benedictin. teneatur illud implete,nisi aliter disposuerit superior, qui ad id habet potestatem ex præfata clementina.

11 Addo, quod † si incarceratus sit in carceribus sacri Tribunalis S.Officij, nec DD. Inquisitores ex vi officij tenentur dare occasionem,& commoditatem, vt communicet, ibique deferatur Eucharistia etiam vt adimpleatur præceptum annuæ cõmunionis.Ratio est,quia secretum maximũ, quod seruatur in hoc sancto Tribunali,tam in carceribus,quam in causis examinandis ab hac obligatione releuat iudices & rei excusantur ob commoditatis defectum, quod si cõmoditatem communicandi haberent,dubio procul tenerentur ad annuam communionem.Vnde constat,quam leue sit fundamẽtũ,quod pro se adducit Sanct.de Melfis.

SVBDIGGRES. X.

Vtrùm damnatus ad carcerem possit fugere.

SVMMARIVM.

1. *An damnatus ad carcerem possit ab illo fugere, & ad fugam opus sit carcerem effringere.*
2. *An peccent mortaliter superiores qui nimis rigidi sunt in delinquentium punitionibus, & incarceratorum custodia.*
3. *An ad formam decreti Vrbani de eiectis requiratur,quod annus carceris debeat trãsigi in carcere formali, & n.*4.

NOnum Corollarium sit,† an damnatus 1
ad carcerem possit ab illo fugere & ad fugam opus sit carcerem effringere; licita sit fractio,de hoc dubio aliquas regulas constitui *tom.*2.*Moral.tract.vlt. Resol.*1. vbi materiam breuiter digessi, neque opus est circa hoc plura ducere. Legantur Azor *p.*3. *lib.*13.*cap.*24. *&* 25. vbi plures,hæc materia excitat dubia, & Sanctorius *de Melfi.p.*1. *cap.*4.*à pag.*193.*vsque ad* 197.solùm placuit hic afferre dictamen Sanctellorij *vbi suprà*, satis pium & charitati fraternæ satis conforme. *Illud tamen aduertere visum est* (ait) 2
† *peccare mortaliter superiores qui nimis rigidi sunt in delinquentium punitionibus & præcipue incarceratorum custodia, si vltra sancitas regulas* (à prudentia scilicet) *victus abstinentiæ macerent,lumine priuãt commoditatẽ recitãdi horas canonicas denegant, libros spirituales legendi occasiones præcipiant, humidis & squalidis inhumanis carceribus mancipent, quia ipsis seuiendi authoritas non conceditur,& agitur de re grauissima & de violatione præcepti charitatis cap.ex part.de censibus, leg.si seruus ff. de pignor.act. leg.nec supina ff.de iur.& fact.ign. cap.disciplina dist.*45. Angelus *verb. correctio Prælatorum n.*1.Rodrig.*t.*2.*q.*17.*art.*3.Portel *verb.carcer n.*2. Bern.Diaz.*in pract.cap.*127. *num.*2.

Decimum, & vltimum Corollarium, sit
† an ad formam decreti Vrbani de eiectis 3
requiratur,quod annus carceris debeat trãsigi in carcere formali, ita vt si carcer clausus,& in vinculis deposito Capuccio & corda, vel virreto quadrato, & cingulo honoris. Respondetur, quod carcer omnino debet esse clausus & imperuius ad communicandum cum aliquo qui nõ sit persona,quæ ad pœnitentiam & contumaciam deponendam & animi duritiem molliendam nõ cõducat,non tamen requiritur ablatio Capuccij, & cordæ, & similium, quæ signa sunt religiosi habitus,nec etiam,quod sit in vinculis ferreis, nisi sit timor fugæ,quare suffi- 4
cit, vel quod in propria cella claue obserata sit reclusus,hic enim annus non est carceris ad pœnam per diffinitiuam iudicis sententiam ad punitionem & vindictam criminis, sed est custodiæ in qua probatur ieiuniis, & pœnitentiis,vt leniatur asperitatibus ad deponendã animi duritiẽ, & sic perseueret in statu religioso,& non applicetur ei grauissimũ & extremum expulsionis remediũ,quot ieiunia debeat facere, & quas pœnitentias superioris arbitrio relinquitur; qui attenta qualitate personæ ea imponet.

SVBSECTIO IV.

Qualis fuerit olim inclusorum ordo & institutum?

SVMMARIVM.

1. *Qualis fuerit olim ordo & institutum inclusorum, remissiuè.*
2. *Laura aliquando sumitur pro cella.*
3. *Theodoreti mens adducitur.*
4. *Filios prophetarum inclusos facit S. Eucherius Lugdunensis.*
5. *Quis inclusus dicatur.*
6. *An Anachoritismus idem sit quod inclusismus.*
7. *Variorum DD. sensus adducitur.*
8. *Eremitæ perfectio est exutam mentem habere à cunctis terrenis ex Cassiano.*
9. *D. Thomæ sententia affertur, & n. 12.*
10. *Quid solitarium est debet esse per se sufficiens, ex eodem D. Thom. & n. 11.*
13. *Patres in Trullo Congregati examen & iudicium Episcopi requirunt, vt quis in solitudinem abeat.*
14. *S. Romualdus inter cœnobia quæ in eremis fundabat, cellas etiam plurium eremiteriorum edificabat, & n. 15.*
16. *Anachoretis & eremitis qui adnumerentur.*
17. *Originem inclusorum inuestigat Guibellinus.*
18. *Asceticis cœnobiis, eremitis & solitariis duo monachorum pessima genera opponuntur, & n. 19.*
20. *Quodnam sit secundum genus monachorum solitariis oppositum.*
21. *Quid item de iis sentiat Augustinus, & num. 23.*
22. *Quid intelligatur nomine Trutanus.*
24. *Donatistæ dicebant suos alumnos non circumcelliones, sed agonistas esse vocandos.*
25. *Donatistas esse genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ dicebat August.*
26. *Circumcellionum primus dux Petilianus.*
27. *Qui dicantur Anachoretæ, solitarij, & celliotæ.*
28. *Patrum Conc. Tolet. VII. sensus adducitur, & n. 29. & 30. necnon Patrum Constantinop. & n. 31. & 32. 34.*
33. *Quid de vita Eremitica & Anachoretica sentiat D. Thom.*
35. *Moniales solemniter includantur & in claustrali resideant ex Concil. Trid.*
36. *Circa solemniter inclusos duo veniunt notanda, & n. 37. & 38.*

1 DE inclusarum ordine † & residentiali clausura Monialium intra sua Monasteria, quæ species est residentiæ omnibus aliis arctior *lib. 6 seq.* etsi remissiue tractabo, hic solum agendum de inclusione virorum, cuius notitia non parum conducet ad antiquorũ Religiosorum mores venandos & admirandos, ad quam notitiam acquirendam aliqua non iniucunde cõdita dabo. Etsi enim Guibellinus & ante ipsũ Estenius plura circa hoc punctum condierint, at ni fallor non sale requisito ad doctrinalem saporem.

Igitur omissis his quæ longo calamo scripsit Guibellinus *lib. de claus. disquisit. 3. cap. 4. de lauritis, celliotis, & anachoretis*, qui omnes speciali instituto contemplationi erant dediti, & à rerum sœcularium tumultu separati, vt Deo soli vacarent, siue in lauris, quæ paucorum monachorum domus, aut locus designatus in Eremo, in quo plures lauras idest cellas continebat (æquales forsan erãt iliæ quas S. Romualdus pro suis monachis instituit) erat, siue in cœnobiis, quod plures capiebat personas, sicut ait Suidas *laura angusta domus est monachorum*. Vnde † laura aliquando sumitur pro *cella*, aliquando pro *cellia*, quod est locus cellarum, vt ait Nizephorus *lib. 6. hist. cap. 3.* Vnde reipsa lauritæ, celliotæ & Anachoretæ pro eodem in antiquis Religiosis vsurpantur. Fuit etiam antiquitus clausura virorum in aliquibus cœnobiis, ita arcta, sicut hodie est inter nos in Monialibus. † Theodoretus enim in vita S. Symeonis Stylitæ, de Bassis Monachis, dicit. *Neque molam, neque iumentum habere, neque oblatum aurum accipere neque foras ad quærendum neque visendos amicos de monasterio licui, exire licebat.* quam legem sua ætate seruari testatur, similia refert Sophronius de Monasterio iuxta Iordanis ripas sito, *in vita Sanctæ Mariæ Egyptiacæ*, multi etiam sancti Monachi ab exitu à monasterio totam duxerunt vitam, seseque intra septa monasterij continebat, imo & intra cellæ parietes, de inclusis enim hoc modo, plenæ sũt historiæ, & annales Ecclesiastici, & monastici hoc enim voluntariũ erat sine aliqua cæremonia publica factũ, quare de his inclusis lauritis, & celliotis, aut anachoretis non instituitur sermo, nã esset tractatũ historiis obuiis passim, replere huiusmodi enim religiosorũ hominũ genus ab initio nascẽtis Ecclesiæ fuit inter Christianos, quibus eremi solitudines, deserta, plenissimẽ erãt imò ante legẽ Christi Carmelitæ erãt in locis & cauernis, & speluncis Deo vacãtes occulti & inclusi, vt late tradũt Matth. Rod. *in syntagm. de inclusis*, quorũ natales adũbrat, à Christo iã adulto & à B. Ioan. Bapt. qui se abdidit & inclusit in eremo † Eucherius etiã Lugd. *in ep. de fuga sæculi ad Hilarium*. filios Prophetarum inclusos facit, & Cas. *l. 4. inst. c. 34.* anachoretas inclusos refert, de his enim videtur loqui Paulus ad Hebræos *capit. 11. circuierunt in melotis, in*

in pellibus caprinis, egentes angustiati, afflicti quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ, isti enim vti dixi propriè non dicuntur inclusi de quibus modo, sed se occultabant, vel timore persecutionis tyrannorum in Christianos, vel amore solitudinis, vt sæculum fugerent & tumultum negotiorum, vt securius vitam degerent, nec etiam est in præsenti sectione sermo de his qui in pœnã in Monasterium detrusi recludebantur de quibus plura *sect. sequenti.*

5 Inclusus igitur † de quo in præsenti est, vt ait Raderus *vbi suprà*, qui siue vir sit, siue fœmina cùm solemni cæremonia Deo initiatur cultu religioso velatus ab Episcopis & Præsulibus laribus inclusus, ex quibus nunquam se egressurum sacramento votoque iuratus se adstrinxit, de hoc igitur incluso in præsenti disquiritur, qualis fuerit cæremonia, qualis ordo, an fuerit specialis, ab aliis omnibus discretus, qui vitæ & regiminis modus, & an hodie sit in vsu, an fuerit perpetua inclusio, an temporalis.

6 Alicui videri posset, quod † Anachoretismus, idem esse quod inclusismus. Anachoreta enim ab ἀναχωρῶ dicitur, quod significat secedo ab aliis. Vnde Hieronymus *epist. 22. ad Eustochium. Anachoretæ* (inquit) *qui soli habitant per deserta, & ab eo, quod procul ab hominibus recesserunt nuncupantur.* Vnde ἀνόχαστας, hoc est in silentio & quiete degentes, Iustinianus nuncupat *Nouella 5. de Monach.* sed hic Anachoritismus, ex hac notione latus est sicut & inclusismus, de quo supra strictus sumitur Anachoreta, seu eremita inter ordines Monachales, in quibus nullus poterat Anachoreta fieri, aut Eremum in cella speciali habitare, nisi probati fuerint

7 vita Monachali per aliquot annos, vt ait † S. Benedictus *cap. 1.* Regulæ. *Secundum genus* (inquit) *Anachoretarum, idest Eremitarum qui monasterij probatione diuturna didicerunt contra Diabolum multorum solacio iam docti pugnare & bona instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, &c.* quod antea dixerat Cassianus *lib. 8. inst. cap. 18. Porro eremum perfectos omnique vitio expurgatos oportet expetere, &c.* & antea Hieronymus *epist. 4. ad Rusticum.* vbi dicit *varie esse probandos in cœnobio antequam eremum ingrediantur.* ex quo Synodus in Trullo Constantino Congregata *Canone 4.* determinat, *quod quadriennio toto multis modis in monasteriis probatos, & accedente Episcopi examine & iudicio ad vitam eremiticam potest quis admitti* D. vero Isidorus *triginta annos*, alij *viginti*, vt ait Posseuinus *lib. 5. Bibl. cap. 57.* probationis exigunt,

8 vt enim ait Cassianus *collatio. 19. cap. 8.* † *Eremitæ perfectio est exutam mentem habere à cunctis terrenis, eamque quantum humana im-*

becillitas sinit vnire cum Christo. Quem virum Hyeremias Propheta describens. Beatus (inquit *Threnor. c. 3.*) *vir qui tulit iugum ab adolescentia sua sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se.* Hæc Cassianus, quem imitantur Hieronymus ad præfatum locum Hyerem. August. *lib. 1. de moribus Eccles. 31.* Basilius *orat. de laud. solitar. vitæ.* ex quibus plura colligit Buseus *de stat. hom. tit. Eremi status.*

Quibus profunde & solide se conformat vterque Thom. 2. 2. *quæst. 188. art. 4.* vbi S. Doctor plura valdè egregia dicit de vita & perfectione Anachoretarũ & Eremitarum solitariorum asserens † *hoc vitæ genus solitarium perfectius instrumentum perfectionis, quam sociale in Monasteriis esse*, cuius rationem egregiam dat in solutio. *ad 5. ex Arist. lib. 2. Polit. cap. 2. quia qui solitarius viuit, totaliter diuinis rebus inhæret, est supra hominẽ, & ideo dixit Aristoteles, quod ille qui aliis non communicat, aut est bestia, aut Deus idest diuinus vir.* Vnde idem S. Doctor *in corp. art.* rationem maioris perfectionis in Anachoretis, quam in cœnobitis assignat. *Quia* † *quod solitarium est debet esse per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti, & ideo solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruenit, quod quidem contingit dupliciter vno modo ex solo diuino munere sicut patet de Ioanne Baptista, qui fuit repletus Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris suæ. Vnde anima adhuc puer esset erat in desertis, alio modo per exercitium virtuosi actus secundum illud ad Hebræ. 5. Perfectorum est solidus cibus ad exercitium autem huiusmodi iuuatur homo ex aliorum societate, vel quantum ad intellectum, qui instruitur de contemplandis, vel quantum ad affectum, vt noxiæ affectiones reprimantur exemplo, & correctione aliorum, & ideo vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis, solitudo autem pertinet iam perfectis. Vnde Hieronymus dicit ad Rusticum Monachum: solitariam vitam comprehendimus minimè quippe, quam sæpe laudamus: sed de nido monasteriorum huiuscemodi volumus egredi milites quo eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tempore didicerunt, sicut ergo, quod iam perfectum est præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum si debite assumatur præeminet vitæ sociali, si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur est periculosissima, nisi per diuinã gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur sicut patet in Beatis Anton. & Benedicto.* hæc ibi, quibus Anachoretã & Eremitã solitariũ graphice à Patribus descriptum, Theologicè depuratum stillauit. Quare egregie ibi alter Th. *in comment.* dicit. *Tentatis ad vitam solitariam bene explanetur*

doctrina hæc, & examinent se si propter animi passionem solicitudinem quærunt, aut propter perfectionem vitæ iam assecutum, ita vt sint iam patientes, benigni, humiles, mansueti, & contenti pane, & aqua. Perfectorum, inquit Apostol. solidus est cibus eorum qui exercitatos habent pro consuetudine sensus ad discernendum practicè & affectuosè bonum & malum, quis est hic & laudabimus eum? Hactenus Cardinalis.

Quæ vtriusque Thomæ doctrinæ solidus cibus est quem mandere debent Patres spirituales & Superiores Regulares inter quos est Eremi habitatio ad tempus, vt sunt PP. Carmeli excalceati & domus recessus, vt nos clerici Minores, aut vitam solitariam in Eremitoriis solitudinis, vt Patres Benedictini, vt probent spiritus quibus excitatum ad huiusmodi vitæ modum, nam si absque præcedenti exercitio, atque examine talis vita
13 assumatur *est periculosissima*, quare † Patres in Trullo congregati examen & iudicium Episcopi requirunt, vt quis in solitudinem abeat. Verum est, quod ad paucos dies, vt exercitia spiritualia perficiat facilius potest licentia impertiri, tamen ad annum aut plures menses, examine & iudicio speciali opus est.

Hinc est quod olim antiqui Monachorum Patriarchæ nō solum celeberrima Monasteria ad vitam socialem religiosam in communitate ducendam instituebant, sed in locis vicinis lauras, & eremitoria ad eremitoriā solitudinem colendam ædificabant, quibus mittebant eos quos altioris contemplationis, & securioris perfectionis agnoscebant, vt ibi tanquam aurum in fornace decoquebantur, & se puriores redderent, ita referunt Cassianus *præfatione ad collationem* 18. Climacus *lib. ad Pastorem cap.* 14. & Ha-
14 sticulla *in hist. Camaldul. l.* 1. *c.* 5. Si enim Romuald. iuxta cænobia, quæ in eremis fundabat, cellia etiam plurium eremitoriorum ædificabat, in quibus qui digni & apti iudicabantur monachi vitam austerissimam degebant, tam in Calmaldullæ valle iuxta montis Apennini iuga à S. Romualdo *ann.* 967. quam in monte coronæ reformata à Paulo Iustiniano *ann.* 1520. de qua Baron. *t.* 12. *ann. Christi* 974. & 977. & Pla. *lib.* 2. *de bono stat. Relig.* adeo enim hic modus viuendi regularis omnibus aliis qui in Ecclesia erant instituti, & à Sede Apostolica confirmati erat asperior & rigidior, vt ad illum possint iuxta Bullam Eugenij IV. quæ incipit. *Illa* data 8. *Kalen. Decembr.* 1473. petita & non obtenta
15 licentia etiam Carthusiani transire, hunc viuendi modum eremiticum ambiendum antiquos Monachorum Patriarchas imitantes proponunt, multæ etiam mendicantium familiæ suis Religiosis ad tempus proponunt magnis spiritus diuini incrementis, sic Patres Capuccini, vt refert Bouer. *in annal. suis ann.* 1529. sic Patres Carmeli in qualibet Prouincia domum, quam vocant *deserti* habent. Nos etiam habemus domum, quam *Recessus* dicimus, in qua solùm contemplationi vacatur, & omnes omnino domus egressus sunt inhibiti & cum sæcularibus commercium, solum enim Procuratori conceduntur, omnes enim qui ibi degunt inclusi permanent in cœnobio toto tempore vacationis suæ, ad illam vitam peragendā, quæ etsi non sit eremitica sicut Camaldulēsis, & aliæ similes, est tamen quoddam reclusionis genus temporaneum ab omni sæculi tumultu secretum, valde conducens ad fauorem spiritus acquirendum & conseruandum, vt ab illo egressi facilius, & securius proximis ædificemus, illisque opera salutis impendamus, neque enim vitam eremiticam perpetuo agere possumus, nec ad id cogi possumus, cum institutum nostrum mixtum sit exactione & contemplatione, & vtriusque vitæ exercitia comprehēdamus, & vitam Anachoreticam contemplatiui solum possunt perpetuo habere, vt egregiè S. Thom. *vbi suprà.*

His † Anachoretis & eremitis adnume- 16
rantur illi (ni fallor) quorum Catalogum ex Benedictina familia texit Doctissim. Estenius in antiquitate monastica apprime eruditus *l.* 1. *disquisit. tr.* 8. *disquisit.* 2. quorū ante signanus fuit Marcius S. Benedicti discipulus, quē inclusus catena ad lapidē ligatum in spelunca occlusa, refert S. Greg. *lib.* 3. *Dialog. c.* 16. & plures alios sui Ordinis alumnos regulam S. Patris huiusmodi inclusis erudite accommodans, vt ostendat, ita rigidum fuisse Benedicti institutum, vt æquiparetur iure optimo inclusioni, eosdē & multos alios refert Guibellinus *de clausur. disquisit.* 3. *cap.* 4. *de inclusis.* vbi † & originem inclusorum inuesti- 17
gat, causas inclusionis assignat, tam in viris, quam in fœminis, loca inclusionis adfert ex historiis & vitiis Patrum, nam alij in cisternis, alij in sepulchris, alij in cauernis, & speluncis, & ferarum antris, alij intra septum subdio omnibus cæli, & tempestatum iniuriis, alij intra ambitum columnæ, & circumferentia se continebant, alij intra arborum cauitates, quorum omnium exempla adducit, verum fere nullus ipsorum iure inclusi dicuntur, ex cæremonia Ecclesiastica, sed deuotione & pœnitentiæ agendæ causa, ita se includebant absque voto & Episcopali examine, atque iudicio, vtrumque enim exigitur ad solemnem & iuridicam inclusionem, & sine vtroque simul, inclusio simplex est nullo vinculo strictа & obserata.

Huiusmodi † Asceticis cœnobiis, Anacho- 18
retis, eremitis, & solitariis, (qui suā residentiā habebant,

habebant, & sedem in cœnobiis, lauris, cellis, eremitoriis, & aliis inclusoriis locis) duo alia Monachorum pessima genera sunt opposita, & contraria. Primum est Sarabaitarum qui Ægyptiaca lingua (vt diūct Cassianus *collatio.* 18. *cap.* 7. (vbi teterrimum, & infidele monachorum genus appellat) Isidorus *lib.* 2. *officio. cap.* 15.) ab eo quod se met-
19 ipsos à cœnobiali disciplina sequestrant, suasque appetunt liberi voluntates D. Hierony. *epist.* 22. *ad*..... Romoboth. *apud quos* (ait) *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis erasior, crebra suspiria visitatio virginum, detractio clericorum.* Hos etiam Sarabaitas, S. Odo Abbas *lib.* 3. *collat. cap.* 23. *Renuitas* appellat, quia iugum regularis disciplinæ renuunt, *bini, vel terni, nec multo plures simul habitant* (ait Hieronymus *vbi supra*) *suo arbitratu ac ditione viuentes, quos esse in sua Prouincia* dicit, & esse genus monachorum teterrimum, & neglectum, huiusmodi Sarabaitæ apud Turcas esse strictioris vitæ, & austerioris inclusionis narrat Rodiginius *lib.* 14. *lectio. cap.* 39.

20 Secundum † genus Monachorum teterrimum est eorum qui dicuntur *Gyrouagi*, quos peiores esse, & deteriores Sarabaitis ait S. Benedictus *in Regula cap.* 1. qui isti ædificant cellas, & saltim bini habitant, & de opere manuum suarum aluntur, at Gyrouagi, & nullibi habitant de laboribus alienis viuunt, dicuntur enim à Synesio *epist.* 67. *vacantiui*, & eo vagantes vbi maius compendium est quos Monachos vagantes, & gyrouagos eleganter describit August. *lib. de ope-*
21 *re Monacho. cap.* 28. his verbis. † *Iam multos Hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit* (Diabolus) *circumeuntes prouincias nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum venditant: alij fimbrias, & filacteria sua magnificant: alij parentes, & consanguineos suos in illa regione viuere & ad eos pergere mentiuntur, & ab omnibus petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis, cum interea in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquomodo innotuerint sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur tam bonum, tam sanctum quod in Christi nomine cupimus sicut per alias terras sic per totam Affricam pullulare.* Hactenus August. *hos Gyrouagos circumuagantes, & pereuntes aues tortuoso volatu, & eorum consilia vespertilionum volatibus.* Similia dicit Basilius *c.* 9. *constit. Monacha.* Euripes nidoris ciborum vento circumactos, ac perpetua instabilitate laborantes Isidorus Pelusio. *lib.* 1. *ep* 41. *ad Philippum Gyrouagum Monachum Trutanos?* Cæsarius Husterbacensis Abbas *lib.* 1. *cap.* 10. *dicunt.*

Sed quid *Trutanus?* quidam dicunt vocem esse Barbaram, & idem valere Hispano, & Gallo idiomate quod *Tricam* ita Estenius *vbi supra disquis.* 3. *in fine.* Sed melius
† ni fallor *Trutanus*, pro Truo, truonis, auis 22
cygno non dissimilis græce ὀνοπρόσωλος dictus in faucibus ipsis capacissimum ventriculum habens, quo omnia congerit donec perfecta rapina, sensim inde in os reddita in veram aluum ruminantis modo refert, vt ait Calepinus verbo *Truo*; quæ proprietas egregie quadrat monacho gyrouago, qui Euripus dicitur circucumactus ciborum vēto à Pelusiota. Truo enim siue ὀνοπρόσωλος valde gulosus, & vorator, vt tradit ex Isidoro Bercharius *lib.* 7. *reductorij cap.* 55. & tradit Basilius *cap.* 9. *citato. ventre* (inquit) *intemperantes sunt.* Quare mihi verisimilius hoc videtur.

Hos Gyrouagos Monachos cum circumcellionibus August. confundit Estenius *dis-*
quisitio. 23. *citat.* Quia † teste Aug. *enarra-* 23
tio. in ps. 132. *circūcelliones dicuntur* (ait S. Doctor, *quia circum cellas vagantur*, quod dicit S. Benedictus *cap.* 1. de gyrouagis *qui per diuersorum cellas hospitantur semper vagi nunquā stabiles.* Sed toto cœlo errat in re Estenius *circumcelliones* Augustini alio contagio contra fidem laborabant, hæretici enim erant vt liquido constat ex *enarrat. in præfatum ps. aduersum primum. ecce quam bonum, & quam iucundum*, vnde † Donatistæ dicebant suos 24
alumnos non circuncelliones, sed agonistas vocandos esse, quia agonem idest martyriū patiebantur. De quibus Castro *de hæresibus. verb. Martyrium. Tertia hæresis est adhuc pestilentior, ne dicam atrocior, quoniam asserit omnes qui vltronei mortem patiuntur esse martyres dicendos, siue talem mortem ab aliis inflictam patiantur, siue eam sibi ipsis infligant. Huius hæresis authores vocat August. Circumcelliones lib. de hæresibus cap.* 69. dicens † *eos esse genus* 25
hominum agreste, & famosissimæ audaciæ non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insania, & feritate parcendo. Nam per mortes varias maxime præcipitiorum, & aquarum, & ignium se ipsos necare consueuerunt. Et in istum furorem alios seducant, & se ipsos occidant, quod si facere alij contemnunt, mortem illis minantur, dicentes hoc modo illos martyres fieri. Hos hæreticos Philiaster vocat circuitores, quoniam ad hæc facinora perpetranda per diuersas partes circuibant. Quis huius insaniæ hæresis fuerit Dux, aut quo tempore cœperit, nec August. nec Philiaster prodidere, Augustin. dicit illos pertinere ad Donatistas, & sub illis militare. Hactenus Castro.

Sed ego existimo quod † horum circun- 26
cellionū primus Dux fuit Petilianus Donatista ille, contra quem aliquot scripsit tractatus. Hic enim docebat, eos qui se pro pec-

cato interimebant debere Martyres nuncupari pro eo quod puniunt in se quod dolent commisisse, ex hoc enim..... dolore impulsi, & acti circumcelliones in præcipitia se dabant, igni tradebant, & in aquis se suffocabant, vt morte corporis delerent infectionem animæ per peccatum, sed de his Lõgiùs dixi *tom.5. de vero Martyrio fidei tr.4. Resol.23.* vnde luce clarius constat quod circumcelliones Augustini non sunt Gyrouagi Benedicti, illi hæretici Donatistæ, isti catholici erant, etsi malis moribus assueti, gulosi, inconstantes, & similibus vitiis infecti, quare etsi ethymon circũcellionũ datum ab August. gyrouagis conueniat, quia hospitabantur iuxta monachale institutum triduo in cellis cænobiorum, ad quæ aduentabant, & sic cellas monachorum circuibant, ast in re non erant circuncelliones hæretici, de quibus Aug.

27 Igitur † Anachoretæ, Solitarij, Celliotæ, & huiusmodi Assetici viri, à tumultuarij sæculi negotiis, & à consorcio, & societate etiam monachali segregati sibi solis viuentes, solique Deo vacantes simplici inclusione erant inclusi, & multi solo proprio spiritu ducti, non diuina acti inspiratione in Eremum, & inclusoria abibant, inconsulto Abbate, & Episcopo ignorante, vnde etsi bonus esset zelus, at non secundum scientiam, ex huiusmodi enim recessibus multa scandala apostasiæ non paucæ, & pericula multa oriebãtur, quæ videntes, & considerantes Patres *Toletani Concilij 7.* congregati *ann.652. sexto anno Regni Chindasundi Regis* sic statue-
28 runt, † integrum caput do, quia continet plura antiquis Conciliis statuta. *Quosdã Paternarum ignaros vel oblitos traditionum in tantam conspicimus corruisse desidiam, vt eorum execrando vsu pene abolita patescant, quæ extitere legitimè constituta. Dum enim in docti dicere appetunt, quid aliud quam quod ignorantiæ errore vexentur, ostendunt? & quia egressu præpostero innitentes præsumptionem doctrinæ discendi studiis anteponunt, patet quod non summa humilitatis petunt, sed actioni deprauationis inseruiunt (videant, & attendant qui nouitatibus vacãt antiquitate spreta, quod iuxta hos doctissimos, & venerabiles Patres non summa humilitatis petunt, sed actioni degrauationis ostendunt, superbi ergo sunt isti, & omnia bene statuta deprauant nouitatibus suis) ex*
29 *hoc ergo iustæ seueritatis decernentes opportuno amputare iudicio. Iubemus eos quos in cellis propriis reclusos sanctæ ambitio vitæ tenet, quosque eiusdem sancti propositi, & merita sumant, & probitas ornat, hos, & Dei auxilio, & nostro fauore tutos existere, illos vero quos in tale propositum ignauia impellit, non prudentiæ cognitio deputauit, quosque nullæ vitæ dignitas ornat, sed quod est deterius, & ignorantia fœdat, & morum execratio turpat, decernimus ab iis abiici cellulis atque locis in quibus aut ferũtur vagi, aut tenentur inclusi; atque ab Episcopis siue rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerunt vel in quorum vicinitate cõsistuntin monasteriis omnino deputentur, vt illic sancti Ordinis meditantes doctrinam primum*
30 *possint discere quæ sunt à Patribus instituta, vt postea valeant docere quæ sunt sancta meditatione percepta. Atque tunc demum si doctrina, & sancti operis fructu extiterint fœcundati ad summa virtutis properent, exercitio sanctæ intentionis imbuti. Deinceps autem quicunque ad hoc factum propositum venire disposuerint, non aliter illis id dabitur assequi, neque hoc antea poterunt adipisci, nisi prius in monasteriis constituti, & secundum sanctas monasteriorum regulas plenius eruditi, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam potuerunt sanctæ promereri doctrinæ, &c.*

Patres Toletanos imitati sunt Patres constantinopolitani in Trullo congregati *anno 690. canon.41.* † vbi sic habetur, *eos qui in vr-*
31 *bibus vel vicis in clausuris volunt secedere, & ipsi sibi separatim, & in solitudine attendere, prius quidem in monasterium ingredi oportet, & anachoreticam, hoc est ab aliis separatam ac semotam viuendi rationem exercere, & spatio triennij, ei qui mansioni præest, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, vt æquum est implere, & ita eius vitæ eligendæ institutum profitentes, & quod eam ex toto corde sua sponte amplectuntur, ab eius loci præsuli examinari. Deinde sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere, vt si opus eorum maneat manifestior. Post tanti autem temporis complementum si in eodem vitæ eligendi instituto permaneat, includi ipsos, & ei non amplius licere quum etiam voluerint ex tali mãsione egredi, præterquam si propter communem vtilitatem vel aliã necessitatem ad mortem vrgentem ad id trahantur, & ita cum benedictione eiusdem loci Episcopi.* Hactenus ibi.

Vtrumque sane Concilium vnum in oriẽte, & alterum, in occidente congregatum
32 huius antiquæ, & rigidæ inclusionis vestigia, & notiones proposuerunt Patres se conformantes Concilio Agathensi celebrato *anno 516.* sub Symmacho Papa *cap.38.* & Concilio Veneto in Venetia Galliæ ad Litus oceani Gallici congregato *cap.7.* vtriusque enim Concilij Patres modum præscribunt huiusmodi inclusionibus, siue in Eremis, & solitudinibus siue in villis, & ciuitatibus. Sed Patres Toletani formam requisitam dedere, vt quis solemniter possit includi, ne quis includatur, & solitarie viuat, nisi prius vitam egerit socialem in monasteriis, deinde quod si aliter hoc inclusorium fiat à Præsulibus, & eius ministris coerceantur, & reformentur, huic enim doctrinæ se conformat D. Tho.

Tho. *quæst.188. art.vlti 22.* dum dicit quod
33 † vita eremitica, & anachoretica periculosissima est nisi perfectione acquisita in vita sociali monasterij, rursus tanquam necessarium requirũt Patres quod ad inclusionem, vt erudiantur secundum sanctas monasteriorum regulas, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam sanctæ doctrinæ acquirant, quare hæc vita socialis in monasteriis fuit veluti nouitiatus ad inclusionẽ, ita vt sine illo hæc nec solemnis nec iuridica existeret.

34 Sed plenius Patres Trullani † hoc totum expressere suo Decreto, nam Toletanum non determinauit tempus huius nouitiatus, & instructionis præambulæ ad inclusionem, vt fecit Trullanum constituens, *triennium* ad vitam socialem, & *annum* ad anachoreticam priusquam includeretur aliquis. Secundo addit quod talis inclusio ita solemnis est vt non liceat ex illa mansione egredi nisi vtilitas publica aut necessitas vrgens, & vergens ad mortem instet. Tertio requirunt vtriusque Concilij Patres, vt solemniter recludendus examinetur ab Episcopo cuius iudicium intercedat, & prudentiale dictamen, sicut hodie requirunt Patres Tridentini *sess.25. cap.17. de Regular.*
35 vt † moniales solemniter includantur, & in clausura claustrali resideant; viri enim qui antiquitus se includebant, ad id voto, & iuramento præstito se obligabant, vt supra dicebamus ex Radero, qui ex Membranis M. 51. quæ sunt in Monasterio Paumburgensi Regulam ordinis inclusorum ad verbum adfert, & refert Estenius *lib.1. tract.8. disp.2.* Sed existimo hunc ordinem non fuisse distinctum ab aliquo monachali, sed in monasterio fuisse designatum locum circumcellis suis, & inclusoriis in quibus specialem illum, & rigidum modum viuendi obseruabant qui de licentia Abbatis, & Episcopi examine, & iudicio includuntur (tunc enim regulares subdebantur Episcoporum iurisdictioni) hoc autem ita esse constat ex Regulis ipsis si attente leganturq; & nos supra hac eadem sectione adnotabamus.

Duo circa huiusmodi solemniter inclusos
36 noto. † Primum, quod Raderus *vbi supra* (cuius verba adfert Estenius) *cap.15.* dicit quod includendus in oratorio coram Episcopo, & omni clero promitta verbis tãtum de stabilitate sua vel conuersione morum suorum. Post ingressionem autem præcipiat Episcopus ostium Retrusionis cellulæ *apos fragismo* (id est sigillo suæ dignitatis) sigillare, vt scilicet nulli liceret reclusionem, & clausuram frangere impune, & seclusorij ostium aperire tanta erat huius reclusionis Religio.

Secundum, quod in Regula illa reclu-
37 sorum Paumburgensi illius initio dicitur: *Quicunque seruauerit ordinem illum sciat se sine dubio saluandum, sed si quis introierit, & non perseuerauerit sciat se damnandum.* Quæ doctrina caute est legenda, & sale catholico condienda, non enim hoc est omnino, & absolute infallibiliter verum, sed verificatur, quia huiusmodi institutum secum habet ita parata auxilia ad bene viuendum, quod si quis illis non abutatur, sine dubio saluabitur, sicut dixit Ioannes secundus de ordine Cisterciensi. *iuxta Christi reuelationem, & infallibile promissum perseuerantes in isto ordine Cisterciensi sub religiosa humilitate, & obe-* 38
dientia infallibiliter saluabuntur, circa quæ verba sic Hispano sermone *in annalibus ordinis Benedictini* sic fatur Pater Zepes: *Con estas reuelaciones senos da a entender que por los merecimientos de los santos da Dios mas copias de fauores; socorros mas claros y patentes conque hace aqui jar alos sieruos de Dios, y si no es que ellos resistan a sus llamamientos los fauores y oraciones de los santos son tan poderosas, que sacan a vn alma de las tempestades deste mundo al puerto seguro de la saluacion, y tener ayudas tan efficaces es gran fauor.* Hactenus ille; hoc & nihil amplius dicitur *in præfato proœmio Regulæ Inclusorum*, & sic, & non aliter est intelligendum. Sic consultus respondi Mantuæ Carpentanæ *ann.1644.* de quadam reuelatione facta non dissimile huic, cuidam Religiosæ fœminæ, & hæc de inclusis, & ordine inclusorum doctrinaliter sint dicta, vt Historiæ Ecclesiasticæ intelligantur; nec enim descendendum est ad eas in speciali; esset enim superfluum intentioni nostræ.

SVBSECTIO III

Quæ fuerit antiquitus pœna reclusionis in Monasterium.

SVMMARIVM.

1. *Reclusio in monasterium pœna fuit antiquitus à sacris Canonibus imposita pro agenda pœnitentia, ob patrata delicta tam clericis quam laicis.*
2. *Clericus adulterij conuictus depositus ab officio communione concessa, in Monasterio toto vitæ tempore trudatur, ex Conc. Aurel.*
3. *Retrusionem in monasterium tradit in clericos peccantes contra naturam Alexander III.*
   Et in reuelantes confessionis sigillum Innocentius III.
4. *Laici homines, & nullo insigniti Ecclesiastico ordine in Monasterium detrudebantur in pœnam commissi criminis.*
5. *S. Gregorij Mag. sensus adducitur; necnon Hormisdæ Papæ, & n.6.*

7. Quid

7. *Quid inter pœnitentiam solemnem, & publicam detrusionis in monasterium intersit.*
8. *Pœnitentia solemnis à pœnitentia iuridica, & publica distinguitur.*
9. *Inter pœnitentiam solemnem, pœnitentiam iuridicam illatam pro delictis, & inter statum pœnitentium, discrimen, & numero 59.*
10. *Baronij sententia adducitur.*
11. *Anathematizatus in rigore censuræ Ecclesiasticæ non admittitur ad consortium fidelium ciuile, nedum Ecclesiasticum.*
12. *Authoris iudicium affertur, & n.13.45.53.54.73.*
14. *Quid sit subiectio ex S.Greg.*
15. *Quid item sit congregatio, & consistentia ex eodem.*
16. *Guibellini sensus admittitur.*
17. *Quid veniat notandum contra Guibellinum.*
18. *Qui pœnitentes solemnes aliqua excommunione maiori vel minori erant ligati.*
19. *Excommunicatio maior, & anathema non fertur nisi pro peccato mortali, in quo quis erat contumax, & incorrigibilis.*
20. *Excommunicatio ferri non potest pro peccato mortali nisi contumax fuerit ex S.Thoma.*
21. *Quæ exclusio non dicatur maior.*
22. *Concilij Eliberitani sensus adfertur, necnon Innocentij III. remissiuè, & n.23.*
24. *Quæ dicebantur cæremoniæ quibus Ecclesia vtebatur cum pœnitentibus.*
25. *An excommunicatio minor separet hominem à cætu fidelium, & n.26.*
27. *An pœnitentia publica diuersum quid erat ab statu pœnitentiæ.*
28. *An status pœnitentiæ esset omnino distinctus ab statu monachali, & professione solemni religiosa.*
29. *Tertulliani sensus adducitur, & numer.81. & 89.*
30. *An quandiu quis erat adimplens solemnem pœnitentiam, non poterat habitum pœnitentiæ dimittere.*
31. *Conc.Tolet.IV.Decrecum affertur, & n.60. quid item circa Decretum hoc veniat ponderandum, & n.32.*
33. *Solemnis pœnitentia iterari non debet propter tria, ex S.Thom.*
34. *Sæcularis qui statum pœnitentiæ solemnis se totondens, & comã abscindens accepit, iterum fieri laicus esse nequit, & n.35.*
36. *Cur in ordinibus tam monachalibus quam mendicantibus aliqui in temporalibus negotiis, & officinis occupati dicantur conuersi.*
37. *Quomodo pœnitentia solemnis fiat.*
38. *Pœnitentia publica solemnis solis hæreticis, & schismaticis dabatur.*
39. *Episcopus solus potest pœnitentem reconciliare, & n.40.*
41. *Isti solemnes pœnitentes in cœna domini quolibet anno à suis Presbyteris in Ecclesiam reducuntur, ex S.Thom.*
42. *Solemniter pœnitentes etsi non fierent Religiosi solemniter professi, an ex vi solemnis pœnitentiæ si coniugati erant nequirent debitum exigere, & n.43.*
44. *Solemnis pœnitentiæ exomologesis impedimentum erat non dirimens, sed impediens matrimonium.*
46. *Solemniter pœnitentibus noua coniugia erant prohibita.*
47. *Solemnizatio pœnitentiæ quid sit, ex S.Thoma.*
48. *Concilij Arelatensis statutum affertur, necnon Aurelianensis, & n.49.*
50. *Quid ex dictis veniat colligendum, & n.51.52.55.61.*
56. *Item Conc.II. Matisconens. statutum affertur.*
57. *An pœnitentes coniugij debeant relinquere copulam.*
58. *Ex pœnitentia solemni oriebatur impedimentum ad matrimonij vsum.*
62. *Pœnitentia publica, & solemnis aliquando confunduntur in iure Canonico.*
63. *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, ex Tertul.*
64. *Santbenito ex quo originem ducat, & numero 65.*
66. *Quis item hodie santbenito color imponatur.*
67. *Crux signum est exterius quo fidem Catholicam Christicolæ omnes profitentur.*
68. *Cur color croceus in crucibus imponatur, & n.69.*
70. *Solemniter pœnitentes tondeantur, & comam non nutriant, ex Conciliis Tolet. & Hispan.*
71. *Cur mulier in solemni pœnitentia, non abscindebat comam, & n.72.*
74. *Paulini sensus affertur.*
75. *Fœmina caput debent velare propter Angelos.*
76. *Cardinalis Baronij mens propalatur.*
77. *Mos abscindendi capillos tam virginibus deo dicatis quam pœnitentibus solemnibus semper viguit.*
78. *Non est idem comam habere, & illam nutrire, & comam nutrire, & illum abradere.*
79. *Ambrosij sententia adducitur.*
80. *Comam habere viris non est dedecus.*
82. *Tonsor locum habet in viris non in fœminis.*
83. *Viris indecorum comam nutrire.*
84. *Quomodo comæ nutritio fieri contingat.*
85. *In comæ nutritios Senecæ inuectio.*
87. *Item in fœminas comæ nutrices insurgit Affricanus. n.87. & 88.*

90. *Vir*

90. *Vir solemniter pœnitens tondeatur, & fœmina non accipiat pœnitentiam nisi habitum prius mutauerit.*
91. *Solemnis pœnitentia tam viris quam fœminis hodie non est in vsu, & n.92.*

1 REclusio in Monasterium † pœna fuit antiquitus à Sacris Canonibus imposita pro agenda pœnitentia ob delicta patrata, tam clericis, quam laicis, tam viris, quam fœminis, his in conuentum puellarum, & illis virorum. Concilium Agathens. sub Symmacho Papa *anno* 506. *Episcopum, Presbyterum, & Diaconum ob capitale crimen, honore officij, & cingulo honoris depositis in monasterium detrudi, & laica communione contentum fore quoad vixerit mandat.* Idem de Presbytero, & Diacono Epaunense sub Hormis-
2 da *cap.*22. & Aurelianense 3. *cap.*3. † de clerico adulterij conuicto, statuit quod depositus ab officio communione concessa in monasterio toto vitæ tempore trudatur, sed in hac pœna imponenda vigilantiores, & exactiores extitere Patres mei Toletanorum Conciliorum, nam in *Tolet.*4. *cap.*28. congregati, Episcopum, & quemlibet clericum qui ariolos cõsulũerit, scelus sacrilegij admissum soluat perpetua monasterij clausura ad perpetuam peragendam pœnitentiam, & in Tolet.7. *cap.*3. vnius anni reclusione in monasterium castigat clericos honoratiores, qui segnes, & tardi extitere in commonendo vicino Episcopo de exequiis, & morte sui Episcopi, & in Toletan. 8. *cap.*3. & simoniace ordinatos, & fœminarum contubernio à quo se non possunt cohibere, sed relabuntur in idem crimen iam correcti in monasterio sub perenni pœnitentia donec vxerint, retrudunt Patres domum Dei, & ipsius Ecclesiam zelantes. Similem retrusio-
3 nem in monasterium † tradunt Alexander III. in suo Lateran. *c.*11. *p.*1. in clericos peccantes contra naturam. Innocentius III. *in suo cap.* 21. in reuelantes confessionis sigillum. Feminis etiam hanc pœnam esse impositam constat ex Concilio 2. *Matisconensi cap.*16. in quo instituitur quod si vxor Subdiaconi (tunc enim non habebat votum solemne castitatis sicut hodie) exorcistæ vel Acholiti illis mortuis secundo se matrimonio copulauerit separetur, & in cœnobiis puellarum Dei, tradatur, & ibidem vsque ad exitum vitæ suæ permaneat. Idem statuitur in concilio Constantinopolit. in Trullo congregato *cap.* 48. de vxore Episcopi electi, non vt agat pœnitentiam, sed vt ibi ab Episcopo separata caste viuat, vt bene Balsamon. *ibi* adnotat. Imo etiam si Monachus graue, & capitale commiserit crimen à suo monasterio in aliud durioris, & asperioris vitæ retrudi mandat Concilium Altisiodor. *cap.*23. † Laici etiam homines, & nullo in- 4
signiti Ecclesiastico ordine in monasterium detrudebantur in pœnam commissi criminis. Constat ex Concilio Narbonensi *cap.*6. Vnde Innocent. I. (qui sedebat in cathedra Petri *ann.* 602.) vt dicitur in eius vita cum multos Cataphrygas hæreticos inueniret eos in exilium monasterij relegauit, exilium autem monasterij idem est quod detrusio in monasterium, & his omnibus antiquior Conciliis † S.Greg.Magnus *lib.*1. *epist.*42. *ad* 5
Petrum Subdiaconum, ait. *De lapsis sacerdotibus, vel leuitis, vel quolibet ex clero obseruari à te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima Monasteria regularia require quæ secundum Deum scientur, & in eisdem monasteriis ad pœnam lapsos trade, vt res lapsorum in eodem loco proficiant in quo agere pœnitentiam traduntur quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant qui de correctione illorum solicitudinem gerunt.* Eandem pœnam imponit Innocent. III. *cap. tua* 6. *de pœnis.* Clericis in latrociniis, vel aliis magnis scelerib̃us deprehensi: *quia suis enim ordinibus degradati detrudi debent in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam.*

Sed † rigidius loquitur Hormisda Papa 6
epist. ad omnes Episcopos per vniuersas Prouincias constitutos, quibus sic scripsit: *Ille qui inuitus ad pœnitentiam agendam mittitur in Monasterium (qui vtique nihil aliud quam pœnitens dicendus est,) qua conscientia ad Sacerdotium venire permittitur? Nemo mihi alia quælibet contra authoritatem Sedis Apostolicæ, vel* 318. *Episcoporum (Concilij Nicæni) vel reliquorum Canonum constituta obijciat: quia quidquid contra illorum definitionem (in quibus Spiritum sanctum locutum credimus) dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.* Hactenus Pontifex relatus *cap. si ille* 58. *dict.* 50. circa quæ verba nota, quod Pontifex non loquitur de pœnitẽtia solemni, hæc enim valde distincta erat à pœnitentia publica, quæ fiebat detrusione in Monasterium in pœnam delictorum, vt notat bene Campanil. *in diuers. iuris rubr.* 11 *cap.*21. *n.*1. *in fin.*

Sed † quid inter pœnitentiam solem- 7
nem & publicam detrusionis in Monasterium interfit, nobis proponit Leo Papa I. *epist.* 90. *cap.*2. *ad Rusticum Narbonen.* rescribens, cui interroganti, an Presbytero, vel Diacono solemnis pœnitentia sit imponenda. Respondet sic: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, vt qui Presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint consecrati, ij crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiebant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit secundum quod scriptum est, si Sacerdos peccauerit quis orabit pro eo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendum misericordiam*

Dei

Dei priuata est expetendæ secessio (id est, in monasterio detrusio) vbi illis satisfactio si fuerit
8 *digna, sit etiam fructuosa:* Ecce vbi † manifestè distinguit pœnitentiam solemnem à pœnitentia iuridica & publica, quod illa non datur Presbyteris & Diaconis, *iuxta Apostolicam traditionem:* bene tamen ista, quæ est in Monasterium secessio & detrusio præhabita manus impositione: solemnis enim pœnitentia dabatur laicis insignibus peccatoribus, cuius forma traditur in Concilio Agathensi, *cap.*15. relato, *cap. pœnitentes. & cap. in capite* 50. *dist.* & in Concil. Toletan. 1. *cap.* 2. vbi definitur, quid sit solemnis pœnitentia: *Eum verè pœnitentem dicimus* (aiunt Patres Toletani) *qui post baptismum aut pro diuersis criminibus grauissimisque peccatis publicamque pœnitentiã gerens sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altari*; hæc ibi. Cilicium enim super caput à Sacerdote impositum (sicut vbique constitutum est, vt ait Concilium Agathense (super caput impositum, comæ depositio, vestimentorum mutatio, eiectiò ante Ecclesiæ portas, ceremoniæ erant quæ solemnem constituebant pœnitentiã, quam imponere Presbyteris, & Diaconis alienum est à consuetudine, & traditione Ecclesiæ.

Hinc tria sunt distinguenda quæ valde conducunt ad Canonum, & Cõciliorum antiquorum veram, & germanam intelligen-
9 tiam. † Primum, est pœnitentia solemnis. Secũdum, pœnitentia iuridica illata pro delictis; Tertiũ, est status pœnitentium. Inter quæ tria, hæc discrimina sunt notanda plura enim dicit Gibellinus lato calamo *lib. de clausura disquis.* 3. §. 6. 7. & 8. Quæ etsi erudite sint congesta tamen veritate non nitent antiquitatis. Igitur Primum discriminant, quod pœnitentia solemnis varios habebat gradus, classes pœnitentium, & loca designata in quibus peragebatur, neque enim omnibus pænitentibus solemnis par erat Ecclesiasticus rigor impositus, hos autem gradus, & diuersa loca sic nobis proposuit Magnus ille Gregor. ob miracula facta ab ipso dictus Thaumaturgus Neouariæ Episcopus, *in Epistola Canonica*, quam refert Cardinal. Baronius *ad annum Christi* 263. & scripsit ad emendationem plurium delictorum per pænitentiam solemnem circa finem post plura
10 sic fatur. † *Fletus seu luctus est extra portam Oratorij vbi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro se precentur*, & hic gradus Græcè dicitur ὑποπίλησις subdio enim erant existentes in hoc gradu, vnde Synodus Anzyrana *cano.* 17. hyemantes appellat, quia rigorem hyemis ante portas Ecclesiæ stabant deplorantes, & orationes fidelium deposcentes, vt suorum delictorum veniam impetrarent, & ait Gibellin. *vbi supra n.* 35. ex Isaac Lingonien. relato *tom.* 3. *Concil. Gallica. tit.* 3. 10. & 14. quod isti erant, dicebantur anathematizati, sed fallitur si anathema sumatur in rigore Ecclesiasticæ cẽsuræ, sed sumitur largè quatenus anathema sumitur pro separato, & segregato & solitario, à communi vsu, quo sensu vtitur Iustinus Martyr *responsio.* 121. *ad Orthodoxos*, anathe- 11
matizatus enim † in rigore Ecclesiasticæ censuræ nullo modo admittitur ad fidelium consortium ciuile, nedum Ecclesiasticum etiam ad fores Ecclesiæ à cuius cõmunione penitus est exclusus, nisi correctus absoluatur, vt est constans fidelium sententia & Ecclesiæ traditio. Anathematizatus enim traditur Diabolo, vt Spiritus eius saluus fiat.

Prosequitur Thaumaturgus ad secundum gradum, & classem pœnitentium, *Auditio est* (inquit) *intra portam* (oratorij) *in loco quem* ἀκροάσεις *vocant, in ferula, vbi oportet eum qui peccauit stare post Catechumenos vsque ad Catechumnos, etiam illinc ingredi. Audiens enim post scripturas, & doctrinam eijciatur, & precatione indignus censeatur:* Hic gradus dicitur ἀκρόασις; qui locus Catechumenorum aptus erat in Ecclesia designatus, vt diuinas possent audire scripturas, & catechesim, & instructionem doctrinæ Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ, ritus & mores Christianorum, sed cur tam Catechumeni, quam 12
huius classes pænitentes *sub ferula*, esse dicerentur, non explicat Gibellinus. Sed † ego existimo, quia sub Magistro & Catechista erant quibus iure competebat ferula, qua vel ferirent discipulos, sic sub ferula esse idẽ est ac sub Magistro apud Hieronymum, vel quod ab illo fulciuntur, & solidantur Catechumeni ferula doctrinæ sanæ, qui enim à discipulatu discedunt, & desinunt esse sub Magistro dicuntur *manum ferulæ subducere*; quia iam non pueri docendi, quo sensu vtitur hac phrasi Iuuenalis *Satyra* 1.

Et nos enim manum ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Syllæ.

Nõ diffiteor quod citatus S. Hieronymus *in* 13
Epist. ad Domnionem subducere ferulæ, denotet manum subiicere, & supponere ad ictum Magistri corrigentis, & ferientis, sed melius meo iudicio est, quod cum in loco in quo Cathecumeni audiebant scripturas, & instruebantur in Christiana doctrina essent Catechistæ, Magistri, & pedagogi constituti, & designati, vt constat ex Luciano in Philopatro, & Cyprian. *epist.* 34.....isti habebant sceptra facta ex ferula (quæ erat fruticis genus, quo non aliud leuius quæ à Græcis ναρθήξ dicitur apud Plinium *lib.* 13. *cap.* 22.) quibus terreant tanquam signo authoritatis & magisterij, quam duricie sceptri lædant, vnde Columella in carmine.

Ferulæ

Ferulæ minaces plantantur

Vnde hos secundi gradus pœnitentium sub ferula esse idem est ac sub Magistro, Catechista, & doctore esse tanquam Catechumenus iste, vt instruatur in fide, illi vt animentur, ad pœnitentiam peragendam.

14 Tertium pœnitentium gradum sic proponit S. Greg. *Subiectio autem † seu subtractio est vt intra templi portas stans cum catechumenis ingrediatur hic gradus dicitur* ὑπόπτωσις, *id est, subtractio.* Pœniẽtes enim huius classis, supplices, & conuersi dicebantur qui vltra ea quæ faciebant, qui erant in secundo gradu missam catechumenorum audiebant, & ad sacerdotum pedes prostrati totius Ecclesiæ, & fidelium orationes postulabant, & à sacerdotibus manus impositionem in signum benignitatis accipiebant, non tamen assistebant toti sacrificio, & oblationibus, & eiectis à catechumenis super hos pœnitentes oratio, & manuum impositio fiebat, quod latius edisserit Isaac Lingonien. *vbi supra à cap.* 8. *vsque ad* 17.

15 Quartum gradum constituit sic *Congregatio & consistentia est, vt cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non ingrediatur.* Hic quartus pœnitentiæ gradus σύστασις dicitur qui iam proximiores ad veniam intra Ecclesiam, & cœtum fidelium admittebantur intererat toti sacrificio, sed neque offerebant, neque Eucharistiam, & sacram communionem accipiebant, post hunc enim gradum ponitur à S. Gregor. *Consecutio perfecti, & optimi*, scilicet *participatio sacramentorum*, quæ illis dabatur post legitimam pœnitentiam solemnem in omnibus his gradibus, & classibus perfectam, hos autem gradus, & ascensus non habent pœnitentia iuridica, quæ est reclusio in monasterium in vindictam publicam ob delicta, quibus à iudice formato processu, pœna hæc per sententiam infertur, sed solum erat temporalis, aut perpetua iuxta qualitatem personæ, & delicti, status etiam pœnitentium, si est idem quod status Religiosus, vt vult Guibellinus, & ego satis probabile iudico, vt mox dicam, hos gradus pœnitentiæ
16 solemnis non habet, sed est status honorificus in Ecclesia, notat, & † bene idem Guibellinus *num.* 37. non fuisse necessarium, quod pœnitentes hos omnes gradus ascenderent, & classes pœnitentiæ solemnis percurrerent, sed relinquebatur arbitrio Episcopi, qui & facinoris grauitatem, & pœnitentis ætatem, vires, mores, ac vitam examinaret, vt constat ex Ancyrano Concilio *à Can.* 15. *vsque ad* 24. in quibus pro aliquibus criminibus valde atrocibus non arbitrio Episcopi id relinquit, sed determinat quod fiat solemnis pœnitentia secundum gradus præfixos, & & pristinos sic *canone* 19. & 20. & 24. Sed iam ô dolor! huiusmodi canones pœnitentiæ solemnis aboliti sunt, & abrogati.

Sed † aliqua sunt valde notanda pro an- 17
tiquorum morum Ecclesiæ notitia. Primum, est contra Guibellinum *vbi suprà qui n.* 30. & 38. dicit (nescio quo firmo fundamento) quod, *pœnitens solemnis in quocunque horum quatuor graduum existeret erat excommunicatus, nam existentes in primo, & secundo ligati erant excommunicatione maiori, stentes enim qui erant in primo gradu tecto, & limine Ecclesiæ submouebantur Satanæ traditis. Audientes vero qui erant in secundo gradu limen quidem Ecclesiæ subibant, & eius portas ingrediebantur, sed minus quam catechumeni, fidelium orationibus participabant, quare excommunicatione maiore, & anathemate erant perculsi, & ligati, alij vero, qui erant subtracti in tertio gradu, etsi orationibus pro eis fusis, & manus impositione fruerentur, tamen non assistebant toti sacrificio; & consistentes qui sunt in quarto gradu, etsi toti sacrificio assisterent, non tamen communicabant & diuinam Synaxim, & alia sacramenta Ecclesiæ percipiebant, vnde erant excommunione minori adstricti.*

Verum enim vero hæc doctrina est minus nitida, etsi erudita notitia antiquitatis
procedit, non enim † huiusmodi pœnitentes 18
solemnes aliqua excommunione maiori vel minori, aliquo vero anathematismo erant ligati, quæ esset vere, & proprie censura Ecclesiastica, sed communione fidelium externa magis vel minus iuxta gradum in quo existebant, & classem quam cursabant, erant priuati ob delictum de quo erãt conuicti in pœnam, & vindictam publicam, quæ ab Ecclesia sumebatur in satisfactionem fidelium, vt alij formidarent in similia incidere, & sic puritas Ecclesiasticæ disciplinæ conseruaretur. Fuit enim in Ecclesia huiusmodi à fidelium consortio, & communicatione separatio quoddam excommunicationis genus, & formula, sicut supra dicebam de excommunicatione monastica quæ inuenitur in Regula S. Benedicti, quæ erat quædam separatio à communione monastica, non tamen erat proprie censura, sed quædam pœna satisfactoria pro peccatis, de quibus agebatur publica solemnis pœnitentia, cuius cæremonias, & ritus proponit Tertullianus *lib. de pœnitentia cap.* 9. & 10. Vbi mira eruditione eas enucleat Pamelius *à num.* 52. & ante aliqua prælibauerat *lib. de lapsis* Cyprianus *à num.* 58. & iuxta Tertullianum propoponitur *caput in capite quadragesimæ*, cuius verba modo dabo.

Hoc mihi omnino persuasum habeo 19
ex Catholica, & indubitata doctrina iuxta quam † excommunicatio maior, &

anathema non fertur nisi pro peccato mortali, in quo quis erat contumax & incorrigibilis, vt enim ait Concilium Maldens. *cap.* 56. *Anathema est æternæ mortis damnatio.* & non nisi pro mortali debet imponi crimine & illi qui aliter non potuerit corrigi, cui Canoni Concilia omnia, Pontifices summi & Ecclesiæ traditio conformatur, quibus nititur D. Th. (cui omnes Theologi consentiunt) *in* 4.
20 *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. dicēs † *excōmunicatio etiam ferri non potest pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, &c.* atqui pœnitens solēnis in nullo gradu ex assignatis, est aliquo modo contumax, nā in primo quomodo cōtumax est qui fletu, & lachrymis veniā ante fores Ecclesiæ deprecatur; in secūdo quomodo contumax qui intra Ecclesiam sub ferula est audiēs catechesim, & diuinas scripturas, sermones, & homilias Pedagogi? minus ostenditur contumax in tertia classe, in qua est subtractus, ad sacerdotis pedes totius populi deprecatur orationes, & multo minus in quarto in quo inter fideles cōsistit, quamuis enim solēnes pœnitentes, qui in iis quatuor classibus existūt aliquo suffragio fidelium in exterioribus actibus priuentur, nā in prima priuatur ingressu Ecclesiæ, imo ab ea excluditur solemniter cantante clero respōsorio *in sudore vultus tui vescaris pane tuo.* vt videntes S. E. pro facinoribus suis trimestrē factā, non parui pendāt pœnitentiā *c. in c.* 34.
21 *dist.* 50. ex Concil. Agath. *c.* 15. Hæc autē † exclusio nō est maior, vt insipide putat Gibellinus, nā si esset excommunicatio maior nō introducerētur isti solemnes pœnitentes in Ecclesia, *& cū omni clero septē pœnitentiales Psal. in terra prostratus Episcopus, cū lachrymis pro eorū absolutione decant et, tunc resurgens, ab oratione manus eis imponat, aquā benedictā super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu, & crebris suspiriis denūciet eis, quod sicut Adā proiectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abiiciuntur, post hæc iubeat ministris, vt eos extra Ianuas Ecclesiæ expellant.* Hæc ibi, quæ manifeste declarant hos primi gradus pœnitentes neque excōmunicatos, aut anathematizatos fuisse per cēsurā Ecclesiæ, sed cæremonia Ecclesiastica expulsos esse ab Ecclesia, vt rigor Ecclesiasticæ disciplinæ monstraretur in puniendis delictis, & in satisfactione pro ipsis exhibēda, ne facilius in ea fideles prolaberentur. Sic enim tunc temporis oportebat, vt ait Innoc. I. *in ep. ad Exuperium c.* 2. agens de quibusdam rigidis valde decretis, quæ cōtra peccatores publice edidere Cōcilia Illiberit. & Ancyr.
22 Concilium enim † nostrum Hispanū Eliberi Congregat. *Cano.* 1. priuat, eum qui post Baptismū fuerit idololatratus communione etiam in fine, & *Can.* 6. idem statuit in eum, qui alium maleficio interfecerit, & *Can.* 6. in eum, qui post peractā solemnem pœnitentiam iterum fornicatur, & *Can.* 8. in fœminas, qui sine causa relinquētes viros suos alteri nubūt, & *Can.* 12. in eas qui lenocinium faciunt, & *Can.* 17. 18. *&* *Can.* 75. similē ponit pœnam & Concilium Brachar. 1. *cap.* 16. *placuit Patribus Congregatis, quod qui pro suis sceleribus puniuntur nulla pro illis in obligatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam deducantur*, & quis Catholicus dicet, quod tam ille, qui in pœnā peccati præteriti, de quo pœnitentiam egit, cui denegatur cōmunio sacra & viaticum, quā qui pro sceleribus in eorum vindictam publicā puniuntur, & de quibus non poterat fieri specialis memoria in missæ oblatione, nec solēmniter cum Psalmis sepeliri, decedebāt è vita excommunicati excōmunione canonicæ cēsuræ, certè quidē nullus cordatus id dicet, sed hæ Ecclesiasticæ pœnæ satisfactoriæ erant, in odiū talium delictorū, quæ tunc tēporis valdè expediebant, quæ cōsuetudo (vt ait Innoc. I. *vbi suprà.*) tenuit, vt cō- 23
cederetur eis pœnitētia, sed cōmunio negaretur. *Nā cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne cōmunionis concessa facilitas homines de recōciliatione securos non reuocaret à lapsu, negata merito cōmunio est concessa pœnitētia, ne totum penitus negaretur, & duriorē remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam D. N. pacem Ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore dare obeuntibus placuit & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis.* Hæc Pontifex.

Igitur certum debet esse, quod † cæremo- 24
niæ illæ, quibus Ecclesia vtebatur cū pœnitentibus pœnitentia solēni non excōmunicatio maior, & minor, quæ sunt cēsuræ Ecclesiasticæ latæ ob contumaciam, sed pœnæ erāt satisfactoriæ pro delictis cōmissis, à quibus prius, quā solemnis accederet absolutio, illæ cæremoniæ solēnes præcedebāt, ad denotandum exterius fidelibus statum miserū, ad quē deduxerat delictū ipsos pœnitentes, qui cōuersi, & cōtriti, & auriculariter absoluti, vt notat Pamel. *l. de lapsis.* Cypr. *n.* 98. *&* 99. *l. de pœn.* Tert. *n.* 53. ad sufferendā pœnitentiam publicā accedebant, vt autē hoc
rectius percipiatur, quod † excommunicatio 25
minor, quæ est censura, separat hominem à cœtu fidelium, quantum ad participationem Sacramentorum, in quibus participandis communicant fideles, quare non est quis excommunicatus hac excommunicatione, qui solum est à cōmunione Eucharistiæ separatus si aliis Sacramentis pœnitentiæ, Extremæ Vnctionis, potest vti. Cæterum excommunicatio maior priuat fideles omni receptione Sacramentorū & illorum administratione, insuper suffragiis & omnibus aliis

aliis spiritualibus bonis in quibus communicant fideles omnes, qui excommunicati non sunt. Igitur Ecclesia Sancta antiquitus solemnes pœnitentes, quos per cæremoniā illam ab Ecclesia eiiciebat, nullatenus excommunicabat, priuans illos bonis & suffragiis spiritualibus, imo ea illis communicabat, per recitationem septem psalmorum, aspersione aquæ benedictæ, impositione cineris, & cilicij super caput, imò & in ipsa cæremoniali eiectione, & responsorij decātatione, *in sudore vultus tui, &c.* quare ridiculum est, quod saltem excommunicatione partiali essent excommunicati, & quis Ca-
26 tholicus excommunicationem partialē, quæ sit distincta, à maiore, & minore agnouit? iis omnibus adde, quod pœnitentia solemnis multis eam exigentibus dabatur, & quis dicit, quod quis velit esse excommunicatum & anathematizatum, priuatum ab omnibus Ecclesiæ suffragiis? Fabiola enim teste Hieronymo in Epitaphio suo pœnitentiam publicam & solemnem suscepit voluntarie Romæ, in Ecclesia Lateranensi, vbi se constituit coram omni Romano populo in ordine pœnitentium, verba refert & approbat Pamel. *n.* 58. *ad lib. de pœnit. Tertull.*

Secundum, quod est notandum propono contra eumdem Gibellin. *vbi suprà à n.* 26. est enim hic eruditus Pater in ea sententia,
27 quod † pœnitentia publica solemnis diuersum, quod erat ab statu pœnitētiæ, iste enim honorificus erat constituens personam Ecclesiasticam gaudentem priuilegio fori, & canonis, status enim pœnitentiæ erat proprie status religionis, qui nullam ex infamia adfert irregularitatem, sicut adferebat pœnitentia canonica solemnis, qui enim eam peragebat infamis erat, & irregularis incapax ascensus, vel ingressus ad altare. Vnde clerici eam suscipere non poterant, nisi degradati in statu laicali constitueretur, vt est certi iuris Canonici constitutio & determinatio ex Ecclesiæ praxi & traditione dimanans, at sicut possunt statum religiosum suscipere, & profiteri, ita & statum pœnitentiæ, non est probabilis imaginatio, & ex notitia antiquorum Conciliorum & rituum probabiliter reducta.

Verumenimuero re penitus & profundius inspecta aliter omnino dicendum est,
28 quod † status pœnitentiæ erat omnino distinctus ab statu Monachali & professione solemni religiosa, status enim pœnitentiæ in sæculo exercebatur. Vt autem hoc clarius conspiciatur notandum iuxta priscorum Conciliorum morem, maxime in Eliberitano & Anzyrano, quod ob specialia & atrocia delicta dabatur pœnitentia publica saltem exercenda in quarta classe ex annumeratis, vsque ad finē vitæ, & vsque ad decenniū & 25. annū, vt constat ex *c.* 15. 21. *Concil. Anoyr. celebrato an.* 314. *& ex c.* 3. *&* 6. & multis aliis Concil. Eliber. *ann.* 305. hæc autem solemnis pœnitentia fiebat à pœnitentibus in habitu lugubri, & distincto ab habitu aliorum; exomologesim non faciebant, quod constat ex antiquo Tertulliano *lib. de pœnit. c.* 9. in quo sic eleganter loquitur. † *Itaque exomologesis* 29
prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animū mæroribus deijcere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare. Cæterū pastum & potum pura nosse, non vētris scilicet, sed animi causa, plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominū tuū, Præsbyteris aduolui & charis Dei adgenicularī, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia nō dico frustretur, sed expugnat, &c. quæ verba continentia habitum actus exterioris, victū & modum viuendi fere desumpsere Cypr. *l. de lapsis n.* 100. Pacian. *Paræns ad pœnit. ep. ad Symproni. & l. contra Nouatianos.* & ex tripartita historia desumpta ex Sozom. *l.* 7. *cap.* 16. refert ritus & cæremonias, (quas supra dedimus *ex cap. in cap. de quadragesima.*) Doct. Pamelius *vbi suprà n.* 58.

Igitur † quandiu quis erat adimplens, so- 30
lemnem pœnitentiam & faciens exomologesim & exoluens debitum taxatum à sacerdote & ab Episcopo cōstitutum, ad quod exoluendum solemniter erat obligatus; eo ipso, quod destinatus erat ad exomologesim, non poterat habitum pœnitētiæ dimittere, sed illud tenebatur deportare, nec matrimoniū inire, nec militiæ, & negotiis sæcularibus se tradere, quia exomologesis sibi constituta ab Episcopo ritu solemni, *prosternendi, & humilifaciendi hominis disciplina est, de ipso quoque habitu atque victu mandat*, vt aiebat Tertull. Vnde quandiu durat tēpus exomologesis, durat eius mandatum de habitu pœnitētiæ assignato, & sic tempore pœnitentiæ solemnis, qui est in ordine, & statu pœnitentiæ diuerti ad alia non potest, quod si diuertat, & tempus præfinitum exomologesi non adimpleat tanquam Apostata puniebatur.

Hic est genuinus sensus Concilij Tolet. 6. *c.* 7. vbi sermonem esse de pœnitentia publica solemni sentiunt Bynn. & Garz. de Loays. *in notis ad cap.* 7. & quidem PP. huius Concilij confirmant *decret.* 55. *Concil. Tolet.* 4. *an.* 633. in quo sic habetur. † *Quicūq; ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se;* 31

& rursus præuaricantes laici effecti sunt comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam ex qua recesserunt reuocentur. Quod si aliqui per potentiam irreuocabiles sint, nec admoniti reuertantur vere, vt apostata coram Ecclesia anathematis sententia damnentur. Non aliter & ij qui detonsi à Parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni deuouerunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, & ijdem à sacerdote comprehensi ad cultum religionis acta prius pœnitentia reuocentur, quod si reuerti non possint vere, vt apostatæ anathematis sententiæ subijciantur. Hactenus Concilium.

32 Circa, quod decretum † duo pondero quibus euanescit imaginatio Guibellina. Primum, quod Patres Concilij non pro eodem acceperunt statum pœnitentiæ, & statum religionis, siquidem diuersos esse agnoscunt, dicentes, *non aliter & ij qui detonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni deuouerũt, & postea habitũ sæcularem sumpserunt.* Quare dubio procul status pœnitentiæ solemnis, distinctus est ab statu solemnis professionis in religione, etenim status pœnitentiæ solemnis est sæcularibus personis impositus, & omnino intolerabilis, cuius triplicem rationem dat D. Thom. *in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2.* his
33 verbis, † *solemnis pœnitentia iterari non debet propter tria. Primò, ne ex iteratione vilescat. Secundò, propter significationem, quia est figura hominis à paradiso, quæ est semel tantum facta. Tertiò,* (& est ratio *D. Ambrosij lib. 2. de pœnit. cap. 10.*) *quia solemnitatio est, quasi quædam professio perpetuo pœnitentiam conseruandi, & ideo iteratio solemnitati resistit, si tamen postmodum peccauerit, non clauditur ei locus pœnitentiæ, sed pœnitentia solemnis ei iniungenda non est.* Hæc ibi, quibus nihil illustrius ad intelligentiam Concilij Toletani & aliorum priscæ authoritatis, hac enim doctrina declaratur,
34 qua ratione † sæcularis qui statum pœnitentiæ solemnis se totondens, & comam abscindens accepit, iterum fieri laicus esse nequit, sed sẽper ex solẽnitate pœnitentiæ, quã solẽniter profitetur, eã perpetuo conseruare tenetur, non quidẽ necessario in Religione, sed in sæculo habitu pœnitentiæ retẽto, quẽ si dimittat & nolit reassumere, tãquam apostata à solẽni pœnitentia anathemate est feriendus quoúsque conuertatur, quod si nolit voluntarie habitum religiosum illi datum in solẽni pœnitentia ab Episcopo cõprehensus ad pœnitentiam à qua recessit, reuocetur, vt aiunt Patres Tolet. *c. 55.* & vt alij Patres etiã in Toletana Ecclesia S. Leocadiæ *concl. 6. c. 7.* Congregati, decernunt. *Si quis ingenuorum vtriusque sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes ad id quod reliquerunt redierunt, aut redierint ab Episcopo Ciuitatis in cuius territorio sunt conuersi,* comprehensi, *rursus legibus* 35
pœnitentiæ in Monasteriis subdantur inuiti. Quibus verbis Toletani Antistites clare docent quod habentes statum pœnitentiæ solemnis religiosum habitum distinctum à sæcularium vestimẽtis habebant quem non poterant dimittere, non quia esset monachalis, sed rudis, & specialis formæ qualis pœnitentibus exomologesim facientibus conueniebat, quem si dimitterent, & voluntarie nollent assumere in monasteriis inuiti recludebantur, & subdebantur legibus pœnitentiæ.

Hinc deduces primò † cur in ordinibus 36
tam Monachalibus, quàm Mendicantibus aliqui in temporalibus negotiis, & officinis occupati dicantur conuersi, de nomine conuersorum plura Guibellinus *vbi supra à n. 41.* & Doctissimus Estenius *lib. 3. disquisit. Monast. tract. 1. disp. 8.* vbi quid *nutriti*, quid *conuersi* enucleat, ego vero his omissis originem conuersorum, siue laicorum fratrum, qui vilioribus monasterij attendunt, nec chorum frequentant, nec sacros ordines suscipiunt, deduco ex huiusmodi pœnitentibus pœnitentia solemni, quia cum ex vi solemnitatis eius incapaces essent ad matrimonium contrahendum (erat enim pœnitentia solemnis impedimentum dirimens matrimonium cõtrahendum, vt mox dicam.) Et etiam ad sacros ordines suscipiendos, multique eorum in pœnam derelictionis habitus pœnitentiæ in monasteriis, recluderentur inuiti, subiecti legibus pœnitentiæ solemnis, isti cum in sæculo dicerentur conuersi, nomine retento perseuerabant in Religione, in qua viguit iam consuetudo, vt huiusmodi conuersi, & fratres laici, & coadiutores temporales admitterentur diuersa quidem profitendi formula, adhibita iuxta diuersarum religionum instituta.

Deduces secundum, quod vt notat D. Th. 37
(& valde confirmat ea quæ in superioribus dicta sunt (*vbi sup. quæstiunc. 3. quod omnis pœnitentia solemnis est publica, sed non conuertitur. Pœnitentia enim † solemnis hoc modo fit in capite quadragesimæ tales pœnitentes præsentant, &c. non tamen talis pœnitentia debet imponi nisi propeccato quod totam..... vrbem. Publica autem, & non solemnis est quæ in facie Ecclesiæ fit, sed non cum solemnitate prædicta sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & hæc potest iterari, & à simplici sacerdote iniungi (nam solemnis solum ab Episcopo imponitur) & potest etiam clerico imponi. Quandoque tamen solemnis ponitur pro publica, & secundum hoc authoritates quædam varie loquuntur de solemni.* Hæc ibi, hinc est, quod aliquando reperitur in antiquis Conciliis, quod quis

quis restituatur communioni, si egerit legitimam pœnitentiam, per legitimam enim solemnis intelligitur, sicut legitima professio in Religione solemnis dumtaxat est. Vnde tempore Bedæ & Hesichij, vt notat Pamelius *in not. ad Tertull. lib. de pœnit. c. 9. n. 54.*
38 † pœnitentia publica solemnis, solis hæreticis, & schismaticis dabatur non aliis quantumuis grauissimis peccatoribus. Tunc autem pœnitentia publica fiebat solemnis cum adiiciebantur cœremoniæ, tonsionis, cilicij, cineris reconciliationis publicæ, & iuridicæ, armorum etiam iuridicæ depositionis, & similium rituum, quæ in veteribus Canonibus reperiuntur, de quibus legendi Bernardus Diaz *in praxi, cap. 23.* Couarru. *lib. 2. variar. cap. 10. num. 3.* Bellarminus *de pœnitent. lib. 1. cap. 22.* Busæus *de statibus hom. 2. p. tit. de pœnit. statu.* Doctissimus Albaspinus *lib. 2. obseruat. à cap. 10.*

39 Verum est, quod sicut † solus Episcopus potest pœnitentiam solemnem imponere, ita ipse solus potest solemniter pœnitentem reconciliare, nisi vltima necessitas cogat, scilicet articulus mortis, tunc enim si Episcopus est absens potest Presbyter reconciliare solemnes hos pœnitentes per manus impositionem ante *apsidam*, vel *absidam*, vt determinant Concilium Carthag. 3. *cap. 32.* sed quid sit *absis*, vel *apsis*; discruciantur authores, habet enim tam Græcè, quàm Latinè multiplex significatum, vt in Ambrosio Calepino *verb. absis*, & in Scapula authore damnato *in Lexico. verb. ἀψὶς.* August. *epist. 103. ad Maximum, Thronum & Sedem Episcopalem, qui per modum forniciis erat ædificatus, absidem gradatam appellat*, significat apud Plinium *circulum stellarum*, apud Hesiodum, *circulum rotæ*, in quo nituntur
40 radij Turnebus *lib. 18. aduersar. cap. 22. tabulam latam*, quæ erat ante cancellos Ecclesiæ Cuiacius *lib. 10. obseruat. cap. 17. Vas in quo ponitur esca, & dicitur pixis*, & Græcè..... de quo latè Durant. *de ritibus Ecclesiæ, c. 16.* in qua pixide obseruabatur Eucharistia pro communicandis fidelibus. Doctissimus huius sæculi in Decreti intelligentia oraculum Dominus Martinus de Ontiberos Cathedræ Decreti in Salmantina Vniuersitate emeritus proprietarius, *in lectura ad distinct. de pœnit. cap. 2.*: apsidam intelligit locum illum qui intra cancellos est in medio, cuius erat altare maius; sed mihi magis arridet sententia Doctiss. Ant. August. *in not. ad Canones pœnitentiales Rabani Mauri, cap. 35.* qui per *apsidam*, vel *absidam* intelligit, atrium Ecclesiæ, quod erat sub tecto ante fores Ecclesiæ, & dicitur à Guillelmo Durando *in rationali, lib. 1. cap. 1. n. 20. porticus, & significat Christum per quem in cœlestem Hierusalem patet ingressus, & porticus dicitur sic dicta à porta, vel quod sit aperta. cap. si quis contumax 20. 7. si quis in atrio. 17. q. 4.* hæc Durãdus quæ significatio aptissima est in præsenti materia, cum enim solemnes pœnitentes dum solemnis pœnitentia illis fuit imposita ab Ecclesia eiicerentur, vt ante portas clamarent, & flerent veniam inclamantes, æquum fuit, vt ante easdem portas in porticu Ecclesiæ, per manus impositionem reconciliarentur ipsis aperta Ecclesiæ porta, per quam pateret in ipsam ingressus in qua enim decens erat, quod solemnes pœnitentes ante reconciliationem Episcopalem ad ipsius thronum *apsidem*, & fornicem solij sui, & altare maius quod erat intra cancellos accederent.

Sed notat D. Th. *quæstiunc. 3. cit. in corp.* 41
† *quod isti solemnes pœnitentes in cœna Domini quolibet anno à suis presbyteris in Ecclesiam reducuntur, & erant ibi vsque ad octauas Paschæ; ita tamen quod non communicabunt, nec pacem accipient, & sic fiet quolibet anno, quousque eis aditus Ecclesiæ est interdictus*, hæc ibi, & sic intelligitur Glossa *cap. de pœnitentibus 17. de consecrat. dist. 3.* quare falluntur, qui dicunt quod qui agebant per septẽnium publicam pœnitentiam singulis annis in cœna Domini reconciliabantur ab Episcopo vel presbytero, & iterum excludebantur ab Ecclesia, hoc nullo iure probatur, & voluntarie dicitur nisi per reconciliationem intelligant ingressum in Ecclesiam materialem, in qua ponebantur in prima vel secunda classe ex supra dictis, non tamen communicabant, aut pacem accipiebant, sed semper erant sub exomologesi.

Tertium, & vltimum quod noto, est, quod 42
† solemniter pœnitentes, etsi non fierent religiosi solemniter professi, tamen ex vi solemnis pœnitẽtiæ, si coniugati erant nequibant debitum exigere, etsi soluti impediti existebãt ad contrahendum matrimonium, hæc adnotatio clare traditur à Tolet. *Concilio 4. c. 54. vel 55.* & Concilium Toletanum *6. c. 8.* vbi P. P. Toletani, quinquaginta duo Decretum Leonis Papæ *in epist. 90. aliàs 92. c. 11. ad Rusticum* relatum à Gratiano *cap. in adolescentia 14. 33. q. 2.* & idem Leo *in epist. ad Galerium Episcopum Tripolitanum* refertur *cap. audiuimus 13. ead. causa & q.* ex quibus manifeste habetur quod ex vi pœnitentiæ solemnis, si pœnitens solutus est non potest matrimonium denuo contrahere etiam peracta pœnitentia *cap. admonere. 8. 33. q. 2.* vbi Steph. Pap. V. Astulpho, qui vxorem occidit sine causa publicam pœnitentiam indicit, si non vult ingredi religionem, & inter plures actus exomologesis, vnus est *vxorem nunquã ducere*, quod ante prohibuerat Syricius Papa *epist. ad Himerium Episcopum, cap. 5.* relatus *cap. de his 12. ead. quæst. & caus.* Vnde, & 43
qui solemnem pœnitentiam egerunt possint matri

matrimoniũ contrahere fuit necessaria Pontificis dispensatio, ad quam faciendam erat sufficiens causa, quod se non possent continere. Ita Nicolaus Papa *ad Rotaldum Episcopum Argẽtoratensem* relatus, *cap. si quis cum duabus 16. ead. quæst. & caus.* idque Concil. Tolet. 6. *can.* 8. vbi Patres interpretantur Decretum Leonis Papæ, relatum, *cap. in adolescentia vit.* vbi Pontifex adolescẽtem solemniter pœnitentem, *qui in infirmitate constitutus exomologesim pœnitentiæ solemnis suscepit, si postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis copulam vxoris elegerit, si præter coniugem nullam omnino cognouerit rem videtur fecisse venialem:* quam sententiam Pontificis venerantur, & admittunt PP. Toletan. addentes, *in his omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, iuxta quod ætatem aptam prospexit continentiæ absolutionis, vel restitutionis tribuit legem, id est,* dispenset, *si incontinentiæ subsit periculũ.*

44 Itaque † solemnis pœnitentiæ exomologesis impedimentum erat, non dirimens, sed impediens matrimonium, vt benè & singulariter adnotauit Glossa *cap. admonere, verb. nunquam* 33. *q.* 2. & ad §. *de pœnitentib.* Gratian. *ead. q. & caus.* vbi triplicem sententiam refert, sed Auctor Glossæ tenet quod sit solum impedimentum impediẽs, etiamsi pœnitentia solemnis fiat pro vxoricidio, incestu, aut concubitu cum Monali, in quibus casibus aliqui decidebant non tenere matrimonium, sed verius est quod tenet, & est valide contractum, etsi illicite, nisi ob incontinentiam dispensetur, non secus ac hodie votum simplex continentiæ est impedimẽtum impediẽs non dirimens matrimonium.

45 Moueor, quia † existimo indubitabile, quod ille ex vtroque sexu homo qui solemnis pœnitentiæ exomologesim agebat implicitum votum continentiæ emittebat, ex legibus pœnitentiæ solemnis, cui subdebatur: quod probo primò, ex verbis Leonis I. *in epist. cit. c.* 12. vbi agens de illo cum quo dispensatur, vbi cum sit solemniter pœnitens ob periculum incontinentiæ, vel debitum exigat ab vxore si coniugatus est, vel matrimonium contrahat si sit solutus, sic fatur: *In quo tamen non regulam constituimus,* (id est, non ius Canonicum, iuxta quod iste solemniter pœnitens non poterat contrahere, aut debitum exigere etiam peracta & finita pœnitentia, vt explicat *ibi* Glossa *litter. G.*) *Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseuerans mentis & corporis,* hæc ibi, quæ

46 ideo dixit Pontifex, quia † solemniter pœnitentibus noua coniugia erant prohibita à Syricio Papa *in epist. cit.* relata, *cap. de his,* ibi Hymerio dicit Pontifex: *De his verò non incongruè dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam qui acta pœnitentia, tanquam canes, & sues ad vomitus pristinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & luridas voluptates, & nouo coniugia, & inhibitos denuò appetiuere concubitus, quorum improfessam continentiam generati post absolutionem filij prodiderunt.* Hactenus ibi, quo nihil illustrius. Pondero ly *improfessam continentiam*, id est, *in continentia contra professam continentiam in pœnitentia solemni saltem*, implicitè promissam: argumento *cap. proposuisti* 2. 82. *dist.* & *cap. de ijs.* 5. *dist.* 28. ex Concilio Toletan 2. *cap.* 1. & quidem quod pœnitens iste etiam peracta pœnitentia non possit coniugium inire, est textus expressus Concilij Maldens. relati, *in cap. si autem* 10. 36. *quæst.* 2. quod non vidit Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 6. *num.* 10.

Decreta Summorum Pontificum Syricij & Leonis, summauit, confirmauit, & illustrauit D. Thom. *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 3. agens de solemni pœnitentia, † *Solemnizatio* (inquit) *est quasi quædam professio perpetuo pœnitentiam conseruandi, & ideo iteratio solemnitati resistit*; cum ergo, vt ait & probat Basil. Legionens. *lib.* 6. *de matrim. c.* 14. *n.* 3. illi qui erant in solemni pœnitentia, non poterant contrahere matrimonium, cum solemnitas pœnitentiæ sit professio perpetuo conseruandi pœnitentiam, semper, qui semel pœnitentiam solemnem egit impeditus manet ad concubitum maritalem, & ad matrimonium contrahendum, nisi ob periculum incontinentiæ accedat indulgentia, & dispensatio Pontificis, aut Episcopi. Vnde † Concilium Arelatense 2. tempore Syricij 48 Papæ congregatum *anno* 389. *cap.* 21. statuit, *Quod pœnitentes, quæ defuncto viro alij nubere præsumpserunt, vel susceptæ, vel interdictæ familiaritate cum extraneo vixerint, cum eadem ab Ecclesiæ limitibus arceantur.* Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit obseruari, quod non ex alio originatur, nisi quia legibus pœnitentiæ solemnis adstrictus ex vi talis solemnitatis votum implicitum continentiæ emittit, quod est impedimentum matrimonij, & sic idem Concilium *cap.* 22. relatum, *cap. pœnitentiam* 13. 33. *quæst.* 4. determinat pœnitentiam (publicam, scilicet & solemnem, per quam ius alterius læditur, vt explicat ibi Glossa) coniugatis, non nisi ex consensu dandam; idem statuitur † in Con- 49
cil. Aurelian. 3. *cap.* 19. celebrato *ann.* 540. 3. sub Vigilio Papa: quia videlicet cum ex iure communi & canone pœnitentiali ex vi solemnis pœnitentiæ interdictus erat vsus matrimonij, quare in damnum alterius, quia legibus pœnitentiæ est, solutus aliter eiisdem legibus subdi posset ex cõsensu alterius pœnitentia solemnis imponeretur, & eo ipso quod ambo consentiant, ambo tenentur ad continentiam ex vi voti implici-

ti, quod emittunt eo ipso quod sit mutuus consensus quod pœnitentia solemnis impotur, sicut in *cap.* 5. *de conuersione coniugatorum* eo ipso quod quis consentiat, quod alter coniux ingrediatur religionem tenentur ad continentiam seruandam, nec altero etiam mortuo potest denuo nubere.

Ex qua doctrina quam certam existimo

50 † colligo germanam intelligentiam, textus per difficilis *cap. Antiqui* 19. 33. *quæst.* 3. desumptus ex Concilio Toletano 6. *cap.* 8. celebrato sub Honorio *anno* 638. in quo PP. Toletani antiqui, & Sanctissimi Leonis Papæ sententiam admittunt, & quam de viro adolescente in pœnitentia solemni posito dicit Leo, *ipsi etiam de fœminis intelligunt.* Igi-

51 tur Leo Papa adolescentiin statu pœnitentiæ posito concedit ex indulgentia posse redire ad pristinum coniugium, ne postea adulterij lapsum incurrat. P. P. vero Toletani constituunt, *vt coniugi, qui legibus pœnitentiæ deditus non erat mortuus, priusquam alter ad continentiam, vnde fuerat regressus, non liceat superstiti ad secundas transire nuptias, sin autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit absolutionem pœnitentis, nubat* (inquiunt) *si se continere non potest, & alterius vxoris consorcio fruatur.* Cuius decisionis Patrum Toletanorum difficultas in eo est, quia inuenis ille de quo loquitur Leo erat coniugatus, vt patet ex illis verbis *ad pristinum coniugium redeat*, & sic non indigebat indulgentia, aut venia vt post peractam pœnitentiam liberum haberet regressum ad vxorem *cap. latorem* 15. 33. *quæst.* 3. Deinde quia valde durum est, & à iure alienum quod mortuo coniuge pœnitente alter qui à legibus pœnitentiæ erat liber, cum non peccauerit, aut egerit solemnem pænitentiam non possit ad aliud matrimonium transire, ni se cõtinere valeat, quæ incontinentia sit mortuum, vt Episcopus dispenset.

52 Mirum est quantum crucientur DD. Canonistæ in explicatione huius perdifficilis textus, vt videre est in Glossa *ibi* adducente duas expositiones, quas sequitur Coriolanus *in notis ad illud cap.* 8. Toletani Concilij. Archidiaconus, & Bellamera aliam adducit, ibi Turrecremata, aliam Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 17. *n.* 12. & tandem aliam satis doctam adducit vir nunquam satis laudatus tam ob virtutis quam singularis sapientiæ excellentiam *D. D. Martinus de Ontiueros* loco supra citato; quas omnes referre, & refellere non vacat locus, meam proponam intelligentiam, quam Doctoris iudicio libenter subiicio.

53 Existimo enim † primò, quod illud quod tam Patres Toletani, quam Leo Pontifex determinant quidquid sit de rigore iuris, & canonis contrarium esset dicẽdum, ibi enim dicunt PP. non quidem hoc generaliter, & canonice est præceptum, *sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum*, & infra *in omnibus* (antea dictis) *sacerdotis spectetur ordinatio*, idest dispensatio, indulgentia, & venia, existimo secundo, quod iuuenis ille, de quo tam Toletani Antistites quam Leo Pontifex loquuntur, erat coniugatus, id constat ex textu, vnde sine licentia, & consensu vxoris non poterat indici solemnis pœnitentia, vt vidimus ex Concilio Aurelianens. *cap.* 21. & Glossa *ad cap. pœnitentiam* 33. *q.* 4.

Vnde existimo tertiò, † quod ille coniux 54
qui pœnitentiam solemnem non fecit, consensit tamen quod alter talem exomologesim faciat solemnis pœnitentiæ si pœnitens iste decedat è vita, alter ille qui consensit in talem pœnitentiã, manet impeditus ad contrahendum matrimonium, nisi quia se continere non valeat indulgentiam, & dispensationem sacerdotis acquirat, hic est sensus clarus huius textus constat ex illis verbis. *Si iu qui pœnitentiæ legibus non est deditus ante ab hac vita decesserit, quam ex consensu ad continentiam vnus eorum fuerit regressus superstiti non liceat denuo ad vxoris transire complexus. Si autem illius vita extiterit superstes qui non accepit absolutionem* (alia lectio, & forte verior habet benedictionem) *pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur vxoris, quod de vtroque sexu à nobis manifestum est esse Decretum, ita videlicet, vt in omnibus sacerdotis* (Episcopi) *expectetur ordinatio.* Hactenus Concilium.

Quibus verbis meam intelligentiam manifeste confirmat, vxor enim quæ consensit 55
coram Episcopo, quod vir eius agat pœnitentiam publicam, sicut iste impeditus manet siue ad petendum debitum, siue mortua vxore ad nouas nuptias contrahẽdas, nisi ex indulgentia, ita vxor idem acquisiuit impedimentum ex vi consensus, quem præstitit, nam cum ille qui pœnitentiæ solemnis exomologesim facit, sit irretitus impedimento non solum ad non contrahiendum mortua vxore nouum matrimonium, sed etiam ad nõ petendum debitum, antequam tempus pœnitentiæ sit completum, quia ex vi status pœnitentiæ solemnis implicite vouit castitatem, vt vidimus, & hoc non possit fieri nisi vxor consentiat, ista consentire nequit, nisi eo ipso saltem implicite simile votum faciat, argumento *ex cap. præterea* 1. *cap. cum sit præditus* 4. *& cap. coniug.* 5. *cap. vxoratus* 8. *de conuers. coniug.*

Hinc est quod † *in concilio* 2. *Matiscon. can.* 16. *vt vxor Subdiaconi, vel Exorcistæ, vel Acholyti, mortuo illo secundò non se audeat sociare matrimonio, quod si fecerit separetur, & in cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem*

vsque ad exitum vitæ permaneat, idem statuitur de vidua Episcopi, aut Præsbyteri, aut Diaconi, quæ si matrimonium acceperit nullus clericus, nulla Religiosa, cum ea conuiuium sumat, nunquam communicet, morienti tamen ei sacramentum subueniat *in Tolet. 1. cap. 18. ann. Domini* 400. sub Anastasio & Honorio Imperat. confirmato à Leone Papa *cap. de libellis dist. 20.* hoc autem impedimentum non ex alio *cap.* oritur, nisi quia cum mariti isti, qui erant cultui diuino dicati, ex vi ordinis non possent secundum cõtrahere matrimonium eorum vxores eodẽ erãt irritæ eo ipso, quod consenserunt in contrahendo cum illis matrimonio, cũ enim solemniter pœnitentes simile habeant impedimentum, etiam peracta pœnitentia solemni, vt vidimus simile impedimentum retinent vxores eorum, nisi indulgentia & venia Episcopi intercedat, quæ sacerdotis ordinatio, vt loquuntur Patres Toletani.

Vnde quando *cap. audiuimus* 13. *& cap. latorem* 15. 33. *q.* 3. Leo Papa *ad Galerium Episcopum Tripolitanum.* contra errorem Tripoli-
57 tanorum ciuium asserentium, quod † pœnitentes coniugij debent relinquere copulam idest coniugij vsum, de hoc enim agitur hic non de vinculo, vt quidam intelligit satis violenter, dicit quod *Gallerius suos ciues ab huius erroris caligine eripiat, & doceat licitas esse pœnitẽtibus copulationes matrimonij.* Quare error Tripolitanorum non erat, quod solemniter pœnitentes debeant à copula vxoria abstinere, hic enim non error, sed disciplina Ecclesiastica est, vt vidimus, sed erat, quod illi qui priuatam, vel etiam publicam etsi non solemnem agebant, ex impositione confessarij tenebantur abstinere, & coniugij copulam relinquere, de qua loqui Pontificem constat clarè ex versiculo, quia pro omnibus delictis, &c. Nicolaus vero Papa *in epist. ad Rhotaldum.* ex qua desumptum est *caput latorem*, loquitur de pœnitẽtia solẽni, sed quia lator forsan iuuenis erat, ex indulgentia concedit, ne à propria quidem, & legitima vxore separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, iuxta *cap. in adolescentia* 13. *eadem caus. & quæst.* Quare mihi certius
58 est, quod † ex pœnitentia solemni oriebatur impedimentum ad matrimonij vsum & copulam, & insuper ad nouas nuptias contrahendas, cum vero hodie exomologesis pœnitentiæ solemnis cessauerit, etiam hoc impedimentum euanuit, vt tenet Sanch. *vbi suprà*, & aliis citatis Barbos. *in collectaneis ad cap. de his* 22. 33. *q.* 2.

Ex omnibus hucusque dictis circa quæ nec inutiliter, nec iniucũdè sumus diggressi colligimus distinctionem illorum triũ, quæ *suprà num*.....proposuimus distinguenda
59 in iure, & antiquis conciliis, scilicet † pœnitentia solemnis, pœnitentia publica, quæ aut erat iuridicè data in pœnam delictorũ, qualis erat reclusio in monasterium, quæ dabatur personis in ordinibus sacris constitutis, aut erat data in satisfactionem pro peccatis auriculariter confessis, quam licere absque eo, quod vel indirectè frangatur sigillum confessionis egregie docet D. Tho. *in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quæstiunc.* 4. & tertium erat status pœnitentium, status pœnitentium oriebatur ex pœnitentia solemni, quæ immutabilitatem, & perseuerantiam in pœnitentia inducit, vt aiebat D. Tho. *vbi modo quæstiunc.* 3. ex eaque dimanabat irregularitas, nequibat enim qui pœnitentiam faciebat, aut ordinari, aut in ordinibus susceptis ascendere, si illam faciebat ob aliquod peccatum graue, quod fuerat confessus, secus verò si in communi se fatebatur peccatorẽ non descendens ad aliquod in speciali, ita determinarunt PP. doctissimi Congregati in Concilio *Toletano* 13. *c.* 10. *celebrato ann.* 683. sub Leone II. & Eruigio Rege Catholico in causa Gaudentij Episcopi Valeriensis, qui in infirmitate graui per manus impositionem subactus fuit pœnitentiæ legibus, quem declarat posse Pontificalia exrcere iuxta decretum Concilij IV. *Toletani cap.* 53. † vbi sic 60
habetur. *Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum se peccatores prædicantes huiusmodi si reuelauerint, possunt etiam per morum probitatem ad gradus Ecclesiasticos peruenire. Qui vero, ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod peccatum mortale se perpetrasse publicè fateantur ad clerum, vel honores Ecclesiasticos peruenire nullatenus poterunt, quia se confessione propria notauerunt.* Hactenus PP. Cõcilij IV. ex quo inferunt PP. *Concilij* 13. *si Regulæ præcedentium Patrum eos, qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur (si adsit tamen in iis & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos gradus peruenire permittunt, quanto magis, vt hi qui in ipso sacerdotio constituti pœnitentiam accipiunt à sui ordinis officio retrahantur? tantum si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt.*

Vnus superest scrupulus non contemnendus, † quia iste Gaudentius Episcopus 61
erat & sacerdos, cui nullo modo poterat imponi pœnitentia solemnis, vt ex traditione Apostolica dicit esse Leo Papa, *vt suprà n.....* diximus, & habetur determinatum, *cap. confirmandum* §. 5. *cap. illud* 66. *& cap.* 67. *seq.* 50. *dist.* & latè ostendunt Marcus Antonius Genuensis *in practicabil. q.* 558. *à num.* 4. & alij ex D. Thom. 3. *part. quæst.* 28. *art.* 3. *ad* 2. *in additionibus*, quod secus erat de pœnitentia publica non solemni, quæ sacerdotibus imponi poterat, *cap. quæsitum* 7. *de pœnit. & remissio.*

remissio. cap. 2. *de officio Archipresb. cap. de his* 34. 50. *dist. cap. qui recedunt* 26. *quæst.* 6. *cap. bene valet* 23. *dist.* 50. quam Leo Papa *cap. alienum* 67. 50. *dist. priuatam secessionem appellat.* quia non agebatur solemniter coram populo, sed separatim in monasterio. Respondetur hoc argumento manifestè probari, quod Gaudentius in discrimine vitæ constitutus non accepit pœnitentiam solemnem, neque iterus exomologesim fecit, accepit tamen pœnitentiam publicam, non exomologizans aliquod crimen in speciali propter quod illa pœnitentia est illi data, tali enim confessione se notaret & infamem redderet, ac per consequens irregularem, nec posset Pontificalia exercere, sed solum fabatur se esse peccatorem, & dignum pœnitentia publica, quæ infamem non reddebat, & sic munia Episcopalia poterat obire, sine scrupulo, & hæc est mens Patrum Cõcilij *Toletani* 13. verum est, quod vt aiebat D. Thom. *in 4. dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.*
62 *vlt.* † pœnitentia publica, & solemnis aliquando confunduntur in iure Canonico, & distinguenda est vna ab alia ratione personæ cui imponitur.

Sed circa id quod Tertullianus *cap.* 9. *de*
63 *pœnit.* quod † *exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, de ipsoque habitu atque victu mandat sacco & cinere incubare, &c.* plura & grauia dicunt Pamelius *ibi*, & Ludouicus à Cerda *ibi lib.* 5. *à n.* 129. & vterque summa eruditione extricat Tertulliani phrases, & labyrinthicos loquendi modos, qui percipi vix possunt sine magna antiquitatis lectione, mandat igitur exomologesis *de habitu* quia mandat sacco, & cinere incubare, & jacere. Saccus enim proprius est habitus pœnitentium, ita Cyrillus Alexand. *in Amos.* & Hierosolymit. *Cateches.* 2. Eusebius *lib.* 5. *Eccles. Hist. cap.* 27. agens de Natalio confessore publico pœnitente, Saluianus *lib.* 4. *de Gubernatione*, ex qua lugubri veste & sacco quo solemnes induebantur pœnitentes originem ducit, quod rei à sancto officio condemnati ad pœnitentiam agendam saccum ex vili panno coloris crocei in quo Crux S. Andreæ poni-
64 tur rubea; † & dicitur *sanbenito*; sed cur sic dicatur Antonius Yepes. *in annalibus Benedictinis ann.* 681. Hieronymus Roman. *lib.* 5. *de Republica Christ.* Antonius Perez *serm.* 2. *de S. Andrea* Doctissimus Estenius *disquisit. Monachal. lib.* 5. *tract.* 7. *desquisit. vlt.* plures adducunt congruentias, sed verò an huius nomenclaturæ ethymon & originem assequi sint, quia iuxta concilia Hispana solemniter pœnitentibus dabatur saccus benedictus qui erat habitus religiosus (non dicunt Religionis sed religiosus.) Ita Concilium Barcinonense celebratum *anẽ.* 540. Toletan. 4. *cap.* 54. Toletanum. 6. *cap.* 7. & benedicebatur, & sic Concilium Toletanum. 13. *cap.* 8. iuxta veriorem lectionem dicit *accipit benedictionem pœnitentis* & hic saccus benedictus, *saco benedicto*, corrupto vocabulo à popularibus & ignorantibus dictus est *sanbenito*, sicut in lingua Hispana multoties contingit legat, qui vult Estenium vbi supra *versic. ad cuius rei maiorem declarationem*

Huius sacci, † (qui reis in fide pœnitenti- 65
bus ob infamiam imponitur) color varius fuit antiquitus tempore Eymerici liuidus & subniger tempore Concilij Toletani *anno* 1229. cruces, quas portabant pœnitentes isti, erant vna à dextris, & altera à sinistris, quarum colorem esse croceum determinat Concilium Bitterense *cap.* 26. quod si hæretici famosi essent, si viri alteram crucem in pileo, si fœmina aliam in velo, vt refert Ey-
mericus 3. *p. directorij n.* 179. sed † hodie do- 66
mini Inquisitores & huius sacci colorem in panno croceum conseruant, & cruces vnam ante pectus, & alteram in dorso coloris rubei, ponunt, crux autem non sicut illa in qua Christus mortuus est, sed decusatam, sicut fuit in qua martyrium compleuit S. Andreas Apost. & nos dicimus, *Haspa*, Hispano idiomate, sed cur ablatæ cruces Christi ab huiusmodi reis abiurantibus de vehemẽti suos errores, & suppositæ S. Andreæ, quæ formã crucis non habent, nec repræsentant Christum crucifixum, præmeditatam habebam rationem, quam postea inueni in viro valdè erudito Ludouico à Paramo *de Origine & processu S. Inquisitionis lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 5. *num.* 7. quam aliis verbis repositam habebam, sed
eius proponam. *Quia* † *crux signum est exte-* 67
rius quo fidem catholicã Christicolæ omnes profitentur ac protestantur. Cum ergo qui in fidem catholicam delinquunt, à fidei rectitudine declinent in huiusmodi obliquitatis signum catholicæ fidei Inquisitores inducere solent pœnitentes his notis transuersis, vt omnibus pateat obliquæ crucis figura, interior gestantis status declarari qualis fuerat, quam à fidei & Religionis Christianis rectitudine alienus. Hactenus ille.

Sed cur † Concilium Bitterense colorem 68
croceum in crucibus & nostri Inquisitores in scapulare hunc colorem croceum & in crucibus obliquis rubeum obseruarit, non explicat Paramus, & dicit forsan non esse obseruatione dignum, sed fallitur quia magna consideratione & mysterio sic est factum; croceus enim color flammeus dicitur. Martialis *lib.* 14. *Epigram.* 14. *Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.* Tertul. *cap.* 4. *de cultu fœminarum* quæ capillos croceos faciebant, *malè ac pessime* (ait) *sibi auspicantur flammeo capite*, quæ sui Magistri verba idem assumptum tractans sic explicat Cy-

prianus

prianus quem in hoc loco adducit Rhenanus. *Audaci conatu, & sacrilego comptu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicaris*, & Hieronymus *epist. ad Lætam, caue nè capillum errufes* (filiæ tuæ Paulæ) *& ei aliquid gehennæ ignibus auspiceris*,
69 ex quibus liquido constat ratio mystica in qua Concilium Bitterrense & DD. Inquisitores se fundarunt, vt saccus horum reorum impositus sit coloris croceis crucibus decussatis rubeis (*aspis coloradas*) vt semper præ oculis habeant per sanguinem Iesu Christi reconciliatos à gehennæ incẽdiis, & flammis inferni liberatos, & quod si non perseuerant in sua pœnitentia, sed ad vomitum sicut canes, & ad volutabra fœtida hæreseos, sicut sues reuertũtur color sacci quem portant, & gehennæ ignes auspicatur, & flammas inferni præsagit, vnde qui relabuntur igni traduntur cum sacco ligneo in quo, & flammæ vna cum dæmonibus depinguntur, & dici potest non incongrue *tunica ardens, & molesta* iuxta phrasim Martialis *l.* 10. *Epigram.* 25. & Iuuenal. *Satyr.* 8.

70 Dicunt etiam Toletana, & Hispana Concilia, quod † solemniter pœnitentes *tondeantur, & comam non nutriant*, quæ cæremonia antiquissima est in Ecclesia pœnitentibus imposita, Cyrillus Alexand. *vbi supra, assument habitum lugentium, saccum dico, & Calnitium* Ambrosius *epist. ad virginem lapsam, amputentur crines qui occasionem luxuriæ præbuerunt*, sic etiam fœminæ pœnitentes tondebantur sicut & viri, & nullatenus comam nutrire poterant, sic statuit Concilium Toletanum 6. *cap.* 7. ibi. *Si quis ingenuorum vtriusque sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutrientes vel vestimenta sæcularia sumentes, ad quod reliquerant redierunt, &c.* Sed Concilium Toletanum 3. *cap.* 12. celebratum *anno* 531. sub Amalarico Rege, & Bonifacio Papa II. describens quid facere debeat Episcopus in danda pœnitentia *si vir* (aiunt Patres) *siue infirmus, siue sanus prius eum tondeat, & sic ei pœnitentiam tradat, si vero mulier fuerit non accipiat pœnitentiam nisi prius mutauerit habitum*, scilicet sæcularem in religiosum, vbi mulier pœnitens non se tondebat, sed habitum dumtaxat mutabat, at vir vtrumque faciebat vt habetur *in Concilio Agathens. cap.* 15.

71 Sed † cur mulier non abscindebat comam? Gibellinus *vbi supra num.* 48. eam rationem dat, quia quando pœnitentia solemnis dabatur ad tempus, eo completo, & diuersa pœnitentia, accepta pace, & fœmina reconciliata Ecclesiæ, si decaluata, & attonsa mansisset, maneret indecora, & turpitudinis perpetuæ nota, nam vt ait Apuleius *l.* 2. *Metam. fœmina licet ipsa venus fuerit omni gratiarum choro stipata toto cupidinum populo comitata, cynamoma flagrans, & balsama rorans si calua præcesserit placere non potest, ne vulcano quidem suo.* Mihi vero non arridet hæc ratio, quia vt vidimus, & late su- 72
perque probauimus num..... semel accepta pœnitentia solemni, tam in viris quam in fœminis sigillatæ immutabiliter manebant solemnitate pœnitentiæ, & nunquam abiiciebant habitum religiosum, & saccum pœnitentiæ, quare ad quid deseruiebat ambire comam, vt ipsam nutrirent peracta pœnitentia, semel enim pœnitens solemnis sẽper manebat pœnitens in habitu Religioso Deo dicatus, ita vt ad alium statum sine dispensatione transire nequiret.

Sed ego rem altius contemplans discurro
† etenim si loquamur, quasi ex rerum na- 73
tura, & institutione, iureque gentium à B. Paulo enucleato *mulier tonderi non debet*, sed capillamentum habere quod est illius naturale decus, sicut & homini coma dedecus, hoc est quod dicebat Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 11. *n.* 14. *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat gloria est illi, quia capilli pro velamine ei dati sunt*, quod Apostoli testimonium egregiè enucleant Patres Paulinus *epist.* 4. *ad Seuerum*, vbi eleganter sic fa-
tur. † *Et opportune ad gratiam tempus, & spe-* 74
cies libertatis tonsori in promptu est, quo nos, & prolixiore capitis velamento releuet, vt gratiæ spiritualis beneficium corporalis forma testetur. Fœminis tantum comam Apostolica reliquit huthoritas, quia, et si ipsis vna nobiscum fides velamentum cordis amouet tamen tegumentum capitis, & frontis vmbraculum verecundiæ decus postulat, & ideo perfectus fidei ac disciplinæ Magister docet indecorum viro crinem, quia abscondi non potest caput viri Christus. Itaque viro dedecus fœminæ decus est. Hæc ibi, quibus consentit Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pedag. cap.* 3. vbi eleganter enucleat Herbetus *litter. H. Deus enim* (ait Clemens) *voluit fœminam esse glabram sola tãtum coma sicut equum iuba superante naturæ exultantem, quæ pulchritudo comæ solis fœminis ex Dei ordinatione, & natura ipsa docente nutriri conuenit ipsis solis est decus, viris dedecus est*, de quo contendebant Corinthij aliquibus existimantibus quod coma, & iuba equorum, more etiam viris conueniebat, quibus Apostolus dicit consuetudinem Ecclesiæ esse illis contrariam, si quis autem (*inquit num.* 16.) *Videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei ostendit* (ait Tertullianus *lib. de velandis virginibus c.* 8.) *contentionem aliquam de ista specie fuisse ad quam extinguendam toto compendio vsus est nec virginem nominans, vt ostenderet, dubitandum de velanda non esse, & omnem nominans mulierem, eum nominasse virginem. Sic, & ipsi Corinthij intellexerunt. Hodie enim Corinthij virgines suas velant, quid docuerint Apostoli qui didicerunt, approbant.*

75 Igitur † fœminas caput debere velare propter Angelos indubitatum fuit in Ecclesia in signum subiectionis, quam debent viris habere. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum, ideo debet mulier potestatem habere super caput. dixit Apostol. *num.* 9. & 10. idest debet esse subiecta viro, dicente Domino Genes. 3. *num.* 9. *sub viri potestate eris.* Qua doctrina datur noua lux forsan hucusque occulta ad intelligendum in quo consistebat Hæresis cuiusdam Eustatij Sebasteni, qui vt refert Sozomenus *lib.* 3. *Histo. cap.* 13. suadebat mulierculis comam abscindere, vt sub pietatis specie subiectionem ad viros non faterentur, sed se ab illorum potestate liberas pronunciarent, potestatemq; quam Deus super earum caput posuit excuterẽt; quam hæresim damnauit Concilium Gangrense celebratum & congregatum in Paphegonia aduersus hunc hæreticum qui erat Episcopus in Armenia *ann.* 324. sub *Sylnestro Papa* & fuit approbatũ *à Leone* 4. *cap. de libellis.* 20. *dist.* Igitur PP. huius tanti Concilij *cap.* 17. sic definiunt. *Si qua mulier propter diuinum cultum (vt æstimat) crines attondeat, quos ei Deus ad subiectionis materiam tribuit tanquam præceptum soluens obedientiæ anathema sit.* Ita refert Coriolanus.

76 Sed † Cardinalis Baronius *in notis martyrologij ad* 20. *Septembris aliter* canonem istũ refert sic si quæ mulier propter *existimatam pietatem* δόξῃ τοῦ μιζοῦ ἄκκειν, *tondat comam, quam ei Deus dedit ad memoriam subiectionis* εἰς ἐπιμνησθῆναι τῆς ὑποταγῆς: *& sic præceptum subiectionis soluat anathema sit.* Igitur sensus hæresis Sebastenæ hic erat quod sub specie pietatis & cultus diuini comam fœmina attonderet, sed simul cum attonsione se liberam existimaret à subiectionis præcepto, nec obedire hominibus teneretur, sed exclusa coma pariter excluderet obedientiæ iugum. Et in hoc sensu Theodosius & Archadius *leg.* 17. *C. Theodos. de Episcopis & clericis.* Iubent ab Ecclesia & sacris mysteriis *arceri fœminas qui professionis instinctu* (Sebastenæ ni fallor) *crinem abscindunt*, excluduntur enim ab Ecclesia vt hæreticæ, hæresi Eustariana infectæ.

Verumtamen nec Concilium nec Imperatores prohibuerunt quod sacræ Virgines Deo dicatæ, aut fœminæ pœnitentes crinem & comam abscindant ex voto & cultu diuino, vt Deo & suo sponso Christo soli placeant, caput velo aliquo cooperientes in signum subiectionis & obedientiæ, & vt ostendant se non esse Dei imaginem sicut vir, vtrumque dicit Guillelmus Durandus *in Rationali lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 44. † quamos 77
abscindendi capillos tam Virginibus Deo dicatis quam pœnitentibus solemnibus in istis viguit antiquitus & in illis hodie viget in vniuersa Ecclesia, & vtrisque imponitur velum album nouitiis, & nigrum professis, etiam si non consecrentur solemniter; quia ex vi professionis mundo abrenuntiarunt & pompis eius, quare in Concilio Toletano 6. *cit.* fœminis pœnitentibus solemniter prohibet comam nutrire, & Toletanum 3. solum quod habitum sæcularem deponant, in habitu enim sæculari capillorum ambitionem, & abscissionẽ comprehendit, quamuis enim Virginibus Deo dicatis & solemniter pœnitentibus capillorum cæsaries non abraderetur, tamen semper erat illis Virginibus Deo dicatis prohibita comæ nutritiõ (quæ sæcularibus erat concessa) & caput semper ab initio nascentis Ecclesiæ velatum erat, neque Guibellinus in sua scientia Canonica quam toties vane promittit, aliquem testem fidelem in contrarium adducat) hoc enim graui stylo & argumento probat Tertullianus *in libro de velandis virginibus.*

Vt autem hoc clarius innotescat & veri- 78
tas Antiquitatis clareat, notandum quod † non est idem comam habere, & illam nutrire, & comam nutrire & illam abradere, potest enim quis comam habere, & illam non nutrire, & comam non nutrire quamuis non radat & abscindat; hoc tõtum constat ex Tertulliano *in libro citato* Latine scripto, nam alter de eodem Themate Græce celebrato ab eodem non comparuit, vsque adhuc, & ex libro de cultu fœminarum, de hoc assumpto late & non iniocunde egi *tom.* 5. *de vero martyrio fidei. digressio.* 5. *membr.* 3. vbi de coma B. Ioannis Euangelistæ tonsa ob ignominiam, & membro 8. vbi plura ex Patrum penu dedi, nec enim coma in hominibus vituperanda, sed
illa de qua Ambr. *ep.* 70. ad Irenæum † *Ergo* 79
(ait) *parunt, ergo parturiant qui crispant comã vt fœminæ*, & tamẽ illæ velantur, isti bellantur. Verum habeant excusationem qui patrios vsus sequuntur; sed tamen barbaros vt Persæ, vt Gothi, vt Armeni, maior quidem est natura quam patria, non vero illa de qua idem S. Doctor. loquitur *lib.* 6. *exhameron*, quam dicit esse reuerendam in senibus, *venerabilem in sacerdotibus, decoram in adolescentibus, comptam in mulieribus, duliem in pueris, tolle arboris comam, arbor ingrata est, tolle humani corporis capillum tota pulchritudo fœcescit.* Hactenus ibi. Quare immoderata coma *pondus est*, vt ait Paulinus *vbi supra pag mihi* 57. *at moderata faciei pulchritudinem exornat*, quare Christus Dominus qui speciosus & pulcher erat præ filiis homi

hominum comam habuit, & de S. Ioanne Euangelista dicit Prochorus *in eius vita* quæ habetur *tom.1.Biblioth. veter.PP. abrasam fuisse comam capitis ob ignominiam* in quo verum & non apochryphum dixisse testatur Baronius *tom. 1. ann. ad annum 92. num. 2.*

80 Quare † comam habere viris non est dedecus sed ornatum pulchritudinis faciei, at turpe est comam nutrire, natura repugnante in viro cum sit sexui fœmineo propriũ, sed quid sit comam alere vel nutrire, hic opus & labor est vt sic & loca sacræ paginæ & Patrum conciliemus. Dupliciter potest hæc nutritio fieri, aut ornatu nimio, de quo modo, aut quia ita finitur crescere, vt nullatenus tonderentur capillorum extremitates & promitti sinantur, de quo modo nutriendi, Theodoret. *q.28.in Leuiticum*, & eo vtebantur Corinthij & Græci fere omnes quos Homerus vocat κομοωντας. Et de illis dicit Eusthatius ἔθος ἦν παυ τοῖς κομῶσι τρέφειν ὄυμονον ἢ καλὸς ἄλλα καὶ δι' ὃ τὸ φύσερον ἀυτὸ γὰρ λέων καὶ τὴ εἰς φ.βερώτερ@ ἢ μὴ χτεο ἔχοιτ@. est illis consuetudo nutriendi comam non solum propter pulchritudinem, sed vt incutiant timorem, non secus ac leo iubam habet formidabilior est, quam qui non habet. Hinc est, quod Paulus *cap. illo.* 11. 1. *ad Cor.* dicebat *n.16. si quis autem videtur contentiosus esse* defendens consuetudinem patriam, *non talẽ consuetudinem habemus, neque Ecclesia Dei*; nutrire scilicet comam, ita vt velamentum totius capitis in circuitu ita vt veletur facies viri, caput enim viri, idest facies velanda non est sicut fœminæ, cui natura dedit velamen ad faciem suam ope-

81 riendam vt egregie Tertullian. † *lib. de veland. virg. cap.7.* sic fatur, *debet ergo adumbrari facies tam periculosa quæ vsque ad cælum iaculata est, vt cum Deo assistens cui rea est Angelorum exterminatorum, cæteris quoque Angelis erubescat, & malam illam aliquando libertatem capitis sui comprimat, iam nec hominum oculis offerendam, sed & si contaminatas iam fœminas Angeli illi appetissent, tantomagis propter Angelos virgines velari debuissent quanto magis propter virgines Angeli deliquisse potuissent, si autem & naturæ præiudicium adiicit, quod honor sit mulieris redundantia capillorum, quia coma pro operimento est, vtique hoc maxime virginis insigne est, quarum & ornatus ipsa proprie sic est, vt concumulata in verticem ipsam capitis arcem ambitum crinium contegat.* Ex quibus liquet quod in hoc de qua loquimur notionis verbi nutrire est non tendere, ita vt facies fœminæ capillis veletur, adumbretur, tegatur, ne videri valeat in Ecclesia, quod viris turpe est quorum facies velari non debet, *quia non propter illum Angeli exorbitarunt, quia gloria & imago Dei est, quia caput eius Christus*, dicit idem Affricanus *cap.8.* Vnde † tonsor locum habet in viris non in 82
fœminis, vt egregie Paulinus cuius verba supra data iterum do, quia hunc sensum valdè enucleant, *& opportunè ad gratiæ tempus, & speciem libertatis tonsori in promptu est, quo nos & prolixiore capitis velamento releuet, vt gratiæ spiritualis beneficium corporalis forma testetur. Fœminis autem Apostolica reliquit authoritas, quia etsi ipsis vna nobiscum fides velamentum cordis amoueat tamen tegumentum capitis & frontis vmbraculum verecũdiæ decus, postulat & ideo perfectus fidei ac disciplinæ Magister indecorum vero crinem, quia abscondi nõ potest caput viri Christus, itaq; viro dedecus fœminæ decus est.* ex quibus liquet, quod coma in viro subditur tõsori, qui in speciẽ libertatis prolixius capitis velamentũ abscindat, & tondeat, & sic gratiæ spiritualis beneficium faciei releuatio velaminis capillorum in forma corporali testetur absque frontis vmbraculo coopertorio, quia caput viri, quod est Christis abscondi non potest, ast fœminæ frons, & facies, & forma vmbraculo, & capillorum velamine obtegitur, quia id exigit verecundiæ decus natura ipsa docente. Quare Apostolus ex consuetudine Apostolica, & Ecclesiæ dicit † viris in decorum co- 83
mam nutrire, quæ frontis, & faciei sit vmbraculum, & velamen, quia hoc natura ipsa docente fœminis dumtaxat est concessum in signum subiectionis, & verecundiæ, atque fœminæ modestiæ, adumbrari enim debet facies, tam periculosa, quæ vsque ad cælum iaculata est. Confert *hoc adumbrari* Tertul. *cum frontis vmbraculo* Paulini, & rem omnem comprehendes, nam in viro frontis vmbraculum, & faciei adumbratio indecora est, at frons periculosa fœminæ eiusque iaculatrix forma & facies adumbrari debet capillorum vmbraculo, ne iaculis suis homines feriat, ne dum Angelos quorum (ex sententia Tertulliani) fuit rea, quare fœminæ decus est, & debitum naturæ, comam nutrire, at viris dedecus & natura docente inhibitum, & contra Ecclesiæ consuetudinem, & disciplinam.

Alio modo † comæ nutritio fieri contin- 84
git, ita vt homo illius curam habens sit veluti illius nutritus, ipsam ita compositam fucco, vel floribus, & aliis ornamentis, vt fœminis, vel æquet, vel superet, de ornatu comæ in viris ipsum reprobans sic Tertull. *lib. de velandis Virginibus cap.10. si enim viri comam nutriunt debebunt etiam & ipsi aliqua sibi insignia defendire, aut pennas Garamẽtum, aut Crobylos Barbarorum, aut Cycadas Atheniensium, aut Cirros Germanorum.* quæ autem in his barbaris pro tunc nationibus, hæc ornamenta fuerint, non est huius loci, legãtur Pamelius

Pamellius ibi cui magis assentior quam Cerdæ, & Rhenano, verum huiusmodi ornatus hominibus esse indecoros recte Ambrosio *ep.70.cit.* ostendit verbis citatis, barbari enim sunt, etsi inter barbaros consuetudine irrationali introducti, quia maior est natura quã patria contra hos veros comæ nutritios, sic

85 eleganter inuehit Seneca † *lib. de breuit. vitæ cap.12. Quid? illos ociosos vocas quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur si tonsor paulo negligentior fuit? tanquam virum tonderet. Quomodo excãdescunt si quid ex iubâ suâ decisum est. si quid extra ordinẽ iacuit, nisi omnia in anulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Remp. turbari quam comam suam? qui non sit solicitior de capitis sui decore, quàm de salute? qui non comptior esse malit quam honestior? Hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos.* Hæc Seneca grauiter, & irrisorie in comarum nutritios, quibus hanc occupationem pessimam dedit Deus in pœnam forsan nationis vitiorum, vt fuco comæ puniantur, vt ait Saluianus, videat ergo Hispanus, cõtumax capillis quanta ratione Rex noster Catholicus viris comam ferre seuere inhibeat, vt Hispani generosi muliebria munia exercentes patriam, & fidem intendant semper defendere, ne pessime occupati *inter speculum, & pectinem*, vt cæsariem componant malit Rempublicam turbari, quam comam suam, esse comptior, quam honestior.

In fœminas vero comæ nutrices insurgit

86 Affricanus *l. de cult. fœmin. c.7.* sic. *Quid enim tanta ornandi capitis onerositas salũtem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet modo subtractis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinis coercere, aliæ vt vagi, & volucres eleuantur, non bona simplicitate affigetis, præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capilla mentorum, nunc in galeri modum, quãsi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruicem retro suggestum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad mensuram, neminem sibi adiicere posse pronuntiatum est, vos plane adiicitis ad pondus calirydas quasdam scutorum vmbilicos, ceruicibus adstruendo, si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti ne exuuias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis, & gehennæ destinati Sancto, & Christiano capiti suppares. Imo hanc ornatus seruitutem à libero capite propellite. Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis, Deus vos velari iubet credo nẽ quarumdam capita videãtur.* Hæc Affricanus contra fœminas quæ in croceis coloribus, tincturis, & diuersis capillorum floribus, aliisue ornamentis vanis comam nutriunt non, vt velentur sed vt reuelentur, & forsan Deus eas velari vult, ne capillaturæ ornamenta videantur, quibus forsan magis allicient, quam forma est enim magna vis ad attrahendum fœminei capilli compositi, & vagi *non bonã simplicitate*, sed malitiosa solutione, in vno crine colli sponsæ vulneratum se dicit sponsus, quando sancto zelo solutus apparebat per veli foramen, quanto magis vulnerabũt, immo occident tot capillorum in capite suo artificia, tot inuentiones quas enumerant Tertullianus Hieronymus *epist.12. ad Demetriadem* Iuuenalis *Saty.6.* Prudentius *in Psycoma* Manilius *lib.5.* Nazianzenus *car.63.* Scaliger *in Festum* Suetonius *in Nerone cap.* 51. & quotidie arte diabolica inueniuntur, 88
quare hodie satius, & sanctius erit comas fœminas abscindere, quam nutrire maxime inter Hispanos, vbi ita pure ita religiose cognoscitur, & colitur verus Deus, hæc enim compto capillorum in vtroque sexu ex luxuriæ cornu descendit, *& cognito Deo* (ait Tertull. vbi modo *cap.8.*) *adempta placendi voluntate per luxuriæ vocationem omnia illa vt otiosa pudicitiæ recusantur, nam vbi Deus ibi pudicitia ibi grauitas adiutrix, & socia eius.* Quo ergo pacto pudicitia sine instrumento eius idest sine grauitate huius? Quomodo autem grauitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, nisi & in facie & in cultu, & in totius hominis contemplatione securitas circumferatur.

Ex dictis erutis ex sacra, & profana eruditione quam attẽte, quam profunde idem- 86
met Tertullianus dixerit, † quod *exomologesis prosternendi, & humiliscandi hominis disciplina est de ipsoque habitu atque victu mandat*, vt supra retuli, & explicanda posui, Concilia Toletana 3. & 6. nullam antilogiam continent, sed PP. Concilij IV. Concilium tertium enucleant, illi dicunt, quod pœnitentes vtriusque sexus comam non nutriant, quod vtrique prudentissimum est Decretum sumpta comæ nutritione in vtroque sensu explicato, & pro dimissione capillorum, & pillorum superfluo ornatu, mulier enim pœnitens, velo contenta cum ad sæcularia non possit redire, post solemnem pœnitentiam capillaturam abscindit, & Deo dicat, vt ipsa abstergat peccata, & hoc est quod dicunt Patres Concilij Toletanij III. *Quod † vir solemniter pœnitens tondeatur, & fœmina non accipiat pœnitentiam nisi habitum prius mutauerit.* Sub nomine habitus comam, & cæsariem comprehendunt, imitantes Tertullian. linguæ latinæ propriissimum assertorem *lib. de habitu muliebri c.4. habitus* (inquit) *fœminæ duplicẽ speciẽ circũferi* 89

& cultum, & ornatum, cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant, & ornatum quem immundum muliebrem conuenit dici, ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur, iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos attrahunt. Vnde Patres concilij, dum dicunt quòd mulier habitum deponat, *cultum vestium, & ornatum capillorum* comprehendũt nam ancilla Dei pœnitente quæ debet esse humilis quid faciet aurum, & argentum? quid cum ea quæ debet esse casta capillus qui fucari potest, sicut fucantur, & ornant aliæ sæculi fœminæ, vnde Hieronymus *epist.20. ad Marcellam.* loquens de Blessila. *Tum crines ancillulæ disponebant, & mitellis crispantibus vertex arctabatur innoxius, nunc neglectum caput scit sibi tantum sufficere, quod velatur.* & alibi dicit *ad Demetriadem. Fuge lasciuiam puellarum, quæ ornant capita,* & hanc fugam desiderant Toletani Antistites in fœminis pœnitentibus dum dicunt, *quod ante pœnitentiam habitum deponant.*

91 Quia vero iam † hodie solemnis pœnitentia, tam viris, quàm fœminis non est in vsu, & illius loco monasteria, quæ pœnitentiæ scholæ sunt substituta fuerint, & quodlibet monasterium suum specialem habitũ, tam in forma, quam in materia habeat nullique fœminæ in Monasterio inclusæ comã nutrire, aut ornare sit permissum impune, iam non cogit has cæremonias pœnitentiũ solemniũ obseruari. Velim tamen, quod cõuersæ inclusæ, quæ alicubi loco pœnitentiũ in cõmunitate viuũt, vt Romæ, & alibi, similiter & moniales ea quæ Auct. antiquus vitæ eremiticæ scribens *ad sororem* fugienda, fugiant & ipsæ, dicit enim *vix aliquam inclusarum solam inueniri, ante cuius fenestram non anus garrulæ, vel migigerula mulier sedeat, quæ eam fabulis occupet, rumoribus, aut distractionibus pascat, illius vel illius Monachi, vel clerici, vel alterius ordinis viri, formã, vultum, moresque describat, illecebrosa quædam interserat puellarum lasciuiam viduarum, quibus licet quidquid libet, libertatem coniugum in viris fallendis, explendisque voluptatibus astuciam depingat, os interea in visus cachinosque dissoluitur, & venenum cum suauitate bibitum per viscera, membráque diffunditur.* & postquam *cap.* 4. huius veneni effectus fœdos explicuit, concludit *cella vertitur in prostibulum, &c.* ex quibus turpiloquiis enormia multa dimanant, & quotidie experiuntur lasciuæ inter se conuersationes & operationes, quæ vix possunt cohiberi, & locus pœnitentiæ factus est veneris ara, quarum ha-
92 rum muliercularum commercia non minus prohibere debent Ordinarij, quam comptulorum iuuenum, vtraque enim secta monasteriis perniciosa est, & contagium inducit, quare magna diligentia opus est, vt auditrices, quæ auscultant non solum officio nominis, officium faciant, sed vero sui officij exercitio. O si Deus quantum hoc interfit Dominis Ordinariis efficaciter inspiret, vel moniales quæ huiusmodi turpiloquiis vacat, vel in somnis Angelus castigaret ad aliorum exemplum.

RESOLVT. VIII.

Vtrum D. Thom. recte comparauerit expulsionem à Religione excommunicationi maiori?

SVMMARIVM.

1. *Comparatio D. Thomæ expulsionis à monasterio cum excommunicatione maiori, & num. 2.*
3. *Expræsbyteri dicebantur Præsbyterij officio spoliati.*
4. *Vnde sumatur excommunicationis notio.*
5. *Multipliciter sumitur communio & excommunicatio.*
6. *Multæ & variæ erant communicationes, ex Pamelio, & n.7.*
8. *Triplex admittitur implexa communio.*
9. *Authoris iudicium affertur, & n.17.18.*
10. *Eiectum esse ab Ecclesiæ est, esse excommunicatum, & communione pacis Ecclesiasticæ priuatum, ex Pamelio.*
11. *An clericus eiectus ab Ecclesia idem sit, quod exauthoratus.*
12. *Clericus grauius peccans abstentus suspendebatur totaliter à ministeriis exercendis in ea Ecclesia, in qua clericus erat.*
13. *Quæ dicatur communio peregrina.*
14. *Gibellini assertum refellitur, & n.16.*
15. *Suspensus pro aliquo crimine in aliqua Ecclesia, an in omnibus suspensus erat.*
19. *Communio peregrina, an non constituebat Clericum in ordine laicorum.*
20. *Authoris sententia fulcitur Conc. Agathensi, & Rhegensi.*
21. *Clerici qui in Ecclesia sua in pœnam alicuius defectus solùm habent peregrinam communionem quomodo tractandi sint.*
22. *Episcopus schismaticus qui ad vnitatem Ecclesiæ rediit communione peregrina foueatur.*
23. *Syricij Papæ sensus adducitur.*
24. *Quomodo fiebat sumptio Eucharistiæ laicis.*
25. *Quæ dicatur tertia communio.*
26. *Variorum DD. sensus adducitur, & n.27.*
28. *Quid circa communionem energumeni veniat notandum, & n.25.*
30. *Nullus qui à Dæmone vexaretur ad Ecclesiam admittebatur.*

31. *Energumeni vnde dicti, & n.32.*

33. *Energumeni ab inspectione Eucharistiæ prohibebantur ex Dionysio.*
34. *Quid ex dictis sit colligendum, & num.35. & 36.*
37. *Contumelia illata repellenda propter duo, & num. seqq.*
43. *Quid sit eiectio à Religione ex Guibellino.*
44. *Hieron. sensus & aliorum affertur.*
45. *Effectus quos causat excommunicatio maior enumerantur à D. Thom. & num. 47. & 48.*
46. *Communicatio fidelium duplex est.*
49. *Excommunicatus & anathematizatus quandiu fidelis est, nec amittit habitum fidei Catholicæ, non ita eiiciatur ab Ecclesia, quod non maneat Ecclesiæ membrum, etsi informe.*
50. *Quid item de hæreticis.*
51. *Quid inferendum veniat contra Guibellinum, & n.52.*
53. *Excommunicatio est maxima pœna medicinalis, eiectio maximum & extremum remedium.*
54. *Quibus priuet eiectio.*

GIBELLINVS è Societate Iesu, (vt fere nihil in campo amœnissimo D. Tho. quod non sit inculcatum, vt conculcatum appareat, sed irriguum superius semper florefaciet, quod inculcat, & quod cõculcat) *in tract. de clausura Monialium disquisit. 2. c. 4.*
1 §. 1. *à n.6.* postquam † comparationem D. Thom. expulsionis à monasterio cum excõmunicatione maiori explicuerit multis adductis dicit *num.6. Mihi potiori iure cum Clericorum dispositione, siue exauctoratione, & degradatione conferri possit videtur, placet itaque paucis hanc depositionem è clero ex his, quæ fusissime disputauimus in nostra scientia Canonica tract. de censuris, explicare.* Hæc ille, qui in sequentibus multus, & valdè multus est in hac explicatione, quæ parum, aut nihil conducit, maximè cum valde confusè, & sine electione tanta adducatur congeries rerum, cum nullum auctorem adducat, qui exclusionem, & eiectionem à religione depositioni, degradationi clericali componat, etsi enim expulsi, & deponantur ab officio & beneficio, & ordinum exercitio, degradenturque verbaliter, cum spolientur habitu religionis[a], sicque permaxime & iuridice exauctorentur cum infames constituantur, tamen hæc omnia sequuntur ad eiectionem, & expulsionem sententia iuridica factam, non secus ac passiones sequuntur essentiã,
2 quare † cõparatio D. Th. non est expulsionis cum excommunicatione ratione harũ proprietatum, quæ sequuntur, sed ipsius expulsionis à cœtu regulari, quæ in se est pœna maxima spiritualis, quare nescio, qua auctoritate canonum, aut auctore Canonico, aut Theologo dicat, quod potiori iure comparanda est eiectio hæc depositioni, aut degradationi clericali, quam excommunicationi maiori.

Vt autem veritas ipsa clareat & clarè cõprobetur duo notanda sunt. Primum, quod vt notat Fillef. *opus. de sacra Episc. auctoritate cap.8. pag. mihi in paruis* 212. ex B. Greg. *epist.5. ad Venantium l.4.* † expræsbyteri di- 3
cebantur Præsbyterij officio spoliati, & pari notione dicuntur exmonachi, qui Monasterio relicto ab eo expelluntur, aut eiiciuntur, aut ipsi deserunt, vt Apostatæ, vt notant censores Decreti *ad cap. Accedens.* 10. *dist.* 50. sic etiam apud Tertullianum *lib. de Pallio cap.*4. exauctoratus dicitur, quia vt ait Marcilius stolam qua auctoratur matrona missam facit, & sic exauctorat ipsa se, siue auctoritatem matronalem sibi detrahit, vnde dicuntur exauctorati milites, qui cum in curia dimittuntur ab exercitu cuius communione ob delictum priuantur, quamuis aliquando exauctorario esset, sine iniuria, & dedecore, exconsules enim & exquæstores olim apud Romanos dicebantur, qui his officiis functi iam fuere, & finito tempore vicis suæ exconsules, & exquæstores dicebantur, sicut Hildebertus Turonensis Archiepiscopus *ep.* 35. excanonicari dixit pro eo, quod est Canonicatu vltro cedere, in gradum alterius, quod vulgo dicitur *resignare Canonicatum.*

Ex quibus liquet † notio excommunica- 4
tionis, quod secundum nominis proprietatem nihil est, aliud quam communionis priuatio, spolatio, exclusio, cohibitio, abstersio, prohibitio, vt egregie adnotat Pamel. *ep.* 38. *Cypr. n.*10. *& ad lib. de pudicitia.* Tertull. *c.*14. *n.*119. vbi ex Africani modo, & phrasi loquutionis suæ, quæ fere semper erat in propriis, & propriissimis notionibus, dicit quod excommunicatio erat ab Ecclesiæ communione eieratio, eradicatio, proiectio, damnatio. Vnde dum communio à qua quis eieratus, exulsfactus, & eradicatus, restituebatur *dicebatur postliminiũ largiri Ecclesiasticæ pacis, dedamnare, recipere in communicationem, reuocare in Ecclesiam, concorporare rursus Ecclesiæ.* qui modi loquendi circa absolutionem ab excommunicatione in vetustissimo Tertulliano reperiri notat Doctissimus Pamelius.

Igitur excommunicatio cum sit communionis & communicationis priuatio, & spoliatio, † (non nego, quod aliquando etiam 5
apud Tertullianum verbum *communicare* sumatur in malam partem, & communi errore, sit idem, quod inquinare, vt *lib. de spectaculis cap.*17. ibi, *cur quæ ore prolata communicant*, id est, *coinquinant hominem*, vt

notat ibi Cerda *num.* 255. sed non est ad præsens) multipliciter sumitur communio, & communicatio, sed omnes ordinabantur in ordine ad communionem Eucharisticam quæ finis est cuiuscunque alterius communicationis Ecclesiasticæ, & sacræ, sicut sacramentum Eucharistiæ finis est omnium sacramentorum, vnde cum antiquitùs ad communionem fidelium pœnitentes per gradus restituerentur quousque in quatuor classibus supra enumeratis se excercerent, boni, & perfecti participatio, & Eucharistiæ perceptio non dabatur. Sic Gregorius Nacocesarien. *in episto. canon. pœnitent.* quam supra ex Baronio dedi, & Synodus Ancyrana *canon.* 6. vbi agens de pœnitentibus qui quatuor classes cum ædificatione, & & profectu cursauerant, dicit *quod duobus annis sine oblatione communicent*, id est, assistant communicationi sacrificij, *& tunc demum annis expletis ad perfectionis gradum perueniant*, id est, Eucharistiam sumant, & perfecte postilimintũ Ecclsiasticæ pacis largiatur, recipiatur in communionem, reuocetur perfecte in Ecclesiam eique totaliter incorporetur qui ab illius solo eradicatus erat.

6 Igitur ex Pamellio *ad lib. de orat. Tert. numer.* 1. † Multæ, & variæ erant communicationes, ciuilis, in ciuili commercio, & conuersatione, Ecclesiastica in cœtu, & communione rerum Ecclesiasticarum in regimine, in gubernatione, & subiectione rerum quæ ad cœtum fidelium munium ad disciplinam Ecclesiasticam attinentium, officij, & beneficij administratione, alia est communicatio orationum, quæ à cœtu fidelium in Ecclesia fiebant, tertia communicare ad offerendum oblationes in Ecclesia, quarta communicatio suffragiorum, quinta communicatio faciendi collectas, sexta communicatio in eleemosynis. Septima communicatio in psalmodia, & cantu ante, & post sacrificium, octaua ad osculum pacis, & post sequebatur communio corporis Christi, postquam sequebatur Agape, & conuiuium pauperum, quod non fieri ante communionem corporis Christi quod à ieiunis sumebatur, tunc temporis solum excepto anniuersario die cœnæ Domini, quæ consuetudo iam Ecclesia latina derogatur & semper communicatur à ieiunis naturali ieiunio, & quidem quod Agape fieret post ieiunium probant Pamelius *cap.* 39. *n.* 517. Primasius, D. Tho. Anselmus, vtraque glossa ordinaria, Iustinianus, Cornelius, & omnes expositores Catholici. *ad Corinth.* 11. *n.*... vbi Chrysostom *hom.* 27. ait. *Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta Synaxi post sacramentorum communionem inibant conuiuium diuitibus quidem cibos efferentibus, & qui nihil habebant etiam vocatis, & communiter vescentibus.* Vnde dubio procul Synaxis, & communio Eucharistiæ Agapas præibat.

Communiones istas † quas Pamelius ex 7
Tertulliano adducit, & inducit fere omnes inuenies in antiquioribus Conciliis quod hic probare superuacaneum iudicaui cum occurrent passim eruditis in Conciliorum lectione, solum supersunt tres explicandæ in quarum explicationem insudarunt docti, & eruditi viri, & ni fallor alicubi insudaui, vt videre est in meis iam prælo datis operibus, quia de determinato loco nõ recordor, nec vacat locus per quirendi, eas tamen hic cogor iterum premere, quia circa eas aliquid dixit Gibellinus *vbi supra disquisit.* 2. *cap.* 4. §. 1. *à num.* 6. quod animaduersione indiget. Igitur † triplex est implexa com- 8
munio quæ auctoribus negotium non parum, vt extricaretur fuit. Prima est laica. Secunda peregrina. Tertia mortuorum. Prima laica sic explicatur à Guibellino *n.* 10. dicit enim quod clericus eiectus, abdicatus, & alienus factus ab Ecclesia depositus à clericatu totaliter, ita vt nullum clerici officium in Ecclesia posset exercere, & sic constituebatur inter laicos, solasque eas habebat in Ecclesia communicationes, quam hebent laici cum quibus clericus iste abdicatus à clericali sorte eiecti cum laicis solis, tum sacram tum ciuilem habebãt societatem, nõ enim erant inhibiti communicare, & Eucharistiam sumere extra missæ celebrationem, vt constat ex Concilio Aurelianen. 3. *cap.* 7. & Aurelanien. 5. *cap.* 4. Gregor. Magno. *lib.* 2. *epist.* 14. *ad Natalem.* Petro Alexand. *canon.* 10. *Pœnit.*

Ego quidem † quamuis existimem, cum 9
Turre-Cremata *c. contumares dist.* 50. quem sequitur Valterius *de triplici cœna Christi. cœna.* 3. *cap* 20. quod communio laica sit quæ fit post clericos, cum laicis ad cancellos altaris ante quos clerici amoti à suo gradu, & ministerij functione promiscue cum laicis ad communionem Eucharistiæ constat ex Conc. Tolet. 4. *cap. aliàs* 17. cæterum omnino falsum existimo iuxta phrasim, & modum loquendi Patrum, & Conciliorum antiquorum quod clericus eiectus, & alienus factus ab Ecclesia, & abdicatus à paterna Ecclesiæ hæreditate, & omni iure ad illam inhabitandam priuatus, hoc enim significat, vt ait Zonarus *can.* 4. *epist. can. Gregoriana* iste enim laicus effectus vel inter pœnitentes ponitur qui nõ communicant de corpore Christi nec vt laici, vel sunt excommunicati, & sic in capaces Eucharistiæ; phrasi enim Tert. & Cypr. vt bene vidit Pamel. *vbi supra* † eiectũ esse ab Ecclesia est, excõmu- 10
nicatum esse, & cõmunione pacis Ecclesiasticæ

sticæ priuatum abstentum à communione fidelium; quare aliud est, quod clericus exauctoretur, *exclericus*, fiat aut *expræsbyter*, aliud quod eiiciatur ab Ecclesia, vt clare ex Concilio Tolet. 4. *c.* 18. & Concil. Ancyrano *cap.* 17. vbi Episcopos seditiosos abiici dicit, id est, excommunicari, exclericari vero, vel expræsbyterari est à gradu clericali, & Præsbyterij deponi, & degradari, vt veluti laicus relinquatur, & communione laica vtatur, vt ait Concilium Eliberit. *Can.* 76. vbi Diaconus exauthoratur & exdiaconatur, & tamen conceditur cõmunio laica, in hoc enim Concilio manifeste distinguuntur hæc duo, nam proiici & abiici ab Ecclesia est, excommunicari, vt cõstat ex *cap.* 62. quod fuit desumptum ex *lib.* 8. *constit. Apostol. Clement. III.* quem imitatur Cyprianus *lib.* 3. *contra Iudæos ad Quirinũ.* hanc enim eiectionẽ anathema dicitur *cap.* 26. Quare omnino falli- 11
tur Guibellinus dicens, quod † clericus eiectus ab Ecclesia idem est, quod exauthoratus, manens tamen in communione laica depositus ab officio, & beneficio, & omnibus altaris ministeriis, non enim est idem depositio etiam totalis, & eiectio ab Ecclesia, & eius atriis, hæc enim excommunicatio est, quæ censura omnino diuersa est, à depositione, & quidem si eiectio ab Ecclesia depositio est, & non excommunicatio nescio quo fundamento, hæ duæ censuræ ex Patribus, & Conciliis colligantur.

Secunda communio, quæ aperienda est *Peregrina*, de qua Gibellinus peregrinè loquitur *à num.* 8. vbi suprà & dicit duo. Pri- 12
mum, quod ex Concilio Tolet. 1. *c.* 15. † clericus grauius peccans abstentus suspendebatur totaliter à ministeriis exercendis, in ea Ecclesia in qua clericus erat, etenim in primitiuis temporibus omnes clerici locales erant, & in suis Ecclesiis quibus addicti erãt tenebantur residere, vt constat ex Concilio *Valentiæ Hispanæ cap.* 6. & in superioribus à me probatum est. Quod si extra Ecclesiam suam ad alias pergerent, & diuagarẽtur, etsi non celebrarent, quia non poterant admitti in aliena Ecclesia absque consensu illius Ecclesiæ, cui erat in ordinatione sua designatus, & eius matricula & albo tanquam illius pars, & minister, qui ex redditibus sustentabatur. Si tamen absque licentia alibi in alia Ecclesia sacrificaret & missam priuatam diceret, peccasset quidem & variis pœnis Ecclesiasticis esset obnoxius, non tamen esset irregularis, nec contra suspensionem sibi impositam peccaret, quia solum erat per eam suspensus etsi totaliter à sacris peragendis, tamen solum in propria Ecclesia. Vnde erat totalis, ratione loci dumtaxat, & tum dicebatur damnari clericus ad communionem peregrinã, quæ solum clericis dabatur & non aliis, vt constat ex Concilio Agathens. *cap.* 5. *Ilerdens. cap.* 16. *& Rhegens. cap.* 3.

Secundum, quod dicit est, quod † com- 13
munio ista peregrina nihil aliud erat, quam quod clericis, etsi neque ab vsu Eucharistiæ, aut celebratione missæ priuati non carerent, sed possent & missam priuatam dicere & Eucharistiam sumere, tamen ita eiiciebantur à propria Ecclesia, vt tanquam extraneus, aut peregrinus haberetur, ita vt negotiis illius Ecclesiæ se immisceret, nulla illius ratio haberetur in rogandis suffragiis, aut sententiis, neque in assignandis, aut describendis sacris ministeriis, neque sacris, aut aliis rebus publicis poterat se ingerere, nisi ex peculiari dispensatione, amiserat enim illius Ecclesiæ ius ad officia & ministeria publica, ad conuictum cum aliis clericis, aut ad petenda alimenta, quæ non nisi ex charitate tanquam aduenæ & peregrinæ administrabantur, sicut peregrinus dicebatur in Republica Romana, ad quem ius Quiritum non pertinebat, siue nunquam ciuis fuisset, siue ciuitatem amisisset *leg.* 1. *C. de hæred. instit. leg.* 10. *D. de in ius vocan.* §. 6. vbi deportatus in pœnam peregrinationem acquirit, siue deportatus, non fuisset, sed ob aliam causam, testatur Suetonius *in Claudio.* vbi Principem Latini sermonis ignarum albo iudicum erasit, & in peregrinitatem redegit, & sic Ecclesia latina clericos ad peregrinitatem damnauit, quatenus eos ab albo Ecclesiæ suæ abrasit, & priuauit iure clericali ad alimenta, & officia, & beneficia.

Sed † vtrumque assertum Gibellini 14
mihi summe displicet, ex propria enim imaginatione, & discursu dimanat, quæ in vetustate indaganda mille fallaciis exposita semper fuit, & quidem, primum omnino est voluntarium, nec aliquo antiquitatis nititur fundamento, sicut enim excommunicatus vbique locorum excommunicatus est, ita totaliter suspensus vbique suspensus est, nam totalis suspensio censura est Ecclesiastica, quæ vim habet non ex decreto huius Episcopi in particulari, sed totius Ecclesiæ à cuius potestate vniuersali censuræ dimanant, & quidem, quod semel in vna Ecclesia excommunicatus vbique locorum & Diœcesum excommunicatus sit, constat ex Concilio Sardicensi cui præfuit Osius *cap.* 13. *aliàs* 16. idem statuit Synodus Antiochena *cap.* 6. Illiberitana *capit.* 53. Arelatens. 2. circa tempora Concilij Nicæni Arausicana. 1. *cap.* 11. Turonens. 2. *cap.* 8. & de suspensione

idem expressit Concilium Lugdunens. 1. *cap.* 3. ibi. *Illud etiam quod Sancti Patres salubriter ordinarunt, placuit iterari, vt si quicunque Episcopus pro reatu aliquo quemquam à communione suspenderit apud omnes sacerdotes eatenus à communione habeatur alienus vsque eius iudicio debeat recipi, à quo meruerat à reatu suo à charitate Ecclesiastica sequestrari.* Quare
15 mihi dubium non est quod † suspensus pro aliquo crimine in aliqua Ecclesia in omnibus suspensus erat, nisi ab Episcopo suspensore, & sequestratore reciperetur, vnde in antiquis Conciliis suspendere clericum ab officio, & ministerio, Patres Eliberitani *cap.* 20. Bracharenses *conc.* 1. *cap.* 4. Aurelianenses *concil.* 4. *cap.* 7. & in Concilio 3. *cap.* 8. & Carthaginenses *concil.* 4. *c.* 48. 56. 57. ab officio degradari dicunt, id est, suspendere qui imitati sunt *Canon.* 25. *Apostolorum*, quem adducit Hinemarus *epist.* 7. *cap.* 19. & quis Catholicorum dicet quod degradatus verbaliter, & ab officio suspensus non sit vbique suspensus, & degradatus, ita vt si alicubi celebret aut fungatur officio à quo est suspensus non operetur contra suspensionem, & degradationem sibi impositam, non enim est suspensio quæ est pœna lata per sententiã iudicis, sed quæ ipsis iuribus reclamantibus incurritur, & est vere censura, quare non respicit locum Diœcesis in qua quis est designatus clericus, sed vbicunque fuerit, vim suam exerit, & efficaciam; aliàs pari ratione possemus dicere qnod excommunicatio maior solum priuaret suffragiis, & orationibus, & celebratione missæ, ac administratione sacramentorum tam actiua, quam passiua in illa Diœcesi in qua fertur ab illius Episcopo, & quod si quis extra celebraret, etsi peccaret, & erat dignus pœna nõ tamen faceret contra excommunicationem nec fieret irregularis, cum P.P. & concilia eodem modo loquantur de hac excommunione, ac de suspensione, & abstensione ab officio, & ordinis exercitio.

16 Secundum etiam assertum † de communione peregrina mihi nullatenus arridet, fateor enim rem esse valde in antiquitate abstrusam in qua potius diuinare quam decidere possumus, vt diuinant Archidiaconus, Dominicus, Turre-Cremata *cap. contumaces* 50. *dist.* Xaintes *repet.* 10. *cit.* Durantus *lib.* 2. *de ritib. Ecclesiæ cap.* 55. Vasquez 5. *p. disp.* 216. Albaspina vir eruditissimus *lib.* 1. *obseruatio.* 1. Lindanus *lib.* 4. *Panoplia cap.* 58. Vnde Durantus postquam dixit, quod communio peregrina non distinguitur à laica, quæ etiam aduenis, & peregrinis datur, & sic peregrina dicitur, concludit. *Hæc est mea coniectura si quis veriorem attulerit ei maximam gratiam sum habiturus*, quod ego etiam dico postquam meam coniecturam proposuero.

Quare existimo, quod si sermo sit de 17
communione quæ est Eucharistiæ sumptio, hæc eadem est siue laica, siue peregrina, nec distinguũtur aliqua speciali cæremonia, sed communicans laicus sit peregrinus, & extraneus qui accedit ad Synaxim sacram in eodem loco, & eodem titulo recipit corpus Christi, nec hæc communio dicitur peregrina, quia recipiens peregrinus sit aduena, & extraneus alterius Episcopi ouis, & subditus, sed dicitur laica communio à loco laicorum, qui communicabant post clerum omnem, ante altare.

Si vero sit sermo, vt puto esse in Conci- 18
lio Agathens. *c.* 2. Rhegensi, siue Rhegiensi celebrato *anno* 439. sub Sixto Papa III. *canon.* 3. non de communione Eucharistiæ, sed de communicatione in commercio, & aliis actibus Ecclesiasticis, existimo quod communio peregrina valde distinguatur à laica, quod communio peregrina erat; quando quis non erat exauthoratus ab ordinibus quibus erat insignitus, adhuc enim manebat in loco sibi competenti, sed erat à matricula Ecclesiæ abolitus quantum ad munia illius Ecclesiæ obeunda, quæ illi nullatenus dabantur quousque se pœnitentia emendaret, vnde ex vi communionis dumtaxat peregrinæ non erat prohibitus missam priuatam dicere, aut communicare cum aliis clericis, & cum illis accedere ad sacram Synaxim, quare † communio peregrina non 19
constituebat clericum in ordine laicorum, & sic non poterat illi imponi pœnitentia solemnis, sicut poterat clericis qui solum habebant communionem laicam, rursus qui solum habebant peregrinam communicationem rogati absque alia dispensatione, poterant aliqua munia Ecclesiæ exercere, non enim erant suspensi, aut excommunicati, ast clerici qui solum habebant laicam communionem, etiam rogati, nisi essent ab Episcopo dispensati non poterant munia ordinum, quibus erant insigniti exercere, quia erant suspensi ab exercitio ordinum.

Hanc meam sententiam quoad vtramque partem manifeste ni fallor colligo ex præcitatis Conciliis Agathensi, & Rhegensi, in priori enim sic dicitur † *cap.* 2. *Contumaces vero clerici (prout dignitatis ordo permiserit) ab Episcopis corrigantur, etsi qui prioris gradus illati superbia communionem fortasse contempserit aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuetur, ita vt cum eos pœnitentia correxerit, in matricula gradum suum, dignitatémque suscipiant.* Ecce vbi Agathenses Patres clericum qui aliorum clericorum superbia elatus, prioris gradus consortium dedignatur, aut deses est in frequentanda Ecclesia, si officium sibi impositum

positum negligit implere, tanquam aduenam & peregrinum extraneum esse communicandum, sicut tamen peregrinus, & aduena sacerdos, qui de licentia sui Episcopi peregrinatur, illi communicant clerici alterius Diœcesis, dando illi altare in quo sacrificet, admittitur ad orationes communes, non tamen ponitur in matricula aliorum clericorum neque ad munia, & suffragia illius Ecclesiæ, nec illi debentur alimenta, nisi titulo peregrinationis, & indigentiæ, vt sustentetur. Ita clericus, qui solum communicat communione peregrina, nisi cum pœnitentia correxerit, tunc enim illi qui à matricula erit delecti, in matricula rescripti, gradum suum & dignitatem suscipient. Vnde † isti clerici qui in
21 Ecclesia sua in pœnam alicuius defectus dumtaxat habent peregrinam communionem, ita tractandi sunt, sicut peregrini tractantur, qui in aliena Ecclesia nec gradum nec dignitatem habent, si tamen rogentur vel ab Episcopo, vel à Primiclero possunt aliquorum munium exercitia facere, quod mihi clare videtur determinasse Concilium Rhegense *cap.* 3. *cit.* vbi renouat *Canonem.* 8. *Concilij Nicæni* dicens, quod † *Episcopus scis-*
22 *maticus qui ad vnitatem Ecclesiæ rediit, peregrina (vt aiunt) communione foueatur. Nec vsquam ille quisquam de Episcopalibus officiis vsurpare præter quam in Ecclesia quam cuiuscumque misericordia fuerit adeptus, in qua si solum Neophytos confirmare & ante presbiteros offerre conceditur.*

Hoc autem nullatenus erat licitum clerico, Præsbitero, aut Episcopo qui tantum habebat laicam communionem, nullatenus ministrare in ordine suscepto, sed ab officio Episcopali aut clericali omnino erat suspensus. Nicephorus Calixtus *lib.* 6. *Histor.* de quodam Episcopo ad Ecclesiam reuerso, dicit. *Populo vniuerso pro eo rogante tandem vt laicus in communione receptus est*, similia dicit Cyprianus *lib.* 1. *epist.* 4. *de Basilide*, qui post pœnitentiam satis gratulans sibi si vel vt laico communicare contigeret, & *lib.* 2. *epist.* 1. *ad Stephanum.* & *epist.* 2. *lib.* 4. agens de Trophimo. Vnde † Syricius Pa-
23 pa, *epist.* 1. *cap.* 21. *si clericus viduam duxerit omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur laica sibi communione concessa.* Et Innocentius. 1. *epist.* 22. *cap.* 4. Concilium Agathens. *cap.* 50. idem sanciunt. Vnde Basilius. *Epist. ad Amphilonem. cap.* 32. *qui peccatum ad mortem peccant clerici quidem à gradu deponuntur à laica autem communione non arcentur.* Et Concilium Aurelian. 3. *cap.* 2. *Quod si fecerit laica communione contentus iuxta priorum canonum statuta ab officio deponentur.* idem determinatur *in Concilio Tolet.* 4. *cap.* 4. qui omnes Patres & consilia conformantur, *canone* 15. *Apostolorum* vbi habetur, *si quis Præsbyter aut Diaconus aut quilibet de numero clericorum relinquens propriam Parochiam pergat ad alienam & omnino demigrans, præter Episcopi sui conscientiam in aliena Parrochia commoretur, hunc vlterius ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo venire contempserit in sua inquietudine perseuerans. Verumtamen tanquam laicus ibi communicet.* Hæc ibi, quibus meum dictamen manifestè firmatur, datur enim hic communio laica & negatur altaris ministerium, nam ministrare, in Græco est λειτουργεῖν. à λειτουργία, *quod significat ministrare in liturgia hoc est in altare circa missa sacrificium.*

Hinc est quod sumptio Eucharistiæ lai- 24
ca, siue communio laica, in hoc sensu semper fiebat extra cancellos altaris à sacerdote eam distribuente clericis, Præsbyteris, & Episcopis, qui ob delicta erant suspensi cum Præsbyteri & Episcopi qui solum habebant laicam communionem λειτουργεῖν, sacrificare nequibant, & sic sumptionem in laicam Eucharistiæ ab alio accipiebant, at sumptio Eucharistiæ peregrina vel communio peregrina poterat quis à se ipso accipere, quia λειτουργεῖν.

Et ministratio priuata missæ non erat illi inhibitum, sed sicut licebat priuate sacrificare ita necessario seipsum communicabat. Et dicebatur hæc sacrificatio peregrina qui talis nisi rogatus & inuitatus ab Episcopo non poterat missam solemnem canere, nec hebdomadarij officium exercere; erat enim in pœnam suorum defectuum abrasus à matricula clericorum & iuxta dicta corrigendum est assertum secundum Guibellini.

Tertia denique † communio est quæ 25
dabatur moribundo qui ante aduentum sacerdotis confessionem coram testibus postulauit, & emissa loquela, vel in phrenesim versus nullum aliud signum præstitit sed testes deposuerunt confessionem & absolutionem postulasse, de quo casu Concilium Carth. 4. *celebrat. ann.* 398. sub Anastasio Papa in quo fuerunt congregati 214. Episcopi Catholici, qui sic loquuntur, *Is qui pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus; reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia, &c.* quem textum adducit Gratianus. 26. *q.* 6. *cap.* 11. qui & cæteri collectores decretorum de eo meminerunt & ad verbum adducit † S. 26
Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 9. vbi Vasquez, Suarez & cæteri expositores, & de illo sic loquitur glossa, *ad prafatum cap. is qui*, verbo *& infundatur; sed qualiter recipiet Eucharistiam qui ita infirmatur, si enim intincta in pane datur, hoc prohibetur cap omne, consecr: dist.* 2. *nec alio modo videtur danda quia punitur*

mitur infirmus qui euomit Eucharistiam cap. si quis per ebrietatem ead. dist. 2. Sed huic glossæ obstat regula data *in c. quod in te. de pœnitentiis & remiss.* quæ sic habet, *in illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur intelligi volumus, vt neque ipsum decedentibus denegetur.* Cum ergo illi moribundo qui confessionem petiit id affirmantibus testibus confessori aduenienti absolutio detur Eucharistia etiam deneganda non est, sed ori eius infundenda, siue possit eam deglutire, siue non, quia eo ipso, quod ori eius infundatur etiamsi infirmus id nesciat, manducare eam dicitur & si non ita proprie sicut si deglutiret, sicut enim datur ei absolutio à peccatis; etiamsi actu non aduertat, quia habet virtualem dolorem ex vi petitionis confessionis, ita quamuis vi taliter nõ deglutiat eo ipso quod in ore infundatur Eucharistia illi confert gratiam viatici. Et quidem Patres Concilij Affricani 2. (celebrati *anno* 397. tempore Syricij Papæ & confirmati à Leone 4. *cap. de libellis dist.* 20.) *cap.* 7. ideo denegant mor-
27 tuis dandam Eucharistiam quia, *dictum est à domino, accipite & edite, cadauera autem nec accipere possunt nec edere*, idem statuitur in Concilio Antisiodorens. *cano.* 12. & in Trullano. *cano.* 83. ob eandem rationem, quam tradunt Patres Carthaginenses, quare cum quandiu homo viuit etiam si morti sit vicinissimus cadauer non sit, proprie potest recipere & recipit etiam si non aduertat actu, dum Sacramentum altaris ori eius infunditur, qui enim accipit cibum quantum est de se potest edere, & deglutire, quod si non deglutiat actu, est per accidens, nec impedit quod Eucharistia in os infusa gratiam conferat sicut confert absolutio à peccatis, quia sicut pœnitentia illi non negatur, nec viaticum denegari debet, *cap. quod in te cit. de pœnit. & remiss.*

28 Circa communionem Energumeni notare oportet † quod si Energumenus sit ab Angelo bono, hoc est Angelizatus vti dixi *tom. 1. Moral. tract. de delictis generanti. suspicionem in fide. Resol.*.... fieri posse, quod illi dãda est Eucharistia toties quoties eam petierit, quia Angelus bonus à quo possidetur non permittit indecentiã, sed augebit deuotionem & reuerentiam. Si vero sit Energumenus à Cacodæmone. Concilium Eliberitãum duo decreta edidit quæ antynomiam videntur habere, primus est 29. vbi habetur *Energumenum qui ab erratico spiritu exagitatur huius nomen nec ad altare cum obligatione esse recitandum nec permittendum, vt sua manu in Ecclesia ministraret.* In quo duo pro-
29 hibentur. Primum corpus Domini recipere & quod illius memoria fiat in sacrificio. Secundum aliquod ministerium in Ecclesia propria manu exequatur. Secundus Canon *est* 37. qui sic habet. *Eos qui ab spiritibus immundis vexantur si in fine mortis fuerint constituti baptizari placet, si fideles fuerint dandam eis esse communionem.* Hanc antynomiam sic concordat Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 69. sect. 2. in fine*, quod prior Canon loquatur de illis energumenis, qui propter publica aliqua scelera publice à Dæmonibus vexabantur, & ab Ecclesia excommunicabãtur, iuxta illud Pauli 1. Corinth. cap.....num.. *Iudicaui tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis vt spiritus saluus sit in die Domini*; in primitiua enim Ecclesia multoties excommunicati à dæmonibus crudeliter vexabantur, vt tradit D. Thom. in 4. dist. q. 1. art. 3. q. 2. at Canon alter loquitur de Energumenis non excommunicatis.

Sed hæc concordia etsi probabilis, tamen infert violentiam Patribus Eliberitanis, qui in vtroque loco de eisdem loquuntur energumenis, nullus enim, † qui à Dæmone vexaretur ad Ecclesiam admittebatur propter
30 Dæmones, qui in illis habitabant vexationem & elisionem, ne quibuslibet pro quibus mortuus est Christus scandalum ingeretur infirmis, vt ait Gelasius Papa *epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ.* Vnde Dionysius *exiguus in sua Collectione.* Ferrandus Diaconus *in Breuiario Cano.* 149. Alba spinus *in sacris obseruationibus*, quos citat & sequitur Guibellinus *de clausur. disq. 3. cap. 2. n. 33.* Energumeni χειμαζόμενοι, id est, *hyemantes* dicebantur, eo quod subdio frigori aliisque aëris iniuriis expositi stare cogebantur, nec ingredi Ecclesiam erat illis permissum, qua dati satanæ, vt spiritus salui fierent, quasi anathematizati ibidem persistebant extra Ecclesiam expulsi. Vnde † energumeni dicun-
31 tur δόκιμον ἐνεργεῖν ab operibus dæmonum, quæ videntur, quare in Concilio Ancyrano *cap.* 16. præcipit, *quod publice & solemniter pœnitentes, qui in prima classe degunt, & extra Ecclesiam, orent inter eos, qui spiritu periclitantur in mundo.* & hoc ne Ecclesiam turparent, & cœtum fidelium inquietarent. Vnde ἔνεργημα apud Tertull. idem est, ac vis, violentia efficacia, & dæmonum vexatio circa corpora humana, quæ possidet & in hoc sensu PP. Eliberitani sumunt vox Energumeni in vtroque sexu, siue vexarentur à Dæmone quia excommunicati, siue ob occultas alias, quas Deus scit rationes, isti enim quandiu sunt vexati à Dæmone non communicabãt communione Ecclesiastica, nec intra eius commercia admittebantur, sed semper erant *Hyemantes* extra Ecclesiam, & sic illis nunquam dabatur Eucharistia, nec communicabant, nisi in fine vitæ per modũ viatici. Quare secundus Canon 37. in quo istis datur communio in fine est moderatio, seu explicatio Canonis 29. in quo prohibetur, quod arreptitij, & energumeni nomen cum oblatione, est ad altare recitandum, extra scilicet finem vitæ, in quo datur ei Eucharistia & osculum pacis.

32 Hic illis temporibus conueniens erat rigor & in posterioribus sæculis mitigata est securitas & sunt energumeni, quando non sunt furiosi & inducias aliquas dat Dæmõ conceditur absolutio à peccatis, ita & porrigitur Eucharistia, quando dæmon sinit, quod sine indecentia, aut periculo irreuerentiæ, aut vomitus sumatur, & sic Cassian. citatus, & sequutus à D. Thom. *art. 9. cit. ad* 2. dixit, *eis qui ab immundis vexantur spuiritibus communionem Sacro-Sanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.* Vnde D. S. explicat Dyonisium, *cap.* 3. *Ec-*
33 *clesiast. Hyerar. p.* 2. qui dixit, *quod* † *Energumeni ab inspectione Eucharistiæ prohibebantur*, quod loquatur de Energumenis nondum baptizatis, in quibus nondum est vis & ἐνεργεία, dæmonis extincta, quamuis etiam posset explicari, quod id prohibeatur illo tempore, in quo erat magna Energumenorum multitudo, etiamsi baptizati essent excludebantur ab Ecclesia ante cathecumenos, vt dicit Pachimera, *in paraphrasi illius capitis.*

34 Ex dictis igitur constat, † quod iuxta concilia antiqua & veritatem catholicam nunquam dabatur mortuis Eucharistia, sed viuis & morituris, dicere enim quod communio pro mortuis error est sicut dicere quod pro illis baptisma, qui enim mortuus est regenerari nequit, sicut nec nutriri potest, non enim est error sed valde magna pietas pro mortuis communionem accipere, & satisfactionem huius actus heroici illis applicare, nec hoc est debile suffragium, pro animabus purgatorij vt late ostendi contra Theophylum Raynaudum (quem satis audacter quidam suæ familiæ & societatis modernus scriptor, *totius sapientiæ compendium appellat.* O bone Deus, si hoc Epitheton datur Raynaudo, quale reseruatur Hyeronymo, Aug. Ambrosio S. Thomæ & aliis Ecclesiæ Patribus qui fuerunt lumina radiantia Ecclesiæ. Sed bene paræmia illa applicatur. *Vir delphus cum portet serta, siti exanimatur*, est enim hæc laus data Raynaudo veluti, *Aphia in ignem*, celeriter enim interiit, & absumetur dum spero, asterico, vel igne sacro notanda & expurganda) late inquam hanc veritatem contra Raynaudum ostendi tom. 2. Moral. tract. vlt. Resol. 11. cæterum ipse Raynaudus ὀιστρῷ παραπλήγης, furore correptus videns impugnationes meas suæ intercepta à iudicibus fidei, doctrinæ, libellum contra me apologeticum scripsit quem nostro P. Generali dicauit cui titulum apposuit satis ridiculum & homine docto indignum, sed vt sæpius dixi & sum protestatus libellus ad manus meas non peruenit post factam exquisitam diligentiam, vereor ne ipse diligentior extiterit Raynaudus impediens ne ad oras Hispanas aduenirem, illico tamen ac veniet absque mora respondebo, neque enim συστομωτέρος σιαφῆς, imo Raynaude, πύκνοτερον σε τὸ μώτερον σιαφῆς, reddam tibi os occlusius scapha, vt humiliatus hiscere non audeas, neque enim tutum est liberioris esse linguæ & semper in ore *Rho.* Recardum 35
& Eretriensium, qui litteram R. adamabant, quam loco S. supponebant è contra Athenienses qui apponebant pro R. litteram S. vt notat Plato *in ctylo.* Eretrienses imitatur Raynaudus, qui rumores adamabant non silentium, testis est Opothecla illa calumniarum quas olim de sanctis Patribus nostris, hæretici & calumniatores effutiebant & melius manerent sub silentio oblitæ, quam rumore publico in medium iterum traducere & in theatrum adferre. Sed diligit Raynaudus Rho Recardum & Eretriense, cum præceps sit & violentus in omnes, & non S. Atheniensium, quæ & si superiores tamen aliis Religiosores amantes silentium iniuriarum; *Vulsum & depilatum*, à te, me vocas in libelluli tui titulo sed cerre φαλακῆρον πλόκω, caluum vellis, & inanem insumis operam quam simul & oleum perdis, te depilauit sacrum Tribunal, suo decreto, ego te expurgabo & poliam existens tui expurgator & politor vt scias, quod:

Est Pylus ante Pylum si quidem est Pylus al- 36
tera sane, nec enim iactare te debes, quasi vel solus sit vel sumimus, & quod non reperiant multi qui tecum possint decertare. Hoc quidem dubio procul de te putas, dum scribis cuidam consodali tuæ S. societatis de me agens in Epistola subdata; *Lugduno.* 11. *Decembru* 1632. Quod *attinet ad Thomam Hurtado nondum illum vidi, sed nihil quidem ad me pertinet. Ego non sum hospes in huiusmodi Bambalionibus contundendis. Iam sex multaui, Barefium, Camerarium, Chiesonem, dolanum, Launayum, Goldulphum, & omnes æque dure, nemo eorum ausus est redactiuare. At videbo quiod notet, apparabo illi moretum salitum & præparatum nisi agat de martyrio, circa quod oportet me dextre agere & tempus præstolari opportunum, quamquam nec circa hoc abibit prosus impune si fo-ueam suam repererit Ericius.* Et in alia Epist. ad eundem, etiam, *è Lugduno data 16. Nouemb.* 1654. sic fatur. *Reuenio ad R. V. quæ me aliàs peramanter monuit de Thomæ Hurta-*

do

do in me petulantia, & vt pridem significaui statum ac accepi, quæ ille mouisset, curani, vt acciperet mercedem suam libellus de hoc pilloso, vurso, de pilato, pupugnit suos Italos, & minantur ab eiusdem Hurtadi calamo multa, & grauia promisi statim ac resciuero, quid ille præstiterit, fore vt intelligat me adhuc viuere. Itaque rogo R. V. ad quam puto peruenisse responsum per me vulgatum, vt si ille aliquid reponat, monear, illico enim curabo eius inscriptionem ad me transmitti, ne abeat vsque debita compensatione.

Hæc sunt exemplaria fideliter exarata ab Epistolis Theophilis quæ mihi è Mantua Carpentana remisit sua propria manu transcripta vir grauissimus, & Consiliarius Regius, cuius nomen taceo, quia mandato de silentio sum constrictus, ego vero respondeo, aspere, fateor, sed prouocatus, & lacessitus iniuste verbis contumeliosis, & vt ait D.
37 Thom. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 3. † *quandoque oportet, vt contumeliam illatam repellamus maxime propter duo. Primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet. Secundum illud Prouerb.* 26. *vers.* 4. *Responde stulto iuxta stultitiam suã, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Vnde Gregorius dicit super Ezechiel. homil.* 9. *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere ne eorum prædicationem* (doctrinam sanam typis datam) *non audiant qui audire poterunt, & ita in prauis moribus* (falsis doctrinis) *remanentes bene viuere contemnant & in solut. ad.* 2. dicit quod *contumelia oritur ex stultitia.*

Sed an in me protulerit contumeliam
38 Raynaudus quisque viderit, dum me *Bambilionem, vulsum, depilatum, quod moretum salitum, & piperatum me præparat, petulantem.* Sed ad ipsum *litteris Ephesinis rescripsi*, vt agnosceret actiuitatem meam & animositatem, vt responderem huiusmodi contumeliis vtens quidem, & doctrina S. Thomæ, & consilio Spiritus Sancti in præfato loco quem sic explicat S. Cyprianus *lib. de singularit. clerico. Tales enim non per orationem, sed per correptionem reuincendi sunt, nam aduersus huiusmodi homines Salomon edocet nos, dicens noli respondere insipienti ad ipsius insi-*
39 *pientiam, ne similis illi fias, sed respondeas incipienti contra illius insipientiam, vt non videatur sibi sapiens esse*, quod iam feci, vt vidisti in litteris meis, si tu vis eas in publicum dare, publica etiam eas quibus me lacessisti & prouocasti contumeliosè agens, quando ego in meis libris te laudo ab eruditione, à bona Latinitate à Patrum lectione, & ab aliis, quæ eximie habes, etsi damnem à nouitate parturiente semper absurda, quæ Ecclesia non sustinuit, vt es expertus, à Patrum contemtemptu, ab audacia in dicendo, & simili- 40
bus quæ ego antiquitatem venerans nequiui sufferre, quin corriperem, & damnarem vt fecit, quid ergo vociferaris, & minaris contra me *vt sciam* (vt ais) *te adhuc viuere*, viue, viue, & quid ad me quod moriaris, hoc vnum tibi promitto, quod dum respõdeam ad libellum tuum nihil asperum audies à me, nihil clamorosum, (nisi tuis dictis mei constringas) sed solum adferam ea quæ ad veritatem quam docui tuendam fuerit necessarium, & vtile. Legi enim in Cypriano in Apologetico pro Christianis ad Demetrianum. *Cum ad me studio magis contradicendi, quam voto discendi accedas, & clamosis vocibus personans malles tua ingerere quam nostra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum.* Quando facilius esset ac 41
leuius turbulenti maris concitos fluctus retundere, quam tuam rabiem tractibus coercere. Certe, & labor irritus, & nullus effectus offerre lumẽ cæco, & sermonem surdo *cum nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire possit. Hæc considerans conticebo, cum non docere indocilem possim, & furentem forsan lenitate cohibebo.* At omnino tacere non oportet, quia non verecundiæ, & modestiæ, sed diffidentiæ esset non respondere, quia dum criminationes, & rationes falsas contemnam refutare, videbitur pluribus te victoriam contra iure canere vti canis de illis sex quos mulctasse gloriaris, & quod tibi non redactiuarunt, tanquam non habentes in ore suo redargutiones, quibus te comprimerent. *Respondebo tibi, & cæteris quos tu forsitan concitasti, & aduersus nos odia tuis vocibus & libellulis seminando, comites tibi plures radicis, atque originis tuæ pullulatione fecisti, quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem nam qui ad malum motus est fallente mendacio, multo magis ad bonum mouebitur veritate cogente.* Quam in meis scriptis iuxta præscriptas regulas Patrum nostrorum semper proposui, & semper proponam, semper etiam persequar doctrinarum nouitates, vereor enim, & valde timeo, ne bellorum turbines, temporum calamitates, hæreticorum multitudinem, Regnorum scissuras, & Principum inimicitias inducat, & sẽsim introducat nouitas in docendo impune, quidquid apparet probabile, & sic Plato *lib. de legibus* 42
ait. Nec mutandos rythmos in cantionibus cultuque deorum, ne cum mutatione rythmorum Religio quoque innouaretur, sed de hoc aliàs, & modo sint satis quæ diximus Raynaudo. Iam enim ad manus meas hoc anno peruenerunt duæ Apologiæ, à quodam ficto Leodegario confectæ pro

pro Raynaudo vero earum Auctore, quibus illico responsum meritum dedi, quod de scrinio meo sublatum, existimo iam typis datum, & hæc quæ hic duo iam exarata erant.

Secundum quod notandum proposui, vt comparatio facta à D. Tho. inter eiectionem iuridicam à Religione, & excommunionem maiorem vindicetur & vindicata semper consistat, est ab effectibus quos causat eiectio, & quos causat excommunicatio maior, etenim eiectio ait bene Gui-
43 bellinus *num.* 5. *eiectio à Religione* † (ait) *quæ est præcisio quædam membri putridi quod omnem communicationem & influxum vt ita dicam, externum priuat talem eiectum omni societate religiosa & bonis omnibus communibus. Quod enim Ecclesia dicebat Ambros. lib.* 1. *officior. cap.* 29. *de Relig. dici quoque potest, Ecclesia quædam forma Iustitiæ est commune ius omnium in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Horum igitur bonorum communium distributio pendet à Religione, & ipsorum communicatio supponit vnionem quandam externã, quam expulsio omnino abscindit, eiusmodi sunt Gubernatio præsbyterorũ & ducis ad iter impeditissimum. Omnium virtutum &*
44 *perfectionis cura, quæ quanti facienda sit* † *docent Hyero. epist.* 4. *ad Rusticum.* Nissenus. *lib. de Virginit. cap.* 23. Climacus. *gradu* 25. *Bernard. serm.* 19. *&* 77. *in Cant.* Cassianus. *collat.* 16. *cap.* 11. *aliique. Bona exempla ex consortio multorum, Regularum, & Regularis disciplinæ obseruantia, communis vitæ societas, communitas orationum, ex communibus operibus opes, & auxilia multa, infinita denique præsidia ad vitam tum internam, tum externam & ad omnem virtutem incitamenta, priuilegia, indulta Religionis, dignitas, & splendor, ex corporis à quo abscinduntur dignitate florescentis, votorum religiosorum, quibus ligati manent isti eiecti commoda in quibus seruandis maxima in sæculo experiuntur difficultatem, infamia præterea laborant, habentur enim aut maximorum criminum rei, aut tanquam recoctamenta, & vomicæ quædam Religionum, ita vt infelix omnino sit eiusmodi hominum conditio.* Hactenus Guibellinus & satis bene, quæ considerantes PP. Eminentissimi Purpurati instructi ab Vrbano. 8. *in decreto de eiectis dixere, quod superiores nihil intentatum relinquant vt lucrentur animas fartrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum & extremum expulsionis remedium experiantur.*

45 Effectus vero † quos excommunicatio maior causat paucis enumerat D. Thomas *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. 2. *&* 3. dicens quod *ille qui per baptismum in Ecclesia ponitur ad duo adscribitur scilicet ad cœtum fidelium & ad sacramentorum communicationem, & hoc secundum præsupponit, primum quia in sacramentis participandis etiam fideles communicant, & ideo aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter, vno modo, ita quod separetur tantum à participatione sacramentorum, & hæc erit excommunicatio minor. Alio modo ita quod excludatur ab vtroque & sic erit excommunicatio maior: non autem potest esse tertium scilicet, quod excludatur à communione fidelium & non à participatione sacramentorum, quia fideles in sacramentis communicant, sed communicatio fidelium duplex est. Quædam in spiritualibus vt mutuæ* 46
orationes sunt vt conuentus ad sacra percipienda, quadã in corporalibus actibus legitimis, &c. Et q. 2. *Ecclesia in excommunicationis sententia diuinum Iudicium imitatur, in quantum enim etiam à communione fidelium separat, vt erubescat imitatur diuinum iudicium, quod per flagella castigat; in quantum veo suffragiis & aliis spiritualibus separat, imitatur diuinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, vt per humilitatem se ipsum cognoscens ad Deum redeat, & in sol. ad* 3. *ex hoc ipso quod aliquis* 47
suffragiis Ecclesiæ priuatur, triplex incommodum incurrit per tria quæ quis ex suffragiis Ecclesiæ consequitur, valent enim ad augmentum gratiæ eis qui non habent, vel ad merendum eis qui non habent, valent etiam ad custodiam virtutis, & quantum ad hoc dicitur, quod protectio subtrahitur, non quod omnino à Dei prouidentia excludantur, sed quod ab illa protectione qua filios Ecclesiæ custodit specialiori modo. Valent ad defendendum ab hoste, & quantum ad hoc dicitur, quod diabolo maior potestas sæuiendi in ipsum datur spiritualiter, & corporaliter. Vnde in primitiua Ecclesia quum oportebat homines per signa ad fidem inuitare sicut spiritus sancti donum visibili signo manifestabatur ita & excommunicatio corporali vexatione à diabolo innotescebat. Et quæstiunc. 3. 48
dicit, *quod per excommunicationem iudex Ecclesiasticus excludit à regno quodam modo, vnde cum non debeat excludere nisi indignos nec aliquis reddatur indignus nisi pro peccato mortali amiserit charitatem, quæ est via ad Regnum, ideo nullus excommunicari potest nisi pro peccato mortali, sed quia excommunicatio est grauissima pœnarum pœna medicinæ sunt secundum Philosophum.* 2. *Ethic cap.* 3. *sapientis autem medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium vel ante determinationem iudicij sine licentia redeundo vel determinationi non parendo, tunc enim post quam monitus si obedire contempserit contumax reputatur & excommunicari debet à iudice non habente quid contra ipsum faciat amplius.*

Ex qua solida & vera doctrina plura notatione

tatione dignissima ad præsens institutum deduco, primum est, quod † excommunicatus & anathematizatus quandiu fidelis est nec amisit habitum fidei catholicæ, ita eiicitur ab Ecclesia, quod non maneat Ecclesiæ membrum etsi informe & ab aliis separatũ per excõmunicationis, & anathematis sententiam, imo aliquãdo possit esse mẽbrum corporis Christi mystici charitate formatum, si per veram contritionem gratiæ sanctificanti restituatur, antequam reconcilietur Ecclesiæ, & illi restituatur Communio in sacramentis, & commercio fidelium & pari modo, qui eiicitur à Religione cum verus & proprius exiterit Religiosus solemniter professus verum manet Religionis membrum tribus votis substantialibus vel quatuor aliisve præceptis obligantibus ad mortale ligatus, & si sit membrum leprosum separatum ne aliis contagium communicet, non secus ac excommunicatus laicus manet omnibus præceptis Christianitatis quam solemniter professus est in baptismo, ex vi cuius etiam hæretici & si veram fidem non habeant, si tamen habeant verum baptisma non excluduntur à ratione membri Christi, quam tenentur conseruare ex vi baptismi, ratione cuius ad duo adscribitur ad cœtum fidelium & ad sacramentorum communionem, ad quæ duo quibus obligatur ex vi baptismi, & professionis Christianitatis in eo factæ, obseruanda obligari possunt ab Ecclesia, & de facto obligantur ab inquisitoribus fidei qui vsque ad ignis pœnam hæreticos cogunt credere, quod semel in baptismo credere promisere, ad cœtum fidelium & sacramenta communicanda.

50 Vnde † hæretici & si rationem membri Christi habeant ratione Christi, sed longe remotiorem, & magis lamentabilem quam fideles Catholici excommunicati, isti enim non sunt extra Ecclesiam Catholici constituti, sicut hæretici cum in excommunicato Catholico vera fides quæ est radix & principium iustificationis similiter & spes infusa theologica, quibus etsi informibus manent insigniti. Pari ratione maius damnum patiuntur illi veri religiosi, qui per dimissionem & eiectionem à commercio & societate religiosa ita dimitturtur & eiiciuntur, quod totaliter & radicaliter amittant religiositatem, neque ad illam quam amiserunt habeant regressum quia radix huius regressus scilicet totaliter est præcisa & ab illa manent absoluti & liberi & facti vere laici & omnino sæculares, quod magnum damnum non habent eiecti à religione, in quibus manet vera religiositas sicut manent tria vota solemnia, ratione quorum tenetur vitam mutare, vt ad religionem à qua est eiectus & dimissus regrediatur, sicut excommunicatus tenetur curare absolutionem & reconciliationem cum Ecclesia, vt iterum recipiatur intra fidelium cœtum.

Secundum quod † infero est contra Gui- 51
bellinum *vbi supra num.* 3. quod excommunicatus iuste, maxime si denuntiatus sit, & si ante reconciliationem, & absolutionem per contritionem gratiam acquirat, & charitatem sitque viuum & formatum Christi membrum, & sic à Christo capite influxum accipiat, Christus enim tanquam vitis vera influit in palmites sibi vnitos charitate quæ est vinculum quo vnimur cum Christo, non tamen communicat in suffragiis, & bonis spiritualibus, quæ Ecclesia facit pro fidelium cœtu, in sacrificiis, orationibus communibus, in communione sacramentorum, à quibus omnibus publice iuste excommunicatus per sententiam excommunicationis est priuatus; quare sicut antequam reconcilietur & absoluatur incapax cuiuscumque beneficij aut officij Ecclesiastici, omni iurisdictionis & vsus clauium, erunt enim omnia ista inualida, rursus non potest quis in sacrificiis & orationibus publicis memoriam facere excommunicati huiusmodi, incapax enim est quod illi nomine
Ecclesiæ sacrificium, aut oratio publica ap- 52
plicetur, cuius ratio euidens est, quia sacrificium & oratio non habet efficaciam, nisi ex intentione offerentis, & orantis, atque Ecclesia expresse reiicit à sacrificio & oratione sua excommunicatos, & sic non habet intentionem pro illis orandi aut offerendi sacrificium, imo ipsos legibus suis excludit, ergo bona illa spiritualia & interna quæ fidelibus obueniunt ex Ecclesiæ suffragiis, nullatenus acquirunt iuste excommunicati, antequam absoluantur & reconcilientur, quamuis si in gratia sint & charitate communicent in bonis spiritualibus, quæ habent cætera membra propter articulum fidei, *quæ est sanctorum Communio* quatenus in charitate vniuntur & sunt particulares personæ, non tamen participant in suffragiis Ecclesiæ, quatenus est visibilis sub vno capite Pontifice Romano.

Tertium est quam apta fuerit comparatio quam fecit S. D. inter eiectionem à religione & excommunicationem maiorem à 53
quo eam accepit implicite eam docens sacra Congregatio Cardinalium in decreto Vrbano de eiectis. Tum quia † *excommunicatio est maxima pœna medicinalis, eiectio maximum & extremum remedium*, excommunicatio non fertur nisi ob contumaciam, eiectio non nisi ob animum induratum in sua peruicacia. Excommunicatio non fertur nisi in illum contra quem non restat aliquod

aliquod aliud medicamentum, vt sanetur, eiectio antequam fiat, & applicetur hoc grauissimum, & extremum expulsionis remedium, nihil intentatum debent relinquere superiores, vt animas fratrum lucrentur, vltimo excommunicatio priuat omnibus illis communionibus, quas supra
54 enumerauí ex Tertull ex Cypriano † eiectio priuat omnibus illis bonis & inducit omnia illa damna, quæ suprà enumerauí ex Guibellino, quare cum hæc non inducat depositio, & exauthoratio, & degradatio, quæ non sũt vltimum, & extremũ remedium & grauissima pœnarum Ecclesiasticarum, non video qua ratione motus dixerit Guibellinus. *Mihi potiori iure cum Clericorum depositione, siue exauctoratione, & degradatione conferri posse videtur.*

RESOLVT. vlt.

Vtrum Regulares possint tradi curia sæculari à suis superioribus ob enormia delicta.

SVMMARIVM.

1. *Prælati Regularis potestas coërciua ad infligendas pœnas corporales non extenditur ad pœnam mortis naturalis & sanguinis effusionem.*
2. *Summus Pontifex Cœlestinus formam ponit, quam iure ordinario obseruare debent iudices Ecclesiastici ad effectum, vt clericus, siue sæcularis, siue regularis possit per curiam laicam iudicari.*
3. *Patris Suarez sententia adducitur, & numer.* 12.
4. *Incorrigibilitas & contumacia debet à iudice non sæculari, sed Ecclesiastico declarari, & n.* 5.
6. *An Prælati Regulares possint ex dominatiua potestate ex iurisdictione quam acquirunt ex vi professionis solemnis in Religiosum, ipsum ob delicta enormia tradere curiæ sæculari puniendum, & numer.* 7.
8. *Authoris iudicium propalatur, & numero* 9.
10. *Abbatis sensus adducitur.*
11. *Quid sit traditio facta à iudice Ecclesiastico curiæ sæculari.*
13. *Regulares habent leges suas à Summis Pontificibus confirmatas.*
14. *Iudices Regulares neque ad mortem, neque ad degradationẽ realem neque ad traditionem curiæ subditos suos non damnent, ob quodcumque delictum.*
15. *An Episcopus habeat à iure potestatem degradandi quemcumque Clericum reali degradatione, & n.* 16.
17. *Pij V. sensus affertur.*
18. *Rei siue sæculares Ecclesiastici; siue regulares quibus tradendi.*
19. *In quibus casibus curiæ sæculari possint tradi Rei.*

CERTVM debet esse, quod † Prælati 1
Regularis potestas coërciua ad infligendas pœnas corporales non extenditur ad pœnam mortis naturalis & sanguinis effusionem, *cap. cum non ab homine* 10. *de iudiciis.* vbi Cœlestinus III. statuit, quod postquam Clericus eo deuenit in malorum profundum, & Ecclesia vsa fuerit pœnis, & medicinis sibi proportionatis propter vsus adhuc sit & incorrigibilis, cum tunc non habeat vltra, quod faciat Regum & Principum imperio ciuili opus est, & eorum curiæ sæculari tradendus, vt bene explicat hunc textum Francisc. Molin. *de brachio sæculari cap.* 18. *n.* 71.

Vnum aduerto, quod † Summus Ponti- 2
fex Cœlestinus formam ponit, quam iure obseruare debent iudices Ecclesiastici ad effectum, vt clericus, siue sæcularis, siue regularis possit per curiam laicam iudicari, & comprimi secundum leges ciuiles; & laicas, quæ forma talis est, quod clericus in graui & enormi crimine deprehensus, depositus sit, deinde propter contumaciam excommunicandus postea, anathematizatus, etsi adhuc in sua contumacia obduratus perseuerauerit, etiamsi non sit secuta expressa per iudicem competentem Ecclesiasticum curiæ sæculari traditione, poterit talis clericus obseruata præfata forma per curiam sæcularem comprimi, coerceri, puniri, pœna ordinaria imposita tali delicto à legibus ciuilibus. Ita Couarr. *lib. practicarum capit.* 32. *numer.* 2. *versic. secundo est notandum.* Clarus Alexandr. §. *final. quæst.* 36. *versic. sed quæritur numer.* 34. Cassaneus *super consuetudines Burgundiæ folio* 51. *numer.* 66. Papo. *libro primo titulo sexto. Arresto quinto.* Humada *titulo quinto part.* 1. *leg.* 65. *glossa* 8. *numero septimo.* Menochius *de arbitr. casu* 415. *n. vlt.* addens, quod ex hoc textu data ficta ex iuris fictione degradatio & traditio implicita curiæ sæculari. Aldrete *lib.* 2. *de disciplina cap.* 25. *à num.* 12. & alij quos citat, & sequitur Barbosa *de potestat. Episcopi allegat.* 110. *à numer.* 14. Belletus *disquisit. cleric. part.* 1. *tit. de fauore cleric.* §. 6. Carolus de Grassis *de effectibus clericatus effectu* 1. *à num.* 798. Si-

gismundus Scaccia *lib.1. de iudiciis cap.11. à num.62.*

Quam sententiam videtur sequi † Pater
3 Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap. 10. numer. 2.* Quatenus approbat sententiam Cassanei *de consuetudine Burgunda*, quæ circa hoc obseruatur, quod non requiratur positiua traditio curiæ sæculari, sed solum permissiua auferendo impedimentum habitus Religionis, & immunitatis Ecclesiasticæ, *non tamen* (ait) *potest puniri propter crimina commissa in Religione quia commissa sũt in diuerso foro, & territorio, & iã religiosus propter illa est punitus eiectione iuridica à religione, si tamẽ iste eiectus à religione non portet nec regularem nec clericalẽ habitum, nec seruet obedientiã Episcopo, sed in habitu sæculari negotia exerceat, aut militiã, & committat crimina digna morte poterit iudex sæcularis illam impingere, quia eiectus si ordinatus non sit ordinibus sacris priuatus est omni immunitate Ecclesiastica si habitum Ecclesiasticum, & subiectionem ad Episcopum non habeat.* Iuxta decretum Vrbani VIII. *de eiiciendis.*

Sed ego existimo duo. Primum, quod
4 † incorrigibilitas ista, & contumacia debet à iudice non sæculari, sed Ecclesiastico declarari, & quod seruata sit in omnibus forma Cœlestina, & quod fecerit iudex Ecclesiasticus omnia in illa præscripta, & quod non habeat vltra quid faciat. Ita tenent Felinus *cap. cum non ab homine citat numero decimo*, dicens quod ita colligitur ex omnibus dictis Doctorum sequitur Bernardus Diaz *in praxi capite centesimo trigesimo primo* Bossius *tit. de foro competenti numero centesimo trigesimo secundo*, colligitur ex præfati textus glossa in casus formatione, ratio est (me quidem iudice) satis efficax, quia hic agitur de spoliatione priuilegij clericalis, tam fori quam canonis, ergo nisi iuridice constet seruatam formam, quam præscribit, Pontifex nunquam censetur spoliatus priuilegio, nec iudex laicus acquirit iurisdictionem in clericum, aut religiosum, quia religiosus iste est in possessione sui priuilegij, à qua iuridice non excluditur, nisi iuridice constet de obseruatione formæ requisitæ.

5 Existimo secundum, quod † obseruata forma, & de hoc iuridice constet, vt iudex procedat sæcularis laicus non requiritur actualis traditio illius curiæ, & iurisdictioni, sed eo ipso quod iudici laico constet iuridice obseruatam esse formam cœlestinam, Religiosus aut clericus sæcularis potest ipsum comprimere ita quod deputetur ei exilium vel alia legitima pœna inferatur, id clare colligatur ex textu in quo post anathematis mucronem, *si in profundum vitiens malorum contempserit, cum Ecclesia non habeat vltra quid faciat per sæcularem comprimendus est potestatem*, ait Papa quare post anathema non dicit esse necessarium, quod tradatur expresse curiæ sæculari, sed si contempserit anathema, & in crimen nouum incidat pœna mortis dignum existens extra religionem sine habitu, & subiectione ad Episcopum potest puniri à iudice laico, & hanc iudico veram intelligentiam huius textus, & consuetudinis Burgundæ, & Parlamenti Parisiensis, quod adducit Clarus *vbi supra.*

Hoc prælibato duo sunt examinanda. Primum † an Prælati Regulares possint ex 6
dominatiua potestate, & iurisdictione quam acquirunt ex vi professionis solemnis in Religiosum, ipsum ob delicta enormia tradere curiæ sæculari puniendum ob delictum in Religione, aut extra commissum Pellizarius *in Manuali tractat. septimo cap. quinto sectio. quarta à numero centesimo sexagesimo quinto*, affirmat id posse non secus ac Episcopi possunt clericos ob delicta grauia eos degradare realiter, & tradere brachio sæculari, vt iudex laicus eos iudicet iuxta leges ciuiles pœnam talium criminum corporalem designantes, ad quam nec Episcopus nec Prælatus Regularis concurrunt eam dictando, aut ad eam inducendo, sed solum eos degradando, ad quod indirecte sequitur, quod iudex laicus possit illos capere, iudicare, & sententia capitali, aut mortis naturalis condemnando, vnde Portellius *in dubiis verbo Prælatus numero decimo*, dicit quod Prælatus regularis potest subditum tradere brachio sæculari, prius tamen degradatum per Episcopum, & Suarez *vbi supra numero primo.* Videtur clare sententiam 7
Pellizarij sequutus quam probat Pellizarius ex Bulla Pij quintij Bullarum huius Pontificis 63. in qua Papa Generali Minimorum concedit pro tota Religione, & Prouincialibus pro sua, Prouincia plenum ius liberámque auctoritatem, ac in spiritualibus, & temporalibus iurisdictionem omnimodam, quo priuilegio gaudent Regulares omnes per participationem, vt existimat Pellizarius ex quo clare sequitur, quod possint reũ subditum tradere brachio sæculari absque incursione irregularitatis, ob defectum lenitatis ad quam requiritur quod directe inferatur mors per sententiam aut actum ad illam per se ordinatum, quam sententiam dicit se consuluisse cum viris sane doctis qui eam approbarunt.

Sed ego † in contraria sententia semper 8
steti, & semper stabo quam paucis abhinc diebus consului Religioni cuidam, existimo enim quod ex vi professionis solemnis, nec Pontifex acquirit iuxta regularem obseuantiam ius, aut dominatiuam potestatem, vt religiosus realiter degradetur, & tradatur brachio sæculari, vt puniatur secundum leges ciuiles pœna mortis naturalis, quamuis aliàs Pontifex tanquam Supremus Ecclesiæ Gubernator, & Rector visibilis id possit facere, tamen non tanquam Superior Regularis ex vi professionis solemnis; quare multo minus id poterunt alij Prælati inferiores, vt late confirmat Sanctorius à Melphi. *p. 1. de pœnis cap.8. à pagina* 374. qui id probat, qui aliàs incurreret irregularitatem ex defectu lenitatis cum tradat reum iudici laico, vt ipsum puniat pœna sanguinis iuxta leges ciuiles, & quamuis ait fiat protestatio, & deprecatio, vt cum eo misericorditer se gerat, hæc tamen potius est illusio quam cautela, cum ob vnicum solum, & præcipuum finem tradatur reus curiæ sæculari, vt ipsum occidat, & mutilet, alias nunquam tradendus, vnde non possunt iudices sæculares non occidere, & igni tradere eos quos DD. Inquisitores ipsis tradunt ad comburendum ad quod possunt cogere per censuras, vt tradit Ignatius Lopez *in additionibus ad c.* 144. *Bernard. Diaz vers. nisi in crimine hæresis.* Itaque firmissime traditur, vt moriatur, ad quid ergo (ait) inanes preces interponere.

Verumenimvero, hæc ratio mihi non arridet, & motiuum summe displicet, cum
9 preces quas Summus Pontifex mandat fieri *cap. audiuimus de verbo. significat.* & DD. Inquisitores faciunt dum suos reos comburendos brachio tradunt sæculari, non illusio, aut inanes preces sunt, sed vere iuridice ex animo iudicis Ecclesiastici dimanant ad denotandum, quod Ecclesia non tractat causam sanguinis, nec punit pœna mortis, aut mutilationis, quia de hoc tractant leges ciuiles, quibus Ecclesia nec regitur, nec gubernatur, nec earum pœnas infligit, sed solum Ecclesiasticas, & canonicas, vel degradando realiter clericos, qua degradatione posita iudex laicus acquirit iurisdictionem in reum, & tenetur in conscientia dare pœnam, quam leges ciuiles imponant tali crimine, vel declarando delictum contra Maiestatem diuinam, qua declaratione iuridica stante tenetur etiam iudex laicus ignis pœnam exequi in reum, & sententiam huiusmodi proferre in qua Ecclesia non se intromittit iuridice, quod
10 eleganter expressit † Abbas *in cap. cum cum non ab homine citat. numer.* 9. ibi. *Nota, quod postquam Clericus suis demeritis exigentibus efficitur de foro sæculari, pœna non est imponenda ad voluntatem Ecclesiæ, sed prout videbitur iudici sæculari, & ad hanc Ecclesiæ intentionem manifestandam fiunt preces*, à DD. Inquisitoribus, fit protestatio à iudice Ecclesiastico, quare dicere, quod talis protestatio est illusio, & preces inanes non vacat temeritate. Vnde † traditio facta à iudice Ecclesiastico 11
curiæ sæculari nihil aliud est quam, quod iudex Ecclesiasticus abdicat à se iurisdictionem, quam habet in reum, qui eo ipso subditur Iurisdictioni laicæ, quæ in illum fert sententiam sanguinis, aut ignis. Verum est etiam quod iudex Ecclesiasticus potest censuris cogere iudici laico, quod satisfaciat suæ obligationi, qua tenetur ferre sententiam, & imponere pœnam quam leges ciuiles imponunt, cæterum hoc non est directe dare sententiam sanguinis aut ad illam inducere, sed intendunt DD. Inquisitores, quod iudex laicus suo officio satisfaciat, & igni tradat reum iuxta leges ciuiles, ex quo sequitur quod occidatur, & comburatur; sed hoc respectu DD. Inquisitorum, & alterius iudicis Ecclesiastici est per accidens, & extra suam sphæram, & iurisdictionem quæ non diuagatur ad sententiam sanguinis nec lex Ecclesiæ, iuxta quam iudicat, illam mortem respicit; quamuis respiciat, quod iudex laicus non peccet non iudicando iuxta leges ciuiles.

Igitur aliter probanda est nostra sententia. Primò, quia vt ait egregie Pater Suarez *vbi supra* † (etsi minus consequen- 12
ter ad ea quæ *in principio capitis* 10. dixerat) *si Prælatus consideretur, quod est Clericus, quod iurisdictionem Ecclesiastlcam administrat non potest ita Religiosum priuare immunitate, vt illum tradat brachio sæculari, nisi hoc ei speciali priuilegio concessum sit aut speciali Bulla Pontificia determinatum. Ratio est* (inquit) *quia hæc immunitas concedit Religioso, non tantum, vt clericus est, sed etiam, vt est religiosus in fauorem non priuatæ personæ, sed Religionis, & ideo non potest Prælatus priuare Religionem hoc fauore propter peccatum priuatæ personæ, nisi hoc ei specialiter concedatur sicut non potest priuata renuntiare priuilegio in fauorem communitatis concesso cui per talem renuntiationem præiudicium fit, & ob hanc causam existimo Prælatos Religionum nunquam habere hanc potestatem, quia nunquam est eis specialiter concessa neque expedit, quod ea vtantur propter decentiam, & honorem Religionis.* Hactenus vir prudentissimus pariterque sapientissimus, quem male pro se citat Pellizarius, hæc tamen ratio rem euincit iuxta notata per DD. *cap. si diligenti. de foro competent.*

Secundò, probatur ex sententia Ema-
nuelis

nuelis Rodriguez *tom.1.quæst.30.art.28.* cuius fundamentum sic bene premit Sanctorius, *vbi suprà*.quia † Regulares habent suas
13 leges à summis Pontificibus confirmatas secundum, quas suos subditos punire debent, & inde egredi non possunt, vt rectè scripsit Rodriguez *vbi suprà* dicens.Idem dicendum est de Monacho propter aliquod graue delictum conuicto, & ad mortem condemnato à iudicibus sæcularibus auctoritatē Apostolicam ad id habentibus, dixi à iudicibus regularibus, nam à iudicibus Regularibus suæ Religionis nunquam ad mortem condemnatur iuxta caput *cum nom ab homine de iudiciis*. Nauarrus *in cap.nullam 18.quæst.2.* Duarenus *lib.2.de sacra Ecclesi. myster.cap.3.*Clarus *§.final.q.70.*leges autem Regularium confirmatæ à Summis Pontificibus,per quas debent declarari leges posteriores,nisi istæ illas expresè derogēt, *leg. filiusfamilias, ff.de actio. & obligatio. leg.1. ff.ad Macedon.leg.iuris gentium.§.si paciscar, ff.de pactis.* & tradunt vtriusque iuris Doctores) dicunt, quod † iudices Regulares,
14 neque ad mortem, neque ad degradationē realem, neque ad traditionem curiæ suos subditos non damnent, ob quodcumquē delictum, ergo ex vi professionis Regulæ non habet superior potestatem tradendi subditos suos brachio sæculari,sed aliis pœnis, exilio, carcere, triremio puniendos esse ex vi Regulæ, etsi contumax fuerit exclusione à Religione, & quidem cum praxis & stylus omnium Religionum, tam Monachalium, quàm Mendicantium vtriusque sexus, ita seruet neque hac potestate vsus fuerit aliquis superior Regularis signum est manifestum illam non habere sicut, nec habet ad sententiam sanguinis.

Ex quibus liquet,quam futilia sint argumenta Pellizarij, ad primum respondetur,
15 quia † Episcopus habet à iure potestatem degradandi quemcumque clericum reali degradatione, *cap.si quis 15.quæst.7. cap. miramur de seruis non ordinand.* Concil. Trid. *sess.13.cap.4.de reform.* eo autem ipso, quod quis realiter degradetur, iam traditus est brachio sæculari, *cap.cum non ab homine cit.* & suprà id probaui, at superior Regularis etiamsi Generalis, sit aut Capitulum generale non habet potestatem degradandi realiter, nec tradendi subditum, vt degradetur, & sic est diuersa ratio, iudex enim Regularis iuxta leges suæ Regulæ sententiam debet proferre, & non aliter, quare non dubito, quod si Prælatus Regularis traddat, subditum, vt degradetur peccat mortaliter, & tenetur famam, & ordinum exercitium restituere, etsi ex degradatione sequatur mors naturalis, aut mutilatio manet irregularis ex delicto, & non solum ob defectum lenitatis.

Ad secundum respondetur, quod illud priuilegium concessum Generali Minimorum, inaniter ad propositum trahitur, quia plenum illud ius, liberaque auctoritas, & omnimoda iurisdictio, tam in spiritualibus, quam temporalibus intelligitur iuxta Regulas, statuta, & constitutiones, iuxta quas nullo modo est concessa auctoritas Regularibus Prælatis, vt tradant subditos brachio sæculari,aut degradandi,vt tradantur.

Sed modo restat videndum, cum Summi Pontifices suis Bullis in multis casibus 16
dicant, quod Regulares tradantur curiæ & brachio sæculari, & hæc traditio debeat fieri à iudice Ecclesiastico, quis erit iudex iste. Et quidem Episcopus, & iudex Ecclesiasticus sæcularis ad degradationem, & traditionem curiæ laicæ nisi in casibus à iure Canonico expressis in quibus Summus Pontifex, vel consuetudo vniuersalis Ecclesiæ eam potestatem tradunt, vt Clericos ob specialia crimina priuilegiis Clericalibus fori & Canonis priuent ob hæresim, *cap. ad abolendum §.præsenti, & cap.1. de hæreticis in 6.* ob falsificationem Litterarum Apostolicarum, *cap. ad falsariorum de crimine falsi*, ob insidias contra proprium Episcopum, *cap. si quis sacerdotum 11.quæst.1.* ob assassinum, *cap.1. de homicidio in 6.* ob
17 crimen nefandum. Ita † Pius quintus duabus Constitutionibus prima, quæ incipit *cum primum, & est.5.* huius Pontificis edita *ann.1566.* Secunda, quæ incipit. *Horrendum, edita ann.1568*, illa comprehendit laicos, ista Ecclesiasticas personas, sed in vtriusque sexus, sed viros dumtaxat non fœminas Moniales cum sit lex pœnalis, & solum comprehendit sexum, quem legislator expressit, sicut est valde probabile, quod ante Bullam Gregor. X V. *contra sollicitantes*, qui solicitabat in confessione virum ad turpia, non comprehendebatur pœnis contra sollicitantes, quia Bullæ priorum Pontificum solum loquebantur de sollicitantibus fœminas, ob crimen celebrationis missæ, vel audiendi Sacramentalem confessionem, ante sacerdotium, ita Clemens VIII. Bulla, quæ incipit *etsi aliàs* edita *anno millesimo sexagesimo centesimo primo.* ob delictum fabricationis, tonsionis, aut adulterationis monetæ aureæ, vel argenteæ. Ita Vrbanus VIII. Bulla, quæ incipit *in suprema* edita *anno millesimo sexcentesimo vigesimo - septimo.* ob

ob abortum fœtus animati Sixtus V. constit.quæ incipit *effrænatam* edita *anno 1588.* quam non moderauit quantum ad hoc Gregor. XIV. Bulla quæ incipit *Sedes Apostolica* edita *anno 1591.* Vnde sacra Congregatio Concilij die 3.*Decembris 1632.* declarauit,quod abortum fœtus animati malis medicamentis procurantes, non gaudent immunitate Ecclesiastica ob crimen solicitationis in confessione, aut confessionario simulantes audire confessionem, si delicti grauitas petat, possunt tradi curiæ sæculari.

18 Harum traditionum, siue rei sint sæculares Ecclesiastici, siue sint regulares, qui tradendi sunt, non sunt iudices Regulares, nihil enim tale exprimitur in præfatis Bullis, sed vel est Summus Pontifex,Episcopus, Legatus à latere, Nuntius Apostolicus DD. Inquisitores, vel alij quibus in præfatis textibus & bullis hæc potestas delegatur à Summo Pastore Vicario Christi,in illis autem nullatenus delegatur iudicibus Regularibus, & sic ex vi suarum Regularum nequeunt subditos suos ob præfata crimina tradere curiæ sæculari, aut realiter degradare,ita vt priuentur priuilegiis,immunitatis, & exemptionis ab omni alio præterquā suis Prælatis & Summis Pontificibus. Vnde nisi habeant priuilegium Pontificis in quo expresè eis facultas concedatur, vt tradant subditos suos curiæ sæculari,eos nullatenus tradere possunt, ast non scio alicui Religioni tale priuilegium fuisse concessum. Imò DD. Episcopi, aut Apostolici Nuntij, aut DD. Inquisitores possunt tradere reos curiæ nisi in his casibus, quos adduximus, quia nequeunt clericos priuare, nisi in expressis priuilegiis clericorum, quæ primo respiciunt statum quam personas. Vnde nullus nisi Pontifex potest eos illis priuare.

Addo,id quod valdè notandum est,quod † cum DD. Episcopi & DD. Inquisitores 19
Apostolici non possint tradere reos Curiæ sæculari puniendos, nisi in casibus sibi concessis à Summo Pontifice, eo ipso, quod concedit, quod in illis fiat traditio curiæ sæculari, vt ferat sententiam sanguinis, aut mutilationis, concedit etiam libertatem, vt absque defectu lenitatis, & irregularitatis, quæ ex eo contrahi potest non cōtrahatur, etsi enim intendant DD. Inquisitores, imo & Pontifices, dum tradunt curiæ sæculari reum, vt occidatur iuxta qualitatem criminis, tamen sicut in Pontifice non est defectus lenitatis, ita neque in DD. Inquisitoribus, qui operantur, & tradunt curiæ in virtute sibi deriuata ex speciali delegatione Pontificia, ex hac doctrina, quam veram existimo plura valde notabilia, circa irregularitatem ob defectum lenitatis in testibus, & aduocatis alibi inferam contra Dianam *p.4. tract.a. à Resol.31. & seqq.* & hæc de hoc tomo dicta sufficiant, cui finem imposui ann.1655. die 8. Octobris ætatis meæ 69.in peruigilio S.Dyonisij Areopagitæ huius Nostræ domus Hispalensis Patroni, in cuius octaua posita est prima firma Petra templi Magnifici ab Illustrissimo D. D. Fr. Petro de Iapia Archiepiscopo huius Diœcesis,instante vigilantissimo pariter & prudentissimo P.Iacobo de Vrra Præposito eius Domus, quidquid in hoc tom.dixerim subiicio censuræ S.R.E.& DD.Censorum fidei cui si quid dissonum,vel bonis moribus dissentaneum reuoco; & abiuro, protestans meam intentionem non esse alicui particulari, aut communitati offendere,vel iniuriare.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS,

Bullarum Apostolicarum, & Decisionum Sacræ Rotæ Romanæ.

VM in his tomis de sacra residentia plures inducantur Bullæ Apostolicæ, & Sacræ Romanæ Rotæ decisiones, quas legere lectores desiderabunt, placuit huius tomi secundi Librum sextum, ex multis compaginare in gratiam lectorum, dixi ex multis, quia omnes transcribere erat magnam grossitiem operi accrescere.

BVLLÆ APOSTOLICÆ.

Ne fratres reformati discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum Hispaniæ, post emissam professionem sub quouis prætextu transeant ad alios quoscumque ordines, etiam Fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula, excepto Carthusianorum Ordine.

Vide quæ tibi indicabo, ad const. seq. cum sicut.

Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

COMMISSI nobis per abundantiam diuinæ gratiæ pastoralis officij debitum postulat, vt ad ea mentis nostræ aciem sedulo, intendamus per quæ regulares ordines in Ecclesia Dei militantes feliciortbus in dies proficiat incrementis.

§. I. Aliàs siquidem fel.rec. Paulus Papa V. prædocessor noster, prospero fratrum ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum discalceatorum reformatorum, nuncupatorum Congregationis Hispaniarum regimini consulere volens, inter alia statuit, & ordinauit, quod nullus omnino, tam fratrum, quàm donatorum dictæ Congregationis, post emissam in ea professionem huiusmodi, absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentia, certam tunc expressam mentionem faciẽte ad moderatos, seu mitigatos, vel alios fratres, tam Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum huiusmodi, quam aliorum quorumuis ordinum Congregationũ, & Religionum, etiam emissionis quarti voti, aut alio quocumque prætextu (Carthusianorum ordine dumtaxat excepto) transire, seu se transferre, aut alios à dicta Congregatione se subtrahere, seu ex ea exire valeret: & aliàs prout in ipsis, Pauli prædecessoris in simili forma breuis, sub die 18. Augusti 1611. expeditis litteris, quarum tenoris præsentibus, pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. II. Hinc autem nos maiori eorundem fratrum quiete, & augmento feliciorique directioni per amplius consulere volẽtes supplicationibus dilecti filij Procuratoris Gen. eiusdem Congreg. nomine nouis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cætero nullus fratrum prædictorũ post emissam indicta Congreg. professionem, vt præfertur & absque Rom. Pontif. licentia, prædicta ad alium quemcumque ordinem mendicantium, & non mendicantium Monachorum, seu discalciatorum, aut aliorum, quorumcũque Religionum, tam erectarum, quàm erigendarum, etiam emissionis quarti voti, seu perfectionis, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris Regulæ, seu obseruantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iuxta, & probabili, aut legitima causa sui Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ sententiæ, pœna se transferre audeat, seu præsumat excepto dumtaxat ordine Carthusianorum, vt præfertur, quatenus ad illum transeundi licentiam à suis superioribus petierint, & obtinuerint.

§. III. Et quicumque secus fecerit, cum primum desuper monitus fuerit, nulla mora, aut excusatione, & quacumque appellatione, etiam ad nos, seu sedem Apostolicam interpositis, ad suam propriam Congreg. redire, & superiorum suorum correctioni se submittere omnino teneatur.

§. IV. Prælati vero dictam Congreg. ac aliorum ordinum, & religionum huiusmodi ipsos sint translatos, seu fugitiuos, Apostatas minime retinere, sed eos, etiamsi nouã probatione nouam professionem regularẽ emiserint sub priuatione suorum officiorum, ac similis excommunicationis pœnis, suis superioribus, vel ab ei deputandis id requirentibus, & petendis statim, absque indiciis ministerio tradere, & consignare debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

§. V. Decernentes sic, & non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inani, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. VI. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris concessa sunt non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.

§. VII. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarij publici scriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Eccles. constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostentæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 9. Augusti 1624. Pontificatus nostri anno 2.

De

De Regularibus Apostatis, & eiectis ac de innouatione, & obseruantia Generalium decretorum à Clem. VIII. ad Regularium reformationem, Nouitiorúmque receptionem spectantium editorum.

Ista Clem. VIII. decreta sunt hic inserta; licet non nulla etiam habeas in Clement. VIII. constitut. 60. nullus suprà t. 3. pag. 60. *tamen quia non omnia, & hic innouantur, & ideo ponenda censui.*

Quoad Apostatas, & extra claustra Religionum vagantes, edita olim fuit à Paulo IV. *constitut. 4. suprà tom. 1.* quæ tamen, (vt ibi notaui) ad terminos iuris reducta fuit.

Decreta S. Congregationis Concilij de Regularibus Apostatis, & eiectis.

SACRA congregatio Cardinalium Cõcilij Tridentini, interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illorumque scandala summouere, & succrescentem numerum frangere operi pretium existimans auditis religionum superioribus, reque diligentissime perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque peculiari Sanctitatis suæ facultate infra scripta decreta edidit.

§. I. Ac primo vt infecta semina è quibus praui eiusmodi fructus potissimum prodent deinceps ne serantur in vinea Domini censuit, esse innouandas, & Sanctissimi auctoritate innouat, constitutiones, & decreta generalia sanct mem. Clementis VIII. ad regularium reformationem, ac nouitiorum receptionem, professionem atque institutionem spectantia directéque præcipit Generalibus atque aliis omnibus ordinũ superioribus, vt illa exacte obseruent, atque, vt obseruentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem constitutionibus.

§. II. A qnibus tamen excipiendum censuit, caput illud quo decernitur ne in conuentibus seu monasteriis ad nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis, nouitij adhibitum vllatenus recipi possint, nisi prius à congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum ordinaris expresse, & nominatim approbati fuerint, à cuius quidem decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit, Regulares esse absoluendos prout auctoritate Sanctissimi Domini nostri absoluit atque exemit.

§. III. Deinde vt Apostatandi opportunitas Regularibus præcipiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis recta se transferat ad arctiorem, quod vt re ipsa adimpleatur idem Superior omni studio, at diligentia inuigilet.

§. IV. Rursus statuit, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum Regularem deferat, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt in carceres coniici, ac superioribus Regularibus consignari. Secundum Regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere vt apprehendantur, saluatamen in omnibus facultate ordinariis locorum attributa Decreto Concil. *cap. 3. sess. 6.*

§. V. Quod si Apostatæ huiusmodi citra mõtes intra quatuor, vltra montes vero infra octo menses à præsentis decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum aut infligendarum, remissionem atque impunitatẽ assequantur, ita tamẽ, vt debeãt à superiore absolutionem humiliter petere, coram eo culpam fateri atque emendationem polliceri. Superior vero è contra benigne illos teneatur, ab huiusmodi pœnis absoluere à paterna charitate complecti.

§. VI. Ad hæc, vt imposterum à Religionibus nullus legitime professus eiici possit, nisi si vere incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscumque Religionis, & ordinis etiam à sede Apostolica approbatis, & confirmatis, verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus, proindeque Religio priuatos habeat carceres in qua licet saltem Prouincia elapso saltem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo induratos in sua pertinacia

tinacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipsomet generali tantum de Concilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis capitulis vel Congregationibus Generalibus; tumq; non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque, ad primum generale capitulum seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à generali cum Concilio, & assensu sex patrum, vt supra quos idemmet Generalis eligere debeat intra quatuor menses à præsentis decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superius præscripta.

§. VII. Sic vero eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur.

§. VIII. Cæterum sacra Congregatio Religionum superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis quod subditorum sanguinem qui ex malo negligentium & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt. Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

§. IX Præterea statuit, vt idem superiores nemini ex religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi religionem.

§. X. Item, vt eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§. XI. Ac postremo censuit, esse innouandam, & suæ beatitudinis auctoritate innouat constitutionem fel. Rec. Gregorij Noni relatam in c. fin. extra de regul. ac præterea declarat eam constitutionem in iis quoque vendicare locum; seruandamque esse; qui iusti, definitiue ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis saltem testimonialibus ordinarij, cuius contientiam in his literis concedendis sacra Congregatio seriò enarrauit.

§. XII. Ne qua vero difficultas in supra scriptis decretis & ordinationibus exequendis suboriatur, sacra Congregatio, sanctissimo Domino nostro annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidẽtibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis & quibuscumque aliis superioribus, quibuscumque ordinum vel Congregationum, monasteriorũ, conuentuum, Collegiorum, Domorum ac locorum regularium, vbique locorum existentium iniungit serioque mandat, vt illa diligenter obseruent atque obseruari procurent in omnibus cœnobiis, monasteriis, Collegiis ac domibus quorumcunque monachorum ac regularium vbique locorum existentibus, efficiantque, vt tam decreta supradicta fel. recor. Clem. VIII. quam præsentes ordinationes in singulis eiusmodi locis his saltem in anno legantur in publica mensa.

§. XIII. Si quis vero ipsorum aduersus ea, quæ superius scripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat, priuationis officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque huiusmodi sit sanctitati suæ ac sedi Apostolicæ reseruata, iisdem superioribus etiam generalibus & protectoribus illam moderandi, seu relaxandi, potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum & inane quidquid secus à quoquam actum extiterit.

§. XIV. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcunque personarum atque ordinum, tam mendicantium, quam non mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, conuentuum, domorum, ac locorũ Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & priuilegiis etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacionibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis

extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse sanctitatis suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die vigesima prima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigemsio quarto.

De spoliis clericorum extra residentiam decedentium.

Extensionem etiam quoad Curiales, vide infra in Pauli V. constitu. 18. *In eminenti, vbi plene notabo de materia,*

Circa spolia, vide *constitut.* 48. S. D. N. Vrban VIII. superni, *inf. tom.* 4. §. 12.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN suprema militantis Ecclesiæ specula meritis licet insufficientibus diuina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantiæ nostræ commissos dominicos greges, sed etiam singulorum pastorum suorum actus intensa nostræ mentis acie colluctantes, studium efficax operamque sedulam ad hoc omnino statuimus adhibere, vt quemadmodum operosum sacri concilij Tridentini progressum fideliumq; exitum Domino cooperante præstitimus, ita sanctissima illius decreta, ipsorum præsertim, qui in Apostolicæ solicitudinis partem vocati sunt Pastorum officium concernentia, non tepide neque dissimulanter, exequamur.

§. I. Sane licet in Concilio præfato saluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes & singuli venerabiles fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi & alij beneficiati apud Ecclesias sponsas suas residere teneantur, nonnulli tamen, (quod non sine animi nostri mœrore referimus) adeo sui, gregumque quos olim deperditos Saluator noster proprio sanguine redimere dignatuest, sibi creditorũ obliti sunt, vt etiã nunc, in alma vrbe, vel alicui commorantes & sacrosancta spiritualis matrimonij, inter eos suasque Ecclesias solemniter contracti iura confundentes, sponsas suas in longa quasi viduitate relictas, & prædictas Ecclesias quomodocumque sibi concessas inuisere, & apud illas, vt probos & prouidos Patresfamilias decet, residere non curent in perditionem animarum suarum, & subditorum suorum; ac perniciosum exemplum & scandalum plurimorum.

§. II. Nos hanc illorum contumaciam alicuius, etiam temporalis pœnæ metu, frangendam, seu conuincendam esse censentes, motu propio, ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, præfatis ac aliis quibuscumque, etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus dictas Ecclesias, in commendam vel administrationem, aut alio quouis nomine obtinentibus & aliis quibuscumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui iuxta decreti super residentia in concilio prædicto promulgati tenorem personalem in suis Ecclesiis residentiam facere tenentur, in virtute sanctæ obedientiæ, vltra pœnas in dicto decreto Concilij contentas, etiam sub priuationis eorum, à regimine, & administratione Ecclesiarum suarum ac aliis nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis successoris nostri arbitrio imponen. pœnis distinctæ præcipiendo per Apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora cessantes in eisdem suis Ecclesiis iuxta formam & tenorem dicti Concilij, personaliter resideant.

§. III. Et nihilominus, si quos mandato nostro huiusmodi, quod absit, non parere contigerit ne etiam tales absentes, melioris in hac parte conditionis quam cæteri in suis Ecclesiis residentes existant, hac nostra perpetuo valitura sanctione per præsentes statuimus, & ordinamus, quod deinceps omnia, & singula mobilia, & immobilia etiam in vrbe, vel eius districtu, existentia, & semouentia, res & bona, iura, & actiones cuiuscumquq qualitatis, & valoris, ac vbicumque locorum consistant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & alios quoscumque, etiam quauis auctoritate

ritate,dignitate,gradu,& præminentia præfulgentes Ecclesias prædictas in titulum, vel commendam, siue administrationem, aut alios quouis nomine obtinentes, & alios quoscumque beneficiatos curam animarũ habentes, qui extra prædictas Ecclesias ac Diœc.etiam in Romana Curia,aut alibi degentes,& iuxta decretum, & formam Concilij huiusmodi non residentes decesserint pertinentia & per illos suarumEcclesiarum, ac quorumcumque Monasteriorum,Prioratuum,Præpositurarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum,cum Cura, & sine Cura sæcularium, & regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerunt, ac fructum redituũ, & prouentuum Ecclesiasticorũ ,necnon pensionum annuarum sibi super similibus fructibus,reditibus, & prouentibus reseruatarum,& assignatarum occasione quæsita,etiamsi facultatem specialem de illis,aut eorum parte restandi, & alias libere disponendi à nobis, & à quibuscumque aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus,& successoribus nostris,etiam cum clausulis,quod facultates huiusmodi euocari non queant, aliisque irritantibus decretis obtinuerint, & in vim illarum litterarum desuper confectarum, de rebus, & bonis huiusmodi iamque disposuerint,tanquam spolia ad Cameram Apostolicam legitime pertineant.

§.IV. Liceátque dilectis filiis moderno, & pro tempore existenti Commissario nostro Generali,& suis dictæ Cameræ deputatis in euentum decessus huiusmodi solitum inuentarium super rebus, & bonis præfatis conficere,illáque prout de reliquis Clericorum spoliis fieri solet, ad dilecti filij nostri moderni, & pro tempore existentis Gener. Thesaurij manus redire, dictæque Cameræ applicare,cuiusuis licentia desuper minime requisita.

§. V. Ac facultates, & desuper confectas litteras prædictas, etiam motu, & scientia similibus,etiam in re compensam laborum, & obsequiorum,etiã nobis,& Ecclesiæ Romanæ dictæque sedi impẽsorum quomodolibet concessas,& etiam iteratis vicibus approbatas illarum omnium tenores præsentibus pro sufficiẽter expressis, & ad verbum insertis habentes in euentum obitus huiusmodi, etiamsi in vrbe,aut eius districtu, vel alibi extra suas Ecclesias,& præfertur, contigerit, ex nunc, prout, extunc, & è contra in dictæ contumaciæ pœnam eiusdem potestatis plenitudine, & tenere, reuocamus, & cassamus, & annullamus, & tam eas, quàm earum prætextu quomodolibet pro tempore, condita, factáque testamenta, codicillos; legata donationis, & alias dispositiones,quas libet,etiam ad pias causas,vel in remunerationẽ seruitiorum, nulla, & inualida, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam contra præsentium tenorem suffragari.

§. VI. Et sic per quoscumque iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, & S. R. E. Cardinales in quauis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliàs iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quidquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter attentari contigerit irritum & inane decernimus.

§. VII. Per hoc autem nostris, & Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ordinationibus, reseruationibus,& decretis, quoad Prælatorum,& aliorum beneficatorum,etiam in suis Ecclesiis,autDiœcesi, residentiam, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus,&extendimus ad habentes Ecclesias in vibis districtu ibique residentes, & decedentes,spolia Cameræ Apostolicæ applicata hactenus emanatis, nullatenus præiudicare, neque quicquam in eis alterare intendimus,sed ea in suo robore,vt antea manere volumus,præterquam, quod eos, qui in suis Ecclesiis iuxta formam prædicti Concilij resederint, & specialem licentiam testandi,habuerint hanc enim tantum saluam eis esse volumus, itaut Generalis licentia testandi eis, quamquàm residentibus minime suffragentur, sed sola speciali si quam habuerint tueris se possint.

§. VIII. Cæterùm, vt præceptum,mandatum,statutum,ordinatio,reuocatio,cassatio,decretum,&alia præmissa præsentesque litteræ ad eorum,quorum interest notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorũ ignorantiam prætendere,vel excusationem allegare, sed illa perpetuo firma, & illibata permaneant, volumus, & mandamus,quod eædem præsentes in Basiliæ Principis, Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valuis,ac acie Campi Floræ per aliquem excursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa,ab ea die omnes perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§. IX. Non obstantibus præmissis, ac in fauorem Curialium per fel. rec. Sixtum V. Leonem X. Iulium III. & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos editis, & approbatis, necnon aliis litteris,constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1564.7. Kalend.Decembr.Pontific. nostri ann. 5.

Anno à Natiuitate Domini 1564. indictione 7. die vero 4. mensis Decembris Põtificatus

tificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. anno 5. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ dimissis in præfatis locis præsentium retroscriptarum literarum copiis affixis, vt est moris per nos Iulium Parinum, & Bernardinum, Andreutium prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Sequitur extensio prædictæ prohibitionis etiam quoad ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula,

Vrbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. ALias à nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis. Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Commissis nouis per abundantiam diuinæ gratiæ pastoralis officij debitum postulat. &c.

Omittitur residuum huius constitutionis, quia est quæ præcedit.

§. II. Sed ne aliquis dubitare possit an fratribus prædictis, per præinsertas nostras literas huiusmodi,in illis verbis,etiam emissionis quarti voti,vel strictioris regulæ prætextu, transitus ad ordinem minorum sancti Francisci de Paula, nuncupatorum prohibitum sit.

§. III. Ideo pro maiori quiete, & conseruatione regularis obseruantiæ Congregationis Fratrum discalceatorum sanctissimæ Trinitatis huiusmodi dilectus filius Ioannes de Annuntiatione eiusdem congregationis Procurator, Generalis nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur eundem,Ioannem Procuratorem Generalem, specialibus laboribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet enodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos ferre consentes huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum nostrorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum Concilio tenore præsentium declaramus prohibitionem in præ insertis nostris literis contentam, & expressam, quod nimirum non liceat Fratribus discalceatis Congregationis huiusmodi post amissam in eam professionem ad alium ordinem seu Religionem præterquam fratrum Carthusianorum, vt præfertur transire comprehendere etiam Fratrum Minorum ordinem sancti Francisci de Paula.

§. V. Ac proinde omnibus & singulis Fratribus discalceatis eiusdem Congregationis sanctissimæ Trinitatis tam laicis quam cæteris choro deputatis explicite nominatim & expresse prohibemus ne de cætero sub prædictis, & aliis quibusuis prætextibus, & alias quam vt præfertur ad secundo dictum ordinem Fratrum minorum huiusmodi transire quoquomodo audeant seu præsumant.

§. VI. Decernentes si aliquis Religiosus ex prædictis discalceatis iam professus nouam professionem in prædicto eorundem Minorum sancti Francisci de Paula, vel in alio quomodolibet ordine quomodocumque nuncupato emiserit vltra pœnas in prædictis nostris literis appositis professionem huiusmodi, ipso facto nullam irritam & inanem nulliusque valoris, & effectus eodemque prorsus modo professionem per eosdem primo dictos Fratres in ordine Carthusianorum huiusmodi emissam absque licentia prius petita, & obtenta à superioribus prædictæ Congregationis Fratrum discalceatorum,sanctissimæ Trinitatis huiusmodi etiam ipso facto, nullam, irritam, & inanem nulliusque valoris, & effectus existere, & fore ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit,& attentarit.

§. VII. Non obstante, quod de iure communi concessum, est in capite licet de regularibus ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac prædictorum ordinum, & Congregationis huiusmodi etiam iuramento confirmatione, Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis; statutis, & consuetudinibus,priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis Congregationi, & ordinibus huiusmodi illorumque quibusvis personis, & fratribus sub quibus his verborum tenore,& formis ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie; & alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice

vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

§. VIII. Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis, & ministri generalis seu procuratoris Generalis Romanæ curiæ eorundem fratrum discalceatorum seu alicuius prælati vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, & notarij publici manu subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, qua præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. 4. Aprilis 1737. Pontificatus nostri anno decimo quarto.

De residentia Episcopali residentiumque priuilegiis, & non residentium pœnis.

Hoc idem postea decreuit etiam Concilium Tridentinum in sessione 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. *& ampliorem dispositionem fecit contra omnes curatos hic idem Pontifex*, infra in constitutione 91. *in suprema; quibus alias quoque pœnas imposuit; ibi videas.*

PIVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

DE salute gregis Dominici nobis ex alto commissi, attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ grex ipse continua suorum cum eo residentia Pastorum, præseruetur à noxiis, & in deuium prolabens, ad rectitudinis tramitem reducatur vt Pastores ipsi, residentiam ipsam, provt tenentur, commodius facere, ac circa ipsius gregis curam licentius, ac feruentius inuigilare, & illum ab errorum præcipitiis præseruare, ac in fide ortodoxa, & deuotione nostra continere valeant, opem & operam efficaces impedimus, provt rerum, & temporum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. I. Hinc est, quod nos motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, vniuersos, & singulos venerabiles fratres nostros Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, ab Ecclesiis, & diœcesibus suis absentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ pœna, eo ipso, atque alia declaratione incurrenda districte, præcipiendo monemus, vt omnibus pospositis quanto citius in Romana curia videlicet, moram trahentes, intra vnum; extra eam vero in Italia intra duos, extra vero Italiam existentes intra quatuor menses à die publicationis præsentium in locis infra scriptis faciendam computandos, se itineri committere, & legitimis itineribus ad Ecclesias, seu diœceses suas proficisci, & se esse personaliter conferre, ac ibidem vt tenentur residere, & Pastorale officium exercere debeant.

§. II. Si quis autem à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, nomine seu iure commissa, quacumque illi dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeant, legitimo impedimento, seu iustis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit quartæ partis fructuum vnius anni, Fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam, eo ipso amittat, crescente vero contumacia ac seueriori sacrorum Canonum censuræ subiiciatur, Metropolitan. suffraganeos Episcopos absentes Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ipso iure incurrenda in fratres, menses per literas, vel nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur qui in ipsos absentes, provt cuiuscumque maior, vt minor contumacia exegerit suæ supremæ sedis auctoritate animaduertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire.

§. III. Eosdem autem Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos mandatis nostris parentes, & apud suas Ecclesias seu in earum diœcesi personaliter residentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes vt liberius, & commodius eorum officium fungi valeant, eis & eorum cuilibet vt quando residerint etiam prætextu quorumcumque delictorum, & excessuum atrociorum etiam hæresis, & læsæ Maiestatis criminum per eos quomodolibet commissorum ad comparendum personaliter in Romana curia, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis nisi vigore specialis commissionis manu nostra vel Romani Pontificis pro tempore existentis signatæ trahi, aut citari non possint nec debeant atque aliter facta citationis, & censuras in eis appositas ac inde sequuta quæcumque nulla, & irrita, ac nullius roboris, & momenti fore ac eos minime afficere statuimus, & ordinamus.

§. IV. Nec non eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis decimis, subsidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, per nos, & successores nostros Rom Pōt. pro tēpore existētes ad sedē Apost. etiā motu proprio, & ex certa sciētia ac etiā cōsistorialiter etiā ad instantiā Regū, & Principū quomodolibet, & ex quauis etiā quantūvis, vrgētissimo, iustissima, ac pia, & necessaria causa, etiā pro defensione fidei Catholicæ, ratione dictarū Ecclesiarum nūc, & pro tēpore impositis, illorūq; solutione auctoritate Apost. tenore præsētiū, ex simili assistētia penitus, & omnino eximimus, & liberamus, nec ad id à dilectis filiis modernis & pro tēpore existentibus S.R.E. Camer. necnon Cam. Apost. thesaurario, Præsidentibus, & Clericis, ac decimarū subsidiorum, & aliorū, onerum huiusmodi Collectoribus, & subcollectoribus, seu exactoribus, & Commissariis, ad id pro tēpore deputatis etiā vigore quorūcūq; priuilegiorum, indultorū, & literarū etiā præsentibus derogātiū, ac illarū totū tenorē de verbo ad verbum exprimētium, eis quomodolibet concessorum, & cōcedēdorum, cogi seu cōpelli, & ob nō solutionē huiusmodi aliquas sententias, cēsuras, & pœnas incurrere posse decernimus, illiusque quibusuis aliis, in virtute Sāctæ obediētiæ, & sub nostræ indignatis, necnon excōmunicationis, aut ius pēsionis, ac priuationis suorū officiorū, & beneficiorumque obtinēt, & pro tempore obtinebunt, eo ipso incurrendi pœnis, ne eosdē Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas sic in dictis Ecclesiis, vel earū Diœcesibus residētes, quādiu in illis resederint, vt præfertur, ad solutionē decimarū, subsidiorū, & onerū præfatorū, cogere ac propter illorū nō solutionem excōmunicationis aut alias sentētias, censuras, & pœnas promulgare quoquomodo, audeant, seu præsumant districtius inhibemus.

§. V. Et insuper eisdē Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis sic vt præmittitur residentibus, vltra priuilegia, & indulta, eis per quoscumque Romanos Pont. Prædecessores nostros, ac sedē Apost. & Gener. Cōcilia, & Cancellariæ, Apost. Regulas cōcessa, quæ in suo robore permanere volumus, tāquā à dicta sede delegati in quibuscūque ciuil. criminal. vel mistis causis, cōtra quoscūq; clericos, sæculares particulares, ac etiā extra eorū monasteria, seu regularia loca, degētes regulares quomodolibet exēptos auctoritate nos procedere, & causas ipsas cognoscere, fineque debito terminare, ac quidquid terminauerit exequi, & obseruari facere, ipsosq; exēptos pro tēpore delinquentes, iuxta eorū excessus, & delicta, punire, corrigere, & omnē Iurisdictionē in eas exercere, omniaq; alia, & singula in præmissis, & circa ea, quomodoliber necessaria, & opportuna, quæ nosmet facere, exercere, & exequi libere, & licite valeant, plenam, & liberam licentiam, ac facultatem auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

§. VI. Decernētes ab eorū ordinat. & decretis, ante definitiuā sentētiā, vel vim definitiuæ habētē, & vbi agetur de morū correctione, nullatenus etiā ad nos, & sedē Apost. appellari posse, & nihilominus per appellationes quoscumq; cōtra præsentiū tenorem quomodolibet, interpositas minime causas deuolui, aut etiam per quasuis inhibitiones, etiā cū quibusuis censuris, & pœnis eis à quibusuis iudicibus ordinariis, vel delegatis forsan faciēdas, illarū vlteriorē cognitionem, & expeditionē, & vbi de morum correctione agetur etiam legitimam executionem minime impediri aut censuris, & pœnis, huiusmodi ligari aut irritari censere.

§. VII. Sicq; in præmissis omnibus, & singulis per quoscumq; Metrapol. aut alios iudices, & commissar. etiā Præl. Apost. auditores & S.R.E. Card. sublata eis aliter, iudicandi, & interpretandi, aut definiendi potestate, iudicari, definiri, aut interpretari vere, necnon irritum, & inane quidquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. VIII. Mandantes venerabilibus fratribus nostris Feldren. & Pisaurien. ac Amerin. Episcopis per Apostol. scripta, motu simili, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis cōtenta, quæcumque vbi, & quādo opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Episcoporū, Archiepiscoporum, Primatuum, & Patriarcharum seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistētes faciant eadē auctoritate nostra illos, eorū singulos omnibus, & singulis præmissis pacifice frui, & gaudere non permittentes eos desuper per eosdem Camerariū, Thesaurarium, Præsidentes, & clericos necnon Collectores, & subcollectores, & exactores, & commissarios præfatos, sed quoscumque alios, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & reueles per similes censuras, & pœnas Ecclesiasticas ac alia opportuna iuris, & facti remedia appellatione proposita compescendo, nēcnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. IX. Non obstantibus fel. rec. Bonif. VIII. prædecessoris nostri de vna, & Conc. General. de duabus dictis, dūmodo vltra tres dietas, aliquis auctoritate præsentium ad iuditiū non trahatur, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apost. à quibusuis Cameræ præfatæ

præfatæ statutis,decretis,& declarationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica,vel quauis firmitate alia roboraris, necnon priuilegiis, indultis, exemptionibus etiam mari magno,aut alias nuncuparis,cõseruatorum deputationibus, & eorũ ac aliis inhibitionibus, quibus dicti Episc. Archiep. & Patriarchæ deferre minime teneãtur, sed illis reiectis,ac nõ obstãtibus,in dictis causis, vt præfertur,procedere, & illas iure debito terminare possint ac litteris,Apost.eiusdem Cam.Camer.Thesaur.Præsid. Cler.de Collector. & subcollect. & Commissar. ac exẽptis necnon Regibus, & Principibus præfatis,ac dilectis filiis, Archipræsbyt. & Capit. Ecclesiæ nostræ Later.necnõ Hospit.nostro S.Spir.in Saxia de vrbe & quibusvis aliis sub quibuscumq;tenoribus,& formis,ac cũ quibusvis clausulis,&decretis etiã motu,&sciẽtia similibus cõcessis, approbatis,& innouatis quibus omnibus,etiãsi pro illorũ sufficiẽti derogatione de illis,eorũmq;totis tenoribus specialis,specifica,indiuidua, & expressa,ac de verbo ad verbum, non autẽ per clausulas Gener.idem importantes mẽtio, seu quæuis alia expressio habẽda,aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruãda foret,tenores huiusmodi præsentibus pro sufficiẽter expressi habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dũtaxat specialiter,& expresse derogamus, & quæ aduersus præmissa, nemini suffragari posse volumus contrariis, quibuscumque, aut si Patriarchis, Primatibus,Archiepiscopis,& Episcopis,vel quibusvis aliis communiter,vel diuisim ab eadem, sit sede indultũ,quod interdici,suspendi,vel excommunicari, non possint per Litteras non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum indulto huiusmodi mentionem.

§.X.Et quia difficile foret præsentes literas ad singula in quibus fides, forsan facienda foret,loca deferri volumus,& eadem auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis,& sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ,munitis eadem prorsus fides adhibeatur,in iudicio, & alibi vbi opus fuerit, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.II. Quodque publicatio præsentium cum dimissione copiæ, in valuis Basilicæ, Principis Apostolorum,& Cancellariæ Apostolicæ,ac in acie Campi Floræ eosdem præfatos, & eorum singulos etiam à dicta curia absentes sicut præfertur, monitos, arctet, & afficiat perinde ac si præsentes litteræ eis,ac earũ cuilibet personaliter intimatæ forent.

Nulli ergo, &c. Dat. Romæ, apud Sanctum Marcum,anno Incarnationis Dominicæ 1560.pridie Nonas Septemb.Pont.nostri anno primo.

Anno à natiuitate Domini 1560. indict.3. die vero 13. mensis Septembris Pontificat. Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Ann. retroscriptæ litteræ, affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt Rom. in locis retro scriptis dimissis ibidem copiis affixis,iuxta illarum formam, & tenorem per nos Iacob.Carra,& Bernardinum,Andreutium præfatos. S.D.N.Papæ Cursores.

Ex Basilio Poncio lib.7.*de impedimento disparis cultus* cap.48. num.23.

GRegorius,&c. Quoniam sæpè cõtingit multos vtriusque sexus infideles post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Æthyopia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus ab hostibus captos à propriis finibus, & propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari adeo, vt ipsi captiui, & qui in patria remanent, si postea ad fidem conuertantur coniuges infideles tam longo interuallo disiunctos, an sine contumelia creatoris secum habitare velint, vt par est, monere nequeant: vel quia interdum ad hostiles, & barbaras Prouincias ne nunciis quidem accessus pateat, vel quia ignorant prorsus in quas regiones fuerint transacti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem non tamen adeo rata censeri, vt necessitate suadente dissolui non possint, singulis dictorum locorum ordinariis, & Parrochis, & Præsbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis superioribus approbatis, & ad dictas Regiones pro tẽpore missis,vel in illis admissis, cõcedimus facultatem dispensandi, cum quibuscumque vtriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum regionum, & serius ad fidem conuersis, qui ante baptismum matrimonia contraxerant, vt eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli aliàs tamen rite contrahere, & in eis postea, carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant,dummodo constet, etiam summarie,& extraiudicialiter coniugem absentem moueri legitime non posse, aut monitum intra tempus eadem monitione præfixum, suam voluntatem non significasse. Quæ quidem matrimonia etiamsi post ea matrimonia innotuerit cõiuges priores infideles suã voluntatem iuste impeditos declarasse non potuisse, & ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonij conuersos fuisse,nihilominus rescindi nũquam debere

debere,sed valida,& firma esse,&c.Hactenus Gregor.XIII.

Clemens VIII. Venerabili Episcopo Ciuitatensi.

VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem.Exponi nobis nuper fecisti, apud nonnullos istius Diœcesis Ciuitatensis populos inoleuisse abusũ quẽdam in festo S.Marci Euang. quodie taurus quidam ferocissimus publicè ad missam, & processionem à vicinis producitur Marc.nomine Candelam, & panem in cornu gestãs, magno sane, cum diuini honoris,& animarum periculo: cũ ipsimet belluæ à fœminis præsertim, ac reliqua vulgi multitudine, quasi è cœlo à Deo, vel à Sancto Marco ad processionem Missæ veneratio, ac diuinus cultus tribuatur:ad quod periculum quoniã, & hæc scandala,atque incõmoda accedunt: primum Gentilica illa superstitio affinis, ac simillima idololatriæ,deinde etiã mortis discrimen,tum diuinæ virtutis,ac miraculi cuiusdã efflagitatio in mãsuefaciendo animali sua natura feroci, præter fœdissimas tẽplorũ conspurcationes,turbarumque inter diuina officia excitationes, & risus per omnia Ecclesiarum loca dissolutos. Tu propterea pro tua in Deum pietate,ac Pastorali vigilantia abusum prædictũ tanquã à Religione Christiana alienum tollere atque abhorrere,desideras, sed cum homines illi plus nimio,& cõtra quam Christianos decet, nefandæ superstitioni suæ indulgentes,& appellationibus, & inhibitionibus violenter se tueantur ac defendant:Nobis humiliter supplicari fecisti,vt in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.Nos igitur fraternitatis tuæ solertiam, & Religionẽ summopere in Domino commẽdantes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E.Card.Cõgreg. Sacror. rituum sententia supra dictum abusum,tanquam Ecclesiasticæ pietãti,necnon etiam sacro ritui aduersante,& detestabilem iis nõ locis, in quæ hucvsque irrepsit, funditus tollendum,atque abolendum esse, statuimus & ordinamus,ac fraternitati tuæ, per præsentes committimus, & mandamus plenã,& amplã super hoc tibi facultatem,& auctoritatẽ concedentes, vt abusum prædictũ,ex omnibus,& quibuscumque locis tuæ Diœc.Ciuitat. appositis iuris,& facti remediis aliisque Ecclesiasticis censuris,& pœnis, tollere,ac funditus abolere omni,& quacũq; oppositione,recursu, ac inhibitioni, positis, & reiectis, auctoritate nostra cures,& cũ effectu facias.Non obstãtibus præmissis,cæterisque in contrarium facientibus quibuscũcumque. Dat.Rom.apud S.Petr.sub annulo Piscatoris,die 10.Martij ann.1598.Pont.nostri anno 7.

Marcus Vestrius Barbianus.

Tom.II.

Reformatio Generalis Prælatorum Ecclesiasticorum, eorumque officialium,ac familiarium, & aliorum.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam Saro-sancto approbante Concilio.

SVpernæ dispositionis arbitrio, quo cœlestia pariter,&terrena ineffabili prouidentia disponuntur in sublimi B.Petri solio Christi vnigeniti Dei filij gerentẽ vices in terris Rom. Pont. decet imprimis pro cura, & salute Dominici gregis sibi diuinitus commissi prouidi exercere pastoris officiũ.

§.I.Quare pro dicti pastoralis officiis solicitudine,cum Ecclesiasticã disciplinã,ac per omnes fere Christi fideliũ gradus, bene rectéque viuendi regulã temporũ difficultate, ac hominũ malitia,licẽtiáq;& impunitate in deterius ita labi,diffluere,aberraréq;longiùs à recta via animaduertimus, vt nisi prouida cõrrigatur emendatione in varios errores securitate peccandi quotidie magis incidere moréque obortis publicè scandalis prorumpere sit verendum.

§.II.Cupientes igitur,quatenus nobis ex alto permittitur,ea iam nimiũ inualescentia mala corrigere ac pleráq; in pristinã Sacrorum Canonum obseruãtiã reducere, ac melius iuxta S. Patrũ instituta dante Domino, reformare, eaq; omnia sacro approbãte Later. Conc.à fel.rec.Iulio PP.II.prædecessore nostro inter alia propterea incœpto & per nos cõtinuato salubriter moderari, vt ab his sumamus exordium, quæ præ nunc magis expedire videntur,& quæ sæpè per singulas ætates neglecta magnã Christianæ Religioni attulere perniciẽ,& in Ecclesia Dei maxima scãdala pepererũt à promotionibus scilicet ad Eccl.dignitates cõstituimus exordiri.

§.III. Cũ piæ mẽm.Alex.PP.III.prædecessor noster etiã in Lateran.Cõcil.decreuit,vt ætas,morum grauitas, ac literarũ scientia in personis promouendis in Episcopos, & Abbates diligenter,inquirantur, nihilque magis Dei Ecclesiæ officiat,quam cum immeriti assumuntur Prælati ad regimẽ Ecclesiarum,propterea in promotionibus Prælatorũ, quarum à Rom.Põt.magna ratio haberi debet,eo præsertim,quod de promotis per eos ad Ecclesias, seu Mon. in extremo iudicio rationẽ Deo reddituri sunt,statuimus & ordinamus,vt deinceps perpetuis futuris temporibus Patriarchalibus Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis pro tẽpore vocãtibus de personis iuxta præfati Alexandri constitutionẽ, ætate matura, grauitate morũ,literarũque sciẽtia prædितis, non ad alicuius instantiam per cõmendã, & administrationẽ,seu cõseruationem,aut alio

ac Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis quouis modo prouideatur, nisi ratione vtilitatis Ecclesi. prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experiẽtiæ, atque curialitatis antiquæ cũ cõpetẽti literatura & in sede Apost. meritorũ, aliter visũ fuerit faciẽdũ. Idẽque in electis, & postulatis, quorum electiones, & postulationes per sedem Apostolicam admitti consueuerint volumus obseruari.

§.IV. Et si de minoribus ætate 30. annorũ, Ecclesiis aut Monasteriis huiusmodi contigerit prouideri, non dispẽsetur cũ eisdẽ, vt Ecclesis citra 27. ætatis annum, Monasteriis vero citra 22. præesse valeant.

§.V. Quinimmo vt accuratius diligẽtiusque idoneæ personæ promoueantur, statuimus vt Cardinalis, cui electionis, postulationis aut prouisionis Ecclesiæ, seu monasterij relatio cõmittetur, antequã in sacro cõsistorio, vt moris est referat cõmissionẽ examinis ac relationis huiusmodi sibi datã, vni cuuslibet ordinis antiquiori Cardinali in ipso cõsistorio per seipsũ, vel si ea die qua sibi cõmissionis onus iniũctũ fuerit, cõsistoriũ non fuerit, per Secretariũ suũ, aut aliũ quemlibet, ex suis domesticis familiaribus, notã illã facere debeat, qui tres priores aliis quã primũ sui ordinis Card. eã significare teneãtur, negotiúmq; electionis administrationis, postulationisue, aut promotionis sũmariè, & deplano per se ipsũ dictus relator examinet, etsi qui contra dixerint, his vocatis, idoneos, graues, & fide dignos testes, etsi expediens, opusve fuerit, alios ex officio assumere, processusque, & iura huiusmodi relationis, vna cũ dictis testiũ die faciẽdæ relationis secũdũ ad cõsistoriũ deferre debeat, neque vllo modo referat, si præsens in curia promouendus maiorẽ Card. partem antea nõ adiuberet, vt quæ à referente Collega sint Card. partẽ antea nõ adiuuerit, vt quæ à referente Collega sint Cardinal. audituri, oculata fides, quantum ad personam, promouendi attinet, cognoscere possint.

§.IV. Promotus vero eosdem Cardinales qui præsentes in curia fuerint, ex antiquo more, consuetudineque laudabili quã primũ visitare teneãtur, quem quidem morem laudabilemque consuetudinem innouamus ac inuiolabiliter obseruari mandamus.

§.VII. Et quoniam Episcopalem dignitatẽ tueri illæsam, & ne improborũ impugnationibus aut accusãtiũ calũniis passim pateat muniri par est. Statuimus vt nullus Episcopus, aut Abbas quouis instãte ac requirente nisi sibi copia, & facultas legitime defensionis permittatur etiãsi crimina fuerint notoria diligenterque partibus auditis causa plenarie probata fuerit, priuari valeat.

§.VIII. Neque aliquis Prælatus inuitus, nisi aliis iustis efficacioribusque rationibus & causis transferatur, iuxta formam ac decretum, Concilij Constantien.

§.IX. Et quoniam ex commendis monasteriorum vt magistra rerum experientia sæpius docuit, monasteria ipsa tam in spiritualibus, quam in temporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia partim commendatariorum negligẽtia partim auaritia, vel incuria collabantur, & in die diuinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis præsertim sæcularibus præbetur nõ absque dignitatis Apostolicæ sedis diminutione, à qua commendæ huiusmodi proficiscuntur, vt eorum indemnitati salubrius consulatur; volumus ac sancimus, vt cũ illa per obitum Abbatũ, qui illis præerãt, vacauerint nullo pacto cuiquam possint commendari (nisi pro conseruatione auctoritatis Apostolicæ sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium pro tempore qualitate aliter nobis de Fratrum nostrorum consilio, sum fuerit expedire, sed de persona idonea iuxta præscriptam constitutionem eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates, prout decet, præfuturi sint.

§.X. Ea vero monasteria quæ commendata fuerint, cum per eorum cessum, vel decisum, quibus erant commendata commendæ huiusmodi cessauerint, Cardinalibus dũtaxat, ac personis qualificatis, & bene meritis cõmendari possint, ita tamẽ quod eorum Monasteriorum commendatarij, quibus ea de cætero cõmendata fuerint cuius vis dignitatis, honoris, & præeminentiæ, existant, etiamsi Cardinal. honore, & dignitate fungantur si mensam habuerint separatam, ac seorsum à mensa conuentuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis vestibus, ac paramentis emendis, sarciendisque aut pauperem alimonia, aut sustentatione, vt maior exiget, ac suadebit necessitas. Si vero mensa fuerit cõmunis, tertiã omnium fructuum dicti monasterij sibi commendati partem pro supradictis oneribus supportantibus, & sustentatione Monachorum omnibus aliis deductis oneribus impartiri teneantur ac literæ, quæ super monasteriorum huiusmodi commendis expedientur, cum clausula hoc ipsum specifice exprimente debeat expediri, alioquin si aliter expediantur, nullius sint roboris vel momenti.

§.XI. Et quoniã Ecclesiis huiusmodi absq; aliqua fructuũ diminutione prouideri debet vt tam dignitati Præsidẽtiũ, quã Ecclesiarũ, & ædificiorum necessitati consulatur. Decernimus pariter, ac statuimus, vt super earumdẽ Ecclesiarum fructibus pẽsiones minime reseruẽtur, nisi ex resignationis causa, aut etiã alia quæ in secreto nostro cõsistorio iusta probabilis, & honesta habita fuerit.

§.XII.

§.XII. Statuimus quoque, vt de cætero Parrochialis Ecclesiæ, ac dignitates maiores & principales, aliáque beneficia Ecclesiastica, quorum fructus, redditus, & proventus ducentorum ducatorum auri de Camara secundum communem æstimationem valorem annuũ non constituunt, vel attingũt, necnon Hospitalia, Leprosariæ, Xenodochia cuiuscumque valoris, quæ ad pauperũ vsũ, & alimoniam instituta sunt S.R.E. Cardin. non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, nisi per obitum familiariũ nostrorum vacauerint, quæ illis cõmẽdari possint, vt illa ad illarum personarũ sibi gratarũ, & idonearum commodum, infra sex mẽses dimittere teneantur, quibus etiam, quoad beneficia ad quæ haberent regressum præiudicare non intendimus.

§.XIII. Ordinamus etiam ne Ecclesiarũ, ac quorumcumque Monasteriorum, & militarum membra à suo capite, quod est absurdum, absque legitima, & rationabili causa disiungantur, aut separentur.

§.XIV. Vniones perpetuæ præterquam in casibus à iure præmissis, vel sine rationabili causa, nequaquam fiant.

§.XV. Dispẽsationes autẽ ad plura incõpatibilia vltra duo nisi qualificatis iuxta formã iuris cõmunis non concedantur, nisi ex magna, & vrgenti causa, & personis cuiuscumque Parrochiales Ecclesias, & earũ perpetuas Vicarias, ac dignitates maiores, & principales, etiã per viã vnionis, vel cõmendæ ad vitã vltra quatuor obtinẽtibus, ex nũc terminũ duorum annorũ præfigimus, vt interim, quatuor tantũ ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittẽda huiusmodi resignari valeant in manibus ordinariorũ, ad effectũ, vt de illis prouideatur personis per eos nominãdis, quacũque reseruatione etiã Generali, etiam ex qualitatibus resignãtiũ personarũ resultante nõ obstãte, quo elapso termino, nisi dimiserint, omnia vacare cẽseantur ac possint libere, vt vacãtia impetrari, talesque præterea retinentes pœnas, extrauagantis, execrabilis, recolẽdæ memoriæ Ioan. PP. XXII. etiã prædecessoris nostri incurrãt, itẽ statuimus, vt speciales reseruationes quorumcumque beneficiorum ad cuiusuis instantiam nomine concedantur.

§.XVI. Et cum S.R.E. Cardin. cæteros omnes in ipsa Ecclesia post Sum. Pont. honore, ac dignitate præcedãt conueniens ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutũ splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verũ etiã statuimus, & ordinamus, vt de cætero quilibet Card. protẽpore existens, iuxta doctrinã Apostoli, ita sobrie, caste, ac piè viuat, vt nõ solum à malo, sed ab omni etiam specie mali abstinens coram homines luceat, Deumque imprimis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officiis Missarũque Celebrationibus intẽti, habeãtque Capellas suas in loco honesto, prout facere consueuerũt, sitque eorũ domus, familia, mẽsa, supellexq; non fastu, aut põpa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccãdi excedendique modum licẽtia inde nascatur, sed vt æquum est, modestiæ, & frugalitatis speculum dici mereantur, illis itaque sint contenti, quæ sacerdotalẽ præ se ferant modestiam, ac Prælatos, & quoscũque alios insignes viros ad Romanam curiã venientes, benigne honorificeque, tã publicè quàm priuatim, tractent, & apud nos successores nostros gratiosè liberalitérque eorum negotia commendata suscipiant.

§.XVII. Præterea ministerium indecorum Episcoporum, prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteros præ eis distincti, & Sacro caractere insigniti, in vilia descẽdãt ministeria, passimque Pastoralis Officij contemptum inducant. Eos itaque quos, vel nunc habent, vel imposterum sunt habituri, honorifice, vt fratres, ac iuxta eorum status condecentiam tractent.

§.XVIII. Cumque Rom. Pont. communi omnium Christi fidelium patri assistãt, personarum acceptatores, vel aduocatores eos fieri, valde inconueniens est, propterea statuimus ne parcialitatem suscipiãt aliquam, neque Principũ, aut communitatũ, vel quorumcumque aliorum contra quemquã, nisi quãtum iustitia, & æquitas postulat, eorumque dignitas, & conditio requirit, promotores, aut defensores fiant, sed à priuata omni passione seiuncti sedandis, & cõponendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent incumbantque, Principũ, & quorumcũque aliorum, ac præsertim pauperum, & Religiosorum iusta negotiatio promoueant affectu oppressos & iniustè grauatos iuxta vires suas, & officij debitum adiuuent.

§.XIX. Tituli sui loca, si præsentes in curia fuerint personaliter, si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltẽ singulis annis visitet clericos, & populos Ecclesiarũ titulo suo subiectarum cum diligentia inquirãt vigilẽtq; circa cultum diuinũ, & bona dictarũ Ecclesiarum mores qui imprimis, & vitã clericorum & parochianorum solerter explorẽt, quosque, omnes & singulos ad recte, honesteque viuendum paterno moneant affectu. Pro augmento autem diuini cultus, & salute animæ suæ, quilibet Card. vel in vita, donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad Præsbyterum, vnum commode ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subuentione tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ videbitur.

§.XX. Et

§. XX. Et cum minime deceat, affines, & consanguineos præsertim bene meritos, & ope indigentes negligere, sed illis prouidere iustum & laudabile sit, non propterea tamẽ, vel beneficiorum multitudine, vt Ecclesiasticis redditibus, ita eos impleri conuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur & inde scandala nascãtur statuimus, itaque vt Ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni & optimi redditus per sanctos Patres statuti, & ordinati fuerunt.

§. XXI. Ædificia quoque possessiones, & iura quæcumque in statu conuenienti conseruent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum Prælatorum & commendariorum officium spectat.

§. XXII. Volumus etiam, vt Ecclesiis eisdem Cardinalibus Commendatis, etiamsi Cathedrales, Abbatialesve, aut Prioratus, vel quæcumque alia beneficia Ecclesiastica fuerint, absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo prohibeant debitè inseruiri. Cathedr. dignos & idoneos Vicarios, seu suffraganeos prout cõsuetudo fuerit cum digna & competenti mercede apponentes, reliquis autem sibi commendatis Ecclesiis, aut monasteriis de iusto Clericorum, vel Capellanorum, seu Religiosorum, aut monachorum Deo sufficienter, & laudabiliter seruientium numero prouidentes.

§. XXIII. Statuimus etiam, vt dicti Cardinales circa numerum familiarum, equorumque suis impensis alendorum magna vtantur circumspectione, ac diligenti prouidentia, ne maiorum numerum, quam sua facultas conditio, ac dignitas patiatur habentes, luxus ac prodigalitatis vitio notari neve rursus auari, sordidique habeantur, si in magnis & amplis redditibus, paucissimis, victum præbeant, cum domus Card. patens hospitium, portúsve ac refugiũ proborum, & doctorum maximè virorum, & pauperum nouitiorum honestarũque personarum esse debeat, sint igitur circa modum, & numerum tenendi prudentes, ac de familiarum qualitate imprimis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi contrahant, infamiæ notam, vulgoque obloquendi calũniandique istas præbeant occasiones, & cũ maximè prohibendum sit, vt non solum coram Deo cui primum placere debemus, sed etiã coram hominibus opera nostra probentur, vt cæteris exemplo ad imitãdũ possimus esse, ordinamus vt quilibet Card. se domus ac familiæ suæ optimum rectorem, præfectumque ostendat tam circa ea quam extrinseca omnibus apparent quam quæ intus latent abscondita.

§. XXIV. Habeat itaque eorum quisque sacerdotes & Leuitas honestis vestimentis indutos, attentéque prouideat, ne quis in familia sua quoquomodo beneficiatus, & in sacris ordinibus constitutus, vestes propter versicolores, nec eo habitu vtatur qui ordini Ecclesiastico parum conueniat. Quare in Presbyteratus ordine constituti vestes colorum, quæ clericis à iure non prohibeãtur deferre debeant, vsque ad talos saltem dimissas, & habentes dignitates in Cathedralibus, & Canonici etiam dictarũ Cathedralium, ac primam dignitatem in Collegiatis habentes, & Cardinalium Capellani Missas celebrantes caputium deferre in publico teneantur scutiferis vero paulo suprà talos concedantur. Parafrenarij, quia in assiduo sunt motu ministerioque funguntur laboriosiore, breuioribus ac magis expeditis vestibus vti possint, etiamsi fuerint clerici dummodo in Præsbyteratus ordine nõ sint constituti, ita tamen, vt ob honestate non discedant, sed ita viuant, vt mores Ecclesiasticis suis ordinibus non discrepent. Reliqui vero clerici temperate ac modeste omnia faciant, & tã ipsi clerici beneficiati, quã in sacris ordinibus constituti, comam neque barbã non nutriant, neque mulas, aut equos cum phaleris, ornamentisque ex velluto, aut serico factis habeant, sed eiusmodi rebus ex panno tantum, aut corio simpliciter vtantur. Si quis autem familiarium prædictorum cõtra fecerit, aut post tres mẽses legitima monitione præcedente, ac præsentium publicatione huiusmodi vestes prohibitas gestauerit in excõmunicationẽ incurrat, si vero infra tres alios mẽses non se correxerit à perceptione fructuum, ex beneficiis quæ obtinet suspensus intelligatur. Quod si per alios sex mẽses in huiusmodi pertinacia obstinatus permanserit legitima similiter monitione præcedente, beneficis omnibus, quæcũque habet priuatus sit, & esse censeatur, eaque sit vacantia à sede Apostolica libere impetrari valeant.

§. XXV. Quæ omnia, & singula in nostris, & cuiuscumque Rom. Pont. pro tempore existentis Familiaribus, & similiter in omnibus aliis clericis beneficiatis vel in sacris ordinibus cõstitutis ac etiam curialibus locum habere volumus. Hoc vnum tantum excipio quod dicti nostri, & Rom. Pont. familiares, rubri coloris vestimenta gestare possint pro decentia, & consuetudine dignitatis Pontificalis.

§. XXVI. Et quoniam ad Cardinales maximè spectat, operum optimorum cura pro viribus laborabunt scire quæ Regionis hæresibus erroribusque ac superstitionibus cõtra veram, & orthodoxam fidem infectæ sint, & vbi diuinorum mandatorum Ecclesiastica deficiat disciplina, quique Reges ac Principes seu populi libellis infestentur, vel infestari timeant. Hæc & huiusmodi scire, ac nouis, & Rom. Pont. pro tempore existẽti referre operam dabunt, vt opportuna, & salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitari valeant.

§. XXVII. Et cum frequenti ac prope quotidiana experientia notum sit Prouinciis, ac ciuitatibus propter suorum legatorum de latere, absentiam multa sæpius contigere mala variaque, non sine Apostolicæ sedis præiudicio scandala oriri: statuimus, & ordinamus, vt nullis Cardinalibus Prouincias ac ciuitates legationis titulo obtinen. eas per locum tenentes, aut officiales quoscumque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro maiori parte temporis adesse atque omni vigilantia, regere, & gubernare teneantur, & qui nunc titulum obtinent aut pro tempore obtinebant, si in Italia intra tres mẽses, si extra Italiã quinq; à die præsentis publicationis ad suas Prouincias ire ac maiorem temporis partem ibi residere teneantur, nisi de nostro, & successorum nostrorum mandato pro aliquibus grauioribus negotiis in Romana curia retineantur, vel ad alia loca provt necessitas postulat mittantur, & tunc in dictis Prouinciis & ciuitatibus Vicelegatos, auditores, & locum tenentes, cæterosque consuetos officiales cum debitis prouisionibus, ac salariis habeant. Qui præmissa omnia, & singula nõ seruauerit emolumentis quibuscumque legationis careat, quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata, & instituta fuerunt, vt opportuna legatorum præsẽtia populis esset salutaris, non ipsi laborum, & curarum penitus expertes, lucro tantum, suæque legationis titulo inhiarent.

§. XXVIII. Et cum Card. officium imprimis versetur in frequenti Rom. Pont. assistentia & sedis Apostolicæ negotiis propterea statuimus vel omnes Cardinales in Romana curia resideant, & qui sunt absentes, in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum à die publicationis præsentis constitutionis reuertantur. Alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum suorum emolumenta amittant omnibusque priuilegiis generaliter, & specialiter Cardin. concessis, quandiu abfuerint, reant; exceptis tamen illis quos ratione officij ab Apostolica Sede iniuncti, vel de Romani Pontificis mandato aut licentia, vel iusto metu, aut quauis alia legitima causa impediẽte, vel ægrotationis abesse contingat, priuilegiis, indultis, & immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis, & in bulla nostra subdata coronationis nostræ contentis, & expressis, in suo robore nihilominus permanentibus.

§. XXIX. Statuimus insuper vt expensæ funebres Cardin. computatis omnibus 150. florenorum Summam excedere non debeãt nisi executorum prouidentia iustis allegatis causis, ac rationibus plus expendendum esse duxerit, exequiæ, & castrum doloris prima, & nona die fiant, infra octauam vero, Missæ de more celebrentur.

§. XXX. Pro reuerentia autem sedis Apostolicæ, vtilitateque, & honore communi possunt, & ipsorum Cardinalium, vt scandalorum, quæ nasci possent occasio tollatur maiorque in sacro senatu libertas eorum fiat liceatque, vt pars est Cardinali cuique, secundum Deum, & conscientiam suam, libere, & impune quodcumque sentiat dicere statuimus ne quis Cardinalium vota in consistorio data, & quæcumque ibi gesta aut dicta, quæ in odium aut præiuditium, aut scandalum alicuius redundare possint, scripto aut verbo vel quouis alio modo reuelet sub pœna periurij, & inobedientiæ.

§. XXXI. Et quotiescumque à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existente specialiter & expresse vltra præmissa in dictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contra fecerit, vltra pœnas excommunicationem latæ sententiæ incurras à qua non possint absolui nisi à nobis, vel præfato Pontifice Romano, & cum expressione causæ præter quan. in mortis articulo.

§. XXXII. Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, & à teneris assuefieri ad bonum magni sit operis, & effectus statuimus, & ordinamus, vt Magistri scholarium, & præceptores pueros suos, siue adolescentes nedũ in grammatica, & rhetorica ac cæteris huiusmodi audire, & struere debeant, verum etiam docere teneantur ea quæ, ad Religionem pertinent, vt sunt præcepta diuina, articuli fidei sacri hymni, & Psalmi, ac sanctorum vitæ diebusque festiuis nihil aliud eos decere possint, quam in rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus hosque in illis instruere, hortari, & cogere in quantum possint teneantur, vt nedum ad missas, sed etiam ad vesperas, diuinaque officia audienda ad Ecclesias accedant, & similiter, ad prædicationes, & sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat eis legere possint.

§. XXXIII. Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & Sanctorum contemptum supra modum inualuit statuimus, & ordinamus, vt quicumque Deo, palam seu publicè maledixerit contumeliosisquè atque obscœnis

ſcœnis verbis Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum. Vel glorioſam Virginē Mariam eius genitricem expreſſe blaſphemauerit, ſi munus publicum, iuriſdictionemve geſſerit, perdat emolumenta trium menſium pro prima, & ſecunda vice dicti officij; ſi tertio deliquerit, illo eo ipſo priuatus exiſtat, ſi clericus, vel ſacerdos fuerit, eo ipſo quod delicto huiuſmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, fructibus applicandis, vt infra vnius anni multetur, & hoc ſi pro prima vice, qua blaſphemus ita deliquerit. Pro ſecunda vero ſi ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium eo priuatur ſi autem plura, quod ordinarius maluerit admittere cogatur. Quod ſi tertio eius ſceleris arguatur, & conuincatur; dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcumque habuerit, eo ipſo priuatus exiſtat, ad ea quæ vlterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere inpetrari, & conferri poſſint, laicus vero blaſphemans ſi nobilis fuerit, pœna XXV. ducatorum multetur, & pro ſecundà vice, L. fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe applicandorum, & aliis vt infra deducitur. Pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit in carcerem detrudatur, quod ſi vltra duas vices publice blaſphemans deprehenſus fuerit, mithra infami per integrā diem ante fores Eccleſiæ principalis mithratus ſtare cogatur, ſi vero pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conſcientiæ, nemo blaſphemiæ reus, abſque grauiſſima pœnitētia, ſeueri cōfeſſoris arbitrio iniuncta poſſit abſoluì; qui vero reliquos ſāctos blaſphemauerit arbitrio iudicis, rationē perſonarū habituri mitius aliquanto puniri vo umus, etiam vt ſeculares iudices, qui contra tales blaſphemiæ conuictos, non adnimaduerterint, eosque iuſtis pœnis minime affecerint quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxij, eiſdem quoque pœnis ſubiiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendiſque, diligentes, & ſeueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam conſequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant, quicumq; vero blaſphemantē audierint, cum verbis acriter obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingit eundemque deferre vel notificare apud iudicem Eccleſiaſticum ſeu ſæcularem intra triduum debeant? Quod ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audiuerint ſinguli eum accuſare teneantur, niſi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungātur officio. Quos omnes in virtute ſanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, in ſuis dominiis ac terris præmiſſa omnia ſeruari, & exactiſſime exequi manēdt, ac faciant vberrimam ab ipſo Deo tam boni ac pij operis mercedem habituri, ſimilemque annorum decem indulgentiam ab Apoſtolica ſede conſecuturi, cum tertia parte multæ quas dictus blaſphemus plectetur, quoties tale ſcelus puniēdum curauerint, quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam multæ partem, accuſatori blaſphemi nomen deferri, ſimiliter concedi, & aſſignari volumus aliis pœnis contra huiuſmodi blaſphemos per ſacros Canones expreſſis, nihilominus in ſuo robore manentibus.

§. XXXIV. Et clerici præſertim caſte continenterque, iuxta canonum præcepta viuant, ſtatuimus, vt contra facientes acriter ſecundum canones puniantur.

§. XXXV. Si qui verò tam laicus quam clericus de crimine propter quod venit rei Dei in filios diffidentiæ conuictus fuerit pœnis per ſacros Canones, aut ius ciuile reſpectiue impoſitis puniatur.

§. XXXVI. Concubinarij autem, ſiue laici, ſiue clerici fuerint, eorundem Canonum pœnis mulctentur, neque ſuperiorum tolerantia, ſeu praua conſuetudo, quæ potius coruptela dicenda eſt, à multitudine peccantium, aliave quælibet excuſatio, eis aliquomodo ſuffragetur, ſeu iuxta iuris cenſuram ſi verè puniantur. Ad bonum vero, & quie um Regimen ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum conſtitutiones bonæ memoriæ Ægidij Epiſcopi Sabin. olim editas innouamus, eaſque inuiolabiliter ſeruari præcipimus, & mandamus.

§. XXXVII. Et vt nefariæ ſimoniæ labes ac peſtis non ſolum à Romana curia ſed ex omni etiam Chriſtiana ditione in perpetuum eiiciatur, conſtitutiones per anteceſſores noſtros etiam in ſacris Conciliis contra huiuſmodi ſimoniacos editas innouamus eaſque inuiolabiliter ſeruari præcipimus ac pœnas in eis contentas pro expreſſis, & inſertis haberi, & delinquentes etiam auctoritate noſtra affici volumus.

§. XXXVIII. Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium, cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit legitimo impedimento ceſſante; beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis officij, & temporis, ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricam huiuſmodi beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneantur. Si vero vltra dictum tempus in ſimili negli

negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo priuetur, cum propter officium detur beneficium, intelligatur autem officium omittere, quoad hoc vt beneficio priuari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit. Reo tamen vltra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabiles toties ſit, quoties contra facere conuincantur.

§. XXXIX. Et cum fructuum Eccleſiarum Cathedralium, & Mtroapolitanarum monaſteriorumque, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, plenaria diſpoſitio, & adminiſtratio ad nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, & illos etiam qui huiuſmodi Eccleſias Monaſteria, & beneficia iure, & Canonice obtinent, ſolum pertineat ſæculareſque Principes. Omni etiam diuino iure id prohibente dictis Eccleſiis Monaſteriis intromittere ſe nullatenus debeant; ſtatuimus, & ordinamus vt fructus, redditus, & prouentus Eccleſiarum, Monaſteriorum ac beneficiorū, per ſæculares vllos Principes, etſi Imperatores, Reges, Reginæve, ſeu Reſpublicæ, vel Potentatus fuerint aut per eorum officiales, ſeu iudices etiam Eccleſiaſticos, vel quaſcumque alias perſonas publicas, vel priuatas, de eorundem Imperatoris, Regum, Reginarum, ac Principum, Rerumque publicarum, vel potentatuum, mandato ſequeſtrari, occuparive, aut modo aliquo detineri, ipſique huiuſmodi Eccleſias, Monaſteria, ac beneficia obtinenda, ſub prætextu fabricæ inſtaurationiſque, ſine Romani Pontificis, pro tempore exiſtētis expreſſa licentia aut eleemoſynarum, ſeu quouis alio colore, aut fuco impediri non debeant, quominus de illis vt antea libere, ac ſine impedimento diſponere valeant. Et ſi ſequeſtrati fuerint occupative, aut detenti, integre, libereque ac ſine exceptione, vel mora, Prælatis ad quos de iure legitimeque ſpectant reſtituantur de quibus, ſi diſſipati nus quam reperiri poſſint eorum iuſta æſtimatione facta dictis prælatis ſatisfieri volumus per eos qui dictas ſequeſtrationes, diſſipationeſque, quas fecerint aut fieri mandauerint ſub pœna excommunicationis; interdicti Eccleſiaſtici talium Principum, terris & dominio, eo ipſo incurrendis. Et vt eorum ac eiuſdem ſubiectorum bona vbicumque reperta, ſi moniti parere noluerint capi, & retineri poſſint ipſi vero contrafacientes tam ſupradictis pœnis quam priuationis feudorum, & priuilegiorum quæ à nobis, & Romana, vel aliis Eccleſiis nunc, & pro tempore obtinuerint, & aliis contra violatores, & oppreſſores libertatis Eccleſiaſticæ, etiam per, extrauagantes, & alias conſtitutiones etiam incognitas, & forſan iniuſſu, non exiſtentes, impoſitis quarum omnium tenores, pro expreſſis, & incertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, & declaramus, ac ſecundum eas per quoſcumque iudices etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata, & adempta eis aliter iudicandi declarandique poteſtate, ſententiari, iudicari, & interpretari debere volumus atque mandamus.

§. XL. Et cum à iure tam diuino quam humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit in nouamus omnes, & ſingulas conſtitutiones felicis recordationis Bonifacij Papæ octaui, etiam prædeceſſoris noſtri quæ incipit, Felicis, & Clementis quinti, quæ incipit, ſi quis ſuadente, nec non quaſcumque alias Apoſtolicas ſanctiones in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores, quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præſumentes in Bulla quæ legitur, in cœna Domini, contentis in ſuo robore permanſuris, & cum in Later. Pariter à Conciliis generalibus ſub excommunicationis pœna prohibitum fuerit ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Reſpublicæ, & filij Potentatus quocunque Regnis, Prouinciis Ciuitatibus, ac terris quoquo modo Præſidētes, Collectas, decimas, & alia huiuſmodi onera, clericis, Prælatis, & aliis quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis imponant exigantque neue à ſponte etiam dantibus, & conſentientibus etiam recipiant, atque in præmiſſis, auxilium, fauonem Conciliumve, palam vel occultè præſtantes in excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, eo ipſo incidant. Et ipſi quoque Reſpublicæ ac cōmunitates, & vniuerſitates, circa hoc quomodolibet, delinquentes, Eccleſiaſtico ipſo, ſubiiciantur interdicto, Prælati etiam præmiſſis abſque Romani Pontificis expreſſa licentia, vltra conſentientes, excommunicationis, & depoſitionis pœnam ipſo facto incurrant, ſtatuimus, & ordinamus vt de cætero alia præſumentes etiam ſi vt præfertur qualificati fuerint, vltrà ſupradictas pœnas, quas contrauenientes, eo ipſo incurrere volumus, innouamus, quoad omnes actus, legitimos inhabiles, & inteſtabiles habeantur.

§. XLI. Et cum ſecundum leges ciuiles, & ſacrorum Canonum cenſuras ſortilegia per inuocationem demonum, incantationes ac diuinationes ſuperſtitioneſque prohibitæ ſint, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, vt clerici, qui in præmiſſis culpabiles inuenti fuerint arbitrio ſuperiorum infamia

mia notentur. Si vero non destiterint deponantur atq; in monasterium, ad tempus arbitrio superioris præfiniendum detrudantur beneficiisque, & officiis Ecclesiasticis priuentur, laici vero, vtriusque sexsus excommunicationis, & aliis pœnis iuris tam ciuilis quam Canonici subiaceant.

§. XLII. Et vt omnes ficti Christiani ac de fide male sentientes cuiuscumque generis, aut nationis fuerint nec non hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti vel iudaicantes à Christi fideliũ cœtu penitus eliminentur, & à quocumque loco, & præsertim, à Romana curia expellantur, ac debita animaduersione puniantur, statuimus vt contra eos diligenti inquisitione, vbique, & in dicta curia maximè procedatur per iudices per nos deputandos, & eius criminis reos, & legitimè conuictos debitis pœnis puniri relapsos vero absque vlla spe veniæ aut remissionis effici volumus.

§. XLIII. Et cum constitutiones, & ordinationes nostræ huiusmodi quas pro nunc ordinamus vitam, mores, Ecclesiasticamque disciplinam concernant, tam officiales nostros quam alios tam in Romana curia quam extra vbique locorum commorantes imitari conuenit, illis ligari eosque ad eorum obseruationem inuiolabiliter teneri volumus atque decernimus.

§. XLIV. Et ne constitutiones ipsæ aliis censuris, ac pœnis in contra faciem per antiqua iura, & constitutiones impositas derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editæ atque cogitatæ fuerint, etiam declaramus per earum dispositiones, ordinationesque nihil prorsus iuri communi, vel decretis aliorum Romanorum Pontificum vllatenus derogatum esse, quin immo si qua in eis propter peruersam temporum aut locorum, vel hominum corruptelam vel abusum aut quamcumque aliam causam minimè probandam, vigorem suum amiserint ea ex nunc innouamus, confirmamus, & inuiolabiliter obseruari mandamus.

§. XLV. Quas nostras consultissimas constitutiones post duos menses ab earum publicatione, ligari, debere, etiam decernimus, & declaramus, districtius inhibentes, ne quis eas glossare, vel super eis commentaria, interpretationesue facere, absque speciali nostrá vel sedis Apostolicæ licentia, præsumat. Si quis autem ausu temerario contrauenerit, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat.

Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranen. Sacro-sancta Basilica solemniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentensimo decimo quarto. Tertio nonas Maij, Pontificatus nostri anno secundo.

Sequitur facultas cognoscendi causas quascumque etiam criminales absque irregularitatis incursu.

VRBANVS PAPA VIII.

Venerabilibus Vlpiano Archiepiscopo Theatin. necnon Raphaëli Zacynthien. Octauio Canallicen. Ludouico, olim Adrien. Antonio Casertan, & Alexandro nuper Hieracen. Episcopis, Ven. Fratres salutem, & Apostolic. benedict.

QVoniam in prosequendo munere visitationis Ecclesiarum, & piorum locorum huius Almæ vrbis nostræ ad quos vos nominatim ex Episcoporum ordine delegimus, facile contingere poterit, vt aliqua negotia criminalia pertractanda sint.

§. I. Nos conscientiam ac status vestrorum securitati opportunè prouidere volentes, vobis, & cuilibet vestrum, vt tam conuinctim quam diuisim, durante huiusmodi visitatione, ac illius occasione dumtaxat, quascumque quærelas, accusationes, denuntiatas contra quascumque personas tam Ecclesiasticas, sæculares, vel regulares, quam laicas cuiuscumque status, gradus, dignitatis, & præeminentiæ existen. recipere, & audire, causasque exinde, aut alias quomodolibet ex dicta visitatione vel illius causa emergentes, tam Ecclesiasticas, quam criminales, & mixtas, siue ad Procuratoris Fisci, siue ad aliorum quorumcumque instantiam, aut ex officio, audire, cognoscere, quandoque nobis referre, nobiscumque communicare, ac iuxta mandata nostra, seu alias provt Iustitia suaserit, & ordo dictauerit rationis, illas decidere, & terminare, aliasque in illis vos immiscere, ac sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut censurarum Ecclesiasticarum vel etiam irregularitatis incursu, etiam si inde sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam vltimi supplicij pœna infligenda venerit, dummodo vos ipsi à sententia sanguinis per vos ipsos ferenda abstineatis, libere, & licite valeatis, licentiam concedimus, & indulgemus.

§. II. Vtque liberius ab omnibus denuntiationes, quærelæ, & accusationes, ac causæ quæcumque ad dictam visitationem pertinentes deferri possint omnibus similiter, & singulis personis, tam laicis, quam clericis, etiam in sacris, & præsbyteratus ordinibus constitutis, sæcularibus, & quorumvis ordinum, Congregationum, & instituti regularibus quauis etiam Episcopali, vel maiori Ecclesiastica vel mundana dignitate vel præeminentia fulgentibus, qui in actu eiusdem visitationis, seu alias illius occasione aliquid, quod ad prædictas causas pertineat per viam denuntiationis, quærelæ vel accusationis, palam, vel occultè, sponte, vel ad aliorum etiam Procuratoris Fisci instantiam in iudicio vel extra Iudicium reuelauerint, aut in præmissis testimonium dixerint, dictauerint, detulerint, interrogauerint, vel interrogati responderint, vel ad reos detegendos, conuincendos, capiendos, custodiendos, puniendos, iudicia, votum, consilium, auxilium, vel fauorem, per se vel alium, directe, vel indirecte præstiterint, testes, Tabelliones, consultores, Procuratores, Aduocati, seu aliàs in præmissis se quomodolibet ingesserint, nullam propterea pœnam, vel censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter, & indulgemus.

§. III. Non obstantibus Generalis Concilij atque aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiuscumque ordinis, & Monasterij atque Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annullo Piscatoris die 29. Martij 1624. Pontificatus nostri anno primo.

Regulares, qui vltra solita vota, etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus priuationem aut dimissionem, à voto huiusmodi nullatenus liberantur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. CVm sicut accepimus diuersorum Ordinum, Congregationum & institutorum, ac etiam societatis Iesu personæ Regulares vltra alia vota, etiam votum, promissionem, siue iuramentum solemniter, siue simpliciter emittant, aut præstent de non petenda, nec procuranda, minusve acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua superioritate extra eorum Religionem.

§. II. Quoniam vero propter infirmitatem seu aliam legitimam causam, sedes Apostolica aliquibus personis Regularibus licentiam aliquando impartitur, sede vna ad aliam Religionem, etiam speciali nota & expressione dignam etiam laxioris obseruantiæ transferendi, necnon aliqui etiam Religionum supra expressarum, & cuiuslibet earum Generales, vel aliis superiores vigore vt asserunt facultatum sibi per sedem eandem concessarum translationem de vna ad aliam Religionem aut strictiorem vel laxiorem regularibus suis huiusmodi, vt se transferant occasionem præbent vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra claustra etiam in habitu clerici, vel sacerdotis sæcularis aliquando obtinere solent.

§. III. Ideo ne per præfatas, & quascumque alias translationes, expulsiones, & d missiones habitus regularis eorumdem Regularium, quauis authoritate, licentia, occasione, ratione, & causa quantumlibet rationabili, fauorabili, pia & publica, etiam in corpore iuris clausa, siue ratione maioris boni, ac alias quomolibet hactenus, & pro tempore facta, & facienda possint regulares huiusmodi quandocumque, vt præfertur, translati, expulsi, etiam post habitum religionis dimissum prætendere se à dicto voto, promissione, siue iuramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, & de illa etiam motu proprio collata non acceptando fuisse vel esse liberatos, quantum c m domino possumus opportune prouidere volentes, nec non voti, promissionis, seu iuramenti ac facultatum licentiarum, expulsionum, & causarum alioque etiam de necessitate exprimendorum veriores, & totos tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione declaramus, & decernimus, quoscumque regulares prædictos cuiusvis ordinis Congregationis, & instituti, etiam quomodolibet exempti etiam societatis Iesu per quamcumque translationem hactenus, & in posterum quamcumque de sua, ad aliam Religionem, vel ordinem, vt præfertur, seu aliàs quomodolibet etiam pluries, & per quamcumque expulsionem habitusque regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve, dici, aut censeri posse, seu debere à præfato voto promissione, seu iuramento liberatos, sed eos hactenus, & pro tempore, vt præfertur, translatos expulsos, ac à delatione habitus regularis absolutos vel priuatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi, proinde incapaces, & ad illas, petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde ac si translati ex

expulsi, seu à delatione habitus liberati, seu priuati non fuissent.

§. IV. Præsentet vero litteras, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causæ propter quas eædem præsentes emanarint adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatæ fuerint, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut inualiditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quouis defectu, etiam quantumvis magno inexcogitato, & substantiali, siue ex eo etiam, quod in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & ad impleta non fuerint, aut ex quouis alio capite à iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis enormissimæ, & totalis lectionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore iuris clausò, seu occasione vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduersus illas restitutionis, in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ vel iustitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam vti, seu se iurare in iudicio vel extra posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum, reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari.

§. V. Sic & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici auditores, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere legatos & Nuncios, ac alios quauis auctoritate, & potestate fungentes, in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. VI. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non cancellariæ nostræ Regulis, & quatenus opus fuerit, etiam illa de iure quæsito non tollendo, ac cuiusvis ordinis, Congregationis, & instituti huiusmodi etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad prædictum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. VII. Vt autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus quod eædem præsentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe nec non cancellariæ Apostolicæ valuas, ac in acie campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt perinde afficiant, & arctent, ac si vnicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. VIII. Quodque illarum transumptis impressis, sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam maiorem sub Annullo Piscatoris die 21. Maij 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Reuo

Reuocatio iudultorum ac priuilegiorum omnium, etiam per modum communicationis concessorum militiis, Hospitalibus, Collegiis, Religionibus, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus quibusvis tam Mendicantium quam non mendicantium, cæterisque locis piis, & eorum siue earum respectiuè personis, audiendi sæcularium personarum confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione.

Vrban. PP. VIII. Ad futuram rei memoriam.

CVm sicut accepimus aliquibus Religiosis quorumdam Ordinum seu Congregationum, à sede Apostolica indultum fuerit, vt sacramentales sæcularium personarum confessiones audire valeant, etiam si ab Episcopis diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint, nec desint, qui temere asseuerent hoc ipsum priuilegium cæteris quoque aliorum ordinum Regularibus competere ex amplissimis priuilegiorum communicationibus, quas ab eadem sede Apostolica obtinuerunt, & hinc saluberrimum sacri Concilij Tridentini decretum desuper sancitum penitus euertatur.

§. I. Huic malo opportune prouidere volentes, de Vene. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula indulta huiusmodi audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, societatibus, & etiam societati Iesu, Congregationibus, & Ordinibus tam mendicantium, quam non mendicantium, nec non Monachorũ quorumcumq; etiam sancti Benedicti, Cistertien. & Carthusien. ac etiam quibusvis Militiis, etiam Hopitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac quibuscumque Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis piis, siue eorum, & earum respectiue Abbatibus, Præpositis, decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus etiam Generalibus, vel Prouincialibus, Capellanis, confessariis, aut aliis quocumque nomine nuncupatis superioribus, & personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac sedi Apostolicæ immediate subiectis, cuiuscumque dignitatis præeminenticæ, & cõditionis existentibus, & quouis priuilegio munitis, & tam ad supplicationem partium quam motu proprio, & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quandocumque, & qualitercumque ex quauis etiam de necessitate exprimẽda causa, & aliàs quomodolibet concessa, Apostolica authoritate tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusq;, & effectu euacuamus, ac reuocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, societatibus etiam societati Iesu, Congregationibus, Ordinibus, ac Militiis, & Ecclesiis, Monasteriisque prædictis eorumq; superioribus, & personis quibuscumq; in posterum vllomodo suffragari, minusque illos, & illas, etiamsi de iis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiusmodi vti posse.

§. II. Præsentes verò litteras, & in eis contenta quæcumq;, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint de subreptionis vitio, aut intentionis nostræ, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas, quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. III. Sicque per quoscumq; iudices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiã de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi authoritate, & facultate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus.

§. IV. Non obstantibus præmissis ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, ordinibus, societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumq; Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis superioribus, Capellanis, aliisque prædictis sub quibuscũq; tenoribus formis ac cũ quibusvis, etiã derogatoriarũ derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorũ sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & indiuidua de de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idẽ importãtes mentio, seu quævis alia expressio habẽda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda fo-

ret

ret, tenores huiusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haben. illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. V. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. VI. Quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Ioann. Lateran. ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem; sub Annulo Piscat. die 12. Sept. 1628. Pontific. nostri ann. 6.

Quod Fratres Capuccini Ordinis S. Francisci ad laxiorem ordinem, sine sedis Apostolicæ, ad Carthusien. vero sine Ministri Generalis licentia de cætero non transeant.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INiuncti nobis Apostolici muneris, ratio postulat, vt Religiosorum virorum, qui spretis huius sæculi vanitatibus diuini numinis obsequiis sub suaui Religionis iugo, & strictioris obseruantiæ regulis sese manciparunt paternam curam gerentes in eiusdem muneris partes sedulo intendamus, per quæ prospero felicique eorum statui, & directioni opportunè consulatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. I. Cum itaque sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, nonnulli dicti ordinis Religiosi nulla desuper ab Apostolica sede, vel superioribus suis obtenta licentia ad alios ordines, seu Congregationes, se transferre posse prætenderint, & prætendant, non sine graui regularis disciplinæ obseruantiæ detrimento, dictique ordinis, inquietudine.

§. II. Nos pro nostri Pastoralis officij debito præmissis quantum nobis ex alto conceditur, obuiam ire, prosperóque ipsius ordinis statui, & quieti consulere volentes supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero perpetuis futuris temporibus, vllus dicti ordinis Religiosus ad laxiorem absque speciali nostra, & Sedis Apostolicæ ad Carthusien. vero, seu quemcumque alium ordinem, vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis dicti ordinis licentia in scriptis obtinente, quouis prætextu, aut ex quauis quantumuis iusta, legitima & priuilegiata causa sub Apostasia & infamiæ perpetuæ nota, necnon excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis ipso facto absque vlla declaratione incurrendis transire, quoquomodo audeat, seu præsumat, Apostolica authoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

§. III. Decernentes præsentes litteras semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & in futurum spectabit inuiolabiliter obseruari.

§. IV. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quauis Authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. V. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum, ac quorumuis aliorum ordinum, & Congregationum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem ordinibus, & Congregationibus, illorumque superioribus, & personis, sub quibuscumque tenore & formis, ac cũ quibusuis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, cõfirmatis & innouatis, quibus omnibus, & singulis eorum ten. præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. VI. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die nono Augusti 1628. Pontificatus nostri anno sexto.

Reuocat

Reuocat omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, immunitates, & exemptiones, quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum, Religiosis in Regnis Hispaniarum existentibus, tam per Apostolicam Sedem illiusque in DD. Regnis Nuncios, quam eorum superiores concessa, ac prohibet illa de cætero absque sua, & Sedis Apostolicæ licentia concedi.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officij nobis diuinitus commissi solicitudo iugiter nos admonet, vt omni cura & vigilantia, ad ea semper intendamus, per quæ regularium personarum, quæ relicto sæculo diuini numinis obsequiis sese manciparunt, quieti, felicique statui, ac regularis disciplinæ conseruationi consulitur, vt ipsæ personæ iuxta Regularia suorum Ordinum instituta, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

§. I. Cum itaque sicut accepimus in Regnis Hispaniarum diuersa priuilegia, prærogatiuæ, immunitates, atque exemptiones diuersorum ordinum Religiosi, tam ab ipsorum superioribus, quam a sede Apostolica illiusque in dictis Regnis Nũtiis pro tempore existentibus concessa reperiantur, per quæ iidem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur & Monasteriis, & Regularibus domibus ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum ac cum sociis sibi bene visis, & iam destinatis etiam superiorum suorum non petita licentia egrediuntur absque eo quod iidem superiores tam huiusmodi egressum, quam sæcularium personarum quibusuis horis ad eorum cellas accessum, atque ingressum impedire possint. Præterea de vno ad aliud monasterium, seu regularem domum, etiam ipsis superioribus inuitis transeunt, nec choro & aliis spiritualibus exercitiis, minúsque refectorio cum aliis interfunt, ex hoc autem grauissima inconuenientia, & scandala, in non modicum regularis obseruantiæ, & disciplinæ detrimentum exoriantur.

§. II. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus obuiare volẽtes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, omnia, & singula, ac quæcumque huiusmodi priuilegia prærogatiuas, immunitates, & exemptiones, quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Religiosis, tam per sedem Apostolicam illiusque in eisdem Regnis Nuntios, quam illorum superiores ex quacumque causa, ac sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & abrogamus, ac reuocata, cassa, & abrogata viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nec illa cuiquam suffragari, nec de cætero absque nostra, & sedis Apostolicæ licentia concedi posse.

§. III. Sicque & non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane secus quicquid secus super his a quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus.

§. IV. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon (quatenus opus sit) Ordinum, & Institutorum huiusmodi, & a quibusuis aliis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Religiosis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnõ irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa & indiuidua mentio habenda esset illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. V. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 30. Iulij 1636. Pontificatus nostri ann. 3.

DECRETVM.

Sacræ Congregationis, Visitationis Apostolicæ Sanctissimi D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ octaui, constitutæ contra Religiosos, & Ecclesiasticos quoscumque quæstuosas artes exercentes pro sæcularibus.

CVm non deceat eos qui diuino ministerio adscripti sunt, in sæcularibus negotiis

tiis nimium esse implicatos quæstuosas artes exercendo, sacra Congregatio Apostolicæ visitationis, ad tollendos varios abusus qui in diuersis vrbis, eiusque districtus Monasteriis irrepserunt, dum iidem Religiosi pro se vel à communitatibus aut aliis sæcularibus requisiti diuersas mechanicas, seu venales artes exercere student, quod omnino ab Ecclesiastica disciplina alienum esse debet, cum præsertim in graue hoc artium & pauperum Artificum eorumque familiarum in vrbe eiusque districtu existentium præiudicium cedat, statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit, omnibus tam superioribus quorumcumque ordinum, vel congregationum, monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in vrbe eiusque districtu existentium; quam particularibus Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscunque, ne in posterum, siue Religionis nomine, siue particulari audeant, præsumant, per se, vel per alios exercere in suis conuentibus, vel alibi in quocunque loco vllam venalem artem, siue Aromatariam, Pistoriam, lanificium, textrinum, aut aliam quamlibet, præterquam pro suis Religiosorum, aut Alumnorum vsibus, nec vllo modo sæculatibus, aut aliis Religiosis, & Ecclesiasticis, pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocunque elaborata, & ornata vendere etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis absque speciali licentia in scriptis obtinenda, etiam ab iis Religiosis, quibus ex particulari suæ Religionis instituto id alias liceret.

Si quis vero ipsorum aliquid contra hoc decretum quoquomodo facere vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam suspensionis à diuinis priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ absque alia declaratione incurrat.

Et nihilominus contra eos Generalis Thesaurarius procedat tanquam contra illicitos negotiatores, confiscando omnia lucra, & capitale ad dictas artes, & opificia spectantia.

Non obstantibus, quoad supra scripta omnia, & singula in præsenti decreto contenta, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcumque personarum atque Ordinum, siue Congregationis Cassinensis, fratrum Prædicatorum quorumcunque, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario, ac indiuiduo exprimendi Ecclesiarum Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regluarium locorum, nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibus quoad ea quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio sanctitatis suæ authoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscunque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem sacra Congregatio, vt præsentes ordinationes in valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranens. & Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est affixæ omnes ad quos pertinet ita arcent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ die 29. Augusti. 1637. I.B. Episc. Cam. Vicesg. & Secret.

Annullatio, & suppressio prætensæ Congregationis Iesuitissarum.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Romani Pontificis, cui cura vineæ Domini Sabaoth ineffabili superni Patrisfamilias prouidentia concredita esse dignoscitur solicitudo, in id præcipue incumbit, ne in agrum Dominicũ Operarij sine delectu temere se ingerant, sata diligent, consita euellant, zizania inferant, & adulterinas in eo plantas superinducant.

§. I. Licet autem Orthodoxis Lateranen. & Lugdunen. Conciliorum generalium ordinationibus districte prohibitum esset, ne quis nouæ Religionis instituendæ authoritatem sibi arrogare præsumeret, pariterque fel. record. Ioannis XXII. Virorum, & piæ mem. Clementis V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum salutaribus constitutionibus mulierum cœtus authoritate priuata, & de facto instituti tanquam exitiosi palmites damnati, & sublati fuissent.

§. II. Et nihilominus (prout non sine graui animi nostri molestia acceperamus) in nonnullis Italiæ, & vltra montanis partibus certæ mulieres, seu virgines Iesuitissarum nomine assumpto, citra vllã sedis Apostolicæ approbationẽ ab aliquot annis in vnũ conuenire solitæ, vitæ Religiosæ ducẽdæ prætextu peculiarem, & distinctum à cæteris habitum vsurpassent, ædificia in Collegiorum forma redegissent, domos probationũ erexissent, in eisque superiorem, ac prætensæ Congregat. suæ Generalem, indito Præpositæ titulo, & attributis facultatibus bene visis constituissent, in illiusque manibus, paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota ad instar solemnium emittere, clausuræque legibus nõ adstrictæ pro libitu diuagari, ac specie salutis animarum promouendæ, aliaque opera permulta sexus, & ingenij imbecillitati, & modestiæ muliebri, ac virginali, præsertim pudori minimè conuenientia, & quæ viri sacrarum litterarum scientia, rerum vsu, vitæque innocentia spectatissimi, difficile admodum, & non nisi magna circumspectione adhibita aggrediuntur, attentare, & exercere consueuissent.

§. III. Nos excrescentes in agro militantis Ecclesiæ vepres mature euellere satagentes venerabili fratri Aloysio Episcop. Tricaricen. nostro & Apostolicæ sedis in partibus inferioris Germaniæ Nuncio, & nonnullis locorum ordinariis dedimus in mandatis, quatenus propositis grauibus periculis, & scandalis exinde resultantibus mulieres, seu virgines præfatas ex parte nostra Apostolica serio monitas à temerario incœpto ad saniora consilio reuocare conarentur. Verum, quia illæ Dei timore, ac nostro, & Sedis Apostolicæ, & respectu posthabito, in graue animarum suarum præiudicium, & bonorum omnium offensionem arroganti contumacia, paternis, & salutaribus monitionibus nostris nedum non paruerunt, sed etiam in dies similia attentare, ac multa sanæ doctrinæ aduersantia proferre non erubescunt.

§. IV. Nos tantum temeritatem acriori censura coercendam, & plantas istas Ecclesiæ Dei noxias, ne vlterius se diffundant radicitus euellendas, & extirpandas esse decreuimus. Habitaque itaque cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus ab eadem sede specialiter deputatis matura consultatione de illorum vnanimi consilio & assensu conciliorum generalium præfatorum decretis, eorumdémque prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes prætensam Congregationem mulierum, seu Virginum Iesuitissarũ nuncupatarum, illarúmque sectam, & statũ ab ortus sui primordio, nullos & inualidos, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse Apostolica authoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus, & quia de facto processerunt eadem authoritate penitus, & omnino supprimimus, & extinguimus perpetuæque abolitioni subiicimus, & ab Ecclesia Dei Sacro-Sancta funditus tollimus, delemus, & abrogamus, ac pro suppressis, extinctis, euulsis, deletis, & abolitis ab omnibus Christi fidelibus haberi, & reputari volumus, & mandamus; nec mulieres, & virgines huiusmodi ad votorum præfatorum obseruationem vllo modo teneri, & obligari volumus insuper assertas visitatrices, Rectores, & Præpositam Generalem, ac alias quascumque Congregationis, & sectæ huiusmodi officiales, quocumque nomine appellatas officiis, & muneribus suis de facto vsurpatis omnino priuatas esse, & fore decernimus pariter, & declaramus, & quatenus opus sit priuamus, illasque ab eisdem officiis, & muneribus omnino amouemus, easque omnes & singulas mulieres, seu virgines, quæ votis, seu cuiuscumque alterius vinculi, promissionis, vel cuiusvis causæ prætextu ad aliquam obediẽtiam se obligatas putarent, & ab ea, & quocunque vinculo, & promissione huiusmodi, etiam rata, & iurata absoluimus, & totaliter liberamus.

§. V. Ad hæc mulieribus, seu virginibus & assertis earum superioribus præfato, & quocunque alio nomine nuncupatis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris pœna ipso facto incurrenda aquam non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo constitutæ absolui possint, & præcipimus, & mandamus, vt extra huiusmodi collegia, vel domus vbi hactenus habitarunt aliæ ab aliis seorsum degant, nec insimul aliquod spirituale, vel temporale consultandum, seu peragendum, aut de eo quouis modo tractandum conueniant, susceptum per eas de facto, vt præfertur, habitum statim deponant, nec illum amplius reassumant, minúsque alias virgines, seu mulieres ad illum admittant, vel recipiant, nec vlli earum ad hæc consilium, auxilium, vel fauorem directe, vel indirecte, aut aliàs quomodolibet præstent; vel pro religiosis, seu prætensæ Congregationis, aut sectæ huiusmodi sequacibus, vllo modo se gerant mulieres etiam, ac virgines, quæ eo animo vota licet de facto, vt præfertur, emiserint, vt in illo status ab Apostolica sede reprobato, ea emissuræ non fuissent, vtpote conditione sub qua tacitè vouerunt non impleta à votorum huiusmodi obligatione omnino solutas, & liberas esse declaramus. Quæ autem in quemcumque euentum vouere voluerunt, cum earum vota sint simplicia honeste viuere, seorsum tamen ab aliis huius status reprobati, ac prætensæ Congregationis, seu sectæ; & ab omnibus supra prohibitis abstinentes, in sæculo

culo poterunt sub Ordinarij obedientia, & cum vsu, non dominio bonorum, sed tantum cum facultate quam misericorditer cōcedimus, de iis in vita, & in morte ad vsus pios disponendi, ab intestato etiam ad eos deuoluendis, qui paupertatis voto ab his mulieribus non emisso, illis successuri fuissent, & in euentum in quem aliquæ ex mulieribus seu virginibus præfatis ad coniugalem statum transire voluerint eis permittimus, vt matrimonium seruatis aliàs seruandis, contrahere possint, eisque Apostolicam benedictionem, & quatenus opus sit cum omnium votorum de facto, vt præfertur, emissorum relatione impartimur. Quoniam vero secundum Apostolum qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit, easdem mulieres, & virgines per viscera misericordiæ Christi quo possumus paternæ charitatis affectu monemus, & in Domino hortamur attente vt desiderij quo se regularis vitæ ducendæ teneri ostenderunt memores tollant iugum Domini super se, & abnegantes semetipsas, & sæcularia desideria approbatum ab eadem sancta sede aliquem sanctimonialium ordinem quāto citius ingrediantur, inibique fideli, & pia promissione vota voueant Deo Iacob, & innocentes manibus, & mundo corde in assiduo spiritualium operum exercitio superædificantes exhibeant se illustriorem gregis Christi portionem lāpadesque suas flāma charitatis succēsas prudenter aptent, sponso cœlesti obuiam ituræ.

§.IV. Decernentes præsentes litteras, omniaque, & singula in eis contenta etiam ex eo quod prætensæ congregationis vel sectæ mulieres, aut virgines huiusmodi, vel alij cuicunque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocatæ, & auditæ, seu vocati, & auditi, minúsque causæ propter quas eædem præsentes emanarint adductæ verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatæ fuerint nullo vnquam tēpore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut inualiditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quouis defectu, etiam quantum ius magno inexcogitato, & substantiali, seu etiam ex eo quod in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, & quæuis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & impleta non fuerint, aut ex quouis alio capite ac iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormissimæ, & totalis lectionis, aut quocunque alio colore, etiam in corpore iuris clauso; seu occasione vel causa, etiam quantumuis iusta rationabili, & priuilegiata, etiam tali quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra huiusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil vllibi appareret seu aliter probari potest notari, impugnari, inualidari, retradari, in ius vel controuersiam reuocari, aut ad terminos reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcunque iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel consenso quempiam vti, seu se iurare in iudicio vel expressa posse nec ipsas præsentes sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore, quomodolibet faciendi, comprehendi, sed semper ab illis exceptas perpetuoque validas, firmas, efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari, sic & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios ac alios quauis authoritate, & potestate fungentes in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.VII. Quocirca venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis nostris, & Apostolicæ sedis Nunciis, necnon Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis vbilibet existentibus per Apostolica scripta mandamus, vt statim ac præsentes nostræ litteræ ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam quoquomodo peruenerint, illas solemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcunque debitæ executioni demandent, & dāmnandari procurent, per se vel alium seu alios, prout in Domino iudicauerint expedire, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas, Ecclesiasticas, aliáque opportuna iuris, & facti remedia omni, & quacunque appellatione, recursu, & reclamatione remotis compescendo inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis Non obstantibus quatenus opus sit recolendæ mem Bonif. Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & in concilio generali edita de duabus dictis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

§.VIII.

§.VIII. Vt autem præsentes, & in eis contenta, quæcunque ad omnium notitiam deducantur, & nè aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes, per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valuas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur earum exempla eisdem in locis affixa dimittantur, quæ si publicatæ, & affixæ, post duos menses à die publicationis computandos, omnes & singulos quos concernunt perinde afficiant, & arctent, ac si vnicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§.IX. Quoque illorum transumptis impressis sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.X. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, subiectionis, ablationis, deletionis, abrogationis, decretorum priuationis, amotionis, absolutionis, liberationis, præcepti, declarationum, permissionis, impartitionis, monitionis, hortationis voluntatem, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Ann. Incarnationis Dominicæ 1630. Idus Ianuarij Pontificatus nostri ann. 8.

DECISIONES S. ROTÆ Romanæ.

R. P. D. Dunozetto Tullen. Reformationis Veneris 30. Martij 1629.

ARGVMENTVM.

Reformatio in aliquo ordine quando censeatur introducta de consensu Generalis. Multa de ordine Præmonstratensi.

DECISIO.

CVm Abbates, & Conuentus Sanctæ Mariæ Maioris nuncupatæ Oppidi Mussiponti, Iustimontis ac Saliuæ vallis Meten. & Tullen. Diœcesum respectiue Præmonstraten. Ordinis, Reformationem antiquæ eiusdem ordinis austeritati conformē su cepissent, & dubitarent, ne huiusmodi R fo mationis negotium destitueretur, cū à Capitulorum Generalium eiusdem Ordinis nutu totaliter penderet, & vix stare posse existimarent, nisi Sedis Apostolicæ authoritate muniretur à felic. record. Paul. V. Bullam confirmatoriam huiusmodi negotij obtinuerunt, & quia cum post professionem dicti Abbates, & Conuentus nonnullas leges & constitutiones, & ordinationes ad conseruationem dictæ reformationis tuli sent dubitabant pariter, ne huiusmodi constitutiones eiusdem Capituli Generalis cēsuris subiacerent, easdem à san. mem. Gregorio XV. obtinuerunt confirmari, sed quia Abbas & Capitulum Generale Præmonstraten. dictas Bullas impugnabant vti nulliter, & subreptitie obtentas, dubitaui, an dictæ Bullæ essent iustificatæ, & Domini, vnanimi consensu responderunt pro illarum iustificatione.

Et primo, quoad Bullam Pauli V. ea visa fuit in omnibus iustificata. In ea enim primo narrabatur, quod Abbas, & Conuentus, Oratores, ante aliquot annos Reformationem antiquæ eiusdem ordinis austeritati conformē, de consensu tunc existentis Abbatis Generalis eiusdem ordinis susceperūt, secundo quod iam Abbates, & conuentus pro illius Reformationis obseruātia statuta, & ordinationes condiderunt. Tertio, quod iidem in ipsa reformatione illuc vsque cum consensu, & approbatione moderni Abbatis Generalis dicti ordinis perseuerarunt. Quarto, & vltimo quod reformatio huiusmodi sine sedis Apostolicæ auctoritate vix stare possit, cum à dicti Capituli generalis nutu penderet ea destruere. Quæ omnia visa fuerunt bene iustificari.

Nam quoad primum, nempe quod Abbas & conuentus, oratores ante aliquot annos hanc reformationem de consensu tunc existentis Abbatis generalis eiusdem ordinis amplexi fuerint, illud abunde iustificatur ex approbatione constitutionis dictæ Reformationis communitatis antiqui rigoris facta de anno 1611. ab Abbate generali tunc tēporis, in qua enunciatur tam institutio dictæ Reformationis, quam etiam conformitas primæuo ordinis instituto, vt ex instrumento publico dato in summario communitatis *num.* 4. ex quo, cum faciat probationem probatam *leg. tum precibus C. de probationibus.* Rot. *decis.* 60. *n.* 1. *& decis.* 590. *n.* 1. *part.* 1. *recent.* bene remanet iustificata narratiua, quod reformatio fuerit introducta de consensu Abbatis Generalis, & secunda, quod fuerint condita statuta, & constitutiones.

Quoad tertiam vero narratiuam, etiam

ea bene iustificabitur,quia D. Petrus Grossetus modernus Abbas Generalis dicti Ordinis de anno 1616. Constitutiones dictæ reformationis examinauit, & approbauit; nec non censuit illius professores ad earum obseruantiam esse hortandos, vt in instrumento approbationis, quod datur in eodem summario, *num.* 5. ex quo bene remanet iustificata dicta tertia narratiua. *Rot. decis.* 17. *num.* 7. *p.* 7. *recent.*

Quoad quartam & vltimam narratiuam, nempè, quod huiusmodi reformatio absque sedis Apostolicæ auctoritate securè sustinere non posset, non indiget alia iustificatione, cum hoc sit satis notum, ex quo dicta Reformatio totaliter pendebat à nutu Capituli generalis, cui etiam sacrum Concilium Trident. quoad obseruantiam Regulæ dedit omnimodam potestatem, *cap.* 1. *sess.* 25. *de regul.*

Quo vero ad iustificationem Bullæ Greg. XV. in qua pariter tria, aut quatuor narrantur, ea visa fuit clara.

Si quidem in eo primò narratur,quod litteræ Pauli Quinti propter nonnulla impedimenta suum sortiri effectum non potuerunt. Secundò, quod disciplinæ veteris rigor à capitulis generalibus antea approbatus,& singulis Religiosis,& integris Monasteriis primum permissis, deinde curæ Abbatis generalis in visitatione quasdam leges, & ordinationes edidit sub benè placito sedis Apostolicæ; quæ Ordinationes per extensum in dictis litteris sunt insertæ. Quartò, & vltimo narratur votum Congregationis Regularium super dictis ordinationibus.

Quoad primum, quod dictæ litteræ non fuerint exequutioni demandatæ, non indiget alia iustificatione, quia in hoc principalis intentio non consistit,& sufficit, quod de facto verificetur. *Rota. decis.* 410. *num.* 4. *part.* 1. *recent.* & hoc inter partes non controuertitur.

Secunda narratiua iustificatur, quia de anno 1618. Capitulum generale approbauit easdem constitutiones reformationis,& concessit facultatem omnibus Religiosis, & Monasteriis integris eiusdem Ordinis amplectendi reformationem, vt constat ex instrumento dictæ concessionis in eodem summario, *num.* 8. ex quo bene iustificatur narratiua facta in his litteris Gregor. quod disciplinæ veteris rigor à capitulo generali antea fuerit approbatus, & permissus.

Tertia narratiua, quod Abbas Generalis ex visitatione Monasteriorum communitatis ediderit quasdam leges regimine, & manutentione reformationis, probatur etiam ex publico instrumento, quod datur in summario, *num.* 6. nec non ex quo dictæ leges seu constitutiones fuerint insertæ in litteris Apostolicis, vnde apparet Papam de illis habuisse plenam informationem. *Socin. consil.* 266. *versic. confirmatur*, *lib.* 2. Alex. *cons.* 15. *num.* 2. *lib.* 5.

Vltima denique narratiua de approbatione articulorum, & ordinationum Reformationis facta à sacra Congregatione non eget aliqua probatione, cum sit narratiua ipsius Pontificis, cui assertioni est standum. *Rota decis.* 361. *num.*... *decis.* 612. *num.* 3. *in fine p.* 2. *recent.*

Et ita vtraque.

Coram eodem, in eadem. Lutæ 18. Iunij 1629.

ARGVMENTVM.

Assertioni Episcopi,licet careat testibus, quando sit adhibenda fides. Gratia quibus in casibus præsumatur obtenta ab eo cuius nomine cantat.

DECISIO.

LItteras Reformationis fel.record.Pauli Papæ V. & Greg.XV. Iustificatas esse, domini sub die 30. Martij præteriti, & hodie reproposito dubio super eisdem, vnanimiter responderunt per rationes ponderatas in præcedenti decisione, non obstantibus vltimo loco deductis pro parte Abbatis, & capituli, non acquiescentium decisioni prædictæ.

Nonobstat, quod narratiua susceptæ reformationis de consensu Abbatis non possit iustificari ex instrumento confecto de anno 1611. in summario communitatis in alia positione dato *num.* 4. cum statuta videantur condita de anno 1616. Quia obiectum cessat ex facto, ex quo re vera statuta emanauerunt de anno 1611. quo tempore Abbas Reformationi consensit. De anno vero 1616. illa reuisa, & approbata fuerunt à Generali: quæ approbatio, & reuisio præsupponit eorumdem statutorum præexistentiam alias non potuerint approbari nec augeri *leg. nam*, *& si ff. de iniust. rupt. test. cap.* ad *ad dissoluendum ibi*, *not. de spons. in cap.* 1. *&* 2. *de confirmatio. vtil. vel inutil. & in cap. ex parte de constit.* Guidop. *decis.* 629. *num.* 12. *vers. quia quod non est.*

Nonobstat, quod scriptura in qua nititur decisio quæ reuidetur pro iustificatione primæ naratiuæ non sit in forma probanti, tanquam extracta à Notario de illa non rogato. Quia hodie datur originalis informatio Episcopi Virdunen. capta de ordine Congregationis Episcoporum, & Regularium in qua est inserta de verbo ad verbum dicta scriptura quæ prætenditur in formis, cui originali informationi Episcopi fides est adhibenda, etiamsi testibus careret cum Episcopus attestetur de actu extraiudicialiter sibi commisso à Congregatione. Bero. *consil.* 88. *num.* 21. *lib.* 1. Neuizan. *consil. vlt. num.* 3. *&* 10. Menochius *consil.* 114. *num.* 10. Præsertim quia extracta fuit à Notario solito extrahere instrumenta, etiam producta pro Abbate, & capitulo, ita vt illius legalitas censeatur à partibus approbata Cardin. Caualer. *decis.* 640. *num.* 10. quæ informatio Episcopi præsumitur integra donec per Abbatem, & capitulum contrarium probetur, *Rota decis.* 64. *num.* 1. *part.* 1. *diuers.* Cardinal. Caualer. *decis.* 335. *num.* 1. *& decis.* 572. *num.* 7. Greg. 15. *decis.* 59. *num.* 1. & ibi Adden.

Narratiua quod Abbas,& conuentus Iustimontis,& Saliuæ vallis susceperint statuta,probatur ex eadem informatione Episcopi. Item ex mandato procuræ facto Ægidio Martino nomine conuentus Iustimontis ad acceptandam huiusmodi reformationem; cuius vigore postmodum per modernum Abbatem generalem prædictus conuentus fuit adiunctus prædictæ communitati, & reformationi, cui adiunctioni etiam dictus Abbas Iustimontis consensit, & cum omnibus Religiosis eiusdem conuentus se subscripsit,vt ex iuribus in summario communitatis in hac positione dato,*num.* 4. *&* 5. per quam subscriptionem vtique acceptarunt omnia, & singula contenta in mandato. Gabriel. *conclus.* 3. *num.* 1. *de præsumpt. Seraphin. decis.* 973. *num.* 1.

Non obstat quod quamplura ex his quæ fuerunt statuta,non sint conformia antiquo rigori,& non fuerint obseruata. Quia contrarium apparet ex dicta relatione Episcopi Virdunen. cui,est deferendum nisi contrarium probetur, quamuis, consistat in negatiua; Alexand. *consil.* 27. *num.* 13. *lib.* 2. Rot. *decis.* 362. *num.* 2. *p.* 1. *in recent.* Caualer. *decis.* 315. *num.* 5.

Non obstat quod si dicti summi Pontifices sciuissent, provt ipsis fuit tacitum, statuta antiqua fuisse modificata per illum secundum quoad esum carnium, vtique dictam reformationem non confirmassent. Quia imò à dicta confirmatione non se retraxissent,cum facilius sit reditus ad ius antiquum, glossa *in cap. statutum in verb. numerandum de præbend. in* 6. *sacrum Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 1. *in illis verbis* (vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina instauretur.)

Non obstat quod non doceatur de consensibus conuentualiter præstitis à conuentibus Saliuæ vallis, & Iustimontis. Quia contrarium apparet ex iuribus datis in summario communitatis *num.* 5. in quo legitur quod Abbates,& conuentus prædicti dederunt mandatum procuræ ad obtinendam à sede Apostolica confirmationem dictæ reformationis, in quo mandato sunt subscripti dicti Abbates, Priores, & omnes alij fratres dictorum conuentuum. Qui consensus propterea censentur præstiti non solum vti singuli, sed etiam conuentualiter Gabr. *concl.* 1. *num.* 3. *&* 9. *de cuiuscumque vniuers. nom.*

Neque obstant testes in Curia nuper examinati pro parte Abbatis,& capituli ad probandum non interuenisse consensum Abbatum, & conuentuum. Quia magis est standum scripturis quam testibus, & præsertim magis est creden. dictæ informationi datæ per Episcopum Virdunen. de ordine Congregationis provt magis est standum confirmationi statutorum factæ per Abbatem Generalem; & hæc probatio per scripturas in concursu cum testibus debet præualere *leg. census*, *ff. de probat.* Crauett. *consil.* 54. *n.* 15. Rota *decis.* 582. *num.* 6. *part.* 1. *recent.*

Non obstat quod obiicitur contra litteras Gregorij, non probari Abbatem dedisse mandatum ad supplicandum. Quia cum expeditio non potuerit fieri absque expensa,& sine Abbatis consensu,gratia esset difficilis concessionis,istis concurrentibus gratia præsumitur obtenta ab eo cuius nomine cantat iuxta decisiones relatas ab Add. *ad decis.* Gregor. 331. *num.* 19. stante maxime executione dictarum litterarum subsecuta in partibus ad instantiam dicti Abbatis, qui hoc modo easdem litteras approbauit, & se fuisse Oratorem fassus fuit, *leg. filiusfamil. ff. ad Maced.* Bart. *in leg. cum tabernam* §. *idem quæsuit in fine ff. de pig.* Caualer. *decis.* 26. *sub num.* 24.

Denique non obstat quod non possit; iustificari narratiua,quod Petrus Claudius, & alij essent Monachi Sancti Pauli, & Saliuæ vallis, cum doceatur istos emisisse professionem in aliis Monasteriis. Quia Monachus in aliquo Monasterio professus potest de licentia superioris ad aliud Monasterium transferri,*cap. licet quibusdam de regul.* & sic cessat impotentia ex aduerso allegata.

Coram eodem in eadem Mercurij, 4. Iunij 1629.

ARGVMENTVM.

Remissoria multis in casibus conceditur, vt in decisione.

DECISIO

DECISIO.

CEnsuerunt Domini non esse dandam remissoriam, Abbati, & capitulo Generali Præmonstraten. Nam licet ex 17. articulis per illos exhibitis, quinque primi videantur releuantes, tamen non visi fuerunt tales vt eorum respectu possit concedi remissoria, quia materia in illis articulata potest probari per scripturas. Quo casu intrat Regula quod non datur remissoria ad probandum per testes, id quod potest probari per scripturas. Rota *dec. 46. de testib. in antiq. & decis. 314. num. 1. p. 1. & decis. 45. num. 21. p. 2. recent.* Greg. 15. *dec. 253. num. 2.* & quia per multa instrumenta publica producta pro parte communitatis antiqui rigoris contrarium apparet eius quod fuit articulatum; vnde intrat alia regula, quod non solet concedi remissoria ad probandum per testes id quod per publica instrumenta fuit iam probatum, Seraphin. *decis. 1460. num. 3.* cum probatio per instrumenta præualeat probationi factæ per testes, *leg. censum ff. de probat. Innoc. in cap. cum Dames. num. 6. de fid. instrum.* Crauett. *consil. 54. num. 15.* Rota *decis. 91. num. 9. & decis. 561. n. 6. p. 1. recent.*

Quod autem repectu dictorum articulorum remissoria non possit concedi patet.

Nam quantum ad primam, quod tendit ad probandam possessionem Abbatis, & capituli generalis visitandi omnes conuentus eiusdem Ordinis, non est opus remissoria cum pro parte communitatis non controuertatur iurisdictio Abbatis, & Generalis in iis quæ non repugnant litteris Apostolicis iuxta alias decisa, & offerat separatam admittere visitandum Abbatem generalem iuxta formam capitulorum reformationis.

Quo verò ad secundum in quo articulatur Abbates, & conuentus Iustimontis, & Saliuæ vallis Ordinis pariter Præmonstraten. repræsentatos per solos Canonicos ibi affiliatos non dedisse mandatum procuræ ad supplican. *fel. record.* Paulo quinto pro reformatione non visa fuit posse dari remissoria; quia constat de instrumento mandati procuræ, quod datur in summario *num. 1.* & quod hæc narratiua fuerit iustificata fuit dictum in duabus decisionibus in hac causa factis.

Ad tertium articulum continentem Generalem præ mortuum non consensisse reformationi, & eius capitulis non potest concedi remissoria eius respectu, quia contrarium probatur pro parte communitatis ex instrumento informationis Episcopi Virdunen. dato in summario *num. 2.* & ex instrumento approbationis factæ per eundem Abbatem canonizato in dictis duabus decisionibus, & dato in hodierno summario *num. 3.*

Quartus continens, quod primæuæ, atque antiquæ institutioni Ordinis Præmonstraten. repugnat, quod visitatio in aliquo conuentu non possit fieri per visitationem capituli generalis sine adiuncto ipsi dando ab iis qui visitantur, non visus fuit esse talis vt propter illum possit concedi remissoria cum possit probari per scripturas, & intret super dicta regula; quod quando articulus potest probari per scripturas non solet concedi remissoria.

Quod denique quintum, in quo articulatur capitulum generale celebratum de anno 1618. contradixisse reformationi, & ordinasse Abbati Seruatio, vt renunciares litteris Apostolicis, illius etiam respectu potest dari remissoria, quia potest probari per scripturas, cum acta capituli Generalis in scriptis redigantur.

Quo verò ad alios articulos non visum fuit dominis eorum respectu posse dari remissoriam, tum quia possent probari per scripturas vt dictum est supra; tum quia tendunt ad probandam obseruantiam contrariam verbis litterarum Apostolicarum, & interpretationi alias datæ à Rota. *Rot. decis. 211. num. 11. p. 1. recent.* Greg. XV. *decis. 221. num. 6.* maximè cum litteræ sint munitæ decreto irritanti, per quod irritatur omnis obseruantia contraria *cap. si eo tempore de elect. in 6.* Cassad. *decis. 11. num. 7. de restit. spoliat.* Gonzalez *glos. 67. num. 11. & seqq.* Rota *decis. 41. num. 9. p. 1. recent.* Tum etiam quia continent materiam, quo casu non solet dari remissoria nisi adsit magnus fumus; Caputaq. *decis. 62. num. 3.* & fuit dictum in Leodien. Abbatissatus primo Iulij 1615. coram bon. mem. Card. Sacrato: qui fumus debet esse talis vt faciat semiplenam probationem, vt fuit dictum in Carthaginen. Archidiaconatus 3. Martij 1592. coram Platto, & in Conchen. Archypresbyteratus 30. Octobris 1592. coram Penia, qui hic omnino deficit.

Et ita vtraque parte, &c.

Coram eodem, in eadem 22. Aprilis 1630.

ARGVMENTVM.

De tribus votis substantialibus Religionis; & an stabilitas in loco concernat ipsorum votorum essentiam.

DECISIO.

CVm per duas decisiones conformes fuisset firmati Bullas fel. record. Pauli Quinti, & Gregorij XV. obtentas à communitate antiqui rigoris Præmonstraten. super Reformatione, esse iustificatas, nihilominus, quia dum pro parte ipsius communitatis peteretur huiusmodi iustificationem canonizari per sententiam nonnulla motiua fuerunt in memorialibus pro retardanda expeditione pro parte Capituli, & Abbatis generalis datis ex citata; placuit Dominis pro tertia vice ipsis Capitulo, & Abbati concedere audientiam super istis motiuis. Vnde proposito à me dubio, an capita deducta in dictis memorialibus quæ ad duo præcipue reducebantur obstarent, quo minus ad dictam expeditionem deueniri posset? Domini negatiue responderunt.

Nam quoad primum nempe quod formula professionis reformatorum non sit conformis primitiuæ regulæ, & antiquo rigori prout requiritur in dictis Bullis, & fuit etiam decisum à sacra Congregatione Regularium cum inter alia quæ præcipiuntur Religiosis per dictam primitiuam regulam præcipiatur ipsis, vt affirmentur illi Ecclesiæ, à qua recipiuntur, & promittant stabilitatem in illo loco quod non præstent moderni Reformati, sed genericam solum stabilitatem promittunt in vniuersa communitate.

Quoniam cum non differat in votis substantialibus paupertatis videlicet, castitatis, & obedientiæ quæ emittere debent reformati iuxta Bullam Iulij 2. in quibus tribus votis consistit essentia Religiosi professi *cap. cum ad monasterium de stat. Monachorum*, & docet S. Thom. 2. 2. *quæst. 186. art. 9.* Sanchez *super Decalog. lib. 5. cap. 1. num. 16. & lib. 6. c. 4. num. 9.* Nulla potest dici adesse discrepantia nec stabilitas in loco concernit substantiam trium votorum à Religiosis emittendorum Sanch. *super Decalog. loco supra citato.* quod tanto magis suadetur in præsenti Religione Præmonstratensi, nedum ex dicta Bulla, cuius vi taliter mutandi statuta, sed etiam ex concessione ipsiusmet Capituli generalis de anno 1618. quod singuli Religiosi possint transire ad monasteria reformata, quemadmodum reuera multi translati fuerunt quod etiam firmatum fuit à Rota in decisione sub die 18. Iunij 1629. signuum euidens, quod dicta stabilitas in hoc ordine non est de essentia professionis.

Et cessat omnis difficultas dum in litteris sanct. mem. Gregorij XV. derogatur dictæ stabilitati in loco, & expresse disponitur per hæc verba, quod Religiosi communitatis antiqui rigoris sunt ita communes, vt nullus magis huius quam illius Monasterij dicatur, & habeatur professus cum, clausula non obstantibus constitutionibus quibuscunque, & speciali stabilitate promissa in professione, ex quibus satis censetur derogatum dictæ stabilitati in loco Bero. *consil. 147. num. 28. lib. 3.* Mart. *de clausul. conclus. 5. num. 12.* Gonzalez *glos. 36. n. 23.* Rot. *decis. 506. n. 5. p. 1. recent.*

Non obstant verba apposita in litteris Gregorij XV. ibi seruetur formula solita cum additione antiqui rigoris, quia illa debent intelligi præterquam de illis quæ in contrarium expresse in ipsis disponuntur Oldrad. *cons. 330. in fin.* Paris. *consil. 70. num. 12. lib. 1.* Mart. *de claus. part. 3. claus. 157. num. 3.* Put. *decis. 183. lib. 3.*

Quo vero ad secundum caput circa approbationem Reformationis, & eius acceptationem factam à Capitulo, & conuentibus, de qua non dicitur constare, nisi ex instrumento concessionis reformationis factæ per Abbatem generalem de anno 1618. quod prætenditur non esse in forma probanti, sed esse supplicem copiam suspectam de falso, eo quia confecta fuit super folio albo subscripto ab Abbate sine vero eius sigillo; illud etiam non releuare Domini dixerunt.

Nam visum fuit sufficienter constare de prædicta acceptatione, & approbatione, nedum ex dicta attestatione Abbatis, sed etiam ex alia fide Secretarij Capituli, & ex pluribus actibus Capitularibus datis in summario *nu. n. 4. & 6.* iuncta obseruantia statutorum Reformationis scientibus, & patientibus Abbate, & Capitulo generali vsque ad annum 1628. de quo tempore fuit mota lis *leg. semper qui non prohibet digestis de reg. iur.* Socin. *in consil. 139. n. 14. lib. 4.* Surd. *cons. 28. num. 22.*

Neque obstat quod imo appareat de expressa contradictione Capituli, & Abbatis generalis vsque de anno 1618. vt in summario Capituli *num. 2. 3. & 4.* Quoniam contradictio Capituli in eo versabatur, ne scilicet per reformationem obtẽtam in litteris Pauli Quinti constitueretur vnum caput speciale præter Abbatem generalem, & recederetur ab vnitate, & Iurisdictione Ordinarij ad quod euitandum fuit decretum vt Abbas S. Mariæ Mussipontanæ renunciare deberet huiusmodi prætẽsioni; & se submittere Capitulo generali, prout renunciauit, & proinde cessante huiusmodi suspicione diminutionis authoritatis Abbatis generalis; & defectionis ab vnitate; & iurisdictioue Ordinarij, vtique cessarunt etiam contradictiones supra dictæ, & emanarunt secundæ litteræ Gregorij XV. superioritatem, & iurisdictionem Abbati generali reseruantes.

Non obstant alia deducta in dictis memorialibus, quia in illis visum fuit Dominis sufficienter satisfactum, ex responsionibus datis in primis decisionibus cum quibus transierunt.

Et ita vtraque, &c.

Coram

Coram eodem in eadem Veneris 10. Ianuarij 1631.

ARGVMENTVM.

Professionis Regularis tres species recensentur, & explicantur. Reformati Præmonstratenses antiqui rigoris sub quanam Professionis specie comprehendantur.

DECISIO.

DOmini steterunt in vltimo loco decisis, licet enim informantes pro Abbate, & Capitulo generali obiicerent professionē emittendam per Reformatos communitatis antiqui rigoris discrepare à primo instituto Præmonstratensium, qui antiquitus vouebant stabilitatem in loco, & proinde etiam repugnare Bullæ san.mem.Gregorij XV. in qua inhærendo decreto sacræ Congregationis Regularium idem Pontifex adiecit clausulam; dummodo in iuramento per Religiosos in eorum professione præstando seruetur formula solita cum additione antiqui rigoris seu primitiuæ Regulæ.

Tamen obiectum visum est Dominis facile remoueri præmissa distinctione Calder. *consil.* 23. *vers. ad quod probandum cum seqq. de Regul.* qui triplicem modum professionis recenset.

Primus quo aliquis Deo vouet in manibus Episcopi aut alterius superioris se obseruaturum Religionem quoad tria substantialia vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, etsi profitetur Religionem (vt inquit Calder. *vbi supra*) in genere generalissimo de quibus videtur loqui textus *in cap. super eo. & in cap. consulti. de regul.*

Secunda species professionis est illa per quam quis profitetur non quidem in genere & in abstracto prout faciunt professi primo modo, sed in specie, promittendo, & vouendo se seruaturum certam aliquam regulam, Prædicatorum, nimirum Minorum, aut Cisterciensium, & hi dicuntur professi in specie, seu in genere subalterno qui debent perpetuo in eo ordine Deo famulari.

Tertio vero modo alij profitentur in indiuiduo, id est, certam Regulam, & certum Monasterium, vt si quis profiteretur Regulā S. Benedicti in Monasterio S Proculi, quo casu eius professio implicaret stabilitatem in illo præciso Monasterio, cui religiosus ascribitur in limine professionis, quæ desumitur *ex cap. in singulis & cap. ea quæ de stat. Monach. & cap. cum deportati de iudic. cap. cum plantare de priuileg. & clem. attendentes de stat. Monacho.* prout pulchre declarat idem Calderinus *dict. consil.* 23. *de regular. vers. Professi in, genere cum seqq.* Butr. *in cap. in præsentia num.* 64. *vers. puto tamen*, vbi Abb. *num.* 65. *de probat.*

Supposita autem hac distinctione, clarum est reformatos communitatis antiqui rigoris comprehendi sub secundo membro distinctionis. Non enim profitentur Religionem in genere generalissimo prout faciunt professi tertio modo, sed profitentur se seruaturos Regulam Ordinis Præmonstratensis in certo aliquo Monasterio in qua consistit formalitas stabilitatis in loco prout faciunt professi tertio modo, sed profitentur Regulam Præmonstratensem simpliciter in manibus sui Superioris. Vnde merito dici possunt professi in specie seu in genere sub alterno iuxta secundum membrum distinctionis Calder. vnde quatenus ex dispositione constitutionis Gregorij XV. debeant seruare stabilitatem, hæc quidem non est intelligenda in ordine ad aliquod certum, & indiuiduum Monasterium, quæ diceretur stabilitas in loco, sed de stabilitate in specie, quatenus importat permanentiam in eadem Religione quam profitentur, cum verba intelligi debeant iuxta naturam materiæ subiectæ *ad l. insulam Digestis qui pot. in pig. hab. leg. si stipulatus Digestis de vsur.* Decia *consil. quadragesimo quinto in 2. vol. numer.* 27.

Quod quidem clarius elucescit ponderando tenorem dictarum litterarum Gregorij, in quibus Papa nedum statuit, quod Religiosi communitatis antiqui rigoris non sint magis vnius Monasterij, quam alterius, quæ verba repugnant stabilitati in loco, cuius vigore Monachus ascribitur vni præciso Monasterio priuatiue quoad aliud, vt colligitur ex Calder. præfato *cons.* 23. *vers. alij sunt qui profitentur.*

Verum etiam ad remouendum omnem scrupulum adiecit clausulam. Non obstantibus constitutionibus quibuscunque, & speciali stabilita promissa in professione, per quæ verba fuit expresse derogatum stabilitate in loco ex prægnantia, & efficacia derogatoriarum *cap.* 1. *de constit. in* 6. *clement. eos in fine de sepult.* Rot. *in decis.* 506. *num.* 5. *p.* 1. *recent.*

Neque obstat, quod Papa voluerit seruari formulam solitam cum additione antiqui rigoris. Nam vltra quod hoc debet intelligi, vt fuit deductum in aliis decisionibus in substantialibus, non autem in accidentalibus, cessat etiam difficultas quia hoc intelligitur in omnibus, præter quam in iis quorum contrarium fuit specifice dispositum Paris. *cons.* 70. *n.* 12. *lib.* 2. Put. *decis.* 183. *lib.* 3. aliàs enim Papa voluisset incontinenti se corrigere, quod non est dicendum *l. præcipimus C. de appellat. leg. non ad ea*, vbi Glossa & *DD. ff. de condit. & demonstr.* Surd. *cons.* 33. *num* 107.

Et ita vtraque, &c.

Reuerendiss. P. D. Motmanno Tullen. Reformationis Veneris 6. Februarij 1632.

ARGVMENTVM.

Confirmatio Ordinationum Regularium, quando impugnari non possint defectu intentionis Principis. Stabilitas in loco, quæ promittitur in emissione professionis, quomodo intelligatur.

DECISIO:

REsolutum fuit sententiam Rotalem latam pro obseruatione litterarum Apostolicarum, de quibus agitur esse confirmādam. Quia nihil est quod obiici possit aduersus illius validitatem, & iustitia comprobatur ex pluribus decisionibus in priori instantia coram Reuerend. P.D. meo Dunozetto emanatis, in quibus firmatum fuit litteras confirmationis, tam à felic. record. Paulo Quinto, quam etiam à Gregorio XV. illius successore concessas, esse iustificatas.

Cui Resolutioni non obstat, quod posteriores litteræ sunt subreptitiæ, vel saltim possint redargui defectu intentionis Pontificis concedentis, cum post narratiuam, in quo colligitur, quod nouæ ordinationes communitatis antiqui rigoris tendebant ad instaurationem veteris disciplinæ omissa fuerit expressio, quod illæ non erant conformes institutis à primordio dictæ Religionis obseruatis, quia fuit responsum ad euitandam subreptionem, sufficere, quod stante insertione ipsarum ordinationum in supplicatione, Pontifex saltem in genere potuerit cogitare Ordinatis huiusmodi non esse dictis institutis conformes, quandoquidem ad hoc, vt tanquam illis conformes obseruarentur non erat opus confirmatione, *leg. qui iure D. de milit. testam.* Cornelius *consil.* 20. *numer.* 14. *lib.* 2. Cassadorus *decis.* 1. *de priuileg.* Intentio autem confirmandi huiusmodi ordinationes, etiam non conformes dictis institutis, arguitur ex clausula derogante omnibus, ac in specie promissæ stabilitati, quatenus dictis ordinationibus non sint correspondentes, cum ea sit proprietas derogationis, vt licet non ampliet gratiam neque suppleat defectum intentionis, attamen declaret voluntatem, & intentionem Principis confirmantis seu concedentis. Baldus *in leg. cum quem numemer.* 38. *C. de fidei commiss.* Felin. *in cap. nonnulli numero* 27. *de rescript.* Rebuffus *ad concord. in forma mand. Apost.* Glossa *in verbo non obstantibus versic. & nota*, Surdus *in consil.* 303. *numero nono & decimo libro tertio* Rota *decis.* 532. *sub numero sexto part. prima diuers.* & fuit dictum in Romana pecuniaria 16. Martij 1627. coram Eminentiss. D. Cardinal. Verili impressa post tract. Moderni de iure Patronat.

Neque in eo versatur defectus intentionis Papæ quod inter alia confirmauerit ordinationem, habet quod omnes Religiosi dictæ communitatis sint communes, & nullus eorum dicatur, vel habeatur professus magis vnius quam alterius Monasterij dicti ordinis, sed legitima authoritate transmissus ad aliud quodcumque Monasterium eisdem communitatis, iisdem iuribus gaudeat, ac si inibi expresse emississet, & professionem, & deinde subiūxerit illa verba, dummodo seruetur formula solita professionis cum additione antiqui rigoris, quæ vltra tria vota cōtinet promissionem stabilitatis in loco, vt in formula descripta per Specul. *tit. de Regul. in princip. & per Trullen. de canon. regul. lib.* 1. *c.* 17. *in fin.* cui stabilitati cum requirat perpetuam permanentiam *c.* 1. *&* 2. 16. *q.* 3. maxime repugnat transmissio professorum de vno ad aliud Monasterium. Quia cum immediate post dictam clausulam, dummodo seruetur formula solita, sequantur verba, quatenus in aliis quam præfertur antiquis dicti ordinis institutis non repugnent; & nulla ratio possit assignari, per quam Papa voluerit in eadem dispositione excipere stabilitatem in loco indiuiduo, & simul admittere contrariam ordinationem transmissionis religiosorum de vno loco ad alium; vtique ne à sapientibus redargui possunt verba hæc confirmationis iuxta *leg. Salnius Aristo. ff. de leg. præst. & leg. ex facto ff. de vulg. & pupill.* dicendum est tam ordinationes quam dictam formulam cum additione fuisse limitatam ad antiqua instituta præterquam in expressis, in quibus tanquam non exceptuatis secundum naturam exceptionis firma remanet confirmatio *leg. quæsitum* §. *denique* vbi Bartholomæus *ff. de fundis instruct.* Dyn. *in rubr. numero* 16. *de reg. iur.* & declaratur intentio Principis volentis propositas ordinationes in expressis, licet primæuo instituto repugnantes ad not. Deci. *in leg.* 1. *numer.* 25. *ff. de reg. iur.* Alexand. *cons.* 217. *num.* 19. *lib.* 2. Greg. *decis.* 509. *n.* 3. ita vt promissio stabilitatis iuxta prædictas ordinationes intelligi debeat de stabilitate in congregatione communitatis iuxta secundum caput distinctionis Calder. *in consil.* 23. *de regul.* & decisionem in hac causa factam 10. Ianuarij anni præteriti.

Præterea non obstat quod per prædictas ordinationes non conformes primæuo instituto

tuto præiudicetur ordini qui admissa diuersitate professionum patitur scissuram, cui malo sit tempestiue occurrendum iuxta *text. in cap. licet. de vitanda de elect.* quia huic malo sufficientem cautelam in eiusdem ordinationibus adhibitam esse constat ex eo, quod statutum fuit, vt ab omnibus dictæ communitatis Monasteriis reuerenter agnoscatur Abbas generalis, vti caput speciale à quo Vicarius eiusdem communitatis, suæ electionis tenetur petere confirmationem, & cui Abbati generali omnes Religiosi eiusdem communitatis tenentur promittere in professione obedientiam, vt in litteris, quod proculdubio tendit ad conseruationem vnitatis, & exclusionem scissuræ, quæ illi est contraria *cap. loquitur Dominus.* & ibi Glossa 24. *quæst.* 1. quod etiam in decisione huius causæ 22. Aprilis 1630. fuit comprobatum.

Minus obstat, quod ex professione cum dictis ordinationibus compatibili inducatur relaxatio disciplinæ, quæ alias potius retinetur à religiosis obseruantibus stabilitatem in loco tanquam perpetuum carcerē, quemadmodum de Carthusianis dicitur, quam ab aliis habentibus occasiones vagandi in transitu de vno ad aliud monasterium. Quia huiusmodi transitus non temere, sed ex obedientia à superiore iniuncta secundum eiusdem ordinis constitutiones variis de causis, & plerisque casibus est præmissus ipsis Præmonstratensibus, ac etiam Carthusianis, qui promittunt stabilitatem in loco, sed clausuram obseruant. Nauarr. *de Regular. comment. 4. num.* 30. *cum seq.* quinimò eiusmodi debet recenseri inter officia promptæ obedientiæ, quibus tanto magis exercentur Religiosi, quo pluribus successiuè superioribus in diuersis locis coguntur obedire per ea quæ tradit Azor *inst. moral. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 3. *in fin.*

Denique non obstant allegati defectus consensus Abbatis Generalis, & Conuentuum, qui pro oratoribus fuerunt in precibus Papæ porrectis nominati, & quod ex testibus constat de contrario, quodque respectu Religiosorum nominatorum non iustificetur eos esse professos in Monasteriis ibi enunciatis. Quia huiusmodi obiecta fuerunt quoque sublata in dictis decisionibus R.P.D. mei Dunoz. ex scripturis, quæ testibus præualere debent. Seraphin. *decis.* 33. *num.* 7.

Et ita vtraque &c.

Reu. P. D. Verospio Tullen. Reformationis Veneris 14. Maij 1632.

ARGVMENTVM.

De Remissoria. Multi casus in quibus non admittitur.

DECISIO.

IN tertia instantia in qua pendebat coram me, hæc causa petebant Abbas, & Capitulum generale Præmonstraten. remissoriam, vt probarent, tam subreptionem litterarum reformationis, quas primum sub Paulo V. & deinde sub Gregorio XV. impetrauerat communitas antiqui rigoris, & quas in aliis omnibus instantiis semper dixerunt Domini fuisse iustificatas. Cum vero dubium super illius concessione hodie proposuerim, responderunt Domini denegandam esse dictam remissoriam, ex eiusdem ferme rationibus, quas vel considerarunt in aliis instantiis pro iustificatione earumdem litterarum, vel etiam sub particulari dubio, & in decisione R.P.D. mei Dunozetti 4. Iul. 1629. cum coram eo eadem remissoria peteretur.

Etenim decē dati fuerunt articuli, & primi tres respiciebant superioritatem capituli generalis in omnes huius ordinis Religiosos, etiam in ipsum Patrem Abbatem generalem, & contradictionem ac oppositionem, quam idem Capitulum fecerat primum Cōgreg. erectæ sub nomine S. Mariæ Maioris Mussipōtanæ, ac deinde huic communitati, quæ dicitur antiqui rigoris, sed primo, & secundo articulo respondit decisio, quod poterant probari per scripturas, quo casu frustra petitur remissoria. Felin. *in cap.* 1. *de appellat.* Ægidius *decis.* 9. *in princ. & decis.* 496. Rota *dec.* 46. *de test. in antiq. & dec.* 10. *in fi. de offic. deleg. in nou. dec.* 3. 4. *n.* 1. *p.* 1. *& dec.* 45. *n.* 2. *p.* 2. *recent*, & vtriusque huius articuli irreleuantia ex eo apparebat, quia non impugnabatur iurisdictio, & suprema Capituli authoritas in vniuersum hunc ordinem, imo in alia decisione, quæ facta fuit coram eodem anni 1629. hanc eandem authoritatem, & Iurisdictionem Capituli generalis ostensum fuit sublatam non fuisse per litteras reformationis, ea vero contradictio, quam fecerat capitulum in erectione Congregationis Mussipontanæ, neque poterat releuare cum illa oppositio ordinata fuerit occasione Litterarum Pauli quinti, quæ per posteriores Litteras Gregorij decimi - quinti. fuerunt reformatæ, & habuerunt etiam exequutionem, vt hoc pariter animaduersum fuit in alia decisione facta 22. Aprilis millesimo sexcentesimo trigesimo. Tertius demum articulus in quo dicebatur, vt hæc communitas non solum vnquam fuerit approbata, sed reprobata

reprobata ab eodem capitulo generali, vbi primo habuit notitiam illius erectionis; neque poterat admitti non solum, quia hæc contradictio poterat probari per scripturas & acta Capitularia, sed quia contrarium etiam probatur ex eisdem actis capitularibus, & publicis scripturis, quas in eadem decisione anni 1630. Rota considerauit, & dixit satis ex illis constare de approbatione Capituli posteriorum litterarum Gregorij XV. & consensu eiusdem Capituli pro erectione huius Communitatis, & ita vt non deberet super hoc articulo concedi remissoria non solum id suadebat ea probatio, quæ poterat haberi ex scripturis, sed etiam quidquid asserebatur in eisdem scripturis, cum contrarium continerent eius, quod proponebatur in ipsis articulis. Cardinal. Seraphinus *decis.* 1460. *numer.* 3. Rota *decis. quadragesima quinta numer.* 2 *& decis.* 589. *numero primo in fine part.* 2. *recent.* in Lucana *iurispatr.* 31. *Martij* 1631. & in Cæsaraugustana præeminentiarum 19. Ianuarij 1629. coram R.D. meo Decano.

In quarto articulo continebatur prima huius ordinis instituta, & rigor antiquæ disciplinæ, & in quinto deducebatur, quod hæc communitatis, licet ab antiquo rigore nomen sumpserit non tamen seruabat, ea quæ idem primus rigor præcipiebat, sed neque hi duo articuli poterant dici releuantes, cum primus qui poterat etiam probari per scripturas præsertim dum statutorum, & antiquarum constitutionum fiebat mentio in eodem articulo, vt præter decisionem factam in hac causa 4. Iulij 1629. consideratum fuit in Aquitantem. Commendæ 18. Aprilis 1622. coram bon. mem. Vbaldo, & apud Bellamerum *dec.* 384. non posset ad rem pertinere, quia eorum solum institutorum ordinis poterat ratio haberi, quæ non apparebant sublata per litteras Reformationis propter illam clausulam positam in eisdem litteris, quatenus in aliis quam, vt præfertur, antiquis dicti ordinis institutis non repugnent; ex qua inducta fuit derogatio aliorum quæ erant contraria litteris Reformationis, vt consideratum fuit fere in omnibus decisionibus factis in hac causa, & in specie in dicta decisione 22. Aprilis anni 1630. & in alia 10. Ianuarij 1630. coram eodem Reuerendiss. P. D. meo Dunozetto & 6. Februarij proxime præteriti coram Reuerendiss. P. D. meo Montmanno, ex quo deducebatur etiam irreleuantia quinti articuli: quia aut id, quod in eodem articulo dicebatur, vt religiosi antiqui rigoris non seruarent prima Ordinis instituta intelligi debebat, quod contrauenirent antiquis constitutionibus in iis, quibus litteræ Reformationis erant eisdem constitutionibus contrariæ, & nihil profutura erat hæc probatio, si solum haberi debebat ratio eorum, quæ mandabant seruari eædem litteræ. Aut hæc eorumdem Religiosorum negligentia in seruandis, custodiendisque antiquis legibus intelligi debebat etiam de iis de quibus nihil dictum fuerat in litteris Reformationis, & neque aliqua ad hoc opus erat probatione, cum non ideo possent notari litteræ Reformationis vitio subreptionis, & pro earumdem constitutionum obseruatione agere posset tam capitulum generale quam Abbas, immo concessum eisdem fuerit mandatum de manu tenendo ad hunc effectum, vt possent cogere reformatos, vt eisdem legibus, & constitutionibus obtemperarent in decisione facta coram R.P.D. meo Dunozetto 10. Aprilis anni 1628.

Sextus, & septimus articulus continebant quod cœnobium Virdunen. S. Pauli, & monasterium Saliuæ vallis nunquam acceptauerint leges huius Reformationis, & quod ij Canonici Præmonstratenses qui in litteris Gregorij nominātur Oratores essent professi in Monasterio Mussipontano. Et ex vtroque articulo deducebatur nullitas gratiæ, & litterarum Reformationis quæ fundabantur in expresso consensu eorumdem Monasteriorum, sed hi articuli, vel poterant probari per scripturas, vt septimus, cum in eodem articulo esset sermo de professione solemniter emissa in manibus proprij Abbatis cum certa, & expressa promissione stabilitatis in loco, cuius probatio poterat haberi ex instrumento eiusdem professionis secundum formam traditam per Speculat. *in tit. de regul. paragrapho primo numero secundo*, vel non poterat contra eos articulos, & in specie contra sextum admitti hæc probatio, quia vt vtrumque Monasterium Saliuæ vallis, & sancti Pauli acceptauerint non solum, sed seruauerint litteras Gregorij ab anno 1621. quo tempore impetratæ fuerunt vsque in præsentem diem, deductum, & probatum fuit in omnibus instantiis, vt apparet ex decisione R.P.D. mei Dunozetti 18. Iunij, & 4. Iulij 1629. & R.P.D. mei Montmanni 6. Febr. 1631. datum etiam hodie fuit instrumentum in quo per Abbates, & cœnobitas eorumdem Monasteriorum constitutus fuit Procurator Pater Claudius Morizet pro defensione huius causæ, & litterarum Reformationis.

Contra tres alios articulos qui supererant plura opponebantur. Cum enim in illis assereretur, vt Abbas Generalis, dum primas leges huius communitatis sua subscriptione approbauit, esset vltimæ vir senectutis illisque se subscripserit, quamuis non legisset earum tenorem, aut sciuisset, quid eis continereturs

contineretur, & ideo reuocauerit eandem suam subscriptinem, cum primum cognouit se dolo circumuentum, & quod nunquam postea aliquod mandatum dederit aut approbauerit quouis modo vllam personam quæ suo nomine impetraret à sede Apostolica confirmationem earumdem constitutionum. Primum visum fuit non conuenire vt hæc per Religiosos viros proponerentur de persona sui Abbatis, cuius prudentia & cõsilio regebatur vniuersa Religio. Deinde probationes contrariæ huic facto quod proponebatur, adductæ fuerunt in iam dictis decisionibus 4. Iunij 1619. coram R. P. D. meo Dunozetto, & 6. Februarij 1632. coram R.P.D. meo Motmanno, cum præter eam subscriptionem aliis pluribus scripturis; & instrumentis constaret approbatam fuisse ab eodem Abbate hanc reformationem, & quod coram Episcopo Trullensi executore litterarum Apostolicarum, in quibus confirmabatur erectio huius communitatis institerit pro executione earumdem litterarum ex quibus materia primi articuli vel ostendebatur minus vera, vel saltem maxime verisimilis, cum si primi sui facti, & subscriptionis Abbatem pœnituisset, non petiisset eiusdem Reformationis, & litterarum Apostolicarum executionem, ex quo etiam capite inuerisimilitudinis denegari solet remissoria *cap. quia verisimile de præsump.* Speculat *in tit. de probat. §. nunc dicendum numer.* 1. Rota *decis.* 23. *de test. in antiq. & decis.* 92. *numer.* 1. *&* 3. *part.* 4. *diuers.* Demum decimus, & vltimus articulus, vt idem Abbas nunquam elegerit, vominauerit, aut approbauerit personam aliquam pro obtinen. à sede Apostolica confirmatione eiusdem Reformationis; quando contra ipsum non etiam posset deduci contraria probatio, ex scripturis poterat videri omnino improbabilis, tanquam continens negatiuam non restrictam loco, aut tempore; super qua impossibile erat, vt testes deponerent, secundum Gloss. *in cap. bonæ memoriæ* 23. *in verbo. per rerum naturam de elect.* & ibi Abb. *numer.* 13. Dec. *in capite. Quoniam contra numer.* 5. *&* . 4 *de probat.* Baldus *in cap.* 3. *loco numer.* 3. *eodem tit.* Alexand. *cons.* 65. *num.* 5. *lib.* 1. Rota *decis.* 325. *n.* 9. coram Gregorio.

Et ita, &c.

Coram eodem in eadem Lunæ 5. Ianuarij 1631.

ARGVMENTVM.

De reformatione Ordinis Præmonstratensis. An in illius confirmatione derogatum fuerit voto stabilitatis in loco.

DECISIO.

REpropositi hodie dubium super confirmatione sententiarum Rotalium, postquam denegata fuit remissoria in hac causa, quam petebant Abbas, & capitulum generale Præmonstratense ad ostendendam subreptionem litterarũ reformationis quas iustificatas esse dixerunt eædem sententiæ, & pro confirmatione earumdem sententiarum, considerarũt Domini eadem fere, quæ in aliis disputationibus, & propositionibus huius causæ deductæ fuerunt coram RR.PP. DD. meis Dunozetto, & Motmanno. Primũ enim, ac præcipuum fundamentum, quod adducebatur cõtra easdem litteras ex diuersitate formæ professionis, quam emittere debebant reformati in noua hac communitate & congregatione quæ fuit approbata, & cõfirmata in dictis litteris, sublatum fuerat tam in decisione R.P. D. mei Dunozetti 10. Ianuarij 1631. in qua late probatum fuit, quod voto stabilitatis, super quo dicebatur cõsistere hæc diuersitas formæ vtriusque professionis, fuerat derogatũ, quã in *dec.* 6. Febr. 1632. corã R.P.D. meo Motmanno, in qua ostensa fuit necessitas eidem voto derogandi. Nãquod remissa fuerit eadem stabilitas, legebatur id ipsis litteris Reformationis, in quibus post approbatiouem, & confirmationem factam omnium legum, & constitutionũ, quæ conditæ fuerant in institutione, & erectione nouæ huius communitatis sub ea conditione, dummodo in iuramento, quod ab his religiosis præstari deberet in eorum professione seruaretur solita Professionis formula, addita fuit eidẽ conditioni hæc exceptio. Quatenus non repugnaret in statutis eiusdem ordinis ab aliis quam in superius expressis, & magis in specie eidem voto fuit etiam postea derogatum per clausulam, non obstantibus, positam in fine earumdem litterarum, sub qua facta fuit præcipua, ac particularis mentio huius voti stabilitatis, ex hac enim vltima derogatione cessare poterat omnis dubitatio, quæ fiebat ex superiori clausula (dummodo) an scilicet per eam intelligi deberet restricta tota gratia, iuxta ea quæ notat Mandos. *ad regulam de non tollen. iur. quæsit quæst.* 2. *numero tertio* Rebuffus *in praxi tit. de signat.* Grat. *num.* 23. *& super* 21 *part.* Signat. *numer.* 35. *& super* 3. *part. in verbo. qaod obstantia Oratoris numer.* 13. *&* 14. Rota *decis.* 208. *numer.* 2. *part.* 2. *recent.* & coram Reuerend. D. meo Decano *decis.* 361. *numer.* 7. quia non solum eadem clausula, & restrictio intelligi debebat in aliis, quam in iis quæ expressa fuerunt, quæque si per eam clausulam quæ vim dicitur habere conditionis suspensiuæ sublata censerentur, inanis esset gratia iuxta *consil. Oldrad.* 230. *in fine,* quod

sequuta fuit decisio facta in hac causa 22. Aprilis 1630. & tradit Sarnen. *ad Regulam de iur. quæst. qu.* 1. *num.* 41. Put. *decis.* 133. *num.* 1. *lib.* 3. Præsertim dum ea expressio facta fuit in ipsa restrictione, sed cum hic eadem expressio, & derogatio, quæ præcisè & expressis verbis facta fuerat eidem stabilitati posita etiam legeretur in eisdem litteris post illam clausulam, dummodo siue conditionem, in qua præseruata fuerunt veteris ordinis instituta, tanquam posterior potius interpretari debebat præcedentem illam conditionem, quam ab illa declarationem recipere. Mohed. *decis.* 17. *de præbend.* Cassad. *decis.* 5. *num.* 3. *eodem tit.* Put *decis.* 208. *lib.* 1. & fuit præterea eidem voto derogatum, quatenus concessum fuit Monachis ius transeundi ad monasteria reformata, & inter eadem monasteria concessa fuit rerum omnium communio, ita vt (sicut dicitur in eisdem litteris) omnes reformati, non magis vnius, quam alterius monasterij Monachi dici deberent, ex quibus satis dici potest constare de ea Pontificis mente derogandi eidem stabilitati, propter repugnantiam, quam habere hæc omnia videbantur, cum ipso voto stabilitatis, vt in similibus ferè terminis arguit Cardinal Cabarel. *cons.* 136. *n.* 11. *&* 12. Anchar. *cons.* 188. *n.* 6 Olasc. *decis. Pedemon.* 141. *nu.* 5. Ruin. *cons.* 76. *n.* 4. *lib.* 5.

Ex his deduci poterat etiam necessitas derogandi eidem voto, quia cum non omnia cœnobia, & Abbates huic reformationi, se subiicerent, sed solum aliqui, qui instabant pro reformatione, & qui in decisionibus factis Canonizati fuerunt pro oratoribus, sicut in aliis Monasteriis non potuisset induci hæc reformatio dissentientibus eorum Abbatibus, ita vsu huius gratiæ reformationis priuari non debebant, si qui Monachi in dictis Monasteriis vellent huic reformationi nomen dare, & propterea huius Congregationis constitutus fuit caput Abbas Generalis vniuersi Ordinis Præmonstratensis, vt non solum esset sicut in dictis litteris reformationis, is, quem omnes reformati agnoscere tenerentur tanquam præcipuum, ac peculiare caput totius communitatis, sed cum etiam esse deberet, caput vniuersale totius ordinis, vt intelligeretur hoc ius amplectendi reformationem datum fuisse vniuersæ Religioni. Vnde etiam in dictis litteris sæpius idem Abbas appellatur non solum caput totius ordinis, sed reformator Generalis, & tam in litteris Pauli V. quam in constitutionibus factis in capitulo Generali data fuit etiam hæc facultas omnibus eiusdem ordinis Professoribus, vt dictam reformationem amplecti, & sequi possent, vt late deductum fuit, & probatum in prima decisione huius causæ coram R.P.D. meo Dunozetto 30. Martij 1629. & in hoc sensu posset etiam dici, quod sicut hæc communitas antiqui rigoris, quamuis plura sub se continere deberet Monasteria, tamen tanquam vnicum corpus considerari debebat, dum vni capiti subiiciebatur, ita penes Abbatem Generalem, qui futurus erat caput eiusdem communitatis esse debebat ius, ac potestas aggregandi sic profitentem vniuerso ordini iuxta *notat. in cap. porrect. de Regular.* vbi Innocent. *num.* 4. Abb. *numer.* 6. *&* 12. Ioann. Andr. *num.* 4. Anchar. *num.* 9. Bero. *in cap. in præsent. de probat. numer.* 546. Cardin. Zabar. *consil.* 106. Roderic. *quæstion. Regul. tom.* 3. *quæst.* 17. *artic.* 11. *&* 12. ita vt retenta fuerit eadem stabilitas saltem in ordine ad ipsam Congregationem, & intrare deberent, ea quæ de secunda professionis specie considerauit decisio R.P.D. mei Dunozetti, dicta die 10. Ianuarij 1631. *ex cons. Calder.* 23. *de Regular.* cuius Concilij distinctionem reassumunt Abb. *in cap. in præsent. num.* 65. But. *num.* 64. Bero. *num.* 543. *de probat.*

Altera ea quæ præcipua obiectio, quæ fiebat contra litteras reformationis erat, quod falso expressum fuerit, & suppositum in eisdem litteris, vt pro ea reformatione supplicauerint, Monasterium Sancti Pauli Ciuitatis Virdunen. ac Monasterium Saliuæ vallis, dum qui enuntiabantur Monachi eiusdem Monasterij per professionem emissam, secundum veterem formulam in Monasterio Mussipontano, non poterant esse filij nisi eiusdem Monasterij. Verum licet hæc exceptio visa fuerit releuans, cum proposita fuit in dubio super concessione remissoriæ, ac propterea dictum fuerit, quod ea qualitas professionis, & affiliationis in certo, ac peculiari Monasterio poterat probari per scripturas eiusdem Monasterij in quo dicebantur ipsi Monachi professionem emisisse, hodie tamen ex probationibus, quæ datæ fuerunt in disputatione huius dubij pro parte communitatis visa fuit eadem exceptio penitus, & omnino tolli. Nam quantũ ad Monasterium Saliuæ vallis nomine eiusdem Monasterij dicitur hanc reformationẽ petiisse etiam Ioannes Gomberaux, illius Abbas, & ita nihil referre potest, an qui postea enunciantur Monachi eiusdem Monasterij videlicet, Claudius Moriset, Petrus Thienuil, & Ioannes Colart, fuerint Monachi in eodem Monasterio, cum satis sit, vt sustineatur ea petitio tanquam facta nomine Abbatis, vt nomine totius Conuentus etiam facta censeatur propter mandatum præsumptum, quod habet à suo Monasterio, cui præest *capit.* 2. *de donat. cap. edoceri*, cum ibi *not. de rescript.*

Abb. *in capit. ea noscitur de iis quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli num.*8. Nauarr. *consil.*1. *eodem tit.* Aufer. *ad Capell. Tholos. dec.*79.ita onus contrarium probandi,quod id factum fuerit à solo Abbate sine consensu suorum Monachorum, ad ipsos Monachos spectare debeat, *cap.ea noscitur.* & ibi, Glossa *de iis, quæ fiunt à Prælatis, sine consensu capituli.* Innoc.*num.*2. Ioan.Andr.*nu.*7. Compostellan. *in cap.cum dilectus de consuet.* Federic.de Sen.*consil.*259. *num.*2. Quo vero ad Monasterium Sancti Pauli, constat in eo non solum fuisse institutum, & inductum vsum Reformationis ab Abbate Generali anno 1620. atque ita per annum, ante confirmationem factam eiusdem Reformationis in litteris Gregor. sed acceptatam fuisse eandem reformationem à Philippo de Pelue eiusdem Monasterij Abbate commendatario, primum per instrumentum mandati procuræ facti in personam Petri de Sabanz, qui enunciatur in litteris Monachus eiusdē Monasterij,quique propter officium Prioris, quod in eodem Monasterio exercebat, gerebat ibi vices Abbatis ad consentiendum dictæ reformationi eodem anno 1620. ac deinde anno 1628.in alio mandato dato P. Claudio Morizet,Procuratori Communitatis Reformationis ad ruendam, & defendēdam hanc causam reformationis,ex quibus facti circunstantiis sublata visa fuit hæc exceptio, præter alias responsiones, quæ datæ fuerunt in decisionibus R.P.D. mei Dunoz. 18. Iun.1629.& 22. Aprilis an.1630. vt potuerint Monachi, quorum nomine petita fuit reformatio per translationem fieri filij alterius Monasterij ab eo in quo professionem emiserant propter supremam auctoritatem capituli generalis, à quo non solum fieri potuit,sed facta etiam fuit eadem translatio.

Et ita, &c.

Coram eodem in eadem Lunæ 20. Decembris 1632.

ARGVMENTVM.

Eadem materia hic tractatur, quæ in supra posita decisione,

DECISIO.

IN decisione, quæ facta fuit in hac causa 5. Iunij proximi præteriti, cum ageretur de iustificatione gratiæ,& litterarum reformationis, quas ex concessione Gregor.XV. obtinuerant aliqua Monasteria Ordinis Præmonstratensis, ex duobus potissimum fundamentis, visa fuerunt Dominis eædem litteræ iustificatæ, respondēdo duabus præcipuis obiectionibus & capitibus subreptionis, quæ contra easdem litteras, tunc proponebantur, pro parte Abbatis, & capituli generalis,primum fuit fundamentum,quod obesse non poterant, ea quæ tunc dicebantur super diuersitate formæ inter vtramque professionem,eam scilicet,quam præscribebant antiqua instituta ordinis,& eam,quam in noua hac communitate,& Congregatione emittere debebant reformati,dum voto stabilitatis in loco, (quod solum votum secundum nouam formam professionis non promittebatur,)nominatim & in specie derogatum fuerat in eisdem litteris. Alterum fuit fundamentum, quod probaretur consensus duorum Monasteriorum, quorum nomine dicebatur petita in eisdem litteris, hæc reformatio, cum nomine Monasterij Saliuæ vallis pro eadem reformatione supplicasse legeretur Ioann. illius Abbas,(quod satis erat, vt diceretur probatus consensus Monachorum eiusdem Monasterij, cum mandatum iura præsumerent in Abbate) respectu verò Monasterij Virdunensis Sancti Pauli constaret de mandato dato à Monachis eiusdem Monast.tā ante impetratam gratiā confirmationis dictæ reformationis, cum primum eadem reformatio induci cœpit in aliquibus Monasteriis auctoritate Abbatis generalis, quam post dictas litteras,& gratiam Gregorij in quibus concessa fuit confirmatio eiusdem reformationis.

Omisso primo fundamento super quo post dictam decisionem nihil ex parte Abbatis & capituli Generalis deductum fuit, cum constaret de derogatione eius voti, & promissæ stabilitatis non solum in genere, quatenus inter alias leges,& constitutiones, quæ in dictis litteris confirmatæ fuerunt, vna erat, vt qui hanc reformationem in posterum secuturi essent,censeri deberent nō magis Monachi vnius, quam alterius Monasterij, sed nominatim,& in specie, quod etiam deductum fuit in decisione coram R. P.D.meo Dunozetto 22. Aprilis anni 1630. impugnatus fuit in propositione hodie facta huius dubij, solus consensus eorum duorum Monasteriorum, quia cum admitteret decisio facta coram me, vt ea præsumptio, quæ videbatur esse pro Abbate Saliuæ vallis, vt à suo Monasterio mandatum habuerit posset contraria probatione tolli pro hac probatione facienda, petita fuit compulsoria ad probandum, quod tam ij qui in dicto Monasterio, tunc erant, cum Ioannes eiusdem Monasterij Abbas petiit confirmationem huius reformationis, quam alij Monachi Monasterij Virdunensis, non essent professi in dictis Monasteriis.

Verum cum hæc exceptio proposita aliàs fuisset coram R. P. D. meo Dunozetto fuit illi respōnsum in decisione sub die 18. Iunij anno 1629. quod licet qui enunciabantur Monachi in Monasterio sancti Pauli, & Saliuæ vallis probarentur in aliis Monasteriis professionem emisisse, tamen potuerunt per translationem legitimè factam ex auctoritate superioris fieri filij eorūdem Monasteriorum, quæ responsio sicut nullam potest habere in iure dubitationem, vt ex *cap. licet quibusdam de Regularib.* probat eadem decisio, & notant super eodem capitulo Innoc. Hostiensis, *& gloss. in cap. sane de regular.* ita hodie ex facto visa fuit plenissime iustificari. Hæc enim reformatio inducta fuerat authoritate Abbatis Generalis in aliquibus Monasteriis, longe ante, quam illius confirmatio peteretur à sede Apostolica, & hoc expresse narratum fuit in confirmatione eiusdem Reformationis concessæ à san. mem. Paulo V.& deductum in decisione 30. Martij 1629. coram R.P.D.meo Dunozetto, & hodie etiam iustificatum ex constitutionibus eiusdem Reformationis, & earumdem constitutionum approbatione facta per Abbatem Generalem anno 1620. cum verò inter alia Monasteria quæ eandem Reformationem primum acceptarunt fuerint hæc duo, Monasterium scilicet Virdunense, & Saliuæ vallis, & propterea Monasterium Mussipontanum sanctæ Mariæ Maioris, & ex his Monachis qui in dictis Monasteriis tunc degebant, non omnes constitutiones huius Reformationis amplexi fuerint, positi fuerunt in eisdem Monasteriis, auctoritate Abbatis Generalis, eorum loco, qui recusarunt Reformationem sequi, alij, qui sub noua hac communitate, quæ dicta fuit antiqui rigoris viuere statuerunt, quinque in litteris Gregorij nominati fuerunt pro oratoribus, & id comprobatum fuit primum ex duobus instrumentis cessionis factæ cum auctoritate dicti Abbatis ab his Religiosis, qui antea in illis duobus Monasteriis degebant.Secundo ex duobus aliis instrumentis possessionis captæ eorumdem Monasteriorum per Reformatos.Et demum ex actis capituli quod factum fuit anno 1620. & in quo iidem Reformati interuenerunt nomine, & tanquā filij eorūdem Monachorū. Ex hoc facto,quod ita ex publicis instrumentis comprobatum fuit,visa fuit dominis satis iustificata ea qualitas narrata in litteris Gregorij quæ sequēti anno 1621. concessæ fuerunt, vt scilicet nomine eorum Monasteriorum confirmatio Reformationis petita fuerit. Vel enim tunc cum pro eadem confirmatione supplicatum fuit non aderant in dictis Monasteriis quam Reformati: & non potuit haberi ratio aliorum,qui præsentes non erant,non solum ex hoc capite, quod absentes essent, vt habetur *in leg. rescriptum* 11.*ff. de pactis*, & not. Archid. *in cap.præsentium de testib. lib.*6. *argumento leg. Neratius* 85. *ff. de verb. significatione*, *&* vbi Bald.*num.*3. *de elect.* verum etiam quia per eam cessionem, quæ fuit superioris auctoritate confirmata amiserant iura quæ habebant in dictis Monasteriis, eademque iura acquisita fuerant Reformatis post illorum translationem etiam factam auctoritate superioris §. *si quis autem, &* §. *si verò relinquens Monasterium. Auth. de Monach.* Castr.*in leg.inter antiquam C.de vsufr.* Lap. *alleg.*61. *num.*6. Speculat. *in tit. de stat. Monacho. versic. sexto quæritur. num.* 11. vel aderant etiam in dictis Monasteriis alij Monachi præter Reformatos, & cum confirmationi quæ petebatur dictæ Reformationi non contradixerint non potest dici, vt contra eorum voluntatem eadem Reformatio petita fuerit, cum idem actus non contradicendi videretur esse loco ratihabitionis,siue tacitæ approbationis, licet factum aliquod positiuum non contineret, vt docet glossa *in leg. quo enim ff. rem rat. hab. & in leg. quoties.* 2.*ff. ad municip. cap.* 2. *de accusat. lib.*6. *glossa in clementina sæpe* §. *quoniam de verb. sign. & constituitur pro regula in cap.qui tacet.* 43. *de reg. iuris lib.*6. & licet in his quæ præiudicio esse possunt,ita consentienti aut operari effectum alicuius obligationis, non satis soleat esse hæc præsumptio consensus, quæ sequitur ex eo facto negatiuo non contradicendi propter rationem, quam ex capitulo sequenti *in reg. is qui tacet*, colligunt doctores, vt scilicet ea taciturnitas non magis ad consensum quam ad dissensum trahi possit, adeo vt materiam broccardicam esse dixerit *Cyn. in leg. inuitus num.* 6. Salicetus *num.* 4. *C. de Procurat.* Abb.*in cap. nonne n.*1. *circa medium*, Felin. *num.* 5. *de præsumpt.* & in terminis in quibus agatur de obligatione inducenda ex hoc solum, quod quis præsens non contradixerit voluerunt, Dyn. *in dicta leg. is qui tacet num.* 3. *per text. in leg. filiusfam.* §. *inuitus vbi glos. in verb. non probatur. ff. de Procurat.* Bart. *in leg. quæ dotis num.*22.*ff. solut. matrim.* Capra *reg.* 56. *num.* 51. in terminis verò quod idem actus sit ita consentienti præiudicialis, tenuerunt Dyn. *super ead. reg. num.* 4. Felin. *dicto cap. nonne num.* 11. *& in cap. cum* M. Ferrarien. *num.* 34.*de constit.* Bellam. *in cap.qualiter, de pact. & videtur colligi ex text. in leg. qui vis* §.*vetare,vbi glossa in verb. ignorat. & ex leg. Titio* 35. §. *Lucia ff. de leg.* 2. cessabat tamen hæc difficultas in casu proposito, quia cum tacitus ille Monachorum consensus, qui forte præsentes fuerunt solum deducatur ad eum effectum,vt valere debeat gratia confirmationis huius reformationis respectu

eorum qui consenserunt, non autem, vt leges, & constitutiones eiusdem reformationis sequi teneantur alij Monachi, ex hoc solum, quod non contradixerunt petitioni factæ ab iis qui pro dicta confirmatione supplicarunt non poterat impugnari eadem gratia ex hoc capite, quod satis esse non potuerit tacitus ille consensus, dum propter eundem consensum ad nihil ipsi Monachi obligantur. Quamquam neque res dici poterat esse in dictis terminis actus mere negatiui, cum ex dicto cessionis instrumento constaret, quod iidem Monachi, qui in dictis Monasteriis professionem emiserunt, quique reformationem sequi recusarunt explicitè consenserunt, vt illa in dictis Monasteriis induceretur, & ita tollebatur ex facto non solum hæc difficultas, sed propter eumdem dictorum Monachorum consensum, cessabat etiam quodcumque illorum præiudicium, quæ forte considerari potuisset.

Coram eodem in eadem Lunæ 2. Maij 1633.

ARGVMENTVM.

Continet argumentum superioris decisionis.

DECISIO.

AGebatur in hoc dubio de confirmatione sententiarum Rotalium: & in tertia propositione hodie facta eiusdem dubij non solum repetitæ fuerunt eædem duæ obiectiones, quæ fuerunt sublatæ in aliis duabus disputationibus sub die 5. Iulij & 20. Decembris anni 1632. quod scilicet non fuisset in litteris reformationis derogatum voto stabilitatis, & quod non constaret de consensu Monasteriorum, à quibus dicebatur petita eadem reformatio, verum etiam addita fuit tertia obiectio contra validitatem earumdem litterarum, & gratiam dictæ reformationis propter mentionem in ea non factam iuris capituli generalis, quod scilicet illius dispositioni esset reseruata facultas derogandi, aut immutandi quidquid antiqua ordinis instituta iuberent, tam ex eiusdem ordinis constitutionibus, quam ex priuilegiis Apostolicis illis concessis, vt propterea fuerit necessaria illa mentio ad excusandam gratiam à vitio subreptionis dũ eas constitutiones & priuilegia potuit Papa, qui gratiam dictæ reformationis concessit probabiliter ignorare tanquam constitutiones particulares ex notatis *in cap. vltimo de offic. Archid cap.* 1. *de constit. lib.* 6. *cap. super litteris.* & ibi Felin. *num.* 8. *de rescript. in* 3. *reg* & fuit dictum in hac eadem causa, occasione alterius iuris competentis capitulo generali in decisione facta coram R.P.D. meo Dunz. 29. Nouembr. 1629.

Ex his tamen obiectionibus non putarunt Domini ostendi iniustitiam dictarum sententiarum, vt singulis satisfaciendo, tertio demum in hac causa responderũt. Quod enim eidem voto derogatum fuerit non vno in loco legebatur in gratia reformationis, imo vt in eadem decisione dicebatur necessaria fuit derogatio eiusdem voti, tam dum in dicta gratia concessa fuit facultas cuiuscunque Religiosis huius ordinis Præmonstratensis, vt reformationem amplecti possent, quod in necessarium antecedens, videbatur supponere, vt qui eidem reformationi, se subiicere volebant, possent deserere antiqua Monasteria in quibus erant affiliati (cum non omnia Monasteria pro eadẽ reformatione instarent, sed solum Monasteria Sancti Mariæ Maioris Mussiponti, Sancti Pauli Virdunense, & Saluiæ Vallis,) quam dum fuit in iisdem litteris Abbas Generalis vniuersi ordinis Præmonstratensis constitutus, caput huius nouæ communitatis, & concessum Monachis in eadem communitate victuris, vt non esse deberent magis Monachi vnius, quam alterius Monasterij, & demum dum inducta fuit inter Monasteria reformata rerum omnium communio, cum hæc omnia, tanquam ea quæ simul esse non poterant cum voto stabilitatis necessario concluderent eiusdem voti derogationem, vt ipsa gratia inanis non esset, & fuit late deductum etiã ex dispositione iuris cõmunis, ea tamen omnia, vel apparebant seruata fuisse, vel si fuerunt omissa non potuerunt nullam reddere ipsam translationem, quia cum eædem constitutiones loquerentur in statu in quo ante reformationem vigebat votum stabilitatis in loco, non poterãt dici necessaria etiam secundum statuta reformationis, in qua eadem stabilitas nõ amplius in certo Monasterio, sed in vniuersa Religione promittebatur, cum semper quælibet dispositio intelligi debeat, dum antiquus rerum status mutatus non sit, & examinatis in specie omnibus, quæ dicebantur opus fuisse ad validitatem dictæ translationis, quatuor illa erant videlicet, quod Monachi ad nouum Monasterium transituri dimissi fuissent à tota Congregatione eius Monasterij, quod deserebant, quod obtinuissent absolutionem ab obedientia, quam in primo Monasterio promiserant proprio Abbati, quod reciperentur in filios ab Abbate & maiori parte Monachorum eius Monasterij, ad quod fieri debebat hic transitus, & demum, quod in eodem Monasterio instauraretur professio, & votum obedientiæ

dientiæ promissæ primo Abbati, quæ omnia, excepta noua professione, quæ tamen repetita fuit, cum inferri debuisset etiam ex dispositione iuris communis, vt habetur, *in cap. Abbatem de verb. signific. & ex eo notant Abb. num.* 5. *& in consil.* 96. *num.* 4. *in fine dec. in cap. præterea num.* 6. *de præb.* non poterunt in hac translatione seruari, cum enim antequam impetraretur à sede Apostolica confirmatio huius Reformationis, inducta fuisset eadem Reformatio tam in Monasterio Mussipontano, cui per professionem dicebantur fuisse affiliari Petrus de Sbans, Claudius Morizet, & Petrus Thienuille, quam etiam in Monasteriis Virdunensi, & Saliuæ vallis, pro quibus iidem Monachi dictam confirmationem petierunt; & leges eiusdem Reformationis induxissent, non solum communionem inter omnia Monasteria reformata, verum etiam iuberent vt obedientia præstaretur Abbati Generali, qui licet esset caput huius communitatis; hinc patet, quod vt ea translatio valere possit non requirebat nisi eiusdem Abbatis generalis auctoritatem, cum ipse esset Abbas vtriusque Monasterij, sicut etiam inde sequitur, quod ea quæ dicuntur tam de licentia Abbatis primi Monasterij quam de acceptatione alterius Abbatis in secundo Monasterio, non poterant conuenire in hoc statu Reformationis, in quo non dabatur hæc distinctio inter Monasteria reformata. Et faciunt ad horum quæ dicta sunt in confirmationem, quod hæc omnia potuit intelligere sanctæ mem. Greg. XV. qui confirmationem dictæ Reformationis concessit ex eo quod narratum fuit in litteris hoc genus viuendi sub obedientia Abbatis Generalis, quod seruabatur ex forma constitutionum, quam ex quo confirmatio earumdem constitutionum petita fuit cum hoc nomen confirmationi supponeret existentiam, & obseruantiam dictarum constitutionum.

Nec dicatur vt valere non potuerit eadem translatio, eo quia illi qui erant filij eorum duorum Monasteriorum non cesserint librè iura, quæ habebant in dictis Monasteriis, sed assignatis sibi certis pensionibus; præsertim cum in Monasterio Saliuæ Vallis aliqui ex Monachis qui dictam cessionem fecerunt, reseruauerint sibi vtramque vocem tam actiuam quam passiuam in futuris electionibus; quod repugnabat tam constitutionibus ordinis, quam dispositioni iuris communis, ex quo prohibitum est vt Monachus possit retinere, & habere iura in duobus Monasteriis *cap. si quis translatus* 22. *q.* 1. *cap. olim. de Relig. dom. glossa in cap. constitus in verb. vocem de elect.* Quia præterea quæ in satisfactionem huius obiecti adducta fuerunt in postrema decisione sub die 5. Iunij anni præteriti, vt tempore quo petita fuit confirmatio Reformationis non essent præsentes in iis duobus Monasteriis alij Monachi præter eos à quibus eadem confirmatio obtenta fuit, & quod constaret de expresso consensu aliorum Monachorum qui erant in eisdem Monasteriis vt in illis hæc reformatio induceretur, pluribus modis crediderunt domini posse in hoc dubio euitari dictam obiectionem, & quia satis erat, quod tam cessio eorum qui prius inibi erant, quam trãslatio ad eadem Monasteria alium Monachorum processerint ex auctoritate Abbatis, ne possent ea quæ postea sibi inuicem promiserunt iidem Monachi, irritam facere dictam translationem, tanquam actus qui cum esset validus, & non solum adiecta reseruatione separabilis, sed omnino distinctus non poterant per actum in vtilitatem vitiari, *arg. leg.* 1. §. *sed si mihi ff. de verb. oblig. leg.* 1. §. *item quæritur, & §. Trebatius ff. de aqu. quot. & æstiu. cap. vtile* 37. *de reg. iur. lib.* 6. *quam regulam diffundi per omnes humanas actiones, & habere locum etiam in rebus spiritualibus aduertit* Petrus Peck. *in expositione eiusdem cap. vtile in* 6. *ex Innoc. in cap. cum ex officiis de præscript.* & quia neque omnes reseruarunt sibi eadem iura, sed duo solum Monachi in dicto Monasterio Saliuæ vallis. Immo quatenus conuenerunt ij duo Monachi vt vsum vtriusque vocis habere possent, simul cum reformatis, & hoc iure prohibitum erat, non potuit idem pactum irritam facere dictam cessionem, & translationem, sed potius ipsum vitiabatur, §. *neque illum auth. de non alienan. & ex eo text. voluerunt* Bald. *in Auth. si quas ruinas num.* 3. *C. de sacros. Eccles. Castr. in Auth. qui rem num.* 7. *C. eodem tit.* Felin. *in cap. cum ordinem num.* 2. *de rescript. & in terminis reseruationis factæ à Monacho. Imol. in cap. cum M. Ferrar. num.* 41. *de constit.* Ias. *in leg. non solum §. morte num.* 20. *ff. de nou. oper. nunc. & Auth. ingressi num.* 30. *&* 37. *C. de sacros. Eccl.* & demum quia hæc gratia, & confirmatio Reformationis antequam expediretur fuit sæpius examinata in Congregatione Regularium, & de ordine eiusdem Congregationis ab Episcopo Virdunensi vt fuit consideratum in decisione 18. Iunij 1629. coram R. P. D. meo Dunozeto: in qua in specie ponderatum fuit, quod iustificabatur consensus Abbatis eiusdem Monasterij Saliuæ vallis, cuius consensus defectus adducebatur hodie ex parte Abbatis, & capituli Generalis tanquam præcipuum fundamentum ad probandam negatiuam, quod non interuenisset idem consensus. Et ex his visæ fuerunt Dominis cessare hæ duæ præcipuæ obiectiones quæ semper, & in

in omnibus disputationibus repetitæ fuerunt.

Ad tertiam verò obiectionem, de qua nunquam actum fuit, vt hæc noua statuta, & mutatio in Religione fieri nõ poterit, nisi de consensu capituli generalis propter prilegia eiusdem capituli, ne antiquis ordinis institutis derogari posset, sine illius consensu. Responderunt Domini, quod ex reformatione in dictis tribus Monasteriis suscepta nulla successit mutatio in Religione, nec quidquam ex causa eiusdem reformationis factum fuit contra Ordinis instituta, sed solum restitutus rigor antiquæ disciplinæ, cũ id concludat ipsum nomen reformationis factum fuit contra Ordinis instituta, sed solum restitutus rigor antiquæ disciplinæ, cũ id concludat ipsum nomen reformationis, ex qua res ad suum primum principiũ censetur restituta *cap. ab exordio* 35. *dist.* & notat Sanchez *super præcep. decalog. lib. 6. c. 2. n.* 27. & sola mutatio voti stabilitatis, quæ ante reformationẽ promittebatur in certo Monasterio, secundum vero reformationem promitti debebat in vniuersa Congr. nõ poterat dici contra constitutiones ordinis, si omnia Monasteria reformata vnam Congregationem, & communitatem constituere debebãt prout vnum caput eidem communitati fuit præpositus, nempe Abbas generalis vniuersi Ordinis Præmonstratensis, vt latè deductum fuit in prima decisione facta coram me 5. Iulij præteriti.

Et ita vtraque, &c.

R. P. D. Pirobano Brixnen. Iurisdictionis Veneris 9. Iun. 1634.

ARGVMENTVM.

Exemptio Regularium à Iurisdictione Ordinarij & illorum possessio ex quibus probetur.

DECISIO.

DOmino Episcopo Brixinen. petente manutentionem in quasi possessione exercendi Iurisdictionem Episcopalem super domo Regulari, eiusque RR. Mulieribus, de quibus agitur. Responsum fuit non esse dandam. Quia Patres Seruitæ exhibent titulum, & docent de possessione eorum Iurisdictionis super prædicta domo Regulari.

Nam etsi vera sit conclusio, quod Ordinarij habent fundatam intentionem de iure communi in Iurisdictionem omnium Regularium intra suam Diœcesim existentium *cap. penult. de relig. dom.* Glossa *in cap. conquærente in verb. Iurisdictionem de offic. ordin.* Dec. *in cap. fin. num. 6. in 4. notab. de confirm. vtil. vel inutil.* & etiam ex sola iuris assistentia in Iurisdictionalibus non soleat denegari manutentio Ordinariis, *cap. cum personæ in fine de priuil. in 6. Capic. decis.* 189. *num.* 7. Seraphin. *decis.* 1449. *num.* 1. *& in recent. p.* 2. *decis.* 382. *&* 493. *cum aliis allegatis.*

Attamen vera etiam est declaratio, quando allegatur titulus exemptionis, vel priuilegium, & exhibetur, ac de possessione docetur, tunc Regulares dum cognoscitur de releuantia titulorum in eorum libertatis vel exemplationis legitima possessione turbari non possunt, vt admittitur in secunda parte eiusdem capituli, cum personæ, *de priuileg. in 6. & comprobant Anchar. ibidem num.* 2. Gemin. *in §. fin. num.* 3. *&* 4. Franc. *num.* 2. *& Rota hanc declarationem semper est sequuta, vtroque concurrente, nempe titulo, & possessione decis.* 491. *num.* 4. *&* 5. *&* 685. *num.* 2. *p.* 1. *&* 682. *num.* 5. *p.* 2. *recent.* Seraphin. *decis.* 1278. *in fine &* 595. *num.* 3. *&* 4. idem fuit dictum in Aprutina iurisdictionis 9. Iunij 1606. coram D. Cardinal. Pamphilio in Constantien. iurisdictionis 16. Nouembris 1607. coram Episcopo Attrebaten. & in Laurentana iurisdictionis 2. Maij 1631. coram D. Durano Episcopo Vrgellen.

Titulus autem ad hunc effectum per Religionem exhibitus visus fuit sufficiens, cum deducatur ex constitutionibus summorum Pontificum Vrbani sexti, Innocentij Octaui & aliorũ, in quibus nedum Fratres Seruitæ eximuntur à iurisdictione ordinariorum, & immediate sub protectione sedis Apostolicæ recipiuntur, sed & omnes sorores Mantellatæ, Pizocheræ, ac Tertiariæ nuncupatæ subiiciuntur Generali, & superiori ordinis, cum derogatione consilij generalis: quæ specialis protectio semper eximit priuilegiatos à iurisdictione ordinariorum *cap. ex parte il.* 1. *ibi priuilegium Nobis Apostolicum ostenderunt de priuileg. cap. si Papa eod. tit. in 6. cap.* 2. *ad integrit. restit. cap. cum tempore de arbitr.* Decius *cons.* 152. *num.* 2. Put. *decis.* 115. *in fin. lib.* 3. Seraph. *decis.* 1025. *num.* 5. *& seq.* Præterea desumitur idem titulus ex constitutionibus huius domus Regularis à sede Apostolica confirmatis, in quibus præsupponitur exemptio, & obedientia, & iurisdictio debita Generali ordinis, & eius Vicario, & aliis superioribus assignata.

Non obstat, quod sorores huius domus Regularis non comprehendantur in dictis priuilegiis aut constitutionibus. Quia dum cognoscitur de comprehensione, non debent

bent Seruitæ priuari eorum legitima possessione, secundum terminos eiusdem capituli cum personæ, *de priuileg. in 6.*

Quo verò ad possessionem bene probatur ex actibus positiuis qui dantur nempe ex visitatione facta per vicarium Generalem Ordinis sub die 20. Iunij 1627. sum. *Religionis num.* 16. *in quo quamplures ordinationes factæ fuerunt concernentes vtrumque statum temporalem, quæ procul dubio inferunt iurisdictionis exercitium, cap. conquerente de offic. ord.* Socin. *de visit. num.* 4. *versic. decimo quæro.* Rota *decis.* 196. *num.* 2. *p.* 2. *diuers.* dantur præterea admissiones ad habitum, & votorum emissiones in manibus superiorum Religionis, quæ propter obedientiam promissam, & subiectionem Patri Generali, probant iurisdictionem, Iserna deductum tam in ipsa decisione facta coram me, quam in decisione 22. Aprilis anni 1630. coram R. P. D. meo Dunozetto.

Neque ad hunc effectum visa fuerunt obesse ea quæ ex parte Abbatis, & capituli fuerunt sæpius considerata, quod scilicet tota hæc gratia restringeretur ab vnica clausula, & conditione, in qua pro forma requirebatur, vt in iuramento, quod in posterum contingeret præstari ab his reformatis, seruari deberet antiqua forma Professionis. Quod quidem fundamentum hodie confirmabatur ex originali ipsius supplicationis; in qua eandem clausulam non solum apparebat positam fuisse in parte dispositiua; quod potuisset satis esse ad hoc, vt per eam dici deberet restricta, tota gratia, cum eadem pars sola declaret, quod vere concessum fuerit, licet verbum fiat, ex quo ipsa gratia perficitur ad omnia referatur, vt scribit Rebuffus, *in praxi tit. de signatura* Grat. *in* 3. *part. signat. in verb. quod obstantiæ Oratoris num.* 13. Rot. *decis.* 642. *numer.* 3. *part.* 1. *& decis.* 208. *numer.* 2. *part.* 2. *recent.* vt propterea eadem pars vocetur etiam à Practicis dispositio vt obseruauit Rota coram Reuerendissimo domino meo Decano in vna Romana S. Thomæ 17. Iunij 1607. inter alias impressas, *decis.* 361. *num.* 5. verum legebatur eadem clausa ante perfectam orationem, & ante ipsum nomen confirmationis, ex quo approbata fuerunt statuta huius communitatis, ita vt regerentur ab vna, & eadem dispositione, tam ipsa prima ac principalis dispotio, quam hæc illius conditio, & restrictio inducta ex eadem clausula. Sed huic fundamento fuit etiam responsum in eadem prima decisione, quod post dictam conditionem, & clausulam posita fuit noua declaratio eiusdem conditionis, quatenus scilicet eadem forma antiquæ professionis non repugnaret cum instituris huius Ordinis præterquam in expressis, quod idem perinde erat ac si dictum fuisset, vt ea restrictio intelligi ita deberet, vt non pugnaret cum iis, quæ superius concessa fuerunt, & est de natura reseruationis, *vt post Oldrad. cons.* 230. *in fin. tradit Sarnen. ad reg. de iur. quæsit. non tollen. quæst.* 1. *num.* 41. Put. *decis.* 133. *num.* 5. *lib.* 3. & præterea derogatum apparebat eidem voto ex clausula non obstantibus, posita in fine earumdem litterarum, vt fuit in specie consideratum in decisione facta coram R. P. D. meo Dunozetto 10. Ianuarij 1631. quia cum in eadem clausula facta legeretur particularis. & præcipua expressio eiusdem voti stabilitatis in loco quæ stabilitas solum promittebatur secundum antiquam formam professionis, cessabat omnis difficultas, quæ fieri poterat ex eadem conditione, cum etiam satis esse potuisset vt aliquo modo constaret de voluntate Papæ derogandi eidem voto ex clausula. Quorum tenores, quæ ex stylo palatij continet plenissimam derogationem ad alias gratias, quamuis eædem gratiæ propter clausulas derogatorias derogatoriarum requirerent etiam ipsæ particularem, & expressam mentionem in derogatione, quæ de illis fieret, vt de hoc stylo post Butrium *in consil.* 2. & Cassador. *in decisione* 2. *super regul.* attestantur Felin. *in cap. nonnulli num.* 7. *de rescript.* Gabr. *de claus. concl.* 9. *num.* 12. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 36. *num.* 29. & fuit resolutum coram Greg. *decis.* 109. *num.* 10. *& in decis.* 666. *num.* 2. *p.* 1. *recent.* & in Cæsaraugustana dismembrationis 29. Nouembris 1627. coram R. P. D. meo Pirouano.

Altera obiectio erat super defectu consensus duorum Monasteriorum, à quibus petita dicebatur confirmatio huius Reformationis Monasterij scilicet Virdunensis Sancti Pauli, & Monasterij sanctæ Mariæ Maioris Saliuæ vallis. Et hæc obiectio duplici modo in hoc dubio proponebatur; cum & negaretur, vt ij quorum nomine data fuit supplicatio, essent Monachi in Monasteriis, & daretur expressa contradictio illorum Monachorum. Verum ea ex quibus dicebatur probari eadem contradictio non visa fuerunt dominis aliquam fidem facere, non solum quia scriptura ad hunc effectum data, erat scriptura penitus informis, sed quia nihil officere poterant, quæ in eadem scriptura continebantur, cum esset solum supplex libellus datus nomine Reformatorum Abbati Generali contra quosdam Monachos qui licet tunc non essent in Monasterio Saliuæ vallis sed residerent in suis Beneficiis quorum curæ præerat iuxta dispositionem, *cap. quod Dei timore de stat. Monacho.* tamen asserebant se filios eiusdem Monasterii, & de facto interuertere tentarunt

runt possessionem, quam illius Monasterij obtinuerant Abbas Gomberbaux, & alij Monachi reformati. Quod factum, cum aliunde non iustificaretur, quam ex eo libello, in quo hæ prætensiones dictorũ Monachorum impugnatiue narratæ fuerunt visum fuit præterea pendere ab inspectione alterius articuli, in quo dicitur de validitate cessionis dicti Monasterij factæ à Monachis qui tempore eiusdem cessionis vere in eo erant.

Quantum vero attinet ad personas Monachorum qui se inscripserunt, & fecerunt Monachos eorum duorum Monasteriorum visa fuit obiectio in hac parte tolli ex his, quæ fuerunt considerata in secunda decisione facta coram me 20.Decembr.præteriti: quod scilicet,tunc cum petita fuit ea gratia & confirmatio verè probaretur, vt quorum nomine porrectæ fuerunt pro eadem gratia obtinenda essent Monachi in eisdem Monasteriis, licet ante essent filij Monasterij Mussipontani propter professionem in eo emissam.

Neque contra hoc fundamentum, quod in eadem decisione constitutum fuit, obstare poterant ea, quæ dicebantur, tam contra dictam cessionem ex qua possidere cœperunt Monachi, hæc duo Monasteria, quam contra validitatem trãslationis factæ in vim eiusdem cessionis. Quia licet, vt ea translatio & cessio valere potuissent plura requirentur tam ex particularibus constitutionibus huius ordinis Præmonstratensis, quã etiam Isernia, Aluarottus, & alij *in c.* 1. qualiter vassalus præstari debeat Domino fidelitatem. Natt.*cons.*636.*n.*65.*l.*4. ac demum dantur confirmationes factæ per Vicarios General. Ordinis quoad sorores, quæ in eadem domo solẽt officia exercere, qui actus confirmandi officiales electos semper pendent à iurisdictione ordinaria superiorum, vel delegata à sede Apostolica per priuilegia ac constitutiones Sum.Pont.

Non obstat, quod ordinariis denegetur manutentio contra allegantem titulum, & possessionem, solummodo quando nituntur sola iuris assistentia: sed quando ex parte eorumdem concurrunt etiam actus possessorij, vt in præsenti præsupponitur, tunc non esse denegandam manutentionem in quasi possessione Iurisdictionis. Bald. *in cap. querelam n.*23.*in fi. de elect.* dicens per actum minimum conseruari totum, & idem videtur formatum *in Theatina Iurisdictionis, quæ est* 382. *p.*2.*recent.*

Quia cum actus dati pro Domino Episcopo fuerint expressè contradicti, vel pro parte sororum, vel pro parte Religionis, & causam liti dederint, nulla potuit ex eis acquiri valida possesio, Rota *decis.*165.*n.*1.*part.*4. *diuers.& 30. n.*1.*p.*2.*recent.* Afflict. *decis.*395. *num.*7.

Nam visitationi anni 1628. 13. Ian. fuit contradictum, & seu potius dissentientibus Priorissa, & aliis sororibus fuit admissa, & de ea non constat nisi ex relatione commissariorum, quibus absque testimonio Notarij de actibus visitæ rogati, non solet plena fides adhiberi. Annibal Rochus *de visit. in verb. creare posset fol.* 304. Lucas Antonius Resta *in directorio visitat. capite quinto.*

Litteræ pariter Archiducis Leopoldi non conferunt ad probationem actus possessorij, quia vigore illarum Ordinarius Iurisdictionem in domo prædicta nõ exercuit, nec exercere poterat, ex quo in eiusdem reseruatus fuit articulus Iurisdictionis inter eumdem Ordinarium & Seruitas per Sedem Apostolicam decidendus, cum qua reseruatione cessabat facultas ex litteris prætensa.

Et ita vtraque, &c.

R. P. D. Pirouano Vlixbonen. Iuris conferendi Lunæ 17. Decembr. 1635.

ARGVMENTVM.

De Tertiariis Ordinis S.Francisci, tam sæcularibus, quàm Regularibus, ius conferendi illis habitum, ad quos spectet.

DECISIO.

CAusa repropositа, conclusum fuit standum esse in decisis 25. Maij præteriti.

Quoniam verum est, fratres de obseruantia ab origine, & initio ordinis, viuente Seraphico Patre, & post eius gloriosum obitum contulisse Tertiariis habitum, & in hac consuetudine fundare intentionem cõtra Regulares Tertiarios, nam decisio, quæ reuidetur, ponit trinum ordinem à Seraphico Patre emanatum ab anno 1208. scilicet, fratrum, mulierum, & tertium de pœnitentia nuncupatum, certis Regulis Fratribus, & mulieribus præscriptis, & inde ab Honorio tertio confirmatis, Tertiariis vero non Religionem, sed certum viuendi modum, & vestiendi honestum præscripsit, qui à Nicolao quarto, sub aliis Regulis distinctus fuit & approbatus, ac demum ducentis annis & vltra elapsis, sul Leone decimo Regularis Ordo Tertiarius fuit erectus & confirmatus.

Pro Tertiariis, secundum distinctionem trium

trium temporum ab eisdem præmissam, idem in primo tempore narratur ab Origine vsque ad Nicolaum IV. qui Regulam per modum, & tenorem per Sanctum præscriptam confirmauit, & in eo quod dicitur seraphicum Patrem suo tempore multis habitum contulisse, testatur sacri ordinis Chronicæ nempe Episcopus Portuen. *in parte secunda.* Chronicarum Minorum *lib.* 2.*cap.*33.*fol.*216. *& lib.* 9.*cap.*1. Episcopus Mantuanus Gonzaga in sua Chronica *part.* 1. *§.cum autem fol.* 3. Miranda *super Regul. Tertiariorum capit.*13. *vsque ad cap. vlt.* & fuerunt qui habitum ab eodem sancto receperunt, vt aliqui inter cæteros recensentur vltra integrum populum de Carniero *de quo in prima part.* Chronicæ Portuen. *lib.* 2. *fol.* 217. necnon alios relatos à Miranda *super regula Tertiariorum cap.*13.*pag.* 170.*&* 73. *& eisdem historiis ab anno* 1222. *vsque ad annum* 1531. B. Bona. Bartholomæus, Cumanus, Aduocatus, Matthæus Rubius, Cætenus, qui fuit Pater Nicolai III. omissis aliis & anno 1531. à Ministris Fratribus habitum susceperunt Elizabeth Vngariæ Regina, P. Æmiliana & aliæ personæ in eisdem Chronicis relatæ, non tamen est verum, quod pro Tertiario ordine asseritur, eumdem seraphicum deputasse in caput, & supremum superiorem Tertiariorum Bartholomæum Cumanum ab ipso Sancto receptum, & cum omnimoda potestate, & auctoritate alios ad ordinem suscipiendi in æternum ei, & successoribus data, nam etsi de dicto Bartholomæo loquatur chronica, quæ datur in summario *num.*1. quam scripsit Franciscus Marcus Vlixbonen. *in prima part. lib.*2. *fol.*217. dicatur inter alios fuisse huius ordinis Tertiarij quendam nuncupatum Bartholomæum litium procuratorem, qui ad eam vitæ Sanctitatem, & cum Sancto familiaritatem peruenit, vt illi daret facultatem recipiendi viros, & mulieres ad ordinem Tertiarium subdendo (in luogo suo per semper) & informantes pro Tertiariis addunt alia verba, nempe cum omnimoda potestate, & auctoritate alios ad ordinem recipiendi in æternum sibi, & successoribus; attamen vnde Chronista desumpserit hanc partem, ponitur in margine dicti fol.217. nempe ex antiqua chronica S. Antonini qui fuit Archiepiscopus Florentinus, in qua talia non leguntur in sua tertia parte historiali *titulo vigesimoquarto capit.*7. *paragrapho versic.* anno Domini 1223. *fol.* 235. sed tantummodo habentur sequentia verba anno Domini 1223. fuit quidam in Italia Bartholomæus nomine, qui audita forma Beati Francisci ad eius prædicationem aduocationem, suam deserens, sub honesto habitu, & tertia regula dignos pœnitentiæ fructus facere satagebat, & tantam cum Beato Francisco familiaritatem contraxerat, quod Sanctus recipiendi fratres ei concesserat facultatem, sed de tempore, aut de perpetua successione nullum verbum.

De secundo autem tempore à Nicolao quarto vsque ad Nicolaum quintum. Fratres de obseruantia, non discordant cum Tertiariis; quin Regula Nicolai quarti ab vniuerso cœtu Tertiariorum obseruata fuerit, quoad omnes, tam sub obseruantia, & in communi viuentes, quam quoad coniugatos, virgines, & alios in cœlibatu viuentes, ac modum viuendi, & respectiue vestiendi, & opera charitatis exercendi.

Tertium tempus à Nicolao quinto vsque ad Tertiarios in Regulares formales erectos sub Leone decimo, cum & illud cum actibus subsequutis in tempore illo intermedio pertineat, ad vniuersum cœtum cuiuscunque generis personarum Tertiarorium, nec Tertiarios Regulares tangere possit; cum adhuc non essent in rerum natura; nihil obstare poterit veritati facti, quod Seraphicus Pater & successores contulerint habitum ingredientibus Tertium ordinem, neque dispositioni iuris, quod ex hac consuetudine ordini minimorum primordialiter erecto Iurisdictio conferendi habitum, quæsita fuerit, *per cap. conquæstus* 9. *quæst.*3. *cap. irrefragabilis §.*1. *cap. dilectus in princ. de offic. ord. cap. cum contingat de foro comp.* Abbas, Felin. Ioann. Andr. & alij per Surd. *consil.* 465. *num.* 15. *lib.*4. qui prima decisione fuerunt allegati; quibus accedunt plene hanc conclusionem firmantes Bellarm. *consil.* 40. *num.*21. Alberic. *consil.* 197. *num.*15. Menoch. *tract. de Imper. & Iurisd. lib.*2.*cap.*2.*n.*2. Bald.*cons.*338.*n.*5.*lib.*1. Sanchez *super Decalog. lib.*5.*cap.*4. *num.*64. & idem fuit firmatum in Labinen. Montis Rotundi *versic.* neque obstare dicebatur 25. Iunij 1627. coram D. meo Decano, & hanc eandem consuetudinem habitum conferendi ponderat Miranda in Manuali *part.* 1. *quæst.*36. *art.*7. *in princ.* dicens licet non reperiatur aliquod Breue, seu Bulla concessa Fratribus Minoribus, vt possint recipere aliquos fratres, vel sorores, qui vocentur Tertiarij, siue de pœnitentia, & in propriis domibus habitent; nihilominus sufficit antiqua consuetudo, quæ ab initio ordinis semper fuit in praxi. Quæ verba, & veritatem facti consulti & iuris dispositionem in præsupposito deductam bene comprobant. Vnde nisi Regulares Tertiarij

Tertiarij aliunde doceant ius conferendi habitum ad ipsos spectare, vel deuolutum fuisse, aut denique ex aliis Summorum Pontificum constitutionibus, & Bullis concessum, frustra de proprietate iuris conferendi habitum Tertiariis sæcularibus, contendunt.

Non igitur constat ad ipsos spectare, ius conferendi ante Bullam Nicolai I V. neque ex dispositione eiusdem, quæ emanauit de anno 1289. & est secunda in nouo Bullario, & impressa reperitur in libro intitulato. Firmamentum trium ordinum, ad quam semper incurritur, dum agitur de Tertio ordine, nam etsi ille fuerit ab ipso Beato institutus, vt in ipsa Bulla præsupponitur in decimo sexto capitulo Regulæ, attamen Gonzaga Episcopus Mantuanus in sua Chronica *part.1.versic.cum autem pag.*3.& Roderic.*qq. regul.tom.*3.*q.*72.*art.*1.*in princ.* dicunt, quod Regula à B. Patre tradita non inuenitur, sed tantummodo illa quæ enunciantur & approbantur à Nicolao I V. in qua de pertinentia ad Regulares Tertiarios non est agẽdum, dum adhuc ordo illorum ad formalem Regulam non est erectus.

Neque ad rem facit, si dicatur Seraphicũ Patrem ab origine statuisse originem Tertiariorum omnino distinctum ab Ordine Minorum, & probari ex verbis Gloss.*in Clement.ex eo de sententia excommunic. & prima verb.obedientiam de Relig.dom.*Calderin.*cons.* 7.*n.*2.*de for. compet.* & inde sumendam esse consequentiam necessariam, ius conferendi habitum de iure communi non competere minoribus de obseruantia, cum non sint superiores eiusdem ordinis *cap.fin. de regul.in* 6.Lap. *allegat.* 34. *n.*1. Oldrad. *ad cons.*91.*n.*1.

Quia obiectum omnino cessat propter, ius quæsitum ex consuetudine conferendi habitum vniuerso cœtui Tertiariorum, vt supra ostensum fuit.

Quæ Iurisdictio non potest dici sublata, ex eo quod Beatus nõ dederit hanc facultatem ministris ordinis fratrum Minorum, sed ipse solus ab initio Tertiarios receperit, & postmodum eandem facultatem dederit Bartholomæo Cumario à se recepto, & cum clausula, in æternum, quæ exinde dicitur transmissa ad successores in approbatione Regulæ per Nicolaum I V. dum voluit *in capit.* 2. *&* 16. quod ministri de se ipsis Tertiariis eligerentur, & ab ipsis habitus daretur.

Nam si chronicis huius sacræ Religionis est standum, prout non est dubitandum, iam concludenter ex supra dictis patet, quod Sanctus Franciscus ab origine statuti ordinis, dum vixit, habitum ingredientibus dedit, & post eius gloriosum obitum idem fecerunt Ministri Generales & alij ministri particulares, & quod dicitur de Bartholomæo illi simpliciter fuit data facultas recipiendi sæculares ad habitum ab ipso seraphico Patre, non autem successoribus in perpetuum, vt dicunt Tertiarij Regulares, quod abunde suprà fuit ostensum, vt propterea quicquid actum fuit ab ipso Bartholomæo, mandante B.Francisco, non iure proprio quasi sit effectus proprietarius iuris conferendi habitum, sed ab ipso Patre à quo facultatem receperat factum reputetur per textum *ex leg.vnum ex familia.*§.*falcidia.ff.de leg.*2. vbi non dicitur, quis habere ius ab eligente, sed ab eo qui dedit potestatem eligendi & per illum textum ibidem infert Barthol. si adunantia generalis eligit illum, quem Priores nominarunt, ille dicitur electus ab adunantia habente proprietatem facultatis eligendi, non autem à prioribus, idem comprobant Cuman.& Florian. *in dicto.* §.*si falcidia.* Didacus à Segura *ibidem n.*182. *cum seq.* & Crauett. *consil.* 275. *n.*3. dicens idem in mandante, penes quem est potestas mandandi ab eo deducendum esse actum electionis non autem ab ipso eligente, & cum facultas prædicta data fuerit Bartholomæo biennio post à die Ordinis Tertiarij Instituti, nempe de anno 1223. vt dicunt Chronistæ supra allegati, & tempore quo infiniti prope habitum receperant ab ipso Beato, clarum est, quod tanta Iurisdictio non sit translata in Bartholomæum, quin maior apud Superiorem remanserit, *cap.dudum* 14. *de Præbend.in* 6.*leg.fin. Cod.de iurisd. omnium Iud. leg.*1. *Cod. de offic.præfecti vrbis.* Baldus *cons.*316. *incipit Rex Romanorum in fine num.* 16. dicit, quando Princeps committit iurisdictionem alicui censetur eandem sibi reseruare. *Caput.decis.*337.*n.*8. *part.*1. Menoch. *præsumpt.*18. *num.*1.*lib.*2. Felin. *comprobans in cap. Pastoralis num.*2.*de offic.ordin.* & plenius Surd. *cons.*56.*num.*22. Gonzal. *ad regul.*8.*in proæmio* §.2. *numer.*2. *& seqq.* & cum agatur de terminata facultate Bartholomæi Bulla Nicolai quarti nihil disposuit de successoribus illius, sed de iure conferendi indulto Ministris eiusdem ordinis cuiuscunque qualitatis & sexus, & nihil commune habet cum facultate Bartholomæi.

Secundo principaliter non probatur huiusmodi facultatem conferendi habitum quæ ex consuetudine præscripta erat penes fratres de obseruantia ad Regulares Tertiarios fuisse deuolutum, aut inter ipsos tanquam de cœtu vniuersali conseruatam, quamuis post sæcula in Regularem ordinem erectos, nam etsi opponatur cessare iurisdictionem,

ctionem Minorum de obseruantia ex vi Regulæ per Nicolaum quartum confirmatæ de anno 1289.dum in fine Bullæ idem Pontifex voluit, quod huiusmodi fratres habere debeant Ministros de se ipsis, *& in capit.*2. Regulæ approbatæ determinetur, quod Ministri deputati recipiant fratres, & sorores habitum suscipere volentes, *& in cap.* 16. indulta sit facultas eligendi in visitatorem virum Religiosum ex aliqua Religione approbatum, quæ omnia inferre videntur Iurisdictionem, & quidem distinctam, & separatam ab ordine fratrum de obseruantia. Bart.*in leg. nam & posteriores ff.de legib.* cum aliis allegatis per Menoch. *præsumptio.* 38. *num.*8. *lib.*6. attamen eadem prima decisio respondet, quod ius conferendi habitum à ministris electis à se ipsis respicit Ordinem Tertiariorum in vniuersum, qui cum vt vniuersales, neque vt singulæ Congregationes sint in causa pro defensione propriæ exemptionis, sed tantummodo Regularis ordo Tertiarius & Fratres Minores ad inuicem contendente de iure Tertij Congregationes illæ inauditæ non sunt spoliandæ suis facultatibus per Nicolaum I V. indultis ex vi Regulæ approbatæ, & ita intrare non potest consequentia deuolutionis huiusmodi iuris ad ordinem Regularem Tertiarium, qui de tempore Regulæ Nicolai non extabat, sed post ducentos ferè annos superuenit, & interim sunt conseruandi minores obseruantes in eorum iure conferendi in suis casibus quando Congregationes, non deputant ministros, vel antequam illæ non sint erectæ in ciuitatibus, vel locis orbis vniuersi, quod semper sustinetur etiam in modico in quo potest operari Menochius *eadem præsumpt.* 38. *num.*14. *& seqq. lib.*6. Neque obstat, quod ordo Regularis Tertiarius, cum ipse vniuersali ordine fuerit semper idem, & independens conseruatus à quacumque Religione etiam Minorũ, tam ante erectionem huius in formalem Regulam, quam post ordinis prædicti erectionem, & probari dicebatur ex constitutione Eugenij I V.de anno 1442.mense Februarij eius Pontificatus anno duodecimo, & ex alia Nicolai V. de anno 1459. mense Maij eius Pontificatus anno 4. apud Syllam de priuilegio Tertij Ordinis *pagina* 30. *&* 40.

Quoniam ex illa Eugenij, quidquid datum est fratribus in commune viuentibus respectu visitatoris, & Iurisdictionis in Fratres prædictos nihil pertinet ad fratres, & sorores separatim in eorum domibus viuentes, de quibus toto tenore Bullæ ponderato non agitur, & quod magis est emanauit pro certis Regnis Castellæ & Legionis à quibus ad vniuersas ciuitates, & mundi loca non licet inferre, neque de vna specie Iurisdictionis visitandi ad aliam speciem conferendi habitum extendi potest, vt infrà dicetur.

Ex constitutione autem Nicolai quinti, quæ emanauit pro Leodiensi Diœcesi, & in forma commissaria plura determinantur pro fratribus tantum in communi, & sub obseruantia, tunc viuentibus, & de prædictis non est quæstio in hac disputatione, in qua agitur de sæcularibus, non autem de Regularibus, vel tunc in communione sub obseruantia viuentibus, plura etiam pro fratribus sæcularibus in propriis domibus degentibus statuuntur, quæ omnia si ponderentur clare constabit, constitutionem esse localem pro Diœcesi Leodiensi, quæ non admittit extensionem, & in forma commissaria datam, quæ non admittit extensionem, & in forma commissaria datam, quæ debet probari in narratis iustificata & effectuata per obseruationem subsequutam, nec aduersari Regulæ Nicolai quarti, nisi in Ministro, & seu visitatore generali, & superioritate illius, ac in eo, quod esse debeat de Fratribus in communi; & obseruantia viuentibus, in cæteris vero firma remanet Regula, quod in toto orbe ad Ministros de se ipsis electos spectet, ius dandi habitum. Vnde non est difficultas, an viuentes in communi, & sub obseruantia, tam ante erectos in Regulares, quam post fuerit semper idem ordo independens conseruatus, & vnum corpus cum aliis, sed cum contendant contra obseruantes, minores habentes fundatam intentionem, in Iurisdictione per consuetudinem acquisitam, vt suprà fuit firmatum, docere debent, quam Iurisdictionem, tunc habuerint, vel nunc habeant dandi habitum laicis separatim viuentibus, scilicet coniugatis, viduis, virginibus, aut aliis in cœlibatu degentibus, quorum Fratrum, & Sororum Iurisdictioni, Ciuitatis, vel loci cuiuslibet, non legitur derogatum, & nihilominus de illorum separatione ab vniuerso ordine constat ex constitutione Leonis X.mense Ianuarij 1621.Pontificatus eodem anno 8. quæ ponitur per Syllam, *de priuileg.* Tertij ordinis *fol.*61. in qua expressè leguntur separati, ibi, nos iuxta Domini voluntatem pretiosum à vili separantes, eandem tertiam regulam, in modum, quod sequitur distinctum de nouo confirmamus, & approbamus, per quam separationem, neque directe cœtus fratrum, & sororum laicorum priuatus fuit proprio iure indulto per Nicolaum I V. vt in prima decisione fuit firmatum, neque in consequentiam,

ex quo non bene infertur de iurisdictione locali ad ciuitates, & loca vniuersa neque de vna specie visitandi ad aliam speciem dandi habitum, deficiente causa vniuersali, & alio existente in possessione Innoc. *in cap. dilectus super verb. possessionem in fin. de capel. Monach.* & plene comprobat Roman. *consil.* 368. *num.* 8. Felin. *in c. auditis n.* 18. *& seqq. de præscript.* Surd. *cons.* 429. *num.* 45. *vol.* 3. vbi agitur de priuatione iuris tertio competentis sufficit allegare cōuenientiam, quod magis debeatur qui habent in denominatione & viuendi modo similitudinem, quam minoribus obseruantibus ratione ordinis omno distincti, Tiraquellus *de leg. connub. lib.* 5. *num.* 30. Surdus *consil.* 140. *num.* 31. cum aliis allegatis; quoniam Iurisdictio sicuti non datur per conuenientiam, sed acquiritur priuilegio, vel consuetudine, Abbas *in cap. cum contingat. num.* 5. *de for. compet.* Surd. *consil.* 465. *num.* 5. *vol.* 3. ita nec eodem modo priuari potest Dominus, aut possessor nisi per habentem facultatem, & superioritatem priuandi.

Tertio denique non probatur, Tertiarios Regulares concessionem habere conferendi habitum sæcularibus, nec priuatiue, neque cumulatiue quoad Minores de obseruantia neque quoad vniuersum ordinem laicorum, & seu congregationis cum derogatione Regulæ constitutionis Nicolai Quarti.

Nam ex constitutionibus supra dictis de hac concessione nullum verbum; ex vltima autem, quæ allegatur à Clemente Septimo de *anno* 1526. mense Martij eius Pontificatus anno quarto registrata apud Syllam *folio* 69. *& seqq.* si bene & distincte attendatur, dum de Regularibus tam virorum, quam mulierum loquitur in narratiua, & in dispositiua eiusdem, nihil ad præsentem disputationem pertinet, in qua de superiore Ordinis Tertiarij non est quæstio, sed de iure conferendi habitum sæcularibus ostenditur.

Pro laica autem non obstant verba eiusdem Bullæ Clementis septimi, in quibus pro Tertiariis constituitur fundamentum apud Syllam *pag.* 76. ibi visitator generalis vniuerso ordini illiusque domibus, Monasteriis, ac vtriusque sexus personis & in Hispaniarum & Portugaliæ Regnis, ac partibus, & Prouincia prædictis existentibus, præsit, & Fratres, Moniales, & sorores ac aliæ vtriusque sexus, & in sæculo existentes personæ, ipsi Antonio, & pro tempore existenti generali visitatori dicti ordinis de pœnitentia in omnibus, & singulis ipsum ordinem concernentibus obediant, ex quibus verbis *præsit & obediat*, dicebantur, & vnum corpus esse conseruatum, & iurisdictionem concessam dandi habitum sæcularibus ex quo de iure admissa superioritate conferre habitum ad alium non spectat, quam ad superiorem Prælatum *cap. fin. de Regul.* Lap. *alleg.* 51. *numero* 1. Oldrad. *consil.* 91. *numero primo* Felin. *in cap. Quoniam numer.* 1. *de maiorit. & obed.*

Quoniam vbi agitur de separata Iurisdictione, nempe particularis visitatoris, & superiorīs, & de Ministris eligendis pro recipiendis sæcularibus ad habitum laicis præscriptum, prout hæc duo distincta in Regula per Nicolaum Quartum confirmata ponuntur, vna specie derogata nō tollitur altera nec inter se confunduntur propter naturam derogationis quæ recipit strictam interpretationem Clement. 1. *de præb.* Achill. *decis.* 3. *num.* 4. *qui fil. sint legitimi.* Rota *decis.* 159. *num.* 7. coram PP. Gregor. XV. 103. *num.* 5. 214. *num.* 5. 229. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Præterea hæc ipsa Clementis septimi Bullam per Pium Quintum de *anno* 1508. anno eius Pontificatus tertio per Syllam *fol.* 85. in totum fuit sublata, antiquata, & extincta, ibi officia Magistratus, & visitatoris generalis dicti ordinis perpetuo extinguimus, & & abolemus, ac Magistrorum visitatorem, ac Vicarium Generalem eiusdem ordinis officio, vsu, & exercitio omnimode interdicimus, & submittuntur Generali, & Prouincialibus ordinis Minorum, vnde bene retorqueretur argumentatio; si conferre habitum spectat ad Prælatum superiorem, cessante superioritate per extinctionem officij visitatoris, cessauit ius per Regulares Tertiarios prætensum dandi habitum laicis in separatis domibus degentibus.

Non obstat, quod superioritas Ministri Generalis Minorum sit ab eo exercenda reduplicatiue, non tanquam quod absolute sit superior, sed tanquam Prælatus ordinis Tertiarij, & eo casu non possit deputare personas Ministros ad dandum habitum laicis ex proprio ordine Minorum, sed seruare debeat statuta, & ordinationes, ac priuilegia ordinis Tertiarij, secundum exempla, quæ ponuntur per Gonzalez *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 123. de Rege Catholico, qui in diuersis Regnis imperat secundum leges eorumdem.

Quia Minores obseruantes non veniunt ex iure deuoluto per priuationem, sed respondendo Bullæ Clementis septimi, dicunt, superioritatem visitatoris ordinis Tertiarij esse extinctam, & ipsos vti posse iure suo in conferendo habitum laicis priuatiue quoad Tertiarios Regulares ex consuetudine vsque ab initio nascentis ordinis acquisita.

Denique nullius ponderis visum fuit Dominis fundamentum communicationis priuilegiorum fratrum Minorum, quæ legitur facta per Pium quintum in eadem Bulla extinctionis visitatoris Generalis ordinis Tertiarij.

Quia non possunt vti communicatione contra eos à quibus desumunt communicationem, quidquid sit si ab aliis haberent priuilegia independenter ab ipsis Fratribus Minoribus Franc. *in cap. sicut n.* 1. *de verb. signific. in* 6. Casarub. *in addit. ad compend. priuileg. mendicantium verb. communicatio.* Erasmus Cochier. *de iurisd. ordin. in exemptos p.* 1. *quæst.* 17. *n.* 19. Quod si secus esset ageretur de noua superioritate communicanda implicando contradictionem in eadem Pij V. Bulla prohibitam, ibi, quæcumque sint præsentibus tamen non repugnantia, quod non est dicendum.

Et ita vtraque, &c.

R. P. D. Pirouano Veneris 25. Maij 1635.

ARGVMENTVM.

Ius conferendi habitum laicis Tertij Ordinis S. Francisci, cuinam competat.

DECISIO.

QVæsitum fuit, omissa disputatione super possessorio summariissimo retinēdæ, an constet de bono iure in casu de quo agitur, quod eo tendit ad quem pertineat dare habitum Tertiarij ordinis Sancti Francisci, vel Fratribus Tertiariis, vel Minoribus de obseruantia, & constare de bono iure fratrum de obseruantia fuit responsum.

Fundamentum huius Resolutionis desumitur ex primordiali existentia Ordinis Fratrum Minorum de obseruantia, quia tēpore nascentis Religionis seraphic Patris ab eo emanarunt distincti ordines Fratrum scilicet Minorum, quem an. Domini 1208. & suæ ætatis 27. *conuersionis vero* 2. *Sanctus instituit.* Secundum pro mulieribus *de anno* 1212. sub vexillo Sanctæ Claræ. Tertium pœnitentium de *anno* 1221. & hic postremus cœptus est, nuncupari Tertius Ordo; cuius omnes cuiuscumque qualitatis sexus, & status capaces sunt, clerici, laici, coniugati, virgines, viduæ, & coniugatæ extra claustra degentes, & in propriis domibus habitantes, & ordinem ingredi, & profiteri possunt. Gloss. *in clement.* cum ex eo vbi Vitalin *num.* 3. & Imola *num.* 4. *de sent. excommunicationis.* Calderin. *cons.* 7. *de for. comp.* Federic. de Senis *consil.* 150. *num.* 2. Gemin. *consil.* 41. *num.* 2. Socin. Sen. *consil.* 245. *numer.* 1. *volum.* 2. ab eodemque Sancto præscriptæ fuerunt Trino Ordini certæ Regulæ, quarum prima, & secunda Minorum, & mulierum ab Honorio tertio fuerunt confirmatæ, vltima vero pro Tertiariis, non prius à Sede Apostolica, quā de *anno* 1390. sub Nicolao IV. apparet confirmata, sæculis postmodum elapsis ab erectione Tertij Ordinis, & interim auctis gratiis, i& priuilegiis spiritualibus tanquam ab hoc genere & cœtu vniuersali emanauit Regularis ordo Tertij ordinis, in sua specie magis perfectus, quoad habitum, ac viuendi modum, & votorum solemnem emissionem, cuius confirmatio contingit primo de anno 1521. Leonis X. Pontificatus anno octauo. Ex quibus tanquam in facto non controuersis plura sequuntur. Primo, quod facultas conferendi habitum fratribus, & sororibus laicis ex vi Regulæ à Nicolao IV. approbatæ, non autem alio iure pertinere dignoscitur. Secundo antequam, hæc species Tertiarij Ordinis regularis à suo genere esset desumpta, vel ab eodem producta huiusmodi facultas conferendi habitum, in suspenso esse non potuit, nec fuit, nec per alios, quam Ministros Minorum Fratrum n suis casibus exerceri potuit. Tertio, quod hæc species viuendi in maiori perfectione, tanquam producta à suo genere, ex se non est apta assumere priuatiue omnes qualitates generi adhærentes, nisi ab habente facultatem fuerint concessæ.

Prima proposito euidenter probatur, quia Canones, & antiqui Doctores de ordine ipso tertio Regulari mentionem non faciunt, sed tantummodo de Tertiariis in sæculo degentibus, vt videre licet ex supra dicta Clement. *cum ex eo*, & ponunt Vitalin. & Immol. Cald. & alij *suprà allegati*, & idem dicunt Bald. *in leg. placet n.* 13. *Cod. de sacros. Eccles.* Ang. *cons.* 218. *num.* 1. *& seqq.* Vnde semper ad cognitionem pertinentiæ istius iuris conferendi recurrendum est, ad Regulam authoritate Apostolica confirmatam tanquam ad ius certum, & casum *legis leg. Ancillæ Cod. de furt.* Dec. *cons.* 563. *num.* 12. & in terminis de Bulla ponunt Nauarrus *in tract. de spol. Cleric.* §. 6. *cap.* 36. Caualcan. *decis.* 44. *num.* 3. Surd. *consil.* 333. *numero* 12.

Secunda propter consequentia concludenter iustificatur, nam quod facultas tradendi habitum nunquam in suspenso esse poterit, aut fuerit patet, quia Sāctus à die cōstitutionis istius ordin. cœpit cōferre multis habitum, & successiuè idem fecerunt Ministri successores, vsque ad confirmationem Regulæ sub Nicolao IV. de anno 1390. quādoquidem de eo tempore, non vrgebat Regularis ordo Tertij Ordinis, nec Fratres, aut

sorores ante confirmationē erāt certi ex vi Regulæ, an possent eligere à se ipsis Ministros ad quos spectabat dare habitum ingredi volentibus, sed tunc fuit determinatum, & per modum consilij ab eodem Nicolao quarto in confirmatione regulæ, vt Ministros de se ipsis eligerent, & deinde antequam hæc secunda proles fœcundaret, statim conuentum facere non potuerunt in omnibus respectiue orbis vniuersi ciuitatibus, castellis, locis pro deputatis Ministris, iuxta formam Regulæ *cap.2. & 16.* sed erat spectandum incrementum sufficiens, pro conuentu faciendo in Ecclesiis, vel aliis locis Religiosis, & interim certum est, quod ab aliis quam Ministris Minorum de obseruantia habitus conferri non poterat, & tamen infinitos habitus Tertij ordinis recepisse vsque ad annum 1390. testantur omnes chronistæ huius sacræ Religionis, Marcus *Vlixbonen. p.* 1. Chronicæ Minorum *lib. 1. cap.33. & lib.9. cap.9.* Pater Gonzaga in sua Chronica *cap.1.§. cum autem pag.3.* Miranda *in suo Manuali Prælatorum in expositione 3. Regulæ cap.1. num.8. seqq.* cum aliis quæ possent allegari. Quæ facultas, & seu iurisdictio vltra prætensas Bullas, & priuilegia Apostolica, si quæ sunt, illam tamen potuit dare consuetudo legitime per tot sæcula præscripta *cap.conquestus.9.quæst. 3. cap. irrefragabili §.1. & cap.dilectus in princip. de officio ord. & cap. cum contingat.de for.compet.* vbi Ioan.Andr.dicit quod hoc alibi non reperitur, quod consuetudo tribuat iurisdictionem, & Abb.*ibidem num.5.* reassumit dicens duo esse, quæ possunt dare iurisdictionem, priuilegium, & consuetudo, & pluribus ibidem comprobat Felin. & plenius Surd. *cons. 465.n.4. & seqq.lib.4.*

Neque obstat, quod hæc ipsa consuetudo cessauerit, superueniente Bulla confirmationis Regulæ de *anno* 1390. sub Nicolao Quarto, in qua expresse determinatur, quod fratres habere debeāt Ministros ex se ipsis; Regula autem *cap.2.* tribuit iurisdictionem conferendi habitum Ministris, non autem fratribus Minoribus, & quod plus est in *capit.16.* eiusdem Regulæ confirmatæ postquam sancitum est, quod Ministri, & fratres ac sorores ciuitatis, & loci cuius ad visitationem communem in aliquo loco religioso, vel Ecclesia conueniant, subditur; & visitatorem habeant sacerdotem, qui alicuius approbatæ Religionis existat, nec quiuis alius possit eis huiusmodi officium visitationis exhibere, vnde dicebatur, si officium visitatoris non est concessum Minoribus de obseruantia, sed sacerdotibus indistincte, approbatæ Religionis, per quod, & subiectio, ac iurisdictio respectiue inducitur *cap. conquerente de offic. ordinarij* Socin. *de visitatio.num.4.versic.decimo quæro.* Rota *decis.196. num.2.p.2. diuers.* & facultas dandi habitum est penes Ministros ab ipso cœtu fratrum, & sororum electos, non autem Minores Fratres, & hoc pariter sit de iurisdictione *cap.nostri.cap. transmissæ de elect.* Lap. *allegat. 89.num.12.* consuetudo ipsa tanquam pugnans, & incompatibilis cum Apostolica concessione, cessare debebit. Bartholomæus *in leg.nam & posteriores de legib.* Abbas *cons.51. lib.1.* & per consequens Minores neque priuilegium, neque consuetudinem conferendi habitum habere dici potuerunt, Alexand. *consil.108. col.vlt. libro tertio* Menochius *plene comprobans præsumpt. 38. numero octauo, libro sexto.*

Quia aduerterunt Domini, quod hodie non sunt in causa Fratres, & sorores vniuersi, vti vniuersi, neque particulares ex singulis ciuitatibus, & locis ex toto orbe, qui contendebant se exemptos à iurisdictione Fratrum Minorum, vel per visitationem, vel per facultatem conferendi habitum à propriis Ministris, sed tantummodo Regularis ordo Tertiarius, & Minores de obseruantia super iure conferendi habitum laicis fratribus, & sororibus Tertiarij ordinis in suis casibus, nempe quando prædicti non habent Ministros vel visitatores in ciuitatibus, & locis in quibus contingit fidelibus habitum petere, vel quando non sint apti habere Ministros, vel visitatores, vt in vno, vel duobus qui vniuersitatem, aut conuentum facere non possunt, quamuis in vno aut duobus possit conseruari *leg. Neratius 85. ff. de verb.sig. cap.1.* cum Glossa *in verb. duo de elect.* & tunc consuetudo acquisita semper in suis casibus conseruat iurisdictionem nec per legem superuenientem abrogatur, aut tollitur, modo consuetudo, quæ vim legis habet in aliquo modico potest operari, ita plene huic regulæ declarationes quatuor subnectit idem Menochius *præsump.38.n.14. & seqq.lib.6.*

Tertia, & vltima illatio minorem continet difficultatē; quia species ordinis Regularis Tertij ordinis desumptæ ex genere vniuersalis ordinis omnibus indistincte cōpetentis non est apta de per se assumere in se omnes qualitates vniuersalis ordinis, priuando illum facultate deputandi Ministros, & de proprio cœtu deligendos, & sacerdotes, & pro visitatione, & correctione deputandos, & in se assumere eandem facultatem, & seu facultates conferendi habitum priuatiue quoad vniuersitatem, quia generi nunquam per speciem derogatur, nisi quando contraria determinantur, per Principem, legem, statutum, consuetudinem, aut præscriptionem, vel ab habentibus facultatem contraria generi disponendi. Dec. *in*

in leg.in toto leg.iur.n.11. vbi Cagnol.*n.9.in fi. ff.de reg.iur.* Menoch.*cons.141.n.37. & in præsumpt.38.n.14.l.6.* Surd *cons.352.n 13.vol.3.* & bene conuenit exemptum de E clesia filiali erecta intra fines. Matricis, quæ in separatione non priuat matricem, suo iure percipiendi decimas, nec audiendi iuribus Parochialibus, nisi ab habente facultatem id sancitum fuerit, *cap.ad audientiam de Ecclesiæ ædificat.* vbi Abb. & alij Canonistæ, & idem sancitum est per Trid.*c.4.sess.2.* & nouissime in Rota fuit resolutum sequendo antiquas decisiones in eam Nouarien.decimarum die 18. Iunij 1615. coram D.meo Verospio.

Erit igitur de intentione Regularis ordinis Tertiarij probare acquisitionem iuris conferendi habitum, vt inde appareat de eius bono iure exclusiuo ordinis fratrum de obseruantia, quod quidem adhuc probatum, nec iustificatum visum fuit.

Non enim iuuari potest ex eo, quod ordo minorum non doceat de aliqua charta, in qua hoc ius scriptum reperiatur, & hanc negatiuam admittit P.Miranda eiusdem ordinis minorum professus in suo Manuali Prælatorum *tom.1.q.36.art.7.* dicens ex priuilegiorum collectore non reperiri aliquod breuę, seu Bullam concessam fratribus Minoribus circa hanc materiam recipiendi fratres, aut sorores ad habitum Tertij ordinis.

Nam superius sublata est huiusmodi difficultas, quia nedum priuilegio, sed & consuetudine acquiritur iurisdictio, propterea ad acquisitionrm iuris positiui non sufficit probare non ius tertij, nisi etiam probetur proprium ipsius ordinis Tertiarij, Menoch. *de adipis. rem. 1. num.68. Thesaur. dec.4. in princ.*

Neque ad casum controuersum pertinet, quod ab origine Seraphicus Pater instituerit ordinem tertium omnium separatum & independentem ab aliis, & separatas regulas præscripserit, & dum sanctus viuebat, iussit Bartholomæum Cumanum Tertiarium professum pluribus aliis habitum conferre, & dum Tertiarij non erant Regulares sibi ad inuicem habitum conferebant, allegando Chronicam Religionis *in 1.part.l.1.p.78. num.14.*

Quoniam & hoc præsupponitur per fratres de obseruantia, quod ante confirmationem Regulæ de Tertiariis vsque ad Nicolaum I V. infiniti receperint habitum, tam à Patre Seraphico, quam à successoribus Ministris, vel ipsis mandantibus, quod idem est, & post Regulæ confirmationem ex vi eiusdem Ministri Tertij ordinis ex se ipsis electi habitum darent ingredi potentibus. Sed in consequentia consistit error, si dicatur, ergo ius conferendi, quod non spectat ad minores de obseruantia, ad Tertiarios Regulares pertinere debet, quia quod est concessum Tertiariis ab ipsa Regula, ipsi quidem fratres minores non possunt mutare, & sibi ipsis appropriare nempe deputare Ministros ex se ipsis, & eligere visitatorem de quibus hodie non est agendum, quia vt dictum suprà fuit, non sunt in causa tertij laici, & sæculares, sed tantummodo Regulares Tertiarij & Minores de obseruantia, vt propterea non sequitur, quod in aliis casibus in Regula non comprehensis non potuerint iurisdictionem acquirere, nam asserentibus ad ipsos tale fuisse deuolutum incumbit onus probandi.

Secundo principaliter non obstat ius positiuum pro Tertiariis allegatum ex Bullis Summ.Pontificum, & innumeris, vt dicitur constitutionibus Apostolicis Eugen. I V. Nicolai V. Leonis X. Clementis V II. Pij V. pōderādo præcipue illam Clem. VII. 1526. 15. Martij ann. 4. In qua dicebatur confirmari constitutiones Eugenij I V. Nicolai V. Sixti IV. Iul. II. Leon. X. & de nouo concedi, quoad habitum, quod ipse solus visitator, & non alius in Hispania conferre possit.

Quia ex tenore supradictarum B llarum, & constitutionum non legitur prouisum, quod iurisdictio dandi habitum Ministris ab ipso cœtu confratrum, & sororum respectiue electis de se ipsis à Nicolao I V. concessa pertineat, aut pertinere debeat Regulari ordini fratrum Tertij ordinis, aut deuoluta intelligi debeat, neque minus in casibus in quibus non essent electi ministri de se ipsis, aut nominati visitatores, quod ius conferendi habitum spectat ad Regulares Tertiarios, qui est proprie casus controuersus, ex quo deputatis iam ministris secundū formam Regulæ per Nicolaum I V. approbatæ, neque minores, neque Tertiarij possunt priuare Congregationes suo iure ipsis non auditis, & in causa non existentibus, & signanter Bulla prædicta Clement. VII. quæ in corpore refert alias Prædecessorum Pontificum Bullas, & confirmat nihil de Regula Nicolai I V. mutauit, aut detraxit, sed tantummodo quoad Regulares Tertij ordinis plura sancita sunt, de quibus hodie non est quæstio cum Minoribus, de obseruantia, sed quis ipsorum habet ius conferendi habitum in sæculo, & in propriis domibus degentibus, atque ita de iure Tertij quæsito est controuersia, non autem de subiectione Tertij ordinis Regularis.

Et eo minus videntur releuare sententiæ in summario datæ cum litteris executorialibus.

Quia vltra, quod adhuc non sunt de actis ex earum lectura patet, eas continere facultatem visitandi personas & loca Religiosorum,

rum, & Monialium Tertij Ordinis, siue Tertiæ Regulæ S. Francisci, atque ita ad Regulares Tertij ordinis, non autem ad laicos extra claustra & Congregationes viuentes, qui non dicuntur proprie Religiosi, prout dicuntur Regulares iuxta declarationem per Leonem X. factam vltima Augusti 1517. sui Pontificatus anno quinto, quæ ponitur per Syllam Collectorem *in part. 2. pag. 62.*

Demum neque potest in obseruantia aut possessione constitui fundamentum quia attenta anteriori & indubitata possessione fratrum minorum, & cum tempore sufficienti ad acquirendum titulum in iure conferendi habitum, vt supra fuit firmatum de hac posteriore, quatenus esset probata non esset in concursu habenda ratio, *cap. licet causam de probat.* Rota *decis. 505. numer. 2. part. 1. diuers.* Thesaur. *decis. 206. in fin.* Menoch. *de retin. remed. 3. numer. 733. cum aliis alleg.* per Gratian. *discept. 402. numer. 1. & 2.*

Et ita de vtraque, &c.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum, & verborum notabilium, quæ in hoc secundo Tomo continentur.

Prior numerus Paginam, posterior numerum designat.

A

Abbas.

ABBATES Episcopi, an ante consecrationem nequeant benedicere. pag. 43. n. 5

Abortus.

an vt Abortus pœna mortis puniatur, debeat esse dolosus, sicut & homicidium. 488. 17. 18. & 19

Etsi poculum ad abortum per se tendat in internecionem fœtus, an poculum istud ex natura & vi sua non tendat ad mortem matris. 487. 12

An ille qui procurat abortum fœtus animati, & de facto sequitur abortus, sit pœna mortis plectendus. 488. 16.

Absentia.

Vt licita sit absentia vnius coniugis ab altero quid requiratur. 128. 1

Ex quot causis coniugis absentia potest dimanare. 217. 2.

Acceptatio.

non Acceptatio summi Pontificatus an sit obiectum honestum. 405. 14

quænam Acceptatio pariat obligationem iustitiæ. 116. 9

quæ Acceptatio quæ sit actus voluntatis maleficiati sit omnino illicita. 341. 34

an Acceptatio collationis, nominationis, & præsentationis factæ clerico minori, & consensus in electionem Episcopatus in rigore iuris diuersa significent. 427. 12.

Actio, Actus.

An habilitas ad exercendum actum validum sit requisita de iure diuino. 37. 1

qui Actus dicatur libidinosus & non respiciat matrimonium. 189. 20

Duo genera actuum matrimonialium admittuntur. 194. 1.

Horum generum conuenientia. ibid. 2

Inter hæc duo genera discrimen intercedit. ibid. 3

quæcumque Actio exterior deliberata secum natura sua affert agendi intentionem, ex Dom. de Soto. 84. 24. 25. & 26.

Quæ oppositio inter actiones humanas & signa diabolica possit intelligi. 360. 10

Administratio.

An temporales administrationes non sint beneficia. 10. 9.

Administratio rei familiaris quantum ad commercia & negotiationes forenses competit viro. 316. 1

Adoptio.

an ius Adoptionis proueniat ab extrinseco, & libera adoptantis voluntate. 269. 4

Quandonam dicatur perfecta adoptio. 377. 5

Adulter, Adulterium.

an si Adulterium ita occultum sit vt innocens illud probare non possit liceat innocenti vxorem dimittere. 145. 1.

propter Adulterium duplex affertur dimissio, ex Sanct. Thom. 142. 4. & 5

an si vir Adulterij causam dedit negando iniuste debitum coniugale, tunc vir nequeat vxorem dimittere, nec criminaliter, aut ciuiliter eam accusare. 179. 1

An si notorium sit adulterium, & vir absentetur & propria authoritate aufugiat, possit repeti ab vxore adultera. 144. 22. 23

Ad hoc quod innocens possit accusare adulteram quid requiratur. 191. 1

An metus conditionalis excuset mulierem à pœnis adulterij. 190. 4

An vir teneatur ex vi correctionis fraternæ præcepto dimittere vxorem adulteram. 140. 1

clericus Adulterij conuictus depositus ab officio communione concessa, in Monasterio toto vitæ tempore trudatur, ex Conc. Aurel. 539. 2

An iudici debeat constare notorietas adulterij vt mulieri alleganti spolium restituatur. 144. 18

Si prudenter aliquoties sit monitus innocens, quod sibi reconciliet adulterum, nolit illum sibi reconciliare, an possit adulter religionem ingredi. 136. 1 & 2.

an vir accusans Adulterium vxoris repellatur per exceptionem similis adulterij. 181. 11

An vir in conscientia nequeat dimittere vxorem adulteram, siue ipse prior fornicatus fuerit siue post vxoris adulterium. 176. 1

An si vir non prohibeat vxoris adulterium, cum liberè id possit facere pœnam lenocinij incurrat. 179. 1.

An coniux certus de adulterio alterius, nisi cogatur à iudice Ecclesiastico censuris, non teneatur debitum reddere. 143. 11

An coniuges sint pares in diuortio causa adulterij. 169.6.
Licet per adulterium non dissoluatur matrimonium auferatur impedimentum quo adulter nequibat petere. 191.2
Si vir adulteros in flagranti delicto inuentos occidat,an occisio sit licita. 183.9
An si postquam vir dimisit vxorem propter adulterium ante professionem ipse adulterium commisit professio valida non sit nisi mulier consentiat. 128.27.
Si criminaliter procedatur contra adulteros coram iudice laico,variæ in lege ciuili determinatæ pœnæ. 138.1
An neque innocente inconsulto & sine eius licentia tacita, vel expressa adulter non possit statum mutare. 136.2.3.4
An si vxor adultera emendata non sit,nequeat ad residentiam admitti in eodem thoro. 139.4
an Adulter diuortiatus per sententiam iudicis Ecclesiastici nequeat in religione profiteri sine consensu innocentis. 136.1
An cum vir innocens vult diuertere ab adultera possit id facere propria authoritate. 142.1
An innocens non sit obligatus dimittere adulterum, sed possit cum illo cohabitare. 139.1.2.3
An etiamsi adulterium sit occultum & ipso vir habeat prudentem suspicionem, aut notitiam teneatur ex vi præcepti correctionis fraternæ, vxorem dimittere quoad thorum. 141.8.9.& 10
An liceat viro innocenti post iudicis sententiam adulteram occidere. 182.1
An si adulterium vxoris occultum ita sit, vt tantum sciatur ab vno vel altero non sequatur scandalum 140 7.
An quantum ad dimissionem æqualem habeat effectum adulterium viri ac vxoris. ibid.8
Si à monasterio probetur adulterij exceptio, an non sit liberum professo exire. 126.3.& 4
An si innocens exterius remiserit adultero iniuriam factam sine animo & volunrate illam remittendi, & sine animo illi reddendi debitum, talis condonatio obliget innocentem in foro conscientiæ. 192.1.
Quandonam innocens non possit ciuiliter aut criminaliter adulterum accusare in foro animæ. 191.4
An vxor adultera cuius adulterium est occultum habeat ius vt maritus secum cohabiter. 146.16
Ius indistinctè dicit vxorem non esse ream adulterij quæ fuit coacta. 189.2
An ille qui non potest in iudicio Ecclesiæ probare adulterium coniugis, non possit propria authoritate eam relinquere. 145.4
Iuxta leges Hispanas vxor adultera non damnatur necessaria morte, sed arbitrio mariti supplicium committitur,remissiuè. 183.8
An si innocens adulterium committat eo ipso amittat ius negandi, & teneatur sibi reconciliare alterum. 205.6
An vir adulter si vxorem criminaliter accuset,mortaliter peccet. 180.1
An etiamsi vir occultum commiserit adulterium,nequeat in conscientia ciuiliter accusare vxorem adulteram. 181.8
Si aliquod pactum eximeret vxorem ab obligatione sequendi virum, daretur vterque coniugi occasio adulteria committendi. 218.8
An propter adulterium spirituale declarato ab Ecclesia coniuge hæretico, innocens non solum possit ad religionem transire, sed etiam ad ordines sacros assumendos. 203.9
Cuius arbitrio Hispani adulteræ supplicium committant. 181.7
An vir si vxor sit notorie adultera possit cum illa tuta conscientia non cohabitare. 177.8
An mariti adulterium sit graius,vxoris luxuria.181.9
An maritus si sit innocens non possit authoritate propria occidere adulteram. 180.3
An si quis habeat copulam cum adultero,& non habeat animum non dimittendi iniuriam,inducat remissionem iniuriæ etiam in foro conscietiæ.193 6
An non sit condonatio quum vxor reddit debitum viro adultero. 194.4
An idem prorsus acquirat innocens & amittat reus in adulterio carnali,ac in spirituali hæresis. 205.5
An si innocens adulterio spirituali sit adulter carnali adulterio hæreticus declaratus emendatus ponat alteri exceptionem adulterij carnalis, iste nequeat diuortium celebrare. 205.2
An vir adulter ratione adulterij amiserit superioritatem capitis in mulierem. 180.2
An adulter spiritualiter per hæresim licitè & validè possit ponere exceptionem alterius adulterij.205.7
An in adulterio spirituali propter hæresim detur compensatio. 204.1
An si vir commisit adulterium, quod illi condonauit mulier, si ista postea incidat in adulterium, non possit marito volenti celebrare diuortium. 177.11
An si vir qui in occulto adulterauit,vxorem moneat vt castè viuat,qua nolente, possit diuertere ab illa. ibid.9
An vnus coniux nequeat alterum relinquere & ab eo diuertere,etiamsi plura adulteria commiserit.176.6
An in conscientia nequeat coniux adulter diuertere à residentia matrimoniali,cum altero coniuge sodomiam committente. ibid.5
an Adulterium carnale opponatur materiali perfectioni, & spirituale opponatur formali. 208.12
Lecti subintraaio adulteri sub specie & simulatione proprij viri quomodo fiat. 185.1
An viri adulterium non recompenset ciuiliter turpitudinem maiorem adulterij vxoris. 169.4
Conuentus statim atque adulterium fuit commissum plenum ius adquisiuit in professum. 126.9
an Adulterium respectu legis non committatur sine dolo. 190.5
Quid veniat dicendum quando coniux qui professus est sine coniugis alterius licentia expressa vel tacita, etsi coniux qui in sæculo mansit adulterium commisit. 176.1
An iniuria adulterij sit facta antequam innocens eam agnoscat. 127.23.24.& 25
si Adultera de licentia innocentis professionem emisit iam non potest eam sibi reconciliare. 147.1
Vir accedens ad adulteram fit bigamus interpretatiuè ex Basil. Legionens. 139.5
In quo casu non sit adulterium formaliter. 184.3

Ætas.

Ætas 18.annor.si vir sanus existat non est debilis.328.2
quæ Ætas dicatur sufficiens vt vir & fœmina censeantur senes. 133.5
quæ Ætas sit tam in viro quam in fœmina sufficiens, vt iudex possit prudenter iudicare non adesse proximum periculum incontinentiæ. 132.1

Alimentum.

nolle vti Alimento habito est occidere seipsum ex Caiet. 57.3

Ambitio.

Ambitionis diffinitio ex Bernardo. 425.6
Quæ dignitas quocumque modo detur,sit ambitionis materia. 426.11

Amens, Amentia.

Quid nomine amentiæ sit intelligendum. 213.1
Amentes vnde dicti. ibid.2
An quis possit esse amens sine furia, at nullus furiosus sine amentia. ibid.3
an si Amentia absque furia superueniat matrimonio non liceat sano amentem relinquere, siue amentia sit perpetua siue ad tempus. 214.1

Anachoreta.

Anachoretis & eremitis qui adnumerentur. 534.16
an Anachoretismus idem sit quod inclusismus. 533.6
Qui dicantur Anachoretæ,solitarij,& celliotæ.536.27

Anathematizatus.

Anathematizatus in rigore censuræ Ecclesiasticæ non admittitur ad consortium fidelium ciuile, nedum Ecclesiasticum. 540.11

Angelus.

Angeli Custodes assignandi sunt hominibus ex vi præsentis prouidentiæ naturalis,aut supernaturalis,ex eodem S.Thom. 276.5
an Angelus quilibet etiam infimi ordinis possit docere & exercere, Magisterium respectu cuiuslibet personæ creatæ quantumuis perfectæ & supremæ. 277.9.
An omnes diuinæ illuminationes perferantur ad homines mediantibus Angelis, ex S.Dionysio. ibid. 12.
Lumen intellectuale Angelicum longè superius est lumine intellectus Virginei. ibid.11
quid Angelis custodibus per diuinam prouidentiam circa singulares personas sit demandatum, ex S.Doct. 278.:8.& 19.
An Mater Iesu ab Angelis instrueretur. 278.21.& 22

Apostasia, Apostata.

Apostasia latius patet à fide quam hæresis. 196.1
Quid de Apostatis,& fugitiuis veniat dicendum.445.1

Approbare.

Aliud est approbare seu ratificare, & aliud credere esse validum,ex Caiet. 104.33.& 34

Arbitrium.

Arbitrium in pœnis non debet esse imaginarium,sed secundum ius,& naturalem rationem. 478.4
Discrimen inter vsum liberi arbitrij infantibus concessi, & vsum loquendi, venit notandum. 267.50

Arctotrophi.

Ex quo Arctotrophi damnentur. 370.6

Assistentia.

quæ Assistentia licentiarij Regij vim habeat iuuaminis brachij sæcularis. 12.11

Atrox.

Atrox idem est ac crudum,teste Festo. 524.4

B

Beneficium.

an Beneficium custodiæ Angelorum datum sit tori humanæ naturæ in quantum ordinata est ad finem supernaturalem consequendum. 278.20
Simul posse retineri duo beneficia personalem residentiam requirentia expressè prohibet Conc. Trid. 9.2
an Beneficia regularia non conferantur in titulum beneficij perpetui. 10.8
Regulares sunt incapaces beneficij simplicis etiamsi essent canonici regulares, non autem beneficij curati, ex Conc. 72.3.4
parrochiale Beneficium,an non sit propriè prælatio,aut dignitas. 70.1

Bimestre.

an Bimestre sit lege vniuersali determinatum. 327.5
an Bimestre sit spatium determinatum à iure ad omnem casum. 327.4
An sponsus totum legale bimestre residere teneatur cum sponsa, quam de præsenti duxit. 322.1
An si transacto bimestri, quod ius concessit ad deliberandum de ingressu religionis, sponsa cogatur consummare, nequeat inuito sponso religionem ingredi. 327.1

Bonum.

aliud Bonum commune, & aliud bonum multitudinis. 500.12. & 13.

C

Canonicus.

an Canonici Regulares creati Episcopi possint dimittere proprium habitum & vti habitu clericali. 74.7
An sede vacante in aliis Ecclesiis Canonici habeant iurisdictionem ordinariam Episcopi. 437.4

Capellania, Capellanus.

an Capellanus religiosus personaliter residere teneatur, in Ecclesia vbi est Capellania. 8.1
an si Capellanus non resideat possit Capellania priuari. ibid.2.
An si semel Capellaniam regularis accepit cum residentia eam teneatur adimplere. ibid.3
An cum Capellania nequeat Regularis habere aliud beneficium. ibid.4
Fundator Capellaniæ ad quam vocat regularem possit apponere conditionem,vt resideat in loco vbi sita est Capellania. ibid.5
An conditio residentiæ apposita fundationi Capellaniæ non opponatur libertati absolutè. 8.9.& 10
An si Capellania requirat residentiam in loco vbi non est conuentus, nequeat Generalis licentiam concedere alicui. 8.11
Quæ residentia personalis Capellani ex iure humano descendat. 8.12

Capitulum.

An possit Capitulum generale statuere, vt omnes religiosi sint vniformes. 73.5.& 6

Carcer.

Carcer ex vi propriæ notionis plura habet significata. 521.1.
Domus Diaboli est carcer in quo familiam suam continet,ex Tertull. ibid.2
Carceris definitio affertur. ibid.3
Ad propriam carceris notionem duo requiruntur ibid.4.
An ad formam decreti Vrbani de eiectis requiratur, quod annus carceris debeat transigi in carcere formali. 531.3.& 4
An damnatus ad carcerem possit ab illo fugere,& ad fugam opus sit carcerem effringere. 531.1
An annus carceris sit computandus de die in diem. 517.3.
An annus probationis in carceribus ad effectum expulsionis debeat computari à momento in momentum. ibid.4
An annus carceris debeat esse continuus. ibid.5
Annum carceris debere esse continuum,& non sufficere interpollatum qui sentiant. 518.6
Nullus in carcere detinetur sub fida custodia, nisi ligatus retineatur. 519.9
Formalis notio carceris quas circumstantias non exigat. ibid.10
an Carcer perpetuus qui duret per totam vitam à iure ciuili non detur in pœnam. 481.15

Ille est carceri mancipandus qui de fuga rationabiliter est suspectus. 522.1.2.3
An carcer sit species quædam residentiæ. 519.1
Carcer sumitur pro sepultura. 520.2
Carcer domus circularis apud Hebræos dicitur. ibid.3
an Caccer ex sua primaria origine non sit pœna, sed custodia. ibid.4
Carcer dicitur à coërcendo. ibid.5
Carcer ex sua primæua origine in pœnam dari repugnat de iure communi ciuili. ibid.6
Carcer perpetuus imbibit exclusionem à fuga. 55.21.22
Carcer importat priuationem libertatis in vsu membrorum corporis sine violentia membris adhibita. 519.1.
An quis possit se vel alium addicere carceri. ibid.2
Carceratus iustè quandiu carceratus etiam ad custodiam ob delictum commissum, an maneat priuatus actibus legitimis. 524.1
annus Carceris requisitus tanquam forma à decreto Vrbano, duo dicit. 518.12.13
An damnatus ad carcerem perpetuum vel ad tempus siue regularis siue laicus non potest fugere ante completum tempus. 55.19
Annus carceris est computandus iuxta suppositionem Gregorianam. 517.1
Quid sit carcer vniuersaliter ex consuetudine plurium nationum, & ex dispositione iuris Canonici & Regularis. 522.5.6
Carcer est viuorum sepulchrum ex Salgado. 53.1
An vinculis & carceratione persona non lædatur. 481.14

Cardinalis.

an Cardinales electores facta electione ante acceptationem non sint Superiores electo. 440.16
In Collegio Cardinalium in conclaui incluforum, an resideat potestas iure diuino naturali sibi concessa ad præcipendum electo canonice, vt accepter. 440.14
an si quis Cardinalis Regularis fiat Summus Pontifex nullo debito legali, sed solum duntaxat morali teneatur ad Regularem obseruantiam. 416.19
An ex vi Cardinalitiæ dignitatis sit quis exemptus ab obedientia regulari. 403.1
Vt quis coniugatus fiat Cardinalis quid requiratur. 162.8.
An Collegium Cardinalium durante sede vacante nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat in iis quæ pertinent ad Sum. Pont. dum viueret. 440.20
Collegium Eminentiss. Cardinalium in conclaui incluforum in quo tractatur de electione Summi Pontificis, habet potestatem præcipiendi ei qui canonicè est electus, vt acceptet Summam dignitatem. 439.10
Cardinales sede vacante si fortè sit schisma possunt legitimè conuocare Concilium vniuersale, ad sedandum schisma. 439.13

Christus.

Christus est caput corporis Ecclesiæ. 283.21
an Christus dederit facultatem Ecclesiæ dissoluendi matrimonium consummatum infidelium in fauorem religionis. 239 9
Christus vnitus fuit vnctione quæ est diuinitas & oleo sanctitatis increatæ ex vi vnionis increatæ, ex Patribus. 282.11
Christi humanitas Deificata & Sanctificata fuit Deitate. ibid.12
Christus Dominus per verbum generale, nisi propter fornicationem, an intellexerit vtrumque adulterium. 205.3.
Christus, vt bonum matrimonij tanquam proles, an vtrumque respiciat & V. M. & S. Ioseph. 271.24

Choreæ.

In Toletanis Conciliis prohibentur choreæ fieri in Ecclesia. 368.15

Clausula.

an Clausula, *ex certa scientia*, etsi nihil operetur quoad extrinseca rescripti, operetur quoad intrinseca. 44.7.
Quid per verba *quod nulla ratione, &c.* denotetur. 151.25.
Quid aduerbium *nullatenus* importet. ibid.22
Quid Sacra Congreg. per Ly *legitime professus* intelligat. 512.25
Quid denotent verba illa, *nisi coactum obedientia Summi Pont.* 429.1

Clausura.

an Clausuræ sit præceptum Ecclesiasticum Pontificium & Conciliare. 278
an Clausura sit præceptum obligans in conscientia iuris Pontificij. 28.10
an Clausuræ præceptum si ortum ex præcepto naturali & diuino. ibid.11.12
An subditus dum inscio superiore, vel sciente sine licentia domi clausuram frangit, liberum se constituat à subiectione. ibid.13
An præceptum clausuræ regularibus impositum à iure canonico, magis vel minus exerat vires suas ad obligandum iuxta varias regulas Religionum. 39.1.
An exitus à clausura in viris etiam repugnante superiore sit aliquando honestus. 30.12
An exitus à clausura sit aliquando obligatorius. 30.14
an Clausura regularium sit præcepta à iure Ecclesiastico. 31.19.& 20
An finis præceptis de Clausura in viris sit magis ne religiosus discedat à Prælato, quam vt non discedat à loco. 32.5

Clericus.

an Clericus si intestatus decederet bona acquisita contra sacros canones inter pauperes, & opera pia essent distribuenda. 447.6
Clericis non licet occidere etiam per sententiam iustam latam in malefactores. 483.28
an vt Clericus minor licite acceptet dignitatem extra Religionem, non sit necessarium præceptum formale Papæ. 18.8.9
An quidquid clericus, aut Religiosus professus acquisiuit arte, vel ludo prohibito à Sacris canonibus sit spolium Cameræ Apostolicæ. 455.1
Clerici debent non solum abstineri ab his quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali, ex S. Doct. 458.7
An bona lucrata à clerico ex negotiatione illicita quia prohibita sibi, non quia sit cõtra iustitiam, non sint spolia titulo hæreditario debita Cameræ Apostolicæ post mortem lucrantis. 448.18
An ciuium nomine quum de fauore defensionis agitur, clericus sit censendus. 51.6
Clericus grauius peccans abstentus suspendebatur totaliter à ministeriis exercendis in ea Ecclesia, in qua clericus erat. 557.12
an si Clerici militares intra claustra, & in communitate viuentes, si temerè dimittant rochetum excommunicationem incurrant. 79.1.2
an Clericus propter crimen enorme vt proditorium homicidium, & contumeliam illatam Episcopo suo & prouinciali, aut generali si sit Regularis, sit deponendus. 471.20
Clericus an non sit degradandus nisi in tribus criminibus. 472.22.23
Clerici qui in Ecclesia sua in pœnam alicuius defectus solùm habent peregrinam communionem quomodo tractandi sint. 559.21

Coadiutor.

vtrum Coadiutor creatus inquisitor coadiuto lucretur. 19.1
an si Coadiutor non resideat sit in damnum tertij. 19.2
Coadiutor factus inquisitor lucratur fructus beneficij ac si esset præsens non sibi sed coadiuto. 20.3
an Coadiutore ægrorante lucretur coadiutus. 20.5
an Coadiutus infirmus possit lucrari fructus quos sanus lucrabatur. 20.5
An cum coadiutus sit sanus corpore & mente tunc coadiutore legitimo impedimento detento, Ecclesiæ sit deseruiendum per coadiutum. ibid.6
an si Coadiutus efficiatur inquisitor sit legitimè impeditus, & lucretur omnia ac si præsens esset. ibid.7
an Coadiutor factus procurator Ecclesiarum duas iuris habeat fictiones. 21.14
Vbinam sit fictio præsentiæ, vt coadiutor lucretur fructus coadiuto. ibid.15
Coadiuto cui datur coadiutor liberum est residere. ibid. 16.
an Coadiutus necessario occupatus sit occupatione legali. ibid.17
an à Coadiutoria releuet iustum impedimentum. ib.18
Coadiutor non potest renunciare priuilegio facto DD. inquisitoribus. ibid.19
Coadiutor factus inquisitor vere est impeditus. 20.10

Commixtio.

quænam Commixtio dicatur esse contra naturam. 318.5.

Communicatio.

Communicatio fidelium duplex est. 563.46
Multæ & variæ erant communicationes, ex Pamelio. 556.6.7.

Communio.

Triplex admittitur implexa communio. ibid.8
Quæ dicatur communio peregrina. 557.13
Communio peregrina, an non constituebat Clericum in ordine laicorum. 558.19
Quæ dicatur tertia communio. 559.25

Concubitus.

vagans Concubitus & simplex fornicatio est iure naturæ illicita. 256.6

Concupiscentia.

Insatiabilis fœminæ concupiscentia vnde sit. 173.20
Quodnam remedium concupiscentiæ iure naturæ datum sit omnibus iis, qui vrgentur carnis prurigine. 306.4

Condonatio.

quæ Condonatio etsi tacita sit, non fundetur in præsumptione. 193.3

Confessor, Confessio.

quomodo Confessor se debeat gerere in absolutione malefici & sagarum. 362.4
Sicut annua confessio est determinatio iuris diuini ab Ecclesia facta à qua incarceratus non eximitur, ita annua communio. 530.4

Coniugium.

Coniugium fuit institutum ad triplex remedium. 299 n.6
an Coniugium Ioseph & Mariæ ordinabatur, vt Christus ex tali coniugio virginali nasceretur. 269.6
An verum fuerit coniugium inter Iosephum & Mariam. 269.2.3
an Coniugium de primaria intentione sit institutum propter mutuam societatem. 315.7.8
Coniugium ad quid fuit institutum. 299.5
An aliquando fuit verum, & perfectum coniugium sine matrimonio. 300.11.12
An iure naturæ per se ex institutione sua coniugium dicat intentionem prolis saltem implicitam. 315.6

Coniunctio.

an Coniunctio viri & vxoris dicatur naturalis propter prolis productionem. 321.10
An vbicumque est coniunctio sit adunatio quædam. 255.2.
Quænam sit coniunctionis matrimonij essentia. ib.3
An ratione coniunctionis sit magis diligenda vxor quam mater. 255.15

Coniux.

an Coniux sanus non teneatur cohabitare in eodem lectulo cum leproso, sicut tenetur reddere debitum. 216.17.
Coniuges antè copulam carnalem verum habet alter alterius dominium & potestatem in corpus. 163 12.
Discrimen inter duos cõiuges fideles affertur. 232.27
Licet coniugi fideli ex eo præcisè quod nolit conuerti infidelis, matrimonium dissoluere altero inuito. 230.11
cur Coniux reuocatus etiamsi professus fuerit de spontanea vxoris licentia teneatur reddere etsi non possit petere. 155.1
an Coniux relictus in sæculo qui adulterium commisit si hoc sit occultum professo, potest in foro conscientiæ reuocare alterum, qui sine eius licentia est professus. 127.18
Sine iudicio Ecclesiæ coniux innocens licite valet non residere cum vxore. 146.11
quòd Coniux fidelis in vtroque casu debeat manere in cœlibatu, vnde oriatur. 235.46.47

Connubium.

Connubium & matrimonium institutum est ad prolem generandam ex S. Doctore. 254.10

Consanguinitas.

an si Consanguinitas sit notoria non sufficiat, vt quis sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimittat. 148.2

Consensus.

Consensus essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè debet ferri in copulam, ex Dicastillo. 295 21.
an consensus explicitus de matrimonio contrahendo sit implicitus in copulam & filiorum procreationem. 256.1.
An ante consensum tacitum aut expressum Prælati Regularis, Religiosus electus non acquirat aliquod ius in re in summum Pontificatum. 404.11
cuius Consensus requisitio dimanet solum ex iure positiuo, aut ex vi filiationis acquisitæ ex professione solemni, in qua emittitur solemne obedientiæ votum. 401.10.
an Consensus matrimonialis implicitè feratur in copulam declinatam à naturâ ad filios procurandos. 254 9.
an de Consensu populi, aut ciuitatum Regni etiam absque publica inopia & indigentia poterit Princeps augere numismatum pretia. 501.3.4
quem Consensum nequeat habere Religiosus professus 70.6.
an Consensus necessario, & essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè saltem debet ferri in perpetuitatem. 294.19
Quis prior consensus implicitus dicatur. 249 10

An posterior consensus virtualis in copulam possit esse ex parte contrahentis liberè appositus. 250 11.
An virtualis consensus liberè appositus necessarius non sit ad validitatem matrimonij. ibid.12
An sine eo quod consensus contrahentium implicitè saltem feratur in copulam sit verum sacramentum matrimonij. 246.1
Duplex consensus qui ab Hugo. Victorino admissus fuit enodatur. 253.1
An sit requisitus semper essentialiter consensus implicitus in copulam, vel possibilem vel futuram sub conditione. ibid.2
An consensus implicitus in copulam & filiorum requiratur essentialiter ad verum matrimonium. 248.14
An ex morali certitudine consensus futuri colligatur actualis consensus tacitus & virtualis. 35.3
An si vir de consensu vxoris fuerit ingressus, non constet quod hic fuerit expressus consensus, sed tacitus. 124.24
Ire ad bellum ob defensionem boni communis est ita honestum, quod vir etiam sine consensu vxoris possit ire. 221.14
An spontaneus consensus inter virum & fœminam legitimè coniunctos faciat. 252.14.15
An æquitas non exposcat, quod sufficiat tacitus consensus ex parte profitentis, & non sufficiat tacita acceptatio ex parte religionis. 110.12.13.14
An consensus qui matrimonium facit sit consensus in matrimonium. 330.6
An non teneatur dare consensum ad professionem emittendam. 116.10
Nihil magis contrarium consensui quam error. 104 37.38.
Duplex consensus admittitur. 247.7

Constitutio.

Constitutio Piana limitanda venit in clericis in sacris non habentibus vnde viuant. 455.7
An non constitutiones Regulares quæ incompossibiles non sunt cum statu Episcopali, rationem legis & vim obligatoriam amittant. 416.14

Consuetudo.

an Consuetudo orta ex tolerantia & scientia Pontificis licita sit. 16.47
Aliquas consuetudines contra libertatem & communitatem Ecclesiasticam admittunt Salas & alij multi. 13.19
An possit introduci consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi quotannis legatur Bulla Cœnæ. 15.39.40.41.42.43.& 44

Consultatio.

ad quid Consultatio Generalis habeat potestatem. 4.4

Contumacia.

Quæ dicatur Contumacia. 512.1
An hodie ad expulsionem, & eiectionem necessariò debeat interuenire Contumacia. 466.1

Contumelia.

Contumeliai llata repellenda pro pter duo. 561.37.& seqq.

Conuentus.

Vtrum alicuius Conuentus filius admitti in aliquo alio possit, vt perpetuus hospes, conuentui exhibita dote, pro hospicio. 451.1
an Conuentus Religiosus nequeat etiam ad recuperandum debitum, officium mercatoris exercere, carius vendendo id quod vilius emit. 459.15.16
An præcisè per ingressum conuentus vna, vel altera vice ob malum finem exequendum cum sæculari ibi morante non arguatur incorrigibilitas, etiam de facto. 463.8.9

Conuersus.

an Conuersi magis adstringantur Monasterio, quàm Monachi. 423.10.11

Copula.

Copula est purum obiectum & terminus obligationis & traditionis mutuæ. 295.22
An non obstet defectus veri seminis ad generandum apti, vt ob id neganda sit copula vero matrimonio coniunctis. 317.2
Quomodo maneat ius ad copulam radicale. 293.15
an Copula solum causet præsumptionem non remissionem. 193.5
Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus vnius sub potestate alterius, sed sub conditione, ex S.Thom. 322.6
Quodnam adiutorium respiciat prolem generandam per copulam maris & fœminæ. 253.6

Correctio.

An ex vi præcepti correctionis fraternæ teneatur adhibere ea media ad emendationem, vt lucretur & non pereat. 140.2

Crux.

Crux signum est exterius quo fidem Catholicam Christicolæ omnes profitentur. 549 67
Cur color croceus in crucibus imponatur.ib. 68.69

Culpa.

Culpam mortalem admittit fœmina, quæ statim post coitum vrinam effundit. 325.4
An vbi requiritur dolus, culpa non sufficiat. 190.7

Curatus.

quis Curatus dicatur in statu perfectionis. 387.32
an Curati sua voluntate possint relinquere curam.ibid. 31

Curiositas.

Quibus portentis illudatur humana curiositas.350.4

D

Dæmon.

an Dæmon, vel per se immediatè, vel per suos maleficos ministros possit virum, vel fœminam impotentes reddere ad copulam, & congressum carnalem. 332.2
An in odium Dæmonis & operum eius possint destrui signa malefica. 361.15
Vti pacto cum dæmone est profiteri se indigentem dæmone ex Caiet. 346.8
an Dæmonium sustinenti liceat petras habere, vel herbas sine incantatione. 359.4
An ex vi destructionis signi speretur Dæmonem cessare à malefaciendo, nisi dæmon ipse abominetur, simul cum suis operibus. 361.1
An qui sperat Dæmonem cessaturum ex vi fractionis signi ab ipso instituti, vtatur vanis ac si essent vtilia. 354.3
Dæmon etsi aliquando stet pactis nunquam tanquam fidelis & verax. ibid.13
Quis effectus non sit positiua aliqua dæmonis actio. 352.2.
An liceat effectum priuatiuum à dæmone expectare. ibid.3.

Decreta.

Decreta Congregat. & Vrbani VIII. solum vim habent in foro externo. 104.42
Decretum Clementinum & Vrbanum vbi non sit receptum. 63.11
post Decretum Vrbanum nunquam potest quis ita remotè eiici à Religione, vt nullo modo possit regredi, ad Religiosum cœtum, in illoque à Superioribus admitti, nisi constet emendatum esse. 468.17

quod Decretum Trid. non comprehendat eos qui perpetuo sunt inhabiles. 106.1
An etiamsi fundetur decretum in præsumptione, talis præsumptio iuris & à iure non sit in perpetuo inhabilibus. 106.3
In quo fundetur decretum quinquennij, quod post illud non possit quis reclamare. 95.52
Decretum Vrbanum requirit tanquam formam ad expulsionem celebrandam annum carceris continuum 518.11.
In quo decreto Conc.Trident. non fundetur in præsumptione iuris & à iure. 93.31.32.& 33
Decretum Trid.de reclamando de nullitate professionis dupliciter venit intelligendum. 90.1
quod Decretum sit latum in fauorem status religiosi. 102.16.
Concilij Tridentini decretum, de quinquennio concesso ad reclamandum post professionem de nullitate. 86.1.2
Necnon Concilij Rhemensis. 86.3

Degradatio.

An verbalis degradatio, & intentionalis sit exauthoratio quædam ab officio. 473.9
Alia est depositio actualis executiua & realis, quæ propriè appellatur degradatio 472.2
Duplex venit notanda degradatio. 472.1

Delictum.

quale Delictum requiratur ad carcerandum aliquem. 523.1.
Qualitas ascendendi cum scalis aggrauat delictum principale, vt grauius puniatur ex Iulio Claro. 470.11.
in Delictis atrocioribus conatus ad illa proximus, & ad illa sollicitatio punitur pœna ordinaria 490.10.11

Dignitas.

Dignitas Ecclesiastica non licitè potest appeti, ex Syluestro. 430.3
an Dignitatem intra Religionem accipere & in electionem ad illam consentire possit quis adstringi per electores Regulares præcepto sub mortali. 437.1

Deus.

Deus ab æterno S.Iosephum non solum elegit ex omnibus, sed etiam super omnes præparauit & disposuit, ad tam alta mysteria cognoscenda, & pertractanda, ex Bustos. 273.40
an Deus permittat dæmoni facere miracula falsa, etiam prætextu sanctitatis ad decipiendum, ex Torreblanca. 363.4
an Deus potuerit instituere contractum societatis inter virum & fœminam absque ordine ad generationem. 298.41.
vtrum Deus possit assumere dæmonem in verum ministrum ad prædicandum, reuelandam, seu declarandam aliquam supernaturalem veritatem, cui tuto assentiri possimus, remissiuè. 357.15
An aliquando Deus permittat per dæmones, & eorum ministros mira facere. 370.4

Dimissio.

quæ Dimissio publica nequeat fieri sine iudicio Ecclesiæ. 143.13

Disciplina.

Vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur restat, vt religio naufragetur ex Clemente II. 53.14
Quid restauret monasticam disciplinam & regularem. 2.8

Dispensatio.

an si Dispensatio Principis sit litteris expedita, sit tacita dispensatio. 463.4
an sit Dispensatio tacita legis requirentis, quod litteræ expeditæ perueniant ad dispensatum. 47.7
causæ Dispensandi cum superiore regulari in personali residentia afferuntur remissiuè. 11.1
Frater laicus an nequeat transire ad clericatum nisi ex dispensatione capituli generalis. 71.2.3
Aliud est de dispensatione, & aliud de commutatione iudicium, ex Caiet. 441.8
An si quis habeat causas sufficientes ad consequendam dispensationem de transitu strictioris Religionis ad laxiorem, non teneatur exprimere quod dimiserit habitum. 393.5
An non minus sit efficax verbum ad dispensationem celebrandam quam scriptura. 48.26
An ex Pontificia dispensatione vrgente necessitate possit Episcopus ab vno solo consecrari. 48.22.23
An tacita dispensatio non oriatur ex consensu Principis de futuro, sed ex præsumpta voluntate ratihabita de præsenti. 46.19
Vt tacita dispensatio præsumatur ex ratihabitione de præsenti, quid sit necessum. 43.5
An ex dispensatione tacita superioris actus honestè & validè fiat. 43.2.3
an Dispensatio tacita in aliqua lege Ecclesiastica sufficiens sit ad actus honestatem. 43.1
an Dispensatio facta à Papa sine iusta causa sit valida. 31.2.

Diues.

Diues tenetur ad subleuandam miseriam pauperis in graui necessitate existentis. 40.4

Diuortium.

Quodnam diuortium sit concessum iure naturæ. 209.9.
Quæ specialis ratio cur detur perpetuum diuortium propter hæresim. 201.4
an Diuortium ratione adulterij sit prorsus in fauorem coniugis innocentis. 206.10
Quandonam vir semper habeat ius ad celebrandum diuortium. 179.3
Sententia Ecclesiæ diuortium celebrantis non est cogens ad separationem, sed licentiam præbens, & ideo absque retractatione præcedentis sententiæ, potest reconciliatio sequi, ex S.Thom. 206.11
an Diuortium propter hæresim principaliter & directè non detur in fauorem alterius coniugis, sed in pœnam delicti. 206.12
Temporalis diuortij causæ adducuntur. 208.1
Prima causa temporalis diuortij, quæ dicatur. 208.2
An ob inductionem ad peccatum mortale detur sententia diuortij. 210.10
Quodnam ius perpetui diuortij possit facere Ecclesia coniugi Catholico. 199.16
Pœna diuortij perpetui imponi nequit ab homine. 200.17.
An post factum diuortium perpetuum liberum sit innocenti religionem profiteri. 213.9
an Diuortium propter adulterium spirituale sit pœna lata ab Ecclesia, & iure humano imposita. 203.7.& 8.
An non possit celebrari diuortium propter lepram. 217.20.
Quid non sit proprie diuortium. 144.20.21
Diuortium est pœna statuta à Christo ob adulterium. 189.18.
An in foro externo solum requiratur sententia diuortij, & iudicium Ecclesiæ de notorio adulterio. 145.2.& 3.
An per diuortium ratione sæuitiæ non amittatur ius exigendi, cohabitandi & mutuo residendi. 135 11.& 12.
Diuortium est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona, ex S.Thom. 138.3.& 4

An etiam stante temporali diuortio si alter professfessionem faciat solemnem possit sententia iudicis reuocati ab altero in sæculo manente. 134.2
An cum facto diuortio absoluto si vnus ingrediatur religionem, ibique professionem emittat solemnem, alius qui manet in sæculo, nec cogendus sit ad ingressum religionis, nec votum perpetuum continentiæ teneatur emittere. ibid.5
An ille qui diuortij causam non dedit possit religionem adire, ibique professionem emittere solemnem. ibid.3
An si vnus coniux solicitet alium ad peccandum possit petere diuortium. 209.6.8
An facto diuortio propter adulterium possit adulter sine licentia innocentis religionem ingredi, & professionem emittere. 135.1
Quis incubitus & succubitus non sit sufficiens ad diuortium. 187.5
An propter vitium contra naturam procedi possit ad diuortium. 189.19
In causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur, ex S.Tho. 168.21
an Diuortium & vxoris dimissio non sit pœna lata. 187.11.
An in causa diuortij vir & vxor ad paria iudicentur 138.2.
Quæ non sit iusta causa diuortij ex Sanchez. 187.9
An per sententiam absolutam diuortij ob sæuitiam coniugis extinguatur ius omne coniugale. 212.6
An causa diuortij per hæresim non sit proxima propter animæ periculum. 199.15
Diuortium ab Ecclesia celebratum duos habet effectus 147.5.& 6.
quandonam Diuortium non sit verum. 198.1
An celebrato diuortio non ob adulterium, sed ob alias causas non possit inuito coniuge alter conuolare ab religionem, ibique professionem emittere. 198.6
An non sit licitum diuortium inter duos ex eo quod alter sit lepra infectus. ibid.2
an Diuortium ob hæresim, aut alias causas quæ impellunt ad coniugem separationem ex natura sua non sit perpetuum. ibid.3
Diuortium publicum celebrari non potest sine iudicio Ecclesiæ. 144.17

Diuinatio.

Duplex genus diuinationis distinxit S. Doctor. 350.7.

Diuinitas.

plenitudo Diuinitatis dupliciter fuit in Virgine, ex eodem Bernardo. 282.14
An tota plenitudo diuinitatis quæ est plenitudo gratiæ increatæ respectu humanitatis Christi, & habetur ab ea ratione vnionis hypostaticæ veniat in Virginem. 282.15

Donatio.

quæ Donatio sit adæquata ratio immobilis residentiæ in religione. 91.14
an Donatio sui ipsius quæ fit in professione tacita fundetur in præsumptione. 103.24.25
An in donatione quam professus sui fecit in professione monasterij id tradat, quod fuit in eius potestate. 126.8

Donatista.

Donatistæ dicebant suos alumnos non circumcelliones, sed agonistas esse vocandos. 535.24
Donatistas esse genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ dicebat August. 535.25

E

Ecclesia.

an Ecclesia declararit, quod vinculum matrimonij cum impotenti possit scindi. 304.8
Societas & corpus mysticum Ecclesiæ compactum & institutum est iure diuino ex capite visibili Summo Pontifice & aliis membris. 439.11
Quæ dicebantur cæremoniæ quibus Ecclesia vtebatur cum pœnitentibus. 542.24
Ad quid experiendum Ecclesia determinet expectandum esse triennium continuum. 329.6
cur Ecclesia prohibeat fideli cum infideli cohabitare ratio affertur. 252.24.25
An quamuis Ecclesia dum damnat coniugem de hæresi independenter ab aliqua alia voluntate pœnam diuortij imponat. 207.14
Ecclesia patitur iniuriam dum spoliatur possessione sua. 123.13.& 14
An qui Parrochialem habet Ecclesiam non per Vicarium, sed per se ipsum debeat deseruire. 9.3.

Eiectio.

quam Eiectionem non à conuentu, sed à communione, & consortio fratrum pluribus remediis, & pœnis exercebant antiqui Monachi. 467
Quibus priuet eiectio. 565.54
Quid sit eiectio à Religione ex Guibellino. 563.43
Eiectionem à Religione excommunicationi comparat D.Thom. 466.7
Eiectus à Religione ex vi voti obedientiæ solemnis, quod emisit in professione, an teneatur obedire Episcopo, cui sententia expulsionis notificata est. 460.6.
an Eiectus à Religione sit subditus Episcopo originis, & illi acquirat. 459.1
Eiectum esse ab Ecclesia est, esse excommunicatum, & communione pacis Ecclesiasticæ priuatum, ex Pamelio. 556.10
Formalis & iuridica eiectio à Religione non potest dari ad determinatum tempus. 474.4
Eiectionem à Religione decretum Vrbanum perstringit. 469.4
An si eiecti sint damnati ad triremes, nullatenus sint admittendi sine expressa licentia Summi Pontificis. 66.6

Electio.

an Electio Summi Pontificis etiamsi requirantur duæ partes Cardinalium si in conclaui remaneat tantum vnus, iste solus possit rite, & validè electionem perficere, & de hoc ratio affertur. 396.5.6
An ex vi significationis propriæ huius nominis *electio*, an sit large interpretanda. 427.15
an Electores facta electione possint cogere nomine totius Ecclesiæ Prælatum, vt licentiam largiatur, eam denegando contra bonum commune. 405.13
Vbinam electio idem sit quod assumptio ad dignitatem. 428.24
An ad electionem in summum Pontificem sit consensus Prælati Regularis requisitus. 403.2
An si impedimentum ante electionem ad residendum non erat dependens à voluntate superioris, sed à voluntate alterius, electio teneat. 6. 23. & 24.

Energumenus.

Energumeni vnde dicti. 560.31.& 32
Energumeni ab inspectione Eucharistiæ prohibebantur ex Dionysio. 561.33
Quid circa communionem energumeni veniat notandum. 560.28.25

Episcopus

Episcopus.

an Episcopus habeat à iure potestatem degradandi quemcumque Clericum reali degradatione. 568.15. &.16.
an Episcopus etiamsi sit Summus Pontifex, non habeat potestatem dominatiuam ad irritandum vota fidelium, in quos habet iurisdictionem. 91.12
Episcopus solus potest pœnitentem reconciliare. 545. n.39.& 40.
quid de Episcopis titularibus veniat dicendum. 418. n.25.
Episcopus schismaticus qui ad vnitatem Ecclesiæ rediit communione peregrina foueatur. 556.22
an Episcopus sine litteris Apostolicis ad Ecclesiam suam accedere, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non possit. 47.15
An aliquando sit obligatio sub mortali accipiendi Episcopatum. 411.34
An mortaliter peccet qui Episcopatum sibi oblatum non recipit, si dignum se credit. 433.10
an si aliquis Episcopus ordinet non suum ex ratihabitione, quod proprius Episcopus consentit, non incurrat aliquam pœnam. 47.8
an si Episcopus cum ratihabitione de futuro licitè ordinet alienos subditos, multò meliùs id faciet cum ratihabitione de præsenti. ibid.2
an Episcopus si necessarius est ad bellum contra infideles, cogi possit. 221.10
an si Episcopus iudicetur à Principe necessarius ad negotia ardua perficienda in regno suo, possit inconsulto Pontifice ipsum cogere, vt absens sit ab Ecclesia sua, possitque Episcopus tuto non residere vltra tres menses. ibid.3
an omnia gesta per Episcopum aut Pontificem, qui verè non est talis sint inualida. 37.25
Bullæ quæ pro consecrandis nouis Episcopis Indiarum expediuntur, quam habeant clausulam. 48.24.& 25
Episcopo ægrotanti datur coadiutor. 7.6
an sine consensu Episcopi iure antiquo licita non sit professio. 129.4.& 5
an accipere Episcopatum non sit necessarium ad salutem. 410.29
An ex obligatione charitatis teneatur quis ad acptandum Episcopatum ipso iure diuino. 411.35
an Episcopus Regularis non indigeat dispensatione ad comedendas carnes prohibitas per præceptum Regulæ. 415.8
Episcopus factus & assumptus ex Religiosa communitate tenetur debito morali non legali, ad obseruantiam regulæ, secundum ea quæ non opponuntur statui Episcopali, ex Caiet. 416.17
an Episcopus sit obligatus ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum. 76.8
professus Societatis factus Episcopus tenetur voto solemni obediendi Pontifici, ex Suarez. 414.4
an Episcopum Regularem Canonica electio à iugo Regulæ monasticæ professionis absoluat. 415.9
an Episcopus Regularis etsi sit absolutus ab obedientia Prælatorum regularium religionis non sit exemptus ab obedientia summi Prælati regularis. 76.13.& 14
Episcopus Regularis qui sine Pontificia dispensatione saltem tacita signum religiositatis suæ, siue consistat in forma siue in colore, incurrit excommunicationem. 76.6.& 7
vndenam constet Episcopum Regularem verè & propriè & formaliter manere filium Religionis. 417. 22.
an ante acceptationem Episcopus electus & confirmatus à Sum. Pont. sit indifferens, vt sit subditus, vel non. 408.14
quid nomine Episcopi in Conc. intelligatur. 3.5
an sub nominibus Episcopi & Parrochi, aut habentis beneficium cum cura animarum in pœnalibus non veniant regulares. ibid.6
an Episcopus qui ex monachismo assumptus est ad Episcopalem & Cardinalitiam dignitatem qui saltem colorem sui habitus non portat, incidat in excommunicatiouem. 75.1
An hoc sit per accidens, quod Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non teneantur. 409.18

Eques.

Equites Sanct. Ioannis verè & propriè sunt religiosi. 78.4.
qui Equites non sint propriè religiosi. 79.5.& 6
qui Equites habeant aliam vestem ablam ex lino intra claustra. ibid.7.8
an Equites militares etsi sint verè personæ Ecclesiasticæ, non sint verè & propriè religiosi. 78.3
an Equites Religionis militaris sub Bulla Piana comprehendantur. 447.7

Eucharistia.

an ad Eucharistiam dignè recipiendam non requiratur, quod quis in foro externo sit innocens & indignus pœna. 530.7
Publicus peccator an nullum ius habeat ad Eucharistiam exigendam. ibid.6
Quomodo fiebat sumptio Eucharistiæ laica. 559. 24.

Eunuchus.

an si Eunuchus, aut frigidus fornicetur, teneatur hanc Eunuchismi, aut impotentiæ circumstantiam confiteri. 317.4
quis Eunuchismus possit dupliciter inesse. 292.6
an si Eunuchismus superueniat post matrimonium consummatum, sit insolubile matrimonium. ibid.7
An supposita declaratione Pontificia iure naturæ sint inhabiles Eunuchi ad quoquomodo contrahendum. 314.2
an Eunuchi possint contrahere in remedium libidinis. 302.9.
Sixtus V. Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, & nulla declarari iussit. 299.3
an circunstantia Eunuchismi, aut impotentiæ perpetuæ sit necessario aperienda in confessione. 318.7
An si fœmina sit Eunucha, vel à natura vel ab arte, ita vt non possit seminare, validè contrahat. 316.1.
An ante omnem iudicis sententiam irritum sit Eunuchorum matrimonium ab ipsis contractum. 304.1.
Sixtus V. non fecit declarare Eunuchorum matrimonia fuisse irrita, quæ contracta erant ante suum Breue. 314.3.4
an Eunuchorum coniugia iure natnræ sint valida, si ad castè viuendum contrahant. 299.4
an aliquorum Eunuchorum iure naturæ validum sit matrimonium. 306.1
breue Sixti V. an Eunuchas non comprehendat. 317.3
An possint fœminæ esse Eunuchæ. 292.3
an Eunuchi vtroque carentes testiculo validè contrahant iure naturæ. 317.1
quid de Eunuchis sentiat Basilius Legionens. 299.1
qui vocentur Eunuchi, ex Abulensi. 291.1.& 2
An Summus Pont. nullatenus declararit iure naturæ esse inhabiles ad matrimonium contrahendum Eunuchos. 301.1
an matrimonia Eunuchorum in ordine ad coitum sint nulla. 302.8

Exactio

Exactio.

Exactiones & vestigalia multiplicata corrodunt subditorum numismata. 499.5

Exclusio.

quæ Exclusio non dicatur maior. 542.21

Excommunicatio.

Excommunicatio est maxima pœna medicinalis, eiectio maximum & extremum remedium. 53
Multipliciter sumitur communio & excommunicatio. 555.5
Effectus quos causat excommunicatio maior enumerantur à D. Thom. 563.45.47.48
An si vir cogatur à iudice Ecclesiastico lata excommunicatione, teneatur in conscientia reddere. 142.1.
Excommunicatus & anathematizatus quandiu fidelis est, nec amittit habitum fidei Catholicæ, non ita eiiciatur ab Ecclesia, quod non maneat Ecclesiæ membrum, etsi informe. 564.49
Quid item de hæreticis. ibid.50
Vnde sumatur excommunicationis notio. 555.4
Profertur excommunicationis sententia in eos qui vxores suas dimittunt. 144.26
an Excommunicatio minor separet hominem à cœtu fidelium. 542.25.26
Excommunicatio maior, & anathema non fertur nisi pro peccato mortali, in quo quis erat contumax, & incorrigibilis. 541.19
Excommunicatio ferri non potest pro peccato mortali nisi contumax fuerit ex S.Thoma. 542.20
An si quis communi errore putaretur non excommunicatus, medio tempore erit absolutus ab excommunicatione. 45.15
Vnde secundò excommunicationem incurrat Episcopus. 76.9.10
An vbicunque in iure Ecclesiastico reperitur pœna mortis pro excommunicatione debeat exponi. 466.6.
Comparatio D. Thomæ expulsionis à monasterio cum excommunicatione maiori. 555.1.2

Exigere.

an exigere idem sit ac reddere. 156.2

Exilium.

Exilium est quædam ciuilis mors. 7.8.9.10
quid sit Exilium ex Paulo Iurisconf. 480.8
An cum vir in exilium mittitur ad tempus vel perpetuò teneatur eum sequi vxor. 220.7

Expresbyter.

Expresbyteri dicebantur Præsbyterij officio spoliati. 555.3.

Expressum.

an Expressum non dicatur quod specifice exprimitur. 37.2.3.

F

Fidelis.

Fidelis in quo casu non possit cohabitare cum infideli. 229.3
cur Fidelis possit dimittere infidelem ratio affertur. 231 21.22.& 23.
an Fidelis conuersus possit transire ad secundum matrimonium, altero perseuerante in infidelitate. 232. 28.

Filiatio.

An ex natura filiationis religiosæ, & seruitutis quam quis solemniter profitetur possit sine consensu Abbatis, & sui superioris consentire in sui promotionem. 403.6
An perfecta sit religiosa filiatio, vbi non est votorum solemnitas. 377.1
religiosa Filiatio cui dicatur similis. ibid.2
an Filiatio Religiosa simillima sit adoptioni, quæ est legitima legis filiatio. ibid.3
qui sit Filiatio adoptionis, ex S.Doct. ibid.4
an Filiatio & Paternitas fundentur in actu virtutis generatiuæ. 374.4
quæ secunda Filiatio sit aliquantulum præcedenti perfectior. 378.7
quæ Filiatio Religiosa dicatur arrogatio. ibid.8.& 9
an legitima Filiatio in laxior Religione non sit sine legitima licentia. 390.1
qui Filij iure diuino sibi nihil tanquam proprium acquirere possint. 443.2
An Summus Pont. possit alicui religioso solemniter professo auferre ius filiationis, & seruitutis actualis. 376.10
An vbi non est votorum solemnitas, non sit perfecta filiatio Religiosa. 377.6
An perfecta Religiosa filiatio non subsistat sine stabilitate in Religione. 388.1
An Capitulum Generale possit immutare filiationis iura. 445.1
Filiatio Religiosa in professione solemni fundatur, remissiuè. 443.1
circa iura Filiationis duæ Bullæ enodantur. 446. 1. & 2.
quid exigat Filiatio religiosa. 375.3
Nullus est filius duplicis Monasterij, aut Conuentus. 450.
Filiatio & Paternitas sunt relationes oppositæ & ita connexæ in diuersis subiectis, vt implicet dari vna sine alia. 373.1
an Filiationi adoptiuæ adsimiletur filiatio Religiosa. 450.4.
Quæ admissio ad filiationem debeat fieri per maiorem partem suffragiorum, aut per duas partes. 450.5.
An licita sit translatio filiationis de vno conuentu ad alium. 450.1
An non sit idem iudicium faciendum de iuribus filiationis in transitu de vna religione in aliam, ac de transitu de vno conuentu in alium. 453.5
An quando conuentus ex filiatione acquisiuit solam spem, & nihil actu habet ex bonis professi, eo casu secum transfert eam speciem in secundum conuentum, cuius de nouo efficitur filius. ibid.1
In quo iure fundetur regularis filiatio. 375.7
Quomodo se habeat filiatio Religiosi solemniter professi. ibid.8
In Sacramento pœnitentiæ propriam legitimam spiritualem filiationem negat dari idem S. Thom. 374.8.
An circunstantia filiationis spiritualis in Sacramento pœnitentiæ sit necessario confitenda. 374.9.10 & 11.
an Filiatio voto non acceptandi dignitatem extra Religionem nisi coactus quis sit obedientia Summi Pont. sine hac emancipari nequeat. 420.5
Vtrum in Ordinibus Militaribus possit esse filiationis translatio. 392.1.2
Filiationis Religiosæ iura in quo fundentur. 419.1
Vndenam sit filiatio Religiosa ex voto connexa speciali. ibid.2.3
Filiationis iura maiori ex parte iure humano sunt interpretata. 399.1
diuersa Filiationum iura adducuntur. ibid.2.& 3
Circa constitutionem Pij IV. quid veniat notandum ad iura filiationis enucleanda. 446.4.5

Fœmina.

an Fœmina contrahens sciens virum esse frigidum & impotentem ad coitum renunciet iuri ad debitum petendum. 308.2

Fornicatio.

Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. 176.2.
An si vir dum iniuste eiicit vxorem, etiam sine intensione vt fornicetur, non possit illam accusare criminaliter. 179.4
Quæ dicantur occasiones remotæ fornicationis. 180 n.4.
an Fornicatio in sponsa de futuro nequeat compensari lepra sponsi. 206.8
An sub fornicationis nomine hæresis comprehendatur. 199.13
Fornicatio est directè contra bona matrimonij, ex S. d. ibid.14.
Filij nati ex fornicatione simplici sunt naturales, non legitimi, at spurij nati ex adulterio, aut stupro, nec sunt naturales, nec legitimi, ex S.Thom. & de hoc diuersa ratio affertur. 373.2.3
Fornicatio corporalis & infidelitas specialem habent contrarietatem ad dona matrimonij. 209.3
an per Fornicationem & adulterium proprium solum præteereatur id quod est secundum rationem rectam determinatam. 188.14
An non obstante fornicatione & sententia Ecclesiæ lata possit innocens remittere iniuriam & non dimittere vxorem. 146.22
An vir qui occasionem proximam dat vxori negando sæpius debitum coniugale, vt fornicetur, causa sit moralis fornicationis. 180.3
Quid nomine fornicationis veniat intelligendum, remissiuè. 204.12
Quid nomine fornicationis veniat intelligendum. 201.9.
nomen Fornicatio vnde sit desumptum. 199.8
Exceptam facit dominus causam fornicationis. ibid. n.9.
An propter fornicationem aut illius suspicionem liberè dimittatur vxor. 146.20
An si à meretrice exposita consensum ad fornicationem exposcam, non peccem peccato scandali. 336.5.
An Regularis simplici fornicationi deditus ter correctus iuridicè, si post annum carceris Vrbani contumax sit, possit expelli à Religione. 504.6
An vtraque fornicatio digna sit perpetuo diuortio. 200.2.
An fidelitas sit fornicatio spiritualis. 207.18
Nocentior est ad prolem generandam fornicatio vxoris quam viri. 169.2
Quæ violatio non simplex fornicatio, sed raptus propriè. 174.2
inter Fornicationem spiritualem & corporalem discrimen intercedit. 200.1
An Ecclesia propter fornicationem spiritualem possit dare in pœnam perpetuum diuortium. ibid. n.2.

Frigiditas.

Quid nomine frigiditatis veniat intelligendum. 306 n.7.

Fugitiuus.

Quandonam egrediens possit puniri vt fugitiuus. 29.4.

Furtum.

An Furtum aut res quæcumque acquisitæ etiam licitè si debeantur Religioso inhabitante extra claustra suæ Religionis, extra quæ vitam finiat debeant restitui Religioni, an Cameræ. 456.3
cuinam Furtum factum de re lucrata à Religioso per negotiationem & contra sacros canones restitui debeat. 456.1
Si quis vt furetur rem in valore paruam sacrarium frangat, qua pœna sit puniendus. 524.7.8
An pro paruo furto possit quis torqueri. ibid.6

Fustigatio.

quæ sit Fustigatio infamatoria. 481.13
In Religionibus duplex esse potest fustigationis etiam publicæ modus. 480.10
Fustigatio, & verberatio etiam publica respectu Clericorum iure canonico an sit recepta. ibid.9

G

Generalis.

Generalis. An hodie Generalis alicuius Religionis etiam Societatis Iesu ex quocumque priuilegio, aut causa fauorabili sibi concessa possit expellere à Religione Religiosum solemniter professum, non seruata forma Vrbana. 506.1.2.3.& 4
an Generalis, aut Prouincialis possit ad consortium regulare admittere religiosum ad triremes damnatum. 67.7.
Generalis an non possit aliquem adfiliare alicui conuentui sine huius consensu, & exfiliare ab alio Conuentu. 450.2
Generalis Mag. nequit sine vrgentissima causa cogere Collegium, vt restituat dotem. 452.5
vt Generalis det licentiam ad transitum Religionis strictioris ad laxiorem, an non indigeat consensu Capituli. 396.1
Generalis resistente conuentu, an non possit bona acquisita professi transferre in secundum conuentum. 453.3.
an Generalis poterit aut capitulum generale licentiam facere vt laicus nostræ Religionis obtineat & retineat beneficium Parochiale. 71.1
an Generales possint dispensare cum Prouincialibus. 24.12.

Gratia.

In B. Virgine triplex gratiæ plenitudo est consideranda. 289.15.16.17.& 18
Prior gratiæ plenitudo mentem B. Virginis impleuerat ex Bernardo. 290.19.20
Sanctissima V.Maria, quem intensionis gradum gratiæ habitualis charitatis & cæterarum virtutum non habuerit. 283.17
Ad quid detur gratia habitualis, & aliarum virtutum infusarum congregatio. ibid.18
Per quid B.Virgo dicatur plena gratiæ. ibid.19
Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, ex Apostolo. ibid.20
an Gratia secundum se inclinet ad bonum liberum hominis arbitrium, sed defectibiliter & amissibiliter. 288.10.
Quandonam gratia habitualis iam habeat perfectionem ex diuina voluntate. ibid.11
An B. V. promeruerit augmentum gratiæ habitualis sibi. 287.1
An plenitudo gratiæ habitualis quæ fuit in Christo, sit etiam in Maria. 284.23
An merita & opera hominis iusti augeant gratiam semel acceptam. 287.6
Triplex gratiæ habitualis perfectio affertur à S. Doctore. 288.9
Plenitudo gratiæ habitualis Christi tam eminens fuit, quod omnes de eius plenitudine acceperimus. 283.22
An B. Virgo habuerit eandem plenitudinem gratiæ habitualis ac habuit Christus. 280.1

H

Habitus.

HAbitus religiosi, quænam dicatur deformatio. 528.2.
An Rochetus non sit habitus immutabilis. 79.6
quæ Habitus dimissio non sit temeraria. 87.2
Habitus spoliatio & tonsuræ abrasio sine alia pœnitentiæ lege Canonica, aut municipali alicuius Religionis imposita incarceratis, an non sit danda ad custodiam incarceratis. 528.1
Ad quid detur Religiosus habitus. 72.6
quid nomine Habitus Regularis veniat intelligendum. 73.1.& 2
an materia Habitus de rudi in minus rudem, vel econtra mutari possit pro consuetudine regionis. ibid. n.3.& 4.
Quid sit obligatio deferendi habitum regularem suæ professionis. ibid.8
an dimissio proprij Habitus in Episcopis Regularibus sit aliqua causa viuendi licentiosius. 77.20
An etiamsi solum detur pro causa habitus dimissio, & hæc facta fuerit animo facilius consequendi dispensationem transeundi ad aliam Religionem, hæc sit valida dispensatio in vtroque foro. 394.6
nunquam Habitus à Religioso professo dimittitur sine rationabili causa, quin peccet, ex Sylvestro. 73. n.10. & 11.
Quæ non sit temeraria habitus dimissio. 81.11
Habitum dimittere an sit virtualis quædam defectio ab obligatione. 72.11

Hæresis, Hæreticus.

an Hæresis secum non adferat magnum periculum peruertendi fidem & religionem alterius coniugis. 209.4.
Hæresis sine infidelitas sicut & adulterium carnale specialiter habent vim separandi matrimonia. 209.5
an propter Hæresim externam possit vnus coniux alterum dimittere. 198.7
An postquam hæreticus est talis sententia declaratus & incurrit priuationem iuris petendi, & innocens absolutus ab obligatione reddendi, possit iste liberè manere in sæculo. 202.1
An etiamsi hæreticus non sit sententia publica damnatus propter hæresim si coniux Catholicus accusetur ab eo de adulterio carnali, possit iste illi obiicere adulterium hæreseos. 207.16
An nulla exceptio nisi hæresis poni possit contra Summum Pontificem electum à duobus partibus Cardinalium. 70.5
An propter hæresim quæ est fornicatio spiritualis liceat dimittere vxorem. 199.11
An coniux hæreticus quantum ex vi iuris matrimonialis, nequeat vel sacros ordines suscipere, vel professionem solemnem emittere in religione repugnante altero coniuge innocente. 204.11
per Hæresim præcisè non acquirit ius innocens ad diuortium cum hæretico reconciliato. 201.5

Homicidium.

quid in punitione Homicidij attendendum sit. 487.8
Homicidium ex dolo, quod dicatur. 486.1
Quid item proditorium. ibid.2
Si quis directè non iutendat homicidium & hominis occisionem, an non occidat ex dolo. 489.9

I

S. Ignatius.

an S. P. IGnatius suos professos nudos habitu Religioso non liquerit. 78.7

Impedimentum.

Impedimentum an graue sit quum quis egreditur è conuentu animo extra illum per multum tempus permanendi. 29.5
quodnam Impedimentum maneat etiamsi vir fidelis moriatur, aut redeat in infidelitatem. 243.9

Imperatores.

Imperatores non iure, sed facto & forsan ex Pontificio priuilegio Pontificum & Episcoporum electiones approbabant. 14.23

Impotens, Impotentia.

quæ impotentia sit temporalis, aut perpetua. 332.5
an Impotentia perpetua ad copulam iure naturæ impediat matrimonium, ipsumque dirimat. 250.2
an Impotentia ex maleficio dimanans possit esse perpetua tam in viris quam in fœminis. 333.7
an Impotentia orta ex maleficio perpetua non dicatur quum humano opere licito auferri possit. ib.9
quandonam Impotentia penetrandi vas fœmineum erit impedimentum dirimens. 321.13
Impotens potest esse quis tripliciter. 251.3
homini Impotenti ob frigiditatem perpetuam num repugnet essentialiter generatio. 318.10

Incarceratio.

duplex Incarceratio admittitur. 54.2
apud quos Incarceratio sit iusta. ibid.3
quid item de Incarceratione iniusta. ibid 4
si quis Incarceratus sit in carceribus Sacri Tribunalis S.Officij, nec Doctor. Inquisitores ex vi Officij tenentur dare occasionem & commoditatem vt communicet, ibique deferatur Eucharistia, etiam vt adimpleatur præceptum annuæ communionis. 531.11
Incarcerato in carcere secreto & incluso ad pœnam per sententiam publicam non est frequens communio danda. 531.10
In multis tribunalibus non admittitur appellatio in criminalibus, quantum ad incarcerationem, à qua liberari nequit in criminalibus etiam dato fideiussore. 523.4
an incarceratis ad pœnam ordinarie non sit deneganda Sacramentalis confessio toties quoties eam expostulauerint. 529.1
Incarcerans indebitè siue ad custodiam, ob timorem fugæ, siue ad pœnam latam per sententiam ob crimen legitimè non probatum, incurrit excommunicationem. 527.1
An solum exigatur notorium iuris ad aliquem incarcerandum. 523.3
an Incarceratis Eucharistia sit concedenda. 529.1
Incarceratus in carcere publico tenetur præcepto annuæ communionis. ibid.3
an si Incarceratus ad effectum expulsionis in grauem incidat infirmitatem & curationis gratia à carcere extrahatur, si infirmitate correctus non emendetur, possit iterum ad carcerem reduci. 518.8

Inclusus.

quis Inclusus dicatur. 533.5
originem Inclusorum inuestigat Guibellinus. 534.17
Filios prophetarum inclusos facit S. Eucherius Lugdunensis. 534
Circa solemniter inclusos duo veniunt notanda. 537.36.37. & 38.
Qualis fuerit olim ordo & institutum inclusorum lemissiuè. 532.1

Incontinentia.

Incontinentia. Sacri Canones solum propter periculum incontinentiæ quid determinent. 131.8.9

Incorrigibilis, Incorrigibilitas.

quis Incorrigibilis dicatur. 513.3
quæ Incorrigibilitas exigat criminis replicationem. ibid. 4.
Vnde eliciatur incorrigibilitas. 513.5
An ad expressionem post Decretum Vrbanum sufficiat incorrigibilitas de facto præsumpto. 465.11 12.13.
Tripliciter potest dici quis incorrigibilis. 516.22
Incorrigibilitas & contumacia debet à iudice non sæculari, sed Ecclesiastico declarari. 566.4.5

Infidelitas, Infidelis.

Infidelitas est adulterium spirituale, remissiuè. 229.8
Infidelis discedens peccat in Deum & in matrimonium, ex S.Ambros. 243.8
Eo ipso quod infidelis obstinatus nolit conuerti illico si vult saltem implicitè cohabitare cum fideli. 230.12.
an Infidelis pertrahat ad peccatum contrà legem prohibentem, quod fidelis habitet cum infideli. 234 40.
An ad hoc quod infidelis non requirat coniugem infidelem, requiratur declaratio Papæ. 237.3
an Infidelis petendo cohabitationem, petat id quod sibi debetur iure naturæ. 233.35.36

Infirmitas.

an Infirmitas quæcumque corporalis non sit sufficiens causa vt detur licentia à superiore, qui sit Papa inferior, vt Religiosus solemniter professus in Carthusia, ad aliam laxiorem transeat. 398.16.17

Iniuria.

Iniuria facta viro ob adulterium an sit causa & fundamentum diuortij. 178.5

Inseparabilitas.

Inseparabilitas & mutua coniugum residentia & cohabitatio an sit de iure naturæ & diuino ex S.Tho. 146.10.

Inuocatio.

Quandonam inuocatio dæmonis, & incantamentum sit permissum. 340.26

S. Ioseph.

an S.Ioseph respectu Christi habuerit, quod proprium est patris. 271.23
Ioseph fuit Christi nutritius ex Patribus. 272.27
Quæ munia residentiæ matrimonalis exercuerit S. Ioseph. 268.1
an Iosephus V.Mariæ sponsus non fuerit pater Christi legalis lege veteri. 270.14
an Iosephus V. Mariæ verus coniux, iure naturæ fuerit verus Christi pater. 270.15
An in ordine ad nostram intercessionem & gratiæ munus nobis impertiendum, sit subordinatio Iosephi ad Virginem. 273.39
Dignitas paternitatis Iosephi maior longè fuit quam dignitas Apostolatus. 272.32.33
B.Ioseph Iesum filium suum immediatè respiciebat, & ab illo gratiam paternitatis accipiebat, simul cum Virgine gratiam maternitatis. 273.37
Ioseph non ad coniugium Mariæ erat electus, sed ad ministerium eius eunte illa in Ægyptum & redeunte, ex Ioan.Chrys. 272.30
B.Ioseph immediatè post B. Virginem maiori gratiæ dono fuit ornatus. ibid.31

Iudex.

An quod si iudex Ecclesiasticus absolutam protulerit diuortij sententiam. 212.2
an Iudex excusari nequeat ne ferat sanguinis sententiam in reum ob irregularitatem, quæ sibi aduenit. 143.10.
Cuius iudicis excommunicati gesta sint valida. 45 12.13.
An officium iudicis Regularis sit officium iudicis Ecclesiastici. 483.9
Iudex in arbitrariis semper debet eligere mitiorem pœnam. 478.5
An cum iudex Ecclesiasticus ob sæuitiam diuortium celebrat sit hoc ex iure diuino. 212.7
Pro quo delicto nequeat iudex imponere pœnam triremium. 478.3
Quod iudicium feratur si innocens habeat copulam cum adultero. 193.1
Iudex Laicus an nullam iurisdictionem acquirat in Clericum, siue sæcularis sit, siue Regularis. 473.4.5
Quid sit traditio facta à iudice Ecclesiastico curiæ sæculari. 567.11
quid Iudex non possit præcipere. 59.2
An etiamsi iudex præcipiat quod nullus condemnato cibos præbeat, si tamen præbet aliquis, etsi iste peccet, teneatur reus comedere. 57.5.6
Iudices Regulares neque ad mortem, neque ad degradationem realem neque ad traditionem curiæ subditos suos non damnent ob quodcumque delictum. 568.14

Iuramentum.

an Iuramentum Bernabitarum comprehendatur sub Bulla Vrbana. 437.7
Iuramentum potest vergere in exteriorem exitum dupliciter, ex S.hom. 432.4
an Iuramentum sit illicitum si quis iuret se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur. 432.7.
an Iuramentum factum Deo cum sit promissorium intrinsecè & essentialiter imbibat promissionem Deo factam, atque adeo sit votum. 436.5

Iurisdictio.

quæ Iurisdictio regia politica duntaxat & regularis sit. 12.12.
quæ Iurisdictio conueniat prælatis ex vi electionis confirmatæ ad officium quod exercent. 23.5
Quid notandum circa iurisdictionem fori contentiosi. 23.7.8.& 9

Ius.

An de facto iuris ordo non habeat quod damnatus ad mortem cogatur sententia quod maneat in carcere. 59.4.6.& 7
An id quod iure naturæ est validum possit ius positiuum inualidum facere. 310.15
Ius tertij acquisitum non aufertur à Principe sua lege nisi in casibus lege expressis. 444.4
an Iure Ecclesiastico & Canonico cognita impotentia perpetua possit quis validè matrimonium contrahere. 305.11
An illis quibus ius diuinum concedit, quod plus est, concedat quod minus est. 439.12
Iura quæ disponunt quod nullus coniugatorum ad sacros ordines promoueatur sine vxoris consensu continentiam profitentis de quibus intelligantur. 163. n.3.
Quid sit ius diuinum quo tenentur Episcopi regere Ecclesiam sibi commissam. 376.9
An qui resigillat authoritatem Regiam sibi vsurpet iniustè & contra ipsum ius naturale. 502.6

L

Laicus.

LAici homines, & nullo insigniti Ecclesiastico ordine in Monasterium detrudebantur in pœnam commissi criminis. 539.4
An non sit fas vt sine necessitate laici fiant spectatores rerum, quæ sacerdotibus Dei contingunt 14.24.

Legislator.

an Legislator ciuilis præcipuè attendatad bonum prolis, quod euertit vxoris adulterium. 138.5
An iudex & Legislator Ecclesiasticus attendat ad bonum fidei, cui æqualiter opponitur matrimonium viri & vxoris. ibid.6
Maior authoritas Legislatoris quam iudicis. 183.12

Leno.

Leno iuxta linguæ latinæ proprietatem quid significet. 177.1.
Leno est consiliator concubitus illiciti ex Isidoro. ibid.2.
An vir eo ipso quod lenocinium faciat de vxore peccet grauissimo adulterij peccato, & iniuriam faciat matrimonio. 178.7

Lex.

An vinculum legis non soluatur ex ratihabitione. 35.7.
Quæ leges non fundentur in præsumptione. 94.44
Lex non fundatur in præsumptione nisi legislator id exprimat verbis vel ratione data in lege. 95.54 55.
Lex non cohabitandi cum leproso non admittitur iure canonico. 219.10
Quæ leges etsi excusent à pœna legali non excusent à reatu pœnæ æternæ. 181.4
Quæ leges non fundentur in præsumptione, sed sint dispositiuæ obligantes in conscientia post sententiam iudicis. 87.10
Leges & constitutiones Regulares duobus modis sunt considerandæ. 415.12.13
An lex de præscribendo intra certum tempus à legislatore præfixum teneat non solum in foro externo, sed & in interno. 95.49.50.& 51
Lex pœnalis quomodo sit extendenda. 77.2
Lex prohibet separationem coniugis etiam fornicationis causa ante probationem & Ecclesiæ iudicium. 145.7.
An lex ciuilis nequeat dare licentiam marito, vt vxorem adulteram occidat nisi sub titulo lictoris. 182.2
Leges quas obseruant Confratres S. Marci quæ sint. 370.1.
An lex Regia non tantum se fundet in prohibitione appellatio. sed & in conseruatione status Religiosi. 53.11.12
Quæ leges non fundentur in præsumptione, sed sint dispositiuæ. 145.8
Non esse legem Ecclesiasticam prohibentem habitationem fidelis cum infideli existimat Rebellus. 237.5.

Libertas.

Libertas non consistit in apprehensione & vulgi errore. 45.14
An omnimoda libertas concedatur innocenti separato iudicio Ecclesiæ, non admittendi hæreticum reconciliatum. 202.2

Licentia.

an Licentia prudens tacita, habeatur pro expressa. 33. 3.4.5.
An professus qui ob defectum licentiæ alterius coniugis inualidam emisit professionem, possit altero non repetente propria authoritate fugere. 122.1. n.3.
An magis sit necessarium quod quis cum socio foras egrediatur, quam quod non egrediatur sine licentia. 38.7
Non quælibet licentia tacita de futuro consensu superioris sufficit, vt quis sine socio solus domo egrediatur. 38.6
Quod licentiam expressam inter & tacitam discrimen intercedat. 40.4
An coniux in sæculo relictus si alter professus sit sine eius licentia possit altero inuito ad religionem transire. 160.1
Quod quis non possit sine licentia Papæ habitum dimittere vnde oriatur. 72.5
An sufficiat licentia tacita ex ratihabitione de futuro, vt quis Religiosus solus sine socio domo egrediatur. 38.1
an cum Licentia requiratur ad valorem actus licentia debeat præcedere. 35.6
An sufficiat licentia tacita ex ratihabitione consensus Superioris. 36.17
An ad valorem actus requiratur licentia tacita ex ratihabitione consensus. 36.19.20.& 21.22
an Licentiæ generales nisi in viris Apostolicis sint omnino reprobandæ. 39.8
Duplex Licentia tacita admittitur. 40.1
an Licentia dependens ex consensu futuro non præcedat. 36.16
An dum requiritur licentia superioris ad aliquid licitè faciendum, ista licentia ponatur vt conditio actus. 35.8
Qua supposita licentia non committatur furtum. 42.3.
An tacita licentia quam quis habet ad egressum à domo, sit sufficiens ad excusandum egressum, si ea vtatur ad malum. 141.1.2
Quid per licentam spontaneam intelligatur. 149.1
An petitio licentiæ de rigore iuris in foro conscienciæ non sit necessaria. 50.8.9
An ex petitione licentiæ nullum damnum timeatur, sit petenda. 50.10.11.& 12
An si religiosus habeat licentiam tacitam ad egressum à domo, etiamsi hunc faciat ex malo fine, non frangat clausuram. 41.6
An possit esse licentia specialis tacita. 37.4
an sit Licentia tacita excusans subditum in transgressione voti paupertatis. 34.1
Non exeundi sine licentia quanta sit grauitas materiæ affertur. 32.14.15
Licentia debet esse ex causa iusta, remissiuè. ibid. 11. 12.
an Licentia Prælati inferioris Papæ non sit dispensatio iuris communis. 31.3.4
Peccant mortaliter qui egrediuntur foras sine licentia aut benedictione, ex Peyrinis. 29.3
An requiratur causa vt licentia concedatur. 31.1
An si quis sine licentia aliqua exeat domo, & clausuram frangat, sit peccatum ordinariè. 29.2
An si coniux licentiam præstet ad nouitiatus ingressum intra ipsius spatium possit illam reuocare. 115.1.2.
An si vterque coniux mutuam sibi licentiam concedant ingrediendi religionem ad annum nouitiatus peragendum, & iam sint ingressi, & iuridice recepti à religione, neuter possit alteri valide reuocare licentiam. 116.12
An sit tacita licentia quæ sufficiens sit ex communi & certa sententia. 451.2
An si coniux dedit licentiam alteri, vt religionem ad annum nouitiatus faciendum & licentia non sit executa, possit reuocari. 116.11
An si coniux qui licentiam præstare debebat mortuus est, & ille qui professionem emisit sine eius licentia probare potest nullitatem, nisi possit aufugere valeat. 123.16.17
An non quæcumque spontanea licentia coniugis sit renunciatio iuris ad corpus alterius. 153. n.2.
Cum quanam licentia contractus factus à nullo superiore etiam generali possit irritari. 451.4
an Licentia habitandi extra claustra, vt Religiosus inseruiat beneficio curato, illudque accepter debeat esse specialis. 69.4
Quandonam non possit vxor licentiam reuocare? 116.7.
Quæ damnatio aut licentia non possit reuocari, nisi in damnum tertij? ibid.8
an Licentia coniugis sit necessaria, vt annus nouitiatus valide fiat. 114.1
Si quis sine Licentia alterius coniugis reuocatus sit ad cohabitandum, si manens in sæculo pœniteat de reuocatione & licentiam impartiatur, an teneatur professus ad religionem redire. 159.1
An si vuus coniux sine Licentia alterius votum castitatis emittat hoc votum validum sit. 121.2
quænam Licentia requiratur ad transeundum statum perfectiorem? 400.4
an Licentia habitandi extra claustra possit esse perpetua & irreuocabilis, 67.1
quæ Licentia detur ex causa, & non per modum remunerationis. 68.2
quæ Licentia sit irreuocabilis. ibid.3
Quid de licentia habitandi extra claustra veniat dicendum. 67.3
quæ licentia possit dari à solo Abbate, vel à Generali, vel à Prouinciali. 401.5
duplex Licentia ad nouitiatus ingressum admittitur. 113.1.2.3.& 4.
an vt Licentia coniugis manentis in sæculo, vt alter secum non resideat in religione, non sit necessarium quod sit in scriptis. 113.5
An non sufficiat licentia specialis concessa regulari vt accepter prouisionem faciendam de beneficio curato vacante. 69.5
Dupliciter potest concedi licentia spontanea à coniuge in sæculo manente. 149.2
an si vir sine Licentia vxoris professus inualidè manens in sæculo adulterium commisit quod professus nouit possit à religione exire. 128.6

Licitum.

quum Licitum sit Religioso fugere à carcere, an sit licitum vincula frangere. 56.1

Lucrum.

an non Lucri cupiditas & diuitiarum amor compatiatur cum totali abrenunciatione rerum sæcularium, quam habent solemniter factam Religiosi professi. 458.11.& 12.

Luxuria.

Quid sit peccatum luxuriæ perfectum. 171.11
Quantum insatiabilis sit fœminæ luxuria ostendit Caiet. 173.18
Propria mulieris passio est luxuria, ex S. Chrysost. ibid.17.
In ordine ad diuersa principia distinguit species luxuriæ contra naturam S. Thomas. 189.17

M

Maleficium, Maleficus.

MAleficium inter & frigiditatem, quod discrimen intercedat. 333.6
An nunquam liceat inducere maleficium ad pactuizandum cum dæmone ad maleficij destructionem. 335.1
an posito quod Maleficium non inueniatur, consulendus sit malficus de loco, vbi sit. ibid.2
an licitum sit à Malefico parato & exposito petere, quod maleficium maleficio euertat. ibid.3
an liceat à Malefico exposito petere, quod maleficium, quod fecit aliquo pacto & dæmone inuocato soluat. 337.14.15.16.17
Maleficium est perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, ex S. Doctore. 333.8
an si Maleficus sciat media licita, & illicita ad tollendum maleficium factum, liceat absolutè petere ab illo vt tollat. 342.36.& 37
an Malefici non tollantur de medio, sed pœna mortis puniantur. 361.14
an maleficium liceat maleficio tollere. 357.11
An destructio maleficij in se bona esse possit. 347.16.
An non liceat destruere maleficium cum expectatione, quod Dæmon cessabit ab operando malum. 362.2
vnde liberatio maleficiati expectetur. 352.6
an soluere maleficium alio maleficio sit secundum se prauum. 337.20.21
an si signum Maleficij destruatur in odium dæmonis illud instituentis ad inferendum damnum, non speretur à dæmone salus ex vi destructionis signi sed à Deo. 353.8
An alicuius agentis ope & auxilio speretur salus Maleficiati. ibid.7
Maleficus potest sicut quiuis alius signa maleficij tollere in odium & derestationem tam dæmonis quam pacti, quod cum illo habuit, modo sic agat, vt omnis scandali periculum adsit, ex Sy'uio. 361.16
An qui tollunt signa maleficij non per hoc auferant à diabolo potestatem nocendi. 355.5
An liceat tollere maleficium intentione curandi infirmum maleficiatum. 347.24
An spe curationis infirmi possit destrui maleficium. ibid.25.
Vtrum liceat tollere ligaturas & alia signa Maleficaà maleficis posita eo fine, vt diabolus desinat nocere, ex Lessio. 349.1.2.3
vtrum in dissoluendis Maleficiis licitum sit, vel tolerabile retundere vana vanis, idest aliquibus de se non illicitis. 345.1.& 2

Malum.

Minus malum licitè consulitur, vt maius vitetur 337.12.
suadere minus malum quatenus minus respectu maioris, an nihil aliud sit, quam dissuadere maius malum, saltem moraliter. 337.12

B. Maria.

Maria & Ioseph sunt duæ manus Dei per quas dispensat & dat munus gratiæ, ex Morales. 273.38

Maritus.

an Maritus mutans domicilium non obstante quocumque pacto possit cogere vxorem vt ipsum sequatur secumque cohabiter. 218.7
si Maritus vagari velit non temerè sed iuste, tenetur tunc vxor se marito socium exhibere, ex Couar. 219.3.
an si Maritus ob aliqua crimina sit publicè diffamatus, vxor possit virum dimittere, & sic è contra. 210.11.
an cum Maritus negotiationis causa vadit, & ipse non vult vxorem ducere, ista non teneatur ipsum comitari, si ad domum redire intendat. 219.1

Cum

An

an si Maritus non repetat, nequeat propria authoritate vxor egredi à monasterio. 157.9
an Maritus primus etiamsi post sciat vxorem sub potestate posterioris mariti putatiui adulterium commisisse, non possit eam repudiare. 184.6
An secundus maritus comparente primo non habeat ius ad accusandum vxorem sine ciuiliter, siue criminaliter. 184.5

Matrimonium.

an à Matrimonio honestetur concubitus, & commixtio corporum maris & fœminæ. 256.7
An soluto matrimonio & secuto pro secundo diuortio nocens ligetur voto emisso. 147.7
Inter B.V. & S. Ioseph. fuit verum cum omni proprietate matrimonium. 246.4
Matrimonia Eunuchorum cum consensu implicito, aut explicito ad copulam iure naturæ sunt, valida, ex Legionensi. 314.1
an ante marrimonium consummatum possit quis coniugium altero inuito religionem ingredi, dummodo carnalis commixtio non fiat inter eos. 320.7
An statim post discessum iuridicum soluatur vinculum matrimonij. 238.5
in Matrimonio duplex continetur virtualiter consensus. 247.9
Vnde pendeat valor matrimonij. 321.12
In quo consistat matrimonij essentia. 308.6
Matrimonia infidelium non sunt rata licet sint legitima. 225.9
Matrimonium infidelium est imperfectum comparatum ad matrimonium fidelium. ibid.10
vt Matrimonium dicatur consummari quid essentialiter requiratur. 326.8
An qui fictè contraxit matrimonium teneatur ex iustitia auferre fictionem. 192.3
An tria bona matrimonij quantum ad obligationem sint de essentia illius. 309.10
Ius ad debitum petendum & reddendum est essentialissimum matrimonio. 308.3.4
An ex vi vinculi matrimonij coniux derelictus non habeat ius ad soluendum matrimonium. 240.8
An si sit probabile quod infidelis peruertat fidelem possit hoc matrimonium dissolui. 237.4
Matrimonium principaliter institutum est ad bonum tantum prolis generandæ. 208.19
Nullum est matrimonium quod non fit coram Parrocho & testibus. 114.3
Matrimonij contractus iure naturæ quid requirat. 310.14.
An licet per solam deflorationem absque seminum commixtione non sit perfectè consummatum matrimonium, per illam sponsus amittat ius ad religionem transuolandi. 322.4
Intentio prolis est quid essentialissimum in matrimonio, ex S.Thoma. 295.13
An ante matrimonij consummationem non sit verum spolium. 329.2.3
An iure Ecclesiastico possit fœmina validum matrimonium contrahere cum viro, qui ante matrimonium scit certò esse impotentem. 313.34.35
Matrimoium essentialiter exigit sexuum diuersitatem. 294.17.
Societas matrimonij & mutata obsequiorum exhibitio est de iure naturæ. 220.5
An intentio opposita bono prolis & bono fidei in sua radice consideraris sit opposita matrimonio. 294.20.
An ex hoc quod matrimonium ratum dissoluatur sit per se fauor respectu fidelis, & per accidens sequatur quod infidelis maneat liber à iugo, & residentia matrimoniali. 239.10
An ius ad coitum & obligatio reddendi debitum ortum fuerit necessario ex contractu matrimonij. 293.14.
An cum iure naturæ sit verum matrimonium, iure etiam naturæ sit insolubile. 240.2
An vinculum matrimonij possit manere dupliciter, ex S.Bonauent. 243.7
Qui duo matrimonij fines dicantur diuersi. 318. n.9.
An fœmina coacta ad matrimonium consummandum teneatur residere cum viro cogente. 323. n.1.
Vnde sit onerosum infideli vinculum matrimonij. 238.4.
an Matrimonium ratum tantum, non consummatum dissoluatur professione solemni. 319.1
Quid sit dicendum de valore matrimonij senis, qui viribus & ætate est confectus. 307.8
Quodnam contractum initum dicatur matrimonium irritum à Trid. 235.45
An si puer & fœmina contraxerunt matrimonium statim ac impleuerunt annos pubertatis & nondum inueniantur apti ad consummandum matrimonium, teneantur simul residere. 328.1
Matrimonium ratum non dissoluitur per susceptionem Ordinis sacri, ex Ioan.XXII. 161.3
Si alter tantum conuertatur ad fidem alio remanente in infidelitate, an ex vi conuersionis vnius, matrimonij vinculum dissolui possit. 228.1
An volente coniuge infideli commanere cum fideli sine iniuria creatoris, possit authoritate humana matrimonium quoad vinculum dissolui. 229. n.4.
An secluſa lege Ecclesiastica qua prohibetur quod fidelis conuersus cohabitet cum infideli, coniux fidelis nequeat dissoluere matrimonium, nec Summus Pontifex. 230.13
Quæ sint officia matrimonialia quæ exhibere tenetur vxor marito, quando cum illo commanet. ibid.10.
An ex eo quod matrimonium non sit consummatum perseueret priuilegium transuolandi ad religionem. 327.7
Quandonam fidelis possit dissoluere matrimonium cum infideli. 230.14.15
An dissoluto matrimonio quia fidelis aliud contraxit, vel professus est religionem, possit infidelis non solum validè, sed etiam licitè, siue conuertatur, siue in infidelitate persistat contrahere aliud matrimonium. 242.1
An Iudæi baptizati si in sua perfidia obstinati existant legem Moysi profitentes, si iuxta hunc ritum matrimonium contrahant, sit inualidum & nullum. 298.40
Nunc inter Iudæos infideles non dissoluitur matrimonium virtute legis repudij, ex Perez. 297. n.34.
An ille qui vult contrahere matrimonium ignorans vinculum esse perpetuum, possit adhuc validè contrahere ex Suarez. 295.27
vt Matrimonij congressus licitus sit, tria bona assignantur à S.D. 299.2
An disparitas cultus non impediat matrimonium ratio infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide. 208.20.
An de ratione & essentia veri matrimonij sit voluntas saltem implicita in ipsius perpetuitatem & insolubilitatam, quam habet matrimonij contractus iure naturæ. 295.25
An ante carnalem copulam, & matrimonij consummationem non detur vera restitutio spolij. 330.5
An inter steriles frustretur matrimonium fine primario. 309.11
Matrimonium ratum posteriùs contractum à fideli dissoluit matrimonium consummatum initum in infidelitate, ex Thoma Sanchez, Quid item Castro Palao ex sententia eiusdem Sanchez colligat. 238.7.& 8.
vinculum Matrimonij, & matrimonialis residentia iure naturæ duo dicit necessario. 240.4.& 5
An postquam contractum est matrimonium bona fide in ordine ad coitum, Ecclesia consueuit, quod detur licentia, vt vinculum non rescindatur. 305.12
an cum coniux sanus ante Matrimonium agnouit lepram alterius, & nihilominus contraxit, teneatur etsi adsit infectionis periculum leproso debitum reddere. 214.2
An si lepra adueniat post celebratum Matrimonium teneatur reddere debitum sanus. 216.15
Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt, si vere contractum fuerit non separentur, ex Fabiano Papa. 213.4
Vxor ex vi conractus Matrimonij tenetur sequi viri domicilium, non vir vxoris. 222.6
An fidelis qui legitimè ad aliud matrimonium transiit, eo quod infidelis monitus legitimam renuerit habitationem, teneatur soluto matrimonio per mortem alterius coniugis, admittere in consortium coniugale priorem coniugem infidelem, si tunc ad fidem reducatur. 244. 1.2.& 3
An contumelia creatoris soluat ius Matrimonij circa eum qui relinquitur. 243.3
an fidelium Matrimonium ratum & non consummatum possit dissolui per professionem solemnem in religione approbata. 225.12
Matrimonium infidelium est imperfectum ex S.Thoma. 226.13
inseparabilitas Matrimonij est de iure naturæ. ibid.14
an contrahens Matrimonium nequeat ponere pactum quod sit oppositum institutioni, & vnitati matrimonij. 219.9
an ius dissoluendi Matrimonium per aliud matrimonium fideli competat, non infideli qui relinquit. 243.4.
an dissoluto Matrimonij vinculo ex parte alterius. ibid.5.
an cum Matrimonium sit institutum in ordine ad multiplicandum genus humanum, nequeat subsistere matrimonium sine aliquo consensu ad copulam. 249.8
an Matrimonium infidelium sit ratum sumpto pro rato pro firmo. 225.11
An ex vi præsenti prouidentiæ quam nobis Christus proposuit subsistere nequeat matrimonium, sine ordine & consensu implicito ad copulam. 249. n.5.& 6.
an nuptiæ & Matrimonium consistat in voluntate expressa commixtionis carnalis. 252.13
an Matrimonium non solùm contrahatur propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem. 252.11
In quo consistat essentia matrimonij. 246.2
Matrimonialis residentia sine vinculo matrimonij non subsistit. 257.1
Quodnam ius sit de essentia matrimonij, sicut consensus implicitus in copulam. 251.5
an aliquando vinculo Matrimonij manente, soluatur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem. 207.15
an in Matrimonio iam contracto dominium vtile distinguatur à directo. 247.12
Matrimonium est viri mulierisque coniunctio inter legitimas personas, vitam insolubilem retinens. 247.8.
An actualis commixtio, vel si maris voluntas expressa ad illam non sit de essentia matrimonij. 252.10.
an contractus Matrimonij prout respicit copulam & dominium vtile, pariat obligationem sub conditione si alter seruauerit. 248.13
Finis primarius matrimonij à Patribus assignatur. 257.4.
Quæ obligationes fluant ab essentia matrimonij. ibid.5.
Quicunque contrahit matrimonium & nuptias celebrat debet habere intentionem eas contrahendi & celebrandi qualiter institutæ sunt à Deo authore naturæ. 255.1
an post contractum Matrimonij celebratum possint coniuges speciali pactione obligari ad non se carnaliter cognoscendum, vel voto simplici absoluto, vel solemni. 257.3
an Matrimonialis residentia non subsistat sine consensu implicito ad copulam carnalem. 250.1
Quid ad validitatem matrimonij requiratur. ibid. n.13.
an fideles Matrimonium contrahentes, illud contrahant perfectum non solum perfectione prima, sed etiam perfectione secunda. 208.21
an Matrimonium infidelium etiam in infidelitate consummatum solum habeat firmitatem ex ratione contractus inter coniuges initi. 224.2.
Matrimonium infidelium etiam consummatum non habet significationem vnionis Christi cum Ecclesia, ratione vnionis hypostaticæ. 224.3
an Matrimonium Beatæ Virginis & Sancti Iosephi iure naturæ fuerit indissolubile; & inseparabile. 271.25.
Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, ex S.Thom. 271.26
Matrimonium inter B. V. & S.Ioseph fuit verum & proprium matrimonium secundum Euangelium. 270. 19. & 20.
quid Matrimonium ex vi essentiæ suæ dicat. 271. 21. & 22.
An quamuis coniux sanus non teneatur reddere debitum leproso cum periculo notabili infectionis, at si reddat meritorium opus exercebit, si ex amore matrimonij id efficiat. 214.3
Proles non dicitur bonum matrimonij solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum per matrimonium generatur, & educatur, ex eodem S.Thoma. 270.18
Quandonam contractus matrimonij non esset ortus legitimis contrahentium consensibus. 233.31
Quandonam dissoluatur matrimonium cum infideli, & obligatio restituendi, & cohabitandi. 240.1.
Quis præcipuus finis matrimonij. 247.10
An sint aliqua impedimenta quæ faciant matrimonium illicitum. 307.1
An diuersitas crudelitatis & religionis perfectionem matrimonij euertat. 209.7
An Summus Pontifex possit soluere matrimonij consummati vinculum inter infideles. 224.1
Matrimonium an sit institutum in remedium concupiscentiæ. 215.10
An consentire in matrimonium sit consentire in carnalem copulam implicitè non explicitè. 330. n.7.

an Matrimonium consummatum in infidelitate non dirimatur, & dissoluatur eius vinculum per professionem solemnem in religione approbata. 238.1
Matrimonium consummatum infidelium solum soluitur per aliud matrimonium contractum cum fideli, ex S.Thom. 238.2
An damnum illatum fœminæ matrimonio fictè contrario sit omnino irreparabile ex vi contractus initi inter vtrumque coniugem. 107.6
vinculum Matrimonij respectu potestatis humanæ omnino est insolubile. 165.1
an dissoluto Matrimonio rato per ingressum religionis, manens in sæculo cum alia matrimonium ineat non sit bigamus. 166.2.3
Quodnam vinculum matrimonij inter impotentes ad coitum rescindatur ab Ecclesia. 304.3
An etiamsi vxoratus assumeretur ad Summum Pontificatum sine licentia vxoris post matrimonium consummatum, vxor possit illum reuocare. 165.1
Innocens semper habet ius matrimonij illæsum quantum ad omnia quæ sibi competunt. 147. 10. & 11.
Matrimonium ratum non est omnino insolubile nisi morte spirituali. 165.2.& 3
De sacrorum hominum continentia quæ ante matrimonium apud Ecclesiam latinam impedit & dirimit matrimonialem residentiam quid sentiat Medina. 160.1
An fœmina consentiat intra bimestre in copulam, qua consummetur matrimonium, metu in constantem virum, nequeat inuito marito religionem ingredi. 324.7.& 8
Matrimonium consummatum fidelis cum infideli, ex eo præcisè quod non vult conuerti non potest dissolui à fideli. 231.16
An ante consummationem matrimonij non sit translatum omnino corpus vnius coniugis in corpus alterius, sed sub conditione. 331.9
an ad Matrimonij valorem desideretur copula, per quam coniuges vna caro efficiantur. 320.6
Quò tendat matrimonium. 187.6
An fidelis conuersus antequam matrimonium alius contrahat filios generet, filij sint adulterini. 245.1.
An isti filij legitimentur per subsequens matrimonium. ibid.2
An si intra bimestre alter coniux religionem ingrediatur, ibique secundum ius professionem emittat, dissoluatur matrimonium. 125.33
An sit relicta in Ecclesia potestas dissoluendi matrimonium ratum. 226.16
Matrimonium infidelium conuersorum eo ipso, quod baptizentur efficitur ratum. ibid.17
An seruitus à qua liberatur coniux derelictus sit pars vinculi matrimonij. 241.11
coniuges Matrimonio duntaxat rato coniuncti, potest vnus intra bimestre altero inuito ad religionem conuolare. 324.5
Matrimonium iure naturæ institutum est à Deo primario & per se ad filiorum procreationem. 248.1
An intentio prolis generandæ sit essentialissima matrimonio. 309 8
Quantum intrinseca sit matrimonij iure naturæ insociabilitas vxoris cum viro. 178.6
An ex natura rei matrimonium consummatum dirimat professionem. 119.6
Qua dispensatione Pontifex dissoluat matrimonium consummatum infidelium. 236.2
an Matrimonium contrahi possit cum impotente perpetuo validum iure etiam Ecclesiastico. 315.5

Miraculum.

Miraculorumdiuersitas affertur ex S.Th. 370.5
An hodie sint in Ecclesia multa miracula continuata miros effectus causantia, qui licet possint refundi in magiam damonaicam, refunduntur in Deum mediis Angelis & hominibus. 368.17
Mali Christiani operantur miracula per signa publicæ iustitiæ ad excitandum deuotionem, & cultum in sanctos, & laudem Dei. 371.7
An potestas miraculorum nullis adstringatur vocibus, nullis legibus. 363.3

Monachus.

sit Monachus claustro suo contentus, ex Eugenio II. 27.9.
An antiqui Monachi non ordinarentur sacris ordinibus, sed solummodo Monachismo essent contenti. 422.2
Taxatio panis & aquæ valde vsitata fuit antiquis Monachis. 482.26
Quodnam sit secundum genus monachorum solitariis oppositum. 535.20
qui Monachi in priuilegiis, indulgentiis, & aliis filiationis iuribus nomine fratrum comprehenduntur. 423.4 & 5.
an Monachi, aut Religiosi quotiescumque citra superioris consensum ludunt, quidquid acquirant contra canones intelligantur acquirere. 455.3
Monachum aut paterna deuotio aut propria professio facit ex Conc.Tolet.IV. 94.42
an Monachus Carthusiæ qui triplicem fecit fugam habeatur pro derelicto. 394.10.11
an Monacho Carthusiano sit causa sufficiens, vt ad aliquod tempus sit extra conuentum, vt curetur à morbo. 65.1
an Monachus derelictus non sit sub dominio aut patria potestate Religionis. 395.13
Quomodo hæc derelictio fieri debeat. ibid.14.15

Monasterium.

Retrusionem in monasterium tradit in clericos peccantes contra naturam Alexander III. 539.3
Licet quisquam sit immersus frequentium grauorúmque vitiorum voragine, non est à monasterio reiiciendus, ex S.Isidoro. 516.21
iugum Monasticæ Regulæ & iugum Ecclesiasticæ dignitatis, an sint opposita. 415.10

Moneta.

Ad quid inuenta, & instituta sit moneta. 492.4
An in monetis non sit duplex bonitas. 493.6
Monetæ falsæ factæ ab aliquo particulari non impunè expenduntur, sed statim ac innotescunt præcluduntur, & comprehensus fabricator variè punitur. 496. 5.& 6.
Principum moderatio circa mutationem metalli & monetæ prudens debet esse. 500.11
An princeps, siue Rex, siue imperator nequeat immutare proportionem, & habitudinem quam habet metallum monetæ pretiosius, ad aliud minus pretiosum. 498.14. & 15
Regis est & absoluti principis altum dominium dum mutat monetam. 497.13
portiones Monetæ debent fieri de certa materia, & determinati ponderis. 493.5
superscriptio Monetæ, & figura impressa authoritate principis est nuntius, & signum veritatis materiæ, & ponderis. 497.9.10.& 11
An Regularis monetas aureas, aut argenteas tondens, fabricans, aut aliàs adulterans præuia degradatione tradatur brachio, & curiæ sæculari. 464.5
circa Monetæ alterationem plura delicta committuntur. 492.1
Quæ mutationes monetarum tam malæ sint quod de natura sua non sunt aliquatenus permittendæ. 496.3.
Vt sit ratio practicè probabilis ad mutationem monetæ quid requiratur. 499.8.9
An ad mutationem monetæ sufficiat opinio probabilis. 498.1
A Summo Pontifice alterationis monetæ crimen impunitum non remanere est determinatum. 492.2. & 3.
Falsificans monetam alicuius ciuitatis qua pœna sit puniendus, ex Claro Alex. 502.2

Monitio.

quæ Monitio atque iuridica punitio, vt pœna spiritualis inferatur à iudicibus Ecclesiasticis, trina debeat esse. 513.6.& 7.
Antiquitùs priusquàm aliquis à Religione expelleretur multæ præibant monitiones. 516.19

Mors.

An non puniatur pœna mortis, sed relegationis ille qui necauit, vel necare fecit condemnatum ad mortem eius parentelæ, vt vitaret infamiam supplicij. 488.13
An quis damnatus ad mortem per inediam si semel & iterum afferatur cibus possit illum respuere. 58.7.

Mulier.

an si Mulier non machinetur mortem viro, non sit sufficiens causa diuortij. 211.5
an Mulier sexagenaria sit senex. 133.10
an Mulier quinquagenaria censeatur libera à periculo incontinentiæ. ibid.11.& 12
an siue Mulier non consentiat, siue si consensit, non tamen promisit se mutare, semper debeat ei restitui maritus. 152.29
an Mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, ab eo separari non debeat. 200.18
an Mulier putans maritum mortuum & bona fide se religioni obligans professio sit valida. 159.21.22
an si Mulier sit venefica, aut strix sit sufficiens causa diuortij. 211.1
an si mulier sit vetula in qua non periclitatur de incontinentia possit dare facultatem viro suo vt promoueatur ad ordines. 163.11
Quo iure mulier possit maritum reuocare. 154.1

N

Natiuitas.

NAtiuitatem duplicem admittit carnalem S.Thom. 374.7.

Necessitas.

Quæ vrgens necessitas dispensandi cum Prælatis regularibus in residentia personali dicatur. 16.1
An propter aëris insalubritatem vrgens sit necessitas ad dispensandum. 17.2.3

Negotiatio.

Negotiatio est Clericis & Religiosis professis prohibita iure Canonico. 458.8
Vera negotiatio quæ est illa quæ habet pro fine lucrum, & huius causa sit est prohibita Religiosis, siue exerceatur per se, siue per alium. 458.9
Negotiatio continet commercium gentium inter sese. 495.8.
Acquisita à Religioso ex negotiatione illicita sunt spolia Apostolica, ex constitutione Piana. 457.5
Quid nomine negotiationis illicitæ veniat. 446.3
An bona ex illicita negotiatione comparata tanquam malè acquisita à religioso professo ante condemnatum crimen, & latam à iudice sententiam debeantur in foro conscientiæ ipsi Summo Pont. 448.15.
An ad Cameram Apostolicam pertineat bona parta à religioso professo ex illicita negotiatione. 477.8.

Notorietas.

quæ Notorietas debeat in iudicio probari. 148.6

Nouitius, Nouitiatus.

Quis propriè non sit nouitius. 109.5
Quum annus nouitiatus non est completus, quod requiratur. 110.9.& 10
Tempus quo quis debet esse nouitius, regulariter totus annus debet esse, ex Syluestro. 111.4
Ex natura rei, & naturali iure receptio viri ad Nouitiatum sine licentia vxoris nulla est. 115.8.9
Vbi Ratio motiua sacrorum Canonum, & Trid. ad requirendum Nouitiatus annum fundetur. ibidem.10.

Nuptiæ.

Nuptiarum essentia in sola carnali coniugum commixtione sita erat, ex hæretico. 251.8

O

Obediens, Obedientia.

OBedientia est specialis virtus, & quodnam sit eius speciale obiectum, ex S.Thom. 490.7.8
à qua Obedientia mulier nequeat absolui per quodcunque pactum initum ante matrimonium. 218.6
An non solum peccet subditus contra votum obedientiæ dum refugit obedire superiori actu imperanti, sed etiam dum se occultat. 28.14
Quæ dicatur debita obedientia. 17.1
An nõ possit obediẽtia debita Præl.Societ.extendi ad præcipiendum consensum, quo subditus redderetur inhabilis, vt maneret sub obedientia & filiatione Societatis. 408.12
Obediens mouetur ad imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ, ex eodem S.Thom. 430.9.& 10
Quid per ly *obedientia* intelligatur. 18.10
Quid sufficiat ad veram & propriam obedientiam exercendam. 18.12.13.& 14

Oblatio.

quæ Oblatio facta ab infideli coniuge suo fideli non cooperetur cohabitationi. 234.41
an ab Oblatione expressè facta à parentibus & acceptata iuridicè à religione nequeat retrocedi. 94.45.46

Obligatio.

Obligatio reddendi debitum est ex iustitia. 215.9
quæ Obligatio ad permanentiam & clausuram Monasterij non dimanet ex simplici ordinatione Regulæ. 27.2.
an Obligatio reddendi debitum saltem radicalis & implicita sit essentialis, vel ad minus propria passio inseparabilis ab essentia matrimonij. 292.9
An possit esse obligatio, quod quis accipiat Episcopatum in vtilitatem proximi & Ecclesiæ. 434.17
secunda Obligationis pars in voto explicatur. 426.7
An ex societate in diuerso sexu, vel coniugali coniunctione duæ obligationes nascantur. 247.11

Obseruantia.

an Obseruantiarum transgressio si non sit contemptus illius non sit mortalis. 30.16.17

Obseruatio.

quænam Obseruationes pertineant ad superstitionem ex S.Thom. 350.6

Occidere.

An qui per insidias occidit inimicum suum, vel dormientem, non proditorie occidat. 486.3

Officium.

an Officia quæ alterius vice geruntur & exercentur non inducant incompatibilitatem. 10.12
Pastorale animarum officium, an induſtriam perſonæ per ſe expoſcat. 25.5
duo Officia requirentia perſonalem reſidentiam ſunt incompatibilia. 22.2
quodnam Officium ſit incompatibile cum Prælatura. 5.21.

Opus.

an Opera bona hominis iuſti non ſolum erant ſigna gratiæ habitualis, ſed etiam haberent efficaciam, & virtutem ad illam augendam. 287.4

Ordinarius.

an Ordinarij, Parochia in Indiarum partibus poſſunt in priuilegiis diſpenſare. 236.1

Ordo.

Duplex genus Religioſorum ordinum militarium admittitur. 78. 1. & 2
An vir debeat habere licentiam vxoris, vt ordine ſacro initietur, non ſolum in matrimonio conſummato, ſed etiam in rato. 161.1
An vxore adulterante inuita non poſſit vir ſacros ordines ſuſcipere, & poſſit etiam Ordinari Epiſcopus. 162.6.& 7
An iure Canonico vxoratus non debeat promoueri ad ſacros ordines, niſi abſolutus ab vxore continentiam profitente. ibid.2
An ante matrimonium conſummatum nequeat vir ſine licentia vxoris ad ſacros ordines promoueri. 163.7.
An ante matrimonium conſummatum non liceat viro ſacros ordines adſumere. 163.1
An vir poſſit ſine licentia vxoris minores ordines recipere, 165.8
An ſi quis eſt impoſſibilitatus aſcendendi ad ſuperiores ordines poſſit ex diſpenſatione Epiſcopi ordines minores accipere. 164.6. & 7
An vir primam tonſuram, aut minores ordines poſſit licitè accipere ſine vxoris licentia. 164.1
cur in Ordinibus, tam monachalibus, quàm mendicantibus aliqui in temporalibus negotiis, & officinis occupati dicantur conuerſi. 544.36
An nequeat vir etiam cum licentia Papæ, ſine conſenſu vxoris in matrimonio rato nedum conſummato ſacris ordinibus initiari. 164.10

Oſculum.

an Oſcula & tactus impudici etiam cum animo peruenendi ad adulterium habiti, eo non ſecuto, non ſint cauſa diuortij. 187.10

Ouis.

Ouis morbida in ſcabie obdurata, & immedicabilis eſt eiicienda. 515.8

P

Pactum.

PActum. Quidnam dimanet vt ex ſigni à dæmone inſtituti deſtructione pactum diſſoluatur. 353.9
an Pactum de nouo initum vt maritus teneatur reſidere in ciuitate, vel domo cum vxore, in foro conſcientiæ non obliget. 217.2
quandonam Pactum implicitum interueniat. 345. 6. & 7.
An non ſit licitum habere pactum tacitum & implicitum cum dæmone. 345.5

Papa.

An nullus niſi Papa poſſit dare licentiam vt quis extra Clauſtrum moretur, ſanitatis recuperandæ cauſæ. 65.5
Papa nequit cum Religioſo diſpenſare, vt nulli prælato teneantur obedire in his quæ ad perfectionem vitæ pertinent, ex S.Thom. 409.17

Parrochus.

an Parrochus regularis in ſuperiorem, ſiue Prouincialem, ſiue localem poſſit eligi. 9.1

Pater, Paternitas.

Patres in Trullo Congregati examen & iudicium Epiſcopi requirunt, vt quis in ſolitudinem abeat. 534,15
Pater ſpiritualis dicitur ad ſimilitudinem Patris carnalis, ex S.Thom. 375.2
quid de nomine Paternitatis in abſtracto titulo veniat dicendum. 526.10.& 11

Paſtor.

Non colit Deum qui officio Paſtoris non ſatisfacit. 4.9.
quantum proſit Paſtoris corporalis præſentia. 25.3

Peccatum.

quæ Peccata carnalia intra genus luxuriæ grauiora ſint quam fornicatio. 176 4
An ſi quis ad interitum famelicum damnatus ſi illi offerantur cibi & non manducet, peccet mortaliter. 483.31
per Peccatum mortale intelligit infidelitatem S.Doctor. 233.33

Perpetuitas.

vt ſit Perpetuitas quid requiratur. 381.7

Pius IV.

Pius I V. in quibus ſolum induxit nouum ius. 449.19
quid intelligat Pius I V. per bona acquiſita contra ſacros canones. ibid.20.& 21

Pœna.

an Pœna publica non poſſit imponi niſi ob delictum publicum. 146.18.& 19
Pœna proportionatur culpæ. 490.8
Pœna triremium eſt inter Regulares omnino diuerſa à pœna expulſionis, & eiectionis ab ordine. 478.1
multipliciter Pœna legibus ciuilibus ſtatuta temperatur, antiquatur, & abſoluitur. 478.2
an Pœnæ quæ apud iudices ſæculares iam exoletæ ſunt, & relegatæ etiam apud iudices Eccleſiaſticos, & Regulares ſint excludendæ. 479.1.& 2
an Pœna deportationis in inſulam poſſit practicari inter Regulares. 479.5
quid circa Pœnam traditionis ſæculari Curiæ veniat notandum. 471.15
Pœna imponi ſolita antiquitùs malefactoribus. 485.40 41.42.& 43.
Pœnæ ſunt in duplici differentia ex Caiet. 55. 16. 17. & 18.
An vir qui propriæ ancillæ ſe iungit & filios generat, nulli pœnæ ſit obnoxius. 169.3
In quibus etiam incurrat vir pœnam lenonis. 179. 2
An ſi quis dolo non occidat, directa ſcilicet voluntate occidendi & conſulto, & ex propoſito vt occidat, reus ſit pœna ordinaria. 487.10
an iuſte feratur Pœna mortis etiam Regularibus, qui cudunt falſam monetam. 502.1

Pœnitens, Pœnitentia.

qui Pœnitentes ſolemnes aliqua excommunione maiori, vel minori erant ligati. 541.18
iſti ſolemnes Pœnitentes in cœna domini quolibet anno à ſuis Præsbyteris in Eccleſiam reducuntur, ex S. Thom. 545.41
ſolemniter Pœnitentes etſi non fierent Religioſi ſolemniter profeſſi, an ex vi ſolemnis pœnitentiæ ſi coniugati erant nequirent debitum exigere. 545. 42. & 43.
ſolemnis Pœnitentiæ exomologeſis impedimentum erat non dirimens, ſed impediens matrimonium. 546. 44.
ſolemniter Pœnitentibus noua coniugia erant prohibita. 546.46
ſolemnizatio Pœnitentiæ quid ſit, ex S.Thom. ibid.47
Vir ſolemniter pœnitens tondeatur, & fœmina non accipiat pœnitentiam niſi habitum prius mutauerit. 554.90
ſolemnis Pœnitentia, tam viris, quàm fœminis hodie non eſt in vſu. ibid.91. & 92
An ſtatus pœnitentiæ eſſet omnino diſtinctus ab ſtatu monachali, & profeſſione ſolemni religioſa. 543.28.
Quid inter pœnitentiam ſolemnem, & publicam detruſionis in monaſterium interſit. 539.7
Pœnitentia ſolemnis à pœnitentia iuridica, & publica diſtinguitur. 540.8
inter Pœnitentiam ſolemnem, pœnitentiam iuridicam illatam pro delictis, & inter ſtatum pœnitentium, diſcrimen. ibid.9
an pœnitentia publica diuerſum quid erat ab ſtatu pœtu pœnitentiæ. 543.27
ſolemniter Pœnitentes tondeantur, & comam non nutriant, ex Conciliis Tolet. & Hiſpan. 550.70
Cur mulier in ſolemni pœnitentia, non abſcindebat comam. ibid.71.& 72
ex Pœnitentia ſolemni oriebatur impedimentum ad matrimonij vſum. 548.58
Pœnitentia publica, & ſolemnis aliquando confunduntur in iure Canonico. 549.62
Sæcularis qui ſtatum pœnitentiæ ſolemnis ſe tondens, & comam abſcindens accepit, iterum fieri laicus eſſe nequit. 544.34. & 35
An quandiu quis erat adimplens ſolemnem pœnitentiam, non poterat habitum pœnitentiæ dimittere. 543.30
ſolemnis Pœnitentia iterari non debet propter tria, ex S.Thom. ibid.33
quomodo Pœnitentia ſolemnis fiat. 544.37
Pœnitentia publica ſolemnis ſolis hæreticis, & ſchiſmaticis dabatur. 545.38

Pontifex.

ſummus Pontifex tanquam ſupremus Regularium omnium independens Prælatus an poſſit iura filiationis alterare. 444.1
An multis modis poſſit canonice electus in ſummum Pontificem cogi & obligari ſub mortali, vt accepet Sum. Pont. 438.8.& 9
an Pontifex de plenitudine poteſtatis poſſit facere, quod quis ſit Religioſus ſolemniter profeſſus non determinata aliqua religione. 376.11
an ſi Pontifex ſine cauſa, & pro ſuo libito vni ex noſtris præcipiat, quod acceptet Epiſcopatum ad quem non acceptandum obligatus ex voto exiſtit, poſſit vel teneatur illi obedire. 441.1
Antiquitus ex tacito Pontificis conſenſu Reges mittebant Epiſcopos Legatos ſuos extra ſuam diœceſim. 12.3
An ſine expreſſa Pontificis licentia non poſſint Epiſcopi abeſſe à ſuis Eccleſiis. 12.4
An Summus Pontifex teneatur deferre ſaltem colorem ſui habitus quem Religioſus geſtabat. 74.10
An poterit Summus Pontifex concedere religioſo ſolemniter profeſſo licentiam irreuocabilem, vt habitet extra clauſtra. 68.1
In Summo Pontifice reſidet poteſtas præcipiendi, vt quis acceptet Epiſcopatum. 407.4
An cum Summus Pont. manet obligatus ad continentiam & paupertatem, maneat obligatus ad ferendum habitum ſuæ religionis. 75.11.12
ſummus Poctifex Cœleſtinus formam ponit, quam in re ordinario obſeruare debent iudices Eccleſiaſtici ad effectum, vt clericus, ſiue ſæcularis, ſiue regularis poſſit per curiam laicam iudicari. 565
Pontifex concedit Commiſſario Bullæ Cruciatæ, quod poſſit diſpenſare cum iis qui ignoranter in gradu prohibito contraxere. 104.41

Præceptum.

an Præceptum, vt quis poſſit obligari ad acceptandum Epiſcopatum, nullus alius poſſit imponere ſuperior niſi Sum. Pont. 413.45.& 46
An ex redditione debiti nullum præceptum ſibi faciat, ſi coactus reddat debitum adultera. 143. 7.8. & 9.
expreſſum Præceptum exprimit vim coactiuam. 435.25
Quam ſit ſtrictum præceptum naturale de reſidentia maritali ex Doctrina Patrum. 213.6
Omnes quibus animarum cura commiſſa eſt, debent eſſe diuinorum præceptorum memores. 2.10
An eo ipſo, quod quis tenetur præcepto naturali ad conſeruandam vitam, adhibere medium teneatur. 57.8.

Prælatus.

an Prælatus regularis factus Iuquiſitor poſſit cum officio retinere prælaturam. 21.1
an Prælatus Regularis poſſit dimittere reum quem ſcit nulliter profeſſum. 82.6
Qui dicantur Prælati, Epiſcopi, & Superiores ex Nauarro. 431.2.& 3
an Prælatus Regularis ex vi obedientiæ quam ſolemniter ſubditus vouit non poſſit præcipere, vt mortaliter non peccet tranſgrediendo præcepta iuris diuini, naturalis, & Eccleſiaſtici. 412.37.& 38
an Prælatus Regularis iuſtè in pœnam delicti poſſit ſubditum cibis priuare. 482.24
an Prælatus regularis poſſit irritare vota ſui ſubditi. 91.11.
An fauorabilibus comprehendantur religioſi Prælati, qui habent quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem. 3.10.
an Prælati Regulares iure diuino ad perſonaliter reſidendum teneantur, qui ſentiant. 1.1
An occurrente iuſta cauſa poſſint prælati cum minori ſcrupulo abeſſe ad aliquod tempus. 1.2
quandonam Prælatura regularis ipſo iure vacet. 7.11
Quandonam ex ſtatuto, aut conſtitutione Prælato regulari applicentur certæ collectæ. 2.1
Generalis abſque iuſta cauſa in qua perſonali reſidentia Prælatorum diſpenſare non poſſit. 2.2.& 3
an Prælati regulares præter mortalis peccati reatum quem incurrunt, pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non faciant. 3.4
an Prælati regulares non videantur comprehenſi ſub pœnis latis contra non reſidentes à Conc. 3.7
Regulares Prælatos in adminiſtratione & cura ſuorum ſubditorum reliquit S.Congr. propriis ſtatutis. ibidem 8.
quandonam Prælati regulares ſatisfaciant præcepto diuino de reſidentia perſonali. 3.1
quæ in Prælatis regularibus ſit ſufficiens cauſa, vt diſpenſetur in reſidentia perſonali. 11.1.& 2
an ſi Prælatus aliquem reciperet ſine Capituli conſenſu ad nouitiatum, nouitiatus eſſet inualidus. 114.6
An Bulla Vrbana non extendatur ad Prælatos regulares. 12.5
An ſi Regularis Prælatus fuerit Eccleſiaſticus poterit præſidere & habere vocem actiuam in capitulo ex delegatione Nuntij Apoſtolici. 12.8.9
an ſi Prælatus regularis de licentia Prouincialis, aut Generalis faciat votum adeundi terram Sanctam, ſit vrgens

gens necessitas ad dispensandum in residentia. 17.4.
an Prælati Regulares qui possident beneficium animarum curam habent obligentur ad residentiam. 1.6
An strictiori vinculo ligentur Prælati Regulares ad residendum personaliter, quam alij Pastores. 2.7
an si Prælatus Regularis fecit votum cum Prælati licentia, si possit differri teneatur differre. 17.6
Prælatus Regularis etiam generalis nequit ex vi præcepti obedientiæ imponere præceptum sibi subditis, vt Episcopatum acceptent, aut dignitatem extra Religionem. 408.9
An subditus occidens prælatum suum, aut enormiter percutiens, expellendus sit à Religione & ad triremes relegandus. 486.6
an Prælatus regularis, si vel infirmitate impeditus, non possit exercitiis laboriosis, possit hæc vicario suo committere. 26.6
Quid nomine Prælatorum veniat intelligendum. 23.1.
Prælati regulares quanta vigilantia debeant residere, ex Caiet. 22.3.4. & 5
Prælati regulares ex vi officij, quod acceptarunt salutem animarum sibi commissarum debent procurare. ibid.6.
Qui vituperandi sint Prælati. 26.8
an nomine Prælatorum intelligantur Vicarij, sine Generales, siue Prouinciales. 23.6
an Prælati Regulares etiamsi habeant causam iustam non residendi, debeant habere licentiam sui Superioris ad non residendum. 24.16.& 17
Qui verè, propriè & strictè sint Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in subditos. 23.4
Subditus non debet diuagari nec se à Prælato subtrahere. 32.10
an Prælati Regulares possint ex dominatiua potestate ex iurisdictione, quam acquirunt ex vi professionis solemnis in Religiosum, ipsum ob delicta enormia tradere curiæ sæculari puniendum. 566.6.& 7
Quomodo regulares Prælati debeant residere. 25.1.
Præceptum de residendo in prælato non est de residentia materiali solum, sed etiam de formali, ex Trid. 25.2.
an Prælatus ex vi ordinariæ potestatis possit licentiam impertiri subdito, vt domo egrediatur. 29.1
Prælati Regularis potestas coërciua ad infligendas pœnas corporales non extenditur ad pœnam mortis naturalis & sanguinis effusionem. 565.1
an si Prælatus Prouincialis nolit dare licentiam, sit adeundus Generalis ad compellendum Prouincialem ad illam dandam. 402.15
an Prælatus regularis possit dimittere habitum suæ religionis, vt subueniat parentibus. 72.1
An debeat tam recipiens Prælatus, quàm receptus subditus habere intentionem virtualem antecedentem, quod perpetuo profitens perpetuo maneat in claustro. 61.10
An omnes Prælati Regulares sint subditi Legati & Nuntij Apostolici in terris suæ legationis & nuntiaturæ. 67.7
nullus Prælatus regularis potest reuocare facultatem habitandi extra claustra, ex Portel. 67.8
Quid debeant aduertere Prælati regulares. ibid.3
Ad quid deseruit Prælati Regularis benedictio. 42.3. & 4.

Præsidentia.

an Præsidentia politica in electionibus regularium non sit contra sacros Canones. 15.34
Inter politicam regiam præsidentiam in Capitulis, & retentionem Bullarum Apostolicarum discrimen. ibid.35.

Princeps.

an Princeps supremus tuta conscientia non possit lege sua stabilire, quod causæ regularium ad tribunalia sæcularia deducantur. 53.13
An cum non est vrgens necessitas tuendi bonum commune, nullatenus Princeps possit vxoratos cogere ad bellum ire. 222.1
An lucrum, & emolumentum quod Princeps acquirit ex monetæ mutatione sit iniustum. 495.1.& 2
an Princeps materiam numismatis possit pluris æstimare, quàm in se æstimetur. 500.1
An ad mutationem monetæ nequeat Princeps facere motus duntaxat rationibus probabilibus de eius iustificatione, si contraria opinio securior sit. 498.3.
Moderatus debet esse Principes in mutando metallum, ex D.Thom. 499.4.& 10
An fuerint Principes qui vel per se immediatè, vel per suos ministros astiterint Ecclesiasticorum electionibus. 12.13
an Principum personalis, vel per suos ministros assistentia in Ecclesiasticorum electionibus non sit ablatiua alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ. 13.20
quod nullus Princeps sæcularis Conciliis, aut electionibus Clericorum assisteret, prohibitum fuit in Synodo Romana. 13.21
An laicorum Priacipum assistentia in Clericorum electionibus per abusum sit introducta. 13.22
præsentia Principis, aut ministri suo nomine omnem repellit metum contra inquietos. 15.33
an Princeps possit cogere vxoratum ire ad bellum pro necessitate vrgente boni publici. 221.1
Summo studio Principes fouere debent omnia media quibus perstringantur religiosi, ne negotiatores contra sacros canones fiant. 447.12
an Princeps motus ex rationibus probabilibus de iustificatione legis imponentis tributa noua, possit licitè ea imponere. 498.2
an si Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem censeatur dispensare cum illo, si verisimile est futurum, vt si sciret impedimentum ipsum admitteret. 44.1.
An quando error non est solius principis, sed est error communis, tunc promotio inhabilis sit dispensatio tacita impedimenti. 44.4.& 5
An nullus nisi Princeps possit resigillare monetam. 501.1.

Pror, Prioratus.

an Prior qui modico tempore sui primi anni non potuit residere, qui coactus à principe recessit, sit manutenendus in suo prioratu constituto vicario, qui conuentum regat. 7.5
an si Prioratus esset perpetuus incompatibilis esset cum beneficio curato. 9.4
qui Prioratus non dicantur perpetui. 10.7
cuius Prioratus temporanei non sit facienda mentio ad consecutionem alterius beneficij etiam iurati. 10.10.
an Prior sit dignitas curata habens iurisdictionem fori exterioris. 10.11
Priores, Guardiani nunquam possunt trahi ad suprema prætoria per viam violentiæ, ex Salgado. 52.10
An recursus forma præscribatur à priore ad Prouincialem, &c. 52.2.& 3

Priuilegium.

An maius priuilegium concedatur professioni solemni quam Ordini sacro. 1612
An priuilegium Christi absoluat à seruitute, coniugem fidelem cum illo dispensando. 245.5.& 6
An quantum ad electionem formalem, quæ fit ob solam contumaciam, nil deseruiant priuilegia. 477. 2.3.4.& 5.
cuinam Priuilegio cedere quis nequeat in particulari. 21.20.
an Priuilegium Christi Dom. datum fidelibus, vt possint dissoluere vinculum matrimonij, cum infideli, datum sit independenter à lege Ecclesiastica prohibente habitationem fidelis cum infideli. 234.42.43.& 44
Priuilegium Christi de soluendo matrimonij vinculo fidelis qui conuertitur, & infidelis qui persistit in infidelitate pro quibus casibus concessum sit. 233.30.
an Priuilegium Christi datum sit pro omnibus casibus in quibus fidelis cohabitatio cum infideli est illicita ex parte infidelis. 235.49
An non sit priuilegium aliquod diuinum ex vi cuius dissoluatur vinculum 238.3

Professio, Professus.

si Professio sit nulla quid requiratur. 109.3
Iure communi idem est verè & propriè Religiosus, ac legitimè professus. Quid item sit legitime professus. 508.4
Quod quinquennium numeretur à die professionis tantum? ex Conc. 101.3.4
Quæ dicatur secunda species solemnis professionis, quid item tertia. 387.2.& 3
quæ Professio scholarium possit dissoluere vnionem quamcumque fecit Religiosus. 509.8
duplex Professio tacita admittitur. 104.43
quæ Professio tacita semper fundetur in præsumptione. 105.44
sine Professione nequit quis esse verè & propriè Religiosus. 508.3
An si vir vxore inuita & repugnante professus est, possit propria authoritate à religione exire. 155. 3.& 4.
quæ Professio sit nulla ex iudicio Sanchez. 158. 13. & 14.
an Professio solemnis ex natura rei dirimat matrimonium ratum. 161.4
Qualiter cogendus sit coniux qui licentiam dedit, vt alter professionem emitteret, vt ipse etiam profiteatur. 154.1.& 2
quæ Professio valida sit imperfectè. 150.12
An etiamsi vir professus fuerit de licentia vxoris, nisi ista in religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, potest & debet maritus de Monasterio reuocari. 153. 4.& 5
Census, pensiones, aut libelli fundati de pecuniis acquisitis à professo de licentia superiorum quantum ad ius fundi, seu census capitale remanet ad primum monasterium. 453.2
Quod quinquennium incipiat à die qua quis liber existit à coactione & metu, vt possit liber proclamare & allegare causas probantes nullitatem suæ professionis. 101.1
an Professio sine coniugis licentia sit irrita, ex natura rei, vel solum lege Ecclesiastica. 118.1
An si coniux sine licentia alterius solemnem professionem emittat, ex natura rei valeat professio. 118.2.
Professus Societatis mortaliter peccat temerè dimittens habitum. 78.6
An si coniux sit certus, quod sua professio sit irrita, quòd alter non consenserit tuto possit habitum dimittere. 122.5
Professio tacita fundatur in præsumptione, ex Rota. 103.23.
Quod quinquennium non debeat numerari à die in qua quis sciuit professionem suam esse nullam. 103.28.29.30.& 31.
Nullus legitimè professus eiici potest nisi sit incorrigibilis. 461.1
an Religiosi professi Societatis dimittendo habitum incurrant excommunicationem. 77.1
An cum vnus coniux sine alterius licentia professionem emisit, sit inualida professio. 126.2
Quid sufficiat si coniux manens in sæculo ratificet professionem emissam sine eius licentia. 132.1
An quum ratificatur professio denuo detur licentia, vt professio validè fiat. 132.2.& 3
An quum ratificatur professio denuo detur licentia, vt professio validè fiat. ibid.2.& 3
An si coniux manens in sæculo, & licentiam concedens, vt alius professionem emittat si suspectus sit de incontinentia, sufficiat, quod votum emittat continentiæ. 131. 1. & 2
An si mulier inscia iuris de professione emittenda, aut voto faciendo, restituendus sit maritus à quo possit exigere debitum coniugale. 153.6.7.& 8
An vt ille qui senex est obligetur ad professionem, quid requiratur. 131.3.4
An qui inuita vxore professionem emisit coactus sit ad eam redire. 126.7
An qui inualidè est professus solemniter in aliqua religione possit dum reclamat de nullitate professionis à monasterio discedere. 82.1.2.& 3
an si Professio facta cum licentia valida fuit simpliciter & absolutè, etiamsi restituatur maritus, siue iure actionis, siue ex officio iudicis, nequeat vxor petere neque reddere. 153.1
quæ Professio fieri non debeat nisi ex consensu & voluntate communi. 122.2
Quid de illo qui prætendit se per vim & metum, aut ante ætate debitam professionem emisisse. 93.37.
An cum vxor bona fide professionem fecit putans prudenter maritum obiisse, si maritus non obiit, & illi restituatur vxor, ista ex parte sua solemniter maneat obligata religioni. 157.7.& 8
Reclamatio ad declarandum professionem irritam coram quibus debeat fieri. 88.3
Triplicem distinguit professionem P. Suarez. 508. 5. & 6.
an Professus teneatur in conscientia si potest probare nullitatem suæ professionis. 123.8
an Professus Societatis non indigeat præcepto proprio & rigoroso, vt accipiat dignitatem extra religionem. 429.4.
nullitas Professionis à quonam declaranda veniat. 88.4.
Iuuenis vi profitens anno transacto nequit resilire, sed in clericatu permaneat. 91.5
An solum sit fundamentum in præsumptione, quod transacto quinquennio professio liberè sit ratificata. 90.2
quid Professio solemnis includat. 91.9
Professionem emittens verè Monachus est censendus, 112.6. & 7.
Quid intelligatur per legitimè professum. 508.1
An coniux in sæculo manens toto vitæ spatio dissimulauit cum posset reclamare, an rata censeatur facta professio sine licentia. 124. 19. 22. 23. 27. & 28.
Concilium ex silentio per quinquennium solum præsumit ratificationem prioris professionis. 91.7.

Nullus legitime professus potest expelli, nisi sit verè incorrigibilis. 515.14
an Professus etsi ciuiliter iuxta decreta Pontificum sine licentia vxoris nulliter professionem emiserit, & naturaliter quantum potuit se obligauit religioni in conscientia teneatur illi seruare, quod donauit. 126.6.
an ex vi Professionis solemnis religio habeat ius, vt professus intra claustra resideat. 146.17
An nullitas professionis possit ex multiplici capite dimanare. 92.23
An licet professio expresse ratificetur à religioso ignorante nullitatem prioris professionis non validetur. 102.10
An cum possit vxoratus inuita vxore professionem emittere, possit etiam ordinari. 162.3.4
an Professio sine licentia alterius coniugis sit valida ex natura rei. 114.1
An iste qui potest iuridicè probare nullitatem suæ professionis, si aufugiat teneatur in conscientia ad redeundum. 123.15
vnde Professio non possit esse perfectè valida. 150.17
An ille qui professus est de licentia spontanea vxoris, ista manente in sæculo sine voto debeat restitui vxori. 152.35
An transacto quinquennio à die professionis in iudicio externo præsumatur, quod quis non ignoret nullitatem. 102.14
an Professio sit nulla cum metus grauis influit in illam, & sic de eius ratificatione. 101.7
portatio habitus Professorum, an non inducat professionem tacitam ex natura rei, sed ex iuris dispositione. 193.4
An qui ficte contraxit & professionem solemnem emisit iure naturæ teneatur etiam ante quinquennium vere profiteri. 92.24
an nullus Professus possit directè expelli expulsione quæ sit pœna spiritualis, nisi seruata forma Vrbanæ eiectionis. 477.1
Professio facta sine licentia coniugis inualida est, non solum iure Ecclesiastico, sed ex natura rei. 114.5
An quando quis fictè & malitiosè professionem emisit, nec post quinquennium, nec ante quinquennium possit reclamare. 107.1
An vir qui de licentia vxoris professus est taliter, quod possit reuocari, non possit propria authoritate à monasterio egredi. 155.1
an cum Professio inualida sit & nulla ex natura rei, votum castitatis in ea emissum sit nullum. 119. 1. & 2.
An qui profitetur nullam faciat promissionem in tali Religione, ex Martino. 120.3.& 4
an ex vi Professionis solemnis Religio acquirat ius ad patriam potestatem. 395.12
an si Professio emissa fuerit tempore minoris ætatis sit facilior causa legitima ad dispensandum de transitu strictioris ad laxiorem. 392.10
An transacto quinquennio possit coniux qui in sæculo mansit repetere alterum qui sine suo consensu professionem emisit. 123.18
Habitus non facit monachum sed professio. 508.2
Nullus legitimè professus eiici potest, nisi sit verè incorrigibilis, ex Decreto Vrbano. 466.3
An iuuene non profitente sit nulla alterius professio 149.3.
an si Professio fuit nulla iura & actiones maneant apud professum. 127.15.& 16
an vir Professus sine licentia, vt ius disponit reducitur ad coniugem manentem in sæculo non solum non possit exigere, sed neque petere debitum, sed solum reddere exigenti & petenti. 156.1
an si professus se obligauit quantum potuit, & totum quod suum est dedit monasterio, dederit etiam actionem ad excipiendum contra adulterum. 126.5
Sine quibus conditionibus à iure requisitis professio perfectè valida non sit. 151.21
vnde Professio non sit omnino, & ex omni parte valida. 154.2
an in Professione solemni sit vera traditio & donatio verbis externis expresè facta religioni. 94.40.& 41
Qui perpetuo inhabiles non solum possint reclamare, quocumque tempore elapso post emissam professionem, sed teneantur à religione exire. 106.2.
Tot sunt stabilitatis species, quot solemnis professionis. 387.1
an quis Professus est de consensu vxoris, votum fecerit, solum per ipsam reuocabile. 154.3
an cum Professio fuit inualida, vel ex metu graui, aut coactione, vt reualidetur requiratur nouus consensus. 109.1
an si Professio ex priuilegio Christi soluat matrimonium consummatum infidelium soluat etiam Ordo sacer. 242. 18.19.& 20
An requiratur annus nouitiatus præmitti ad professionem. 108.2
Summus Pontifex, quam professionem acceptet. 109.2.
An nequeat vnus ex vi status religiosi & professionis solemnis reddi impotens & ad petendum & ad reddendum. 152.31
Tridentinum irritauit professionem factam ante 16. annum completum non tamen prohibuit. 109. 6.7.& 8.

Promissio, Promittere.

Promissio acceptata iure naturæ ex iustitia & fidelitate parit obligationem vtriusque virtutis. 108.9
aliud est Promittere expresè, aliud implicitè, aliud directè & aliud indirectè, ex Caramuele. 388.2
An qui serio promittit nequit habere animum non se obligandi. 192.2

Promotio.

An non solum probitas promoti, sit causa motiua promotionis. 45.16

Protestatio.

quæ Protestatio sit quædam reclamatio. 94.39

Pupillus.

Pupillus est inhabilis ad contrahendum quemcumque contractum. 310.16

Q

Quinquennium.

quod Quinquennium debeat computari de momento in momentum. 103.28
An transacto quinquennio in quo quis potest liberè reclamare teneatur in conscientia ad perseuerandum in religione & tacitè profiteri. 105. 45. & 46.
an si toto Quinquennio duret ignorantia nullitatis, vis, metus aut coactio, iure ipso diuino, & naturæ non ratificetur professio. 102.12
quod Quinquennium non præfigatur à Trid. taxatiue, vt quis possit ratificare professionem irritam ex defectu. 108.1
An Concilium assignauit quinquennium quo præscribatur ius ad resiliendum in profitente. 94.47
An ille qui liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, non requirat quinquennium ad ratificandum virtualiter suam professionem. 93.38.
Pontifex nequit concedere priuilegium & remedium extraordinarium restitutionis in integrum post quinquennium. 105.1

R

Ratificatio.

quæ Ratificatio à radice infecta dimanare dicatur. 102.13.

Ratihabitio.

an Ratihabrtio de futuro non conferat iurisdictionem ad absoluendum à peccatis alienum subditum. 47.11 & 12.

Ratum.

In iure canonico ratum dicitur, quod est firmatum, & stabilitum. 225.8

Rebellis.

Rebellis quis dicatur. 514.12

Receptio.

Receptio ad humanum experimentum in Religione iuridica non fuit. 114.7

Reclusio.

Reclusio in monasterium pœna fuit antiquitus à sacris Canonibus imposita pro agenda pœnitentia, ob patrata delicta, tam clericis, quàm laicis. 539.1

Reconciliatio.

quæ Reconciliatio possit fieri dupliciter. 190.1
Sub qua conditione remittatur priuatio iuris exigendi hæretico reconciliato. 203.5
est Reconciliatio quum retenta fuit vxor post adulterium manifestè à viro deprehensum, ex S. Thom. 195.8.

Regula.

an nulla sit Regula monastica in qua non exprimatur, quod Regulares clausuram obseruent. 27.3
Regula S.Pachomio ab Angelo data affertur. 27.4

Regularis.

an possit Regularis solemniter professus degere extra Conuentum de licentia Superioris toto tempore quo durat causa. 60.2
An potestas supra Religiosum sit penes suum Prælatum. 60.3
non licet Regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, ex Concil. Trident. 49.1.
nullus Regularis prætextu recurrendi ad Summum Pontificem Romanam curiam ingrediatur, sine licentia sub pœna incarcerationis, ex Sacra Congr. 51.17.
Regulares qui transeunt de vna Prouincia in aliam si non deferant licentias suorum superiorum non possint recipi hospitio, ex Sixto V. 51.18.19.& 20
An hodie regulares immediatè subiecti sint Summo Pontifici. 23.2.& 3
an si Regularis eiectus in eiectione sua moriatur possit eligere sepulturam. 474.6
non omnes Regulares sunt ad æqualem clausuram obligati, ex Nauarro. 39.2
Iure communi omnis regularis potest iuste exire de licentiâ Superioris, ex Nauarro. 33.1
Diuersum genus personarum Regularium affertur. 423.6.& 8.
An dum quis Regularis sinon expellatur seruata forma Vrbana, sed solum damnetur ad triremes, in sententia debeat poni, quod finito tempore pœnæ remigij, ad religionem redeat. 506.4.& 5
An ob delictum valde graue & atrox Regularis ad perpetuum triremium possit damnari, etiam post decretum Vrb.V III. 506.1
Regularibus qui carceri sunt addicti in pœnam, siue sit carcer perpetuus, siue temporalis, an auferatur forma habitus suæ religionis. 528.1
vnde Regularis factus Episcopus teneatur deferre habitum. 75.3
an nullus Regularis sit hodie capax beneficij curati sæcularis absque Pontificis dispensatione. 71.1
an Regularis damnatus ad triremes finito tempore pœnæ luendæ teneatur ad religionem redire. 505.1
an Regularis solum possit ad triremes damnari propter delictum, quod secundum leges ciuiles meretur pœnam mortis. 469.6
Regulares habent leges suas à Summis Pontificibus confirmatas. 568.13
an Regulares possint Religiosos, sicut & Episcopi Clericos verbaliter degradare sententia lata. 473.8

Relegatio.

an Relegatio veniat in nomine pœnæ. 480.6 & 7

Religio, Religiosus.

inter Religionem in qua solum emittuntur vota simplicia, & Religionem in qua solemnia, discrimen affertur. 379.14
Religiosum solum procedentem, diabolum solitarium vocabat D.Thom 38.3.& 5
Quæ sit præcipua radix relaxationis Religionum. 22.7.
Punctum de non exeundo solo sine socio mansit in vi constitutionis cuiuscumque religionis. 38.2
An hodie liceat & expediens sit Religionibus aliquos Religiosos professos propter aliqua enormia & atrocia delicta ad triremes damnare. 503.1
an Religiosus grauatus possit recurrere ad Principem sæcularem. 52.1
an Religiosus qui clam accipit ea quæ ad solum vsum sunt necessaria, nequeat ea diuendere. 41.7
an non liceat Religioso fugere à carcere in quo iustè positus est. 54.13.14.& 15
An non insit maior obligatio Religiosis obediendi sententiæ latæ de carcere, quam sæcularibus. 54.10.
an Religioso qui commisit delictum possit Superior præcipere ne fugiat. 59.2
An omnes Religiosi solemniter professi æqualiter obedien

obedientia solemni adstringantur. 39.7
An sit licitum Religioso iustè incarcerato fugere à carcere, vt vadat ad superiorem qui eum releuet à pœna. 54.6.& 7
an Religiosus incarceratus si prudenter timeat damnandum ad mortem, sententia non lata, possit fugere. 56.1.
an si Religiosus à Triremi fugiens non teneatur ad Triremes redire, possit iterum capi à religione. ibidem.
an si Religiosus damnatus sit ad hoc, quod inedia & fame pereat, si illi cibi offerantur, teneatur sub mortali comedere. 57.1
an Religiosi propter vrgentes necessitates possint extra Conuentum degere. 60.4
An nullus Religiosus possit se conferre extra claustra sine Superioris licentia studiorum causa. ibid.5.
qui Religiosi professi possint transferri de vna religione in aliam strictiorem, aut laxiorem legitima licentia obtenta. ibid.2.3.& 4
An habitus dimissio sit temeraria si religiosus professus exiens ad seruiendum beneficio, habitum dimittat, aut occulter de licentia sui Prælati. 80. 1.& 2.
an Religiosus exiens ad seruiendum beneficio possit de licentia Prælati habitum Religionis suæ occultum portare. ibid.1
an si quis Religiosus atrox delictum committat semel duntaxat, de illoque maximè doleat, possit à iudice regulari puniri pœna corporali triremium. 514.8.
An non liceat fœminæ religionem ingredi viro inconsulto. 324.6
an possit esse Religio approbata à sede Apostolica in qua emittatur votum obedientiæ, vel expressum verbis, vel implicitum. 406.1
An aliquis possit expelli à Religione, qui non potest damnari ad triremes, & sic è contra. 504.5
quandonam Religiosus recurrens ad Principem sæcularem nullam censuram possit incurrere, 52.5
An Archidiaconi, & curati possint ad religionem conuolare. 381.4
An eiectus iuridicè à Religione possit se transferre in Religionem laxiorem, sine licentia Religionis. 392.1.
cuinam Religioso non liceat repetere dotem suam. 451.3.
An transiens ad aliam religionem siue laxiorem, siue strictiorem, aut æqualem debeat facere integrum nouitiatus annum. 111.1
inter eiectionem à Religione, traditionem curiæ sæculari ad pœnam sanguinis, & damnationem ad triremes discrimen adducitur. 469.1
an Religio sciens aliquem esse coniugem matrimonij consummati nequeat eum recipere. 113.6.& 7
an Religiosus sit eliminandus, & eiiciendus extra Religionem, si contumax, & in contumacia obduratum conseruet animum. 467.12.& 13
an Religio nequeat expellere eum qui dissimulante vxore professionem emisit. 125.32
Religiosus factus Episcopus, siue Cardinalis, siue Abbas extra Religionem, etsi maneat illius verus & formalis filius, an ex vi dignitatis liberetur à patria potestate. 418.26
An innocens libere possit, siue in sæculo manere, siue ad religionem conuolare ibique profiteri. 202.3
Religiosus factus Episcopus tenetur ex speciali vinculo Religionis obedire Summo Pontifici, ex Suarez. 415 6.& 7.
an Religiosus factus Episcopus, siue voluntariè, siue coactus, non amittat filiationem substantialem, quam acquisiuit ex vi professionis. 414.1
an status Religionis comparetur ad statum Episcopalem. 415.11
Quot sint partes familiæ religiosæ. 422.1
an Religio non possit, imo teneatur non reclamare coram Ordinario ad probationem nullitatis professionis alicuius religiosi. 88.1
an Religionis filius qui voto Religionis se adstrinxit, non acceptandi Episcoparum extra Religionem, nisi Summi Pont. obedientia coactus, hæc obedientia debeat esse sub formali præcepto. 424.1
an Religiosus factus Episcopus teneatur sub mortali non ad comedendum carnes feria 6. Natalis Domini. 417.20
An possit institui, & confirmari vera, & propria Religio militaris tribus votis essentialibus constans, quatenus ordinatur ad defensionem diuini cultus. 420.4
An in multis Religionibus non sint iura filiationis introducta respectu alicuius Prouinciæ, aut domus. 443.4
quæ Religiones veniant excipiendæ. ibid.5
fama Religiosa factis puris non fucatis verbis acquiritur. ibid.7.
Quandonam vere & proprie dicantur religiosi. 509 10.& 11.
Qui acquirant Religiosi professi ex vi iurium filiationis. 443.3
An si quis dimisso proprio habitu religionis in qua est professus, alterius religionis habitum assumeret incideret in excommunicationem. 76.17.& 18
ratio ad vitandam Religiosorum ambitionem non æque procedit in Parrochialibus ac in prælaturis, ex Thoma Sanchez. 71.2
an si Religiosus acceptet Summum Pontificium absque licentia requisita, teneatur ad monasterium redire in conscientia. 404.12
quis possit Religiosis solemniter professis facultatem dare habitandi ad multos annos extra claustra. 62.1 & 2.
an Religiosus solemniter professus possit dignitate extra Religionem assumpta exfiliari sine Religionis Prælati consensu. 400.1
cui Religiosus missionarius apud mauros acquirat si ibi moriatur. 452.1
An Donatus, vel oblatus sit verè Religiosus professus. 423.9.
si Religiosus à principio ad mauros mittatur tanquam missionarius ad conuersionem infidelium, ibique acquirat bona licitè, an acquirat conuentui. 452.4.
Religiosi delinquentes si non sint contumaces non sunt eiiciendi, sed carceribus mancipandi. 482.20.
An quum Religiosus vnica negotiatione plura est lucratus, ista sint spolia in conscientia debita post mortem danda Cameræ Apostolicæ. 457.1.& 2.
an teneatur Religiosus nulliter professus obedire iudici præcipienti, vt redeat. 86.39
An si aliquis Religiosus professus non destinatus choro, nec sacris ordinibus, sed sit frater laicus possit artem medicam exercere de licentia superioris, & lucrata ex illa Religionis, non Cameræ sunt. 455.6
an si aliquis Religiosus professus habita licentia à suo Prælato adeundi Indiam, vel aliò si habitum dimittit incurrat excommunicationem. 81.14
An liceat Religioso per alium lucrari. 457.6
An si Religiosus anceps an professionem verè, vel fictè emiserit, Superior possit illum occultè dimittere. 84.20.
Qua ratione Religio non habeat ius reclamandi coram Ordinario. 88.7
An iniudicatus debeat manere religiosus nullitatem suæ professionis intendens probare. 87.5.& 6
An item possit religiosus dubius de professione vera vel ficta fugere. 84.21.22.& 23
An siue fiat religiosus siue in sacris ordinetur innocens, non teneatur hæreticus reconciliatus religionem ingredi, aut voto castitatis se adstringere. 203.10
an Religiosus professus tacitè vel expressè dimittendo, aut omnino occultando temerè habitum religiosum, sit apostata. 76.12
quod Religio ignoret prioris professionis nullitatem vnde se habeat? 110.11
Damnatio ad triremes non est à religione expulsio. 505.2.
an Religiosi professi sint obligati præcepto iuris ad clausuram, & permanentiam in suo Conuentu. 27.1.
Quæ sint causæ, vt quis legitimè adfilietur in Religione laxiori, ad quam transit à strictiori. 391. n.4.& 5. vsque ad 9.
an Religio nequeat acquirere ius perfectum in professum contra ius vxoris. 150.16
an nullus Religiosus possit expelli nisi post annum integrum. 517.2
vtrum Religiosus expelli debeat propter peccatum à Religione. 466.2
Concilium Tridentinum tres conditiones posuit, vt quis Religiosus professus solemniter, siue professione expressa siue tacita possit reclamare, etiam intra quinquennium. 87.1
An in omni euentu vxore adulterante possit vir ea inuita transire ad Religionem, & suscipere etiam ordines sacros. 162.1
An ille qui fuit pluries fugitiuus à Religione animo consequendi licentiam transitus ad laxiorem, si transeat, non sit tutus in conscientia. 393.1.
De noua Religionis admissione quid veniat dicendum? 110.8
an si eligibilis esset Religiosus non exemptus ab obedientia Prælati regularis, requireretur licentia Prælati. 70.4
an Religiosus solemniter professus ex vi professionis sit eius filius sub patria potestate constitutus. 404.7
an si Religiosus abutatur licentia per se irreuocabili malè viuendo possit Pontifex ipsum reducere ad claustra. 68.4
An non sit ex iuris fictione quod Religiosus non possit acceptare summam dignitatem sine consensu & licentia saltem tacita sui Prælati. 70.7
an Religiosi ad triremes damnati acquirant Cameræ Apostolicæ. 460.3
an Religiosus Carthusianus solemniter professus possit adfiliari in alia Religione laxiori. 397. 10. 11. & 12.
an Religiosus professus factus Episcopus possit Episcoparum tuta conscientia retinere dimisso habitu. 74.1
Casus in quibus alter coniugum possit ad Religionem transire afferuntur. 160.1
An non concedatur quod quis possit transire ad religionem laxiorem. 62.6
Religiosus an non habeat velle aut nolle. 69.3
Vtrùm Religiosi professi solemni professione sint verè filij spirituales Religionis, in qua professionem solemnem emittunt. 375.1
an Religio non habeat ius ad impediendum eiectum ne statum religiosum acquirat. 392.3
an Religiosus sciens professionem esse nullam possit fugere. 84.28
an Religiosus solemniter professus nequeat esse Episcopus nisi prælatus regularis consentiat in sui electionem. 408.15
an Religiosus qui damnatur ad triremes, siue ad tempus, siue ad vitam si aliàs sit contumax & animo indurato, possit simul ab ordine expelli. 504.4
vnde Religiosus solemniter professus non habeat proprium velle, aut nolle. 70.2
Nullus pro quocunque delicto Religiosus professus eiici potest à Religione. 478.6
an si Religiosus professus scala murum Conuentus ascendens, & intra accessum habeat ad fœminam, sit dignus pœna mortis, & ita possit à Iudice suo damnari ad triremes per decennium. 470.7
an Religiosus damnatus ad triremes si decedat in loco, vbi est monasterium sui Ordinis debeat in ea sepeliri. 474.7
si Religiosus intra quinquennium habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quacumque ex causa admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, ex Concil. Trident. 87.8.& 9.
Nullus potest eiici à Religione nisi propter contumaciam. 466.4
An si expediens sumatur respectu Religionis, an expediat Religionibus suos delinquentes condemnare ad triremes. 505.12
Nisi vxor ad Religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, vir potest & debet de Monasterio reuocari ex Alex. III. 150.15

Reliquia.

Reliquiarum portatio, aspersio aquæ Benedictæ & Sacrificiorum oblatio nihil vani habent. 358.20

Renuntiatio.

Renunciatio liberè facta, sicut & donatio parit obligationem iustitiæ. 145.4

Repudium.

Repudium non permittebatur nisi ad vitandum vxoricidium. 168.20

Residentia.

an Residentia personalis pastorum sit de iure diuino. 2.11.
an si non Resideat Prouincialis, aut Generalis in ea domo cuius accessus facilior & commodior est ad regimen prouinciæ, non videatur satisfacere perfectè præcepto diuino de residentia personali. 5.13
An iure naturæ tenebatur residere cum B. V. S. Ioseph, & illa cum eo indiuisè commanere. 272.28
An si vterque coniux sit damnatus de hæresi, vterque teneatur simul residere & cohabitare. 206.9
An non possit separatio residentiæ matrimonialis, nisi vir sit maior 18. annis. 328.2
An motiua quæ Episcopos & Parrochos coarctant ad residentiam personalem pariter adstringant 24.11.

An personalis residentia consistat in industria personæ, quæ ex iure diuino requiritur ex vi officij pastoris ordinarij. 2.9
An obligatio residendi imponatur inferioribus Prætis à Superioribus. 24.14.15
mutua Residentia matrimonialis vtriusque coniugis iure naturæ & diuino est præcepta. 166.4
Residentia matrimonalis est de iure diuino & naturali ex ipsiusmet matrimonij natura obligatione orta. 167.18.
Vnde immobilitas residentiæ regularis in religione dimanet, ex Basil.Legionens. 91.13
Tam stricta est vtriusque coniugis residentia, vt inter illos sit quædam indiuidualis identitas, ex Burgensi 223.8

Reuelatio.

quæ Reuelationes à Pontifice sint approbandæ tanquam suspectæ. 83.17.18.& 19

Reuocatio.

An si vxor de facto licentiam reuocet, valida sit reuocatio. 116.5.6

Reus.

Rei siue sæculares Ecclesiastici, siue regulares quibus tradendi 569.18
In triremibus miserrimus quisque reus quotidie moritur. 55.24

Rex.

an Rex iuste lege politicè ductus possit expellere à regno Episcopos, ob iustam politice causam. 6.1
an Rex indirectè se immisceat rebus Ecclesiæ, 13.17. 18.
Reges Hispani cum assistunt Clericorum electionibus vel per ministros suos, hoc habent duplici titulo. 14.25.26.27.& 31.32
Reges Hispani suis Proregibus Indiarum ordinant, vt Capitulis & electionibus Regularium assistant. 16.49.50

S.Romualdus.

S.Romualdus inter cœnobia quæ in eremis fundabat cellia etiam plurium eremitoriorum ædificabat. 534 14.15.

S

Sæuitia.

SÆuitia, propter sæuitiam coniugis probabiliter perpetuo duraturam, an possit separatio perpetua concedi, ex Nauar. 213.8
quid nomine Sæuitiæ veniat intelligendum. 210.1
probationes Sæuitiæ necessariæ & concludentes debent esse ad thori separationem. 210.2
an ob Sæuitiam vel aliud crimen lata sententia diuortij non sit licitum quod coniux innocens transeat ad religionem. 212.1
an sæuitia parentum sit causa sufficiens diuortij. 211.1

Scholaris.

an Scholaris Societatis etsi emissione trium votorum simplicium sui faciant corporis & animæ donationem Prælato, possit Generalis donationem dimittere. 92.22
an si Scholares Societatis qui solum emittunt tria vota simplicia post biennium temere dimittant habitum incurrant excommunicationem latam *in cap.22. periculosa.* 78.9
An scholares Societatis qui post biennium tria solùm emittunt vota simplicia, non possint vti decreto Tridentini. 88.1
Ante Bullam Gregorij X I. an Scholares Societ validè etsi non licitè poterant contrahere matrimonium. 408.11

Sententia.

an data Sententia ab Ecclesia quod quis est professus & cogitur in religione residere, nequeat tuta conscientia aufugere. 85.33
An titulo appellationis à grauamine iniustæ sententiæ nunquam liceat prætextu adeundi superiorem recedere à conuentu. 50.13.14
an in Sententia sit inhibitum fugæ præceptum. 59.8
An se conformando sententiæ iustæ ob delictum reipsa patratum possit reus non fugere si velit. 58 10.11.
quæ Sententia iusta intelligatur. 55.20
Vbinam requiratur sententia declaratoria criminis, vt pœna confiscationis bonorum infligatur. 148. n.4.
an Sententia quod quis fame pereat, vt iusta sit, respiciat solum quod illi alimenta omnia illi subtrahantur, non à quibuscumque sed à custodibus. 57.4

Seruitus.

an status Seruitutis sit introductus iure respectu personæ domini cui obligatur. 381.8.9.& 10.11

Signaculum.

cur Signaculum virgineum sit specialiter in fœmina traditum à natura custodiendum paternæ custodiæ. 172.16.
An si fœmina per voluntariam pollutionem propriis manibus, vel alienis factam seruet signaculum virginale illud non corrumpens, etsi amittat virginitatis virtutem, non amittat statum naturalem virginitatis naturalis. 171.9
quid sit Signaculum virginale. 170.5
Signaculũ virginale per quid corrumpi dicatur. 171.6

Signum.

Amotio & destructio signi & expectatio, quod ex vi illius cessabit dæmon nocere, vbinam fundetur, ex Delrio. 353.12.13
An ablatio & destructio signi quo posito dæmon nocet & non posito vel destructo cessat nocere, non habeat naturalem virtutem ad non nocendum. 351.11
An non sit peccatum superstitionis dissoluere, aut auferre signa magica per actiones quæ naturalem habent oppositionem cum signis delendis. 359.2.
Quæ naturalis oppositio cum signis magicis delendis multipliciter possit intelligi. 359.3
An non solum fas sit tollere signa magica, sed etiam ponere res aliàs, quibus positis expiret pactum prius, & dæmon desinat nocere, & sanitas statim restituatur. 355.2.3.& 4
An obseruare somnia habendo illis fidem tanquam certis signis futuri euentus sit illicitum. 345 4
An licitum sit rumpere, soluere, euertere signum magicum ea intentione, quod maleficium cessabit ex vi talis destructionis. 347.23
Quomodo dignoscatur quum est signum magicum, vel naturale, ex Valentia. 360.6
Nunquid teneat gentilium traditiones, qui sperat & fidit, quod rupto signo à dæmone imposito ad nocendum, cessabit nocumentum. 350.5

Sodomia, Sodomita.

an Sodomia exercita cum vxore inuita non sit causa sufficiens diuortij perpetui. 187.8
de Sodomitis Rupertus quid sentiat. 491.13
An sit consideranda grauitas ciuilis, politica, & popularis peccati Sodomiæ. 491.17.& 18
an Sodomia non repugnet immediatè matrimonio. 188.15.
An si quis semel peccatum sodomiæ committit possit ad triremes damnari. 504.7
Nullum peccatum par peccato Sodomiæ ex Chrysostomo. 490.1
Quid de crimine Sodomiæ veniat dicendum. 489.9
Sodomitæ, an semper abeant in carnem alteram. 188.16

Stabilitas.

quomodo Stabilitas & clausura voueantur. 388.4
an Stabilitatis promissio si directè consideretur habeat vim iuramenti homini facta, sed coram Deo, ex eodem Caramuele. ibid.5
Quæ dicatur stabilitas religiosa. 380.1

Status.

quis Status dicatur imperfectus. 385.25
Quis dicatur status perfectus religionis. 386.26.27
Quid de statu veniat dicendum. ibid.28. 29
Quia ad statum Religiosum requiratur. 383.19
Quis dicatur in statu perfectionis. 384.24
Quandonam sit perfectus status religiosus. 383. 17 & 18.

Stuprum.

vnde Stuprum sumat propriam speciem. 172.13
An si virgo consensit in sui deflorationem teneatur circumstantiam stupri confiteri. 175.1
Quandonam virgo nunquam peccet peccato stupri, ex Sanchez. ibid.2
cur Stuprum sit species luxuriæ distincta ab omnibus aliis. 170.1
In quo consistat ratio stupri, & à raptu distet. 170.2
an Stuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem sub cura parentum existentium sit determinata luxuriæ species. 170.3
quid Stuprum in omni sententia prout species luxuriæ, habeat pro materia specifica. 170.4
An sit proprie Stuprum, quod fœmina consentiat in congressum patre dissentiente, etsi vir eam non extrahat à domo parentum. 174.1
Cur in fœmina sit speciale peccatum stuprum dum defloratur & signaculum virginale corrumpitur, non autem in viro. 172.15
Simplex coitus cum Moniali, an non pœna mortis, sed pœna simplicis stupri punienda est. 470.12
Qui concubitus sit stuprum, ex Caiet. 171.10

Subiectio.

quid sit Subiectio, ex S.Greg. 541.14

Superior.

an Superior laicalis sit Parrochus sui monasterij & suorum subditorum. 18.5
Quæ dominij translatio, vt valida sit requirat voluntatem actualem tacitam saltem Superioris. 40.3
an Superiores locales possint per bimestre ex iusta causa non residere. 24.19
an Superiores locales in multis communitatibus nequeant ex suis constitutionibus, sine licentia Prouincialis abesse à suis conuentibus. 24.20
An taciturnitas Superioris sit prudens motiuum licentiæ tacitæ. 34.6.& 7
an Superior localis possit abesse vltra bimestre & Prouincialis vltra trimestre ex sola licentia tacita sui superioris. 25.24.& 25
Quandonam ius superioris grauiter lædatur. 30.11
An si subditus ob delictum damnetur à superiore regulari ad carcerem perpetuum, aut temporalem, si superior non deferat appellationi incidat in excommunicationem. 527.5
Superior Regularis an possit ob graue aliquod delictum subditum damnare ad perpetuum carcerem. 484.34.
An liceat superiori ficte professum dimittere. 83.13. & 14.
an Superior & Iudex Regularis in pœnam criminis possit subdito imponere, quod ter vel quater in hebdomada in solo pane & aqua ieiunet. 485.39
an si Superior panem & aquam taxet iudicio medicorum affirmantium esse sufficientem ad sustentationem diuturnam incarcerati, licitè id possit facere absque periculo irregularitatis. 483.27
An si in regula & constitutione assignata sit pœna triremium pro aliquo delicto, nequeat superior illam pro delicto commisso non intelligere remissiuè. 482.21
An si quis se occultet intendens, quod superior non possit ipsum corrigere peccet mortaliter. 31. 22. & 23.
An quum dubium est vtrum Superior licentiam concedat, possit subditus egredi. 42.1
An si taciturnitas superioris non sit pura permissio, sed sit approbatio, sit tacita licentia. 34.9
An eo ipso, quod Superior teneatur dare licentiam ad egressum è domo censeatur iam adesse licentia tacita. 40.1
an sit Statutum aut sit constitutio, quòd in aliquibus casibus superior immediatus det licentiam ad egressum. 40.5
an Superior licitè non possit dare licentiam sine iusta causa. 32.13
an Superior localis dum in sua domo adest Prouincialis teneatur ab illo petere licentiam, & benedictionem. 42.1.
An ex iure communi Superiores, & Abbates sicut possunt aliis licentiam concedere, eam possint sibi assumere. 42.2
si Superior procederet ad incarcerandum opinione probabili, quod iustè procedat, an non incurrat excommunicationem. 527.2.3
An subditus qui grauatur à Superiore immediato possit sine licentia ipsius domo exire, vt adeat Superiorem qui à grauamine releuet. 49.2
An subdito licitus sit egressus à domo & recessus à conuentu, vt recurrat ad superiorem qui illum releuet à grauamine. 49.3.4.5.& 6
An tempore Concilij esset relaxatio adeundi Superiorem ob grauamen iniustè illatum. 50.15.& 16
an Superior possit præcipere, vt maneat Religiosus in loco quem designauerit & iustè iudicarit. 54.12
Quid cognoscere, & iudicare non ad Superiorem regularem, sed ad Episcopum & Ordinarium pertineat. 129.9
An si non subsit causa rationabilis, vt habitus ad tempus occultus deferatur nequeat superior dare licentiam. 81.7
An non teneatur superior fidem dare dicenti ficte professionem emisisse. 83.7.8. & 9
An vir iure diuino & naturali vxori superior sit, quoad domesticam & œconomicam dispositionem 218.5.
Quid nomine superioris, & Prælati intelligat S.Th. 411.31.
An etiam subsistente causa iusta & rationabili nullus Superior Regularis Pontifici inferior possit concedere licentiam transcurrendi ad filiandum in laxiori Religione. 390.2

Superior cuius imperio subditur quis ex voto obedientiæ, potest præcipere accipere Episcopatum, quem accipere de se non erat necessarium ad salutem, fit autem necessarium ex superioris præcepto ex S.Doctor. 411.30
An si quis Episcopatum accipiat sine consensu Superioris contra votum stabilitatis peccet. 420.11
Superior continuo cursitans non potest afflictos consolari. 4.12
an Superior dimittens dicentem se nulliter esse professum, procedat tanquam iudex. 83.15.& 16
Superiores circumquaque vagantes pastores sunt mercenarij. 4.10
An dum subdito præcipitur à Superiore, quod accepiet Episcopatum per se non præcipiat. 409.16
In quo casu teneatur superior electus auferre impedimentum. 6.25
Quandonam teneantur superior manifestare suam electionem Papæ, aut Generali. 6.27
An non possit Superior regularis facultatem concedere, vt Religiosus solemniter professus extra claustra habiter, vt habeat beneficium curatum. 69.1.
An sit sufficiens causa, vt Superior det licentiam habitandi extra claustra retento habitu etiam per totam vitam religioso criminoso. 66.1
qua ratione Superiores permitrant tuta conscientia, vt religiosus habitualiter, infirmus sit per totam vitam extra claustra. 66.9
An peccent mortaliter Superiores qui nimis rigidi sunt in delinquentium punitionibus, & incarceratorum custodia. 531.2
An irreuocabilitas ad duos superiores possit comparari. 67.4.& 5
an Superiores locales, qui quotidie cursitant per loca suorum districtuum relictis suis conuentibus non sint in bono statu. 4.5
an Superior existens orator in Concilio eligi nequeat in Priorem. 5.22

Superstitio.

an sit Superstitio cum mediis inutilibus & à diuina prouidentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus. 352.1
malitia Superstitionis in quo consistat. 353.10

T

Tacitum.

TAcitum, an parem vim habeat ac expressum. 33.2.

Taciturnitas.

an ex Taciturnitate præsumatur consensus de præsenti, remissiuè. 46.2

Taurus.

Tauri cicuratio in festo S.Marci non est sine dubio superstitiosa. 372.1
an Taurus in die S.Marci in nomine eius cicuretur. 370 2.& 3.
Circuratio Tauri in die S. Marci ad quam speciem incantationis & superstitionis spectet. 363.1
Quis sit stylus, & forma taurum cicurandi. 371.8
Vnde cicuratio tauri fiat. ibid.9
cur Tauri cicuratio sine dubio non sit superstitiosa. 372.4.

Temperantia.

Quid sit Regula temperantiæ. 484 37

Tempus.

Quæ causæ non exigant tempus determinatum. 25.23
An cum tempus est præfixum in odium negligentiæ non currat ignoranti & impedito. 101.2

Testamentum.

quid nomine Testamenti ab vsurario intelligatur. 81.6.

Traditio.

Quænam sit materia proxima traditionis mutuæ. 309.7.

Triennium.

an Triennium experientiæ designatum debeat esse continuum moraliter loquendo. 329.3
an Triennium non sit expectandum à die plenæ pubertatis. 328.1

Triremis.

An dum quis damnatur ad triremes ad tempus, etiam ad decennium non eiiciatur per se, & formali eiectione à Religione. 474.2
Triremes sunt veluti quædam perpetua mors. 56.27
An condemnatum ad triremes vxor teneatur sequi. 220.10.
An damnatio ad triremes non sit iuridica eiectio à Religione. 476.6
Quid sit pœna triremium sit pœna incorrigibilium, & contumacium. 503.3
An damnatus ad triremes non debeat in habitu clericali incedere. 476.9
An ad damnationem ad triremes, vel ad expulsionem à Religione non exigatur degradatio realis. 473.6
Damnatio ad triremes non est pœna spiritualis, sed corporalis. 474.3
An dum quis damnatur ad triremes non eximatur ab obedientia Prælati, nec priuetur indulgentiis & priuilegiis ordinis. 474.5
damnatis ad Triremes intra ipsam triremem confessio Sacramentalis non denegatur. 529.3
An qui damnatur ad triremes non eiiciatur à Religione. 474.1

Trutanus.

Quid intelligatur nomine Trutanus. 535.22

V

Valor.

VAlor rei intrinsecus, an non sit perfectio intrinseca ipsius. 495.7
Pecunia & numisma non habet alium valorem nisi illum quem Rex, aut Respub. illi tribuit. 494 1

Veneficium.

Quid differat Veneficium à maleficio. 332.1

Vicarius.

An sint plura quæ non expediat committere Vicario. 26.7
an in Vicaria perpetua non possit poni Vicarius perpetuus sine Apostolica dispensatione. 10.17

Vinculum.

quodnam Vinculum non soluatur nisi ad petitionem partis. 304.4.& 5

Vindicta.

an vt Vindicta iusta exerceatur in malefactorem qui condemnari debet ad triremes debeat seruari forma Vrbana ad iuridicè eiiciendos & expellendos Religiosos solemniter professos à Religione. 461. 1. & 2.

Vir.

an Vir etiamsi iniustè vxorem dimittat, si ipsa fornicetur, possit eam criminaliter accusare & ciuiliter diuortium celebrare. 179.1
Vir quandiu non rescinditur retinaculum coniugale tam dotis, quàm cæterorum bonorum, est legitimus administrator. 316.4

B.Virgo.

an B. V. æquè clarè videret diuinam essentiam ac Christus. 284.25
an B. V. in verbo cognouerit omnia possibilia ac cognouit Christus Dominus. ibid.27
Extensio visionis B. V. ad creaturas iuxta quid sit. ibid.28.
an si in B. V. sit eadem gratiæ plenitudo, ac fuit in Christo ab instanti fuerit Beata sicut Christus. 285.29.
si V.M. in instanti fuit data tota plenitudo gratiæ, quæ augenda non erat data fuerit etiam plenitudo gloriæ sicut Christo. ibid.30
An idem dicendum de plenitudine gloriæ, quod eadem esset secundum intensionem in B. V. ac in Christo. 284.24
An si lege veteri non erat laudabilis virginitas, & Augustini sensus affertur. 260.8.9.10.11.& 12
an B. V. in vtero habuerit plenissimum rationis vsum. 266. 43.
an B.V. non habuerit Angelum custodem. 276.1
an B. V. ad vitanda nocumenta exteriora Angelum custodem habuerit. 276.2
an persona B.V. longè inferior sit in potestate naturali Angelorum viribus. ibid.3
an Virginitas ante legem Euangelicam non fuerit in populo Dei opprobriosa. 259.3.4. & 5
An ante Dominam nostram nulla fœminarum in veteri lege siue cum voto siue sine voto obseruarit virginitatem. 261.14
an B. V. fuerit prima quæ fecerit votum Virginitatis. 262.19.
An nullus ante legem Euangelicam obseruarit virginitatem ex motiuo honestatis suæ. 261.13
An Maria Moysis soror virginitatem coluerit. ibid. 15.
Ad quem finem non esset prohibita Virginitas in lege veteri. 265.36
An in instanti Conceptionis supposito quod in illo fuerit ab originali peccato præseruata diuinitus, & in vtero existens Virginitatem vouerit B. V. 265.42.
an Virgo antequam desponsaretur cum Ioseph emiserit votum Virginitatis. 269.39
an Virgo vouerit post desponsationem. ibid.40
licet B. V. specialissimè confirmata in gratia nullatenus deficeret à bono, an ex vi sua, quatenus est persona creata in sensu diuiso poterat deficere. 276.7
An quamuis Virgini sint assignati Angeli in custodiam, non sit illi assignatus aliquis propriè tanquam Angelus Custos. 277.8
An post verbi conceptionem B. V. fuerit secura & confirmata non admittendi beatitudinem. 289. n.13.
an etiamsi Virgo sit orbata parentibus aut nullum habeat tutorem, aut curatorem si stupretur, iniuria fiat paternæ custodiæ. 174.1
B. Virgo an non opinione, sed reipsa fuerit Iosephi coniux. 258.8

Vis.

An sine præcepto non sit vis coactiua. 28.7

Vita.

Vitam sibi auferre etiam pro paruo tempore, ita est intrinsecè malum, quod nullo fine honestari possit. 58.2.3.4.& 5

Voluntas.

Voluntas rebellis & contumax. animusque obstinatus exigitur, vt ouis morbida ab ouili regulari expellatur ad sæculum. 513.2
an sola Voluntate interna mente retenta sufficiat, vt adulter liber à pœna lege statuta. 191.3
Vnde dignosci possit prudenter tacita Principis voluntas. 46.1
an Voluntas coacta sit voluntas. 105.47
Quid ad inordinationem voluntatis pertineat. 410. n.28.

Votum.

an Votum conditionatè quod verè est tale pariat obligationem in specie & sine nouo actu voluntatis, pariat etiam obligationem in re ex vi prioris voti. 159.23.
An si fœmina emittat votum castitatis, & vir manens laicus putans matrimonium esse nullum fornicetur, si postea restauretur detecto errore sententiæ latæ de nullitate, fœmina non teneatur reddere debitum. 320.3
an Votum & iuramentum seruandum non sit quum id quod promissum est voto, aut iuramento, non possit licitè fieri sine peccato. 434.18
Votum generale est non procurandi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, ex Pellizario. 430.1
Votum absolutè factum non obligat ad illud, quod raro, & rarissimè contingit. ibid.2
An sicut iuramentum in materia iuris recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas ipsum ius, recipit ita & votum. 427.14
An si in Religione fiat speciale votum, siue solemne, siue simplex accipiendi Episcopatum. si Summus Pontif. id præcipiat ex vi huius voti Regularis teneatur obedire Sum. Pontifex tanquam Superiori Regulari. 407.6
quid sit Votum quo adstringitur filiatio Religiosa. 420.6.
An dum fictè profitens dicit vouere, &c. teneatur naturali iure ea vera facere ex vi verborum dilucidè & serio prolatorum. 93.29.30
an Votum virginitatis emissum à Domina nostra fuerit absolutum. 261.16.17
an Votum, quod emittunt professi Societatis præceptum & rigorem obedientiæ exigat impositum ab eo qui præcipere potest sub pœna peccati. 429.3

an votum castitatis simplex etsi non dirimat matrimonium, non impediat. 259.1
quandonam Votum quantum ad secundum vinculum non acceptandi dignitates non obliget. 433.15
An iuxta formam quarti voti nostri requiratur Pont. rigorosum præceptum. 429.5.6
An admissio scholarium per vota simplicia ad Societatem sit vera & legitima professio. 509.9
An coniux manens in sæculo si iuuenis sit cogi debeat, vt religionem ingrediatur & profiteatur, nec sufficiat votum continentiæ, vt alter licitè profiteatur. 131.5.6
an Votum solemne dirimat matrimonium,& faciat incapacem dominij. 382.12
An materia voti, tam quoad receptionem, quam quoad prætensionem sint Episcopatus Indici. 431.1.
an Votum sicut & iuramentum de non acceptando Episcopatu sit impeditiuum maioris boni. 434.16
quod Votum murus & antematurale religionis tuendæ, & conseruandæ propugnaculum sit. 428.23
In quo voto per electionem intelligatur illa quæ fit à Pontifice, & simul sit confirmatio. idid.20
an Votum Virginitatis emissum à Domina primum fuerit conditionale. 262.20
In filiali seruitute qua quis voluntariè & totaliter Deo mancipatur, & abrenuntiat totaliter sæcularibus pompis, & nouis præterita vota solemnia in religione à sede Apostolica confirmata, quid colligatur. 375.5.& 6
Secunda Bulla Vrbana de quo voto loquatur. 436.3
An de voto stabilitatis in Religione & de voto castitatis eodem modo sit philosophandum. 120.8
An quum manens in sæculo senex sit sine periculo incontinentiæ, votum continentiæ quod tenetur emittere solemnizetur per votum solemne, quod alter emisit in professione. 129.1
an Votum stabilitatis iuxta suam extensionem sibi adiungat filiationem cum iuribus suis. 420.7
Votum de non suscipiendo Episcopatu quomodo intelligatur. 433.11.12
Quodnam dicatur obiectũ voti stabilitatis.420.10.11
an Votum emissum B. V. de virginitate perpetua seruanda habere conditionem imbibitam,nisi à parentibus suis reuocaretur. 264.35.36
Quænam sit materia voti stabilitatis siue in Religione siue in Monasterio siue explicitum sit siue implicitum, enuncleat S.Bernardus, 421.15
An etsi nullum sit votum factum sed fictum, qui fictè contraxit teneatur in conscientia fictionem amouere. 93.34.35
an Votum de non peccando absolutè emittatur sub vna ratione indiuisibili. 121.5
An in potestate vouentis coniugis non sit non petere. ibid.9.10
Si vir causa voti implendi vagetur extra domum longa vel breui peregrinatione, an teneatur vxor ipsum comitari. 220.6
an Votum stabilitatis idem sit ac votum professionis. 389.6.
An sub materia voti comprehendatur officium inquisitionis. 431.1
An B.V.votum virginitatis emiserit ante conceptionem verbi. 265.38
an Votum simplex non dirimat motrimonium. 91.10
Quid veniat dicendum de voto quo quis vouet non fore Episcopum. 432.5
Votum stabilitatis duo imbibit. 420.8.9
Quæ regula iuris procedat in materia voti. 121.2.3
Obligatio orta ex voto non est absoluta, sed dependens ex præcepto Papæ. 441.2
Quæ vota ex parte vouentis absoluta sint & perpetua. 510.13
Omnis dispensatio voti debet fieri ad honorem Christi in cuius honorem dispensat Pont. vel ad vtilitatem Ecclesiæ quæ est eius corpus.Ex S.Thoma. 441.6.7
Quo dignius est votum,& ad obseruantiam regularem, vitamque Religiosam conseruandam; eo maiorem causam dispensandi exigit. 442.9.10
An Bulla Vrbana comprehendat Religiosos qui non sub voto,sed sub iuramento se obligant ad non acceptandum Episcopatum. 436.1
Ante quod decretum materia voti solum erat in hac Religione ad quam se extendebat intentio vouentis. 436.2
an Votum continentiæ quod coniux manens licitè in sæculo ex Ecclesiæ præcepto solemnizetur ex eo quod alter professionem solemnem emisit. 130. 5.6
An si vir de licentia vxoris transierit ad ordines sacros, & mulier votum castitatis emittat, istud solemnizetur, eo quod vir sacros ordines suscipiat. 130.8.9.10.& 11.
An scholares Societatis per tria vota simplicia sint vere & proprie Religiosi. 509.7
An mulier conscia iuris & obligationis tacitè voueat, & adstringatur ad renuntiandum iuri petendi. 154.9
Votum continentiæ factum sine licentia vtriusque coniugis tacita, vel expressa est ex natura rei nullum. 119.7.8.
an Votum castitatis quod emittunt scholares Societatis ex speciali statuto Ecclesiæ,& priuilegio concesso ipsi societati, sit votum simplex. 130.13
An respectu voti continentiæ non habeat vir potestatem dominatiuam respectu mulieris, quam non habeat mulier respectu mariti. 117.9
Inter statum Religiosum ex votis simplicibus oriundum, & statum Religiosum ex votis solemnibus natum est substantialis & essentialis differentia 379.17.
An ex vi licentiæ datæ à coniuge ad vouendam continentiam, renuntiauerit iuri suo. 117.4.5.6
An innocẽs nequeat irritare votum factum ab adultera de eius licentia. 147.3.4
Quid ad solemne votum exigatur. 383.16
An si mulier de licentia mariti vouit castitatem non possit illud irritare totum semel emissum. 117.1
Si de licentia innocẽtis fecit votum religionis ex vi cuius licentiæ innocens renuntiauit iuri reuocandi,ad quid non teneatur. 148.12.13
Votum de non acceptando Episcopatum sine præcepto formali Superioris Regularis, an non sit de materia licita & honesta. 406.2.3
An omnia vota Deo facta vt sic æqualia sint in sua bonitate. 389.7.8
Vouere stabilitatem, & vouere clausuram sit quid diuersum. 389.9
An in foro conscientiæ non ratificetur votum pro supposita ignorantia nullitatis. 104.35.36
An etiamsi B.V.votum Virginitatis emiserit,nihilominus contraxerit matrimonium. 263.28
Cum coniux manens in sæculo nullum votum castitatis emisit dum licentiam præbuit alteri coniugi ad profitendum,an talis professio valida sit. 149.5.
Quæ vota absque aliqua reuocatione solemnia subsistant. 159.24.25
quod Votum simplex dicatur triplex. 384.20
An solemnitas voti vnius in alium redundet.130.12
Quid sit prætensio indirecta quæ voto non præcluditur sicut directa. 425.3

Vrbanus.

Vrbanus II. requirit ad transitum ad aliam religionem consensum Abbatis, & totius Congregationis. 401.6.

Vtilitas.

Quæ euidens Ecclesiæ vtilitas. 19.2
An sit euidens vtilitas quod Prælatus vadat ad Capitulum prouinciale,aut generale, vt suffragium ferat in regimine Religionis. 19.3.& 4

Vxor.

Vxorum multiplicitas est contra ius naturæ. 195. 1
Quid sit quod vir habeat fœminam, vt sororem, quam nequit vt vxorem habere. 311.23
an Vxor teneatur censentire in absentiam viri præliaturi in infideles. 220.11
an Vxor non teneatur dimittere virum qui ipsam alit ex rebus furto acquisitis. 210.12
vix Vxorem occidens assumit infame officium. 182.6
si Vxor repudiata sit & ista alteri nupserit, matrimonium secundum nullum est. 196.8
an etiamsi Vxor emendata recludatur in monasterio authoritate iudicis Ecclesiæ, possit vir intra biennium à monasterio extrahere. 137.4
Quæ causa sufficiat, vt quis vxoratus relinquat vxorem. 167.11
qui Vxorem suam dimiserit & aliam duxerit habeatur vt adulter. ibid.12.& 13
licèt Vxor æqualis sit quantum ad diuortium propter adulterium cum viro; vxor nequeat criminaliter accusare virum adulterum & sic bene è contra. 169.1
Quam credulitatem possit habere vxor duplicem. 184.1.
an si Vxor vi fuerit oppressa, cum sit libera à culpa, sit etiam libera à pœnis adulterij. 189.1
an dissimulatio vxoris faciat, quod maritus prudenter iudicet, quod consentit cum posset reclamare. 125. 30. & 31.
Ad transmarinam peregrinationem peragendam cum viro non potest cogi vxor. 222.3
an si Vxor sciat maritum esse mortuum per reuelationem ad effectum licitè possit contrahere cum alio. 184.7.
Vir potest dimittere vxorem dupliciter, ex S.Thom. 142. 2.& 3.

FINIS.